Digitized by Google

Digitized by Google

I
F'
26

Digitized by Google

Digitized by Google

L.f. xxxv. e. 27

Digitized by Google

Digitized by Google



Avant que la Foi fût venue, nous étions sous la garde de la Loi, renfermez jusqu'à la Foi, qui devoit être révelée. La Loi a été nôtre conducteur jusqu'à Jesus-Christ. Galat III, 23. 24.

Digitized by Google



Τέσσαρες Εὐαγγελισταὶ μετὰ τῶν σημείων αὐτῶν | QUATUOR EVANGELISTAE CUM SUIS INSIGNIBUS

The four Evangelists with their Ensigns. | *Les quatre Evangelistes, avec leurs Symboles.*

Die vier Evangelisten mit ihren ſinnbildern | De vier Euangelisten met hare Teekenen.

Digitized by Google

SANCTUM
JESU CHRISTI
EVANGELIUM[a]
SECUNDUM MATTHÆUM.

MAtthæus filius Alphei, Galilæus natione, Judæus religione, publicanus profeſſione, civis urbis Capharnaum, cujus telonium extra urbem ad littus maris Tiberiadis, rogatus ab iis qui ex Hebræis crediderunt, ſcripſit Jeroſolymis Evangelium, linguâ quâ tunc Judæi utebantur, partim ſyriacâ, partim chaldaicâ, quæ hebraica dicebatur, hocque octavo anno, ut creditur, poſt reſurrectionem Chriſti, & primus ex aliis Evangeliſtis.

Hic textus hebraicus non invenitur amplius, verſio verò græca, quam nunc habemus, jam facta eſt temporibus Apoſtolicis, de cujus auctore licèt dubitetur, ita recepta eſt ab Eccleſia, ac ſi eâ linguâ primum ſcriptum fuiſſet Evangelium Matthæi. Quod verò Evangelium hebraicè circumfertur, poſteriori tempore ſcriptum eſt, non ante multos annos.

Ordo rerum quas recenſet Matthæus in Evangelio, non omnino conformis eſt Chronologiæ vitæ Chriſti: quod fortè contigit, non ex incuria ipſius Matthæi, ſed ex tranſpoſitione quaternionum.

CAPUT I.

Texitur genealogia Chriſti ab Abraham.

1. [b] LIBER generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham.

2. [c] Abraham genuit Iſaac.

Iſaac autem genuit Jacob.

Jacob autem genuit Judam & fratres ejus.

3. Judas autem genuit Phares, & [d] Zaram de Thamar.

Phares autem genuit Eſron.

Eſron autem genuit Aram.

4. Aram autem genuit Aminadab.

Aminadab autem genuit Naaſſon.

Naaſſon autem genuit Salmon.

5. [e] Salmon autem genuit Booz de Rahab.

Booz autem genuit Obed ex Ruth.

Obed autem genuit Jeſſe.

Jeſſe autem genuit David regem.

[a] Evangelium, *id eſt, bona jucundaque annuntiatio de hominum ſalute per Chriſtum, & hiſtoria tale nuntium complectens.*

1. [b] *Liber*, verſio Æthiopica. *Deſcriptio generationis*, generis, genealogiæ. *Filii David*, filius dicitur in ſcriptura, qui ab aliquo ducit genus. *David*, quia Davidis nomen eâ ætate omnibus in ore erat, quandocumque de futuro Chriſto ſermo incidebat, & quia Davidi clarior fuerat data promiſſio. *Filii Abraham*, ſibi refertur ad Jeſu Chriſti. *David & Abraham*, quia alter gentis caput erat, alter familiæ de qua natus Chriſtus. Nominantur vero, quia David regum, Abraham patriarcharum maximus fuit. David præponitur Abrahæ, quia regno clarior, & inter reges promiſſionem accepit, quod ex ſemine ſuo ſurrecturus eſſet Chriſtus. Recenſentur hic parentes juxta naturam, apud Lucam vero juxta legem. Quantum autem ad hanc differentiam, non eſt mirandum, ſi ea nobis ſint obſcuriſſima, quia antiquiſſimorum illorum temporum Hiſtoriâ deſtituimur: cùm ultra mille & quingentos annos libri genealogici Hebræorum interciderint: ſed tempore Chriſti & Apoſtolorum, integræ extabant genealogiarum deſcriptiones & rationes earum notiſſimæ erant. Si verò quid minus integrè dictum fuiſſet ab Evangeliſtis, Judæi qui aliàs quævis cupidiſſimè arrodebant & calumniabantur indubie hic acerrime contradixiſſent.

2. [c] *Abraham*, ab Abraham incipit, quia ipſe pater Judæorum & primus cui factæ promiſſiones. *Fratres ejus*, horum meminit non tanquam Chriſti parentum, ſed quia capita erant populi.

3. [d] *Zaram*, hunc addit ad memoriam illuſtris rei quæ in eorum partu evenit gradus futurus ad credendum partum a virgine. *Aram*. 1. Par. c. 2. dicitur *Ram*.

5. [e] *Salmon*, *&c.* à capta Jericho uſque ad nativitatem David ſu-

6. David autem rex genuit Salomonem ex [a] ea
quæ fuit Uriæ.
7. Salomon autem genuit Roboam.
Roboam autem genuit Abiam.
Abias autem genuit Aſa.
8. Aſa autem genuit Joſaphat.
Joſaphat autem genuit Joram.
Joram autem [b] genuit Oziam.
9. Ozias autem genuit Joatham.
Joatham autem genuit Achaz.
Achaz autem genuit Ezechiam.
10. Ezechias autem genuit Manaſſen.
Manaſſes autem genuit Amon.
Amon autem genuit Joſiam.
11. Joſias autem [c] genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis:
12. Et [d] poſt tranſmigrationem Babylonis.
Jechonias genuit Salathiel.
Salathiel autem genuit Zorobabel.
13. [e] Zorobabel autem genuit Abiud.
Abiud autem genuit Eliacim.
Eliacim autem genuit Azor.
14. Azor autem genuit Sadoc.
Sadoc autem genuit Achim.
Achim autem genuit Eliud.
15. Eliud autem genuit Eleazar.
Eleazar autem genuit Mathan.
[f] Mathan autem genuit Jacob.
16. [g] Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS, qui vocatur CHRISTUS.
17. Omnes itaque [h] generationes ab Abraham uſque ad David generationes quatuordecim: & à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum generationes quatuordecim.
Angelus
18. Chriſti autem [i] generatio ſic erat: Cùm
eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto.
docet Joſeph de Mariæ ſponſæ ſuæ conceptione, partuque futuro.
19. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam [k] traducere, voluit occultè dimittere eam.
20. Hæc autem eo [l] cogitante, ecce angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph, fili David: noli timere recipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.
21. Pariet autem filium: & vocabis nomen ejus JESUM: ipſe enim [m] ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.
22. Hoc autem totum factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem:
23. Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium: & [n] vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.
24. [o] Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam.
25. Et non cognoſcebat eam [p] donec peperit filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jeſum.

CAPUT II.

Refertur Hiſtoria profectionis & adorationis Magorum.

1. CUm ergo natus eſſet Jeſus in [q] Bethleem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam,
2. Dicentes: Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? vidimus enim [r] ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.

xerunt 366. aut ſaltem 336. anni, & tamen inter hæc tempora numerantur tantum Salmon, Booz, Obed, & Jeſſe: unde dicendum quòd homines illi diu vixerint, ut Moyſes & Caleb, & in illa longævitate eos ſero generaſſe. Ponamus etiam Salmon & Raham juvenes admodum ſub ingreſſum in terram Chanaan, & grandævos demum generaſſe Booz. Booz vero Obed, Jeſſe, ſingulos centenarios genuiſſe, quod illo tempore, quo erudior adhuc & vegeta magis hominum ſenectus, & ætas major, non eſt mirum, &c. Sed, quidni hic omitterentur quidam?

6. [a] *Ea quæ fuit*, quæ fuerat uxor: verſio Syriaca, Arabica, Perſica, *uxore*.

8. [b] *Genuit Oziam*, tribus interjectis, Ochoſiâ, Joâ, Amaſiâ, IV. Reg. c. 8. & 11. I. Par. c. 3.

11. [c] *Genuit Jechoniam*, inter *Eliacim*, Joſias genuit Joachim & fratres. Joachim genuit Jechoniam, circa tempora primæ captivitatis, quarto anno regni Joachim, regnante Jechonia fuit alia captivitas, ultima verò poſt ruinam Jeruſalem a Nabuchodonoſor, quâ durante Jechonias genuit Salathiel, &c. *In tranſmigratione*, inſtante tranſmigratione.

12. [d] *Poſt tranſmigrationem*, non ſolutam, ſed poſtquam tranſmigraſſent. *Jechonias* filius prioris de quo v. 11 dictus Joachim. *Salathiel*, à Luca dicitur filius Neri ſed legalis erat, vel adoptivus: forte Jechonias uxorem habuit filiam Neri, aut Neri filiam Jechoniæ. *Zorobabel*, alius forte ab illo de quo I. Par. c. 3. 19. Eſdræ enim c. 3. & Aggæi c. 1. Zorobabel dicitur filius Salathiel.

13. [e] *Zorobabel*, *&c.* aliqui omittuntur inter Zorobabelis & Chriſti tempora.

15. [f] *Mathan genuit Jacob*, ex uxore Mathan genitus eſt Jacob, Mathan mortuo, ex eadem uxore Mathan genuit Heli: Jacob vero ex uxore Heli ſine liberis defuncti genuit Joſeph, naturâ ſuum, lege Heli filium, & ſic conciliantur Matthæus & Lucas. Alii ſic exponunt, Eſtha uxor Jacob nupſit poſt mortem ipſius Melchi, à quo habuit Heli, &c.

16. [g] *Jacob genuit Joſeph*, texendo genealogiam Joſeph, quam Matthæus deſcribit à David per Salomonem, indicatur ſtirps & origo Mariæ: cùm enim nec fratres nec ſorores haberet, cogebatur ex lege, Num. c. ultimo nubere viro ex eadem non ſolum tribu, ſed & cognatione, erant autem Maria & Joſeph cognati Germani, filii fratris & ſororis, a Mathan avo communi progeniti.

17. [h] *Generationes*, perſonæ generantes ac genitæ. *Uſque ad David*, incluſivè. *A David*, excluſivè. *Quatuordecim*, numerando Joachim, qui omiſſus eſt errore aut negligentiâ copiſtarum, vide verſum 11.

18. [i] *Generatio*, conceptus, nativitas. *Deſponſata*, nondum maritata, exponunt quidam. *Antequam* non ſignificat quòd poſteà convenerint: ſicut cùm dicimus, mortuus eſt ille antequam domum perfeciſſet, vel antequam egiſſet pœnitentiam. *Convenirent*, in eadem domo, deſponſatæ enim erant in domo parentum, nec introducebantur in domum viri niſi poſt nuptias. *In utero habens*, Arab. *gravida*.

19. [k] *Traducere*, Judæis puniendam exponere. *Voluit*, magis hoc verbo ſignificatur deliberatio & conſultatio, quàm voluntas ſua, ut patet ex ſequentibus. *Occultè*, publicè enim non poterat dare libellum repudii, quia gravida erat, negare vero ea ſe gravidam eſſe non poterat, niſi voluiſſet eam accuſare adulterii, adulteræ autem non dabatur libellus repudii, quia lapidanda erat, ſed adulterium probare non poterat, atque adeo *Cum eſſet juſtus*, illam non accuſavit: non enim licet crimen occultum, quod probari non poteſt, proferre in publicum.

20. [l] *Cogitante*, cùm cogitaſſet interdiu. *Accipere*, retinere in vitæ ſocietate: vel, accipere in domum tuam. *Natum*, genitum.

21. [m] *Salvum faciet*, Arab. *liberabit*, Perſ. *purificabit*. *Populum ſuum*, juxta proximum intellectum, Judæos: juxta arcanum, omnes qui in ipſum credituri.

23. [n] *Vocabunt*, phraſi hebraicâ: nomen pro re ſumitur, id eſt, erit verus Emmanuel ut Iſ. c. 9. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis*, *&c.*

24. [o] *Exurgens*, excitatus, Arab. *expergefactus*, Perſ. *expergefactus*. *Accepit*, in domum & uxorem nuptam.

25. [p] *Donec*, non ſignificat quod poſt partum cognoverit, ut de corvo, Gen. c. 8. *Non eſt reverſus donec arceſceret terra*, neque enim poſtea rediit, & Pſ. 109. II Reg. c. 6 & multis aliis in locis. *Primogenitum*, non quod poſt eum alii, ſed quod ante eum nullus.

1. [q] *Bethleem Juda*, ad diſtinctionem alterius Bethleem, quæ in Galilæa in tribu Zabulon, ut patet Joſ. c. 19. *Herodis* magni, qui Idumæus origine & filius Antipatri. *Magi*, ſapientes ac philoſophi, primores gentis ſuæ dicunt quidam. *Ab Oriente*, Chaldæa, locis vicinis, quo conſtat quomodo fieri potuerit, ut ante purificationem virginis, imò decimâ tertia die ab ortu Salvatoris, Bethleem pervenirent, poteſt & de Arabia exponi.

2. [r] *Stellam ejus*, ſtellam ortus ejus indicem: ex traditione enim majorum didicerant regem populi Judaici naſciturum indicante ſtellâ, & inſtructi prædictione Balaam, de qua Num. cap. 24. *In Oriente*, Arabiæ, non Perſide, quæ tunc Parthis ſubjecta erat. Parthæ autem tunc infenſi erant Herodi, non vero Arabes, tunc Judæorum, & Romanorum amici. *Venimus*, in præterito, ut patet ex Græco, ſcilicet ut primi fœdus inirent cum percuſſuro duces Moab & vaſtaturo omnes filios Seth, Num. c. 24. v. 17. Arabes enim orti ex Seth filio Abrahæ.

Digitized by Google



Math. II,

Προςφορὰ τῶν μάγων.
Offerings made by the wise men from the East.
Die Weiſen auſz Morgenland.

MUNERA A MAGIS ORIENTALIBUS OBLATA.
L'Offrande des Mages
Offering der Oosterſche Wyzen.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google



S. Bourdon pin.

Ηρώδης ἀνα DIS.

Herodis crud thleem

Ho

NAZIONALE
NAPOLI
Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Math. III. 1.

Κήρυξις Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἐν τῇ ἐρήμῳ.

John preaching in the Wildernesse.

Johannes predigt in der Wüſten.

JOANNES PRAEDICANS IN DESERTO.

La prédication de Jean Baptiste dans le Desert.

Prediking van Joannes in de Woestyne.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

3. Audiens autem [a] Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo.

4. Et congregans omnes [b] principes ſacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur.

5. At illi dixerunt : In Bethleem Judæ, ſic enim ſcriptum eſt per prophetam:

6. Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es [c] in principibus Juda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſraël.

7. Tunc Herodes [d] clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.

8. Et mittens illos in Bethleem dixit : Ite & [e] interrogate diligenter de puero : & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.

9. Qui cùm audiſſent regem, abierunt : & ecce ſtella quam viderant in Oriente, [f] antecedebat eos, uſque dum veniens, ſtaret ſuprà, ubi erat puer.

10. Videntes autem ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes [g] domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum : & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham.

12. Et [h] reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

Refertur fuga Chriſti in Ægyptum.

13. Qui [i] cùm receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens : Surge & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

14. Qui conſurgens, accepit puerum, & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum:

15. Et erat ibi uſque ad [k] obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum.

De Herodis in infantes ſævitia.

16. [l] Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus à bimatu, & infrà, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis.

17. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam, dicentem:

18. Vox in [m] Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus : Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.

De reditu Chriſti in terram Iſraël.

19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini [n] apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto,

20. Dicens : Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſraël, defuncti ſunt enim [o] qui quærebant animam pueri.

21. Qui conſurgens accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Iſraël.

22. Audiens autem quòd Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire : & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes [p] Galilææ.

23. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum eſt [q] per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur.

CAPUT III.

Narratur quomodo Joannes Baptiſta pœnitentiam prædicaverit in deſerto, cujus vitæ auſteritas deſcribitur.

1. [r] IN [r] diebus autem illis venit Joannes-Baptiſta prædicans in deſerto Judææ,

2. Et dicens : [ſ] Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.

3. Hic eſt enim [t] qui dictus eſt per Iſaïam prophetam dicentem : Vox clamantis in deſerto : Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

4. Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſilveſtre.

Populum ad ſe venientem baptiſat.

5. Tunc exibat ad eum Jeroſolyma, & [u] omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem ;

6. Et baptiſabantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua.

Reprehendit Phariſæos & Sadducæos, docetque ut dignos faciant fructus pœnitentiæ.

7. Videns autem multos [x] Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum dixit eis : Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira ?

3. [a] *Herodes rex*, tunc degebat Jericho, dicit Calmet. *Omnis*, maxima pars, quòd Herodi faveret. *Jeroſolyma*, turbata præ admiratione novi nuncii.

4. [b] *Principes ſacerdotum*, viginti quatuor familiarum ſacerdotalium. *Naſceretur*, naſci deberet.

6. [c] *In principibus*, Arab. *inter principatus Juda*. principales urbes, vide Michææ c. 5.

7. [d] *Clam*, ne à Judæis puer abſconderetur. *Tempus ſtellæ*, &c. Syr. Perſ. *quonam tempore ſtella eis apparuiſſet.*

8. [e] *Interrogate*, Syr. Arab. Perſ. *inquirite.*

9. [f] *Antecedebat eos*, euntes Bethleem.

11. [g] *Domum*, manſionem nempe ſtabulum, Hebræi quippe omnem manſionem, etiam beſtiarum, domum vocant. ſed nonne poſt partum potuerunt Maria & Joſeph divertere ad domum ? *Theſauris*, ſic nominant Hebræi loca in quibus aſſervantur aurum, frumentum, aromata, &c. eoque loci intelligi debent capſæ Magorum.

12. [h] *Reſponſo accepto in ſomnis*, oraculo admoniti in ſomnis Æth. *admoniti in ſomno.*

13. [i] *Cùm receſſiſſent*, non ſtatim, ſed poſt luſtrationem puerperæ, & reditum Nazareth, nec obſtat quòd Herodes non Nazarenos pueros, ſed Bethleemitas mactarit. Quæſivit enim puerum ubi natus erat, diſceſſum Joſeph ignorans.

15. [k] *Obitum Herodis*, qui poſt tres, vel quatuor menſes obiit.

16. [l] *Tunc*, non ſtatim, ſed aliquantò poſt magorum diſceſſum, quum prius tentaſſet an Chriſtum invenire poſſet, & poſt mira quæ contigerunt in præſentatione Chriſti. *Pueros*, maſculos. *Infra ſecundum tempus*, &c. non qui forent unius diei, &c. ſed qui potuerant naſci circa tempus Magorum, &c. adeo ut immunes forent à lege mortis qui nati fuerant poſt apparitionem ſtellæ, cujus tempus didicerat Herodes à Magis, & poſt adventum Magorum.

18. [m] *Rama*, urbs in confinio Benjamin, vicina Bethleem, prope quam ſepulta Rachel, unde ſenſus eſt matres Juda & Benjamin figuratæ per Rachel, ſic ejulabunt in occiſione puerorum Bethleem ut clamores eorum audiantur uſque in Rama.

19. [n] *Apparuit*, aliquot menſibus à morte Herodis, nam Archelaüs, de quo hîc, non obtinuit omnimodam præfecturam, niſi poſtquam Auguſtus Cæſar de teſtamento Herodis conſtituiſſet, & ipſe Archelaüs Romà eſſet reverſus.

20. [o] *Qui quærebant animam*, qui quærebant vitam ejus auferre.

22. [p] *Galilææ*, cujus Tetrarcha erat Herodes Antipas minor Archelao.

23. [q] *Per prophetas*, dicendo. *Per prophetas*, non per prophetam, oſtendit non eſſe verba unius ſcripturæ, ſed multarum in ſenſum. *Nazaræus*, non per zaim, ſed per tzade, quia prædictus eſt ab Iſaïa futurus flos, ſeu germen juxta Hebraïcam litteram c. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & Nazaræus de radice ejus conſurget.*

1. [r] *Diebus illis*, non reditus ex Ægypto, mos eſt enim ſcripturæ ponere tempus indiſtinctum pro quolibet tempore. Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæſaris, Lucæ c. 3. *Venit* ab interiori deſerto ubi vixerat, ad loca ejuſdem deſerti publica, circa Jericho & prope Jordanem.

2. [ſ] *Pœnitentiam agite*, vi verbi græci, reſipiſcite, pœnitemini. *Appropinquavit regnum cœlorum*, per adventum Chriſti, &c.

3. [t] *Qui dictus eſt*, de quo dixit.

5. [u] *Omnis*, magna pars.

7. [x] *Phariſæorum & Sadducæorum*. tres erant ſectæ apud Judæos, Eſſeni omnium probiſſimi ; Phariſæi, id eſt, diviſi, propter ſuperſtitionem, & vitæ ſanctimoniam aſcititiam, Sadducæi, id eſt, juſti, quod de juſtitiæ perfectione gloriarentur. Hi ad baptiſmum Joannis

8. Facite ergo fructum [a] dignum pœnitentiæ.

9. Et ne velitis [b] dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

10. [c] Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Dicit quantum ſuus à Chriſti baptiſmo differat.

11. [d] Ego quidem baptiſo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.

12. Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Baptizatur Jeſus à Joanne, & ſuper Jeſum deſcendit Spiritus Sanctus in figura columbæ, voxque de cœlo auditur in commendationem ipſius.

13. [e] Tunc venit Jeſus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

14. Joannes autem [f] prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

15. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Sine modo: ſic enim decet nos implere [g] omnem juſtitiam. Tunc dimiſit eum.

16. Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli: & [h] vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.

17. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

CAPUT IV.

Narratur jejunium Chriſti & ejus tentatio à Diabolo.

1. TUnc Jeſus ductus eſt in [i] deſertum à ſpiritu ut tentaretur à diabolo.

2. Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.

3. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.

4. Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo ſed [k] in omni verbo quod procedit de ore Dei.

5. Tunc [l] aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi,

6. Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

7. Ait illi: Rurſum ſcriptum eſt: Non [m] tentabis Dominum Deum tuum.

8. Iterum [n] aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum,

9. Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi [o] cadens adoraveris me.

10. Tunc dicit ei Jeſus: Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.

11. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Poſt incarcerationem Joannis prædicat Chriſtus in Capharnaū pœnitentiam.

12. Cùm autem audiſſet Jeſus [p] quòd Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam.

13. Et relictâ civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum [q] maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim:

14. Ut [r] adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam:

15. Terra Zabulon & terra Nephthalim, [ſ] via maris trans Jordanem, Galilæa gentium,

16. Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.

17. [t] Exindè cœpit Jeſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.

Petrum, Andream, Jacobum, & Joannem ad ſe vocat.

18. Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare [erant enim piſcatores.]

19. Et ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.

20. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.

21. Et [u] procedens indè, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem

conſuebant ut populo ſuæ ſanctitatis ſtudium probarent, unde arguit Joannes illorum hypocriſim. *Progenies viperarum*, peſſimorum parentum peſſimi filii. *Fugere à ventura ira*, quod ideo dicebat quia Sadducæi illam non timebant negantes reſurrectionem, & Pharisæi confidentes in propria juſtitia.

8. [a] *Dignum*, Arab. *congruum*.

9. [b] *Dicere*, gloriari, confidere promiſſis Abrahæ factis circa ſemen ejus, &c. *Lapidibus iſtis*, rupibus vicinis quas monſtrabat. *Abraha*, in dativo.

10. [c] *Jam enim ſecuris*, &c. innuit non eſſe differendam pœnitentiam, propter adventum Meſſiæ Jeſu Chriſti, quem qui non ſuſceperit, peribit. Aut, quia jamjam Judæi à Romanis devaſtandi.

11. [d] *Ego quidem*, &c. hæc non cohærent præcedentibus immediatè, ſed dicta ſunt à Joanne ut probet populo ſe non eſſe Chriſtum, ut patet Lucæ cap. 3. *Cujus non ſum dignus calceamenta portare*, proverbium de ſervitute viliſſima. ferebant enim ſervi calceamenta, quæ ſervabant heri ad uſus politiores. *Et igni*, hoc eſt, igni *igni*, qui Spiritus ſanctus eſt igni ſimilis purgans, illuminans, inflammans.

13. [e] *Tunc*, exponunt quidam de ſex menſibus poſt prædicationem Joannis inchoatam, alii de ſecundo anno prædicationis.

14. [f] *Prohibebat eum*, Arab. *retraxit autem ſeſe Joannes ab eo*. *Debeo*, Syr. *neceſſe habeo*.

15. [g] *Omnem juſtitiam*, quidquid juſtum, virtuti conſentaneum & patri gratum eſt. Vel, per juſtitiam intelligi debent baptiſmus & Spiritus ſanctus quem tunc recepit Jeſus. Nam in veteri lege, ſacerdotes legales qui typum gerebant Chriſti, baptizabantur & ungebantur antequam miniſterio fungi inciperent, &c. *Dimiſit*, non ultra prohibuit, baptizavit.

16. [h] *Vidit*, non Jeſus ſolus, ſed Joannes & alii aſtantes.

1. [i] *Deſertum*, inter Jeruſalem, Jericho, & mare Mortuum. *Spiritu*, Syr. *ſpiritus ſanctitatis*, Perſ. *ſancto*.

4. [k] *In omni verbo*, &c. omni re quâ Deus eum alere volet.

5. [l] *Aſſumpſit*, Perſ. *deportavit*, Lucæ cap. 4. *duxit*. *Pinnaculum*, extremitas erat tecti, quod planum erat.

7. [m] *Tentabis*, provocabis temere.

8. [n] *Aſſumpſit*, Perſ. *tulit*. *Oſtendit omnia*, non omnia, ſed proxima. Vel, oſtendit per ſpecies à ſe formatas, aut narrando, has duas ultimas tentationes factas, ita ut per novas rerum imagines fuerint Chriſto ſenſibiles, dicit Janſenius Gand.

9. [o] *Cadens*, proſtratus.

12. [p] *Quod traditus eſſet*, Syr. *conjectum fuiſſe in carcerem*. *Traditus*, Herodi Antipæ à phariſæis. *Seceſſit in Galilæam*, fugiens phariſæos non Herodem, quem non offenderat ut Joannes. Hæc facta non ſtatim poſt tentationem, ſed elapſo longiore tempore. *In Galilæam*, poſt tentationem primam redit Nazareth in inferiore Galilæa, ubi Herodes imperabat, deindè ſeceſſit Capharnaum in ſuperiore Galilæa vulgo gentium. Quæ duo itinera in Galilæam probantur ex Joanne cap. 1. v. 43. & cap. 4. v. 3.

13. [q] *Maritima*, ſita ad littus maris Geneſareth ſive Tiberiadis. *In finibus*, quia circa illam terminabantur hæ ſortes.

14. [r] *Adimpleretur*, per prædicationem ejus.

15. [ſ] *Via maris*, in qua eſt via juxta mare Galilææ, & verſus mare Mediterraneum, hoc dicitur de tribu Zabulon. *Trans Jordanem*, reſpectu Orientalium. *Galilæa gentium*, quod dicitur de tribu Nephthali, quia in ea Salomon dederat Hyram regi Tyri viginti oppida, & multis alienigenis gentibus eſſet cincta. Tractus enim iſte non unius nationibus hominibus, habitatus, ſed undique collectis, ob adjacentis maris commoda. Nomen hoc habuit ab antiquiſſimis temporibus, nam Gen. c. 14. nominatur Tidhal gentium rex.

17. [t] *Exinde*, à tempore Joannis traditi, &c. vel, quo venerat Capharnaum.

21. [u] *Procedens*, &c. Lucæ c. 5. Jacob & Joannes dicuntur ſimul cum Simone & Andrea: quod ut concordet cum Matthæo dicendum, quod poſt capturam illam piſcium miraculoſam, Jacobus & Joannes redierint ad propriam navim quæ non longe erat, ad quam Jeſus procedens, &c. *Zebedæi*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *Filium Zebedæi*.



Matth: IV, 1.

Ἰησοῦς πειρασθεὶς ὑπὸ τοῦ Διαβόλου. | CHRISTUS A DIABOLO TENTATUS.

Christ being tempted of the Devil. | *Jesus tenté par le Diable.*

Chriſtus wird von dem Teüfel verſucht. | Christus verzocht van den duivel.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Math V. 1.

Ιησȣ̃ς ἐν τῷ ὄρει. | JESUS IN MONTE.
Jeſus in the Mount. | *Jeſus sur la Montagne.*
Jeſus auf dem Berg. | Jeſus op den Bergh.

A. Houbraken del.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE II"

Digitized by Google

ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos.

Annuntiat in Galilæa Evangelium, & morbos ſanat, &c.

22. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum.

23. Et circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans evangelium regni: & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

24. Et [a]abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos:

25. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli, & de Jeroſolymis, & de [b] Judæa, & de trans Jordanem.

CAPUT V.

Poſtquam Jeſus aſcendiſſet in montem, octo tradit beatitudines.

1. [c] Videns autem Jeſus turbas, aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus,

2. Et aperiens os ſuum, docebat eos, dicens:

3. Beati [d] pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

4. Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt [e] terram.

5. Beati qui [f] lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.

6. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.

7. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

8. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

9. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.

10. Beati qui perſecutionem patiuntur [g] propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

11. Beati eſtis cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſùm vos mentientes, propter me:

12. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

Apoſtolos ſalem terræ & lucem mundi dicit.

13. Vos [h] eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultrà, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

14. Vos eſtis lux mundi: non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.

15. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.

16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

De lege diſſerit & ad hanc implendam veniſſe ſe dicit.

17. Nolite putare quoniam veni ſolvere legem aut prophetas: non veni ſolvere, ſed [i] adimplere.

18. Amen quippe dico vobis, donec [k] tranſeat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

19. Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis [l] minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

20. Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra [m] plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Explicat legem de non occidendo.

21. [n] Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui [o] iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus [p] habet aliquid adverſùm te:

24. [q] Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

25. [r] Eſto conſentiens adverſario tuo cito

24. [a] *Abiit opinio*. Syr. *audita eſt fama.*

25. [b] *Judæa*, parte meridionali Palæſtinæ, à regione Samaritana ad Idumæam. *Trans Jordanem*, à Decapoli ad mare Mortuum.

1. [c] *Videns autem*, &c. hæc multò poſt narrata capite præcedenti. *Acceſſerunt*. propius ceteris quàm ceteri, non ſoli tamen diſcipuli hunc ſermonem audierunt, ut apparet ex dictis poſt finem c. 7. quia Dominus deſcendit poſt orationem factam in monte, & electionem Apoſtolorum, ad locum campeſtrem.

3. [d] *Pauperes ſpiritu*, humiles, vel, pauperes voluntate à ſpiritu ſancto conſtituta, vel divites divitias non amantes, & in ipſis non confidentes.

4. [e] *Terram*, futuræ vitæ: ſic vocatur quia congruit militibus qui hac terra pelluntur in hoc ſæculo, quam autem perfectiſſimè poſſidebunt cum Chriſto, cùm facta erit terra nova. Poteſt etiam exponi, quod mites grati ſint omnibus in hoc ſæculo.

5. [f] *Lugent*, non triſtitià ſæculi, ſed ſecundùm Deum.

10. [g] *Propter juſtitiam*, quod & in aliis beatitudinibus ſupplendum.

13. [h] *Eſtis*, eſſe debetis. *Sal*, quo in Palæſtina ſtercorantur agri, vel marga, vel cinis herbarum. *In quo*, per quid.

17. [i] *Adimplere*, adimplevit faciendo, interpretando, addendo, & dando hominibus gratiam adimplendi. Exhibendo per adventum ſuum quæ fuerant figurata.

18. [k] *Tranſeat*. renovatione. *Præteribit*, irritum erit. *Donec omnia*, &c. hæc verba non ſignificant minima legis peritura poſtquam tranſierint cœlum & terra, aut poſtquam omnia facta fuerint. ſed tantum quòd nullo unquam tempore lex ſit diſſolvenda, futurumque ut omnia impleantur.

19. [l] *Minimis*, per iota & apicem ſignificatis. Quidam exponunt de ſola inhibitione actionis exterioris peccati, &c. *Docuerit ſic homines*. Perſ. *& aliud ab eo, populum docuerit. Minimus*, maximè. *Vocabitur*, erit, nullum locum habebit. *In regno cœlorum*, nullius pretii erit in Eccleſia & in cœlo à quo excludetur.

20. [m] *Plus quam Scribarum aut Phariſæorum*, legem quantum ad exterius obſervantes, vim & ſpiritum ipſius infringentes.

21. [n] *Audiſtis*. Scribas docentes. *Reus*. Hebr. *obnoxius*. Perſ. *retaliationem in eum competere. Judicio*, condemnationi. tria erant judiciorum ſive tribunalium genera apud Judæos, unum trium virorum quod de cauſis minoribus judicabat, ut de furto, rapina, &c. alterum viginti trium quod de capitalibus, tertium ſeptuaginta virorum, Synedrion dictum, quod de rebus graviſſimis, ut de Republica, falſa doctrina, &c. confert autem judicium Dei, &c. his tribus judiciis.

22. [o] *Iraſcitur*, ira quæ tendit ad vindictam. *Fratri ſuo*, additur, Syr. Perſ. *Temere*, Hebr. *temerario. Reus erit judicio*, Arab. *jam competit ei judicium, & qui dixerit fratri ſuo, o inſipiens, competit ei ſententia, qui autem dixerit fratri ſuo, fatue, competit ei ignis gehennæ.* Explicatio hujus verſus eſt facilis. Scribæ & Phariſæi hoc præceptum, *Non occides*, de ſolo homicidio intelligebant: Chriſtus verò docet ad quod uſque ſe extendat, alluditque ad diverſa tribunalia Judæorum, &c. *Qui iraſcitur reus eſt*. qui iræ pungit deſpectum magis reus. qui iræ pungit offenſam plus adhuc erga Deum reus. *Qui autem occiderit*, quali pœnæ obnoxius? *Judicio*, v giutæ trium quod in urbibus majoribus. *Raca*, vox ſyriaca ſignificans inanem fortunarum aut cerebri. *Concilio*. ſeptuaginta virorum, Sanhedrin ſcilicet. *Gehennæ ignis*, ſic Chriſtus vocat pœnas æternas. metaphora ducta, a valle Gehinnon prope Jeruſalem. in qua Judæi filios ſuos idolo Moloch immolaverant, & ne vagitus puerorum audirentur, pulſabant tympanum, unde vallis etiam dicta Tophet a toph hebraicè tympanum. locus erat abominabilis, & jam è temporibus Joſiæ contaminatus. IV. Reg. c. 23.

23. [p] *Habet*, quod ipſum in aliquo offenderis.

24. [q] *Relinque munus*, oblationem ſuſpende. ſi tamen locus, tempus, & prudentiæ ratio ita permittat. Unde non tam præcepti verba ſpectanda ſunt quàm intentio Salvatoris. qui vult ut quantum in nobis eſt, omnibus poſthabitis. fratrem reconciliemus nobis.

25. [r] *Eſto conſentiens*, Arab. Perſ. *cave tibi. Jud.*. Æth. *muniſ*.

Digitized by Google

dum es in via cum eo : ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro : & in carcerem mittaris.

26. Amen dico tibi, non exies indè, [a] donec reddas noviſſimum quadrantem.

Lex de non adulterando.

27. Audiſtis quia dictum eſt antiquis : Non mœchaberis.

28. Ego autem dico vobis: quia omnis, [b] qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

De membro ſcandaliſante abjiciendo.

29. Quòd ſi [c] oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

30. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

De repudio.

31. Dictum eſt autem : Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii.

32. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: [d] & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

De perjurio & juramento.

33. Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis : Non perjurabis : [e] reddes autem Domino juramenta tua.

34. Ego autem dico vobis, non jurare [f] omnino neque per cœlum, quia thronus Dei eſt:

35. Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Jeroſolymam quia civitas eſt magni regis:

36. Neque [g] per caput tuum juraveris, quia non poteſt unum capillum album facere aut nigrum.

37. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt : non, non: quod autem his abundantius eſt, [h] à malo eſt.

De Talione.

38. Audiſtis quia dictum eſt : [i] Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

39. Ego autem dico vobis, [k] non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.

40. [l] Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

41. Et quicumque te [m] angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.

42. Qui petit à te, da ei : & volenti mutuari à te, [n] ne avertaris.

43. [o] Audiſtis quia dictum eſt : Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

44. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos :

De dilectione inimicorum.

45. Ut [p] ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt : qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.

46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt [q] quam mercedem habebitis ? nonne & publicani hoc faciunt ?

47. Et ſi [r] ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt ?

48. Eſtote ergo vos [ſ] perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

CAPUT VI.

Docet Chriſtus quomodo facienda ſit eleemoſyna.

1. ATtendite ne [t] juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

2. Cùm ergo facis eleemoſynam, noli [u] tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

3. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.

4. [x] Ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

tuo ſuo. Parabolicus eſt ſermo, qui admonet ut inimicis reconciliemur, priuſquam ad Deum judicem veniamus. Compone cum colligatore tuo, antequam res deducatur ad judicem vel, dum res adhuc in incerto judicii pendet. Admonet etiam ut dum in via hujus vitæ currimus, conſentiamus cum fratre noſtro, quem in adverſarium habemus. Mos erat apud Hebræos quod actor apprehenderet reum & duceret ad judicem, ſi renitteretur reus, vi cogebatur, actor cauſam ſuam agebat, reus reponebat, judex ſententiam ferebat quam miniſter ſtatim executioni mandabat.

26. [a] *Donec reddas*, &c. ſummo enim jure tecum agetur. *Ultimum quadrantem*. Æth. *exacte omnia*, Arab. *ultimum quadrantem quem debes*. Quadrans eſt quarta pars aſſis.

28. [b] *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*, Perſ. *quicumque mulierem intuetur eamque deſideraverit*. Hic ſub viſu omnis ſenſus intelligitur.

29. [c] *Oculus tuus dexter*, res quævis chariſſima. *Scandalizat*, Syr. *offendiculo tibi fuerit*, Æth. *aberrare te fecerit*, idem v. 30. occaſio eſt ut impingas & cadas in peccatum. ſcandalum eſt enim impedimentum in via, &c.

32. [d] *Qui dimiſſam duxerit*. Non eſt ſenſus quòd dimiſſa propter fornicationem poſſit ab alio duci; ejus enim conditio melior eſſet, quàm quæ injuſte eſſet dimiſſa, vide c. 19. v. 9.

33. [e] *Reddes*, &c. mens erat Scribarum, nihil præter perjurium prohiberi, nec juramenta obligare, quæ ore tantum non corde prolata & in quibus nec Deus nec proprietates illius exprimebantur. Quod falſum.

34. [f] *Omnino*, ſine cauſa, Judæi parvipendebant juramenta quæ per creaturas, ita ut etiam non teneri promiſſorem jurejurando docerent

36. [g] *Per caput*, quia ſi non liceret per creaturas, ut ad nos non pertinentes, ſaltem per caput, &c. quod negat, cùm caput non ſit etiam juris noſtri, qui ne capillum quidem mutare poſſimus.

37. [h] *A malo eſt*, Perſ. *malum eſt*. Quia ſi homines veraces eſſent, ſufficeret ſimplex affirmatio aut negatio, unde quod abundantius, à malitia hominum eſt.

38. [i] *Oculum*, erues. *Dentem*, excuties. Et hoc, ne excederent in vindicta, &c. Pauci enim ſunt qui cum uno ictu cædantur, unum tantum ictum rependant.

39. [k] *Non reſiſtere malo*, Perſ. *& malum pro malo ne rependatis*. *Malo*, neque malo quod infertur, neque malo qui infert. *Præbe & alteram*, docet per primam injuriam debere nos præparare ad tolerantiam alterius.

40. [l] *Et ei qui tecum*, &c. hæc exponi poſſunt de injuriis illatis, quos privata vindicta retaliare vetat : & ſenſus eſt, ſi quis vi capiat à te tunicam auferre, etiam pallium illi potius permittendum quàm illi noceas, aut odium ejus animo concipias.

41. [m] *Angariaverit mille paſſus*, Syr. *traxerit te ad milliare unum*, ex quo Perſarum potentia Orientem invaſerat. Hebræi coacti fuerunt, inter cætera ſervitii, illorum incommoda, onus angariæ ferre, cujus immunitas ipſis à Demetrio conceſſa eſt, Joſeph. ant. lib. XIII. c. 5. angari erant Perſarum curſores, quibus fas erat ad curſum capere cujuſvis equos, vel, naves vel plauſtra, vel ipſos etiam homines. Chriſtus hic agit de angaria perſonali. Hæc omnia in his verſibus intelligenda de præparatione animi, tria vero injuriarum genera proponuntur : primum quod in corpus committitur, alterum quod contra jus dominii, tertium quod contra libertatem. Primo exponitur vis quæ fit ſub aperta injuria, ſecundo ſub injuria cui prætenditur jus in foro, tertio ſub injuria, coactione, aut violentia, cui patrocinatur autoritas regalis, aut ſuperiorum.

42. [n] *Ne averteris*. Arab. *ne repellas eum*, Perſ. *et ne denegato*.

43. [o] *Audiſtis*, ex traditione Scribarum. *Proximum*, indigenam. *Inimicum*, alienigenam. *Odio habebis*, hoc additum a Scribis, contrarium Exodi c. 23. hoc enim lex non jubendo ſed permittendo ferebat.

45. [p] *Sitis filii*, vos eſſe demonſtretis.

46. [q] *Quam mercedem habebitis ?* quid præclari facitis ut mercedem habeatis apud Deum.

47. [r] *Salutaveritis*, Syr. *poſtulaveritis pacem*. *Fratres*, amicos. *Amplius*, eximium, Arab. *quid gratia vobis eſt ?* Hoc uno humanitatis officio cætera comprehendit.

48. [ſ] *Perfecti*, &c. imitamini quantum poteſtis charitatem Dei, qui ſui cultores, id eſt bonos & improbos complectitur.

1. [t] *Juſtitiam*. Syr. Æth. Perſ. *eleemoſynam*. Hebr. Arab. *miſericordiam*. Sumendum generaliter.

2. [u] *Tuba canere*, locutio proverbialis : quidam exponunt de uſu convocandi pauperes ad eleemoſynam tubæ ſono; quod alii negant. *Receperunt*, Æth. *perdiderunt*.

4. [x] *Ut ſit . . . in abſcondito*, quod ſub hac conditione intelligen-

Digitized by Google

Quomodo orandum. 5. Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus: [a] amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

6. Tu autem cùm [b] oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.

7. Orantes autem, nolite multum loqui ſicut ethnici: [c] putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.

8. Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis: [d] ſanctificetur nomen tuum.

10. Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.

11. Panem [e] noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.

12. Et dimitte nobis [f] debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

13. Et ne nos [g] inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Amen.

Agit de offenſis condonandis. 14. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra.

15. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.

De jejunio. 16. Cùm autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ [h] triſtes: exterminant enim facies ſuas ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.

17. Tu autem cùm jejunas, [i] unge caput tuum, & faciem tuam lava.

18. Ne videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Quod in cœlo ſit theſaurizandum. 19. Nolite theſaurizare vobis theſauros in [k] terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur.

20. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo; ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.

21. Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

Pergit ſub metaphora oculi mundi & ſani. 22. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit [l] ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt tenebræ ſunt: [m] ipſæ tenebræ quantæ erunt?

24. Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum [n] ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ. Vetat diffidentiam de Deo, & nimiam ſollicitudinem de victu, veſtitu, & craſtino.

25. Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis [o] animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt quàm eſca: & corpus plus quàm veſtimentum?

26. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos [p] magis pluris eſtis illis?

27. Quis autem veſtrûm [q] cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

28. Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: [r] non laborant neque nent.

29. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.

30. Si autem [ſ] fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos modicæ fidei?

31. Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. Hæc enim omnia [t] gentes inquirunt: ſcit enim pater veſter quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo [u] primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

34. Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum: [x] craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi: ſufficit diei malitia ſua.

CAPUT VII.

Continuatio ſermonis Chriſti, qui de variis argumentis diſſerit.

1. [y] NOlite judicare ut non judicemini.
2. In quo enim judicio judicaveri-

dum, niſi Dei gloria, fratrum ædificatio, aut neceſſitas, aliud poſtulent.

5. [a] *Amen*, veraciter. *Receperunt*, Æth. *perdiderunt*.

6. [b] *Oraveris*, orare volueris. Non hîc damnat Chriſtus orationem quæ fit in loco publico, &c. ſed tantùm phariſaïcam intentionem oſtentationis & inanis gloriæ.

7. [c] *Putant enim*, &c. putabant Ethnici quòd affectata illa verborum copia & cultu, Deus velut ignarus inſtrueretur aut tanquam judex homo verbis adduceretur in ſententiam, &c.

9. [d] *Sanctificetur*, facito nos ſanctos ut & tu per nos glorificeris. Vel honoretur & in ſanctitate ei miniſtretur. *Nomen*, tu ipſe.

11. [e] *Noſtrum*, vitæ noſtræ deſtinatum. *Superſubſtantialem*, Æth. *cujuſque diei*. Syr. *indigentiæ noſtræ*. Ad ſubſtantiæ noſtræ conſervationem neceſſarium. Nomine panis omne quod ad vitam ſuſtentandam neceſſarium, intelligitur.

12. [f] *Debita*. Æth. Perſ. *peccata*. *Sicut*, ſimilitudinem, non æqualitatem ſignificat, & de ſinceritate in remittendo capi debet. *Debitoribus noſtris*, Æth. *ei qui deliquit contra nos*.

13. [g] *Inducas*, permittas tentationi ſuccumbere: vel, ſinas tentationem nobis obvenire. *Malo*, Arab. *maligno*. Incertum eſt an neutrum ſit an maſculinum, undè & de peccato & de diabolo intelligi poteſt.

16. [h] *Triſtes*, Syr. *atrati*. *Exterminant*, Syr. *detorquent*, Hebr. *obſcurant*. Æth. *corrumpunt*. Arab. *atras præbent facies ſuas*.

17. [i] *Unge*, non ad mollitiem ut divites, & magnates, ſed quia mos erat in diebus feſtis ungere capita, à quibus lætitiæ ſignis Judæi in luctu abſtinebant, quod non ad litteram intelligendum: ſed ſicut ungebant & lavabant facies in diebus lætitiæ, ſic, cùm jejunamus hilares videri debemus ne per inanem gloriam pœnitentiæ noſtræ fructu careamus.

19. [k] *In terra*, ſuper terram.

22. [l] *Simplex*, Æth. *apertus*, Perſ. *rectus & integer*. Locus metaphoricus. Oculo prælucente & præmonſtrante, corporis actiones diriguntur, quod ad intentionem rectam referendum.

23. [m] *Ipſæ tenebræ quantæ erunt?* quanta erit caligo totius reliqui corporis? ſi intentio quæ eſt ut lux lumen tuum, vitioſa ſit, quantò magis opera?

24. [n] *Suſtinebit*, Syr. Arab. *honorabit*. *Mammonæ*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *Divitiis*. Nomen eſt ſyriacum, ſignificans omnia quæ ad rem pecuniariam pertinent.

25. [o] *Animæ*. Perſ. *de vita*. *Soliciti*, nimiâ anxietate. *Nonne animæ*, &c. qui corpus & animam dedit vobis, nonne & neceſſaria ad eorum conſervationem dabit?

26. [p] *Magis pluris*. Syr. Arab. Perſ. *præſtantiores*.

27. [q] *Cogitans*. Arab. *licèt curam adhibeat*. Qui non poteſt minus adjicere ſcilicet, &c. quomodo poterit majus, providere ſibi vitæ neceſſaria.

28. [r] *Non laborant*, ut viri ad aſſequendum veſtimentum. *Neque nent*, ut fœminæ.

30. [ſ] *Fœnum*, gramen, vel herba.

32. [t] *Gentes*, quæ non agnoſcunt Dei providentiam.

33. [u] *Primùm*, ergo curam eorum non prohibet, ſed nimiam. *Juſtitiam*, opera bona ac meritoria quibus ad regnum perducimur. *Ejus*, Dei, qualiter coram Deo juſti ſimus fide & obſervatione mandatorum.

34. [x] *Craſtinus dies ſolicitus erit ſibi ipſi*, quocumque die futuro occurret vobis ſufficiens ſolicitudinis cauſa. *Malitia*, Syr. *malum*. Afflictio.

1. [y] *Nolite*, &c. nolite condemnare ne condemnemini, à Deo ſcilicet.

Digitized by Google

tis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

3. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?

4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo?

5. Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.

6. Nolite date ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi [a] dirumpant vos.

7. Petite & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate & aperietur vobis.

8. Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit invenit: & pulſanti aperietur.

9. Aut quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?

10. Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cùm ſitis [b] mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe?

12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. [c] Hæc eſt enim lex & prophetæ.

13. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.

14. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inveniunt eam?

15. [d] Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

16. A [e] fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor, fructus malos facit.

18. [f] Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis arbor quæ non facit bonum fructum excidetur, & in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.

22. Multi dicent mihi in illa [g] die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?

23. Et tunc [h] confitebor illis: Quia numquam novi vos: diſcedite à me qui operamini iniquitatem.

24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram.

25. Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.

26. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam.

27. Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

28. Et factum eſt cùm conſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. Mirantur turbæ doctrinam ejus.

29. Erat enim docens eos [i] ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

CAPUT VIII.

Curat Jeſus leproſum, mittitque ad ſacerdotes.

1. CUm autem [k] deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.

2. Et ecce leproſus [l] veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis potes me mundare.

3. Et extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.

4. Et ait illi Jeſus: Vide, [m] nemini dixeris: ſed vade oſtende te ſacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

5. Cùm autem introiſſet Capharnaum, [n] acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, Sanat puerum Centurionis, cujus fidem commendat.

6. Et dicens: Domine, [o] puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.

7. Et ait illi Jeſus: Ego veniam, & curabo eum.

8. Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm [p] dic verbo, & ſanabitur puer meus.

9. [q] Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit, & alii, veni, & venit: & ſervo meo, fac hoc, & facit.

10. Audiens autem Jeſus miratus eſt, & ſe-

6. [a] *Dirumpant vos*, contemptores enim divinæ veritatis, in ejus profeſſores, ut commodis & gloriæ ſuæ adverſos, & diverſitate morum ſua ipſis flagitia exprobrantes, immane odium concipiunt, &c.

11. [b] *Mali*, malos dicit comparatione ad Deum, non naturâ ſed voluntate: vel, peccatores & ad peccata proclives propter malum habitans in carne noſtra. Vel, adhuc, quamvis mali & improbi.

12. [c] *Hæc eſt lex & prophetæ*, hæc eſt ſumma doctrinæ quam lex & prophetæ tradunt.

15. [d] *Attendite*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *cavete*. *Veſtimentis ovium* prophetæ pellibus induti frequentius erant, ſed his verbis manſuetudinem denotat.

16. [e] *Fructibus*, operibus.

18. [f] *Non poteſt*, &c. quamdiu & quatenus mala eſt.

22. [g] *Die illa*, judicii, qua intrandum in regnum cœlorum.

23. [h] *Confitebor*, Arab. *reſpondebo*. *Novi*, notitiâ approbationis & complacentiæ.

29. [i] *Sicut poteſtatem habens*, &c. jus dicendi non quaſi ex alterius præſcripto, ut Scribæ & Phariſæi, nec ut internuntius & interpres legis, ſed ut legiſlator.

1. [k] *Deſcendiſſet*, à planitie montis, & ſermonem hunc præſente turbâ habuiſſet, ac illo completo, alio migrare vellet, ſecutæ ſunt, &c.

2. [l] *Veniens*, in via & ad portam urbis, &c.

4. [m] *Nemini dixeris*, ne ſi rumor, ab Jeſu hoc factum, antè perveniſſet ad ſacerdotes quorum illa notio erat, invidiæ veneno tacti, eum adhuc immundum pronuntiarent.

5. [n] *Acceſſit*, primo per ſeniores Judæorum, tum per amicos, deinde per ſeipſum.

6. [o] *Puer*, Hebr. *famulus*. *Male*, Hebr. *vehementer*.

8. [p] *Dic verbo*, Hebraiſm. impera, jube ſolo ſermone. *Verbo*, Syr. Hebr. Arab. Æth. Perſ. *verbum*.

9. [q] *Nam & ego*, &c. nam & ego, cùm ſim alienæ ſubditus poteſtati, tamen militibus in quo poteſtatem habeo verbis quid fieri volim edico.

Digitized by Google



Matth. VIII. 28.

Δαιμονιζόμενοι ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι.
The possessed with Devils coming out of the tombs.
Die beſeſſenen Kommen aus den gräbern.

DAEMONIACI E MONUMENTIS PRODEUNTES.
Les Démoniaques sortans des Tombeaux.
De Bezetenen uit de Graven.

NAPOLI

Digitized by Google



Matth. VIII. 25

Ἰησοῦς ἐν πλοίῳ καθεύδων ἐγείρεται.
Christ Sleeping in the Ship was awaked by his Disciples.
Chriſtus in dem Schiff auſs dem ſchlaf aufgeweckt.

CHRISTUS A DISCIPULIS IN NAVIGIO EXCITATUS
On reveille Jesus-Christ dormant sur la barque
Christus in het Schip slapende opgewekt.

NAPOLI

Digitized by Google



Πίστις ἑκατοντάρχου — Matt. VIII. 6 — FIDES CENTURIONIS.

The Centurion's faith — *La Foi du Centurion.*

Der gläubige Hauptmann. — Het geloof des Hooftmans over hondert.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

quentibus ſe dixit: Amen dico vobis,[a] non inveni tantam fidem in Iſraël.

11. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum:

12. [b] Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

13. Et dixit Jeſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

Sanat ſocerum Petri febricitantem.

14. Et cùm veniſſet Jeſus in[c] domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem.

15. Et tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis.

Et plurimos alios malè habentes.

16. Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat ſpiritus verbo: &[d] omnes malè habentes curavit:

17. Ut adimpleretur[e] quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit.

Scribam ſequi volentem rejicit.

18. Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe,[f] juſſit ire trans fretum.

19. Et accedens unus ſcriba, ait illi: [g] Magiſter, ſequar te, quocunque ieris.

20. Et dicit ei Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: [h] filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Alium, patre inſepulto, non ſequi jubet.

21. Alius autem de diſcipulis ejus, ait illi: Domine, [i] permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum.

22. Jeſus autem ait illi: Sequere me, & [k] dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

23. [l] Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.

Mare ſedat.

24. Et ecce motus magnus factus eſt in[m] mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.

25. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Domine, ſalva nos, perimus.

26. Et dicit eis Jeſus: Quid timidi eſtis, [n] modicæ fidei? tunc ſurgens, imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.

27. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.

28. Et cùm veniſſet trans [o] fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.

Duos dæmoniacos a dæmone liberat, &c.

29. Et ecce [p] clamaverunt, dicentes: Quid nobis & tibi, Jeſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos.

30. Erat autem non longe ab illis [q] grex multorum porcorum paſcens.

31. Dæmones autem [r] rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

32. [ſ] Et ait illis: Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis.

33. Paſtores autem fugerunt: & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant.

34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jeſu: & viſo eo rogabant, ut tranſiret à finibus eorum.

CAPUT IX.

Paralyticum curat, Scribis murmurantibus, &c.

1. ET aſcendens in naviculam, transfretavit, & venit in [t] civitatem ſuam.

2. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jeſus [u] fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

10. [a] *Non inveni*, ex quo & inter eos quibus prædico.

12. [b] *Filii regni*, Judæi quibus promiſſiones factæ. *Exteriores*. ſupponenda hìc allegoria convivii ſub qua agitur de gloria cœleſti. Solebant enim antiqui convivia veſpere agitare, ideoque aulam in qua diſcumbebant multis facibus accenſis, illuminare: qui autem extra aulam ſunt, in tenebris magnis & exterioribus verſantur. *Fletus*, quod ſignificat dolorem excluſionis a convivio. *Stridor dentium*, frigus noctis.

14. [c] *Domum Petri*, domum ſocrus Petri in Capharnaum, aut. ſi ſit domus Petri. Bethſaidæ, non ſatis diſtantes, in quam Chriſtus pranſum, vel cœnaturus ire potuit. Illud ante ſermonem Domini in monte factum putant quidam interpretes.

16. [d] *Omnes* ſibi oblatos.

17. [e] *Quod dictum*, &c. citat ſecundùm textum Hebraicum. *Accepit...portavit*, ſuſtulit more portantis, & curando eas. Sanationes iſtæ corporales præambulæ ad ſanationes animarum.

18. [f] *Juſſit*, diſcipulis, ut navigium, & cætera neceſſaria ad transfretandum præpararentur. *Fretum*, Syr. *ulteriorem ripam*, Perſ. *ab altera parte*.

19. [g] *Magiſter ſequar*, &c. quod hæc diceret ex avaritia, patet ex verſ. an. & gloriæ ſtudio.

20. [h] *Filius hominis*, dicitur pro homine. *Non habet*, ne tantillum quidem commodi aut proprii.

21. [i] *Permitte*, &c. præter ſenſum ſimplicem poteſt ſic exponi: Permitte mihi apud patrem manere, quoadusque moriatur. *Primùm*, antequam te ſequar.

22. [k] *Dimitte mortuos*, &c. mortuos animâ, ſepelire mortuos corpore, vide Luc. c. 9. v. 60. Chriſtus ex rebus obviis occaſionem ſumere ſolebat, ſuarum ſententiarum. ita cùm ille ab ipſo vocatus excuſaſſet ſe ſepulturæ officio, Chriſtus & legem, & legis ſenſum ſpiritualem, illi atque aliis in memoriam revocavit. Lex, tum Pontifici maximo, tum Nazaræis præſcripta erat, Levit. c. 20. & Num. c. 6. ne quantumvis proximorum exequiis intereſſent, &c. ſic ab harum cura abſtrahere ſe debent qui Deo inſerviunt. Eſtque in hoc dicto Chriſti alluſio in duplici ſignificatu vocis νεκρὸς, nam νεκροὶ dicuntur propriè ipſa cadavera, ut in parte dicti priore, &c. (per quæ intelligi debent res omnes ad animam non pertinentes) impropriè verò homines a vera diſciplina, quæ animi vita eſt, alieni; unde verborum Chriſti ſenſus eſt: eorum eſſe quibus animus iners atque hebes torpet, curam rerum temporalium animi culturæ antevertere. Forſan eſt locutio proverbialis, ſimile ad ſimile, viventes ad viventes, mortui ad mortuos.

23. [l] *Et aſcendente*, &c. hæc ſecundo anno prædicationis Chriſti, unde hæc & reliqua capitis per anticipationem dicta.

24. [m] *Mari*, lacu Geneſareth.

26. [n] *Modicæ fidei*, quia non ſatis tutos ſe credebant dormiente Chriſto.

28. [o] *Fretum*, vide verſum 18. *Duo*. Marcus & Lucas dicunt unus, fortè quia truculentior, ſed minor numerus non excludit majorem. *De monumentis*, monumenta tunc temporis erant in cavernis, ut patet ex ſepulchro Chriſti. *Nimis*, Syr. Arab. *ad modum*; ſupra modum.

29. [p] *Clamaverunt*, juſſi a Domino relinquere obſeſſos, ut habent Marcus & Lucas. Vide verſ. 29. cap. 9. *Ante tempus*, metuentes ne in abyſſum relegarentur ante diem extremum judicii, & ſic privarentur graſſandi in homines licentiâ.

30. [q] *Grex porcorum*: Judæis vetitum erat manducare porcos, fortè non nutrire. Poterant hi porci non eſſe Judæorum, ſed Ethnicorum, qui in primis trans-Jordanenſes regiones incoluerunt. & in iis Gadaram, & Gergaſam, tuncque inter Judæos Gadarenos habitabant: qualis commixtio uſitatiſſima ibi erat. Præterea Gadara non erat urbs Judaica, ut liquet ex Strabone, lib. XVI. qui ſcribit a Judæis ſuam per vim factam. ſed erat Græconica, ut patet ex Joſepho de bello Jud. lib. II. cap. 19. qui inter urbes Cæleſyriæ quas Pompeius Judæis ademit, Gadaram nominat, affirmatque pleroſque incolas, Syros non Judæos fuiſſe, cap. 39. & 20. Ant. lib. XIV. cap. 9. præterea cap. 4. de bello Jud. dicit ab Archelao regno per Cæſarem Auguſtum evulſam, & Syriæ adjectam.

31. [r] *Rogabant*, odio hominum, ut ſi non corporibus, ſaltem bonis ipſorum nocerent, Chriſtum in odium adducerent, incolaſque ab ipſo & ejus prædicatione abſterrerent. *Mitte*, permitte nobis abire.

32. [ſ] *Et ait illis: Ite*, &c. hoc permiſit præcipuè ut oſtenderet Græcis, Judæorum religionem eſſe a Deo.

1. [t] *Civitatem ſuam*, Capharnaum in qua ſolebat habitare, &c. ex Marci cap. 2.

2. [u] *Fidem*, & offerentium & paralytici, qui per tectum ab ipſis fuit dimiſſus. *Remittuntur*, &c. hic morbus haud dubiè cauſam trahebat ex ipſius hominis culpa, quare ut eum in ſpem ſanitatis erigat, teſtatur ipſi veniam factam peccatorum. In talibus locis videntur reſpici maledictiones tranſgreſſoribus legis denuntiatæ.

3 Et ecce quidam de Scribis dixerunt[a] intra ſe: Hic blaſphemat.

4. Et cùm vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris:

5. Quid eſt facilius, [b] dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge & ambula?

6. Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

7. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

8. Videntes autem turbæ [c] timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

Matthæum vocat, & reſpondet Phariſæis murmurantibus quod cum publicanis ederet, &c.

9. Et cùm tranſiret indè Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.

10. Et factum eſt [d] diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus.

11. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?

12. At Jeſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus [e] medicus, ſed male habentibus.

13. Euntes autem, diſcite quid eſt: [f] Miſericordiam volo & non ſacrificium. Non enim veni vocare juſtos ſed peccatores.

14. Tunc acceſſerunt ad eum [g] diſcipuli Joannis, dicentes: Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter: diſcipuli autem tui non jejunant?

15. Et ait illis Jeſus: Numquid poſſunt [h] filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc jejunabunt.

16. [i] Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento, & pejor ſciſſura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres; alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.

Mulierem à ſanguinis profluvio ſanat, & filiam principis mortuam ſuſcitat.

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce [k] princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.

19. Et ſurgens Jeſus, ſequebatur eum, & diſcipuli ejus.

20. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit [l] fimbriam veſtimenti ejus.

21. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero.

22. At Jeſus converſus, & videns eam, dixit: [m] Confide filia, fides tua te ſalvam fecit, & ſalva facta eſt mulier ex illa hora.

23. Et cùm veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet [n] tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat:

24. [o] Recedite: non eſt enim mortua puella ſed dormit. Et deridebant eum.

25. Et cùm ejecta eſſet turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella.

26. Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.

Duobus cæcis viſum reſtituit.

27. Et tranſeunte inde Jeſu, ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, [p] fili David.

28. Cùm autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et dicit eis Jeſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? dicunt ei: Utique Domine.

29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis.

30. Et aperti ſunt oculi eorum, & [q] comminatus eſt illis Jeſus, dicens: Videte ne quis ſciat.

31. Illi autem exeuntes, [r] diffamaverunt eum in tota terra illa.

Dæmoniacum mutum ſanat, & ubique prædicans, omnes ſanat infirmitates.

32. Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem [ſ] mutum, dæmonium habentem.

33. Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit ſic in Iſraël.

34. Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

35. Et circuibat Jeſus omnes civitates, & [t] caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Videns turbas, movetur quòd operarii ſint pauci.

36. Videns autem [u] turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & jacentes ſicut oves non habentes paſtorem.

3. [a] *Intra ſe*, alii cum eliis.

5. [b] *Dicere* dicendo efficere.

8. [c] *Timuerunt*, Arab. *admirata ſunt. Hominibus*, quod uni ex hominibus tantum juris datum eſſet.

10. [d] *Diſcumbente eo in domo*, Syr. *quum accumberent*. Arab. *dum eſſet diſcumbens in domo Matthæi*.

12. [e] *Medicus*. Syr. Arab. Perſ. Æth. *medico*.

13. [f] *Miſericordiam volo & non ſacrificium*. magis volo quàm ſacrificium. Quod de ſacrificio externo intelligendum.

14. [g] *Diſcipuli Joannis*, à Phariſæis ad hoc impulſi. *Jejunamus*, non agitur de jejuniis a lege præſcriptis, ſed de ſpecialibus, magiſtrorum juſſu, vel inſtituto ſuſceptis.

15. [h] *Filii ſponſi*, qui ſponſo velut comites honoris gratiâ dati erant. *Jejunabunt*, hic idem eſt jejunare atque lugere.

16. [i] Syr. *Nemo immittit fruſtum panni novum in veſtimentum attritum vetuſtate, ne quid detrahat ſupplementum ex illo veſtimento, fiatque ſciſſura major*. Per hoc innuit, quod ſicut tam differentium pannorum conjunctio improportionata eſt, ſic ſtatus jejunantium non poteſt ſubito transferri in eos qui aſſueti ſunt manducare frequenter, periculumque fore ne rigidum vitæ genus, veteri aſſuetis hominibus impoſitum, ſine fructu periret. Innuit etiam his verbis & ſequentibus quod cùm Evangelium ſit novum dogma, novaque promiſſio, non debet dari hominum ſub antiqua legis ſervitute exiſtenti ſed tantummodo homini per novam & liberam regenerationem renovato.

18. [k] *Princeps*, Synagogæ, Lucæ, cap. 8. & Marci cap. 5. *Jairus*, nomine. *Adorabat*, corporis proſtratione, non adoratione latriæ. *Modò defuncta eſt*, jamjam expiratura eſt: nam mors nunciata fuit niſi in via, quum proficiſceretur cum Jeſu, ut patet Marci cap. 5.

20. [l] *Fimbriam*, quia fimbria erat inſigne ſanctitatis Judæorum ac diſtinctionis a reliquis gentibus indicium, unde fimbrias ſuas Phariſæi magnificabant, ut ſanctiores viderentur.

22. [m] *Confide*, quia timuerat accedere ad Jeſum propter immunditiam legalem, nec auſa fuerat exponere ægritudinem ſuam coram tot teſtibus.

23. [n] *Tibicines*, Æth. *lamentatrices*. Quos moris erat vocare in afflictionibus, ſicut & tibicines, ut aſtantes traherentur ad luctum.

24. [o] *Recedite*, deſiſtite à luctu. *Mortua*, ita ut nulla ſit ſpes reſurgendi, atque in morte manſura ſit.

27. [p] *Fili David*, quo ſignificare voluerunt ipſum eſſe Meſſiam, non verò quòd natus ex regio ſemine David. Cùm hæc appellatio fuerit Chriſto cum multis aliis eo tempore communis.

30. [q] *Comminatus eſt*, Syr. *prohibuit*, Arab. *præcepit*. In his verbis non imperium, ſed myſterium eſt; docens nos humilitatem.

31. [r] *Diffamaverunt eum*, Syr. *famam ejus ſparſerunt*.

32. [ſ] *Mutum*, dæmonis operatione.

35. [t] *Caſtella*, Syr. Æth. *vicos*. Perſ. *villas*. *Evangelium regni*, Evangelicam doctrinam per quam regnum Cœleſte promittitur.

36. [u] *Turbas*, quæ ſequebantur eum.



Matt: IX. 9.

Ματθαῖος ἐκ τοῦ τελωνείου κληθείς.
Jesus calleth Mathew from the receipt of custom.
Matthæus wird aus dem Zoll-haus von Jesus beruffen.

MATTHAEUS E TELONIO VOCATUS.
S. Matthieu appellé de son bureau.
Roeping van Mattheus.

NAPOLI

37. Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci.

38. [a] Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios io meſſem ſuam.

CAPUT X.

Deſcribitur miſſio duodecim Apoſtolorum, qui variis præceptis & documentis à Chriſto inſtruuntur.

1. ET convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem [b] ſpirituum immuudorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

2. Duodecim autem Apoſtolorum oomina ſunt hæc. [c] Primus, Simon, qui dicitur Petrus & Andreas frater ejus,

3. Jacobus [d] Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus,

4. Simon [e] Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.

5. Hos duodecim miſit Jeſus; præcipieos eis, dicens: [f] In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.

6. Sed potiùs ite ad oves, [g] quæ perierunt domus Iſraël.

7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regoum cœlorum.

8. Infirmos [h] curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date.

9. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuoiam in [i] zoois veſtris:

10. Noo peram in via, neque duas tunicas, neque [k] calceamenta, neque virgam: digous eoim eſt operarius cibo ſuo.

11. In quamcumque autem civitatem aut [l] caſtellum iotraveritis, iotertogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis.

12. Iotraotes autem io domum, ſalutate [m] eam, dicentes: Pax huic domui.

13. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax [n] veſtra revertetur ad vos.

14. Et quicumque non receperit vos, oeqoe audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate, [o] excutite pulverem de pedibus veſtris.

15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit [p] terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

16. Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

17. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in [q] conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos:

18. Et ad præſides & ad reges ducemini propter me, [r] in teſtimonium illis, & gentibus.

19. Cùm aotem tradent vos, nolite [ſ] cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

20. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui luquitur io vobis.

21. Tradet autem frater fratrem io mortem, & pater filium, & inſurgeot filii in parentes, & morte eos afficient:

22. Et eritis odio [t] omoibus propter nomen meum; qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

23. Cùm autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, [u] non coofummabitis civitates Iſraël, donec veniat filius homiois.

24. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.

25. Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus, & ſervo ſicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus?

26. Ne ergo timueritis eos. [x] Nihil enim eſt opertum quod noo revelabitur, & occultum quod non ſcietur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.

28. Et nolite [y] timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.

29. Nonoe duo paſſeres aſſe væneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſioe patre veſtro?

30. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.

38. [a] *Rogate, &c.* quia mox electurus erat duodecim.
1. [b] *Spirituum*, contra ſpiritus.
2. [c] *Primus*, dignitate non vocatione.
3. [d] *Zebedæi Alphæi*, filius.
4. [e] *Chananæi*, a vico Cana oppido Galilææ. *Iſcariotes*, ab urbe Carioth in tribu Juda.
5. [f] *In viam gentium, &c.* in viam ad gentes ducentem ne abieritis prædicationis gratiâ: prius enim prædicandum erat Judæis, ne cauſarentur non ſibi, ſed Gentilibus & Samaritanis nuntium adventus Chriſti datum fuiſſe.
6. [g] *Quæ perierunt*, Arab. *errantes.*
8. [h] *Curate*, hoc non præceptum ſed poteſtas curandi.
9. [i] *Zonis veſtris*, crumenis ad zonas pendentibus. Vide verſ. 8. cap. 6. apud Marcum.
10. [k] *Calceamenta*, quæ totum pedem tegerent, non verò ſandalia quæ plantam pedis defenderent, ut patet ex Marci cap. 6. ſed ad conciliationem Evangeliſtarum, meliùs dicendum, vetari tantummodò nimiam curam & ſollicitudinem harum rerum. & præcipi ut abirent cum una veſte quâ induerentur, & ſic de calceamentis & virga, &c.
11. [l] *Caſtellum*, Æth. *villam*, Perſ. *pagum*, vicum. *Dignus*, gravis & benè audiens. *Ibi*, apud illum hoſpitem. *Exeatis*, ea urbe & vico, aut ad manendum in alia domo.
12. [m] *Eam*, habitatores ejus. *Pax*, pacis nomine, omnia bona.
13. [n] *Veſtra*, quam precati eſtis.
14. [o] *Excutite pulverem*, oſtendentes vos in nulla re cum talibus velle communicare, & laborem itineris pro illis ſuſceptum fuiſſe, ſed ſine fructu: & quod non cauſa alicujus commodi acceſſeritis, ut nec pulverem ſaltiſſimum velitis vobis imputari.
15. [p] *Terra Sodomorum, &c.* quia ibi non prædicatum.
17. [q] *Conciliis*, judicum cujuſque urbis in quibus puniebantur quæ adverſus ordinem & bonum publicum commiſſa. *Synagogis*, in quibus agebatur de delictis adverſus legem & religionem, &c.
18. [r] *In teſtimonium, &c.* in notam & in reprehenſionem eorum qui non credunt, vel, ut verbo & facto teſtes ſitis evangelicæ veritatis.
19. [ſ] *Cogitare*, anxiâ ac diffidenti ſollicitudine.
22. [t] *Omnibus*, multis. Vel, omni hominum generi.
23. [u] *Non conſummabitis*, oſtendit nunquam defuturas civitates ubi prædicetur, vel, non converteris omnes Judæos, niſi quando venturus erit ad judicium Filius hominis. Vel, non finem facietis prædicandi in civitatibus Iſraël. *Civitates Iſraël*, omnes urbes orbis, id eſt, prædicate Evangelium omni creaturæ, & cùm vos perſequentur in una civitate, fugite in aliam, ut ſic prædicatio verbi ubique fiat: amen dico vobis non conſummabitis omnes urbes orbis donec veniat Filius hominis ad judicium, &c. *Veniat*, de adventu poſt reſurrectionem exponunt quidam: alii donec deſtruatur Judæa per Romanos. Alii, veniat per Spiritum ſanctum, ut Joan. cap. 14. v. 18.
26. [x] *Nihil enim, &c.* metu perſecutionum ne omittatis prædicare. Nihil eſt enim evangelicæ doctrinæ quod non ſit revelandum & annunciandum.
28. [y] *Timere*, ita ut evangelii prædicationem omittatis.

Digitized by Google

31. Nolite ergo timere: [a] multis paſſeribus meliores eſtis vos.

32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, [b] confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt.

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt.

34. Nolite arbitrari quia [c] pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere ſed gladium.

35. Veni enim ſeparare hominem adversùs patrem ſuum, & filiam adversùs matrem ſuam, & nurum adversùs ſocrum ſuam.

36. Et inimici hominis, domeſtici ejus.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.

38. Et [d] qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.

39. Qui [e] invenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.

41. Qui recipit [f] prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.

42. Et quicumque potum dederit uni [g] ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

CAPUT XI.

Finem facit Jeſus ſermoni præcedenti.

1. ET factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus, [h] præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum.

De carcere nuntios mittit Joannes ad Jeſum interrogatum quis eſſet.

2. Joannes autem cùm audiſſet [i] in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis,

3. Ait illi: [k] Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

4. Et reſpondens Jeſus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis.

5. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur:

6. Et beatus eſt, qui non [l] fuerit ſcandalizatus in me.

Ipſis poſt Chriſti reſponſum abeuntibus Jeſus laudat Joannem coram turbis.

7. Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne: Quid exiſtis in deſertum videre? [m] arundinem vento agitatam?

8. Sed quid exiſtis videre? hominem [n] mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.

9. Sed quid exiſtis videre? prophetam? etiam dico vobis & plus quàm prophetam.

10. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto [o] angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

11. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſtâ: qui autem [p] minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo.

12. [q] A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

13. Omnes enim prophetæ & lex, uſque ad Joannem, [r] prophetaverunt.

14. Et ſi vultis [ſ] recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt.

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

Judæos arguit & civitates in quibus plurima ediderat miracula.

16. Cui autem [t] ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus

17. Dicunt: [u] Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non planxiſtis.

18. Venit enim Joannes neque [x] manducans neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.

19. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et juſtificata eſt ſapientia à [y] filiis ſuis.

20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam.

21. Væ tibi Corazain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.

31. [a] *Multis*, omnibus.
32. [b] *Confitebor*, ad me pertinere affirmabo.
34. [c] *Pacem* terrenam, id eſt, fruitionem rerum concupiſcibilium & ſenſualium. *Gladium*, diſſentionem, quæ oritur ex religionis diverſitate. vel, bellum adversùs concupiſcentiam, &c.
38. [d] *Qui non accipit crucem ſuam*, qui non patienter fert tribulationes, & carnem crucifigit cum vitiis & concupiſcentiis.
39. [e] *Invenit*, amat præter juſtitiam. *Animam*, hic pro toto homine, ſenſus eſt, qui indulget ſibi, ſe perdit. *Perdiderit*, propter juſtitiam. Qui mortificat ſe, ſalvat ſe.
41. [f] *Prophetam*, verbi Dei prædicatorem. *In nomine*, &c. qui à propheta eſt, particeps erit in cœlo mercedis prophetæ.
42. [g] *Ex minimis iſtis*, obſcuris & pauperculis, qui in me credunt. *In nomine diſcipuli*, modo id fiat tanquam Chriſti diſcipulo.
1. [h] *Præcipiens*, Syr. Arab. *præcipiendi*.
2. [i] *In vinculis*, in Macheronte arce.
3. [k] *Tu es*, interrogat non quòd dubitet, ſed ut diſcipulos ſuos de Chriſti divinitate convincat. *Venturus es*, tu ne es ille Meſſias, a prophetis promiſſus.
6. [l] *Scandalizatus*, Arab. *qui non hæſitaverit in me*, Perſ. *qui in dubitationem adductus non fuerit*, Æth. *qui non ſpreverit me, neque peccaverit contra me*. Qui nullâ ex oſtenſus fuerit ex me, quominus mihi tanquam ſalutis autori credat & adhæreat. Tacitè notat diſcipulos Joannis.
7. [m] *Arundinem vento agitatam*, hominem arundinis inſtar inſtabilem. Hæc dicit, ne turbæ, ex legatione Joannis, crederent ipſum mutaſſe de Jeſu ſententiam, poſt magnificum ipſius de Chriſto teſtimonium.
8. [n] *Mollibus*, Syr. Arab. *mollibus veſtimentis*, Perſ. *ſplendido veſtitu*.
10. [o] *Angelum*, miniſterio non naturâ. *Præparabit*, prædicatione baptiſmi pœnitentiæ.
11. [p] *Minor*, angelus infimus, vel inferior ætate & opinione veſtrâ, ſcilicet Chriſtus ipſe. *In regno cœlorum*, Eccleſia ſive terrena ſive cœleſti, vel, regno cœlorum annuntiando, quod antehac adumbratum, non apertè nuntiatum. Quanto Joannes præſtitit omnibus ante ſe prophetis, tanto prophetæ novi fœderis, etiam infimi, anteſtabunt Joanni, nimirum amplitudine notitiæ de liberatione humani generis: nam, ante Joannem, myſterium fuit, tempore Joannis cœpit illuceſcere: poſt Chriſti paſſionem, reſurrectionem, & miſſum Spiritum ſanctum clarius patuit.
12. [q] *A diebus*, quibus cœpit prædicare. *Vim patitur*, Syr. *cum violentia accipitur*, Perſ. *rapitur*. Doctrina Evangelii contemnitur a vobis, Joannes enim incarceratus, ego vero deſpectus ſum & ſcandalo, &c. *Violenti*, qui ſibi vim faciunt, quanta vis enim relinquere patrem, matrem, animam ſuam & omnia.
13. [r] *Prophetaverunt*, figuris adumbrarunt Chriſtum, ejuſque regnum, vel Dei voluntatem homines docuerunt, ſed a diebus Joannis cœpit nova & efficacior doctrina.
14. [ſ] *Recipere*, cognoſcere, advertere. *Elias*, non in propria perſona, ſed in ſpiritu & virtute Eliæ, Luc. cap. 1. præcurſor primi adventus quemadmodum Elias ſecundi.
16. [t] *Similem æſtimabo*, Syr. Perſ. Æth. Hebr. *aſſimilabo*. *Pueris ſedentibus*, &c. mos erat apud Judæos cum in feſtis ut aliquo præcinente cæteri ſaltarent, tum in funeribus ut præeuntibus præficis reliqui lamentarentur. Hunc morem imitabantur pueruli Judæi in ludis ſuis.
17. [u] *Cecinimus*, comparat eos pueris moroſis, quibus cantilenæ & inſtituta ſuorum nunquam arrident.
18. [x] *Non manducans*, ſocialiter non converſans.
19. [y] *Filiis*, Perſ. Æth. *operibus*. *Juſtificata ſapientia*, ſapientiſſima Dei providentia juſta agnita & declarata a filiis ſapientiæ, iis ſcilicet qui meæ prædicationi crediderunt.

22. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sidoni remiſſius erit in die judicii, quàm vobis.

23. Et tu Capharnaum, [a] numquid uſque in cœlum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes, quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hanc diem.

24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii quàm tibi.

Patri gratias agit, de cujus & filii notitia agit.

25. [b] In illo tempore, reſpondens Jeſus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondidiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.

26. Ita pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.

27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, [c] & nemo novit filium niſi pater: neque patrem quis novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare.

Ad amorem ſuæ legis hortatur.

28. Venite ad me omnes, qui [d] laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

29. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.

30. Jugum enim meum [e] ſuave eſt, & onus meum leve.

CAPUT XII.

Diſcipulos ſabbato vellentes ſpicas excuſat.

1. [f] IN illo tempore, abiit Jeſus per ſata ſabbato, diſcipuli autem ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas & manducare.

2. Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere ſabbatis.

3. At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant:

4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant: [g] niſi ſolis ſacerdotibus?

5. Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum [h] violant, & ſine crimine ſunt?

6. Dico autem vobis, quia templo major eſt [i] hic.

7. Si autem ſciretis, quid eſt: Miſericordiam volo, [k] & non ſacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes.

8. [l] Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati.

9. Et cùm inde tranſiſſet, [m] venit in Synagogam eorum. Manum aridam ſabbato curat.

10. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum.

11. Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam.

12. Quantò magis melior eſt homo ove? itaque licet ſabbatis [n] benefacere.

13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera. Phariſæorum machinationibus cedens, varios homines curat, & ſilere præcipit.

14. Exeuntes autem Phariſæi, conſilium faciebant adversùs eum, quomodo perderent eum.

15. Jeſus autem ſciens, receſſit inde, & ſecuti ſunt eum multi, & curavit eos omnes.

16. Et præcepit eis ne manifeſtum eum facerent.

17. Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem:

18. Ecce [o] puer meus, quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & judicium gentibus nuntiabit.

19. Non contendet, neque [p] clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:

20. [q] Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.

21. Et in nomine ejus gentes ſperabunt.

22. [r] Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret. Dæmoniacum mutum ſanat.

23. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt [s] filius David?

24. Phariſæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones niſi in [t] Beelzebub principe dæmoniorum. Phariſæos ipſum in Beelzebub ejicere dæmonia, dicentes convincit, &c.

25. Jeſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diviſum [u] contra ſe deſolabitur: & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe non ſtabit.

26. Et ſi ſatanas ſatanam ejicit, adversùs ſe

23. [a] *Numquid uſque in cœlum exaltaberis?* Syr. Hebr. Perſ. *quæ ad cœlos uſque erecta*. Arab. *quæ te extuliſti ad cœlum*. Numquid putas te ſemper ſublimem divitiis, potentiâ, &c. *In infernum*, infernum hic opponitur cœlo, graviſſimaſque clades & vaſtationes denotat. *Forte*, non in verſione Syr. Perſ. Æth. hic non ut particula dubitativa, ſed potentialis, Arab. *profectò*. *Manſiſſent*, potuiſſent manere.

25. [b] *In illo tempore*, poſtquam diſcipuli redierant, ut ex Luc. cap. 10. verſ. 21. eique narrarunt plebem avide excepiſſe verbum Dei quod Phariſæi oppugnabant. *Reſpondens*, Perſ. *exorſus eſt*. *Confiteor*, gratias ago. *Prudentibus* hujus mundi. *Parvulis*, qui nullâ ſeculi ſapientiâ clari ſunt.

27. [c] *Et nemo novit*, &c. his verbis ſignificat Deum à ſe ſolo cognoſci, & ab illis à quibus cognoſci vult. quæ cognitio datur per filium.

28. [d] *Laboratis*, jugo legis. *Onerati eſtis*, pondere peccatorum.

30. [e] *Suave*, per gratiam. *Leve*, per charitatem.

1. [f] *In illo tempore*, quodam tempore.

4. [g] *Niſi*, ſed.

5. [h] *Violant*, operantes eo die perinde atque profeſto. *Sine crimine ſunt*, ſacerdotes excuſat templi cultus à me, quod Dei opus facio; idem dicendum de Apoſtolis.

6. [i] *Hic*, adverbium eſt. Hoc in loco: ſi templi miniſterium excuſat, ego multò magis, qui dignior & ſanctior ſum templo. Chriſtus & ejus Apoſtoli ita occupati fuerant in obeundo ſuo munere, ut non vacaret ipſis cibum ſibi parare, quo ſabbati die veſcerentur. Sacerdotale munus non intermittebatur ob ritum ſabbati, igitur nec propheticum & apoſtolicum omitti debuit.

7. [k] *Non ſacrificium*, plus quam ſacrificium, potior lex quæ ad beneficentiam obligat, quam quæ ad ritus pertinet: Charitas enim erga proximum legis eſt naturæ.

8. [l] *Dominus enim*, &c. quia ſabbatum eſt propter homines, & Meſſias dominus eſt hominum, & eorum quæ ad utilitatem hominum & ſalutem pertinent.

9. [m] *Venit*, non eodem die, ſed altero ſabbato. Luc. cap. 6.

12. [n] *Benefacere*, beneficio afficere.

18. [o] *Puer*, Syr. Perſ. *ſervus*. *Judicium*, Perſ. *juſtitiam*.

19. [p] *Clamabit*, contentioſè & cum murmure, atque ut gloriæ appetens.

20. [q] *Arundinem quaſſatam*, alii de infirmis, alii de Judæis exponunt. *Linum fumigans*. Syr. *lucernam propè extinguendam*. *Ejiciat*, Syr. Perſ. *proferat*, Arab. *producat*, Æth. *reſtituat*. Donec faciat ut judicium vincat, veritaſque jus ſuum obtineat & prævaleat: vel, miſericorditer aget quoadulque veniet judicaturus.

22. [r] *Tunc*, poſt egreſſum è Synagoga, alii exponunt, multo poſt prædicta.

23. [s] *Filius David*, ille promiſſus Davidi Meſſias.

24. [t] *In Beelzebub*, in virtute Beelzebub.

25. [u] *Contra*. Syr. *adverſus*, Arab. Perſ. *in*, Æth. *intra*.

diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum ejus?

27. Et ſi ego in Beelzebub ejicio dæmones, [a] filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt.

28. Si autem ego in ſpiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos [b] regnum Dei.

29. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum [c] fortis, & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.

30. [d] Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.

De blaſphemia in Spiritum ſanctum, & de verbo otioſo.

31. Ideo dico vobis: Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus, [e] ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.

32. Et quicumque dixerit verbum contra [f] filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit, contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.

33. [g] Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: ſi quidem ex fructu arbor agnoſcitur.

34. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur:

35. Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo [h] theſauro profert mala.

36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37. Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Scribis & Phariſæis petentibus ſignum, dat ſignum Jonæ prophetæ, arguitque eos & convincit exemplo Ninivitarum & reginæ Saba.

38. Tunc reſponderunt ei quidam de ſcribis & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te [i] ſignum videre.

39. Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala, & [k] adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.

40. [l] Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.

41. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas [m] hic.

42. Regina [n] Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic.

De ſpiritu impuro, qui ſeptem alios ſpiritus ſecum adducit.

43. Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab [o] homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.

44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam [p] vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam.

45. Tunc vadit, & aſſumit [q] ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ.

Docet qui ſint fratres ejus, &c.

46. Adhuc & loquente ad turbas, ecce mater ejus, & [r] fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.

47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.

48. [ſ] At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?

49. [t] Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dicit: Ecce mater mea, & fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

---

27. [a] *Filii*, exorciſtæ Judæorum, Act. 19. qui invocato nomine Dei Abraham, Dei Iſaac, Dei Jacob, &c. (quas formulas a Salomone acceperant) diabolos ejiciebant, quod adhuc Irenæi tempore, lib. II. cap. 5. *Judices*, accuſabunt vos, & condemnabunt invidiæ in me & blaſphemiæ in Deum; & quod de actionibus ſimilibus, diſſimile feratis judicium.

28. [b] *Regnum Dei*, ergo verum eſt quod Joannes & diſcipuli mei prædicaverunt, & ego etiam, veniſſe regnum Dei, deſtructo regno diaboli.

29. [c] *Fortis*, quod de æditius apud Romanos, & atrienſibus apud alios exponi poteſt.

30. [d] *Qui non eſt mecum*, &c. hæc ut arguat Phariſæos, qui etiam ipſi dicere poterant, nos exorciſmis dæmones expellimus & regnum Dei prædicamus, quibus reſpondet, nihil in hac pugna cum dæmone medii eſſe, fruſtraque laborari, ſi animæ Chriſto non acquirantur, &c.

31. [e] *Spiritus*, Syr. Arab. Perſ. *in Spiritum*. Eſt blaſphemia ſpiritus, quando manifeſta opera Spiritus ſancti, hoc eſt, divinæ bonitatis & gratiæ, quæ Spiritui ſancto appropriantur, tribuuntur Beelzebub, hoc eſt enim Deum facere diabolum. Peccatum autem illud procedit ex malitia, non ex infirmitate, cujus contrarium ſcientia appropriatur filio. *Non remittetur*, rariſſime dimittetur non propter immiſericordiam Dei, ſed propter impœnitentiam hominum: quia tales peccantes directè oppugnant id ſine quo pœnitere nequeunt; puta bonitatem divinam, Spiritum ſanctum, ejuſque gratiam, omnemque tam internam quam externam mentis illuminationem: undè magis excæcantur, & obdurantur, tandemque in reprobum ſenſum traduntur. Sicut morbus dicitur incurabilis qui directe impedit & oppugnat, id ſine quo curari nequit, licet Deo curabilis ſit. Hoc autem dicit, quia Phariſæi contra lumen internum conſcientiæ & veritatem, tribuebant diabolo opera miraculoſa à Chriſto facta.

32. [f] *Filium hominis*, ejus divinitatem, viſa conditione mortali & humana, ignorantes. *Contra Spiritum ſanctum*, fidem contra conſcientiam ejurando, & veritatem uſque in finem impugnando. *Futuro*, ergo quædam peccata remittuntur in futuro ſæculo, ex quo evidenter probatur Purgatorii ſtatus.

33. [g] *Aut facite*, &c. aut me ex operibus bonum fatemini, aut opera ipſa, quod non poteſtis, oſtendite mala. Referri poſſunt hæc verba ad ſequentia, cum voluntas veſtra & cor veſtrum ſint mala, non poteſt loqui, &c.

35. [h] *Theſauro*, animi promptuario, cogitationum & affectionum.

38. [i] *Signum*, de cœlo.

39. [k] *Adultera*, peccatrix. Degener, quæ à majoribus ſuis degeneravit. Erant quidem ex Abraham ſecundùm carnem, ſed ſpiritu non minus ab illo alieni, quam quos mater ex adulterio concepit. *Dabitur*, quale deſideratis, non è ſummo cœlo ut credatis, ſed ex ima terra quo ſemel opprimamini & condemnemini.

40. [l] *Sicut enim*, &c. per hoc quod Jonas fuit in ventre ceti triduo, ac deinde vivus redditus, fuit Ninivitis ſignum ipſum miſſum eſſe a Domino ad prædicandum pœnitentiam, ſic ſignificatur etiam Filium hominis, ob id, in ſepulchro triduo quieturum, ac deinde reſurrecturum, ut ſit ſignum Judæis ipſum miſſum fuiſſe, &c. *Corde terræ*, non præciſè, ſed alludit ad verba Jonæ, cap. 2. in cor maris: ſufficit enim quod Chriſtus intra terram in ſpecu abditus fuerit. Quemadmodum Paulus hoc ipſum vocavit. Eph. cap. 4. inferiores partes terræ, &c. *Tribus diebus*, &c. non integris & ſpatio viginti quatuor horarum, ſed ita ut intra dies illos fuerit ſepulchro conditus, &c.

41. [m] *Hic*, adverbium eſt: hoc loco. Idem, v. 42.

42. [n] *Auſtri*, regionis ad Auſtrum. *Finibus terræ*, longinquis regionibus.

43. [o] *Homine*, quod parte ratione ad populum applicatur. *Per loca arida*, loquitur hic Dominus de dæmone tanquam de homine: arida enim loca deſerta ſunt, & ſqualida, ac proinde inepta ut habitentur: domus vero vacans purgata & ornata, non ſolùm eſt parata ut habitetur, ſed etiam provocativa ad ſui habitationem. Itaque quemadmodum homo non invenit ſibi requiem in locis arentibus & deſertis, ſed mavult in ornata domo agere, ita dæmones non inveniunt ſibi requiem cùm ab hominibus ſunt expulſi, niſi rurſum inveniant alium hominem qui diabolo paraverit locum, &c. aut etiam eumdem, cujus noviſſima fiant tali reditu pejora.

44. [p] *Vacantem*, à cura & vigilantia. Vacuam Spiritu Dei & bonis operibus *Scopis mundatam*, peccatis, &c. *Ornatam* gratiis Spiritus ſancti.

45. [q] *Septem*, plures alios. Præſertim ſi ab ea fuit expulſus, ne iterum expellatur.

46. [r] *Fratres*, cognatos. Hoc enim ex uſu ſermonis & linguæ Hebræorum & Syrorum.

48. [ſ] *Et ipſe*, &c. hæc non quòd matrem denegaret, ſed ut oſtenderet in his quæ Dei ſunt, non reſpiciendum ad carnem & ſanguinem.

49. [t] *Et extendens*, &c. hoc non quòd carnales parentes neget, ſed quòd ſpirituales præferat, docens religioſiores eſſe mentium copulas quàm corporum.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Parabolæ variæ à Chriſto proponuntur & explicantur.

1. IN illo die exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare.

2. Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet, & omnis turba ſtabat in littore.

3. Et locutus eſt eis multa [a] in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſeminat, ſeminare.

4. Et dum ſeminat, [b] quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.

5. Alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam: [c] & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ.

6. Sole autem orto [d] æſtuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

7. Alia autem ceciderunt in ſpinas: & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea.

8. Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.

9. Qui habet aures [e] audiendi, audiat.

10. Et accedentes diſcipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

11. Qui reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum.

12. [f] Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.

13. Ideo in parabolis loquor eis: quia [g] videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

14. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.

15. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.

16. Veſtri autem beati oculi quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt.

17. Amen quippe dico vobis, quia [h] multi prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

18. Vos ergo audite [i] parabolam ſeminantis.

19. Omnis qui audit [k] verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ejus: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt:

20. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud:

21. Non habet autem in ſe radicem, ſed eſt [l] temporalis, facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur.

22. Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum audit, & ſolicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum, ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.

23. Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.

24. Aliam parabolam propoſuit [m] illis, dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo.

25. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit.

26. Cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.

27. Accedentes autem ſervi patrifamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde ergo habet zizania?

28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: [n] Vis, imus & colligimus ea.

29. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania eradiceris ſimul cum eis & triticum.

30. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

31. Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo.

32. Quod [o] minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor: ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.

33. Aliam parabolam locutus eſt eis: Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier [p] abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.

34. Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis.

35. Ut impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os

3. [a] *In parabolis*, per ſimilitudines.
4. [b] *Quædam*, Syr. *ſemen*.
5. [c] *Et continuò exorta ſunt*. Perſ. *& ſimul ac exortum eſt exaruit*. *Non habebant altitudinem terræ*, Syr. *non erat profunda terra*.
6. [d] *Æſtuaverunt*, exuſta ſunt. Æth. *emarcuit*.
9. [e] *Audiendi*. Syr. *ad audiendum*. Arab. Perſ. *audientes*.
12. [f] *Qui enim habet*, *&c.* qui habet id quod debet habere, dabitur ei ampliùs, ita ut abundet, & qui non habet quod debet habere, verbi gratiâ, fidem & ſtudium diſcendi, id quod habet, aut quod habere videtur, auferetur. *Habet*, utitur: uſus loquendi frequens in ſcripturis. Cùm benignitate utitur eò quòd accepit.
13. [g] *Videntes* oculis corporis miracula mea. *Non vident*, oculis cordis, quid innuant & ſuadeant.
17. [h] *Multi*, multos hic ponit pro omnibus, ut Rom. cap. 5. v. 19. & alibi.
18. [i] *Parabolam*, interpretationem parabolæ.
19. [k] *Verbum regni*, de regno illo cœleſti & æterno. *Non intelligit*, cui non eſt curæ mente concipere; non fovet, non meditatur, & quaſi terra cordis ſui tegit.
21. [l] *Temporalis*, opponitur hic perenni. *Scandalizatur*, Perſ. *apoſtataſſe*, Æth. *ſubvertit illud*.
24. [m] *Illis*, turbis, ut patet ex verſ. 34. quod idem verſ. 31. & 33. *Regnum cœlorum*. Eccleſia militans, vel doctrina Evangelii. Priorem parabolam proponit, ne expectent diſcipuli, ut Evangelium referat fructum ab omnibus auditoribus? hancne expectent ut in Eccleſia omnes ſancti & boni ſint.
28. [n] *Vis, imus*, *&c.* Syr. Arab. Æth. *vis ut eamus & colligamus ea?*
32. [o] *Minimum*, non quòd nulla ſint minora, ſed quòd unum ſit ex minimis omnium ac valdè parvum. *Majus*, ſic debet explicari.
33. [p] *Abſcondit*, miſcuit. *Donec fermentatum eſt totum*, donec tota maſſa fermento permixta eſt.

Digitized by Google

meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

36. Tunc, dimiſſis turbis, venit in domum: & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.

37. Qui reſpondens, ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis.

38. Ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filii regni. Zizania autem, filii ſunt nequam:

39. Inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt diabolus: meſſis verò, conſummatio ſæculi eſt: meſſores autem angeli ſunt.

40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi.

41. Mittet Filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia [a] ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem.

42. Et mittent eos in [b] caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium.

43. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.

44. Simile eſt [c] regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.

45. [d] Iterùm ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inventa autem una pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

47. Iterùm ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti.

48. Quam, cùm impleta eſſet, educentes & ſecus littus ſedentes: elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.

49. Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum.

50. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

51. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.

52. Ait illis: [e] Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.

53. Et factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus parabolas iſtas, tranſiit inde.

Abiens in patriam, ibi contemnitur, propter quod nulla miracula ibi operatur.

54. Et veniens in [f] patriam ſuam, docebat eos in ſynagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic ſapientia hæc, & virtutes?

55. Nonne hic eſt [g] fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus, Jacobus & Joſeph, & Simon Judas?

56. Et [h] ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt? unde ergo huic omnia iſta?

57. Et ſcandalizabantur in eo. Jeſus autem dixit eis: Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.

58. Et non fecit ibi [i] virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

CAPUT XIV.

Hiſtoria mortis Joannis Baptiſtæ.

1. IN illo tempore audivit [k] Herodes tetrarcha famam Jeſu.

2. Et ait [l] pueris ſuis: Hic eſt Joannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.

3. Herodes enim [m] tenuit Joannem, & alligavit eum: & poſuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris ſui.

4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut prophetam eum habebant.

6. Die autem natalis Herodis ſaltavit [n] filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

7. Unde cum juramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo.

8. At illa [o] præmonita à matre ſua, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Joannis Baptiſtæ.

9. Et contriſtatus eſt rex: [p] propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, juſſit dari.

10. Miſitque [q] & decollavit Joannem in carcere.

11. Et allatum eſt caput ejus in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ.

12. Et accedentes diſcipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & [r] ſepelierunt illud: & venientes nuntiaverunt Jeſu.

Miraculum multiplicationis panum & piſcium quibus quinque millia virorum à Jeſu ſaturati ſunt in deſerto.

13. [s] Quod cùm audiſſet Jeſus, ſeceſſit inde in navicula, in locum deſertum ſeorſum: & cùm audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de civitatibus.

14. Et [t] exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis, & curavit languidos eorum.

15. Veſperè autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus, &

41. [a] *Scandala*, autores ſcandalorum.

42. [b] *Caminum*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *fornacem*, idem verſ. 50. *Fletus*, *&c.* pœnæ intolerabiles & ineluctabiles.

44. [c] *Regnum cœlorum*, ſic vocat Eccleſiam, quia conſtat ex vocatis ad fidem, ut cum ipſo regnent in cœlis.

45. [d] *Iterum ſimile*, *&c.* ſenſus eſt, idem accidere in eo inveniendo, acquirendoque, atque ſi quis mercator, &c.

52. [e] *Ideo*, *&c.* quia hæc intelligitis ſcitote quod omnis doctor conſtitutus ad myſteria regni cœlorum prædicanda, ſimilis eſſe debet, &c. *In regno*, Syr. *ad regnum*. In iis quæ pertinent ad regnum. *Nova & vetera*, quæ ad veterem & novam legem pertinent.

54. [f] *Patriam*, Nazareth ubi educatus. Quod ex Luca probatur cap. 4. *Virtutes*, poteſtas patrandi miracula.

55. [g] *Fabri*, lignarii. *Fratres*, Hebraiſmus, conſobrini Filii Cleophæ fratris Joſeph, aut aliorum fratrum & ſororum Joſeph.

56. [h] *Sorores*, neptes Joſeph, aut cognatæ ex paterno genere.

58. [i] *Virtutes*, Perſ. *miracula*.

1. [k] *Herodes* Antipas, frater Archelai, filius Herodis magni qui innocentes occidere fecit. *Tetrarcha*, Galilææ. Rex quartæ partis regni Herodis patris.

2. [l] *Pueris*, miniſtris curialibus. *Virtutes operantur*, miracula fiunt per eum.

3. [m] *Tenuit*, tenuerat, & ſic poſteà.

6. [n] *Filia Herodiadis*, & Philippi fratris Herodis, dicta Salome.

8. [o] *Præmonita*, non ante ſaltationem, ſed ante petitionem, & ſic conciliantur Matthæus & Marcus.

9. [p] *Propter juramentum*, *&c.* Perſ. *ſed propter juſjurandum, quod in conſpectu coram multitudine juraverat.*

10. [q] *Et decollavit*, qui decollaret.

12. [r] *Sepelierunt*, in Sebaſte, quæ tunc Samaria dicta. Sed dubitant quidam propter odium Judæorum & Samaritanorum. Certiſſime conſtat corpus ipſius Sebaſte repertum tempore Juliani Apoſtatæ, & ab impiis combuſtum.

13. [s] *Quod cum audiſſet*, non Joannis mortem, ſed quòd de ſe verba apud Herodem haberentur. *In locum deſertum*, inter Bethſaidam & Tyberiadem. Vel, in diverſa ſtagni ripa ex oppoſito Bethſaidæ: forte locus ille ad civitatem Bethſaidam pertinebat.

14. [t] *Exiens*, de navicula.

hora

Digitized by Google



Κεφαλὴ Ἰωάννȣ τȣ̃ UM FILIAE HERODIADIS.
The head of John the Fille d' Herodiade
Der Herodias Tochter wir dochter van Herodias gegeven.

Digitized by Google

Digitized by Google



Μέγας ὄχλος SUO CIBO PASTA.

A Great muleitu avec un peu de viande.

Eine groſſe menlyk verſadigt.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Matth: XIV. 31

Χριςὸς καὶ Πέτρος ἐν τῇ θαλάσσῃ.
Christ and Peter upon the Sea.
Chriſtus und Petrus gehen auf dem Meer.

CHRISTUS UNA CUM PETRO IN MARI.
Jesus Christ et S. Pierre sur la mer.
Christus en Petrus op de Zee.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in [a] caſtella, emant ſibi eſcas.

16. Jeſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ite: date illis vos manducare.

17. Reſponderunt ei: Non habemus hìc niſi quinque panes, & duos piſces.

18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

19. Et cùm juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum, [b] benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis.

20. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

Jeſus ſuper mare ambulans, diſcipulos tempeſtate agitatos, & Petrum ipſum mergi incipientem, a naufragio & merſione liberat.

22. Et ſtatim compulit Jeſus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans [c] fretum, donec dimitteret turbas.

23. Et dimiſsâ turbâ, aſcendit in montem ſolus orare. Veſperè autem facto ſolus erat ibi.

24. Navicula autem in medio [d] mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

25. [e] Quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare.

26. Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt: & præ timore clamaverunt.

27. Statimque Jeſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam, ego ſum: nolite timere.

28. Reſpondens autem Petrus, dixit: Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas.

29. At ipſe ait: Veni. Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Jeſum.

30. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamavit, dicens: Domine, ſalvum me fac.

31. Et continuò Jeſus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti?

32. Et cùm aſcendiſſent in naviculam, ceſſavit ventus.

33. [f] Qui autem in navicula erant, venerunt & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es.

In terra Geneſar varios ægrotos ſolo veſtimenti tactu curat.

34. Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram [g] Geneſar.

35. Et cùm cognoviſſent eum viri loci illius, miſerunt in univerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes.

36. Et rogabant eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, ſalvi facti ſunt.

CAPUT XV.

Reſpondet Jeſus Phariſæis murmurantibus quòd diſcipuli ipſius illotis manibus manducarent. Hæc facta ſunt anno uno ante mortem Chriſti, paucis diebus antè, aut poſt feſtum Paſchæ.

1. TUnc acceſſerunt ad eum ab Jeroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes:

2. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas cùm panem manducant.

3. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? nam Deus dixit:

4. Honora patrem & matrem; & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, [h] munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit.

6. [i] Et non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.

7. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens:

8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.

9. [k] Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

Docet diſcipulos ſuos quæ ſint quæ coinquinent homines.

10. Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.

11. [l] Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

12. Tunc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt?

13. At ille reſpondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.

14. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.

15. Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam.

16. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?

17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?

18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.

20. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. Non

15. [a] *Caſtella*. Syr. *villas*. Æth. *civitates*, Perſ. *pagos*.
19. [b] *Benedixit*, panibus & piſcibus, quibus dedit vim multiplicationis: ſicut è converſo, maledicere terræ, eſt eam ſterilem reddere.
22. [c] *Fretum*. Syr. Perſ. *ulteriorem ripam*.
24. [d] *Mari*, lacu Geneſareth.
25. [e] *Quarta vigilia*, nox dividebatur in quatuor partes, eò quòd quater, ſingulis ternis horis vigiles ſeu cuſtodes mutabantur.
33. [f] *Qui in navicula erant*, alii præter Apoſtolos, navigantes cum ipſis.
34. [g] *Geneſar*, non confundenda cum Geraſa de qua cap. 8. Geraſa enim trans Jordanem, Geneſar cis Jordanem prope Bethſaidam.
5. [h] *Munus*, &c. Syr. *oblatio mea eſt id quod tibi proderit ex me*. Munus quod Deo offerre decrevi etiam tibi proderit, quia pro te illud offeram. Sed melius, tangit ſacerdotum avaritiam, qui pueris perſuadebant ne quid darent parentibus, ſed offerrent Deo, & ſic dicebant pueri patribus egenis, id quod à me petis Deo conſecratum eſt. Phariſæi enim filios docebant, non poſſe ſublevari inopiam parentum rebus Deo conſecratis.
6. [i] *Et non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam*. Nihil opus eſſe ut patrem matremve honoret.
9. [k] *Sine cauſa*, Syr. Arab. Æth. *fruſtra*. Perſ. *corrupte*.
11. [l] *Non quod intrat*, &c. verba hæc ſunt intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam, cum hic propriè non ſunt cibi in ſe & per ſe conſiderati, ſed eorum uſurpatio, eaque illotis manibus. Dei de non loquitur hìc Chriſtus de levitica anguſtiate, ſed de munditie coram Deo.

lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

Curat filiam mulieris Chananææ.

21. Et egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in [a] partes Tyri, & Sidonis.

22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere mei, Domine, fili David, filia mea [b] male à dæmonio vexatur.

23. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum, dicentes: [c] Dimitte eam, quia clamat poſt nos.

24. Ipſe autem reſpondens, ait: Non ſum [d] miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſraël.

25. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me.

26. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere [e] canibus.

27. At illa dixit: Etiam, Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.

28. Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.

Multos languidos & cæcos atque mutos ſanat.

29. Et cùm tranſiſſet inde Jeſus, venit ſecus mare Galilææ, & aſcendens in montem, ſedebat ibi.

30. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, [f] debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos.

31. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſraël.

Quatuor millia hominum ſeptem panibus & paucis piſciculis nutrit.

32. Jeſus autem, convocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & [g] non habent quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

33. Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes [h] tantos, ut ſaturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Jeſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.

35. Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram.

36. Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo.

37. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt: & quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt [i] ſeptem ſportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, [k] extra parvulos, & mulieres.

39. Et, dimiſſâ turbâ, aſcendit in naviculam, & venit in fines [l] Magedan.

CAPUT XVI.

Jeſus arguit tentantes illum ſigni petitione.

1. [m] ET acceſſerunt ad eum Phariſæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut ſignum de cœlo oſtenderet eis.

2. At ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum.

3. Et mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim [n] triſte cœlum.

4 Faciem ergo cœli dijudicare noſtis: ſigna autem [o] temporum non poteſtis ſcire? generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit.

Jubet diſcipulos cavere à fermento Phariſæorum & Sadducæorum.

5. Et cùm [p] veniſſent diſcipuli ejus trans fretum, obliti ſunt panes accipere.

6. Qui dixit illis: Intuemini & cavete à [q] fermento Phariſæorum & Sadducæorum.

7. At illi cogitabant intra ſe dicentes: Quia panes non accepimus.

8. Sciens autem Jeſus, dixit: Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis.

9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis?

10. Neque ſeptem panum in quatuor millia hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis?

11. [r] Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum?

12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, ſed à [ſ] doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum.

Ipſos interrogat quem ipſum eſſe dicant, & Petro poſt illius confeſſionem promittit claves regni cœlorum.

13. Venit autem Jeſus in partes [t] Cæſaræææ Philippi: & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?

14. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam, [u] alii autem Eliam; alii verò Jeremiam, aut unum ex prophetis.

15. Dicit illis Jeſus: Vos autem quem me eſſe dicitis?

16. Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.

17. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Beatus es Simon [x] Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.

21. [a] *Partes*, Syr. *fines*, Perſ. *terminos*, Æth. *regionem.*
22. [b] *Male*, graviter.
23. [c] *Dimitte*, concedens ei quod petit.
24. [d] *Miſſus*, corporaliter. Ipſe ad Judæos miſſus, Apoſtoli etiam ad Gentiles.
26. [e] *Canibus*, canes vocat alienos à domo Dei.
30. [f] *Debiles*, Syr. *mancos*. Æth. *mutilos.*
32. [g] *Non habent quod manducent*, non quòd per triduum fuerint ſine cibo, ſed quòd nulli cibi ſupereſſent.
33. [h] *Tantos*, Æth. *tot.*
37. [i] *Septem ſportas*, non quòd illas haberent in deſerto, ſed quantùm ſeptem ſportæ capere poſſent.
38. [k] *Extra*, Syr. Arab. Perſ. *præter.*
39. [l] *Magedan*, Marcus dicit Dalmanatha; ſed duo ſunt loca conterminа ultra mare Galilææ circa Geraſan.
1. [m] *Et acceſſerunt*, &c. vide caput 12. v. 38. *Tentantes*, quærentes calumniæ occaſionem.
3. [n] *Triſte*, Æth. *obnubilatum.*
4. [o] *Temporum*, Syr. *temporis hujus*. Promiſſorum de adventu Meſſiæ, ut ablato ſceptro Judaico, Gen. cap. 49. impletio hebdomadarum Danielis, Dan. cap. 9 &c. *Signum Jonæ*, reſurrectio filii hominis.
5. [p] *Veniſſent*, venirent, irent. *Fretum*, Syr. *ulteriorem ripam.*
6. [q] *Fermento*, doctrina, vide infrà v. 12.
11. [r] *Quare*, Syr. Perſ. Æth. *quomodo.*
12. [ſ] *Doctrina*, hanc ſibi tenendam dicit, ſed hic intelligit conſtitutiones legi ſuperadditas atque contrarias.
13. [t] *Cæſarea Philippi*, prius dicebatur Paneas, poſteà à Philippo Herodis magni filio, in honorem Tiberii Cæſaris dicta Cæſarea. Quæ dicuntur his verſibus facta ſunt tertio Chriſti prædicationis anno.
14. [u] *Alii*, &c. hæc qui opinabantur, apparet eos nihil audiviſſe de natalibus Jeſu, primamque de eo famam, ex miraculis & quidem nuper admodum accepiſſe.
17. [x] *Bar-Jona*, Arab. Æth. Perſ. *fili Jonæ. Jona*, Johana, Joannes. *Caro & ſanguis*, nullus hominum, nec proprium lumen intellectus.

Digitized by Google



Matth. XVII.

Μεταμόρφωσις Χριςȣ̃ ἐν τῷ ὄρει.

The tranſfiguration of Christ on the mount.

Chriſti Verklärung auf dem Berge.

CHRISTI TRANSFORMATIO IN MONTE

Tranſfiguration de Jesus-Christ sur la Montagne.

Christus verheerlykt op den berg.

Picart delin. Bleis sculp.

NAPOLI

Digitized by Google

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & [a] portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

19. Et [b] tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Suam paſſionem prædicens, increpatur à Petro, qui ſtatim ob hoc à Chriſto corripitur.

20. Tunc præcepit diſcipulis ſuis ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus.

21. [c] Exinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis quia oporteret eum ire Jeroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere.

22. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Abſit à te, Domine, non erit tibi hoc.

23. Qui converſus, dixit Petro: Vade poſt me, [d] ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.

Docet unumquemque propriam crucem tollere; agitque de judicio extremo, cujus gloriæ imaginem dabit in transfiguratione ſua.

24. Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

25. Qui enim voluerit [e] animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

26. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo [f] commutationem pro anima ſua?

27. Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis: [g] & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.

28. Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis [h] venientem in regno ſuo.

CAPUT XVII.

Deſcribitur transfiguratio Chriſti.

1. ET poſt [i] dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum:

2. Et [k] transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illis [l] Moyſes & Elias cum eo loquentes.

4. [m] Reſpondens autem Petrus, dixit ad Jeſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida [n] obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.

6. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.

7. Et acceſſit Jeſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

8. Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Jeſum.

9. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Jeſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.

Reſpondet diſcipulis de adventu Eliæ interrogantibus.

10. Et interrogaverunt eum [o] diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primum venire?

11. At ille reſpondens, ait eis: [p] Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.

12. Dico autem vobis, quia [q] Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.

13. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis.

Puerum lunaticum ſanat, quod diſcipuli præ incredulitate facere non potuerunt.

14. Et cùm veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filio meo, quia [r] lunaticus eſt, & male patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.

15. Et obtuli eum [ſ] diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

16. Reſpondens autem Jeſus, ait: [t] O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.

17. Et [u] increpavit illum Jeſus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.

18. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

19. Dixit illis Jeſus: Propter [x] incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis

18. [a] *Portæ*, robur ſignificant: pars enim ſolet eſſe fortiſſima civitatis, ad quas præſidia ponuntur, & judicia exercentur. Sicut per portas aperiuntur domus & urbes, ſic portæ inferi dicuntur qui ingreſſum præbent in infernum, quod hoc in loco non tantùm de malis & ſcandaloſis hominibus ſed potius de hæreticis, & iis maximè qui ordinem Hierarchicum conturbare moliti ſunt.

19. [b] *Tibi dabo claves*, tu primus aperies oſtium fidei gentibus: quod à Petro præſtitum, Act. cap. 10. & 15. Sæpe per claves ſumma poteſtas deſignatur, ut Apoc. cap. 3. v. 7. *Ligaveris*, &c. alludit ad Phariſæorum morem qui ſibi ligandi & ſolvendi poteſtatem tribuebant, Matth. cap. 23. *Alligant onera*, &c.

21. [c] *Exinde*, poſtquam illos confirmaverat in fide ſuæ divinitatis. *Senioribus*, nomen dignitatis, non ætatis, rempublicam gubernantibus.

23. [d] *Satana*, adverſarium ſignificat.

25. [e] *Animam*, hic pro perſona. *Salvam facere*, crucem abjiciendo, &c. opponit ſaluti temporali perditionem æternam, ſicut & perditioni temporali ſalutem æternam.

26. [f] *Commutationem*, pretium.

27. [g] *Et tunc reddet*, &c. ex hoc loco conſtat mercedem à Deo reddi ſecundùm opera, & dari meritum operum.

28. [h] *Venientem in regno*, de transfiguratione exponunt, in qua Petrus, Jacobus & Joannes viderunt Jeſum in ea gloria & majeſtate quâ in regno ſuo appariturus eſt. Alii de aſcenſione intelligunt. Alii de regno Eccleſiæ poſt deſtructionem Synagogæ, & Jeruſalem, quam viderunt Joannes Evangeliſta & Juda Thaddæus.

1. [i] *Dies ſex*, inter medios à promiſſione ad transfigurationem. *Jacobum*, majorem qui ab Herode occiſus.

2. [k] *Transfiguratus eſt*, Arab. *manifeſtavit ſe*. Æth. *mutata fuit ſpecies ejus.*

3. [l] *Moyſes*, quidam dicunt quod propter hoc reſurrexerit, & ſic apparuit vivus, moriturus denuo ſtatim.

4. [m] *Reſpondens*, Hebraiſmus, in verba erumpens.

5. [n] *Obumbravit*, tegit eos umbra ſuper capita eorum, in modum tentorii. *Ecce vox*, &c. cùm jam prophetæ evanuiſſent, ne dubium eſſet ad quem referretur.

10. [o] *Diſcipuli*, illi tres. *Primum venire*, dicebant Scribæ quòd Chriſtus non eſſet Meſſias, quia Elias venturus erat ante ipſum.

11. [p] *Elias*, verus. *Reſtituet*, Æth. *emundabit*, Arab. *docebit*. Reducendo reliquias Iſraël ad fidem.

12. [q] *Elias*, non perſonaliter, ſed Joannes in ſpiritu & virtute Eliæ. *Sed fecerunt in eo*, &c. ex quibus verbis patet incarcerationem Joannis à Scribis & Phariſæis procuratam.

14. [r] *Lunaticus eſt & male patitur*, Arab. *cum dæmone eſt, & vexatur valdè in principiis plenilunorum*. Perſ. *in eum dæmonium poteſtatem obtinet, & graviſſimè laborat.* Miſerè affligitur.

15. [ſ] *Diſcipulis*, qui ad radicem montis ſteterant dum Chriſtus cum tribus illis in cacumine verſaretur.

16. [t] *O generatio incredula*, &c. arguit incredulitatem patris & Judæorum aſtantium, patris, fidem non habentis diſcipulis, quos ut tyrones miraculorum reſpiciebat: diſcipulorum etiam, qui animo deprimebantur propter reſiſtentiam dæmonis, murmur ſpectantium, & inſultus ſcribarum. Denique & ſcribarum, qui diſcipulis perſuadere conabantur ipſos decipi à Chriſto, &c. hæc enim erat ratio iræ inter illos.

17. [u] *Increpavit*, exire imperans. *Illum*, dæmonem.

19. [x] *Incredulitatem*, fidei imperfectionem. *Sicut granum ſinapis*, &c. non hic ſermo de exiguitate, ſed de vi & virtute, fidem ſcili-

fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.

20. Hoc autem [a] genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium.

Loquitur de morte & reſurrectione ſua.

21. Converſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jeſus: Filius hominis tradendus eſt in manus hominum:

22. Et occident eum, & tertiâ die reſurget. Et contriſtati ſunt vehementer.

Pro ſe & Petro didrachma ſolvit.

23. Et cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit [b] didrachma?

24. Ait: [c] Etiam. Et cùm intraſſet in domum, prævenit eum Jeſus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis?

25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii.

26. [d] Ut autem non ſcandalizemus eos; vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te.

CAPUT XVIII.

Propoſito parvulo docet Chriſtus quiſnam ſit major in regno cœlorum, & quantopere ſit à ſcandalis dandis cavendum.

1. IN illa hora, acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Quis putas, major [e] eſt in regno cœlorum.

2. Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum.

3. Et dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini [f] ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

4. [g] Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.

5. Et qui ſuſceperit unum parvulum [h] talem in nomine meo, me ſuſcipit.

6. Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, [i] expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

7. Væ mundo à ſcandalis. [k] Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.

8. Si autem manus tua, vel pes tuus [l] ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

9. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10. Videte ne [m] contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.

11. [n] Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat.

12. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem, in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit.

13. Et ſi contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia [o] gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonaginta novem, quæ non erraverunt:

14. Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, [p] ut pereat unus de puſillis iſtis.

Docet qualiter proximus ſit corripiendus.

15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit, [q] lucratus eris fratrem tuum.

16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut [r] in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.

17. Quòd ſi non audierit eos; dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit, [ſ] ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.

Poteſtatem ligandi & ſolvendi diſcipulis tradit.

18. Amen dico vobis [t] quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.

Docet quàm ſit efficax duorum conſentientium petitio.

19. Iterùm dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt.

20. Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in

---

ent fortem, ut granum ſinapis forte eſt. Quod de fide ſignorum exponunt multi. *Nihil*, quod facit ad gloriam Dei. *Impoſſibile*, quod ad teſtimonium doctrinæ pertineat.

20. [a] *Genus*, dæmonum peſſimorum qui jam diu aliquem poſſederunt. Quia fides ad hoc neceſſaria non impetratur niſi fervidâ prece & jejunio.

23. [b] *Didrachma*, moneta capitatim ſoluta. Alii exponunt de ſemi-ſiclo, quem ex Exodi cap. 30. viri ſinguli inter Judæos plus quàm viginti annos nati templo pendebant. Alii, de tributo Romanis ſolvendo.

24. [c] *Etiam*, id eſt, ſolvet. *Alienis*, filiis aliorum.

26. [d] *Ut autem non ſcandalizemus eos.* Æth. *ne murmurent. Qui primus aſcenderit.* Arab. *quem extrahet. Staterem*, denotat græco nomine ſiclum Hebræorum: & erat ſtater quatuor drachmarum. Contendunt multi & nobiles interpretes tributum hoc intelligendum de tributo debito templo, pro quo didrachma ſolvebatur. Exodi cap. 3. non verò exponendum de tributo debito Romanis imperatoribus, pro quibus tunc nihil ſolvebatur tributi in Galilæa & Trachonitide, & forte ſolvit pro reliquis, licèt id non memoretur, aut Petrus ſolus erat cum Jeſu, quod conjici poteſt ex verſu primo capitis ſequentis.

Petron. Mauduit. Calmet.

1. [e] *Eſt*, erit.

3. [f] *Sicut parvuli*, ex infantiæ ſtatu odii incapaces, divitiarum & honorum non appetentes, vitiorum & ſuperbiæ impetûs expertes, &c.

4. [g] *Quicumque ergo*, &c. quicumque autem velut puerulus ſubmiſſus & humilis fuerit, ille magnus erit, & in regnum cœlorum ingredietur.

5. [h] *Talem*, qualem de pios, humilem, modeſtum, &c.

6. [i] *Expedit*, Syr. *ſatius fuerit*, Arab. *melius*, Æth. *potius. Mola aſinaria*, lapis erat molaris prægrandes, qui ab aſino circumagebatur. erat autem apud Judæos, & potius apud Syros, majorum criminum pœna. *Demergatur in profundum maris*, alludit ad ſubmerſionem in mari Mortuo, in quo nullus mergi poterat abſque pondere aliquo ei appenſo, & in quo quid ſubmergere communi loquendi modo notabat, abjectioni, odio, atque execrationi devovere.

7. [k] *Neceſſe eſt ut veniant*. Arab. *non dubium quin futurum ſit*, &c. *Neceſſe*, præſuppoſitâ hominum malitiâ congenitâ, impoſſibile eſt non eſſe.

8. [l] *Scandalizat*, Æth. *aberrare faciet. Bonum*, Arab. Perſ. *melius*, Æth. *potius*. Vide cap. 5. verſ. 29. &c.

10. [m] *Contemnatis*, quia ex contemptu ſcandala oriuntur. *Puſillis*, de diſcipulis exponit Calmet.

11. [n] *Venit enim*, &c. non contemnendos parvulos probat, quia ob horum ſalutem Chriſtus venit. *Perierat*, jam per peccatum, aut proximum erat ut periret.

13. [o] *Gaudet magis*, quod de majori gaudio actuali intelligendum eſt.

14. [p] *Ut pereat*, ſed magis ut ſalva fiat.

15. [q] *Lucratus eris*, unde correptionis finis ut lucrifiat frater. Quare ſi non eſt perditus ut cùm peccata non ſunt mortifera, vel noſti eum ſponte reſipiſcere, vel ſi non eſt ſpes ipſius lucrandi, non præcipiatur ubi correctio fraterna.

16. [r] *In ore . . . ſtet*, ut duorum vel trium teſtimonio firmum ſit verbum, & convinci poſſit, non injuriæ, ſed quod fecerit quæ charitatis erant. Aut etiam adhibendi ſunt ut corripiant, &c.

17. [ſ] *Sit tibi*, retrahe te ab eo, &c.

18. [t] *Quæcumque*, &c. quæ Eccleſia cauſa cognita declarabit eſſe injuſta, ea Deus declarat eſſe injuſta. Quæ Eccleſia pronuntiat eſſe juſta, ea Deus juſta pronuntiat. Egerat Chriſtus de ſolutione ab officio fraterno in cauſa quadam particulari, agit jam de autoritate & poteſtate Apoſtolorum, quidlibet ſolvendi vel ligandi prout illis viſum fuerit, à Spiritu ſancto manu ductis, &c.

Digitized by Google

nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

Quoties ſit fratri non peccanti condonandum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?

22. Dicit illi Jeſus: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque [a] ſeptuagies ſepties.

23. Ideò [b] aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.

24. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cùm autem non haberet unde redderet, juſſit eum dominus ejus [c] venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat & reddi.

26. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

27. Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.

28. Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei [d] centum denarios: & tenens, ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

29. Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit; ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conſervi [e] ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narraverunt domino ſuo, omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus ſuus: & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam [f] rogaſti me:

33. Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tuî miſertus ſum?

34. [g] Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum.

35. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

CAPUT XIX.

Docet matrimonium eſſe indiſſolubile.

1. ET factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ [h] trans Jordanem.

2. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.

3. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam, [i] quacumque ex cauſa?

4. Qui reſpondens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & [k] dixit:

5. [l] Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.

6. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.

7. Dicunt illi: [m] Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?

8. Ait illis: [n] Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.

9. Dico autem vobis, quia quicumque [o] dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.

10. Dicunt ei diſcipuli ejus: Si ita eſt, cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.

Laudat illos qui ſe caſtrarint propter regnum cœlorum.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt [p] verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi qui [q] ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.

Parvulis manus imponit.

13. Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret & [r] oraret. Diſcipuli autem increpabant eos.

14. Jeſus verò ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: [ſ] talium eſt enim regnum cœlorum.

15. Et cùm impoſuiſſet eis manus, abiit inde.

Reſpondet quæſtioni cujuſdam adoleſcentis divitis.

16. Et ecce unus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17. Qui dixit ei: [t] Quid me interrogas de bono? unus eſt bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.

18. Dicit illi: Quæ? Jeſus autem dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falſum teſtimonium dices:

22. [a] *Septuagies ſepties*, ponitur numerus finitus pro indefinito, id eſt, toties quoties peccaverit, & præſertim ſi remitti ſibi petierit.

23. [b] *Aſſimilatum eſt*, ita ut ſe res habet in Eccleſia & regno meo, ut ſi rex quiſpiam, &c. *Ponere*, Syr. *recipere*, Perſ. *exigere*.

25. [c] *Venumdari* liberi homines cum uxoribus & prole, ubi ſolvendo non eſſent, ſervi fiebant creditorum, moribus hebræis quod docemur. IV. Reg. cap. 4. *Et reddi*, Syr. Arab. *ut ſolveret*. Reddi debitum.

28. [d] *Centum denarios*, de denariis Romanis exponunt multi, qui denarius erat noſtræ monetæ octo aut decem aſſes.

31. [e] *Ejus*, Syr. *eorum*.

32. [f] *Rogaſti me*, ſupplex mihi factus es. Non enim rogaverat remiſſionem, &c. ſed dilationem tantùm.

34. [g] *Et iratus eſt*, *&c.* debuit ſervus ille propter ſævitiam mulctari pecunia ejus ſummæ, cujus prius acceperat remiſſionem. *Tortoribus*, carcere & torturis, verberibus, pœniſque variis affligendum, ex jure antiquo Romanorum, cui tunc Judæi ſuberant.

1. [h] *Trans Jordanem*, referendum, non ad *fines* ſed ad *venit*. Chriſtus ergo à Galilæa profectus eſt per regionem Samaritanam, Luc. c. 9. indeque deflexit verſus Jordanem, eoque trajecto perrexit per viam ultra Jordanem, hoc eſt per Peræam, fines Judææ ab ortu. Hæc acta longo tempore poſt ſuperius dicta.

3. [i] *Quacumque ex cauſa*, ex eo enim quod Moyſes permiſerat dimittere uxorem propter fornicationem, Phariſæi dimiſſionem dimittebant quacumque ex cauſa.

4. [k] *Dixit*, per Adam.

5. [l] *Propter hoc*, quia fœmina ſumpta ex viro, & una caro cum illo. *Erunt*, fient. *Duo*, qui duo fuerant.

7. [m] *Quid*. Syr. Arab. Perſ. *quare*.

8. [n] *Quoniam Moyſes*, *&c.* juris erat relaxatio abuſuſque, permiſſuſque à Moyſe, non hunc probans, ſed ei frænum injiciens, eumque certis limitibus circumſcribens, ne ulterius evagaretur.

9. [o] *Dimiſerit* thoro & habitatione niſi *Ob fornicationem*, quod ad *dimiſerit*, referendum eſt, non ad *aliam duxerit*. idem ſenſus propoſitionis enuntiatæ ac hujus, qui jejunium violat ſine diſpenſatione & ſe inebriat, peccat: ex qua non concludendum, quod qui violat jejunium cum diſpenſatione & ſe inebriat, non peccet. *Dimiſſam*, ob fornicationem.

11. [p] *Verbum iſtud*, quod non expedit nubere.

12. [q] *Se ipſos caſtraverunt*, non in corpore ſed in ipſa concupiſcentiæ radice. *Capere*: approbare verbum de non ineundo matrimonio.

13. [r] *Oraret*. Arab. *oraret ſuper eos*.

14. [ſ] *Talium*, Syr. *eorum qui ſunt ſicut illi*. Non dicit, iſtorum, ſed, talium, id eſt, humilium ſimplicium, &c.

17. [t] *Quid interrogas de bono?* Syr. Arab. Perſ. *quid me vocas bonum?* Cur interrogando appellas me bonum? ad Chriſtum enim ut ad purum hominem accedebat.

Digitized by Google

19. [a] Honora patrem tuum & matrem tuam ; & diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

20. Dicit illi adoleſcens : Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deeſt?

21. Ait illi Jeſus : Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo : & veni, ſequere me.

22. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis : erat enim habens multas poſſeſſiones.

Cujus occaſione dicit quàm ſit divitibus difficile intrare in regnum cœlorum.

23. Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis : Amen dico vobis, quia dives [b] difficilè intrabit in regnum cœlorum.

24. Et iterum dico vobis : [c] Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.

25. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valdè, dicentes : Quis ergo poterit ſalvus eſſe?

26. Aſpiciens autem Jeſus, dixit illis : Apud homines hoc impoſſibile eſt : apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.

Explicat quid præmii conſequentur qui relictis omnibus, ipſum ſecuti ſunt.

27. Tunc reſpondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?

28. Jeſus autem dixit illis : Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me [d] in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.

29. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum [e] centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

30. [f] Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

CAPUT XX.

Parabolam proponit de operariis in vineam conductis.

1. [g] Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.

2. Conventione autem factâ cum operariis, ex [h] denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.

3. Et egreſſus circa [i] horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos :

4. Et dixit illis : Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa ſextam, & nonam horam : & fecit ſimiliter.

6. Circa undecimam verò exiit, & invenit alios ſtantes, & dicit illis : Quid hic ſtatis totâ die otioſi?

7. Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite & vos in vineam meam.

8. Cùm ſero autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo : Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos.

9. Cùm veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt [k] ſingulos denarios.

10. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi : acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adversùs patrem familias.

12. Dicentes : Hi noviſſimi [l] unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus.

13. At ille reſpondens [m] uni eorum, dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario conveniſti mecum?

14. Tolle quod tuum eſt, & vade : volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus [n] nequam eſt, quia ego bonus ſum?

16. Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi : multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

17. Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis : Paſſionem ſuam Apoſtolis prædicit.

18. Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & [o] condemnabunt eum morte,

19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ die reſurget.

Occaſione petitionis matris filiorum Zebedæi docet Diſcipulos quod non poteſtare, ſed officio miniſteri debeant inter ſe majores eſſe.

20. Tunc acceſſit ad eum [p] mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo.

21. Qui dixit ei : Quid vis? ait illi : Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo.

22. Reſpondens autem Jeſus, dixit : Neſcitis quid petatis. Poteſtis [q] bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? dicunt ei : Poſſumus.

19. [a] *Honora, &c.* vide apud Marcum c. 10 v. 25.
23. [b] *Difficile, &c.* per hanc ſententiam interpretandæ ſunt ſequentes.
24. [c] *Facilius eſt, &c.* locutio proverbialis apud Judæos, & Syros quâ ſignificarent aliquid valde difficile, tales multæ apud nos : ut cum dicimus, facilius ignem aquæ miſceas, quam illos concilies. *Divitem*, divitiis confidentem.
28. [d] *In regeneratione*, reſurrectione generali, quæ dabit juſtis vitam novam. *Tribus Iſrael*, univerſas gentes, quæ per fidem in Chriſtum factæ ſunt veri filii Iſraël.
29. [e] *Centuplum*, quod non de bonis temporalibus intelligendum.
30. [f] *Multi primi erunt noviſſimi, &c.* quæ ſententia explicatur parabolâ ſequenti.
1. [g] *Simile eſt regnum, &c.* ſimile quid accidet in regno cœlorum, quale eſt quod fecit quidam paterfamilias.
2. [h] *Denario*, noſtræ monetæ octo aut decem aſſes.
3. [i] *Horam tertiam*, ad intelligentiam harum horarum, ſciendum Judæos noctem dividere in quatuor partes, ſive vigilias, & diem in quatuor partes, ſive horas, partes noctis in hieme longiores, in æſtate breves, ſicut horæ diei in æſtate longiores, in hieme breves, prima hora incipiebat oriente ſole, & prima atque tertia, id eſt, illa quæ incipiebat poſt tres horas, & quæ erat ſecunda pars diei : durabant uſque ad ſextam, id eſt, horam illam quæ incipiebat finitis ſex horis, & quæ ſemper incipiebat in meridie diei : ſexta verò continebat dimidium temporis poſt meridiem, id eſt, uſque ad nonam : quæ nona continebat, decimam, undecimam, duodecimam, uſque ad occaſum ſolis, quo occidente finitus erat dies.
9. [k] *Singulos denarios*, ſinguli denarium.
12. [l] *Una hora fecerunt*, operati ſunt.
15. [n] *Nequam*, invidus, id eſt, an tu invidus es, quia ego in alios
13. [m] *Uni*, loco omnium.
liberalis ſum? Locutio hebraica.
18. [o] *Condemnabunt*, reum mortis eſſe judicabunt, dicentes : *Nos legem habemus, &c.* ſententiam non judiciali poteſtate pronuntiando, ſed præjudicio autoritatis ſuæ.
20. [p] *Mater filiorum Zebedæi*, nomine Salome. *Adorans & petens*, adorando petens, id eſt, tali vultu adorans, ut appareret eam petere velle.
22. [q] *Bibere calicem*, paſſionis & afflictionum mearum participes eſſe : per calicem enim in Scripturis certa cujuſque ſors à Deo parata intelligitur ſive in bonum, ſive in malum. Locutio quippe eſt metaphorica ſumpta ex more antiquitus in epulis uſitato in quibus primus ex diſcumbentibus poculum aliis offerebat, &c. quod & adhuc in quibuſdam nationibus fieri ſolet.



Ἰησοῦς καθίζων SOLYMA.

Christi ...

le Brun pinxit. Picart delin. Blaeuwk sculp.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

23. Ait illis: [a] Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dextram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.

24. Et audientes decem, indignati ſunt [b] de duobus fratribus.

25. Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos.

26. [c] Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter.

27. Et qui voluerit inter vos primus eſſe, [d] erit veſter ſervus.

28. Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.

Egrediens à Jericho duos cæcos ſanat.

29. Et egredientibus illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa:

30. Et ecce [e] duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt, quia Jeſus tranſiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David.

31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David.

32. Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis?

33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri.

34. Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

CAPUT XXI.

Jeſus ſuper aſinam ſedens, Jeruſalem cum triumpho ingreditur.

1. ET cùm appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti: tunc Jeſus miſit duos diſcipulos,

2. Dicens eis: Ite in [f] caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi.

3. Et ſi quis vobis aliquid dixerit: Dicite quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt [g] per prophetam dicentem:

5. [h] Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens, ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis.

6. Euntes autem Diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus.

7. Et adduxerunt aſinam, & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum [i] deſuper ſedere fecerunt.

8. [k] Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.

9. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, [l] hoſanna in altiſſimis.

10. Et cùm intraſſet Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic?

11. Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus propheta à Nazareth Galilææ.

Negotiatores de templo ejicit.

12. Et intravit Jeſus [m] in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit:

13. Et dicit eis: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam [n] ſpeluncam latronum.

Sanat cæcos & claudos.

14. Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanavit eos.

Reſpondet Phariſæis de triumpho indignantibus.

15. Videntes autem principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio David, indignati ſunt,

16. Et dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis: Utique numquam legiſtis: Quia ex ore infantium, & lactentium [o] perfeciſti laudem?

Diſcipulis de ficulnea verbo Chriſti arefacta mirantibus dicit quanta ſit fidei efficacitatis.

17. Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique [p] manſit.

18. Manè autem revertens in civitatem, eſuriit.

19. Et videns fici arborem unam ſecus viam venit ad eam: & nihil invenit in ea niſi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et arefacta eſt continuò ficulnea.

20. Et [q] videntes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuò aruit?

21. [r] Reſpondens autem Jeſus, ait eis: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet.

22. Et omnia quæcumque petieritis in oratio-

23. [a] *Calicem meum*, meo ſimilem. *Non eſt meum*, vide Marci c. 16. *Sed quibus*, &c. Syr. Arab. Perſ. Æth. *Niſi iis quibus*, &c. & hunc eſſe meliorem ſenſum fatentur Interpretes.
24. [b] *De duobus*, Syr. *adverſum duos*.
26. [c] *Non ita erit*, non quòd prohibeat principatum & præeminentiam ſed modum illius exercendæ explicat.
27. [d] *Erit*, ſit.
30. [e] *Duo cæci*, duo curati ſunt, unus in ingreſſu, alter in egreſſu è Jericho, quos confundit Matthæus. Marcus verò locutus eſt de ultimo, & Lucas de primo.
2. [f] *Caſtellum*, Syr. *vicum*, Perſ. *pagum*, Æth. *civitatem*. *Contra vos*, Syr. *vobis è regione*, Perſ. *è regione veſtri*.
4. [g] *Per prophetam*, refertur ſenſus prophetæ non verba.
5. [h] *Dicite*, nuntiate. *Filiæ Sion*, Hebraiſm. habitatoribus Sion, id eſt, Jeruſalem. *Subjugalis*, aſſuetæ ferre jugum.
7. [i] *Deſuper*, veſtimenta.
8. [k] *Plurima turba*, plurimi è turba.
9. [l] *Hoſanna*, Perſ. *laus*. *Hoſanna filio David*, ſalutem affer filio David. *In altiſſimis*, de altiſſimis, excepérunt autem Chriſtum cum ramis palmarum, quem ut Meſſiam promiſſum habebant in ſignum ſolemnis lætitiæ: ſicut in nova dedicatione templi ſub Haſmonæis eadem publicæ lætitiæ ſigna uſurpata legimus, 1. Mach. c. 13. & II. c. 10.

12. [m] *In templum*, atrium exterius quod dicebatur prophanum, &c. *Numulariorum*, hi numularii, non tam unam pecuniæ ſpeciem cum alia commutabant, quam pecuniam in uno loco penſitatam, in alio loco, verbi gratiâ Jeroſolymæ, reddebant, ut viatores & moleſtia portandæ pecuniæ, & periculo ejus amittendæ levarent, unde lucrum percipiebant. *Ejiciebat... evertit*. Hoc fecit Chriſtus jure zelotarum, quod à Judæis agnitum erat, tanquam à Moyſe traditum & firmatum exemplo illo, Num. cap. 25. & 1. Mach. c. 2. quo jure Hebræo cuicumque privato zelo ducto, licitum erat, homini ſanctitatem, ſive Dei, ſive templi, ſive gentis palam violanti, & in ipſo facinoris momento deprehenſo, ſupplicium capitale infligere, alioquin, Scribæ ſtatim Chriſtum reum egiſſent de vi publica.
13. [n] *Speluncam latronum*, quia cum avaritia, mendacii, fraudibus, & conſequenter inopum deſpoliatione conjuncta erant hæc omnia.
16. [o] *Perfeciſti*, Syr. *direxiſti*, Arab. *paraſti*. Perfectam & abſolutam oſtendiſti.
17. [p] *Manſit*, Syr. *pernoctavit*.
20. [q] *Videntes*, poſtridie manè.
21. [r] *Reſpondens*, Hebraiſmus, locutus eſt. *Fidem* miraculorum.

Digitized by Google

nc credentes, accipietis.

Interrogationem de ſua poteſtate retundit quæſtione de Joannis baptiſmo.

23. Et cùm veniſſet in templum acceſſerunt ad eum docentem, principes ſacerdotum, & ſeniores populi, dicentes: [a] In qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem?

24. Reſpondens Jeſus dixit eis: [b] Interrogabo vos, & ego unum ſermonem: quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio.

25. [c] Baptiſmus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus? at illi cogitabant inter ſe dicentes:

26. Si dixerimus è cœlo, dicet nobis quare ergo non [d] credidiſtis illi? ſi autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem ſicut prophetam.

27. Et reſpondentes Jeſu, dixerunt: Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego [e] dico vobis in qua poteſtate hæc facio.

Parabolam proponit de homine duos filios habente, &c.

28. Quid autem [f] vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operare in vinea mea.

29. Ille autem reſpondens, ait: Nolo. Poſtea autem, pœnitentiâ motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: Eo, domine, & non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? dicunt ei: Primus. Dicit illis Jeſus: Amen dico vobis quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32. Venit enim ad vos Joannes [g] in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuiſtis poſteà, ut crederetis ei.

De patrefamilias cui vinea erat locata agricolis, &c.

33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis & peregrè profectus eſt.

34. Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolæ, apprehenſis ſervis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt.

36. Iterum miſit alios ſervos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter.

37. Noviſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur filium meum.

38. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.

39. Et apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.

40. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41. [h] Aiunt illi: Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.

His parabolis prædicit regnum Dei à Judæis ad Gentiles transferendum.

42. Dicit illis Jeſus: Numquam legiſtis in ſcripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?

43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis [i] regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et [k] qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur: ſuper quem verò ceciderit conteret eum.

45. Et cùm audiſſent principes ſacerdotum, & Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipſis diceret.

46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant.

CAPUT XXII.

Proponit Jeſus parabolam de rege qui fecit filio ſuo nuptias, ad quas invitati venire noluerunt, &c. à quibus, diſcumbens non veſtitus veſte nuptiali, ejectus eſt.

1. ET reſpondens Jeſus dixit iterum in parabolis eis, dicens:

2. Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.

3. Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.

4. Iterum miſit alios ſervos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam.

6. Reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cùm audiſſet iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.

8. [l] Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.

11. Intravit autem rex ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum [m] veſte nuptiali.

12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti

23. [a] *In qua poteſtate*, quia Synedrii erat jus docendi in templo concedere.

24. [b] *Interrogabo vos, &c.* hanc quæſtionem Chriſtus inſtituit, ut manifeſtum inde fieret, juſtas ipſum habuiſſe cauſas, ad ipſorum interrogationem non reſpondendi, quomodo enim credidiſſent allegandi mandatum divinum, qui Joanni non credidiſſent, quem tamen à Deo miſſum apertè diffiteri non audebant.

25. [c] *Baptiſmus*, ſub cujus nomine tota ejus functio intelligitur.

27. [d] *Credidiſtis illi*, de me teſtificanti. *Sicut*, veritatem notat non ſimilitudinem: habebatur enim verus propheta.

27. [e] *Dico*, Syr. *dicam*, Arab. *notificabo*.

28. [f] *Vobis videtur*, de hac parabola quam proponam.

32. [g] *In via juſtitiæ*, juſtè & irreprehenſibiliter vivendo.

41. [h] *Aiunt*, turbæ quæ præſentes erant.

43. [i] *Regnum Dei*, fidei doctrina.

44. [k] *Qui ceciderit ſuper lapidem*, qui in præſenti vita Chriſtum contempſerit, non penitus conteretur, eſt enim veniæ ſpes: vel, qui Chriſtum, ut Judæi, in carne viventem contempſerunt. *Super quem verò ceciderit*, quem in altera vita Chriſtus male habuerit, &c. quidam prius membrum de infidelitate præſenti, poſterius de condemnatione in futuro judicio exponunt.

8. [l] *Tunc*, non poſt perditos homicidas, ſed poſtquam detrectarunt inviti venire ad nuptias. *Non fuerunt digni*, non tantùm non fuerunt digni, ſed ſe indignos fecerunt.

11. [m] *Veſte nuptiali*, mos erat ut non intereſſent nuptiis niſi cum veſte munda, & ſtatui cujuſque invitati propria.

non

Digitized by Google

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & [a] portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

19. Et [b] tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Suam paſſionem prædicens, increpatur a Petro, qui ſtatim ob hoc a Chriſto compitur.

20. Tunc præcepit diſcipulis ſuis ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus.

21. [c] Exinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis quia oporteret eum ire Jeroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere.

22. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Abſit à te, Domine, non erit tibi hoc.

23. Qui converſus, dixit Petro: Vade poſt me, [d] ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.

Docet unumquemque propriam crucem tollere; agitque de judicio extremo, cujus gloriæ imaginem dabit in transfiguratione ſua.

24. Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

25. Qui enim voluerit [e] animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

26. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo [f] commutationem pro anima ſua?

27. Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis: [g] & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.

28. Amen dico vobis, ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis [h] venientem in regno ſuo.

CAPUT XVII.

Deſcribitur transfiguratio Chriſti.

1. ET poſt [i] dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum:

2. Et [k] transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illis [l] Moyſes & Elias cum eo loquentes.

4. [m] Reſpondens autem Petrus, dixit ad Jeſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida [n] obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.

6. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.

7. Et acceſſit Jeſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

8. Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Jeſum.

9. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Jeſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.

Reſpondet diſcipulis de adventu Eliæ interrogantibus.

10. Et interrogaverunt eum [o] diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primum venire?

11. At ille reſpondens, ait eis: [p] Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.

12. Dico autem vobis, quia [q] Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.

13. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis.

Puerum lunaticum ſanat, quod diſcipuli præ incredulitate facere non potuerunt.

14. Et cùm veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filio meo, quia [r] lunaticus eſt, & male patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.

15. Et obtuli eum [ſ] diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

16. Reſpondens autem Jeſus, ait: [t] O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.

17. Et [u] increpavit illum Jeſus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.

18. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

19. Dixit illis Jeſus: Propter [x] incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis

℣ 18. [a] *Portæ*, urbes ſignificant: pars enim ſolet eſſe fortiſſima civitatis, ad quas præſidia ponuntur, & judicia exercentur. Sicut per portas aperiuntur domus & urbes, ſic portæ inferi dicuntur qui ingreſſum præbent in infernum, quod hoc in loco non tantùm de malis & ſcandaloſis hominibus ſed potius de hæreticis, & iis maximè qui ordinem Hierarchicum conturbare moliti ſunt.

19. [b] *Tibi dabo claves*, tu primus aperies oſtium fidei gentibus; quod à Petro præſtitum. Act. cap. 10. & 15. Sæpe per claves ſumma poteſtas deſignatur. ut Apoc. cap. 3. v. 7. *Ligaveris*, &c. alludit ad Phariſæorum morem qui ſibi ligandi & ſolvendi poteſtatem tribuebant, Matth. cap. 23. *Alligant onera*. &c.

21. [c] *Exinde*, poſtquam illos confirmaverat in fide ſuæ divinitatis. *Senioribus*, nomen dignitatis, non ætatis, rempublicam gubernantibus.

23. [d] *Satana*, adverſarium ſignificat.

25. [e] *Animam*, hîc pro perſona. *Salvam facere*, crucem abjiciendo, &c. opponit ſaluti temporali perditionem æternam, ſicut & perditioni temporali ſalutem æternam.

26. [f] *Commutationem*, pretium.

27. [g] *Et tunc reddet*, &c. ex hoc loco conſtat mercedem à Deo reddi ſecundùm opera, & dari meritum operum.

28. [h] *Venientem in regno*, de transfiguratione exponunt, in qua Petrus, Jacobus & Joannes viderunt Jeſum in ea gloria & majeſtate quâ in regno ſuo apparituruſ eſt. Alii de aſcenſione intelligunt. Alii de regno Eccleſiæ poſt deſtructionem Synagogæ, & Jeruſalem, quam viderunt Joannes Evangeliſta & Juda Thaddæus.

1. [i] *Dies ſex*, inter medios à promiſſione ad transfigurationem. *Jacobum*, majorem qui ab Herode occiſus.

2. [k] *Transfiguratus eſt*, Arab. *manifeſtavit ſe*, Æth. *mutata ſunt ſpecies ejus*.

3. [l] *Moyſes*, quidam dicunt quòd propter hoc reſurrexerit, & ſic apparuit vivus, moriturus denuo ſtatim.

4. [m] *Reſpondens*, Hebraiſmus. in verba erumpens.

5. [n] *Obumbravit*, texit eos umbra ſuper capita eorum, in modum tentorii. *Ecce vox*, &c. cùm jam prophetæ evanuiſſent, ne dubium eſſet ad quem referretur.

10. [o] *Diſcipuli*, illi tres. *Primum venire*, dicebant Scribæ quòd Chriſtus non eſſet Meſſias, quia Elias venturus erat ante ipſum.

11. [p] *Elias*, verus. *Reſtituet*, Æth. *emundabit*, Arab. *docebit*. Reducendo reliquias Iſrael ad fidem.

12. [q] *Elias*, non perſonaliter, ſed Joannes in ſpiritu & virtute Eliæ. *Sed fecerunt in eo*, &c. ex quibus verbis patet incarcerationem Joannis a Scribis & Phariſæis procuratam.

14. [r] *Lunaticus eſt & male patitur*, Arab. *cum dæmone eſt, & vexatur valdè in principiis pleniluniorum*. Perſ. *in quem dæmonium poteſtatem obtinet, & graviſſimè laborat*. Miſere affligitur.

16. [ſ] *Diſcipulis*, qui ad radicem montis ſteterant dum Chriſtus cum tribus illis in cacumine verſaretur.

16. [t] *O generatio incredula*, &c. arguit incredulitatem patris & Judæorum aſtantium, patris, fidem non habentis diſcipulis, quos ut tyrones miraculorum reſpiciebat: diſcipulorum etiam, qui animo deprimebantur propter reſiſtentiam dæmonis, murmur ſpectantium, & inſultus ſcribarum. Denique & ſcribarum, qui diſcipulis perſuadere conabantur ipſos decipi à Chriſto, &c. hæc enim erat ratio tanti inter illos.

17. [u] *Increpavit*, exire imperans. *Illum*, dæmonem.

19. [x] *Incredulitatem*, fidei imperfectionem. *Sicut granum ſinapis*, &c. non hic ſermo de exiguitate, ſed de vi & virtute, fidem ſcili-

Digitized by Google

nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

Quoties ſit fratri in non peccanti condonandum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?

22. Dicit illi Jeſus: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque [a] ſeptuagies ſepties.

23. Ideò [b] aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.

24. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cùm autem non haberet unde redderet, juſſit eum dominus ejus [c] venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat & reddi.

26. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

27. Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.

28. Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei [d] centum denarios; & tenens, ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

29. Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit; ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conſervi [e] ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narraverunt domino ſuo, omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus ſuus: & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam [f] rogaſti me:

33. Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?

34. [g] Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum.

35. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

CAPUT XIX.

Docet matrimonium eſſe indiſſolubile.

1. ET factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ [h] trans Jordanem.

2. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.

3. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam, [i] quacumque ex cauſa?

4. Qui reſpondens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & [k] dixit:

5. [l] Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.

6. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.

7. Dicunt illi: [m] Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?

8. Ait illis: [n] Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.

9. Dico autem vobis, quia quicumque [o] dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.

10. Dicunt ei diſcipuli ejus: Si ita eſt, cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt [p] verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.

Laudat illos qui ſe caſtrarint propter regnum cœlorum.

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi qui [q] ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.

Parvulis manus imponit.

13. Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret & [r] oraret. Diſcipuli autem increpabant eos.

14. Jeſus verò ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: [ſ] talium eſt enim regnum cœlorum.

15. Et cùm impoſuiſſet eis manus, abiit inde.

Reſpondet quæſtioni cujuſdam adoleſcentis divitis.

16. Et ecce unus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17. Qui dixit ei: [t] Quid me interrogas de bono? unus eſt bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.

18. Dicit illi: Quæ? Jeſus autem dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falſum teſtimonium dices:

22. [a] *Septuagies ſepties*, ponitur numerus finitus pro indefinito, id eſt, toties quoties peccaverit, & præſertim ſi remitti ſibi petierit.

23. [b] *Aſſimilatum eſt*. ita ut ſe res habet in Eccleſia & regno meo, ut ſi rex quiſpiam, &c. *Ponere*, Syr. *recipere*, Perſ. *exigere*.

25. [c] *Venumdari*. liberi homines cum uxoribus & prole, ubi ſolvendo non eſſent, ſervi fiebant creditorum, moribus hebræis quod docemur, IV. Reg. cap 4. *Et reddi*, Syr Arab. *ut ſolveret*. Redderi debitum.

28. [d] *Centum denarios*, de denariis Romanis exponunt multi, qui denarius erat noſtræ monetæ octo aut decem aſſes.

31. [e] *Ejus*, Syr. *eorum*.

32. [f] *Rogaſti me*, ſupplex mihi factus es. Non enim rogaverat remiſſionem, &c. ſed dilationem tantùm.

34. [g] *Et iratus eſt*, &c. debuit ſervus ille propter ſævitiam mulctari pecunia ejus ſummæ, cujus prius acceperat remiſſionem. *Tortoribus*, carcere & tortoris, verberibus, pœniſque variis affligendum, ex jure antiquo Romanorum, cui tunc Judæi ſuberant.

1. [h] *Trans Jordanem*, referendum, non ad *fines* ſed ad *venit*. Chriſtus ergo à Galilæa profectus eſt per regionem Samaritanam, Luc. c. 9. indeque deflexit verſus Jordanem, eoque trajecto petrexit per viam ultra Jordanem, hoc eſt per Peræam, fines Judææ ab ortu. Hæc acta longo tempore poſt ſuperius dicta.

3. [i] *Quacumque ex cauſa*, ex eo enim quod Moyſes permiſerat dimittere uxorem propter fornicationem, Phariſæi dimiſſionem dimittebant quacumque ex cauſa.

4. [k] *Dixit*, per Adam.

5. [l] *Propter hoc*, quia fœmina ſumpta ex viro, & una caro cum illo. *Erunt*, fient. *Duo*, qui duo fuerant.

7. [m] *Quid*. Syr. Arab. Perſ. *quare*.

8. [n] *Quoniam Moyſes*, &c. juris erat relaxatio abuſuſque, permiſſuſque à Moyſe, non hunc probans, ſed ei frænum injiciens, eumque certis limitibus circumſcribens, ne ulterius evagaretur.

9. [o] *Dimiſerit* thoro & habitatione niſi *Ob fornicationem*, quod ad *dimiſerit*, referendum eſt, non ad *aliam duxerit*, idem ſenſus propoſitionis eſt ac hujus, qui jejunium violat ſine diſpenſatione & ſe inebriat, peccat: ex qua non concludendum, quod qui violat jejunium cum diſpenſatione & ſe inebriat, non peccet. *Dimiſſam*, ob fornicationem.

11. [p] *Verbum iſtud*, quod non expedit nubere.

12. [q] *Se ipſos caſtraverunt*, non in corpore ſed in ipſa concupiſcentiæ radice. *Capere*: approbare verbum de non ineundo matrimonio.

13. [r] *Oraret*, Arab. *oraret ſuper eos*.

14. [ſ] *Talium*, Syr. *eorum qui ſunt ſicut illi*. Non dicit, iſtorum, ſed, talium, id eſt, humilium ſimplicium, &c.

17. [t] *Quid me interrogas de bono?* Syr. Arab. Perſ. *quid me vocas bonum?* Cur interrogando appellas me bonum? ad Chriſtum enim ut ad purum hominem acceſſerat.

Digitized by Google

19. [a] Honora patrem tuum & matrem tuam: & diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

20. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi à juveoture mea, quid adhuc mihi deeſt?

21. Ait illi Jeſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſeqnere me.

22. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones.

Cujus occaſione dicit quàm ſit divitibus difficile intrare in regnum cœlorum.

23. Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia dives [b] difficilè intrabit in regnum cœlorum.

24. Et iterum dico vobis: [c] Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.

25. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit ſalvus eſſe?

26. Aſpiciens autem Jeſus, dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.

Explicat quid præmii conſequentur, qui relictis omnibus, ipſum ſecuti ſunt.

27. Tunc reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?

28. Jeſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me [d] in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.

29. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum [e] centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

30. [f] Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

CAPUT XX.

Parabolam proponit de operariis in vineam conductis.

1. [g] Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.

2. Conventione autem factâ cum operariis, ex [h] denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.

3. Et egreſſus circa [i] horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos:

4. Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa ſextam, & nonam horam: & fecit ſimiliter.

6. Circa undecimam verò exiit, & invenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hic ſtatis totâ die otioſi?

7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

8. Cùm ſero autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos.

9. Cùm veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt [k] ſingulos denarios.

10. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adverſùs patrem familias.

12. Dicentes: Hi noviſſimi [l] unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus.

13. At ille reſpondens [m] uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario conveniſti mecum?

14. Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus [n] nequam eſt, quia ego bonus ſum?

16. Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

Paſſionem ſuam Apoſtolis prædicit.

17. Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis:

18. Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & [o] condemnabunt eum morte,

19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ die reſurget.

Occaſione petitionis matris filiorum Zebedæi docet Diſcipulos quod non poteſtate, ſed officio miniſterii debeant inter ſe majores eſſe.

20. Tunc acceſſit ad eum [p] mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo.

21. Qui dixit ei: Quid vis? ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo.

22. Reſpondens autem Jeſus, dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis [q] bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? dicunt ei: Poſſumus.

19. [a] *Honora, &c.* vide apud Marcum c. 10. v. 25.

23. [b] *Difficile, &c.* per hanc ſententiam interpretandæ ſunt ſequentes.

24. [c] *Facilius eſt, &c.* locutio proverbialis apud Judæos, & Syros quâ ſignificarent aliquid valde difficile, tales multæ apud nos: ut cum dicimus, facilius ignem aquæ miſceas, quam illos conciliès. *Divitem*, divitiis confidentem.

28. [d] *In regeneratione*, reſurrectione generali, quæ dabit juſtis vitam novam. *Tribus Iſraël*, univerſas gentes, quæ per fidem in Chriſtum factæ ſunt veri filii Iſraël.

29. [e] *Centuplum*, quod non de bonis temporalibus intelligendum.

30. [f] *Multi primi erunt noviſſimi, &c.* quæ ſententia explicatur parabolâ ſequenti.

1. [g] *Simile eſt regnum, &c.* ſimile quid accidet in regno cœlorum, quale eſt quod fecit quidam paterfamilias.

2. [h] *Denario*, noſtræ monetæ octo aut decem aſſes.

3. [i] *Horam tertiam*, ad intelligentiam harum horarum, ſciendum Judæos noctem dividere in quatuor partes, ſive vigilias, & diem in quatuor partes, ſive horas, partes noctis in hieme longiores, in æſtate breves, ſicut horæ diei in æſtate longiores, in hieme breves, prima hora incipiebat oriente ſole, & prima atque tertia, id eſt, illa quæ incipiebat poſt tres horas, & quæ erat ſecunda pars diei: durabant uſque ad ſextam, id eſt, horam illam quæ incipiebat finitis ſex horis, & quæ ſemper incipiebat in meridie diei: ſexta verò continebat dimidium temporis poſt meridiem, id eſt, uſque ad nonam: quæ nona continebat, decimam, undecimam, duodecimam, uſque ad occaſum ſolis, quo occidente finitus erat dies.

9. [k] *Singulos denarios*, ſinguli denarium.

12. [l] *Una hora fecerunt*, operati ſunt.

15. [n] *Nequam*, invidus, id eſt, an tu invidus es, quia ego in alios

13. [m] *Uni*, loco omnium.

liberalis ſum? Locutio hebraica.

18. [o] *Condemnabunt*, reum mortis eſſe judicabunt, dicentes: *Nos legem habemus*, &c. ſententiam non judiciali poteſtate pronunciando, ſed præjudicio autoritatis ſuæ.

20. [p] *Mater filiorum Zebedæi*, nomine Salome. *Adorans & petens*, adorando petens, id eſt, tali vultu adorans, ut appareret eam petere velle.

22. [q] *Bibere calicem*, paſſionis & afflictionum mearum participes eſſe: per calicem enim in ſcripturis certa cujuſque ſors à Deo parata intelligitur ſive in bonum, ſive in malum. Locutio quippe eſt metaphorica ſumpta ex more antiquitus in epulis uſitato in quibus primus ex diſcumbentibus poculum aliis offerebat, &c. quod & adhuc in quibuſdam nationibus fieri ſolet.



Ἰησοῦς καθίζων SOLYMA.

Christs ri

Brun pinxit. Picart delin. *Bleswyck sculps.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

23. Ait illis: [a] Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dextram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.

24. Et audientes decem, indignati ſunt [b] de duobus fratribus.

25. Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos.

26. [c] Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter.

27. Et qui voluerit inter vos primus eſſe, [d] erit veſter ſervus.

28. Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.

Egrediens à Jericho duos cæcos ſanat.

29. Et egredientibus illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa:

30. Et ecce [e] duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt, quia Jeſus tranſiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David.

31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David.

32. Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis?

33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri.

34. Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

CAPUT XXI.

Jeſus ſuper aſinam ſedens, Jeruſalem cum triumpho ingreditur.

1. ET cùm appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti: tunc Jeſus miſit duos diſcipulos,

2. Dicens eis: Ite in [f] caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi.

3. Et ſi quis vobis aliquid dixerit: Dicite quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt [g] per prophetam dicentem:

5. [h] Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens, ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis.

6. Euntes autem Diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus.

7. Et adduxerunt aſinam, & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum [i] deſuper ſedere fecerunt.

8. [k] Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.

9. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, [l] hoſanna in altiſſimis.

10. Et cùm intraſſet Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic?

11. Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus propheta à Nazareth Galilææ.

12. Et intravit Jeſus [m] in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: — Negotiatores de templo ejicit.

13. Et dicit eis: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam [n] ſpeluncam latronum.

14. Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanavit eos. — Sanat cæcos & claudos.

15. Videntes autem principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio David, indignati ſunt, — Reſpondet Phariſæis de triumpho indignantibus.

16. Et dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis: Utique numquam legiſtis: Quia ex ore infantium, & lactentium [o] perfeciſti laudem?

17. Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique [p] manſit. — Diſcipulis de ficulnea verbo Chriſti areſacta mirantibus dicit quanta ſit fidei efficacitatis.

18. Manè autem revertens in civitatem, eſuriit.

19. Et videns fici arborem unam ſecus viam venit ad eam: & nihil invenit in ea niſi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuò ficulnea.

20. Et [q] videntes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuò aruit?

21. [r] Reſpondens autem Jeſus, ait eis: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet.

22. Et omnia quæcumque petieritis in oratio-

23. [a] *Calicem meum*, meo ſimilem. *Non eſt meum*, vide Marci c. 11. *Sed quibus*. &c. Syr. Arab. Perſ. Æth. *Niſi iis quibus*, &c. & hunc eſſe meliorem ſenſum fatentur interpretes.

24. [b] *De duobus*, Syr. *adverſum duos*.

26. [c] *Non ita erit*, non quòd prohibeat principatum & præeminentiam ſed modum illius exercendæ explicat.

27. [d] *Erit*, ſit.

30. [e] *Duo cæci*, duo curati ſunt, unus in ingreſſu, alter in egreſſu è Jericho, quos confundit Matthæus. Marcus vero locutus eſt de ultimo, & Lucas de primo.

2. [f] *Caſtellum*, Syr. *vicum*, Perſ. *pagum*, Æth. *civitatem*. *Contra vos*. Syr. *vobis è regione*, Perſ. *è regione veſtri*.

4. [g] *Per prophetam*, refertur ſenſus prophetæ non verba.

5. [h] *Dicite*, nuntiate. *Filia Sion*, Hebraiſm. habitatoribus Sion, id eſt, Jeruſalem. *Subjugalis*, aſſuetæ ferre jugum.

7. [i] *Deſuper*, veſtimenta.

8. [k] *Plurima turba*, plurimi è turba.

9. [l] *Hoſanna*, Perſ. *laus*. *Hoſanna filio David*, ſalutem affer filio David. *In altiſſimis*, de altiſſimis, exceperunt autem Chriſtum cum ramis palmarum, quem ut Meſſiam promiſſum habebant in ſignum ſolemnis lætitiæ: ſicut in nova dedicatione templi ſub Haſmonæis eadem publicæ lætitiæ ſigna uſurpata legimus, 1. Mach. c. 13. & 11. c. 10.

12. [m] *In templum*, atrium extimum quod dicebatur prophanum, &c. *Numulariorum*, ſeu numulariis, non tam unam pecuniæ ſpeciem cum alia commutabant, quàm pecuniam in uno loco penſicatam, in alio loco, verbi gratiâ Jeroſolymæ, reddebant ut viatores & moleſtia portandæ pecuniæ, & periculo ejus amittendæ levarent, unde lucrum percipiebant. *Ejiciebat ... evertit*. Hoc fecit Chriſtus jure zelotarum, quod à Judæis agnitum erat, tanquam à Moyſe traditum & firmatum exemplo illo, Num cap. 25. & 1. Mach. c. 2. quo jure Hebræo cuicumque privato zelo ducto, licitum erat, homini ſanctitatem, ſive Dei, ſive templi, ſive gentis palam violanti, & in ipſo facinoris momento deprehenſo, ſupplicium capitale infligere, alioquin, Scribæ ſtatim Chriſtum reum egiſſent de vi publica.

13. [n] *Speluncam latronum*, quia cum avaritia, mendaciis, fraudibus, & conſequenter inopum deſpoliatione conjuncta erant hæc omnia.

16. [o] *Perfeciſti*, Syr. *direxiſti*, Arab. *paraſti*. Perfectam & abſolutam oſtendiſti.

17. [p] *Manſit*, Syr. *pernoctavit*.

20. [q] *Videntes*, poſtridie manè.

21. [r] *Reſpondens*, Hebraiſmus, locutus eſt. *Fidem* miraculorum.

Digitized by Google



Matth. XXII, 19.

Δηνάριον τῷ Χριςῷ δεικνύεται.
The tribute money offered to Christ.
Die Zinß-müntze an Christus gewieſen.

NUMISMA CENSUS CHRISTO OBLATUM.
On montre un Denier à Jesus Christ.
Schattingpenning aan Christus vertoont.

Picart delin.

NAPOL

non habens veſtem nuptialem ? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit rex miniſtris : Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in [a] tenebras exteriores : ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

14. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

Tentatur Jeſus à Phariſæis de cenſu dando Cæſari.

15. Tunc abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt ut caperent eum in ſermone.

16. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum [b] Herodianis, dicentes : Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo : non enim reſpicis perſonam hominum :

17. Dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet [c] cenſum dare Cæſari, an non ?

18. Cognitâ autem Jeſus nequitiâ eorum, ait : Quid me tentatis hypocritæ ?

19. Oſtendite mihi numiſma [d] cenſus. At illi obtulerunt ei denarium.

20. Et ait illis Jeſus : Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio ?

21. Dicunt ei : [e] Cæſaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari : & quæ ſunt Dei, Deo.

22. Et audientes, mirati ſunt, & relicto eo abierunt.

Tentatur à Sadducæis de reſurrectione mortuorum quam veram eſſe probat.

23. In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem : & interrogaverunt eum,

24. Dicentes : Magiſter, Moyſes dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & [f] ſuſcitet ſemen fratri ſuo.

25. Erant autem apud nos ſeptem fratres, & primus uxore ductâ defunctus eſt, & non habens ſemen, & reliquit uxorem ſuam fratri ſuo.

26. Similiter ſecundus, & tertius uſque ad ſeptimum.

27. Noviſſime autem omnium : & mulier defuncta eſt.

28. [g] In reſurrectione ergo cujus erit de ſeptem uxor ? omnes enim habuerunt eam.

29. Reſpondens autem Jeſus, ait illis : Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei.

30. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur : ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo.

31. De reſurrectione autem mortuorum, non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis :

32. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob ? non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.

33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.

Interrogatur à legis doctore de maximo legis mandato.

34. Phariſæi autem audientes, quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum.

35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum :

36. Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege ?

37. Ait illi Jeſus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

38. Hoc eſt maximum, & primum mandatum.

39. Secundum autem [h] ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

40. In his duobus mandatis, [i] univerſa lex pendet & prophetæ.

Ipſe interrogat Phariſæos cujus filius ſit Chriſtus.

41. Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus,

42. Dicens : Qoid vobis videtur de Chriſto ? cujus filius eſt ? Dicunt ei : David.

43. Ait illis : Quomodo ergo David [k] in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens :

44. Dixit Dominus [l] Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.

45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt ?

46. Et nemo poterat ei reſpondere verbum : neque auſus fuit quiſquam ex [m] illa die eum amplius interrogare.

CAPUT XXIII.

Scribis & Phariſæis ſuper cathedram Moyſis ſedentibus, præcipit Jeſus ut populi obediant, opera verò eorum non imitentur, quorum hypocriſim & ambitionem retegit.

1. TUnc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos.

2. Dicens : [n] Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.

3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite : ſecundùm opera verò eorum, nolite facere : dicunt enim, & non faciunt.

4. [o] Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum : digito autem ſuo nolunt ea movere.

5. Omnia verò opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus : [p] dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.

6. Amant autem primos recubitus in cœnis,

13. [a] *Tenebras exteriores*, extra locum convivii, ubi multa erant lumina, noctu enim fiebat, vide ſupra c. 8.

16. [b] *Herodianis*, Syr. *domeſticis Herodis*, Æth. *hominibus*, Perſ. *affeclis Herodis*. Miniſtris ab Herode conſtitutis ut exigerent vectigalia à Romanis impoſita. Tunc Herodes Antipas Jeroſolymis erat propter inſtantem Paſchalem ſolemnitatem.

17. [c] *Cenſum*, qui impoſitus fuerat à viginti duobus annis quando Judæa quæ jam à tempore Pompeii tributaria Romanis facta eſt. Joſeph. ant. l. XIV. c. 14. & de bello l. I. c. 5. poſtea juſſu Auguſti redacta fuerat à Quirinio in provinciam Romanam. Solvebatur autem cenſus à viris à decimo quarto anno ad 65. & à feminis à duodecimo.

19. [d] *Cenſus*, quod ſolet pro cenſu dari. *Denarium*, ſeptem aut octo aſſes noſtræ monetæ, vide c. 20. v. 2.

21. [e] *Cæſaris*, Tiberii, jam decimum octavum annum imperantis. *Reddite*, quia uſu pecuniæ à Cæſare cuſæ, teſtabantur ſe illius imperio eſſe ſubjectos.

24. [f] *Suſcitet ſemen*, quod fiebat vocando primum natu ex ſecundo conjugio nomine prioris mariti.

28. [g] *In reſurrectione*, Perſ. *dies reſurrectionis*. Æth. *ſi igitur ſuſcitabuntur mortui*.

39. [h] *Simile*, velut effectus ex cauſa.

40. [i] *Univerſa lex pendet & prophetæ*, Perſ. *lex & prophetæ comprehenſi ſunt*.

43. [k] *In ſpiritu*, motus à Spiritu ſancto, & per ejus gratiam.

44. [l] *Dominus*, Deus. *Domino*, Meſſiæ.

46. [m] *Illa die*, tertiâ ante diem paſſionis.

2. [n] *Super Cathedram*, per Cathedram intelligitur autoritas docendi & præcipiendi, ut interpretes legis Moſaicæ, & ſcripturarum. *Sederunt*, Perſ. *ſedent ſucceſſione & miniſterio*.

4. [o] *Alligant*, metaphora à jumentis ſumpta, quibus imponi & alligari ſolent ſarcinæ.

5. [p] *Dilatant*, lata faciunt. *Phylacteria*. Membranæ erant, quibus Phariſæi ſcripturam geſtabant in fronte & brachiis. Deut. c. 6. c. 8. quæ excerpta erant ex c. 13. Exod. à v. 13. ad 19. & ex c. 6. Deut. à v. 5. ad 10. item ex c. 11. à v. 13. ad 22. *Magnificant*. Syr. Arab. *producunt*. Magnas faciunt. *Fimbrias*, funiculos hyacinthinos quos

Digitized by Google

& primas cathedras in ſynagogis,

7. Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus [a] Rabbi.

Diſcipulos ſuos humilitatem docet.

8. Vos autem [b] nolite vocari Rabbi: unus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.

9. Et [c] patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.

10. Nec vocemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus.

11. Qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter.

12. Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.

Multiplicia væ Phariſæis ob iniquitates eorum interminatur.

13. Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec [d] introëuntes ſinitis intrare.

14. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc [e] amplius accipietis judicium.

15. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis eum [f] filium gehennæ duplo quàm vos.

16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit [g] in auro templi, debet.

17. Stulti & cæci: Quid enim majus eſt aurum an templum, quod [h] ſanctificat aurum.

18. [i] Et quicumque juraverit in altari, nihil eſt: quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet.

19. Cæci: Quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo.

22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.

23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: qui [k] decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.

24. Duces cæci, [l] excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ.

26. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt mundum.

27. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ.

28. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.

29. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum,

30. Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum.

31. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia [m] filii eſtis eorum, qui prophetas occiderunt.

32. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.

33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?

34. [n] Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem.

35. [o] Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare.

36. Amen dico vobis, [p] venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.

37. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?

38. Ecce relinquetur vobis domus veſtra [q] deſerta.

39. Dico enim vobis, non me videbitis [r] amo-

veſtium extremitatibus appenſas geſtabant, in legis memoriam, carnaliter intelligentes illud, Num. c. 15. v. 38. Deut. c. 22. v. 12.

7. [a] *Rabbi*, Domine, Magiſter: quod nomen tribuebatur viris eruditione, vel dignitate ſublimibus.

8. [b] *Nolite vocari*, &c. honoris affectationem ſolummodo prohibet.

9. [c] *Patrem*, ſic à Diſcipulis vocabantur doctores. *Unus*, eſſentialiter.

13. [d] *Introëuntes*, ingredi volentes. Non ſolùm in me non creditis, ſed alios exemplo veſtro, doctrinâ, minis, &c. à fide abducitis.

14. [e] *Amplius*, gravius. *Judicium*, pœnas.

15. [f] *Filium gehennæ*, Hebraiſm. gehennæ debitum, devotum. *Duplo*, quia majori zelo Judaiſmum profitebantur, atque adeo doctrinæ Chriſti infenſiores erant, vel ad exaggerationem hoc dicit, quòd proſelyti eſſent peſſimi.

16. [g] *In*, Syr. Arab. Perſ. *per*, & ſic poſteà. *Auro templi*, per pecuniam in templo oblatam.

17. [h] *Sanctificat*, facit ut Deo oblatum, ſanctum haberi.

18. [i] *Et quicumque*, &c. hæc præ avaritia dicebant, ut ſic homines moti ſanctitate donorum, & ſacrificiorum, ad illa offerenda promptiores fierent.

23. [k] *Decimatis*, decimas ſolvitis. *Fidem*, erga proximum, &c.

24. [l] *Excolantes culicem*, &c. proverbialis locutio, in minimis ſuperſtitioſi, maxima negligentes.

31. [m] *Filii eſtis eorum*, &c. quorum malitiam æmulamini, ipſum enim quærebant interficere. Sed infra de ſe tacens loquitur de prophetis à ſe eos miſſis, Apoſtolis & aliis prædicatoribus veritatis.

34. [n] *Ideo*, quia eſtis genimina viperarum, & implevitis menſuram patrum veſtrorum.

35. [o] *Ut veniat*, ita ut venturus ſit. *Veniat ſanguis*, his verbis exprimere vult gravitatem ſupplicii illorum. *Sanguis*, vindicta pro ſanguine. *Zachariæ filii Barachiæ*, aliter *Joiadæ occiſi à rege Joas*, II. Par. c. 24. Barachias enim idem eſt hebraicè ac Benedictus Domini. Abel autem & Zachariam nominat, quia cùm de vindicta ſanguinis innocenter fuſi agatur, illam ſcriptura diſertis verbis annotet, in Abel. Gen. c. 3. *Ecce vox ſanguinis fratris clamat*, &c. & in Zacharia, II. Paral. c. 24. *Videat Dominus & requirat*, fortè Zacharias eſt filius Baruch de quo Joſeph. lib. V. de bello Jud. c. 1. occiſus in atrio ante noviſſimam obſidionem Jeroſolymitanam à Judæis zelatis, licèt à Septuaginta judicibus fuiſſet unanimiter abſolutus. Duobus his exemplis complectitur Chriſtus duo tempora ante legem & ſub lege, ut ita ſignificaret ſanguinem omnem juſtum effuſum à condito mundo ad ſua uſque tempora: agit enim Deus cum populis quemadmodum, cum homine uno, cui Deus ſæpiſſimè prima peccata diſſimulat, à quibus ſi non ſe avertat, tandem & priora & ultima punit, &c. & ſic cum populis, &c. *Inter templum & altare*, in medio domus ſanctæ. *Altare*, holocauſtorum in atrio.

36. [p] *Venient hæc omnia*, quadraginta annis poſt hanc prædictionem, capta Jeruſalem à Romanis, &c.

38. [q] *Deſerta*, Arab. *deſtructa*, Perſ. *domus veſtra deſolata ac diruta erunt*.

39. [r] *Amodo*, poſt breve tempus. *Donec dicatis: Benedictus*, &c.



Matth. XXIII. 27.

Ιησοῦς γραμματεῦσι καὶ φαρισαίοις προσειπών. | JESUS AD SCRIBAS ET PHARISAEOS.
Jesus upraideth the Scribes and Pharisees. | Jesus parlant aux Scribes & aux Pharisiens.
Jeſus ſpricht zu den Schriftgelehrten und Phariſeern | Jeſus tot de Schriftgeleerden en Fariſeen.

NAPOLI

do, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAPUT XXIV.

Prædicit Chriſtus everſionem templi & Jeruſalem, atque finem ſæculi.

1. ET egreſſus Jeſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei [a] ædificationes templi.

2. Ipſe autem reſpondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

3. Sedente autem eo ſuper montem Oliveti, acceſſerunt ad eum diſcipuli [b] ſecretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi.

4. Et reſpondens Jeſus, dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat.

5. Multi enim venient [c] in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.

6. Audituri enim eſtis prælia, & [d] opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis.

7. [e] Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus per loca.

8. Hæc autem omnia [f] initia ſunt dolorum.

9. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum.

19. Et tunc [g] ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.

11. Et multi pſeudo-prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.

12. Et quoniam abundavit [h] iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.

13. Qui autem [i] perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, [k] in teſtimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet conſummatio.

15. Cùm ergo videritis [l] abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat.

16. [m] Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes;

17. [n] Qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua:

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam ſuam.

19. [o] Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

20. Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hieme, vel [p] ſabbato.

21. Erit enim tunc [q] tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet.

22. [r] Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.

23. [ſ] Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere.

24. Surgent enim pſeudo-Chriſti, & pſeudo-prophetæ: & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur [ſi fieri poteſt] etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.

27. [t] Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem: ita erit, & adventus Filii hominis.

28. [u] Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

donec filii veſtri, inſtante ſecundo adventu, me verum Meſſiam agnoſcant & prædicent. Vel, inviti cogantur agnoſcere gloriam meam.

1. [a] *Ædificationes*. Perſ. *ſtructuram.*

3. [b] *Secretò*, Æth. *privatim.*

5. [c] *In nomine meo*, nomen meum uſurpantes. Sub apoſtolorum perſona alloquitur Chriſtus fideles omnes. Horum autem ſignorum, quædam propria ſunt excidio rerum Judaicarum, quædam propria ruinæ totius univerſi, quædam communia utrique, ut hoc ſignum de quo agitur.

6. [d] *Opiniones*, Syr. Æth. *rumorum. Finis*, ſive Jeruſalem, ſive mundi.

7. [e] *Conſurget*, &c. narrat Joſeph. lib. II. de bello Jud. cap. 18. & 19. ante excidium Jeroſolymæ, Judæos conſurrexiſſe in Samaritanos, Romanos, Syros, rurſum Cæſarienſes, Scythopolitas, Aſchalonitas, Ptoleoicules, Alexandrinos, Damaſcenos in Judæos c. 19. an. 21. 25. totiuſque Syriæ regna in gentem Judaicam. *Peſtilentia*, filiæ belli, peſtis. *Fames*, ante vaſtatam Jeroſolymam, de qua act. c. 11. Joſeph. lib. XX. ant. c. 2. 3. *Terræ motus*, teſtis Euſebius in Chron. regnante Nerone terræ motus Romæ & ſolis defectio. Tres urbes in Aſia concidiſſe terræ motu dicit Joſeph. lib IV. de bell. Jud. c. 7. terræ motum accidiſſe Idumæis prope Jeroſolymam caſtrametantibus, idem Joſeph. lib. I. c. 14. *Per loca*, Arab. *certis locis.*

8. [f] *Initia dolorum*, calamitatum quæ evenient ante ruinam Jeruſalem & templi, quas deſcribunt Joſephus in hiſtoria Judaica & Tacitus in Romana.

10. [g] *Scandalizabuntur*, Syr. *impingent*, Æth. *prævaricabuntur.*

12. [h] *Iniquitas*, crudelitas perſequentium, ſcandala deficientium, errores malè docentium.

13. [i] *Perſeveraverit*, Perſ. *patientiam egerit*, Æth. *continuaverit tolerantiam ſuam*, firmus in fide fuerit.

14. [k] *In teſtimonium omnibus Gentibus*, Æth. *Ut ſit teſtimonio ſuper omnes gentes.* Teſtimonium ſalutis a Deo per me Chriſtum mediatorem obtinendæ, ſi hoc Evangelium gentes amplexæ fuerint, perditionis verò ſi non amplexæ. Hucuſque ſigna communia. *Conſummatio*, excidium Jeruſalem.

15. [l] *Abominationem deſolationis*, Syr. *portentum immundum vaſtationis*, hoc ſignum eſt conſummationis templi & Jeruſalem. *Deſolationis*, quæ deſolationem ſecum trahit: hoc non poteſt intelligi de ſtatue Tiberii poſita in templo à Pilato, nec de ſtatua Adriani, nam Pilatus illam poſuerat initio præfecturæ ſuæ, & conſequenter antequam Chriſtus hæc diceret: Adrianus autem diu poſt excidium Jeruſalem vixit, cujus tamen excidendæ hîc ſigna dantur:

ſed agitur de ingenti illa Latronum manu, de qua Joſeph. lib. IV. de bel. Jud. c. 5. qui locum ſanctum tot cædibus polluerunt, lib VI. c. 1. 4. & ultimo: hi verò zelotæ dicebantur. Confirmant hunc ſenſum verba Lucæ c. 21. *Cum videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*, ſub ceſtio ſcilicet, quæ verba non deſignant abominationem ipſam, ſed tempus quo appaſitura erat, & quo deberent de fuga cogitare. *Quæ dicta eſt à Daniele*, vaticinium Danielis pertinet ad tempora Antiochi, &c. unde quæ, id eſt, qualis, hæc ſcilicet ſimilis erit illi, aut gravior.

16. [m] *Tunc*, initio motuum à Zelotis. *Montes*, loca tutiora & firmiora: Obedientes huic monito Chriſtiani migrarunt transfluvium in urbem Pellam regis Agrippæ ex Euſebio lib. III. hiſt. c. 5. Epiphanio hæreſi 29.

17. [n] *Qui in tecto*, tecta plana erant, in quæ aſcendi erat per gradus qui extra domum erant, quod confirmatur ea hiſtoria Paralytici de qua Marci c. 2. & Lucæ c. 5. *Non deſcendat*, &c. locutio eſt hyperbolica, qua feſtinatio fugæ præcipitur.

19. [o] *Væ nutricibus*, apud Joſephum ant lib. XIV. miſerabilis deſcriptio mulierum cum infantibus fugientium.

20. [p] *Sabbato*, loquitur juxta vulgarem opinionem Judæorum. Senſus ſimplex, orate ut nihil ſit impedimento fugæ veſtræ.

21. [q] *Tribulatio magna*, &c. hoc reſtringendum ad Judæam & Jeruſalem, ut patet ex Luca: diluvium enim tempore Noë, & univerſale excidium hominum, mundo finiente, alias tribulationes omnes excedunt.

22. [r] *Et niſi breviati fuiſſent dies illi*, fame intus omnes periiſſent, ſi belli tempus longius fuiſſet. *Electos*, Judæi fidem Chriſti profeſſi ante bellum Romanorum. Huc uſque agitur de everſione Jeruſalem, non de Antichriſto aut conſummatione ſæculi.

23. [ſ] *Tunc*, omne tempus comprehendit ab excidio Jeruſalem uſque ad ſecundum Chriſti adventum; tranſit enim Chriſtus ad tertiam quæſtionem, quæ mixta erat quæſtioni de ruina templi & excidii Judaicæ gentis, quia Judæi hæc prima duratura putabant uſque ad finem mundi, v. 24. 25. 26.

27. [t] *Sicut enim fulgur*, &c. ait Chriſtus non eſſe cur hoc aut illo loco peculiariter quæratur regnum ſuum, cum uno velut ictu pervaſurum ſit per omnes terrarum oras, &c.

28. [u] *Ubicumque*, &c. ubicumque fuero ſtatim agnoſcar ab electis præſentiæque meæ ſentient virtutem, ſtatim in nubibus obviam mihi alacres convolabunt, ſicut aquilæ cùm odorantur cadaver. *Corpus*, Syr. Arab. *cadaver*, Æth. *certamen. Aquilæ*, Perſ. *vultures*, non erit iis qui ſeductioni pſeudo-prophetarum dederint aurem, pœnitentiæ tempus, adventus enim erit ut fulgur, &c. ſed ubi fuerit

29. Statim autem poſt tribulationem [a] dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur:

30. Et tunc parebit [b] ſignum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majeſtate.

31. Et mittet angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt [c] electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.

32. Ab arbore autem fici diſcite [d] parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas.

33. Ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote quia [e] propè eſt in januis.

34. Amen dico vobis, quia non præteribit [f] generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

35. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non [g] præteribunt.

36. De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, niſi [h] ſolus Pater.

37. [i] Sicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus Filii hominis.

38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noë in arcam,

39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.

40. Tunc duo erunt in agro, unus [k] aſſumetur, & unus relinquetur.

41. Duæ molentes in mola una [l] aſſumetur, & una relinquetur.

Docet vigilandum eſſe, propoſita parabola de fideli ac malo ſervo, & de fure ac patre familias.

42. Vigilate ergo, quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.

43. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias quâ horâ fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret [m] perfodi domum ſuam.

44. Ideo & vos eſtote parati: quia quâ neſcitis horâ Filius hominis venturus eſt.

45. [n] Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore.

46. Beatus ille ſervus, quem cùm venerit dominus ejus, invenerit ſic facientem.

47. Amen dico vobis: Quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

48. Si autem dixerit [o] malus ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire:

49. Et cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem, & bibat cum ebrioſis:

50. Veniet dominus ſervi illius, in die quâ non [p] ſperat, & horâ quâ ignorat:

51. Et [q] videt eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & ſtridor dentium.

CAPUT XXV.

Parabolam proponit Jeſus de decem virginibus, &c.

1. [r] TUnc ſimile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo & ſponſæ.

2. Quinque autem ex eis erant [s] fatuæ, & quinque prudentes:

3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum:

4. Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.

5. Moram autem faciente ſponſo, [t] dormitaverunt omnes, & dormierunt.

6. Mediâ autem nocte [u] clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei:

7. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & [x] ornaverunt lampades ſuas.

8. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: [y] quia lampades noſtræ extinguuntur.

9. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.

10. Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua.

11. Noviſſime verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

12. At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, neſcio vos.

13. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.

14. Sicut enim homo peregre proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & [z] tradidit illis bona ſua.

De talentis distributis ſervis ſuis à

corpus mortuum, id eſt reprobatos aliquis, ſtatim aquilæ aves carnivoræ, id eſt, dæmones congregabuntur, &c. melius, locutio proverbialis, quâ utitur ut ſonuat Judæos in quocumque loco ab inimicis vexandos & diripiendos.

29. [a] *Dierum* antichriſti. *Stellæ cadent*, videbuntur cadere quia non dabunt lumen amplius. *Virtutes*, aaes. fundamenta cœlorum, &c. His verbis deſignat extremam & totalem vaſtationem Judæorum.

30. [b] *Signum*, quo Chriſtus omnibus notus eſt, crux ſcilicet. *Plangent*, pœnitentiâ moti.

31. [c] *Electos*, & reprobos. *Summis*, Syr. *extremo*.

32. [d] *Parabolam*, ſimilitudinem.

33. [e] *Propè in januis*, locutio proverbialis, de re quæ in promptu eſt, Gen. c. 4. v. 7. Jac. Epiſt. c. 5. v. 9. ſupplendum *regnum Dei*.

34. [f] *Generatio hæc*, ſi exponatur de genere Judæorum tunc viventium. Hæc omnia referenda ſunt ad ea quæ pertinent ad excidium Jeruſalem.

35. [g] *Præteribunt* irrita, potius deficient cœlum & terra, quàm verba mea effectum non habeant.

36. [h] *Solus pater*, quia non neſcit Chriſtus ex eo quod eſt homo, ſed in quantum Deus eſt.

37. [i] *Sicut autem*, &c. hoc etiam poteſt exponi de obſidione Jeruſalem quæ ex improviſo accidit.

40. [k] *Non cognoverunt*, cognoſcere, credere noluerunt.

41. [l] *Aſſumetur, relinquetur* a Chriſto, hic ſignificare vult ex omni hominum genere, ſocietate, & conditione, alios fore electos, alios reprobos. Secundùm litteram alludit ad hiſtoriam Loth, de qua Luc. c. 17. vel, tam ſubitanea & improviſa erit irruptio Romanorum ut nullus poſſit alteri auxilio eſſe.

43. [m] *Perfodi domum ſuam*, ſupplendum eſt, *ſed quia illud non poteſt ſciri, hinc ei ſemper vigilandum eſt.*

45. [n] *Quis ſervus*, quem conſtituit, fidelis & prudens.

48. [o] *Malus ſervus ille*, infidus factus.

50. [p] *Sperat*, expectat.

51. [q] *Dividet eum*, Perſ. *& eum à ſe ſeparabit*, ab officio amovebit. *Partem ponet*, ſortem dabit, puniet. *Hypocritis*, infidis ſervis, fictis, &c. vide c. 13. v. 42.

1. [r] *Tunc*, in ſubitaneo illo meo adventu ad judicandum mundum. *Simile erit*, &c. ſimile quid accidet in regno Dei, &c. *Accipientes lampades*, non ut noſtræ, ſed erant lanternæ ligneæ ita diſpoſitæ, ut per infuſionem olei ignis accenderetur. *Exierunt*, anticipatio eſt, nam quando in occurſum iverint dicitur infra. Nuptiæ nocte celebrari ſolitæ erant: puellæ verò conveniebant domum ſponſæ ibique unà cum illa operiebantur adventum ſponſi, ſingulæ lampadibus ardentibus inſtructæ erant, quo cum apparatu, ſponſo ædibus appropinquanti obviam non nihil procedebant, & denique ſponſum mox domum ſuam deducentem ſponſam comitabantur, eiſque honoris causâ lampades & lumen præferebant, ex quibus patet quod verbum *ſponſæ*, abundet, deeſt etiam in græca verſione.

2. [s] *Fatuæ*, ex eo quod dicitur v. 3.

5. [t] *Dormitaverunt*, Æth. *nictarunt*, quod accidit iis qui in longam vigiliam protrahunt.

6. [u] *Clamor*, à præcedentibus comitibus ſponſi.

7. [x] *Ornaverunt*, Syr. *præparaverunt*.

8. [y] *Quia ... extinguuntur*, Syr. *ecce enim extinctæ ſunt*. Arab. *ut ne extinguantur*.

14. [z] *Tradidit illis bona ſua*, Æth. *dedit eis bona negotiari*, ſupplendum, *ita aget Filius hominis.*

domino peregrè proficiſcenti.

25. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique [a] ſecundùm propriam virtutem: & profectus eſt ſtatim.

16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque.

17. Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.

19. Poſt multum verò temporis venit dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis.

20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.

21. Ait illi dominus ejus: [b] Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.

22. Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum.

23. Ait illi dominus ejus: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio, quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti:

25. Et timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt.

26. Reſpondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male & piger, ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi.

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura.

28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.

29. [c] Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

30. Et inutilem ſervum ejicite in [d] tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium.

Agit de judicio extremo & de cauſis pręmiationis bonorum & punitionis malorum.

31. Cùm autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ.

32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & [e] ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis.

33. Et ſtatuet oves quidem à [f] dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.

34. Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.

35. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me:

36. Nudus & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram & veniſtis ad me.

37. Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum & cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

40. Et reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, [g] quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

41. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.

42. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum:

43. Hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me.

44. [h] Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi.

45. Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.

46. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.

CAPUT XXVI.

Loquitur Chriſtus diſcipulis de Paſcha, & de ſua crucifixione

1. ET factum eſt: Cùm conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes, [i] dixit diſcipulis ſuis:

2. Scitis quia [k] poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3. [l] Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas.

Concilium ineunt principes ſacerdotum de illo occidendo.

4. Et conſilium fecerunt ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent.

5. Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus [m] fieret in populo.

6. [n] Cùm autem Jeſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi.

Unguento pretioſo à muliere perfunditur, murmurantibus diſcipulis, at ipſe factum mulieris laudat.

7. Acceſſit ad eum mulier habens [o] alabaſtrum

15. [a] *Secundùm propriam virtutem*. Arab. *juxta menſuram virium ſuarum.*

21. [b] *Euge*, Syr. Arab. *bene eſt.* *Intra in gaudium*, ſis ejuſdem gaudii particeps, quod de introductione ad nuptias exponi poteſt.

29. [c] *Omni enim*, &c. vide c. 13. v. 12.

30. [d] *Tenebras exteriores*, extra cœnaculum nuptiarum, quæ nocte celebrabantur, quo ſignificatur locus ſupplicii, ubi perpetuæ tenebræ, &c.

32. [e] *Separabit*, non gentes integras, ſed homines ſingularum gentium: ſicut paſtor reverſus ab agro, in diverſis ſtabulis collocat, quæ per diem fuerunt ſimul in agro.

33. [f] *Dextris*, metaphoricè, obviam ſibi in aëra. *Siniſtris*, ſuper terram.

40. [g] *Quandiu*, in quantum. *Minimis*, abjectis, pauperibus.

44. [h] *Tunc reſpondebunt*, &c. hæc dicunt non ſe excuſando, ſed judicem accuſando.

1. [i] *Dixit*, die Martis, aut Mercurii ante paſſionem.

2. [k] *Poſt biduum paſcha*, quod juxta præceptum legis intelligendum. *Paſcha*, quartum à baptiſmo & miniſterio Chriſti.

3. [l] *Tunc*, non eodem die ſed immediate ſequenti, ſi quæ prius dicta ſunt die Martis, melius, die Mercurii veſpere. *Princ. et Sacerdotum*, contra legem, illos quotannis mutabant, atque ideo illos qui fuerant in tempore ſuo ſummi ſacerdotes: vel, fortè principes viginti quatuor familiarum de quibus 1. Par. c. 24. *Seniores*, magiſtratus, hi omnes Sanhedrin conſtituebant. *Principis*, Syr. *ſummi*, Perſ. *qui maximus ſacerdotum erat.*

5. [m] *Fieret*, Syr. Arab. *fiat.*

6. [n] *Cùm eſſet*, ſex diebus ante paſcha, ut ex Joanne c. 12. *Simonis*, non idem qui Lucæ c. 7. nam Lucæ factum in Galilæa, hoc Bethaniæ prope Jeruſalem. *Leproſi*, ſive quòd olim talis fuerit, ſive quòd hoc nomen à majoribus acceperit.

7. [o] *Alabaſtrum*, vas factum de alabaſtro. *Effudit*, vide Marci c. 14. v. 3.

unguenti pretioſi, & effudir ſuper caput ipſius recumbentis.

8. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes: Ut quid perditio hæc?

9. Potuit enim iſtud vænumdari multo, & dari pauperibus.

10. Sciens autem Jeſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me.

11. Nam ſemper pauperes [a] habetis vobiſcum; me autem non ſemper habetis.

12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum,[b] ad ſepeliendum me fecir.

13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, [c] dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.

Venditur à Juda.

14. [d] Tunc abiit uous de dúodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad principes ſacerdotum:

15. [e] Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtitueruot ei triginta argenteos.

16. Et exinde quærebat [f] opportunitatem ut eum traderet.

Paſcha comedens de ſua proditione diſcipulos alloquitur.

17. [g] Primâ autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?

18. At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad [h] quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.

19. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha.

20. Veſperè autem facto, [i] diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis.

21. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt.

22. Et contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum, Domine?

23. At ipſe reſpondens, ait: [k] Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptuor eſt de illo: Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: [l] bonum erat ei, ſi natus oon fuiſſet homo ille.

25. Reſpondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum Rabbi? Air illi: [m] Tu dixiſti.

Panem in corpus ſuũ, & vinum in ſanguinem, conſecrata tradit diſcipulis.

26. [n] Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum.

27. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.

28. Hic eſt enim ſanguis meus [o] novi teſtameoti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

29. [p] Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc geoimine vitis, uſque io diem illum cùm illud bibam vobiſcum novum io regno Patris mei.

Prædicit omnes ſcandalizandos, trinamque negationem Petri.

30. Et [q] hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

31. Tunc dicir illis Jeſus: Omnes vos [r] ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.

32. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.

33. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor.

34. Ait illi Jeſus: Ameo dico tibi, quia in hac oocte antequam [ſ] gallus cantet, ter me negabis.

35. Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.

Poſt trinam orationem capitur à Judæis.

36. Tuoc venit Jeſus cum illis in villam quæ dicitur Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic donec vadam illuc & orem.

37. Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi cœpit contriſtari & mœſtus eſſe.

38. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: [t] ſuſtinete hic, & vigilate mecum.

11. [a] *Habetis*, Syr. *habebitis*.

12. [b] *Ad ſepeliendum*, Syr. *tanquam ad ſepeliendum*. Hoc facto præfiguravit ſepulturam Domini mox futuram. Nullam atteotionem fecit ſed egit pro more Judæorum, qui in ſolemnioribus conviviis, vocatos hoſpites unguento, vel oleo perfundere ſoliti erant.

13. [c] *Dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus*, Æth. *legent quod fecit illa, & in memoria habebunt illam*, Perſ. *& illud etiam quod hæc mulier fecit, in memoriam ejus narrabitur*.

14. [d] *Tunc*, cùm principes ſacerdotum congregati, vel, ſtatim poſt cœnam apud Simonem. *Iſcariotes*, a pago Iſcarioth in tribu & familia Iſſachar. Vide cap. 10.

15. [e] *Et ait illis*, &c. veriſimile eſt Judam offenſum Jeſu ex convivio Simonis, ex quo eum habuit ut hypocritam, ſectatorem conviviorum ac delicatum, &c. *Triginta argenteos*, libras argenti, qua libra continet uncias viginti duas, & conſequenter ſiclos 24. qualis fuerit hæc ſumma varia dicunt interpretes.

16. [f] *Opportunitatem* tradendi eum abſente populo.

17. [g] *Prima dies Azymorum*, prima ante azymos panes. Dies naturales incipiebant apud Hebræos ab ortu ſolis, & complectebantur diem artificialem & noctem. Dies verò feſti incipiebant à veſpera uſque ad veſperam ſequentem, unde dies feſti continebant ultimum quadrantem diei naturalis, & ſic ibi dies quinti ſabbati dicitur prima dies Azymorum, &c. Alii ſic exponunt, prima dies Azymorum erat prima ab immolatione agni Paſchalis: quod probatur ex Joannis Evangelio. Judæi autem dupliciter ſupputabant dies menſium, ex duplici modo neomeniarum. Novilunia enim incipiebant, vel, à conjunctione lunæ cum ſole, vel a prima apparitione lunæ, quæ contingit die poſterâ a conjunctione, & ſic duobus diebus diverſis poterat manducari Paſcha, ſcilicet decimâ quartâ a conjunctione, vel ab apparitione eorumdem lunæ. Chriſtus verò comedit Paſcha decimâ quartâ a conjunctione, principes verò ſacerdotum ab apparitione, & ſic ſolvitur difficultas & contradictio quæ videtur eſſe inter tres Evangeliſtas primos & Joannem. *Diſcipuli*, Petrus & Joannes. *Paſcha*, Agnum Paſchalem.

18. [h] *Quemdam*, Gallicè, *à un tel*, veriſimile eſt à Chriſto fuiſſe nominatum. *Magiſter*, ex quo patet virum illum fuiſſe diſcipulum Chriſti. *Facio*, Arab. Æth. *faciam*: ædes ad Paſcha gratis commodabantur.

20. [i] *Diſcumbebant*, agnum ſtantes edere Judæi debebant; ſed hoc de prima cœna Paſchali, in Ægypto exponunt multi. Jam enim à longo tempore, cujus initium ignoratur. Judæi Paſcha comedunt diſcumbentes.

23. [k] *Qui intingit*, &c. hæc fortè vera ad litteram: ſed quo tempore manum intinxit, alius etiam intingere potuit, adeo ut adhuc incertum eſſet de quo Jeſus loqueretur.

24. [l] *Bonum*, melius. Hebræi carent comparativis & ſuperlativis.

25. [m] *Tu dixiſti*, hoc ab aliis non auditum, aut quia ſubmiſſâ voce dictum, aut quia omnes alii ſimul interrogabant.

26. [n] *Cœnantibus*, cùm adhuc menſæ accumberent: tres fuêre cœnæ; eſus agni, cœna communis, ſacramenti ſumptio.

28. [o] *Novi teſtamenti*, per cujus effuſionem confirmatum eſt meum teſtamentum. *Multis*, omnibus, more ſcripturæ, &c.

29. [p] *Dico autem vobis*, &c. hæc eſſe dicta ante conſecrationem calicis, ſed in manducatione agni Paſchalis, in qua paterfamilias calicem profanum ſingulis diſtribuebat, Luc. cap. 22. v. 17. 18. exponunt multi. Alii, ſic tranſit a ſignificatione vini propria ad metaphoricam: vult enim dicere ſe non amplius corporalem cibum & potum ſumpturum cum diſcipulis, ut patet e a Luca. *Novum in regno Patris*, renovatum per reſurrectionem. Vel, poſtea quando cum diſcipulis Euchariſtiam celebravit.

30. [q] *Hymno dicto*, Arab. *cumque benedixiſſent*, Perſ. *& laudem Deo dedit*. Adhuc Judæi poſt cœnam Paſchalem cantant pſalmos 113. & 114.

31. [r] *Scandalum patiemini*, ſcandalum paſſivum, lapſum in culpam. *In me*, occaſione mei.

34. [ſ] *Gallus cantet*, quod de ultimo galli cantu, gallicinio ſcilicet intelligendum.

38. [t] *Suſtinete*, Syr. *expectate*, Arab. Perſ. *manete*.

Digitized by Google




Tϋ Κυ ISTI.

Th .

Picart delin. Bleis sculps

NAPOLI



Matth. XXVI. 43.

Ἰησοῦς εὑρίσκει μαθητὰς καθεύδοντας.
Jesus findeth his Disciples sleeping.
Jeſus findet ſeine Jünger ſchlaffend.

JESUS REPERIT DISCIPULOS DORMIENTES.
Jesus trouve ses disciples dormans.
Jeſus vint zyne leerlingen ſlapende.

NAPOLI



Math. XXVI 65.

Χριςὸς παρὰ τῷ Καιάφᾳ.
Christ before Caiaphas
Chriſtus zu Cajaphas geführt.

CHRISTUS CORAM CAJAPHA.
Jesus-Christ devant Caïphe
Christus voor Cajaphas.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google



Matt XXVI. 69.

Πέτρος ἀρνεῖ τὸν Κύριον.
Peter denieth his Master.
Petrus verläugnet den Hern.

PETRUS ABNEGAT DOMINUM
Pierre renonce le Seigneur.
Petrus verloochent den Heere.

NAPOLI

Digitized by Google

39. Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, [a] tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

40. Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum.

41. Vigilate, & orate ut non [b] intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

42. Iterùm ſecundò abiit, & oravit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

43. Et venit iterùm, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati.

44. Et relictis illis, iterùm abiit, & oravit tertiò, eundem ſermonem dicens.

45. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: [c] Dormite jam, & requieſcite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.

47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo [d] turba multa, cum gladiis & fuſtibus miſſi à principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi.

48. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero; ipſe eſt, tenete eum.

49. Et confeſtim accedens ad Jeſum, dixit: Ave, Rabbi. [e] Et oſculatus eſt eum.

50. Dixitque illi Jeſus: Amice, ad quid veniſti? tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum & tenuerunt eum.

Unus ex ministris Judæorum à Petro abſcindit auriculam, ob idque corripitur à Christo.

51. Et ecce unus ex his qui erant cum Jeſu, extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum principis ſacerdotum amputavit auriculam ejus.

52. Tunc ait illi Jeſus: Converte gladium tuum in locum ſuum: Omnes enim qui [f] acceperint gladium, gladio peribunt.

53. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones angelorum?

54. Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, [g] quia ſic oportet fieri?

Conqueritur Chriſtus cum turbis quod ſe ut latronem capiant. Diſcipuli ipſum omnes fugiunt.

55. In illa hora, dixit Jeſus turbis: Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me: quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis.

56. Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

Ducitur apud Caipham quò Petrus illum ſequitur.

57. At illi tenentes Jeſum, duxerunt [h] ad Caipham principem ſacerdotum, ubi Scribæ & ſeniores convenerant.

58. Petrus autem ſequebatur eum à longè, uſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro, ſedebat cum miniſtris, ut videret finem.

Coram Caipha accuſatur à falſis teſtibus, mortiſque reus judicatur.

59. Principes autem ſacerdotum, & omne concilium, quærebant [i] falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent:

60. Et non invenerunt, cùm multi [k] falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes,

61. Et dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.

62. Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adversùm te teſtificantur?

63. Jeſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi: [l] Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei.

64. Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti: verumtamen dico vobis, [m] amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.

65. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam:

66. Quid vobis videtur? At illi reſpondentes, dixerunt: [n] Reus eſt mortis.

Conſpuitur à famulis ac cæditur.

67. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt,

68. Dicentes: [o] Propheriza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?

A Petro ter negatur.

69. Petrus verò ſedebat foris in atrio, & acceſſit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras.

70. At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.

71. [p] Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jeſu Nazareno.

72. Et iterùm negavit cum juramento: Quia non novi hominem.

39. [a] *Tranſeat à me, &c.* in conviviis cæremonialibus & religioſis bibebant omnes ex uno calice qui ſingulis offerebatur. Qui autem bibere nolebant, his verbis utebantur. Tranſeat à me calix.

41. [b] *Intretis in tentationem*, vincamini à tentatione.

45. [c] *Dormite jam, &c.* ironia eſt exprobrantis ſomnolentiam, ut patet ex ſequentibus: quod negant quidam interpretes.

47. [d] *Turba multa, &c.* ſolebant Romani præſides diebus feſtis quia tunc erat magnus populi concurſus, cohortem mittere ad templi cuſtodiam ne quid ibi contra mores Judæorum tentaretur. Joſeph, lib. II. de Bell. Jud. cap. 11. & Joan. cap. 18. verſ. 3. hoc præſidium feſtis diebus tranſlatum erat ex arce Antonia, quæ erat in poteſtate Romanorum, in porticus templi: extra feſtos dies, ſacerdotes per ſuos vigiles Judæos templum aſſervabant. Unus ex ſuorum numero, imperium cum in vigiles quotidianos tum in additos milites mandabant. Joſephus eum ſummo Pontifici dignitate proximum fuiſſe oſtendit. Cujus magiſtratus mentio eſt apud eundem diverſis in locis, & Act. cap. 4. verſ. 1. & cap. 5. verſ. 24. & 26. unde ſimul diſcimus ejuſdem officio commiſſum fuiſſe ut ex ſynedrii juſſu, delinquentes in legem, vel in templo, vel extra templum prehenderet: nam prehenſionis jus & coërcitionis citra mortem, Judæis Romani permiſerant. Illi, ergo metuentes ſibi a Chriſti ſectatoribus, præter quotidianos templi vigiles Judæos, etiam Romanam cohortem aſſumpſerant ut Jeſum prehenderent.

49. [e] *Et oſculatus eſt*, mos erat apud Judæos, ut in adeundo ſe invicem oſcularentur, ut videre eſt, II. Reg. c. 20.

52. [f] *Acceperint gladium*, illegitime. *Gladio peribunt*, digni ſunt & merentur ut gladio pereant juxta cap. 9. Geneſis, de jure enim eſt, non de eventu.

54. [g] *Quia ſic oportet fieri*, Arab. *declarantes quòd ſic, &c.*

57. [h] *Ad Caipham*, prius ductus fuerat ad Annam, ubi Jeſus alapâ percuſſus, ſed hoc omittitur à tribus Evangeliſtis, quia nihil ibi Actum. *Scribæ & ſeniores*, magnum ſynedrium.

59. [i] *Falſum teſtimonium*, falſum dicit, quamvis ſimularent ſe quærere verum.

60. [k] *Falſi*, quia ſenſum & verba pervertebant.

63. [l] *Adjuro*, expoſtulo. *Per Deum*, ex parte Dei. Præcipio tibi divini nominis autoritate interpoſitâ.

64. [m] *Amodo*, Syr. Perſ. Æth. *ab hoc tempore*, Arab. *immo*. *Tu dixiſti*, aſt ut dixiſti. *Virtutis*, Syr. *potentia*.

66. [n] *Reus eſt mortis*, hæc erat Judæis vetus condemnandi formula; cujus ea vis erat, ut de quo pronuntiatum eſſet, is apud Judæos omnes, morte dignus, id eſt, ſacer atque deteſtabilis haberetur, in eum denique nihil eſſet illicitum: unde poſt iſtam pronuntiationem. Judæi Jeſum ut hominem devotum, omni ludibriorum & contumeliarum genere vexare cœperunt.

68. [o] *Propheriza*, hæc dicebant, quia facies ejus erat velata ex Marco & Luca.

71. [p] *Exeunte januam*, cùm præ timore egredi inciperet, quia ex atrio ibatur in veſtibulum.

Digitized by Google

73. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit.

74. Tunc cœpit deteſtari & jurare quia non noviſſet hominem. Et continuò gallus cantavit.

75. Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat: Prius quàm gallus cantet, ter me negabis, & egreſſus foras, flevit amarè.

CAPUT XXVII.

Adducitur Jeſus ad Pilatum.

1. [a] Mane autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum, & ſeniores populi adversùs Jeſum, ut eum morti traderent.

2. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.

Judas relatis argenteis, laqueo ſe ſuſpendit.

3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet; pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus,

4. Dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt: [b] Quid ad nos? tu videris.

5. [c] Et projectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.

Ex argenteis agrum emunt principes ſacerdotum in ſepulturam peregrinorum.

6. Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in [d] corbonam, quia pretium ſanguinis eſt.

7. Concilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam [e] peregrinorum.

8. Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, uſque in [f] hodiernum diem.

9. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per [g] Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſraël;

10. Et [h] dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

Jeſus accuſatus coram Pilato non reſpondet.

11. Jeſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogavit eum præſes, dicens: [i] Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jeſus: Tu dicis.

12. Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.

13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversùm te dicunt teſtimonia.

14. Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.

Proponit Judæis Pilatus dimiſſionem Jeſu Chriſti aut Barrabæ.

15. Per diem autem [k] ſolemnem conſueverat præſes populo dimittere unum vinctum quem voluiſſent.

16. Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barrabas.

17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barrabam an Jeſum, qui dicitur Chriſtus.

18. Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum.

Uxor Pilati monet ipſum ne male habeat Jeſum, quem dicit juſtum eſſe.

19. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens: [l] Nihil tibi, & juſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.

A turbis præeligitur dimiſſio Barrabæ.

20. Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis ut peterent Barrabam, Jeſum verò perderent.

21. Reſpondens autem præſes, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam.

22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?

Pilatus lotis manibus Jeſum, flagellatum prius, tradit crucifigendum.

23. Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præſes: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.

24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: [m] acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus vos videritis.

25. Et reſpondens univerſus populus, dixit: [n] Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

26. Tunc dimiſit illis Barrabam: Jeſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

Illuſus Jeſus à militibus ducitur ad crucifigendum.

27. [o] Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem.

28. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei;

29. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum.

30. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.

31. [p] Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.

32. [q] Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.

1. [a] *Mane*, diei Veneris 15. Aprilis.

4. [b] *Quid ad nos*, &c. Arab. *nihil ad nos, tu ſcis melius.* Tuum eſt videre quid feceris.

5. [c] *Et projectis argenteis*, &c. veriſimile eſt mortem Judæ contigiſſe poſt damnationem à Pilato factam pecuniamque redditam in templo poſt mortem Chriſti, & fortè poſt illius reſurrectionem, cùm in illo aſſiderent principes ſacerdotum & ſeniores, &c.

6. [d] *Corbonam*, Syr. Arab. Perſ. *domum oblationis. Non licet*, theſaurus in quo reponebantur oblationes & dona templi. Lex prohibebat oblationes rerum turpium, quod uſus extenderat ad res eas quæ crudelitatem ſpirabant.

7. [e] *Peregrinorum*, Gentilium, quos nefas putabant cum Judæis ſepeliri, quæ res etiam magis ſervit myſterio. Hoc autem non tunc, ſed poſteà factum eſt.

8. [f] *Hodiernum diem*, quo hæc ſcribebat, anno poſteà ſcilicet octavo.

9. [g] *Jeremiam*, fortè ſcribæ culpâ nomina commutata ſunt. Hæc enim prophetia non reperitur niſi apud Zachariam cap. 11. ſed potuit Matthæus reſpicere ad factum Jeremiæ, de quo cap. 32. ubi agitur de agro empto, & ad cap. 11. Zachariæ, in quo de pretio agri. *Pretium appretiati*, &c. pretium æſtimati, quem æſtimatum emerant à filiis Iſraël.

10. [h] *Dederunt*, Syr. Perſ. *dedi.* Quod alii de Jeremia, alii de Zacharia exponunt.

11. [i] *Tu es rex*, &c. hoc interrogat Pilatus propter accuſationes Judæorum, quæ & alia plenius apud Lucam & Joannem.

15. [k] *Solemnem*, non quemcumque, ſed Paſchalem, ut patet ex Joanne.

19. [l] *Nihil tibi & juſto illi*, Syr. *nihil tibi rei ſit cum juſto illo. Viſum*, Syr. *in ſomnio.*

24. [m] *Accepta aqua*, &c. lex Deut. cap. 21. præcipiebat ut manus lavarent, in ſignum quòd innocentes eſſent ab homicidio commiſſo, &c. Ad morem illum accedit Pilatus, qui fortè apud Paganos moris eſſe poterat.

25. [n] *Sanguis ejus*, &c. ſanguis hîc ſumitur pro culpa & vindicta.

27. [o] *Tunc*, cùm flagellandus, non tradendus ad mortem: hæc enim per recapitulationem dicuntur. *Cohortem*, erat pars decima legionis 615. hominum.

31. [p] *Et poſtquam*, &c. multa hîc intermittit Matthæus, quæ Joannes ſupplet.

32. [q] *Exeuntes*, civitate. *Cyrenæum*, Judæum genere, ſed natum in Africa, circa Libyam, in Cyrenaica regione. *Angariaverunt*, Æth. *adegerunt.* Inſtigatu Judæorum qui eum ſciebant Chriſto favere. Quod Marcus confirmat, filios quoque ejus nominans nimirum Chriſti diſcipulos.

33. Et

Digitized by Google



Matth. XXVII, 60.

χριςὸς ταφεὶς. | CHRISTUS SEPULTUS.

Christ buried | Jesus-Christ enseveli

Chriſtus wird in das Grab gelegt. | Christus begraven.

Picart delin. | Vou Sculps.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Matth. XXVII. 60.

Ἐνταφιασμὸς τοῦ Χριςοῦ.
The buriall of Christ.
Chriſti Begräbniß.

CHRISTI SEPULTURA.
La ſépulture de Jesus-Christ.
Begraving van Christus.

Caracho pinx. — Prol. ſculps.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google



Matth. XXVII. 29.

Χριςὸς ἐμπαίζεται ὑπὸ τῶν ϛρατιωτῶν.
Christ mocked
Chriſtus wird verſpottet.

CHRISTUS ILLUSUS.
Les Soldats se moquent de Jesus-Christ.
Christus bespot.

Picart delin.

F...

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

33. Et venerunt in locum qui dicitur Golgo-
tha, quodeſt [a] Calvariæ locus.

Felle et vino potatus, inter duos latrones crucifigatur divisis prius veſtimentis inter milites.

34. Et dederunt ei [b] vinum bibere cum felle
miſtum. Et cùm guſtaſſet, noluit bibere.
35. Poſtquam autem crucifixerunt eum, di-
viſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes : ut
impleretur quod dictum eſt per prophetam di-
centem : Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſu-
per veſtem meam miſerunt ſortem.
36. Et ſedentes ſervabant eum.
37. Et impoſuerunt ſuper caput ejus [c] cauſam
ipſius ſcriptam : HIC EST JESUS REX JU-
DÆORUM.
38. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones
unus à dextris, & unus à ſiniſtris.

Multæ proferuntur in ipſum blaſphemiæ.

39. Prætereuntes autem blaſphemabant eum
moventes capita ſua,
40. Et dicentes : Vah qui deſtruis templum
Dei, & in triduo illud reædificas : ſalva temet-
ipſum : ſi filius Dei es, deſcende de cruce.
41. Similiter & principes ſacerdorum illuden-
tes cum Scribis & ſenioribus dicebant :
42. Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſal-
vum facere : ſi [d] rex Iſraël eſt, deſcendat nunc
de cruce, & credimus ei :
43. Confidit in Deo : liberet nunc, ſi [e] vult
eum : dixit enim : Quia filius Dei ſum.
44. Idipſum autem & [f] latrones, qui crucifixi
erant cum eo, improperabant ei.

Suboriuntur tenebræ. Jeſus aceto potatus, cum clamore expirat.

45. A [g] ſextâ autem horâ tenebræ factæ ſunt
ſuper univerſam terram uſque ad horam no-
nam.
46. Et circa horam nonam clamavit Jeſus
voce magnâ, dicens : Eli, Eli, lamma ſabactha-
ni? Hoc eſt Deus meus, Deus meus, ut quid
dereliquiſti me?
47. [h] Quidam autem illic ſtantes, & audien-
tes, dicebant : Eliam vocat iſte.
48. Et continuò currens [i] unus ex eis accep-
tam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arun-
dini, & dabat ei bibere.
49. Cæteri verò dicebant : Sine videamus an
veniat Elias liberans eum.
50. Jeſus autem iterùm clamans voce magnâ,
emiſit ſpiritum.

Signa varia fiunt, quæ centurionem & ipſi aſtantes turbant.

51. Et ecce [k] velum templi ſciſſum eſt in duas
partes à ſummo uſque deorſum, & terra mota
eſt : & petræ ſciſſæ ſunt,
52. Et monumenta aperta ſunt : & multa cor-
pora [l] ſanctorum, qui dormierant, ſurrexe-
runt.
53. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrec-
tionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, &
apparuerunt multis.
54. [m] Centurio autem, & qui cum eo erant,
cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his quæ
fiebant, timuerunt valdè, dicentes : Verè Fi-
lius Dei erat iſte.
55. Erant autem ibi mulieres multæ [n] à longè,
quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes
ei :

Nominantur mulieres quæ morti Jeſu interfuerunt.

56. Inter quas erat Maria Magdalene, & Ma-
ria Jacobi & Joſeph mater, & mater filiorum
Zebedæi.
57. Cùm autem [o] ſerò factum eſſet, venit
quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Jo-
ſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu.

Sepelitur corpus Jeſu a Joſeph, &c.

58. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus
Jeſu. Tunc Pilatus juſſit [p] reddi corpus.
59. Et accepto corpore, Joſeph involvit illud
in ſindone munda.
60. Et poſuit illud in [q] monumento ſuo no-
vo, quod exciderat in petra. Et advolvit ſaxum
magnum ad oſtium monumenti, & abiit.
61. [r] Erat autem ibi Maria Magdalene, &
altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum.
62. Alterâ autem die, quæ eſt poſt paraſceven
convenerunt principes ſacerdotum & Phariſæi
ad Pilatum,

Petentibus principibus ſacerdotum, ſepulchrum Jeſu cuſtoditur à militibus.

63. Dicentes : Domine, recordati ſumus
quia ſeductor ille dixit adhuc vivens : [ſ] Poſt tres
dies reſurgam.
64. Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in
diem tertium : ne fortè veniant diſcipuli ejus, &
furentur eum, & dicant plebi : Surrexit à mor-
tuis, & erit noviſſimus error pejor priore.
65. Ait illis Pilatus : Habetis [t] cuſtodiam, ite,
cuſtodite ſicut ſcitis.
66. Illi autem abeuntes, munierunt ſepul-
chrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.

CAPUT XXVIII.

*Facto terræ motu, exterritiſque cuſtodibus, an-
gelus narrat mulieribus Chriſti reſur-
rectionem.*

1. [a] VEſperè autem ſabbati, quæ luceſcit
in prima ſabbati, venit Maria Mag-

33. [a] *Calvariæ locus*, ſic dictus à Calvariis & oſſibus facinoroſorum ibi occiſorum. Mons etiam ſterilis ſæpiſſimè dicitur Calvus mons, tanquam cranium nudum & ſiccum.

34. [b] *Vinum*, Syr. Arab. Perſ. *acetum*. Quod dabatur damnatis, ut minus ſentirent tormenta. *Felle*, Arab. *myrrha*.

37. [c] *Cauſam*, Syr. *occaſionem mortis*, Perſ. *prætextum mortis*, Æth. *inſcriptionem*.

42. [d] *Rex Iſrael*, Meſſias in lege promiſſus. *Credimus*, Æth. *credemus*.

43. [e] *Vult*, Arab. *diligit*, Perſ. *gratus ſit ei*.

44. [f] *Latrones*, unus latronum, ut Lucas.

45. [g] *Sexta*, tranſacta, id eſt, meridie. *Tenebræ*, quales eſſe ſolent ſerenâ nocte cùm aſtra lucent : ex factis enim circa crucem Chriſti, patet quod ſe mutuo & omnia viderint circumſtantia.

47. [h] *Quidam*, Romani, linguæ Judæorum ignari, quod probatur ex verbis verſûs ſequentis.

48. [i] *Unus ex eis*, de militibus Romanis exponendum.

51. [k] *Velum* interius, ſeparans ſanctum à ſancto ſanctorum, fortè & aliud ſeparans profanum à ſancto.

52. [l] *Sanctorum*, fidelium qui in Chriſtum crediderant. *Surrexerunt*, à morte ad immortalitatem. Quod nonniſi poſt reſurrectionem Domini dicunt multi interpretes; adeo ut ſit ibi prolepſis hiſtorica.

54. [m] *Centurio autem*, &c. Vide apud Marcum, cap. 15. verſ. 39.

55. [n] *A longè*, Syr. *proſpicientes eminus*. Arab. Æth. *ſpectantes à longè*. Accedere non valentes, propter milites circumſtantes.

57. [o] *Serò*, ante tamen ſolis occaſum, quia tunc incipiebat ſabbatum, in quo non licebat Judæis mortuos ſepelire. *Arimathæa*, Ramatha, patria Samuëlis, de qua 1. Regum cap. 1.

58. [p] *Reddi*, Syr. *ut daretur*. *Petiit*, quia leges Romanorum prohibebant dari reis ſepulturam ſine permiſſione judicis.

60. [q] *Monumento ... quod exciderat in petra*, ſepulchra virorum nominatorum apud Judæos erant in modum cavernarum exciſarum in petris, aut ædificatarum ex lapidibus fornicatis, in quibus cavernis diverſæ erant concavitates, ut plura mortuorum corpora poni poſſent; caverna autem ſaxo grandi claudebatur, ne aditus pateret beſtiis.

61. [r] *Erat autem*, &c. obſervantes ubi corpus poneretur, ut elapſo ſabbato redirent & corpus ungerent.

63. [ſ] *Poſt tres*, intra tres, vel poſt tres inchoatos.

65. [t] *Cuſtodiam*, Syr. Arab. *cuſtodes*, Æth. *accipite milites*. Non agit Pilatus de iis militibus qui ſub centurionis imperio crucifixioni adfuerant, miniſterium quippe ſuum expleverant, & impletum renuntiaverunt Pilato, ex Marci cap. 15. verſ. 44. 45. ſed de illis militibus qui Judæorum primoribus eo tempore attributi erant, adverſùs omnes res novas molientes. Vide cap. 26. verſ. 47.

1. [u] *Veſperè*, veſper ille non erat pars ſabbati, ſed illud ſequebatur. Solet enim veſper nomen diei præcedentis, præſertim feſti, accipere, quamvis ipſe ſit pars diei ſubſequentis : conſiderato tamen die civili pertinebat ad ſabbatum : dies enim civilis non finiebatur niſi mediâ nocte, contra quàm dies feſtus in occaſu ſolis. Melius, per veſperum, hîc intelligenda eſt nox, totum ſcilicet à parte, id eſt, ſub finem noctis quæ ſequitur ſabbatum, in crepuſculo

dalene, & altera Maria, videre ſepulchrum.
2. Et ecce [a] terræ motus factus eſt magnus,
Angelus enim Domini deſcendit de cœlo: & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum.
3. Erat autem [b] aſpectus ejus ſicut fulgur, &
veſtimentum ejus ſicut nix.
4. Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.
5. Reſpondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim, quòd Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis.
6. Non eſt hìc, ſurrexit enim, ſicut dixit: Venite & videte locum, ubi poſitus erat Dominus.
7. Et citò euntes dicite diſcipulis ejus, quia
ſurrexit: & ecce præcedit vos [c] in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.
8. Et exierunt citò de [d] monumento cum
timore & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis ejus.

Jeſus mulieribus apparens jubet ut diſcipulis nuntient quòd ipſum in Galilæa viſuri ſunt.

9. Et ecce Jeſus [e] occurrit illis, dicens: Avete.
Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.
10. Tunc ait illis Jeſus: Nolite timere: ite,
nuntiate [f] fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

Milites ſepulchri cuſtodes pecunia corrupti dicunt corpus Chriſti furto ſublatum.

11. Quæ cùm abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant.
12. Et congregati cum ſenioribus, conſilio
accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus,
13. Dicentes: Dicite quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.
14. Et ſi hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & [g] ſecuros vos faciemus.
15. At illi, acceptâ pecuniâ, fecerunt ſicut
erant edocti. Et divulgatum eſt [h] verbum iſtud apud Judæos, uſque in hodiernum diem.

Diſcipuli videntes in Galilæa Dominum jubentur ire ad docendas & baptiſandas omnes gentes.

16. Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi conſtituerat illis Jeſus.
17. Et videntes eum adoraverunt: quidam
autem [i] dubitaverunt.
18. Et [k] accedens Jeſus locutus eſt eis, dicens:
Data mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.
19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes [l] eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:
20. Docentes eos ſervare omnia quæcumque
mandavi vobis. Et ecce ego [m] vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.

matutino: nam veſpere inchoante & finito ſabbato emerant aromata ad ungendum Jeſum ſummo mane. *Quæ luceſſit in prima*, Syr. *quum exoritura eſſet prima*, Arab. *ad auroram unius*, Æth. *ad exortum primi diei*. *Prima ſabbati*, prima hebdomadis, Judæi enim numerabant dies à ſabbato. *Altera Maria*, mater Jacobi & Joſeph. *Videre*, utrùm apertum eſſet ſepulchrum. Ignaræ erant cuſtodiæ & ſigillationis ſepulchri; dicebant enim: *Quis revolvet*, &c.

2. [a] *Terræ motus*, in locis vicinis ſepulchro. Hoc accidit cùm mulieres adhuc eſſent in itinere. *Angelus*, duo erant. Sed Hebræi ſæpe in ſingulari dicunt quæ dicenda forent in plurali. Angelus hìc ſedebat in crypta; duæ enim erant, una exterior, interior altera, habens oſtium valde demiſſum ad orientem, intra quam ad dexteram loculus erat, cui corpus impoſitum fuit.

3. [b] *Aſpectus*, viſus, vultus.

7. [c] *In Galilæam*. *ibi eum videbitis*, non quòd ibi tantùm viſus, nam & apparuit in Judæa, ſed quòd in Galilæa tranquillius & frequentiùs. Erant enim plus quàm quingenti diſcipuli, qui ſi convenîſſent ſimul in Judæa, hoc & ſummis pontificibus & Pilato veluti conſpiratio viſum eſſet. *Ecce prædixi vobis*, hoc ego vobis dico.

8. [d] *Monumento*, caverna, crypta. *Nuntiare*, corpus non inventum ab ipſis.

9. [e] *Occurrit*, non hac vice, ſed cùm iterum veniſſent ad monumentum cum Petro & Joanne, &c. & redirent Jeruſalem.

10. [f] *Fratribus*, diſcipulis.

14. [g] *Securos*, Arab. *abſque culpa*.

15. [h] *Verbum*, mendacium. *Hodiernum diem*, tempus quo ſcripſit Evangelium octo annis poſt Chriſti mortem. Alii dicunt duodecim.

17. [i] *Dubitaverunt*, anteà, vel non de reſurrectionis veritate, ſed an ille revera eſſet, qui toties Jeroſolymis apparuiſſet.

18. [k] *Accedens* propiùs, ut certiores illos faceret, quòd non phantaſma, ſed ipſe verus appareret.

19. [l] *Eos*, non omnes gentes, ſed ſingulos ex eis. *In nomine*, virtute & autoritate.

20. [m] *Vobiſcum ſum*, non præſentiâ viſibili, ſed per ſucceſſionem miniſtrorum & miniſterii, præſentiâ protectionis & virtutis efficacis, præſentiâ Spiritus dirigentis: præſentiâ corporis in ſacrificio.

Digitized by Google



A yT I.

Pisaro delin. *Bossa sculps.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Matt. XXVIII. 5-5.

Επιφάνεια ἀγγέλων ταῖς γυναιξὶ Κύριον ζητούσαις. | APPARITIO ANGELI MULIERIBUS QUAERENTIBUS JESUM.

Christ's resurrection is declared by an Angel to the Women. | *L'apparition des Anges aux femmes, qui cherchoient le Seigneur.*

Die Engel erſcheinen den weibern die den Hern ſuchten. | Het zoeken der Vrouwen naer Jeſus lyk.

BIBLIOTHECA

IN EVANGELIUM MARCI.

CIrca perſonam Marci, linguam in qua, & tempus quo Evangelium ſcripſit; nihil omnino certum eſt.

Alius eſt à Mareo de quo in actis, eomite Pauli & Barnabæ.

Plerique putant Judæum illum fuiſſe, Levitiei generis, eonverſum ad fidem prædicatione Petri cujus poſteà fuit diſeipulus, & quem Romam ſequutus eſt anno quadrageſimo tertio Chriſti.

Romæ ſeripſit Evangelium ex iis quæ à Petro audierat, rogantibus frattibus: quod Evangelium Petrus approbavit, legique in Eeeleſiis permiſit. Græcè ſeriptum multi volunt, quia Judæi qui Romæ agebant, plerique erant latini ſermonis ignari, & longâ per Aſiam & Græeiam habitatione græcam linguam didieerant, & Romanorum vix quiſquam eſſet non græcè intelligens.

Latinus textus quo utitur Eecleſia, non eſt Marei autographus aut primigenius ſermo, vetus eſt tamen, & ejus à quo habemus cæteros Evangelii libros: quod probatur ex ipſa verſionis ſimilitudine, ac phraſibus & ſoleeiſmis in Marco non minùs occurrentibus quàm in aliis.

CAPUT I.

Joannes in auſteritate vitæ prædicat & baptizat aquâ, Chriſtus verò Spiritu ſancto.

1. [a] INITIUM Evangelii Jeſu Chriſti, Filii Dei.

2. Scriptum eſt in [b] Iſaïa propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

3. [c] Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

4. Fuit Joannes in [d] deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

5. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata ſua.

6. Et erat Joannes veſtitus [e] pilis cameli, & & zonâ pelliceâ circa lumbos ejus, & locuſtas & mel ſilveſtre edebat, & prædicabat, dicens:

7. Venit fortior me poſt me: cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.

8. [f] Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto.

9. Et factum eſt: in diebus illis venit Jeſus à Nazareth Galilææ: & baptizatus eſt à Joanne in Jordane. *Chriſtus ipſe baptizatur a Joanne.*

10. Et ſtatim [g] aſcendens de aqua, vidit cœlos apertos, & Spiritum tanquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo.

11. Et vox facta eſt de cœlis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

12. Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum. *Expletis in deſerto quadraginta diebus jejunii a ſatana tentatur Chriſtus.*

13. Et erat in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & tentabatur à ſatana, eratque cum beſtiis, & angeli miniſtrabant illi.

14. Poſtquam autem [h] traditus eſt Joannes, venit Jeſus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei. *Joanne in carcerem tradito, prædicare Jeſus incipit in Galilæa.*

15. Et dicens: Quoniam [i] impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Evangelio.

16. Et prætericns ſecus mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, mittentes *Vocat Simonem, Andream, Jacobum, & Joannem.*

1. [a] *Initium*, ſupple *tale fuit*. *Evangelii*, prædicationis Jeſu Chriſti.
2. [b] *Iſaia propheta*, Arab. Æth. *in prophetis*. Quæ enim in hoc verſu referuntur, ſunt Malachiæ cap. 3. *Angelum*, vide Matth. c. 11. verſ. 10. *Ante faciem*, ante quam appareas.
3. [c] *Vox*, ſupple *audietur*, quæ verba ſunt Iſaiæ cap. 40.
4. [d] *Deſerto*, Judex trant Jordanem. *Baptiſmum pœnitentiæ*, baptiſmum cum pœnitentia conjunctum, ipſiuſque teſtimonium ac profeſſionem. *In remiſſionem peccatorum*, qui præparabat ad obtinendam remiſſionem peccatorum.
6. [e] *Pilis*. Syr. *veſtimento ex pilis*: tales veſtes pretioſæ erant, nec Joanni congruæ, unus ergo cameli piloſa pellis intelligitur, quam induit & cingulo firmavit. Hinc veſtimentum a prophetarum non ex lana ovium contexta, ex ea enim fiunt pretioſiſſima, ſed ipſæ pelles ovium.
8. [f] Vide Matthæi cap. 3.
10. [g] *Aſcendens de aqua*, Joannes ſimul ac ex aqua egreſſus eſt, vidit, &c. *Manentem in ipſo*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *ſuper eum*.
14. [h] *Traditus*, Arab. *incluſus*, Perſ. *captus*, comprehenſus & incarceratus.
15. [i] *Impletum tempus*, à prophetis prædictum.

retia in mare, erant enim piſcatores.

17. Et dixit eis Jeſus: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.

18. Et protinus relictis retibus ſecuti ſunt eum.

19. Et progreſſus inde puſillum, vidit Jacobum [a] Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipſos componentes retia in navi:

20. Et ſtatim vocavit illos. Et relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis ſecuti ſunt eum.

Ingreſſus Capharnaum, dæmoniacum in ſynagoga curat.

21. Et ingrediuntur Capharnaum: & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, [b] docebat eos.

22. Et ſtupebant ſuper doctrina ejus: erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.

23. Et erat in ſynagoga eorum homo [c] in ſpiritu immundo: & exclamavit,

24. Dicens: [d] Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene: veniſti perdere nos? ſcio qui ſis, Sanctus Dei.

25. Et comminatus eſt ei Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi de homine.

26. Et [e] diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magnâ exiit ab eo.

27. Et mirati ſunt omnes, ita ut conquirerent inter ſe dicentes: Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc [f] nova? quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

28. Et proceſſit rumor ejus ſtatim in omnem regionem Galilææ.

In domo Simonis ſocrum ipſius à febre liberat.

29. Et protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in [g] domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.

30. Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans: & ſtatim dicunt ei de illa.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensâ manu ejus: & continuò dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis.

Multos male habentes & dæmoniacos ſanat.

32. [h] Veſperè autem facto cùm occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes:

33. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

Quod & ſimiliter facit in aliis Galilææ locis, &c.

34. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, [i] quoniam ſciebant eum.

35. Et diluculo valde ſurgens, egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat.

36. Et [k] proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.

37. Et cùm inveniſſent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.

38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni.

39. Et erat prædicans in ſynagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.

Leproſum ſanat.

40. Et venit ad eum leproſus deprecans eum & genu flexo dixit ei: Si vis potes me mundare.

41. Jeſus autem miſertus ejus, extendit manum ſuam: & tangens eum, ait illi: Volo: Mundare.

42. Et cùm dixiſſet ſtatim, diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.

43. Et comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit illum.

44. Et dicit ei: Vide nemini dixeris: ſed vade, oſtende te principi ſacerdotum, & offer [l] pro emundatione tua quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

45. At ille egreſſus cœpit prædicare & diffamare [m] ſermonem, ita ut jam non poſſet manifeſtè introire in civitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conveniebant ad eum undique.

CAPUT II.

Regreſſus Capharnaum Paralyticum ſanat, murmurantibus Scribis quòd ipſum priùs à peccatis abſolviſſet.

1. ET [n] iterùm intravit Capharnaum poſt dies,

2. Et auditum eſt quòd in domo eſſet, & convenerunt multi, ita ut [o] non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum.

3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.

4. Et cùm non poſſent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.

5. Cùm autem vidiſſet Jeſus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

6. Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis.

7. Quid hic ſic loquitur? Blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?

8. Quo ſtatim cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?

9. Quid eſt facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula?

10. Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata [ait paralytico:]

19. [a] *Zebedæi*, Arab. Perſ. Æth. *filium Zebedæi*.
21. [b] *Docebat*, ex permiſſione principis ſynagogæ, licitum erat præſentibus alios hortari & docere.
23. [c] *In ſpiritu immundo*. Syr. Arab. *in quo erat ſpiritus immundus*, Æth. *dæmoniacus*.
24. [d] *Quid nobis & tibi*, quid tibi rei eſt nobiſcum? omitte nos, qui te nihil læſimus. *Scio qui ſis*, poſt victoriam Chriſti à tentatione, ſuſpicabatur dæmon Chriſtum eſſe Meſſiam, de quo tamen dubius erat propter humiliationes, &c. Chriſti.
26. [e] *Diſcerpens*, non membra divellendo, ſed contorquendo, ſolo ſternendo & extendendo. *Exclamans voce magna*, non articulatâ quam Chriſtus ei ſuâ inhibuerat, ſed inarticulatâ, & horribili edito ejulatu.
27. [f] *Nova*, quia dixerat: Credite Evangelio, dicit Eſtius.
29. [g] *Domum*, Quam Capharnaum, non Bethſaidæ ſitam eſſe probat Maudust.
32. [h] *Veſperè*, quia ſabbatum erat.
34. [i] *Quoniam ſciebant*, quòd ſcirent, vide verſ. 24.
36. [k] *Proſecutus eſt*, Syr. Arab. *Petri quærebant*.
44. [l] *Pro emundatione tuâ*, legali: quia leproſi ſanati adhuc mundari debebant & expiari quibuſdam ſacrificiis, prius quam cum mundis habitare poſſent. *In teſtimonium illis*, ut eſſet illis in legem & teſtimonium te eſſe mundatum, neque poſtea negare poſſent mundationem tuam, quando ſcient illam a me factam.
45. [m] *Sermonem*, Arab. *rem*. *Non poſſit*. Jeſus. *Manifeſtè*, ſecretò introibat, ut neceſſitatibus ſuis ſubveniret. *Deſertis in locis*, inter Capharnaum & Bethſaida.
1. [n] *Iterum*, Arab. *poſt dies aliquot*.
2. [o] *Non caperet neque ad januam*, Syr. *non poſſet eos comprehendere ne veſtibulum quidem januæ*, Arab. *non caperet eos domus, ne quidem ante januam etiam*.

Digitized by Google



Marc. I, 23.

Ἰησοῦς ἐκβάλλει πνεῦμα ἀκάθαρτον.
Jesus casteth out the unclean Spirit.
Jeſus treibet den Teuffel auſs.

EJECTIO DAEMONIS IMPURI.
Jesus chaſſe un Eſprit immonde.
Het uitdryven eens onreinen Geests.

Picart delin.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

Digitized by Google

11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.

12. Et ſtatim ſurrexit ille: & ſublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam ſic vidimus.

Matthæum vocat.

13. Et egreſſus eſt rurſus ad [a] mare: omniſque turba veniebat ad eum, & docebat eos.

14. Et cùm præteriret, vidit [b] Levi Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.

Reſpondet Phariſæis indigne ferentibus quod cum publicanis manducaret.

15. Et factum eſt cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus: erant enim multi, qui & ſequebantur eum.

16. Et Scribæ & Phariſæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magiſter veſter.

17. Hoc audito Jeſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent: non enim veni [c] vocare juſtos, ſed peccatores.

Quòd diſcipuli ſui non jejunarent.

18. Et erant diſcipuli Joannis & Phariſæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunant, tui autem diſcipuli non jejunant?

19. Et ait illis Jeſus: Numquid poſſunt [e] filii nuptiarum, quamdiu ſponſus cum illis eſt, jejunare? Quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt jejunare.

20. [f] Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri: [g] alioquin aufert ſupplementum novum à veteri, & major ſciſſura fit.

22. [h] Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt: ſed vinum novum in utres novos mitti debet.

Et quòd ſpicas in die ſabbati vellerent ad manducandum.

23. Et factum eſt [i] iterùm cùm Dominus ſabbatis ambularet per ſata, & diſcipuli ejus cœperunt progredi, & vellere ſpicas.

24. Phariſæi autem dicebant ei: Ecce, [k] quid faciunt ſabbatis quod non licet?

25. Et ait illis: Numquam legiſtis quid fecerit David, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant?

26. Quomodo introivit in domum Dei ſub [l] Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducavit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant?

27. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum.

28. Itaque Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbati.

CAPUT III.

Curat hominem afflictum manu aridâ.

1. ET introivit iterùm in ſynagogam: & erat ibi homo habens manum aridam.

2. Et obſervabant eum, ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum.

3. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.

4. Et dicit eis: Licet ſabbatis [m] bene facere, an malè? animam ſalvam facere, an perdere? At illi tacebant.

5. Et circumſpiciens eos [n] cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus illi.

Phariſæorum cedens machinationi ſecedit, turbis undique ad eum confluentibus, quarum infirmos ſanat.

6. Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum [o] Herodianis conſilium faciebant adverſùs eum, quomodo eum perderent.

7. Jeſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad [p] mare: & multa turba à Galilæa & Judæa ſecuta eſt eum.

8. Et ab Jeroſolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat venerunt ad eum.

9. Et dixit diſcipulis ſuis ut [q] navicula ſibi deſerviret propter turbam, ne comprimerent eum.

10. Multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quot quot habebant plagas.

11. Et ſpiritus immundi, cùm illum videbant, [r] procidebant ei: & clamabant, dicentes:

12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifeſtarent illum.

Duodecim Apoſtolos eligit, qui hi recenſentur.

13. Et aſcendens in montem [s] vocavit ad ſe quos voluit ipſe: & venerunt ad eum.

14. [t] Et fecit ut eſſent duodecim cum illo: & ut mitteret eos prædicare.

15. Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.

16. Et impoſuit Simoni nomen Petrus:

17. Et Jacobum [u] Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filii tonitrui:

13. [a] *Mare* Tiberiadis, vel Geneſareth.
14. [b] *Levi*, Matthæum alio nomine. *Alphæi*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *filium Alphæi*. *Telonium*, menſam ubi ſolvebant tributa.
17. [c] *Vocare*, convertere & vocare ad pœnitentiam.
18. [d] *Phariſæi*. Syr. Arab. Æth. *Phariſæorum*.
19. [e] *Filii nuptiarum*, amici ſponſi, qui & paranymphi dicebantur, curam habentes nuptiarum & præcipuè cubiculi & thalami.
20. [f] *Venient dies*, poſt mortem & Aſcenſionem Chriſti.
21. [g] *Alioquin aufert*, Syr. *ne detrahat*. Arab. *alioquin attrahet*. Significat his ſimilitudinibus mores novos evangelii non bene convenire cum veteribus legis.
22. [h] *Et nemo*, &c. diſcipuli mei nondum facti ſunt fortes, itaque ſi illos gravavero, offendam.
23. [i] *Iterum*, hoc dicitur propter alteram Phariſæorum calumniam. *Progredi & vellere*, progrediendo vellere.
24. [k] *Quid*, Arab. Perſ. *vide quomodo*.
26. [l] *Abiathar*, Perſ. *Abimelech*. Qui hîc vocatur Abiathar, lib. I. Reg. cap. 21. vocatur Achimelech, fortè quia ille pontifex duo nomina habebat, patres enim nomine filiorum, & filii nomine patrum vocabantur, ut II. Reg. cap. 8. 1. Par. cap. 18. vel, quia habuit filium dictum Abiathar, qui vivente patre agebat interdum vices ipſius. *Et*, *qui cum eo erant*, ſolus erat omnino, ſed finxerat aliis comitibus condiciſſe in illum & illum locum.
4. [m] *Benefacere an male*, prodeſſe an lædere. *Animam*, hominem.
5. [n] *Cum ira*, Syr. *cum indignatione*, Æth. *indignatus*.
6. [o] *Herodianis*, Syr. *domeſticis Herodis*, Æth. *hominibus Herodis*. Cùm Herodes eſſet à Romanis conſtitutus tetrarcha Galilææ, conſilium inierunt cum ejus miniſtris, tanquam Chriſtus eſſet pacis publicæ & quietis perturbator, ut qui populos ſibi conciliaret. Sectatores Judæ Galilæi, Herodianos dicit Calmet.
7. [p] *Mare*, Tiberiadis, vel Geneſareth.
9. [q] *Navicula ſibi deſerviret*, Syr. *ut proximè ad ſe adducerent naviculam*.
11. [r] *Procidebant ei*, tribuit ſpiritibus immundis actionem à dæmoniacis factam.
13. [s] *Vocavit ad ſe*, vocatione ſenſibili, quia aliquantulum diſtabant. *Voluit*, Arab. *dilexit*.
14. [t] *Et fecit ut eſſent*, &c. Syr. *& delegit duodecim qui ſecum eſſent*, *& quos mitteret ut prædicarent*.
17. [u] *Zebedæi*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *filium Zebedæi*, ſupple vocavit. *Filii tonitrui*, tonantes ſublimitate prædicationis Evangeli-

18. Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & [a] Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Chananæum,

19. Et Judam Iſcariotem, qui & tradidit illum.

Scribas blaſphemantes Chriſtum in Beelzebud ejicere dæmonia convincit falſitatis.

20. Et veniunt ad domum, & convenit iterùm turba, [b] ita ut non poſſent neque panem manducare.

21. Et cùm audiſſent ſui, exierunt [c] tenere eum, dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt.

22. Et Scribæ qui ab Jeroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam Beelzebud habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

23. Et convocatis eis, in [d] parabolis dicebat illis: Quomodò poteſt ſatanas ſatanam ejicere?

24. Et ſi regnum in ſe dividatur, non poteſt regnum illud ſtare.

25. Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare.

26. Et ſi ſatanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habet.

27. Nemo poteſt [e] vaſa fortis ingreſſus in domum diripere, niſi priùs fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.

Docet blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe irremiſſibilem.

28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphemaverint:

29. [f] Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum ſed reus erit æterni delicti.

30. [g] Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.

Docet qui ſint mater & fratres ejus.

31. Et veniunt [h] mater ejus & fratres: & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum.

32. [i] Et ſedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te.

33. Et reſpondens eis ait: Quæ eſt mater mea, & fratres mei.

34. Et circumſpiciens eos, [k] qui in circuitu ejus ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei?

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.

CAPUT IV.

Parabolam proponit ſeminatoris & ſeminis, quam deinde diſcipulis exponit.

1. ET iterùm cœpit docere ad mare: & congregata eſt ad eum turba multa, ita ut navem aſcendens ſederet in mari, & omnis turba circa mare ſuper terram erat.

2. Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis [l] in doctrina ſua:

3. Audite: Ecce exiit ſeminans ad ſeminandum.

4. Et dum ſeminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt illud.

5. Aliud verò cecidit ſuper petroſa, ubi non habuit terram multam: & ſtatim exortum eſt, quoniam [m] non habebat altitudinem terræ.

6. Et quando exortus eſt ſol, exæſtuavit: & eò quòd non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in ſpinas, & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocaverunt illud, & fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum aſcendentem, & creſcentem, & afferebat unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum,

9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et cùm eſſet ſingularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.

11. Et dicebat eis: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia [n] fiunt.

12. Ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata.

13. Et ait illis: Neſcitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?

14. Qui ſeminat, verbum ſeminat.

15. Hi autem ſunt, qui [o] circa viam, ubi ſeminatur verbum, & cùm audierint, confeſtim venit ſatanas, & aufert verbum quod ſeminatum eſt in cordibus eorum.

16. Et hi ſunt ſimiliter, qui ſuper petroſa ſeminantur: qui cùm audierint verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud.

17. Et non habent radicem in ſe, ſed temporales ſunt: deinde ortâ tribulatione & perſecutione propter verbum, confeſtim ſcandalizantur.

18. Et alii ſunt qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt qui verbum audiunt.

19. Et [p] ærumnæ ſæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introëuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.

20. Et hi ſunt qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt, fructificant, unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum.

ex, & miraculis orbem commoturi. Jacobus autem primus Apoſtolorum occiſus eſt, & Joannes per Apocalypſim & Evangelii grandiloquentiam veluti ex nubibus tonat. Calmet exponit filios tonitrui, quia ignem de cœlo mittere voluerunt in urbem Samaritanorum, Lucæ cap. 9.

18. [a] *Jacobum Alphæi*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *Jacobum filium Alphæi.*

20. [b] *Ita ut non poſſent*, Æth. *ita ut non permitterent ei.*

21. [c] *Tenere eum*, retentum domi. Cum enim viderent eum à Scribis & Phariſæis male habitum, timebant ne illud probroſum ipſis foret, putabant etiam quod Jeſus ſupra vires & ſortem ageret. *Furorem*, quia aut extaſim propter orationem, aut debilitatem cordis paſſus, eò quòd non manducaſſet.

23. [d] *Parabolis*, ſimilitudinibus.

27. [e] *Vaſa*, arma, ſupellectilem, inſtrumenta bellica.

29. [f] Vide Matthæi cap. 12. verſ. 31.

30. [g] *Quoniam dicebant*, id autem dicebant, quoniam Spiritum, &c. *Spiritum immundum habet*, ſupplendum *in cujus virtute ejecit dæmones*, *alioqui foret blaſphemia in Filium hominis.* Spiritus autem his in locis dicuntur feciſſe, quod eorum impulſu faciunt energumeni.

31. [h] *Mater*, inani gloriâ matrem Domini fuiſſe motam, ut illum coram turbis a doctrina ad ſe attraheret, dicit Theophylactus. *Fratres*, phraſi hebraicâ, propinqui.

32. [i] *Et ſedebat circa eum turba*, cùm circumſideret eum hominum multitudo.

34. [k] *Qui in circuitu ſedebant*, diſcipuli, ut patet ex Mattheo

2. [l] *In doctrina ſua*, ſuo docendi modo, per parabolas & cum autoritate.

5. [m] *Non habebat altitudinem terræ*, Syr. *non erat profunda terra.*

11. [n] *Fiunt*, proponuntur.

15. [o] *Circa viam*, ſuppl. *ſemen excipiunt. Et cùm*, quàm cùm.

19. [p] *Ærumnæ*, Syr. Perſ. *ſolicitudo*, Arab. Æth. *cura.*

Alia parabolice proponit.

21\. Et dicebat illis : Numquid [a] venit lucerna ut ſub modio ponatur, aut ſub lecto ? nonne ut ſuper candelabrum ponatur ?

22\. Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non [b] manifeſtetur : nec factum eſt occultum, ſed ut in palam veniat.

23\. Si quis habet aures [c] audiendi, audiat.

24\. Et dicebat illis : Videte quid audiatis. [d] In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.

25\. Qui enim [e] habet dabitur illi, & qui non habet etiam quod habet auferetur ab eo.

Aliam parabolam de ſemine proponit.

26\. Et dicebat : Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram,

27\. Et dormiat, & exurgat [f] nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille.

28\. [g] Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.

29\. Et cùm produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.

Aliam proponit de grano ſinapis, & diſcipulis ſecretò omnia exponit.

30\. Et dicebat : Cui aſſimilabimus [h] regnum Dei ? aut cui parabolæ comparabimus illud ?

31\. [i] Sicut granum ſinapis, quod cùm ſeminatum fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra :

32\. Et cùm ſeminatum fuerit aſcendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cœli [k] habitare.

33\. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout [l] poterant audire.

34\. Sine parabola autem non loquebatur eis : ſeorſum autem diſcipulis ſuis [m] diſſerebat omnia.

In mari, à ſomno excitatus, tempeſtatem ſedat.

35\. Et ait illis [n] in illa die, cùm ſerò eſſet factum : Tranſeamus contrà.

36\. Et dimittentes turbam, [o] aſſumunt eum, ita ut erat in navi. Et aliæ naves erant cum illo.

37\. Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.

38\. Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens : & excitant eum, & dicunt illi : Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus ?

39\. Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari : Tace, obmuteſce. Et ceſſavit ventus : & facta eſt tranquillitas magna.

40\. [p] Et ait illis : Quid timidi eſtis ? necdum habetis fidem ? & timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum : Quis putas, eſt iſte, quia & ventus & mare obediunt ei ?

CAPUT V.

Narratur Hiſtoria ſanationis dæmoniaci, in quo legio dæmonum erat, quos Jeſus permiſit in porcos ire, &c.

1\. ET venerunt [q] trans fretum maris in regionem Geraſenorum.

2\. Et exeunti ei de navi, ſtatim occurrit de monumentis [r] homo in ſpiritu immundo,

3\. Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare :

4\. Quoniam ſæpè compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare.

5\. Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus.

6\. Videns autem Jeſum à longè cucurrit, & adoravit eum.

7\. Et clamans voce magnâ dixit : Quid mihi & tibi, Jeſu fili dei Altiſſimi ? [ſ] adjuro te per Deum, ne me torqueas.

8\. Dicebat enim illi : Exi ſpiritus immunde ab homine.

9\. Et interrogabat eum : Quod tibi nomen eſt ? & dicit ei : [t] Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.

10\. Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extra [u] regionem.

11\. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, paſcens.

12\. Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes : Mitte nos in porcos ut in eos introëamus.

13\. Et [x] conceſſit eis ſtatim Jeſus. Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos : & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

14\. Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros. Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum.

15\. Et veniunt ad Jeſum : & vident illum, qui a dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt.

16\. Et narraverunt illis [y] qui viderant, qua-

21\. [a] *Venit*, Arab. *incenditur* proverbialis eſt locutio, per quam innuit doctrinam Evangelicam non eſſe occultandam, ſed à diſcipulis prædicandam : neque in hoc dari ut ſterilis torpeat, ſed ut luceat per facta pietati conſentanea.

22\. [b] *Manifeſtetur*, ſit manifeſtandum. Id eſt quæ nunc obſcure dicimus erunt ſuo tempore clara, & omnibus per vos prædicanda.

23\. [c] *Audiendi*, Syr. *ad audiendum*. Arab. Perſ. *audientes*.

24\. [d] *In qua menſura*, &c. proverbialis locutio. Secundùm menſuram attentionis & obedientiæ ad cœleſtem doctrinam, addetur intelligentiæ gratia.

25\. [e] *Habet*, ut debet utens. Vide verſ. 12. cap. 13. & verſ. 29 c. 25. Matthæi.

27\. [f] *Nocte*, jungendum cùm *dormiat*. *Die*, cùm exurgat. Id eſt, negotiis aliis ſuis vacet.

28\. [g] *Ultro*, Arab. *ex ſe ipſa*.

30\. [h] *Regnum Dei*, ſtatus atque negotium Eccleſiæ militantis. Vel prædicatio Evangelii. *Parabola*, res per ſermonem parabolicum deſignata.

31\. [i] *Sicut granum*, &c. Syr. *velut grano ſinapis illud ſimile eſt*.

32\. [k] *Habitare*, Æth. *ædificare*.

33\. [l] *Poterant*, digni erant audire : ideò enim parabolis utebatur, ne intelligerent, & quia aliter ſine damno, propter eorum indignitatem, in aptitudinem & ſuperbiam audire non poterant. *Audire*, capere.

34\. [m] *Diſſerebat*, Syr. *interpretabatur*.

35\. [n] *In illa die*, illo tempore quo prædicabat in Galilæa : & in illa eadem die. *Contra*, Syr. *in ulteriorem ripam*.

36\. [o] *Aſſumunt eum ita ut erat in navi*, Arab. *venerunt cum ſecum navi*, Perſ. *navem conſcendentes depulerunt*, Æth. *aſſumpſerunt eum in navi*. *Ita ut erat*, neque urbem ingreſſi ut neceſſaria ſibi ſubminiſtrarent, navim aſcenderant.

40\. [p] *Et ait illis*, &c. hæc dixit prius quàm ſedaſſet tempeſtatem.

1\. [q] *Trans fretum maris*, trajecto mari.

2\. [r] *Homo*, duo dicuntur in Matthæo, ſed Marcus inſigniorem memorat. *In ſpiritu*, Syr. *habens ſpiritum*.

7\. [ſ] *Adjuro te per Deum*, divini nominis authoritate interpoſita obteſtor. Vel, per gloriam & obedientiam Deo debitam te obſtringo, quaſi te jurejurando obſtrinxiſſes, &c. *Torqueas*, expellendo.

9\. [t] *Legio*, numeroſum cœtum denotat.

10\. [u] *Regionem*, quia urbs Gadara adhuc idololatriæ dedita, & ſic dæmonibus ſacrificans. Præterea timebat in abyſſum relegari, aut amandari in loca deſerta in quibus hominibus male facere non poſſet.

13\. [x] *Conceſſit*, ut conſtaret quanta dæmonum multitudo inhabitaret hunc hominem.

16\. [y] *Qui viderant*, illi qui id viderant.

Digitized by Google

ſiter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum ut diſcederet de finibus eorum.

18. Cùmque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo:

19. Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.

20. Et abiit, & cœpit prædicare in [a] Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus: & omnes mirabantur.

De filia archiſynagogi.

21. Et cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

22. Et venit quidam de archiſynagogis nomine Jayrus; & videns eum, procidit ad pedes ejus.

23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat.

24. [b] Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

Hiſtoria ſanationis mulieris à duodecim annis fluxum ſanguinis habentis.

25. Et mulier quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim,

26. Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis: & erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.

27. Cùm audiſſet de Jeſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum ejus.

28. Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.

29. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus: & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga.

30. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens [c] virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea?

31. Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

32. Et [d] circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

33. Mulier verò timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.

Pergit narrare Hiſtoriam reſurrectionis filiæ archiſynagogi.

35. Adhuc eo loquente, veniunt [e] ab archiſynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua eſt: quid ultrà vexas Magiſtrum?

36. Jeſu autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere: tantùm modò crede.

37. Et non admiſit quemquam [f] ſe ſequi, niſi Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archiſynagogi, & & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multum.

39. Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non eſt mortua, ſed [g] dormit.

40. Et irridebant eum, ipſe verò, ejectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.

42. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obſtupuerant ſtupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.

CAPUT VI.

Chriſti doctrinam in ipſius patria contribules admirantur ubi tamen Chriſtus propter illorum incredulitatem pauca edit miracula.

1. ET egreſſus inde abiit in [h] patriam ſuam, & ſequebantur eum diſcipuli ſui:

2. Et facto ſabbato cœpit in ſynagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi; & [i] virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?

3. Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, [k] frater Jacobi, & Joſeph, & Judæ, & Simonis? nonne & ſorores ejus hîc nobiſcum ſunt? & ſcandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jeſus: Quia non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.

5. Et [l] non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit.

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat [m] caſtella in circuitu docens.

Apoſtolos mittit ad prædicandum, qui regrediuntur multo fructu facto.

7. Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis [n] poteſtatem ſpirituum immundorum.

8. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, [o] niſi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs,

9. Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis: Quòcumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis [p] inde,

20. [a] *Decapoli*, quæ erat non ſolùm prope Tyrum & Sidonem, ſed etiam prope & trans lacum Geneſareth.
24. [b] *Et abiit cum illo*, Syr. *& abiit Jeſus.*
30. [c] *Virtutem*, virtutis effectum ſeu ſanationem miraculoſam.
32. [d] *Circumſpiciebat videre*. Æth. *converſus fuit ut videret.*
35. [e] *Ab archiſynagogo*, Syr. Perſ. *à domo principis*, Arab. *ad principem, &c.*
37. [f] *Se*, ingredientem domum.
39. [g] *Dormit*, dormiebat Chriſto, qui eam poterat excitare.
1. [h] *Patriam*, ex vulgi opinione Nazareth, quia ibi educatus.
2. [i] *Virtutes*, Perſ. *prodigia.*
3. [k] *Frater*, cùm alibi Evangeliſta illis matrem aliam aſſignet, præter Mariam matrem Domini, quam appellat Mariam Jacobi & Joſeph, evidens eſt hîc fratres non intelligi de eadem matre, ſed ad uſum linguæ Hebraicæ cognatos.

5. [l] *Non poterat*, nolebat, quia non conveniebat propter illorum infidelitatem: ad hoc enim ut miracula fiant, requiritur fides ſuſcipientis. *Virtutem*, Perſ. *miracula.*
6. [m] *Caſtella*, Syr. Perſ. *pagos*, Æth. *civitates.*
7. [n] *Poteſtatem ſpirituum*, Syr. *poteſtatem ejiciendi ſpiritus immundos.*
8. [o] *Niſi virgam*, Matthæi cap. 10. vetat portare virgam, hîc permittitur ut ferant: ſed quæ hîc ponuntur & apud Matthæum, nihil aliud continent, niſi proficiſcamini ſine mora & abſque apparatu, ut dicitur Gallicè, *ſans verge ni bâton*, quod ſæpiſſimè dicitur de his, qui virgâ & baculo utuntur; tunc enim multo ad itinera præparabantur: quod & adhuc in uſu eſt in Oriente, & præcipuè apud Perſas, qui nequidem ad deambulationem abſque apparatu progrediuntur.
10. [p] *Inde*, ex ea civitate aut vico. Id eſt, ne mutetis hoſpitium.

Digitized by Google

11. Et quicumque oon receperint vos, nec andierint vos, exeuntes inde, excutire pulverem de pedibus veſtris in [a] teſtimonium illis.

12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent.

13. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo moltos ægros, & ſaoabant.

Herodes auditâ famâ Chriſti dicit Joannem Baptiſtam reſurrexiſſe.

14. Et audivit rex [b] Herodes [manifeſtum enim factum eſt nomen ejus] & dicebat: Quia Joannes Baptiſta reſurrexit à mortuis: & proptereà virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias eſt. Alii verò dicebant: Quia propheta eſt, [c] quaſi unus ex prophetis.

16. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis reſurrexit.

Joannis mors ex occaſione narratur.

17. Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem [d] Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.

18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim [e] metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum; & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

21. Et cùm [f] dies opportuous accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.

22. Cùmque introiſſet [g] filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus: rex ait puellæ: Pete à me quod vis & dabo tibi.

23. Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.

24. Quæ cùm exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? at illa dixit: Caput Joannis Baptiſtæ.

25. Cùmque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petivit, dicens: Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.

26. Et contriſtatus eſt rex propter jusjurandum: & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare.

27. Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco. [h] Et decollavit eum in carcere.

28. Et attulit caput ejus in diſco: Et dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.

29. Quo audito, diſcipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & poſuerunt illud in monumento.

Secedit Jeſus in deſertum ubi ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiat.

30. Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant & docuerant.

31. At ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant.

32. Et aſcendentes in navim, abierunt in deſertum locum ſeorſum.

33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedeſtres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, & prævenerunt eos.

34. Et exiens vidit turbam multam Jeſus: & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oves non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa.

35. Et cùm jam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus hic, & jam hora præteriit.

36. Dimitte illos ut euntes in proximas villas & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent.

37. Et reſpondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: [i] Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & videte. Et cùm cognoviſſent, dicunt: Quinque & duos piſces.

39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes [k] ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum.

40. Et diſcubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos: & duos piſces diviſit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt.

43. [l] Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos: & de piſcibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut procederent eum [m] trans fretum ad Bethſaïdam, dum ipſe dimitteret populum.

Super mare ambulans tempeſtatem ſedat.

46. Et cùm dimiſiſſet eos, abiit in montem orare.

47. Et cùm ſero eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa [n] quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare: & volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.

51. Et aſcendit ad illos in navim, & ceſſavit ventus. Et [o] plus magis intra ſe ſtupebant:

11. [a] *Teſtimonium*, quòd nihil ab illis accepiſtis. Quòd in nulla re veſtis cum illis communicare. Quòd veritas ipſis prædicata fuit, & quod illam reſpuerunt, & prædicatores repulerunt.

14. [b] *Herodes* Antipas. Magni ſive Aſcalonitæ filius. Rex Tetrarcha. *Ejus*, Jeſu. *Virtutes operantur in illo*, tot miracula facit.

15. [c] *Quaſi unus*, &c. ſimilis veteribus prophetis.

17. [d] *Philippi*, non Tetrarchæ, ſed alterius quem Herodes magnus habuerat ex Mariamne filia pontificis Simonis.

20. [e] *Metuebat*, reverebatur: ut concilientur Matthæus & Marcus dicendum quòd Herodes priùs voluit occidere Joannem, ſed metu populi propoſitum non perfecit, ſed poſtea ex occaſione carceris, perſpectâ ſanctitate viri, eum coluerit & adverſus Herodiadem tutatus ſit.

21. [f] *Dies opportunus*, &c. dies quâ Herodes, &c.

22. [g] *Filia ipſius Herodiadis*, dicta Salome, quam Herodias habuerat à Philippo Herode fratre noſtri Herodis.

27. [h] *Et decollavit*. *Syr. profectus itaque amputavit.*

37. [i] *Euntes emamus*, &c. hoc ironicè dictum.

39. [k] *Secundùm contubernia*. Arab. *per turmas.*

43. [l] Arab. *Et ſuſtulerunt ex fragmentis & ex duobus piſcibus duodecim cophinos plenos.*

45. [m] *Trans fretum ad Bethſaidam*, citra fretum erat urbs Bethſaida, & trans fretum vicus Bethſaidæ, dictus Julias.

48. [n] *Quartam vigiliam*, vide cap. 14. Matthæi.

51. [o] *Plus magis intra ſe ſtupebant*, timentes ne navis non appropinquaret littori, & ſic fame premerentur deficiente pane.

Digitized by Google

liter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum ut diſcederet de finibus eorum.

18. Cùmque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo:

19. Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.

20. Et abiit, & cœpit prædicare in [a] Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus: & omnes mirabantur.

De filia archiſynagogi.

21. Et cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

22. Et venit quidam de archiſynagogis nomine Jayrus, & videns eum, procidit ad pedes ejus.

23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat.

24. [b] Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

Hiſtoria ſanationis mulieris à duodecim annis fluxum ſanguinis habentis.

25. Et mulier quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim,

26. Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis: & erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.

27. Cùm audiſſet de Jeſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum ejus.

28. Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.

29. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus: & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga.

30. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens [c] virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea?

31. Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

32. Et [d] circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

33. Mulier verò timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.

Pergit narrare Hiſtoriam reſurrectionis filiæ archiſynagogi.

35. Adhuc eo loquente, veniunt [e] ab archiſynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua eſt: quid ultrà vexas Magiſtrum?

36. Jeſu autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere: tantùm modò crede.

37. Et non admiſit quemquam [f] ſe ſequi, niſi Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archiſynagogi, & & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multum.

39. Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non eſt mortua, ſed [g] dormit.

40. Et irridebant eum, ipſe verò, ejectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.

42. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obſtupuerant ſtupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.

CAPUT VI.

Chriſti doctrinam in ipſius patria contribules admirantur ubi tamen Chriſtus propter illorum incredulitatem pauca edit miracula.

1. ET egreſſus inde abiit in [h] patriam ſuam, & ſequebantur eum diſcipuli ſui:

2. Et facto ſabbato cœpit in ſynagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi; & [i] virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?

3. Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, [k] frater Jacobi, & Joſeph, & Judæ, & Simonis? nonne & ſorores ejus hîc nobiſcum ſunt? & ſcandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jeſus: Quia non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.

5. Et [l] non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit.

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat [m] caſtella in circuitu docens.

Apoſtolos mittit ad prædicandum, qui regrediuntur multo fructu facto.

7. Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis [n] poteſtatem ſpirituum immundorum.

8. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, [o] niſi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs,

9. Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis: Quòcumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis [p] inde,

20. [a] *Decapoli*, quæ erat non ſolùm prope Tyrum & Sidonem, ſed etiam prope & trans lacum Geneſareth.
24. [b] *Et abiit cum illo*, Syr. *&* *abiit Jeſus.*
30. [c] *Virtutem*, virtutis effectum ſeu ſanationem miraculoſam.
32. [d] *Circumſpiciebat videre*, Æth. *converſus fuit ut videret.*
35. [e] *Ab archiſynagogo*, Syr. Perſ. *à domo principis*, Arab. *ad principem, &c.*
37. [f] *Se*, ingredientem domum.
39. [g] *Dormit*, dormiebat Chriſto, qui eam poterat excitare.
1. [h] *Patriam*, ex vulgi opinione Nazareth, quia ibi educatus.
2. [i] *Virtutes*, Perſ. *prodigia.*
3. [k] *Frater*, cùm alibi Evangeliſta illis matrem aliam aſſignet, præter Mariam matrem Domini, quam appellat Mariam Jacobi & Joſeph, evidens eſt hîc fratres non intelligi de eadem matre, ſed ad uſum linguæ Hebraicæ cognatos.

5. [l] *Non poterat*, nolebat, quia non conveniebat propter illorum infidelitatem: ad hoc enim ut miracula fiant, requiritur fides ſuſcipientis. *Virtutem*, Perſ. *miracula.*
6. [m] *Caſtella*, Syr. Perſ. *pagos*, Æth. *civitates.*
7. [n] *Poteſtatem ſpirituum*, Syr. *poteſtatem ejiciendi ſpiritus immundos.*
8. [o] *Niſi virgam*, Matthæi cap. 10. vetat portare virgam, hîc permittitur ut ferant: ſed quæ hîc ponuntur & apud Matthæum, nihil aliud innuunt, niſi proficiſcimini ſine mora & abſque apparatu, ut dicitur Gallice, *ſans verge ni bâton*, quod ſæpiſſimè dicitur de his, qui virgâ & baculo utuntur, tunc enim multa ad itinera præparabantur; quod & adhuc in uſu eſt in Oriente, & præcipuè apud Perſas, qui nequidem ad deambulationem abſque apparatu progrediuntur.
10. [p] *Inde*, ex ea civitate aut vico. Id eſt, ne mutetis hoſpitium.

11. Et

11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus veſtris in [a] teſtimonium illis.

12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent.

13. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.

Herodes audita fama Chriſti dicit Joannem Baptiſtam reſurrexiſſe.

14. Et audivit rex [b] Herodes [manifeſtum enim factum eſt nomen ejus] & dicebat: Quia Joannes Baptiſta reſurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias eſt. Alii verò dicebant: Quia propheta eſt, [c] quaſi unus ex prophetis.

16. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis reſurrexit.

Joannis mors ex occaſione narratur.

17. Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem [d] Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.

18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim [e] metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum; & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

21. Et cùm [f] dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.

22. Cùmque introiſſet [g] filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus: rex ait puellæ: Pete à me quod vis & dabo tibi.

23. Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.

24. Quæ cùm exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? at illa dixit: Caput Joannis Baptiſtæ.

25. Cùmque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petivit, dicens: Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.

26. Et contriſtatus eſt rex propter juſjurandum: & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare.

27. Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco. [h] Et decollavit eum in carcere.

28. Et attulit caput ejus in diſco: Et dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.

29. Quo audito, diſcipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & poſuerunt illud in monumento.

Secedit Jeſus in deſertum ubi ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiat.

30. Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant & docuerant.

31. At ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant.

32. Et aſcendentes in navim, abierunt in deſertum locum ſeorſum.

33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedeſtres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, & prævenerunt eos.

34. Et exiens vidit turbam multam Jeſus: & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oves non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa.

35. Et cùm jam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus hic, & jam hora præterit.

36. Dimitte illos ut euntes in proximas villas & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent.

37. Et reſpondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: [i] Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & videte. Et cùm cognoviſſent, dicunt: Quinque & duos piſces.

39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes [k] ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum.

40. Et diſcubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos: & duos piſces diviſit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt.

43. [l] Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos: & de piſcibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut procederent eum [m] trans fretum ad Bethſaïdam, dum ipſe dimitteret populum. Super mare ambulans tempeſtatem ſedat.

46. Et cùm dimiſiſſet eos, abiit in montem orare.

47. Et cùm ſero eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa [n] quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare: & volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.

51. Et aſcendit ad illos in navim, & ceſſavit ventus. Et [o] plus magis intra ſe ſtupebant:

11. [a] *Teſtimonium*, quòd nihil ab illis accepiſtis. Quòd in nulla re velitis cum illis communicare. Quòd veritas ipſis prædicata fuit, & quod illam reſpuerunt, & prædicatores repulerunt.
14. [b] *Herodes* Antipas. Magni ſive Aſcalonitæ filius. Rex Tetrarcha. *Ejus*, Jeſu. *Virtutes operantur in illo*, tot miracula facit.
15. [c] *Quaſi unus, &c.* ſimilis veteribus prophetis.
17. [d] *Philippi*, non Tetrarchæ, ſed alterius quem Herodes magnus habuerat ex Mariamne filia pontificis Simonis.
20. [e] *Metuebat*, reverebatur: ut concilientur Matthæus & Marcus dicendum quòd Herodes prius voluit occidere Joannem, ſed metu populi propoſitum non perfecit; ſed poſtea ex occaſione carceris, perſpectâ ſanctitate viri, eum coluerit & adverſus Herodiadem tutatus ſit.
21. [f] *Dies opportunus, &c.* dies quâ Herodes, &c.
22. [g] *Filia ipſius Herodiadis*, dicta Salome, quam Herodias habuerat à Philippo Herode fratre noſtri Herodis.
27. [h] *Et decollavit*. Syr. *profectus itaque amputavit*.
37. [i] *Euntes emamus, &c.* hoc ironicè dictum.
39. [k] *Secundùm contubernia*. Arab. *per turmas*.
43. [l] Arab. *Et ſuſtulerunt ex fragmentis & ex duobus piſcibus duodecim cophinos plenos*.
45. [m] *Trans fretum ad Bethſaidam*, citra fretum erat urbs Bethſaida, & trans fretum vicus Bethſaidæ, dictus Julias.
48. [n] *Quartam vigiliam*, vide cap. 14. Matthæi.
51. [o] *Plus magis intra ſe ſtupebant*, timentes ne navis non appropinquaret littori, & ne fame premerentur deficiente pane.

52. Non enim [a] intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

In terra Geneſareth plurimos tactu ſanat.

53. Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt.

54. Cùmque egreſſi eſſent de navi, continuò [b] cognoverunt eum.

55. Et percurrentes univerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui ſe male habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe.

56. Et quòcumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.

CAPUT VII.

Reſpondet Phariſæis arguentibus Chriſti diſcipulos, quòd illotis manibus manducarent.

1. ET convenient ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jeroſolymis.

2. Et cùm vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus, communibus manibus, id eſt non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3. Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum:

4. [c] Et à foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.

5. Et interrogabant eum Phariſæi & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant juxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem?

6. At ille reſpondens, dixit eis: Bene prophetavit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata urceorum, & calicum, & alia ſimilia his facitis multa.

9. Et dicebat illis: [d] Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis.

10. Moyſes enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, [e] Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:

12. Et ultrà non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri.

13. Reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis: & ſimilia hujuſmodi multa facitis.

14. Et advocans iterùm turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

Docet quænam poſſint hominem coinquinare.

15. Nihil eſt extra hominem introïens in eum, quod poſſit eum coinquinare; ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ [f] communicant hominem.

16. Si quis habet aures [g] audiendi, audiat.

17. Et cùm introiſſet in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam.

18. Et ait illis: Sic & vos [h] imprudentes eſtis? non intelligitis quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare.

19. Quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, [i] purgans omnes eſcas?

20. Dicebat autem, quoniam quæ de [k] homine exeunt, illa communicant hominem.

21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, [l] oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia;

23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.

Filiam Syrophœniſſæ à dæmonio liberat.

24. Et inde ſurgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.

25. Mulier enim ſtatim ut audivit de eo, cujus filia habebat ſpiritum immundum, [m] intravit & procidit ad pedes ejus.

26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.

27. Qui dixit illi: Sine priùs ſaturari filios: non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere [o] canibus.

28. At illa reſpondit, & dixit illi: Utique, Domine, [p] nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum.

29. Et ait illi: Propter hunc ſermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.

30. Et cùm abiiſſet domum ſuam, invenit puellam jacentem ſupra lectum, & dæmonium exiiſſe.

Surdum ac mutum ſanat.

31. Et iterùm exiens de finibus Tyri, venit per [q] Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei ſurdum & [r] mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba ſeorſum,

52. [a] *Intellexerunt*, adverterunt ſatis Chriſti potentiam.
54. [b] *Cognoverunt eum*, viri regionis cognoverunt Jeſum.
4. [c] *Et à foro*, & quod emunt ex plateis. *Syr. à plateis redeuntes. Lectorum*, tabularum lecti.
9. [d] *Bene*, ironia eſt. Vide cap. 15. Matthæi.
11. [e] *Corban (quod eſt donum.)* Id eſt, Deo conſecratum. Ex omni enim re Deo conſecrata vetabant Phariſæi ſubveniri parentibus licèt egenis & ad ſummam inopiam redactis.
15. [f] *Communicant*, Syr. *contaminat*, & ſic v. 18 & 23.
16. [g] *Audiendi*, Syr. *ad audiendum. Audiat*, expendat ſecum & intelligat.
18. [h] *Imprudentes eſtis*. Arab. Æth. *non intelligetis*.
19. [i] *Purgans*, puras relinquens; quoniam eſt ibi ſæx & purgamentum.
20. [k] *Homine*, corde hominis.
22. [l] *Oculus malus*, Æth. *invidia. Stultitia*, immodeſtia. Petulantia, cùm quis ea agit quæ à ratione aliena ſunt
25. [m] *Intravit*, hæc à Matthæo geſta dicuntur in via, ſed ſunt ſic exponenda. Prius ad domum acceſſit, in qua nullum à Chriſto reſponſum accepit, quem egredientem à domo ſequuta eſt & clamavit, &c.
26. [n] *Gentilis*, origine, ſed ad religionem Judaicam acceſſerat.
27. [o] *Canibus*, alieni enim à Judaiſmo reputabantur ut tales.
28. [p] *Nam & catelli*, tamen catelli.
31. [q] *Sidonem*, non urbem ſed fines Sidonis. *Per medios fines*, Syr. *ad confinium. Decapoleos*, regio eſt decem civitatum, partim cis partim trans Jordanem. Hiſtoria diverſa eſt ab altera de qua Matth. cap. 9. & Luc. cap. 11.
32. [r] *Mutum*, Gr. *difficulter loquentem*.

Digitized by Google

miſit digitos ſuos in auriculas ejus: & expuens, tetigit linguam ejus:

34. Et ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi Ephpheta, quod eſt adaperire.

35. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant:

37. Et eò ampliùs admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

CAPUT VIII.

Septem panibus & paucis piſciculis ſatiat quatuor hominum millia.

1. IN diebus illis iterùm cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, convocatis diſcipulis, ait illis:

2. Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo [a] ſuſtinent me, nec habent quod manducent.

3. Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.

4. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Unde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?

5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt ſeptem.

6. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, [b] gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis, ut apponerent, & appoſuerunt turbæ.

7. Et habebant piſculos paucos: & ipſos benedixit, & juſſit apponi.

8. Et manducaverunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperaverat de fragmentis, ſeptem ſportas.

9. Erant autem qui manducaverant quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.

Phariſæis ſignum de cœlo quærentibus illud negat.

10. Et ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis, venit [c] in partes Dalmanutha.

11. Et exierunt Phariſæi, & cœperunt [d] conquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cœlo, tentantes eum.

12. Et ingemiſcens ſpiritu ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi [e] dabitur generationi iſti ſignum.

Diſcipulos monet cavendum eſſe à fermento Phariſæorum, illoſque docet quid hæc ſibi velint.

13. Et [f] dimittens eos, aſcendit iterum navim, & abiit trans fretum

14. Et obliti ſunt panes ſumere: & niſi unum panem non habebant ſecum in navi.

15. Et præcipiebat eis dicens: Videte & cavete à [g] fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.

16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus,

17. Quo cognito, ait illis Jeſus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoſcitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum?

18. Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? nec recordamini,

19. Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis? dicunt ei: Duodecim.

20. Quando & ſeptem panes in quatuor millia: quot ſportas fragmentorum tuliſtis? & dicunt ei: Septem.

21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

22. Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret. Cæcum ſanat.

23. Et apprehenſâ manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus [h] impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum ſi quid videret.

24. Et aſpiciens, ait: Video [i] homines velut arbores ambulantes.

25. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus: & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia.

26. Et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam: & ſi in [k] vicum introïeris nemini dixeris.

27. Et egreſſus eſt Jeſus, & diſcipuli ejus, in [l] caſtella Cæſareæ Philippi: & in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: Quem me dicunt eſſe homines? Interrogat diſcipulos, quid de ſe ſentiant quorum nomine reſpondet Petrus.

28. Qui reſponderunt illi, dicentes: Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii verò [m] quaſi unum de prophetis.

29. Tunc dixit illis: Vos verò quem me eſſe dicitis? reſpondens Petrus, ait ei: Tu es Chriſtus.

30. Et comminatus eſt eis, ne cui dicerent de [n] illo.

31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari à ſenioribus, & à ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & occidi: & poſt tres dies reſurgere. Petrus arguitur quòd paſſioni Chriſti, quam ipſa diſcipulis prædicebat, ſe opponeret.

32. Et palam verbum loquebatur, & apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

33. Qui converſus, & [o] videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens: Vade retro me ſatana, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.

34. Et convocatâ turbâ cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult me ſequi deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Dat Chriſtus præcepta de tollenda cruce, &c.

35. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam

2. [a] *Suſtinent me*, manent apud me.
6. [b] *Gratias agens*, Syr. Arab. *benedixit*.
10. [c] *In partes Dalmanutha*, Matth. c. 15. v. 36. dicit *Magedan*: ſed hæ duæ urbes vicinæ erant.
11. [d] *Conquirere*, Syr. Arab. *diſceptare*, Perſ. *diſputare*. Arbitrabantur Jeſum in Beelzebud ſolum poſſe ſigna facere, illaque non eſſe à Deo, quapropter ſignum è cœlo quærebant.
12. [e] *Si*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *non*. Eſt loquendi genus eclypticum Hebræis uſitatiſſimum: id eſt, non ſim id qui haberi volo, Chriſtus filius Dei, ſi, &c.
13. [f] *Dimittens*, Syr. Perſ. Æth. *relinquit*.
15. [g] *Fermento*, doctrinâ: non omni omnino, ſed quâ docebant mandata aut inutilia, aut Dei mandatis adverſa. *Phariſæorum*, &c. Phariſæi ſignum requirebant, Herodes quoque cupiebat ſignum videre, Luc. c. 9. hæc in Phariſæis & in Herode notat Dominus. Itaque ſuos à præpoſtero hoc affectu cavere jubet. Herodes autem ſicut & alii magnates ſectæ erant Saducæorum, unde Matth. cap. 16 dicit, *fermento Phariſæorum, & Sadducæorum*.
23. [h] *Impoſitis manibus*, ejus oculis.
24. [i] *Homines velut arbores*. video formas hominum velut umbras, quomodo arbores à longe aſpicientibus, vel in nocte apparere ſolent. *Ambulantes*, referendum ad *homines*.
26. [k] *Vicum*, Bethſaidam.
27. [l] *Caſtella*, Syr. *vicos*, Perſ. *pagos*.
28. [m] *Quaſi*, hoc verbum non eſt in Syr. Arab. Perſ. Æth. verſionibus. De te loquuntur quaſi eſſes.
30. [n] *Illo*. Syr. *ſe*. Arab. *ipſo*.
33. [o] *Videns*, intuitus.

ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?

38. Qui enim me confeſſus fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera, & peccatrice: & Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui cum angelis ſanctis.

39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens [a] in virtute.

CAPUT IX.

Deſcribitur Transfiguratio Domini.

1. ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis.

2. Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.

3. Et apparuit illis Elias cum Moyſe: & erant loquentes cum Jeſu.

4. Et [b] reſpondens Petrus, ait Jeſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Moyſi unum, & Eliæ unum.

5. Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.

6. Et facta eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus chariſſimus, audite illum.

7. Et ſtatim circumſpicientes, neminem amplius viderunt, niſi Jeſum tantùm ſecum.

8. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent: niſi cùm Filius hominis à mortuis reſurrexerit.

9. Et [c] verbum continuerunt apud ſe conquirentes quid eſſet: cùm à mortuis reſurrexerit.

De adventu Eliæ diſſerit Chriſtus.

10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?

11. Qui reſpondens ait illis: Elias, cùm venerit primo, [d] reſtituet omnia: & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur.

12. Sed dico vobis quia & Elias [e] venit [& fecerunt illi quæcumque voluerunt] ſicut ſcriptum eſt de eo.

Narratur miraculum expulſionis ſurdi ac muti ſpiritus.

13. Et veniens ad diſcipulos [f] ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

14. Et confeſtim omnis populus videns Jeſum, [g] ſtupefactus eſt, & expaverunt, & accurrentes ſalutabant eum.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

16. Et reſpondens unus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum [h] mutum:

17. Qui [i] ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.

18. Qui reſpondens eis, dixit: [k] O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.

19. Et attulerunt eum. Et [l] cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbavit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans.

20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia:

21. Et frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum perderet: ſed ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri.

22. Jeſus autem ait illi: [m] Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.

23. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Domine: [n] adjuva incredulitatem meam.

24. Et cùm videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introëas in eum.

25. Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt.

26. Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit.

27. Et [o] cùm introiſſet in domum, diſcipuli ejus ſecreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt [p] exire, niſi in oratione, & jejunio.

Suam paſſionem prædicit.

29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam ſcire.

30. Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertiâ die reſurget.

31. At illi [q] ignorabant verbum: & timebant interrogare eum.

Diſcipulos docet quis eorum ſit major.

32. Et venerunt Capharnaum. Qui cùm domi eſſent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

33. At illi tacebant, ſi quidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet.

34. Et reſidens vocavit duodecim, & ait illis:

39. [a] *In virtute*, cum potentia.

4. [b] *Reſpondens*, Syr. Perſ. *dixit*.

9. [c] *Verbum*, rem hanc. *Conquirentes*, &c. ſignificare voluit eos non intellexiſſe quod Chriſtus dicebat de ſua reſurrectione.

11. [d] *Reſtituet*, quia convertet Judæos & Gentes ad Chriſtum. *Et quomodo*, &c. Arab. *& declaraturus quod ſcriptum eſt de Filio hominis*, &c. *Quomodo*, Perſ. *quemadmodum*. Æth. *& etiam ſcriptum*, &c. quemadmodum ſcriptum eſt de Chriſto, ſic accidet Eliæ. *Et quomodo*, &, redundat.

12. [e] *Venit*, in virtute & ſpiritu, in perſona Joannis. *Sicut ſcriptum eſt de eo*, illum venturum, apud Iſaiam & Malachiam.

13. [f] *Suos*, novem alios. *Conquirentes*, Syr. *diſceptantes*, Arab. *interrogantes*, diſputantes.

14. [g] *Obſtupefactus*, propter adventum ejus ſubitum & opportunum ad Scribas coërcendos, fortè etiam quia ex transfiguratione facies ejus auguſtior facta.

16. [h] *Mutum*, qui mutum facit.

17. [i] *Ubicumque*, Arab. *quoties*, quandocumque. *Spumat*, Arab. Æth. *ſpumare facit*. *Areſcit*, ſine ſenſu efficitur.

18. [k] *O generatio*, &c. poſſunt hæc & ad diſcipulos & ad Judæos eſſe dicta.

19. [l] *Cùm vidiſſet eum*, cùm puer vidiſſet Jeſum.

22. [m] *Si potes credere*, quod ego te poſſim adjuvare. *Omnia poſſibilia ſunt*, impetratu.

23. [n] *Adjuva incredulitatem meam*, Syr. *ſuccurre defectui fidei meæ*.

27. [o] *Cùm introiſſet*, Syr. *cùm Jeſus ingreſſus eſſet*.

28. [p] *Exire*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *ejici*.

31. [q] *Ignorabant*, Arab. *erant non intelligentes*. Non ignorabant omnino: hinc enim Matthæo referente contriſtati ſunt, ſed ex amore nolebant hoc fieri, & non intelligebant quomodo mors cum miraculis & potentia Chriſti, quam videbant, convenire poſſet.

Si quis vult primus eſſe, [a] erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.

Agit de illis quæ fiunt in nomine ſuo.

35. Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum: quem cùm [b] complexus eſſet, ait illis:

36. Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me ſuſceperit, [c] non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.

37. Reſpondit illi Joannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.

36. Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit [d] cito male loqui de me:

39. [e] Qui enim non eſt adversùm vos, pro vobis eſt.

40. Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, [f] non perdet mercedem ſuam.

De ſcandalis.

41. Et quiſquis [g] ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur.

42. Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi [h] debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:

43. Ubi [i] vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

44. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis:

45. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

46. Quòd ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum eſt tibi [k] luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:

47. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

48. [l] Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.

De ſale prudentiæ.

49. [m] Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

CAPUT X.

Docet non eſſe dimittendam uxorem aliam ducendo.

1. ET inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem: & conveniunt iterum turbæ ad eum: & ſicut conſueverat, iterum docebat illos.

2. Et accedentes Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem [n] dimittere: tentantes eum.

3. At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes?

4. Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere.

5. Quibus reſpondens Jeſus, ait: [o] Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.

6. Ab initio autem creaturæ, maſculum & fœminam fecit eos Deus.

7. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit ad uxorem ſuam:

8. Et erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.

10. Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit [p] ſuper eam.

12. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.

13. Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Diſcipuli autem [q] comminabantur offerentibus. Parvulos complexus benedicit eis.

14. Quos cùm videret Jeſus, indigne tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: [r] talium enim eſt regnum Dei.

15. Amen dico vobis: Quiſquis non [s] receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16. Et complexans eos: & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.

17. Et cùm egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magiſter bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? De divite qui cùm præcepta omnia à juventute ſervaſſet, noluit amplecti Chriſti conſilium de omnibus divendendis, &c.

34. [a] *Erit*, Arab. *ſit*, Perſ. *eſto*, Æth. *ſubjiciat ſe omnibus*.
35. [b] *Complexus eſſet*, Syr. *recepiſſet eum ſuper brachia ſua*.
36. [c] *Non me ſuſcipit*, Arab. Perſ. *non ſuſcipit me tantùm*. Non tam me, quam, &c.
38. [d] *Cito*, facilè.
39. [e] *Qui enim*, &c. hæc ſententia videtur pugnare cum altera c. 12. Matthæi, *qui non eſt mecum contra me eſt*, ſed in Matthæo agitur de animo, hîc de opere: quiſquis animo non ſe mihi jungit, contra me eſt; quiſquis in opere nihil agit quod inſtituto veſtro repugnet, non eſt vobis adverſarius.
40. [f] *Non perdet*, non fruſtrabitur. Ergo à fortiori, qui miracula operatur in nomine meo.
41. [g] *Scandalizaverit*, dederit peccandi occaſionem.
42. [h] *Debilem*, Syr. Arab. *mancum*.
43. [i] *Vermis*, &c. conſcientiæ remorſus, & memoria eorum quæ in hac vita fœde acta ſunt. metaphoram ſumit à victoribus qui egredi ſolent ut ſtragem hoſtium occiſorum videant, quorum corpora vermibus arrodentibus conſumuntur: vel, ignibus exuruntur.
46. [k] *Luſcum*, Syr. Arab. Perſ. *cum uno oculo*.
48. [l] *Omnis enim igne*, &c. ſicut omnis victima ſale debet ex lege Lev. c. 2. ſal vero unit & conſervat: ſic qui mittitur in gehennam, igne quaſi ſale conditur, ut crucietur ſemper & incorruptos maneat & quemadmodum nulla oblatio juxta legem ſacta, legitima eſt niſi per ignem tranſeat & ſale condiatur, ita quiſquis volet eſſe victima ſpiritualis quæ Deo ſit grata, neceſſe eſt igne tribulationis purgetur, probetur & velut ſaltus præſervetur, ne vel corrumpatur malorum contagio: vel, ſuo alios corrumpat.
49. [m] *Bonum eſt ſal*, &c. occaſione ſuperioris ſententiæ hanc adjecit, ſale nunc utens in ſignificatione ſapientiæ: hacque ſymbolica locutione ſignificat Apoſtolos in hoc delectos eſſe, ut ſua ſapientia velut ſale condiant terrenorum hominum ſapientiam, & curent ne per cupiditates rerum terrenarum inſulſi fiant. *Habete ſal*, prudentiam, cujus ſal eſt ſimbolum. *Et pacem*, non contendendo de primatu, ſal quippe unit, denſat, & quaſi coagulat; unde in fœderibus, tanquam unionis teſſera Hebræis uſitatum, Num. c. 19 v. 19.
2. [n] *Dimittere*, quavis de cauſa: nam aliqua de cauſa poſſe non dubitabant.
5. [o] *Ad*, Arab. Perſ. *propter*.
11. [p] *Super*, Æth. *contra*, adverſus.
13. [q] *Comminabantur*, Syr. Æth. *objurgabant*, Arab. *increpabant*, Perſ. *prohibebant*.
14. [r] *Talium*, innocentium & ſimplicium.
15. [s] *Receperit regnum Dei*, recipere regnum Dei dicebantur Hebræis, qui ſe lege ſubjiciebant. *Receperit*, adipiſci ſtuduerit. *Regnum Dei*, verbum Dei & bona per Evangelium promiſſa. *Parvulus*, depoſitâ omni malitiâ, I. Petri c. 2.

Digitized by Google

18. Jeſus autem dixit ei: [a] Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi unus Deus.

19. Præcepta noſti: Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falſum teſtimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum, & matrem.

20. At ille reſpondens, ait illi: Magiſter, hæc omnia obſervavi à juventute mea.

21. Jeſus autem intuitus eum, [b] dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deeſt: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me.

22. Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas poſſeſſiones.

Explicat diſcipulis quam ſit difficile introire in regnum Dei.

23. Et circumſpiciens Jeſus, ait diſcipulis ſuis: Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!

24. Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus reſpondens ait illis: Filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!

25. [c] Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſalvus fieri?

27. Et intuens illos Jeſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.

Dicit quid præmii conſequentur, qui omnia propter ipſum reliquerunt.

28. Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.

29. Reſpondens Jeſus, ait: Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Evangelium,

30. Qui non accipiat [d] centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.

31. Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

Loquitur de futura ſua paſſione.

32. Erant autem in via aſcendentes Jeroſolymam: & præcedebat illos Jeſus, & [e] ſtupebant: & ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ eſſent ei eventura.

33. Quia ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & ſenioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus:

34. Et illudent, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertiâ die reſurget.

Occaſione petitionis filiorum Zebedæi, docet diſcipulos quòd non oſtentatione dominii, ſed officio miniſterii, debeant eſſe majores.

35. Et accedunt ei ad eum Jacobus, & Joannes filii Zebedæi, [f] dicentes: Magiſter, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

36. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?

37. Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam, ſedeamus in gloria tua.

38. Jeſus autem ait eis: Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego [g] bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?

39. At illi dixerunt ei: [h] Poſſumus. Jeſus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; & baptiſmo, quo ego baptizor baptizabimini:

40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, [i] non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.

41. Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo, & Joanne.

42. Jeſus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum poteſtatem habent ipſorum.

43. Non ita eſt autem in vobis, ſed quicumque voluerit fieri major, [k] erit veſter miniſter.

44. Et quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.

45. Nam & Filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.

46. Et veniunt Jericho, & proficiſcente eo de Jericho, & diſcipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, ſedebat juxta viam mendicans. Bartimæum cæcum ſanat.

47. Qui cùm audiſſet quia Jeſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere: Jeſu fili David, miſerere mei.

48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multò magis clamabat: Fili David, miſerere mei.

49. Et ſtans Jeſus præcepit illum vocari: & vocant cæcum, dicentes ei: Animæquior eſto: ſurge, vocat te.

50. Qui projecto [l] veſtimento ſuo exiliens, venit ad eum.

51. Et reſpondens Jeſus, dixit illi: Quid tibi vis faciam? cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam.

52. Jeſus autem ait illi: Vade, fides tua te ſalvum fecit: & confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.

CAPUT XI.

Super pullum aſinæ Jeruſalem ingreditur magno cum plauſu.

1. ET cùm [m] appropinquarent Jeroſolymæ & Bethaniæ ad montem olivarum, mit-

18. [a] *Quid me dicis bonum*, &c. quem non credis Deum, cùm Deus ſolus ſit bonus, vide v. 17. c. 19. apud Matth.

21. [b] *Dilexit*, dilectionis ſigna dedit, vultu ad benevolentiam compoſito.

25. [c] *Facilius eſt*, &c. proverbialis locutio apud Syros, Judæos, & Arabes.

30. [d] *Centies tantum*, quæ enim miniſteria & ſolatia ab illis perſonis accipiebant, ea Deus ſupplet per alias miris modis. *Cum perſecutoribus*, etiam in mediis perſecutionibus.

32. [e] *Stupebant, & ſequentes timebant*, cognoſcentes mortem Jeſu decretam à Judæorum principibus, mirabantur quod ſe in tam apertum diſcrimen committeret, & timebant ſibi & Jeſu.

35. [f] *Dicentes*, &c. hæc per matrem dicta ſunt vide c. 20. Matth.

38. [g] *Bibo*, præſentia pro futuris.

39. [h] *Poſſumus*, adhuc carnaliter ſapiebant de poculo ſenſibili, & de baptiſmate quo Judæi ſe lavabant ante cibum.

40. [i] *Non eſt meum dare*, non eſt quemadmodum putatis meum dare quibuslibet. *Sed quibus*, &c. Syr. Perſ. Arab. *niſi iis quibus. Sed illis tantum quibus paratum eſt à patre, & qui laboraverint ut mereantur talem dignitatem: neque enim Agonothetæ coronas dant, niſi iis qui poſt certamen vicerint.*

43. [k] *Erit*, ſit.

50. [l] *Veſtimento*, pallio.

1. [m] *Appropinquarent*, non procul abeſſent Jeroſolymæ & Bethaniæ. Bethania enim erat inter Jericho & Jeruſalem, quindecim ſtadiis ab ultima diſtans.

Digitized by Google

tit duos ex diſcipulis ſuis,

2. Et ait illis: Ite in [a] caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim introëuntes illuc, invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit, ſolvite illum, & adducite.

3. Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino neceſſarius eſt: & continuò illum dimittet huc.

4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in [b] bivio: & ſolvunt eum.

5. Et quidam de illic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſolventes pullum?

6. Qui dixerunt ei ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis.

7. [c] Et duxerunt pullum ad Jeſum: & imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.

8. Multi autem veſtimenta ſua ſtraverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & ſternebant in via.

9. Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant, dicentes: [d] Hoſanna.

10. Benedictus qui venit in nomine Domini: [e] Benedictum quod venit regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis.

11. Et introivit Jeroſolymam in templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

12. Et [f] aliâ die cùm exirent à Bethania, eſuriit.

Ficum maledicendo arefacit.

13. Cùmque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in ea, & cùm veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.

14. Et reſpondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet. Et audiebant diſcipuli ejus.

Ementes ac vendentes de templo ejicit, quod ſummi ſacerdotes ægre ferunt.

15. Et veniunt Jeroſolymam. [g] Et cùm introiſſet in templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.

16. Et non ſinebat ut quiſquam [h] transferret vas per templum:

17. Et docebat dicens eis: Nonne ſcriptum eſt: Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

18 Quo audito, principes ſacerdotum, & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam univerſa turba admirabatur ſuper doctrina ejus.

Occaſione ficus arefactæ efficaciã fiduciæ in Deum oſtendit.

19. Et cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de civitate.

20. Et cùm mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.

21. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi ecce ficus, cui maledixiſti, aruit.

22. Et reſpondens Jeſus, ait illis: Habete fidem [i] Dei.

23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: [k] Tollere, & mittere in mare: & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit: quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

24. Proptereà dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.

Docet fratri remittenda eſſe quæ in nos commiſit.

25. Et cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſùs aliquem: ut & Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra:

26. Quòd ſi vos non dimiſeritis: nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.

Eludit quæſtionem Scribarum de ſua autoritate, propoſita quæſtione de baptiſmo Joannis.

27. Et veniunt rurſus Jeroſolymam. Et cùm ambularet in templo, accedunt ad eum ſummi ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores.

28. Et dicunt ei: In qua poteſtate hæc facis; & quis dedit tibi hanc poteſtatem ut iſta facias.

29. Jeſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & reſpondete mihi: & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam.

30. Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi.

31. At illi cogitabant ſecum, dicentes: Si dixerimus, de cœlo, dicet, Quare ergo non crediditis ei?

32. Si dixerimus, ex hominibus, timemus populum, omnes enim habebant Joannem quia verè propheta eſſet.

33. Et reſpondentes dicunt Jeſu: Neſcimus. Et reſpondens Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam.

CAPUT XII.

Parabolam narrat Chriſtus de vinea agricolis elocata, qui ſervos ac filium patrisfamilias occiderunt, &c.

1. ET [l] cœpit illis in parabolis loqui: Vineam paſtinavit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.

2. Et miſit ad agricolas in tempore ſervum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

3. Qui apprehenſum eum [m] ceciderunt, & dimiſerunt vacuum.

4. Et iterum miſit ad illos alium ſervum: & illum [n] in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.

5. Et rurſum alium miſit, & illum occiderunt, & plures alios: quoſdam cædentes, alios verò occidentes.

6. Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum: & illum miſit ad eos noviſſimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum.

2. [a] *Caſtellum*, Syr. Perſ. *pagum*, vicum. *Contra vos*, Syr. Perſ. *è regione*.
4. [b] *Bivio*, Syr. Perſ. *platea*, Arab. *via*, Æth. *ad tranſitum*.
7. [c] *Et duxerunt*, &c. vide de hac inequitatione, quæ dicta Matth. cap. 21.
9. [d] *Hoſanna*, ſerva obſecro.
10. [e] *Benedictum*, felix fauſtumque ſit. *Regnum patris noſtri David*. ſpectabant enim per Meſſiam regnum Iſraël reſtituendum quale fuerat temporibus David & Salomonis. *In excelſis*, de excelſis: vel, qui habitas in excelſis.
12. [f] *Alia*, Syr. Perſ. *poſtero*.
15. [g] *Et cùm introiſſet*, &c. redit ad ea quæ pridie facta ſunt, uſus recapitulatione, ut patet ex Matthæo.

16. [h] *Transferret vas*, Arab. *introire cum mercibus*, Perſ. *rem aliam venalem*.
22. [i] *Dei*, Arab. *in Deum*, hæc de fide ſive fiducia miraculorum intelligenda.
23. [k] *Tollere . . . mittere*, accipienda ſunt paſſive.
1. [l] *Cœpit in parabolis loqui*, non quòd primâ vice cœperit, ſed quòd cœperit infidelitatem Sacerdotum & Scribarum depingere. *Lacum*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *torcular*. Receptaculum vini in torculari expreſſi, lacunis enim effoſſis olim vinum recèns expreſſum recipiebatur.
3. [m] *Ceciderunt*, Syr. Æth. *percuſſerunt*, Perſ. *verberarunt*.
4. [n] *In capite vulneraverunt*, Syr. Perſ. *lapidaverunt*.

7. Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic eſt heres : venite , occidamus eum : & noſtra erit hæreditas.

8. Et apprehendentes eum , occiderunt : & ejecerunt extra vineam.

9. Quid ergo faciet Dominus vineæ ? [a] Veniet , & perdet colonos : & dabit vineam aliis.

10. Nec ſcripturam hanc legiſtis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes , hic factus eſt in caput anguli :

11. A Domino factum eſt iſtud , & eſt mirabile in oculis noſtris ?

12. Et quærebant eum tenere : & timuerunt turbam , cognoverunt enim quoniam [b] ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

Tentatur à Phariſæis de cenſu Cæſari ſolvendo.

13. Et mittunt ad eos quoſdam ex Phariſæis , & [c] Herodianis , ut eum caperent in verbo.

14. Qui venientes dicunt ei : Magiſter , ſcimus quia verax es , & non curas quemquam : nec enim vides in faciem hominum , ſed in veritate viam Dei doces , licet dari tributum Cæſari , an non dabimus ?

15. Qui ſciens verſutiam illorum , ait illis : Quid me tentatis ? afferte mihi denarium ut videam.

16. At illi attulerunt ei. Et ait illis : Cujus eſt imago hæc , & inſcriptio ? Dicunt ei : Cæſaris.

17. Reſpondens autem Jeſus dixit illis : Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris , Cæſari : & quæ ſunt Dei , Deo. Et mirabantur ſuper eo.

Tentatur à Sadducæis de reſurrectione.

18. Et venerunt ad eum Sadducæi , qui dicunt reſurrectionem non eſſe : & interrogabant eum , dicentes :

19. Magiſter , Moyſes nobis ſcripſit , ut ſi cujus frater mortuus fuerit , & dimiſerit uxorem , & filios non reliquerit , accipiat frater ejus uxorem ipſius , & reſuſcitet [d] ſemen fratri ſuo.

20. Septem ergo fratres erant : & primus accepit uxorem , & mortuus eſt non relicto ſemine.

21. Et ſecundus accepit eam , & mortuus eſt : & nec iſte reliquit ſemen : & tertius ſimiliter.

22. Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem , & non reliquerunt ſemen. Noviſſima omnium defuncta eſt & mulier.

23. In reſurrectione ergo cùm reſurrexerint , cujus de his erit uxor ? ſeptem enim habuerunt eam uxorem.

24. Et reſpondens Jeſus , ait illis : Nonne ideo erratis , [e] non ſcientes ſcripturas , neque virtutem Dei.

25. Cùm enim à mortuis reſurrexerint , neque nubent , neque nubentur , ſed ſunt ſicut angeli in cœlis.

26. De mortuis autem quod reſurgant , non legiſtis in [f] libro Moyſi , ſuper rubum quomodo dixerit illis Deus , inquiens : Ego ſum Deus Abraham , & Deus Iſaac , & Deus Jacob ?

27. Non eſt Deus mortuorum , ſed vivorum. Vos ergo multum erratis.

Interrogatur à ſcriba de primo mandato.

28. Et acceſſit unus de Scribis , qui audierat illos conquirentes , & videns quoniam bene illis reſponderit , interrogavit eum quod eſſet primum omnium mandatum.

29. Jeſus autem reſpondit ei : Quia primum omnium mandatum eſt : Audi Iſrael , Dominus Deus tuus , Deus unus eſt.

30. [g] Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex tota mente , & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum.

31. Secundum autem ſimile eſt illi : Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Majus horum aliud mandatum non eſt.

32. Et ait illi Scriba : Benè Magiſter , in veritate dixiſti , quia unus eſt Deus , & non eſt alius præter eum.

33. Et ut diligatur ex toto corde , & ex toto intellectu , & ex tota anima , & ex tota fortitudine : & diligere proximum tanquam ſe ipſum , majus eſt omnibus holocautomatibus , & ſacrificiis.

34. Jeſus autem videns quòd ſapienter reſpondiſſet , dixit illi : [h] Non es longè à regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

Ipſe verò Scribas interrogat quomodo dicant Chriſtum eſſe filium David.

35. Et reſpondens Jeſus dicebat , docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum filium eſſe David.

36. Ipſe enim David dicit [i] in Spiritu ſancto : Dixit Dominus Domino meo , ſede à dextris meis , donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Docet ab ipſis eſſe cavendum propter vitia quibus abundant.

37. Ipſe ergo David dicit eum Dominum , & [k] unde eſt filius ejus ? & multa turba eum libenter audivit.

38. Et dicebat eis [l] in doctrina ſua : Cavete à Scribis , qui volunt in ſtolis ambulare , & ſalutari in foro ,

39. Et in primis cathedris ſedere in ſynagogis , & primos diſcubitus in cœnis.

40. Qui devorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis : hi accipient [m] prolixius judicium.

Viduam laudat ob duo minuta in gazophylacium miſſa.

41. Et ſedens Jeſus contra gazophylacium , aſpiciebat quomodo turba jactaret æs in [n] gazophylacium , & multi divites jactabant multa.

42. Cùm veniſſet autem vidua una pauper , miſit duo minuta , quod eſt quadrans.

43. Et convocans diſcipulos ſuos , ait illis : Amen dico vobis , quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit , qui miſerunt in gazophylacium.

45. Omnes enim ex eo , quod abundabat illis , miſerunt : hæc vero de penuria ſua omnia quæ habuit miſit totum [o] victum ſuum.

9. [a] *Veniet , &c.* reſponſio eſt Judæorum , ut ex Matthæo.
12. [b] *Ad eos* , Syr. *adversùs ipſos.* Ordo hujus verſus inverſus eſt. *Timuerunt , &c.* debent poni poſt *dixerit.*
13. [c] *Herodianis* , Syr. Perſ. *domeſticis* , Æth. *hominibus Herodis* , liberti Herodis , qui tributis exigendis præerant. Calmet exponit de diſcipulis Judæ Galilæi , qui docebat non eſſe ſolvenda tributa.
19. [d] *Semen* , prolem , filios.
24. [e] *Non ſcientes* , Syr. *quod neſciatis.*
26. [f] *Libro Moyſi* , Exodo. *Super rubum quomodo* , Syr. *quomodo à rubo.*
30. [g] *Et diliges* , itaque diliges.

34. [h] *Non es longè à regno Dei* , non multùm abeſt quin regnet in te Chriſtus : vel , quia cognoſcas veram rationem quâ Deo placere poſſis.
36. [i] *In ſpiritu* , Syr. Perſ. *per ſpiritum.* Afflatus ſpiritu.
37. [k] *Unde* , quomodo.
38. [l] *In doctrina* , Arab. *inter doctrinam* , ſuo docendi modo. *Stolis* , veſtes erant talares ac ſplendidæ , fimbriis maximis ornatæ.
40. [m] *Prolixius judicium* , graviorem condemnationem.
41. [n] *Gazophylacio* , quod erat in atrio mulierum , ubi erant tredecim arcæ , in hoc atrio porticus erat ubi Chriſtus docebat.
44. [o] *Victum* , quo ad victitandum indigebat.

CAPUT

CAPUT XIII.

Plurima prædicit de everſione templi, de bellis, afflictionibus, perſecutionibus diſcipulorum, ruina Jeruſalem, pſeudo prophetis, ſecundo adventu Filii hominis, & conſummatione ſæculi.

1. ET cùm egrederetur de templo, ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.

2. Et reſpondens Jeſus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

3. Et cùm ſederet in monte Olivarum [a] contra templum interrogabant eum ſeparatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas.

4. Dic nobis, quando iſta fient? & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipient conſummari.

5. Et reſpondens Jeſus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos ſeducat:

6. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia [b] ego ſum: & multos ſeducent.

7. Cùm audieritis autem bella, & [c] opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: ſed nondum finis.

8. Exurget enim gens contra gentem, & regnum [d] ſuper regnum, & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.

9. [e] Videte autem voſmetipſos. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides & reges ſtabitis propter me, in teſtimonium illis.

10. Et in omnes gentes [f] primùm oportet prædicari Evangelium.

11. Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: ſed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & conſurgent filii in parentes, & morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit.

14. Cùm autem videritis [g] abominationem deſolationis, ſtantem ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes.

15. Et qui ſuper tectum, ne [h] deſcendat in domum, nec introëat ut tollat quid de domo ſua.

16. Et qui in agro erit, non revertatur retrò tollere veſtimentum ſuum.

17. Væ autem [i] prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

18. Orate verò ut hieme [k] non fiant.

19. Erunt enim [l] dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, uſque nunc, neque fient.

20. Et niſi breviaſſet Dominus [m] dies, non fuiſſet ſalva omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breviabit dies.

21. Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic, ne credideritis.

22. Exurgent enim pſeudo-Chriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos.

23. [n] Vos ergo videte: Ecce prædixi vobis omnia.

24. Sed in illis diebus, poſt tribulationem illam, ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum:

25. [o] Et ſtellæ cœli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cœlis ſunt, movebuntur.

26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria.

27. Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à [p] ſummo terræ, uſque ad ſummum cœli.

28. A ficu autem diſcite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas:

29. Sic & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quod in proximo ſit in oſtiis.

30. [q] Amen dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant.

31. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.

32. De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque angeli in cœlo, [r] neque Filius, niſi Pater.

Cùm tempus conſummationis ſæculi incertum ſit, omnes vigiles eſſe admonet.

33. [ſ] Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.

34. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum ſuam, & [t] dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcepit ut vigilet.

35. Vigilate ergo; [neſcitis enim quando Dominus domus veniat: ſero, an mediâ nocte, an [u] galli cantu, an mane.]

26. Ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes.

37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

3. [a] *Contra*, Syr. Perſ. *è regione*, Æth. *ex adverſo*.
6. [b] *Ego ſum*, addendum *Chriſtus*.
7. [c] *Opiniones*, Syr. Perſ. *rumorem*, Arab. *famas*.
8. [d] *Super*, Syr. Perſ. *in*, Arab. Æth. *contra*, adverſus.
9. [e] *Videte voſmetipſos*, Syr. Æth. *cavete vobis*. Perſ. *vos in animo veſtra confirmati eſtote, & cor veſtrum fortificate: eo quod*, &c. *In teſtimonium illis*, Æth. *ut ſiat teſtimonium contra illos*.
10. [f] *Primum*, Syr. *prius*. Antequam ſæculi conſummatio veniat.
14. [g] *Abominationem deſolationis*, Syr. *portentum illud immundum vaſtationis, quod dictum eſt per Danielem prophetam*. &c. *Qui legit, intelligat*, hoc in Syr. Arab. Perſ. Æth. inter duas parentheſes. vide c. 24. Matthæi.
15. [h] *Deſcendat in domum*, ut in ea maneat.
17. [i] *Prægnantibus, & nutrientibus*, quia non poſſunt fugere.

18. [k] *Non fiant*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *ne ſit fuga veſtra*.
19. [l] *Dies illi*, Syr. Arab. *in illis diebus*, Perſ. *illo*.
20. [m] *Dies*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *dies illos*.
23. [n] *Vos videte*, Syr. Æth. *cavete vobis*.
25. [o] Vide c. 24. Matthæi.
27. [p] *Summo*, Syr. *extremo*, Arab. Æth. *extremitate*.
30. [q] Vide c. 24. Matthæi.
32. [r] *Neque filius*, neque enim ſcit ut revelet. præterea neſcit, ut filius hominis, novit enim ea ſola unione verbi.
33. [ſ] *Videte*, Syr. Æth. *cavete vobis*. *Tempus* ultimi judicii.
34. [t] *Dedit poteſtatem cujuſque operis*. Syr. *unicuique opus ſuum*. Æth. *aſſignat ſingulis ſervis opera ſua*, Perſ. *ſervis ſuis mandata dedit, & unicuique opus ſuum aſſignavit*. Sic agetur in regno Dei ſicut cùm pater familias. &c.
35. [u] *Galli cantu*, gallicinio, quod prope auroram.

Digitized by Google

ſimiliter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum ut diſcederet de finibus eorum.

18. Cùmque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo:

19. Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tuî.

20. Et abiit, & cœpit prædicare in [a] Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus: & omnes mirabantur.

De filia archiſynagogi.

21. Et cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

22. Et venit quidam de archiſynagogis nomine Jayrus; & videns eum, procidit ad pedes ejus.

23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat.

24. [b] Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

Hiſtoria ſanationis mulieris à duodecim annis fluxum ſanguinis habentis.

25. Et mulier quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim,

26. Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis: & erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.

27. Cùm audiſſet de Jeſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum ejus.

28. Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.

29. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus: & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga.

30. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens [c] virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea?

31. Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

32. Et [d] circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

33. Mulier verò timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.

Pergit narrare Hiſtoriam reſurrectionis filiæ archiſynagogi.

35. Adhuc eo loquente, veniunt [e] ab archiſynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua eſt: quid ultrà vexas Magiſtrum?

36. Jeſu autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere: tantùm modò crede.

37. Et non admiſit quemquam [f] ſe ſequi, niſi Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archiſynagogi, & & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multum.

39. Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non eſt mortua, ſed [g] dormit.

40. Et irridebant eum, ipſe verò, ejectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.

42. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obſtupuerant ſtupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.

CAPUT VI.

Chriſti doctrinam in ipſius patria contribules admirantur ubi tamen Chriſtus propter illorum incredulitatem pauca edit miracula.

1. ET egreſſus inde abiit in [h] patriam ſuam: & ſequebantur eum diſcipuli ſui:

2. Et facto ſabbato cœpit in ſynagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi; & [i] virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?

3. Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, [k] frater Jacobi, & Joſeph, & Judæ, & Simonis? nonne & ſorores ejus hîc nobiſcum ſunt? & ſcandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jeſus: Quia non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.

5. Et [l] non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit.

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat [m] caſtella in circuitu docens.

7. Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis [n] poteſtatem ſpirituum immundorum.

Apoſtolos mittit ad prædicandum, qui regrediuntur multo fructu facto.

8. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, [o] niſi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs,

9. Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis: Quòcumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis [p] inde,

20. [a] *Decapoli*, quæ erat non ſolùm prope Tyrum & Sidonem, ſed etiam prope & trans lacum Geneſareth.
24. [b] *Et abiit cum illo*, Syr. *& abiit Jeſus.*
30. [c] *Virtutem*, virtutis effectum ſeu ſanationem miraculoſam.
32. [d] *Circumſpiciebat videre*, Æth. *converſus fuit ut videret.*
35. [e] *Ab archiſynagogo*, Syr. Perſ. *à domo principis*, Arab. *ad principem, &c.*
37. [f] *Se*, ingredientem domum.
39. [g] *Dormit*, dormiebat Chriſto, qui eam poterat excitare.
1. [h] *Patriam*, ex vulgi opinione Nazareth, quia ibi educatus.
2. [i] *Virtutes*, Perſ. *prodigia.*
3. [k] *Frater*, cùm alibi Evangeliſta illis matrem aliam aſſignet, præter Mariam matrem Domini, quam appellat Mariam Jacobi & Joſeph, evidens eſt hîc fratres non intelligi de eadem matre, ſed ad uſum linguæ Hebraicæ cognatos.

5. [l] *Non poterat*, nolebat, quia non conveniebat propter illorum infidelitatem: ad hoc enim ut miracula fiant, requiritur fides ſuſcipientis. *Virtutem*, Perſ. *miracula.*
6. [m] *Caſtella*, Syr. Perſ. *pagos*, Æth. *civitates.*
7. [n] *Poteſtatem ſpirituum*. Syr. *poteſtatem ejiciendi ſpiritus immundos.*
8. [o] *Niſi virgam*, Matthæi cap. 10. vetat portare virgam. hîc permittitur ut ferant: ſed quæ hîc ponuntur & apud Matthæum, nihil aliud innuunt, niſi proficiſcantur ſine mora & abſque apparatu, ut dicitur Gallicè, *ſans verge ni bâton*, quod ſæpiſſimè dicitur de his, qui virgâ & baculo utuntur, tunc enim multa ad itinera præparabantur; quod & adhuc in uſu eſt in Oriente, & præcipuè apud Perſas, qui nequidem ad deambulationem abſque apparatu progrediuntur.
10. [p] *Inde*, ex ea civitate aut vico. Id eſt, ne mutetis hoſpitium.

11. Et

Digitized by Google

11. Et quicumque oon recepetint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus veſtris in [a] teſtimooium illis.

12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent.

13. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.

Herodes audita fama Chriſti dicit Joannem Baptiſtam reſurrexiſſe.

14. Et aodivit rex [b] Herodes [manifeſtum enim factum eſt nomen ejus] & dicebat: Quia Joannes Baptiſta reſurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias eſt. Alii verò dicebant: Quia propheta eſt, [c] quaſi unus ex prophetis.

16. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis reſurrexit.

Joannis mors ex occaſione narratur.

17. Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem [d] Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.

18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim [e] metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum; & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

21. Et cùm [f] dies opportuoos accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.

22. Cùmque introiſſet [g] filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus: rex ait puellæ: Pete à me quod vis & dabo tibi.

23. Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.

24. Quæ cùm exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? at illa dixit: Caput Joannis Baptiſtæ.

25. Cùmque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petivit, dicens: Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.

26. Et contriſtatus eſt rex propter jusjurandum: & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare.

27. Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco. [h] Et decollavit eum io carcere.

28. Et attulit caput ejus in diſco: Et dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.

29. Quo audito, diſcipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & poſuerunt illud in monumento.

Secedit Jeſus in deſertum ubi ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiat.

30. Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant & docuerant.

31. At ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec ſpatium maoducandi habebant.

32. Et aſcendentes io navim, abierunt in deſertum locum ſeorſum.

33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedeſtres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, & prævenerunt eos.

34. Et exiens vidit turbam multam Jeſus: & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oves non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa.

35. Et cùm jam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus hic, & jam hora præteriit.

36. Dimitte illos ut euntes in proximas villas & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent.

37. Et reſpondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: [i] Eontes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & videte. Et cùm cognoviſſent, dicunt: Quinque & duos piſces.

39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes [k] ſecundùm cootubernia ſuper viride fœnum.

40. Et diſcubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos: & duos piſces diviſit omoibus.

42. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt.

43. [l] Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos: & de piſcibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut procederent eum [m] trans fretum ad Bethſaïdam, dum ipſe dimitteret populum. Super mare ambulans tempeſtatem ſedat.

46. Et cùm dimiſiſſet eos, abiit in montem orare.

47. Et cùm ſero eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa [n] quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare: & volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, oolite timere.

51. Et aſcendit ad illos in navim, & ceſſavit ventus. Et [o] plus magis intra ſe ſtupebant:

11. [a] *Teſtimonium*, quòd nihil ab illis accepiſtis. Quòd in nulla re velitis cum illis communicare. Quòd veritas ipſis prædicata fuit, & quod illam reſpuerunt, & prædicatores repulerunt.
14. [b] *Herodes* Antipas, Magni ſive Aſcalonitæ filius. Rex Tetrarcha. *Ejus*, Jeſu. *Virtutes operantur in illo*, tot miracula facit.
15. [c] *Quaſi unus*, &c. ſimilis veteribus prophetis.
17. [d] *Philippi*, non Tetrarchæ, ſed alterius quem Herodes magnus habuerat ex Mariamne filia pontificis Simonis.
20. [e] *Metuebat*, reverebatur: ut concilientur Matthæus & Marcus dicendum quòd Herodes prius voluit occidere Joannem, ſed metu populi propoſitum non perfecit, ſed poſteà ex occaſione carceris, perſpectâ ſanctitate viri, eum coluerit & adverſus Herodiadem tutatus ſit.
21. [f] *Dies opportunus*, &c. dies quâ Herodes, &c.
22. [g] *Filia ipſius Herodiadis*, dicta Salome, quam Herodias habuerat à Philippo Herode fratre noſtri Herodis.
27. [h] *Et decollavit*, Syr. *profectus itaque amputavit*.
37. [i] *Euntes emamus*, &c. hoc ironicè dictum.
39. [k] *Secundùm contubernia*, Arab. *per turmas*.
43. [l] Arab. *Et ſuſtulerunt ex fragmentis & ex duobus piſcibus duodecim cophinos plenos*.
45. [m] *Trans fretum ad Bethſaidam*, citra fretum erat urbs Bethſaida, & trans fretum vicus Bethſaidæ, dictus Julias.
48. [n] *Quartam vigiliam*, vide cap. 14. Matthæi.
51. [o] *Plus magis intra ſe ſtupebant*, timentes ne navis non appropinquaret littori, & ſic fame premerentur deficiente pane.

52. Non enim [a] intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

In terra Geneſareth plurimos tactu ſanat.

53. Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt.

54. Cùmque egreſſi eſſent de navi, continuò [b] cognoverunt eum.

55. Et percurrentes univerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui ſe male habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe.

56. Et quòcumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.

CAPUT VII.

Reſpondet Phariſæis arguentibus Chriſti diſcipulos, quòd illotis manibus manducarent.

1. ET conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jeroſolymis.

2. Et cùm vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus, communibus manibus, id eſt non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3. Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum:

4. [c] Et à foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.

5. Et interrogabant eum Phariſæi & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant juxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem?

6. At ille reſpondens, dixit eis: Bene prophetavit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata urceorum, & calicum, & alia ſimilia his facitis multa.

9. Et dicebat illis: [d] Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis.

10. Moyſes enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, [e] Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:

12. Et ultrà non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri.

13. Reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis: & ſimilia hujuſmodi multa facitis.

Docet quænam poſſint hominem coinquinare.

14. Et advocans iterùm turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

15. Nihil eſt extra hominem introïens in eum, quod poſſit eum coinquinare: ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ [f] communicant hominem.

16. Si quis habet aures [g] audiendi, audiat.

17. Et cùm introiſſet in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam.

18. Et ait illis: Sic & vos [h] imprudentes eſtis? non intelligitis quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare.

19. Quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, [i] purgans omnes eſcas?

20. Dicebat autem, quoniam quæ de [k] homine exeunt, illa communicant hominem.

21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, [l] oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia;

23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.

Filiam Syrophœniſſæ à dæmonio liberat.

24. Et inde ſurgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.

25. Mulier enim ſtatim ut audivit de eo, cujus filia habebat ſpiritum immundum, [m] intravit & procidit ad pedes ejus.

26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.

27. Qui dixit illi: Sine priùs ſaturari filios: non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere [o] canibus.

28. At illa reſpondit, & dixit illi: Utique, Domine, [p] nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum.

29. Et ait illi: Propter hunc ſermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.

30. Et cùm abiiſſet domum ſuam, invenit puellam jacentem ſupra lectum, & dæmonium exiiſſe.

Surdum ac mutum ſanat.

31. Et iterùm exiens de finibus Tyri, venit per [q] Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei ſurdum & [r] mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba ſeorſum,

---

52. [a] *Intellexerunt*, adverterunt ſatis Chriſti potentiam.
54. [b] *Cognoverunt eum*, viri regionis cognoverunt Jeſum.
4. [c] *Et à foro*, & quod emunt ex plateis, *Syr. à plateis redeuntes. Lectorum*, tabularum lecti.
9. [d] *Bene*, ironia eſt. Vide cap. 15. Matthæi.
11. [e] *Corban (quod eſt donum.)* Id eſt, Deo conſecratum. Ex omni enim re Deo conſecrata vetabant Phariſæi ſubvenire parentibus licèt egenis & ad ſummam inopiam redactis.
15. [f] *Communicant*, Syr. *contaminat*, & ſic v. 18. & 20.
16. [g] *Audiendi*, Syr. *ad audiendum. Audiat*, expendat ſecum & intelligat.
18. [h] *Imprudentes eſtis*, Arab. Æth. *non intelligitis*.
19. [i] *Purgans*, puras relinquens; quoniam eſt ibi ſena & purgamentum.
20. [k] *Homine*, corde hominis.

22. [l] *Oculus malus*, Æth. *invidia. Stultitia*, immodeſtia. Petulantia, cùm quis ea agit quæ a ratione aliena ſunt
25. [m] *Intravit*, hæc a Matthæo geſta dicuntur in via, ſed ſunt ſic exponenda. Prius ad domum acceſſit, in qua nullum à Chriſto reſponſum accepit, quem egredientem è domo ſequuta eſt & clamavit, &c.
26. [n] *Gentilis*, origine, ſed ad religionem Judaicam acceſſerat.
27. [o] *Canibus*, aliens enim à Judaiſmo reputabantur ut tales.
28. [p] *Nam & catelli*, tamen catelli.
31. [q] *Sidonem*, non urbem ſed fines Sidonis. *Per medios fines*, Syr. *ad confinium. Decapoleos*, regio eſt decem civitatum, partim cis partim trans Jordanem. Hiſtoria diverſa eſt ab altera de qua Matth. cap. 9. & Luc. cap. 11.
32. [r] *Mutum*, Gr. *difficulter loquentem*.

Digitized by Google

miſit digitos ſuos in auriculas ejus : & expuens, tetigit linguam ejus :

34. Et ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi Ephpheta, quod eſt adaperire.

35. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant :

37. Et eò ampliùs admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit : & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

CAPUT VIII.

Septem panibus & paucis piſciculis ſatiat quatuor hominum millia.

1. IN diebus illis iterùm cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, convocatis diſcipulis, ait illis :

2. Miſereor ſuper turbam : quia ecce jam triduo [a] ſuſtinent me, nec habent quod manducent.

3. Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via : quidam enim ex eis de longè venerunt.

4. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui : Unde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?

5. Et interrogavit eos : Quot panes habetis ? Qui dixerunt ſeptem.

6. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, [b] gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis, ut apponerent, & appoſuerunt turbæ.

7. Et habebant piſculos paucos : & ipſos benedixit, & juſſit apponi.

8. Et manducaverunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperaverat de fragmentis, ſeptem ſportas.

9. Erant autem qui manducaverant quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.

Phariſæis ſignum de cœlo quærentibus illud negat.

10. Et ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis, venit [c] in partes Dalmanutha.

11. Et exierunt Phariſæi, & cœperunt [d] conquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cœlo, tentantes eum.

12. Et ingemiſcens ſpiritu ait : Quid generatio iſta ſignum quærit ? Amen dico vobis, ſi [e] dabitur generationi iſti ſignum.

Diſcipulos monet cavendum eſſe à fermento Phariſæorum, illoſque docet quid hæc ſibi velint.

13. Et [f] dimittens eos, aſcendit iterum navim, & abiit trans fretum

14. Et obliti ſunt panes ſumere : & niſi unum panem non habebant ſecum in navi.

15. Et præcipiebat eis dicens : Videte & cavete à [g] fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.

16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes : Quia panes non habemus,

17. Quo cognito, ait illis Jeſus : Quid cogitatis, quia panes non habetis ? nondum cognoſcitis nec intelligitis ? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum?

18. Oculos habentes non videtis ? & aures habentes non auditis ? nec recordamini,

19. Quando quinque panes fregi in quinque millia : quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis ? dicunt ei : Duodecim.

20. Quando & ſeptem panes in quatuor millia : quot ſportas fragmentorum tuliſtis ? & dicunt ei : Septem.

21. Et dicebat eis : Quomodo nondum intelligitis ?

22. Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret. Cæcum ſanat.

23. Et apprehenſâ manu cæci, eduxit eum extra vicum : & expuens in oculos ejus [h] impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum ſi quid videret.

24. Et aſpiciens, ait : Video [i] homines velut arbores ambulantes.

25. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus : & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia.

26. Et miſit illum in domum ſuam, dicens : Vade in domum tuam : & ſi in [k] vicum introïeris nemini dixeris.

27. Et egreſſus eſt Jeſus, & diſcipuli ejus, in [l] caſtella Cæſareæ Philippi : & in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis : Quem me dicunt eſſe homines ? Interrogat diſcipulos, quid de ſe ſentiant quorum nomine reſpondet Petrus.

28. Qui reſponderunt illi, dicentes : Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii verò [m] quaſi unum de prophetis.

29. Tunc dixit illis : Vos verò quem me eſſe dicitis ? reſpondens Petrus, ait ei : Tu es Chriſtus.

30. Et comminatus eſt eis, ne cui dicerent de [n] illo.

31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari à ſenioribus, & à ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & occidi : & poſt tres dies reſurgere. Petrus arguitur quod paſſioni Chriſti, quam ipſe diſcipulis prædicebat, ſe opponeret.

32. Et palam verbum loquebatur, & apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

33. Qui converſus, & [o] videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens : Vade retro me ſatana, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.

34. Et convocatâ turbâ cum diſcipulis ſuis, dixit eis : Si quis vult me ſequi deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Dat Chriſtus præcepta de tollenda cruce, &c.

35. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam

2. [a] *Suſtinent me*, manent apud me.
6. [b] *Gratias agens*, Syr. Arab. *benedixit*.
10. [c] *In partes Dalmanutha*. Matth. c. 15. v. 36. dicit *Magedan* : ſed hæ duæ urbes vicinæ erant.
11. [d] *Conquirere*, Syr. Arab. *diſceptare*. Perſ. *diſputare*. Arbitrabantur Jeſum in Beelzebud ſolum poſſe ſigna facere, illaque non eſſe a Deo, quapropter ſignum è cœlo quærebant.
12. [e] *Si*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *non*. Eſt loquendi genus ecclypticum Hebræis uſitatiſſimum id eſt, non ſim is qui haberi volo, Chriſtus filius Dei, ſi, &c.
13. [f] *Dimittens*, Syr. Perſ. Æth. *relinquens*.
15. [g] *Fermento*, doctrinâ : non omni omnino, ſed quâ docebant mandata aut inutilia, aut Dei mandatis adverſa. *Phariſæorum*, &c. Phariſæi ſignum requirebant, Herodes quoque cupiebat ſignum videre, Luc. c. 9. hæc in Phariſæis & in Herode notat Dominus. Itaque ſuos à præpoſtero hoc affectu cavere jubet. Herodes autem ſicut & alii magnates ſectæ erant Sadducæorum, unde Matth. cap. 16. dicit, *fermento Phariſæorum*, & *Sadducæorum*.
23. [h] *Impoſitis manibus*, ejus oculis.
24. [i] *Homines velut arbores*, video formas hominum veluti umbras, quomodo arbores a longe aſpicientibus, vel in nocte apparere ſolent. *Ambulantes*, referendum ad *homines*.
26. [k] *Vicum*, Bethſaidam.
27. [l] *Caſtella*, Syr. *vicos*, Perſ. *pagos*.
28. [m] *Quaſi*, hoc verbum non eſt in Syr. Arab. Perſ. Æth. verſionibus. De te loquuntur quaſi eſſes.
30. [n] *Illo*, Syr. *ſe*. Arab. *ipſo*.
33. [o] *Videns*, intuens.

ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?

38. Qui enim me confeſſus fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera, & peccatrice: & Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui cum angelis ſanctis.

39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens [a] in virtute.

CAPUT IX.

Deſcribitur Transfiguratio Domini.

1. ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis.

2. Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.

3. Et apparuit illis Elias cum Moyſe: & erant loquentes cum Jeſu.

4. Et [b] reſpondens Petrus, ait Jeſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Moyſi unum, & Eliæ unum.

5. Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.

6. Et facta eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus chariſſimus, audite illum.

7. Et ſtatim circumſpicientes, neminem amplius viderunt, niſi Jeſum tantùm ſecum.

8. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent: niſi cùm Filius hominis à mortuis reſurrexerit.

9. Et [c] verbum continuerunt apud ſe conquirentes quid eſſet: cùm à mortuis reſurrexerit.

De adventu Eliæ diſſerit Chriſtus.

10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?

11. Qui reſpondens ait illis: Elias, cùm venerit primo, [d] reſtituet omnia: & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur.

12. Sed dico vobis quia & Elias [e] venit [& fecerunt illi quæcumque voluerunt] ſicut ſcriptum eſt de eo.

Narratur miraculum expulſionis ſurdi ac muti ſpiritus.

13. Et veniens ad diſcipulos [f] ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

14. Et confeſtim omnis populus videns Jeſum, [g] ſtupefactus eſt, & expaverunt, & accurrentes ſalutabant eum.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

16. Et reſpondens unus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum [h] mutum:

17. Qui [i] ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.

18. Qui reſpondens eis, dixit: [k] O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.

19. Et attulerunt eum. Et [l] cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbavit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans.

20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia:

21. Et frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum perderet: ſed ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri.

22. Jeſus autem ait illi: [m] Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.

23. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Domine: [n] adjuva incredulitatem meam.

24. Et cùm videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introëas in eum.

25. Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt.

26. Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit.

27. Et [o] cùm introiſſet in domum, diſcipuli ejus ſecreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt [p] exire, niſi in oratione, & jejunio.

Suam paſſionem prædicit.

29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam ſcire.

30. Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertiâ die reſurget.

31. At illi [q] ignorabant verbum: & timebant interrogare eum.

Diſcipulos docet quis eorum ſit major.

32. Et venerunt Capharnaum. Qui cùm domi eſſent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

33. At illi tacebant, ſiquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet.

34. Et reſidens vocavit duodecim, & ait illis:

39. [a] *In virtute*, cum potentia.

4. [b] *Reſpondens*, Syr. Perſ. *dixit.*

9. [c] *Verbum*, rem hanc. *Conquirentes*, *&c.* ſignificare voluit eos non intellexiſſe quod Chriſtus dicebat de ſua reſurrectione.

11. [d] *Reſtituet*, quia convertet Judæos & Gentes ad Chriſtum. *Et quomodo*, *&c.* Arab. *& declaraturus quod ſcriptum eſt de Filio hominis*, *&c.* *Quomodo*. Perſ. *quemadmodum*. Æth. *& etiam ſcriptum*, *&c.* quemadmodum ſcriptum eſt de Chriſto, ſic accidet Eliæ. *Et quomodo*, &c. redundat.

12. [e] *Venit*. in virtute & ſpiritu, in perſona Joannis. *Sicut ſcriptum eſt de eo*, illum venturum, apud Iſaiam & Malachiam.

13. [f] *Suos*, novem alios. *Conquirentes*. Syr. *diſceptantes*, Arab. *interrogantes*, diſputantes.

14. [g] *Obſtupefactus*, propter adventum ejus ſubitum & opportunum ad Scribas coërcendos, fortè etiam quia ea transfiguratione facies ejus auguſtior facta.

16. [h] *Mutum*, qui mutum facit.

17. [i] *Ubicumque*, Arab. *quoties*, quandocumque. *Spumat*, Arab. Æth. *ſpumare facit*. *Areſcit*, ſine ſenſu efficitur.

18. [k] *O generatio*, *&c.* poſſunt hæc & ad diſcipulos & ad Judæos eſſe dicta.

19. [l] *Cùm vidiſſet eum*, cùm puer vidiſſet Jeſum.

22. [m] *Si potes credere*, quod ego te poſſim adjuvare. *Omnia poſſibilia ſunt*, impetratu.

23. [n] *Adjuva incredulitatem meam*, Syr. *ſuccurre defectui fidei meæ.*

27. [o] *Cùm introiſſet*, Syr. *cùm Jeſus ingreſſus eſſet.*

28. [p] *Exire*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *ejici.*

31. [q] *Ignorabant*, Arab. *erant non intelligentes.* Non ignorabant omnino: hinc enim Matthæo referente contriſtati ſunt, ſed ex amore nolebant hoc fieri, & non intelligebant quomodo mors cum miraculis & potentia Chriſti, quam videbant, convenire poſſet.

Digitized by Google

Si quis vult primus eſſe, [a] erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.

Agit de illis quæ ſiunt in nomine ſuo.

35. Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum: quem cùm [b] complexus eſſet, ait illis:

36. Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me ſuſceperit, [c] non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.

37. Reſpondit illi Joannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.

36. Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit [d] cito male loqui de me:

39. [e] Qui enim non eſt adverſùm vos, pro vobis eſt.

40. Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, [f] non perdet mercedem ſuam.

De ſcandalis.

41. Et quiſquis [g] ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur.

42. Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi [h] debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:

43. Ubi [i] vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

44. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis:

45. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

46. Quòd ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum eſt tibi [k] luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:

47. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

48. [l] Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.

De ſale prudentiæ.

49. [m] Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

CAPUT X.

Docet non eſſe dimittendam uxorem aliam ducendo.

1. ET inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem: & conveniunt iterum turbæ ad eum: & ſicut conſueverat, iterum docebat illos.

2. Et accedentes Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem [n] dimittere: tentantes eum.

3. At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes?

4. Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere.

5. Quibus reſpondens Jeſus, ait: [o] Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.

6. Ab initio autem creaturæ, maſculum & fœminam fecit eos Deus.

7. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit ad uxorem ſuam:

8. Et erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.

10. Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit [p] ſuper eam.

12. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.

13. Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Diſcipuli autem [q] comminabantur offerentibus. Parvulos complexus benedicit eis.

14. Quos cùm videret Jeſus, indigne tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: [r] talium enim eſt regnum Dei.

15. Amen dico vobis: Quiſquis non [ſ] receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16. Et complexans eos: & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.

17. Et cùm egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magiſter bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam?

De divite qui cùm præcepta omnia à juventute ſervaſſet, noluit amplecti Chriſti conſilium de omnibus divendendis, &c.

34. [a] *Erit*. Arab. *ſit*, Perſ. *eſto*, Æth. *ſubjiciat ſe omnibus.*
35. [b] *Complexus eſſet*, Syr. *recepiſſet eum ſuper brachia ſua.*
36. [c] *Non me ſuſcipit*, Arab. Perſ. *non ſuſcipit me tantùm.* Non tam me, quàm, &c.
38. [d] *Cito*, facilè.
39. [e] *Qui enim*, &c. hæc ſententia videtur pugnare cum altera c. 12. Matthæi, *qui non eſt mecum contra me eſt*, ſed in Matthæo agitur de animo, hîc de opere: quiſquis animo non ſe mihi jungit, contra me eſt; quiſquis in opere nihil agit quod inſtituto veſtro repugnet, non eſt vobis adverſarius.
40. [f] *Non perdet*, non fruſtrabitur. Ergo à fortiori, qui miracula operatur in nomine meo.
41. [g] *Scandalizaverit*, dederit peccandi occaſionem.
42. [h] *Debilem*. Syr. Arab. *mancum.*
43. [i] *Vermis*, &c. conſcientiæ remorſus, & memoria eorum quæ in hac vita fœde acta ſunt. metaphoram ſumit a victoribus qui egredi ſolent ut ſtragem hoſtium occiſorum videant, quorum corpora vermibus arrodentibus conſumuntur: vel, ignibus exuruntur.
46. [k] *Luſcum*, Syr. Arab. Perſ. *cum uno oculo.*
48. [l] *Omnis enim igne*, &c. ſicut omnis victima ſaliri debet ex lege Lev. c. 2. ſal verò unit & conſervat: ſic qui mittitur in gehennam, igne quaſi ſale conditur, ut cruciretur ſemper & incorruptus maneat & quemadmodum nulla oblatio juxta legem ſacra, legitima eſt niſi per ignem tranſeat & ſale condiatur, ita quiſquis volet eſſe victima ſpiritualis quæ Deo ſit grata, neceſſe eſt igne tribulationis purgetur, probetur & velut ſalitus præſervetur, ne vel corrumpatur malorum contagio: vel, ſuo alios corrumpat.
49. [m] *Bonum eſt ſal*, &c. occaſione ſuperioris ſententiæ hanc adjecit, ſale nunc utens in ſignificatione ſapientiæ: hacque ſymbolica locutione ſignificat Apoſtolos in hoc delectos eſſe, ut ſua ſapientia velut ſale condiant terrenorum hominum ſapientiam, & curent ne per cupiditates rerum terrenarum inſulſi fiant. *Habete ſal*, prudentiam, cujus ſal eſt ſimbolum. *Et pacem*, non contendendo de primatu, ſal quippe unit, denſat, & quaſi coagulat; unde in fœderibus, tanquam unionis teſſera Hebræis uſitatum, Num. c. 19. v. 19.
2. [n] *Dimittere*, quavis de cauſa. nam aliqua de cauſa poſſe non dubitabant.
5. [o] *Ad*, Arab. Perſ. *propter.*
11. [p] *Super*, Æth. *contra*, adverſus.
13. [q] *Comminabantur*, Syr. Æth. *objurgabant*, Arab. *increpabant*, Perſ. *prohibebant.*
14. [r] *Talium*, innocentium & ſimplicium.
15. [ſ] *Receperit regnum Dei*. recipere regnum Dei dicebantur Hebræis, qui ſe lege ſubjiciebant. *Receperit*, adipiſci ſtuduerit. *Regnum Dei*, verbum Dei & bona per Evangelium promiſſa. *Parvulus*, depoſitâ omni malitiâ, I. Petri c. 2.

18. Jeſus autem dixit ei : [a] Quid me dicis bonum ? nemo bonus niſi unus Deut.

19. Præcepta noſti : Ne adulteres, ne occidas, ne ſureris, ne ſalſum reſtimonium dixeris, ne ftaudem feceris, honora patrem tuum, & mattem.

20. At ille reſpondens, ait illi : Magiſter, hæc omnia obſervavi à juveotute mea.

21. Jeſus autem intuirus eum, [b] dilexit eum, & dixit ei : Unum tibi deeſt : vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo : & veni, ſequere me.

22. Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens : etat enim habens multas poſſeſſiones.

Explicat diſcipulis quam ſit difficile introire in regnum Dei.

23. Et circumſpiciens Jeſus, ait diſcipulis ſuis : Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt !

24. Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus reſpondens air illis : Filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecuniis, in regoum Dei introire ?

25. [c] Facilius eſt camelum pet foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos : Er quis poteſt ſalvus fieri ?

27. Et intuens illos Jeſus, air : Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum : omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.

Dicit quid præmii conſequentur, qui omnia propter ipſum reliquerint.

28. Et cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.

29. Reſpondens Jeſus, ait : Amen dico vobis : Nemo eſt, qui teliquerit domum, aur fratres, aur ſotores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aur agros, propter me, & propter Evangelium,

30. Qui non accipiat [d] centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.

31. Multi autem erunr primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

Loquitur de futura ſua paſſione.

32. Erant autem in via aſcendentes Jeroſolymam : & præcedebat illos Jeſus, & [e] ſtupebant : & ſequentes rimebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ eſſent ei eventura.

33. Quia ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetut principibus ſacerdotum, & Scribis, & ſeniotibus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus :

34. Er illudent, & conſpuent eum, & flagellabunr eum, & interficienr eum : & tertiâ die teſurget.

Occaſione petitionis filiorum Zebedæi, docet diſcipulos quòd non oſtentatione dominii, ſed officio miniſterii, debeant eſſe majores.

35. Et accedunr ei ad eum Jacobus, & Joannes filii Zebedæi, [f] diceotes : Magiſter, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

36. At ille dixit eis : Quid vultis ut ſaciam vobis ?

37. Et dixerunt : Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram ruam, ſedeamus in gloria tua.

38. Jeſus autem ait eis : Neſcitis quid petatis : poteſtis bibere calicem, quem ego [g] bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari ?

39. Ar illi dixerunt ei : [h] Poſſumus. Jeſus autem ait eis : Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis ; & baptiſmo, quo ego baptizor baptizabimini :

40. Sedere antem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, [i] non eſt meum date vobis, ſed quibus paratum eſt.

41. Et audienres decem, cœperunt indignari de Jacobo, & Joanne.

42. Jeſus autem vocans eos, ait illis : Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis : & principes eorum poteſtatem habent ipſorum.

43. Non ita eſt aotem in vobis, ſed quicumque voluerit fieri major, [k] erit veſter miniſter.

44. Et qnicumque voluerit in vobis ptimus eſſe, erit omnium ſervus.

45. Nam & Filius hominis non venir ut miniſtraretur ei, ſed ur miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.

Bartimæum cæcum ſanat.

46. Et veniunt Jericho, & proficiſcente eo de Jericho, & diſcipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, ſedebat juxta viam mendicaos.

47. Qui cùm audiſſet quia Jeſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere : Jeſu fili David, miſerere mei.

48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multò magis clamabat : Fili David, miſerere mei.

49. Et ſtans Jeſos præcepit illum vocari : & vocant cæcum, dicentes ei : Animæquior eſto : ſurge, vocat te.

50. Qui projecto [l] veſtimento ſuo exiliens, venit ad eum.

51. Et reſpondens Jeſus, dixit illi : Quid tibi vis faciam ? cæcus autem dixit ei : Rabboni, ut videam.

52. Jeſus autem ait illi : Vade, fides tua te ſalvum fecit : & confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.

CAPUT XI.

Super pullum aſinæ Jeruſalem ingreditur magno cum plauſu.

1. ET cùm [m] appropinquarent Jetoſolymæ & Bethaniæ ad montem olivarum, mit-

18. [a] *Quid me dicis bonum*, &c. quem non credis Deum, cùm Deus ſolus ſit bonus, vide v. 17. c. 19. apud Matth.

21. [b] *Dilexit*, dilectionis ſigna dedit, vultu ad benevolentiam compoſito.

25. [c] *Facilius eſt*, &c. proverbialis locutio apud Syros, Judæos, & Arabes.

30. [d] *Centies tantum*, quæ enim miniſteria & ſolatia ab illis perſonis accipiebant, ea Deus ſupplet per alias miris modis. *Cum perſecutionibus*, etiam in mediis perſecutionibus.

32. [e] *Stupebant, & ſequentes timebant*, cognoſcentes mortem Jeſu decretam à Judæorum principibus, mirabantur quòd ſe in tam apertum diſcrimen committeret, & timebant ſibi & Jeſu.

35. [f] *Dicentes*, &c. hæc per matrem dicta ſunt vide c. 20. Matth.

38. [g] *Bibo*, præſentia pro futuris.

39. [h] *Poſſumus*, adhuc carnaliter ſapiebant de poculo ſenſibili, & de baptiſmate quo Judæi ſe lavabant ante cibum.

40. [i] *Non eſt meum dare*, non eſt quemadmodum putatis meum dare quibuslibet. *Sed quibus*, &c. Syr. Perſ. Arab. *niſi iis quibus. Sed illis tantum quibus paratum eſt à patre : & qui laboraverint ut mereantur talem dignitatem : neque enim Agonotheta coronas dant, niſi iis qui poſt certamen vicerint.*

43. [k] *Erit*, ſit.

50. [l] *Veſtimento*, pallio.

1. [m] *Appropinquarent*, non procul abeſſent Jeroſolymæ & Bethaniæ. Bethania enim erat inter Jericho & Jeruſalem, quindecim ſtadiis ab ultima diſtans.

Digitized by Google

tit duos ex diſcipulis ſuis,
2. Et ait illis: Ite in [a] caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim introëuntes illuc, invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit, ſolvite illum, & adducite.
3. Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino neceſſarius eſt: & continuò illum dimittet huc.
4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in [b] bivio: & ſolvunt eum.
5. Et quidam de illic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſolventes pullum?
6. Qui dixerunt ei ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis.
7. [c] Et duxerunt pullum ad Jeſum: & imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.
8. Multi autem veſtimenta ſua ſtraverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & ſternebant in via.
9. Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant, dicentes: [d] Hoſanna.
10. Benedictus qui venit in nomine Domini: [e] Benedictum quod venit regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis.
11. Et introivit Jeroſolymam in templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.
12. Et [f] aliâ die cùm exirent à Bethania, eſuriit.

Ficum maledicendo areſacit.

13. Cùmque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in ea, & cùm veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.
14. Et reſpondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet. Et audiebant diſcipuli ejus.

Ementes ac vendentes de templo ejicit, quod summi ſacerdotes ægre ferunt.

15. Et veniunt Jeroſolymam. [g] Et cùm introiſſet in templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.
16. Et non ſinebat ut quiſquam [h] transferret vas per templum:
17. Et docebat dicens eis: Nonne ſcriptum eſt: Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.
18 Quo audito, principes ſacerdotum, & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam univerſa turba admirabatur ſuper doctrina ejus.

Occaſione ficus areſactæ efficaciã fiduciæ in Deum oſtendit.

19. Et cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de civitate.
20. Et cùm mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.
21. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi ecce ficus, cui maledixiſti, aruit.
22. Et reſpondens Jeſus, ait illis: Habete fidem [i] Dei.
23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: [k] Tollere, & mittere in mare: & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit: quia quodcomque dixerit, fiat, fiet ei.
24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.

Docet fratri remittenda eſſe quæ in nos commiſit.

25. Et cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem: ut & Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra:
26. Quòd ſi vos non dimiſeritis: nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.

Eludit quæſtionem Scribarum de ſua autoritate, propoſita quæſtione de baptiſmo Joannis.

27. Et veniunt rurſus Jeroſolymam. Et cùm ambolaret in templo, accedunt ad eum ſummi ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores.
28. Et dicunt ei: In qua poteſtate hæc facis; & quis dedit tibi hanc poteſtatem ut iſta facias.
29. Jeſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & reſpondete mihi: & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam.
30. Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi.
31. At illi cogitabant ſecum, dicentes: Si dixerimus, de cœlo, dicet, Quare ergo non credidiſtis ei?
32. Si dixerimus, ex hominibus, timemus populum, omnes enim habebant Joannem quia verè propheta eſſet.
33. Et reſpondentes dicunt Jeſu: Neſcimus. Et reſpondens Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam.

CAPUT XII.

Parabolam narrat Chriſtus de vinea agricolis elocata, qui ſervos ac filium patrisfamilias occiderunt, &c.

1. ET [l] cœpit illis in parabolis loqui: Vineam paſtinavit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.
2. Et miſit ad agricolas in tempore ſervum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.
3. Qui apprehenſum eum [m] ceciderunt, & dimiſerunt vacuum.
4. Et iterum miſit ad illos alium ſervum: & illum [n] in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.
5. Et rurſum alium miſit, & illum occiderunt: & plures alios: quoſdam cædentes, alios verò occidentes.
6. Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum: & illum miſit ad eos noviſſimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum.

2. [a] *Caſtellum*, Syr. Perſ. *pagum*, vicum. *Contra vos*, Syr. Perſ. *è regione.*
4. [b] *Bivio*, Syr. Perſ. *platea*, Arab. *via*, Æth. *ad tranſitum.*
7. [c] *Et duxerunt, &c.* vide de hac inequitatione, quæ dicta Matth. cap. 21.
9. [d] *Hoſanna*, ſerva obſecro.
10. [e] *Benedictum*, felix fauſtumque ſit. *Regnum patris noſtri David.* ſperabant enim per Meſſiam regnum Iſraël reſtituendum quale fuerat temporibus David & Salomonis. *In excelſis*, de excelſis: vel, qui habitas in excelſis.
12. [f] *Alia*, Syr. Perſ. *poſtero.*
15. [g] *Et cùm introiſſet, &c.* redit ad ea quæ pridie facta ſunt, uſus recapitulatione, ut patet ex Matthæo.
16. [h] *Transferret vas*, Arab. *introire cum mercibus*, Perſ. *rem aliam venalem.*
22. [i] *Dei*, Arab. *in Deum*, hæc de fide ſive fiducia miraculorum intelligenda.
23. [k] *Tollere . . . mittere* .accipienda ſunt paſſive.
1. [l] *Cœpit in parabolis loqui*, non quòd primâ vice cœperit, ſed quod cœperit infidelitatem Sacerdotum & Scribarum depingere. *Lacum*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *torcular.* Receptaculum vini in torculari expreſſi, lacunis enim effoſſis olim vinum recèns expreſſum recipiebatur.
3. [m] *Ceciderunt*, Syr. Æth. *percuſſerunt*, Perſ. *verberarunt.*
4. [n] *In capite vulneraverunt*, Syr. Perſ. *lapidaverunt.*

CAPUT XIII.

Plurima prædicit de everſione templi, de bellis, afflictionibus, perſecutionibus diſcipulorum, ruina Jeruſalem, pſeudo prophetis, ſecundo adventu Filii hominis, & conſummatione ſæculi.

1. ET cùm egrederetur de templo, ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.

2. Et reſpondens Jeſus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

3. Et cùm ſederet in monte Olivarum [a] contra templum interrogabant eum ſeparatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas.

4. Dic nobis, quando iſta fient? & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipient conſummari.

5. Et reſpondens Jeſus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos ſeducat:

6. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia [b] ego ſum: & multos ſeducent.

7. Cùm audieritis autem bella, & [c] opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: ſed nondum finis.

8. Exurget enim gens contra gentem, & regnum [d] ſuper regnum, & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.

9. [e] Videte autem voſmetipſos. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides & reges ſtabitis propter me, in teſtimonium illis.

10. Et in omnes gentes [f] primùm oportet prædicari Evangelium.

11. Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: ſed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & conſurgent filii in parentes, & morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit.

14. Cùm autem videritis [g] abominationem deſolationis, ſtantem ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes.

15. Et qui ſuper tectum, ne [h] deſcendat in domum, nec introëat ut tollat quid de domo ſua.

16. Et qui in agro erit, non revertatur retrò tollere veſtimentum ſuum.

17. Væ autem [i] prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

18. Orate verò ut hieme [k] non fiant.

19. Erunt enim [l] dies illi tribulationes tales; quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, uſque nunc, neque fient.

20. Et niſi breviaſſet Dominus [m] dies, non fuiſſet ſalva omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breviabit dies.

21. Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hìc eſt Chriſtus, ecce illic, ne credideritis.

22. Exurgent enim pſeudo-Chriſti, & pſeudo-prophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos.

23. [n] Vos ergo videte: Ecce prædixi vobis omnia.

24. Sed in illis diebus, poſt tribulationem illam, ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum:

25. [o] Et ſtellæ cœli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cœlis ſunt, movebuntur.

26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria.

27. Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à [p] ſummo terræ, uſque ad ſummum cœli.

28. A ficu autem diſcite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas:

29. Sic & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quod in proximo ſit in oſtiis.

30. [q] Amen dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant.

31. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.

32. De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque angeli in cœlo, [r] neque Filius, niſi Pater. *Cùm tempus conſummationis ſæculi incertum ſit, omnes vigiles eſſe admonet.*

33. [ſ] Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.

34. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum ſuam, & [t] dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcepit ut vigilet.

35. Vigilate ergo; [neſcitis enim quando Dominus domus veniat: ſero, an mediâ nocte, an [u] galli cantu, an mane.]

26. Ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes.

37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

3. [a] *Contra*, Syr. Perſ. *è regione*, Æth. *ex adverſo*.
6. [b] *Ego ſum*. addendum *Chriſtus*.
7. [c] *Opiniones*, Syr. Perſ. *rumorem*, Arab. *famas*.
8. [d] *Super*, Syr. Perſ. *in*, Arab. Æth. *contra*, adverſus.
9. [e] *Videte voſmetipſos*, Syr. Æth. *cavete vobis*. Perſ. *vos in anima veſtra confirmate eſtote, & cor veſtrum fortificate: eo quod*. &c. *In teſtimonium illis*, Æth. *ut fiat teſtimonium contra illos*.
10. [f] *Primum*, Syr. *prius*. Antequam ſæculi conſummatio veniat.
14. [g] *Abominationem deſolationis*, Syr. *portentum illud immundum vaſtationis, quod dictum eſt per Danielem prophetam*, &c. *Qui legit, intelligat*. hoc in Syr. Arab. Perſ. Æth. inter duas parentheſes. vide c. 24. Matthæi.
15. [h] *Deſcendat in domum*, ut in ea maneat.
17. [i] *Prægnantibus, & nutrientibus*, quia non poſſunt fugere.

18. [k] *Non fiant*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *ne ſit fuga veſtra*.
19. [l] *Dies illi*, Syr. Arab. *in illis diebus*, Perſ. *illo*.
20. [m] *Dies*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *dies illos*.
23. [n] *Vos videte*, Syr. Æth. *cavete vobis*.
25. [o] Vide c. 24. Matthæi.
27. [p] *Summo*, Syr. *extremo*, Arab. Æth. *extremitate*.
30. [q] Vide c. 24. Matthæi.
32. [r] *Neque filius*, neque enim ſcit ut revelet. præterea neſcit, ut filius hominis, novit enim ea ſola unione verbi.
33. [ſ] *Videte*, Syr. Æth. *cavete vobis*. *Tempus* ultimi judicii.
34. [t] *Dedit poteſtatem cujuſque operis*. Syr. *unicuique opus ſuum*, Æth. *aſſignat ſingulis ſervis opera ſua*, Perſ. *ſervis ſuis mandata dedit, & unicuique opus ſuum aſſignavit*. Sic agetur in regno Dei ſicut cùm pater familias. &c.
35. [u] *Galli cantu*, gallicinio, quod prope auroram.

CAPUT XIV.

Conſilium ineunt principes ſacerdotum de occidendo Jeſu, qui unguento pretioſo à muliere perfunditur, murmurantibus diſcipulis, quos Jeſus propterea corripit.

1. ERat autem [a] Paſcha, & Azyma poſt biduum: & quærebant ſummi ſacerdotes, & Scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent.

2. Dicebant autem: Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.

3. Et cùm eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet: [b] venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ejus.

4. Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt?

5. Poterat enim unguentum iſtud venundari plus quàm trecentis denariis, & dati pauperibus. Et fremebant in eam.

6. Jeſus autem dixit [c] Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? bonum opus operata eſt in me.

7. Semper enim pauperes habetis vobiſcum: & cùm volueritis, poteſtis illis benefacere: me autem non ſemper habetis.

8. Quod [d] habuit, hæc fecit: prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.

9. Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

Conveniunt Judas & principes ſacerdotum de venditione Chriſti.

10. Et Judas Iſcariotes unus de duodecim abiit ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis.

11. Qui audientes gaviſi ſunt: & [e] promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet?

Ordinat ipſe Jeſus quæ ad locum in quo cœna peragenda eſſet, erant neceſſaria.

12. Et primo die Azymorum quando [f] Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi ut manduces paſcha?

13. Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, ſequimini eum:

14. Et quòcumque introierit, dicite [g] domino domus, quia magiſter dicit: Ubi eſt refectio mea, ubi paſcha cum diſcipulis meis manducem?

15. Et ipſe vobis demonſtrabit [h] cœnaculum grande, ſtratum: & illic parate nobis.

16. Et abierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt ſicut dixerat illis, & paraverunt paſcha.

Sui proditionem prædicit.

17. [i] Veſpere autem facto, venit cum duodecim.

18. Et [k] diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Jeſus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

19. At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim: Numquid ego?

20. Qui ait illis: [l] Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

21. Et [m] Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo: væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille.

Panem & vinum in corpus & ſanguinem conſecrata diſcipulis ſuis tradit.

22. Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite: hoc eſt corpus meum.

23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes.

24. Et [n] ait illis: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.

25. [o] Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei.

Prædicit diſcipulos ſcandalizandos, & trinam Petri negationem.

26. Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum.

27. Et ait eis Jeſus: Omnes [p] ſcandalizabimini in me in nocte iſta, quia ſcriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves.

28. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.

29. Petrus autem ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego.

30. Et ait illi Jeſus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, prius quàm [q] gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

31. At ille ampliùs loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

Ter orat in horto montis Olivarum, futuram paſſionem deprecans transferendam.

32. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: Sedete hîc donec orem.

33. Et aſſumit Petrum, & Jacobum, & Joannem ſecum: & cœpit pavere, & tædere.

34. Et ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hîc, & vigilate.

35. Et cùm proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram: & orabat, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo [r] hora:

36. Et dixit: [ſ] Abba pater, omnia tibi poſſibi-

1. [a] *Paſcha*, quartum à baptiſmo & miniſterio Chriſti, qui fecit Paſcha in veſpera diei Jovis, in qua incipiebat dies decima quarta ſecundùm legem ad eſum agni Paſchalis deſtinata: ſed Judæi permulti ex eorum traditione non celebrarunt Paſcha niſi in decima quinta, quia hæc dies in ſabbatum concidebat, hoc autem, ne populus diuturnitate ceſſationis ab operibus ſervilibus, ac in primis, à coquendis cibis, nimium gravaretur, vide dicta apud Matthæum, ad conciliationem Evangeliſtarum.

3. [b] *Venit*, veneraſ ſexto die ante Paſcha, Joan. c. 12. *Alabaſtrum*, Arab. *vas. Nardi ſpicati*, de ſpicis nardi *Fracto alabaſtro*, Syr. Perſ. Æth. *aperuit illud*, Arab. *vacuavit illud*. Forſan fregit præcavens a periculo leſionis capitis: non autem fregit in minutas partes, ſed foramine in ſummo, aut in latere, aut in fundo. *Effudit*, moris erat Judæorum ungere caput & faciem, &c.

7. [c] *Habetis*, Syr. *habebitis*. *Me non habetis*, Syr. *ego non ero apud vos*.

8. [d] *Habuit*, Perſ. *quantum huic mulieri ſuppetebat bonum fecit*. Fecit mihi mortuo jam jam, ungendo ſcilicet corpus meum, quod mortuo facere non poterit.

11. [e] *Promiſerunt*, ac haud dubie apud certum hominem depoſuerunt, qui proditione factâ ſtatim daret.

12. [f] *Paſcha*, agnum Paſchalem. *Immolabant*, immolare debebant.

14. [g] *Domino domus*, multi Jeroſolymitæ cœnacula inſtructa ſub id tempus elocabant, aut etiam gratuito dabant. *Refectio mea*, Perſ. *domus convivii*, Arab. *locus requiei*, Æth. *cœnaculum*. Diverſorium.

15. [h] *Cœnaculum*, erat in ſuperiori parte domus. *Stratum*, additur, Syr. Arab. Perſ. *paratum*. Omni ſupellectile neceſſaria inſtructum.

17. [i] *Veſpere*, circa ſextam horam noſtram.

18. [k] *Diſcumbentibus*, quo modo diſcumberent, cùm lex præciperet ſtare, reſpondendum quod ea quæ legis eſſent ſtantes impleverant, poſteà verò diſcubuerunt, cùm proprium Paſcha Jeſus traditurus eſſet.

19. [l] *Unus ... qui intingit. &c.* his verbis Jeſus noluit manifeſtare proditorem, nec enim alii cognoverunt poſtea quis eſſet, ut patet ex Joan. c. 13. ſed ſenſus eſt, unus eorum quos familiariſſimos habeo, & qui communi menſâ mecum utitur, vide quæ dicta apud Matthæum.

21. [m] *Filius hominis vadit*, accidet Filio hominis ſicut, &c.

24. [n] *Ait*, cùm daret, aut antequam.

25. [o] Vide Matth. c. 26.

27. [p] *Scandalizabimini in me*, Æth. *negabitis me*, idem verſ. 29.

30. [q] *Gallus vocem bis dederit*, quod de gallicinio exponendum.

35. [r] *Hora*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *illa hora*.

36. [ſ] *Abba pater*, Syr. Æth. *pater pater*.

Digitized by Google

ſia ſunt, transfer calicem hunc à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu.

37. Et venit, & invenit eos dormientes, & ait Petro: Simon dormis? non potuiſti unâ horâ vigilare?

38. Vigilate & orate, ut non [a] intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.

39. Et iterum abiens oravit, eundem ſermonem dicens.

Capitur à Judæis, quorum uni Petrus abſcidit auriculam.

40. Et reverſus denuò, invenit eos dormientes, [erant enim oculi eorum gravati] & ignorabant quid reſponderent ei.

41. Et venit tertiò, & ait illis: [b] Dormite jam, & requieſcite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus: ecce qui me tradet propè eſt.

43. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes unus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladiis & [c] lignis, à ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & ſenioribus.

44. Dederat autem traditor ejus ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.

45. Et cùm veniſſet ſtatim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: & oſculatus eſt eum.

46. At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum.

47. Unus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, percuſſit ſervum ſummi ſacerdotis: & amputavit illi auriculam.

Loquitur Jeſus Judæis de modo quo ad illum capiendum venerint.

48. Et reſpondens Jeſus, ait illis: Tanquam ad latronem exiſtis, cum gladiis, & [d] lignis comprehendere me?

49. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis. Sed ut impleantur [e] Scripturæ.

Diſcipulis fugientibus, ducitur Jeſus ad Caiphâ, coram quo à falſis teſtibus accuſatur.

50. Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

51. [f] Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum.

52. At ille rejectâ ſindone nudus profugit ab eis.

53. Et adduxerunt Jeſum ad ſummum ſacerdotem: & convenerunt omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores.

54. Petrus autem à longe ſecutus eſt eum, uſque intrò in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.

55. [g] Summi verò ſacerdotes, & omne concilium, quærebant adversùs Jeſum teſtimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant.

56. Multi enim teſtimonium falſum dicebant adversùs eum: & [h] convenientia teſtimonia non erant.

57. Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adversùs eum, dicentes:

58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.

59. Et non erat conveniens teſtimonium illorum.

A Caipha interrogatus, ex reſponſione ſua reus mortis eſſe dicitur, & variis modis illuditur.

60. Et exurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his.

61. Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?

62. Jeſus autem dixit illi: Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.

63. Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc [i] deſideramus teſtes.

64. Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis.

65. Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & miniſtri alapis eum cædebant.

A Petro ter negatur, qui tandem galli cantu revocatus, peccatum ſuum deflet.

66. Et cùm eſſet Petrus in atrio [k] deorſum, venit una ex ancillis ſummi ſacerdotis.

67. Et cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Jeſu Nazareno eras.

68. At ille negavit, dicens: Neque ſcio, neque novi, quid dicas. Et exiit foras [l] ante atrium, & gallus cantavit.

69. Rurſus autem cùm vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt.

70. At ille iterùm negavit: & poſt puſillum rurſus qui aſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es,

71. Ille autem cœpit [m] anathematizare, & jurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis.

72. Et ſtatim gallus iterùm cantavit: & recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Jeſus: Priùs quàm gallus cantet bis, ter me negabis; & cœpit flere.

38. [a] *Intretis in tentationem*, vincamini à tentatione.

41. [b] *Dormite jam*, hoc ironice dicit, ſufficit, ſatis dormitum eſt.

43. [c] *Lignis*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *fuſtibus*.

48. [d] *Lignis*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *fuſtibus*.

49. [e] *Scriptura*, additur, Syr. Perſ. *hoc factum eſt*. Non vult dicere Jeſus: hoc nunc permitti, quod antea non fuerat permiſſum, ſed tantùm quòd captus ſit ad mortem, hoc fieri ut impleantur ſcripturæ.

51. [f] *Adoleſcens*, non eſt veriſimile adoleſcentem illum fuiſſe unum ex Apoſtolis Domini, qui tunc non amplius adoleſcentes erant, nec ipſe Joannes, nunc trigeſimi anni, ut ex ætate nonaginta novem annorum, quâ mortuus eſt, computando probari poteſt: ſed quempiam ex villa proxima Gethſemani, qui tumultu excitatus è leſtulo proſilierit, ſtudio diſcendi quid ageretur. Fortè filius erat ejus in cujus horto verſabatur Jeſus. *Tenuerunt*, tenere conati ſunt.

55. [g] *Summi verò ſacerdotes*, quia pontificatus annuus erat & venalis à Romanis quot annis emptus.

56. [h] *Convenientia*, non ſic intelligendum, quaſi diſcreparent inter ſe teſtimonia; ſed quod non tam gravia forent, ut æquarent votum pontificum, quærentium accuſationes quæ ad mortem valerent. Quod dicendum ad v. 59.

63. [i] *Deſideramus teſtes*, Syr. *requiruntur nobis*, Perſ. *teſtium quid opus eſt?* Arab. *teſtibus indigetis*.

66. [k] *Deorſum*, reſpectu ejus loci, in quem ante pontificem Jeſus deductus fuit.

68. [l] *Ante atrium*, in veſtibulum quod fuit ante atrium.

71. [m] *Anathematizare*, ſe ipſum maledicto aſtringere.

CAPUT XV.

Jeſus adducitur ad Pilatum coram quo accuſatur.

1. ET confeſtim mane conſilium facientes ſummi ſacerdotes, cum ſenioribus, & Scribis & univerſo concilio: vincientes Jeſum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.

2. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum? At ille reſpondens ait illi: [a] Tu dicis.

3. Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis.

4. Pilatus autem rurſum interrogavit eum, dicens: [b] Non reſpondes quidquam? Vide in quantis te accuſant.

5. Jeſus autem amplius nihil reſpondit; ita ut miraretur Pilatus.

Præeligitur à turbis Barrabas & Jeſus traditur crucifigendus.

6. [c] Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis unum ex vinctis quemcumque petiſſent.

7. Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium.

8. Et cùm [d] aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis.

9. Pilatus autem reſpondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis [e] regem Judæorum?

10. Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes.

11. Pontifices autem concitaverunt turbam, [f] ut magis Barrabam dimitteret eis.

12. Pilatus autem iterùm reſpondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam [g] regi Judæorum.

13. At illi iterùm clamaverunt, Crucifige eum.

14. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? at illi magis clamabant: Crucifige eum.

15. Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barrabam, & tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur.

A militibus illuditur variis modis.

16. Milites autem [h] duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem

17. Et induunt eum [i] purpurâ, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam.

18. Et cœperunt ſalutare eum: Ave rex Judæorum.

19. Et percutiebant caput ejus [k] arundine: & conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum.

20. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt illum purpurâ, & induerunt eum veſtimentis ſuis: & educunt illum, ut crucifigerent eum.

Ducitur in Golgotha ut ibi crucifigatur.

21. Et [l] angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus.

22. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod eſt interpretatum Calvariæ locus.

23 Et dabant ei bibere [m] myrrhatum vinum: & non accepit.

Diviſis inter milites veſtimentis ipſius, inter duos latrones crucifigitur.

24. Et crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus, mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret.

25. Erat autem [n] hora tertia: & crucifixerunt eum.

26. Et erat [o] titulus cauſæ ejus inſcriptus: REX JUDÆORUM.

27. Et cum eo crucifigunt duos latrones; unum à dextris, & alium à ſiniſtris ejus.

28. Et impleta eſt ſcriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt.

Multa jactantur in Jeſum convitia. Tenebræ per totam terram.

29. Et prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah qui [p] deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas:

30. Salvum fac temetipſum, deſcendens de cruce.

31. Similiter, & ſummi ſacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere.

32. Chriſtus rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, ut videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

33. Et factâ horâ ſextâ tenebræ factæ ſunt per totam terram, uſque in horam nonam.

Poſt magnum clamorem, aceto potatus, moritur.

34. Et horâ nonâ exclamavit Jeſus, voce magnâ, dicens: Eloi, Eloi, lamma ſabacthani? Quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?

35. Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.

36. Currens autem unus, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque [q] calamo: potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum.

37. Jeſus autem emiſsâ voce magnâ expiravit.

De centurione & mulieribus quæ Jeſum ſecutæ fuerant.

38. Et [r] velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo uſque deorſum.

39. Videns autem centurio qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Vere hic Homo Filius Dei erat.

40. Erant autem & mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalene, &

2. [a] *Tu dicis*, dubium eſt reſponſum, nec affirmans, nec negans.

4. [b] *Non reſpondes*, *&c.* quod intelligendum quantùm ad ea de quibus accuſabatur à principibus ſacerdotum & Scribis, nam videre eſt ex Joanne, quòd multa dixerit Pilato.

6. [c] *Per diem feſtum*, Syr. *in quocumque feſto*. Quod à multis negatur.

8. [d] *Aſcendiſſet turba*, acceſſiſſet populus ad Pilatum in tribunali ſedentem. *Cœpit*, turba, non Pilatus. *Sicut ſemper faciebat illis*, Æth. *ut faceret iis ſicut conſueverat*.

9. [e] *Regem*, quem accuſatis quòd ſe regem faciat, & deridens Judæos expectantes regem Romano Cæſari ſimilem.

11. [f] *Ut magis*, *&c.* Arab. *ut rogarent eum omnino ut dimitteret eis Barrabam*. *Magis*, potiùs.

12. [g] *Regi Judæorum*, attendebat ad acclamationes Judæorum, cùm Jeſus Jeroſolymam ingreſſus fuerat.

16. [h] *Duxerunt*, cùm flagellis cædendus eſſet.

17. [i] *Purpurâ*, in deriſum, quaſi rex eſſet. ſolebat enim ſenatus Romanus quos reges ſalutaſſet, eos togâ purpureâ donare.

19. [k] *Arundine*, ipſi acceptâ è manu. *Ponentes genua*, Æth. *genuflectebant*.

21. [l] *Angariaverunt* in itinere. *Cyrenæum*, non ex Cyrene, in inſula Cypri, ſed ex Cyrene Africæ contigua, prope Lybiam & Ægyptum. *Alexandri & Rufi*, veriſimile eſt illos fuiſſe inſignes inter diſcipulos, cùm Marcus ſcriberet Evangelium, quos nominat ut teſtes fide dignos.

23. [m] *Myrrhatum vinum*, acetum felle redditum amariſſimum. Vide Matth. cap. 27. *Non accepit*, noluit bibere, ſed tantum ex eo guſtavit.

25. [n] *Horâ tertiâ*, quod repugnaret Joanni cap. 19. verſ. 14. dicenti horâ ſextâ Chriſtum oſtenſum Judæis à Pilato: niſi ſciremus Judæos dividere diem ſicut & noctem in quatuor partes, quarum ſecunda dicebatur horæ tertia, eò quòd inciperet à fine primæ uſque ad initium ſextæ. Marcus autem loquitur de tempore intermedio ſub nomine tertiæ, Joannes verò ſub nomine ſextæ potius error eſſe copiſtæ.

26. [o] *Titulus cauſæ ejus inſcriptus*, Syr. *occaſio mortis ipſius inſcriptione illa*. Perſ. *prætextus mortis ejus in libello ſcriptus eſt*, Æth. *inſcriptio criminis ejus*.

29. [p] *Deſtruis*, jactas poſſe deſtruere.

36. [q] *Calamo*, Perſ. *arundine*.

38. [r] *Velum*, aperiens ſancta ſanctorum: vide cap. 27. Matth.

Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater, & Sa-
lome.
41. Et cùm eſſet in Galilæa, ſequebantur
eum, & miniſtrabant ei, & aliæ multæ quæ
ſimul cum eo aſcenderant Jeroſolymam.

Corpus Jeſu a Joſeph ab Arimathæa ſepelitur.

42. Et cùm jam [a] ſero eſſet factum (quia erat
paraſceve, quod eſt ante ſabbatum.)
43. Venit Joſeph ab Arimathæa nobilis [b] de-
curio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei,
& audacter introivit ad Pilatum, & petiit cor-
pus Jeſu.
44. Pilatus autem mirabatur, ſi jam obiiſſet,
& accerſito centurione, interrogavit eum, ſi jam
mortuus eſſet.
45. Et cùm cognoviſſet à centurione, dona-
vit corpus Joſeph.
46. Joſeph autem mercatus ſindonem, &
deponens eum involvit ſindone, & poſuit eum
in monumento, quod erat exciſum de [c] petra,
& advolvit lapidem ad oſtium monumenti.
47. Maria autem Magdalene, & [d] Maria
Joſeph, aſpiciebant ubi poneretur.

CAPUT XVI.

Mulieribus ad Chriſti monumentum obſtupeſcentibus, angelus illius reſurrectionem annuntiat, jubetque ut illam diſcipulis notam faciant.

1. ET cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Mag-
dalene, & [e] Maria Jacobi, & Salome
emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.
2. Et valdè manè [f] una ſabbatorum, veniunt
ad monumentum, orto jam ſole.
3. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet
nobis lapidem ab oſtio monumenti?
4. Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem.
[g] Erat quippe magnus valdè.
5. Et introëuntes in [h] monumentum vide-
runt juvenem ſedentem in dextris, coopertum
ſtolâ candidâ, & obſtupuerunt.
6. Qui dicit illis: Nolite expaveſcere: Jeſum
quæritis Nazarenum, crucifixum: ſurrexit, non
eſt hic, ecce locus ubi poſuerunt eum.
7. Sed ite, dicite diſcipulis ejus, [i] & Petro,
quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbi-
tis, ſicut dixit vobis.
8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento:
invaſerat enim eas tremor & pavor: & [k] nemini
quidquam dixerunt: timebant enim.

Apparet primo Jeſus Mariæ Magdalene, cui revelanti diſcipuli non credunt.

9. Surgens autem manè, prima ſabbati, ap-
paruit [l] primò Mariæ Magdalene, de qua eje-
cerat ſeptem dæmonia.
10. Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fue-
rant, lugentibus & flentibus.
11. Et illi audientes quia viveret, & viſus
eſſet ab ea, non crediderunt.

Deinde duobus diſcipulis, quibus etiam alii non credunt. Demum undecim quibus exprobrat incredulitatem.

12. [m] Poſt hæc autem duobus ex his ambulan-
tibus oſtenſus eſt in alia effigie, euntibus in vil-
lam.
13. Et [n] illi euntes nuntiaverunt cæteris: nec il-
lis crediderunt.
14. [o] Noviſſimè recumbentibus illis unde-
cim apparuit: & exprobravit incredulitatem eo-
rum & duritiam cordis: quia iis, qui viderant
eum reſurrexiſſe, non crediderunt.

Mittit diſcipulos in mundum univerſum ut baptizent & prædicent, declaratque ſigna quibus doctrina ipſorum confirmabitur.

15. Et dixit eis: Euntes in mundum univer-
ſum prædicate Evangelium omni creaturæ.
16. Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſal-
vus erit: qui verò non crediderit condemnabi-
tur.
17. [p] Signa autem eos, qui crediderint, hæc
ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient,
linguis loquentur novis:
18. Serpentes [q] tollent: & ſi mortiferum
quid biberint non eis nocebit: ſuper ægros ma-
nus imponent, & bene habebunt.

Aſcendit Jeſus in cœlum.

19. Et Dominus quidem Jeſus poſtquam
[r] locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſe-
det à dextris Dei.

Implent Apoſtoli munus prædicationis.

20. Illi autem [ſ] profecti prædicaverunt ubi-
que, Domino cooperante, & ſermonem confir-
mante, ſequentibus ſignis.

---

42. [a] *Serò*, ab hora tertia ad ſextam. Sabbati enim requies incipiebat ſtatim ab occaſu ſolis: tunc verò æquinoctium erat.

43. [b] *Decurio*, Syr. *ſenator*, nomen eſt non officii militaris, ſed dignitatis urbanæ, ſignificans ſenatorem. *Regnum Dei*, adventum Meſſiæ.

46. [c] *Petra*, Syr. *rupe*.

47. [d] *Maria Joſeph*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *mater Joſeph*.

1. [e] *Maria Jacobi*, Arab. *mater Jacobi*. *Emerunt*, acceperunt. *Aromata*, quæ jam emerant.

2. [f] *Una ſabbatorum*, Perſ. *feria prima*, Æth. *primo ſabbati*. Diei primi ſabbatorum. *Orto jam ſole*. Perſ. *cum ſol oriretur*.

4. [g] *Erat quippe*, &c. quod commode ipſis accidit, quia magnus valdè erat lapis.

5. [h] *Monumentum*, domunculam in qua fuit ſepulchrum, ejuſque partem anteriorem.

7. [i] *Et Petro*, meminit Petri ob excellentiam & ut detur ei veniæ fiducia. Si enim diſcipulis collective tantùm ſumptis nuntiata fuiſſet reſurrectio Chriſti, Petrus dixiſſet, ego negavi eum, abjecit me, nec inter diſcipulos ponit.

8. [k] *Nemini*, eorum qui occurrerant in via, idque præ metu Judæorum, Lucæ cap. 24. verſ. 22. & 23. nuntiarunt quippe diſcipulis.

9. [l] *Primò*, id eſt, poſtquam rediiſſet ad ſepulchrum cum Petro & Joanne: illis enim abeuntibus, remanſit ipſa, &c.

12. [m] *Poſt hæc*, eâdem die ſub veſpera poſtquam apparuerat Mariæ Magdalenæ. *His*, qui eum ſecuti fuerant. *In alia effigie*, non reverà alia, ſed prout ipſis apparuit, quorum oculi tenebantur, ut ait Lucas, in forma peregrini.

13. [n] *Illi euntes*, poſtquam Chriſtum agnoviſſent, ut ex Luca patet. *Nec crediderunt*, non omnes, contrarium enim patet, ex Lucæ cap. 24. ſed multi aut aliqui ex illis. Non autem ex infidelitate ſed ex metu, ne reſurrectio quam tantopere exoptarent non eſſet vera.

14. [o] *Noviſſime*, Syr. Perſ. Æth. *poſtremo*. Quia apparitionum eſt omninò ultima, ipſa die aſcenſionis. *Recumbentibus*, Syr. *quum diſcumberent*. *Undecim*, plures alii erant, ut ex Luca patet. Sed hoc nomine vocabatur collegium Apoſtolorum.

17. [p] *Signa*, miracula. *Novis*, quas antea non noverant.

18. [q] *Tollent*, auferent.

19. [r] *Locutus eſt* omnia, à die reſurrectionis. *Aſſumptus eſt*, 26. Aprilis. *Sedet à dextris*, æqualis cum Deo Patre autoritate in regnando.

20. [ſ] *Profecti* non ſtatim, ſed poſt miſſionem Spiritus ſancti.

Digitized by Google

IN EVANGELIUM LUCÆ.

LUcas Syrus fuit origine Antiochenus, profeſſione medicus, priùs Paganus; Romæ diu commoratus eſt. Chriſtianum dogma ſuſcepit Antiochiæ poſtquam eò Roma rediiſſet, Paulo docente, cui ab eo tempore comes hæſit.

Quo tempore ſcripſerit Evangelium, incertum eſt, & à nullo autore traditum, ſcripſit illud Græco ſermone, cùm eſſet in Græcia prope Achaïam & Bœotiam: hocque poſt Matthæum & Marcum, occaſione pſeudo-apoſtolorum quorum meminit Paulus in Epiſtolis, & præſertim poſteriore ad Corinthios.

CAPUT I.

Proœmium eſt.

1. QUONIAM quidem [a] multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum.

2. [b] Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.

3. Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, [c] optime Theophile,

4. Ut cognoſcas eorum [d] verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

Zachariæ ſacerdoti annunciat Gabriel Joannis conceptionem ex Elizabeth ſterili.

5. Fuit in diebus [e] Herodis regis Judææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth.

6. Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini [f] ſine querela.

7. Et non erat illis filius, eò quòd eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.

8. Factum eſt autem, cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ [g] ante Deum,

9. [h] Secundùm conſuetudinem ſacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini.

10. Et omnis multitudo populi erat orans [i] foris horâ incenſi.

11. Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris [k] altaris incenſi.

12. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum.

13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam [l] exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem:

14. Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt:

15. Erit enim [m] magnus coram Domino: & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ:

16. Et multos filiorum Iſraël [n] convertet ad Dominum Deum ipſorum:

17. Et ipſe præcedet ante illum [o] in ſpiritu & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum,

1. a *Multi*: taxantur hîc pſeudo-ſcriptores Evangelici, nec enim Græci adhuc viderant Evangelium Matthæi hebraicè, nec Marci latinè ſcriptum. Non arguit tamen illos animi mali, calami infidelis, mendacii, erroris, incertitudinis aut imperfectionis ſed cauſas ſuæ ſcriptionis exponit.

2. b *Sicut tradiderunt nobis*, referendum ad *conati ſunt*. *Sermonis*, ipſarum rerum geſtarum, quarum nunc Hiſtoriam ſcribo.

3. c *Optime*, non à moribus, ſed à robore & excellentia ducitur hoc nomen græcè & ſyriacè, unde veriſimile eſt fuiſſe virum nobilem, forte concivem Antiochiæ.

4. d *Verborum*, rerum.

5. e *Herodis*, primi nomine qui dictus eſt magnus & Aſcalonita, filius Antipatris. *De vice*, Syr. Perſ. Arab. *ex miniſterio domus*. David enim, I. Par. cap. 24. ſacerdotes poſteros Aaron in familias viginti quatuor diſtribuit, ut quæque ſuo ordine per Hebdomadas miniſtraret in templo: Abiæ verò obtigit octavus locus, ex cujus poſteris erat Zacharias. *Uxor illius de filiabus Aaron*, erat vetitum in veteri teſtamento ne viri acciperent uxores de aliis tribubus, ne hæreditatum diviſio confunderetur. Quod inter ſacerdotes locum non habebat cùm nulla parte terræ fruerentur. Præterea ſacerdotalis & regia tribus ſolebant matrimonialiter copulari, quemadmodum ab initio uxor Aaron fuit Elizabeth filia Aminadab de tribu Juda. Unde *ex filiabus*, exponi poteſt, fortè orta ex filiabus, id eſt, neptè alíqua Aaron, veriſimile eſt matrem Elizabeth fuiſſe ex tribu Juda, & ſic cognatam Beatæ Virginis Mariæ.

6. f *Sine querela*, Syr. *ſine reprehenſione*. Perſ. *abſque timore aut vitio*. Irreprehenſibiles.

8. g *Ante Deum*, in templo, ubi Deus habitare cenſebatur in Sancto ſanctorum.

9. h *Secundùm conſuetudinem ſacerdotii*, prout moris erat inter ſacerdotes unius vicis ſortiri quis inter illos miniſterium deſignatum obiret. *Incenſum*, quod quotidie manè & veſperi unus ſacerdotum in altare thymiamatis offerebat. *Templum*, ſanctum quod velo dirimebatur à Sancto-ſanctorum.

10. i *Foris*, in atrio.

11. k *Altaris incenſi*, altaris aurei, quod in ſancto.

13. l *Exaudita deprecatio*, deprecatio non erat de filio obtinendo, quandoquidem noluit credere Angelo nuntianti, neque impoſſibilia petantur, ſed erat de populi ſalute per Meſſiam afferenda.

15. m *Magnus*, auſteritate vitæ & Dei donis. *Siceram*, Arab. Perſ. *nec quicquam inebrians*. Sic enim Hebræi vocant omne quod inebriare poteſt, de quacumque ſit confectum materia.

16. n *Convertet*, Arab. Perſ. *reducet*. *Deum ipſorum* Chriſtum.

17. o *In ſpiritu & virtute Eliæ*, eodem fervore ac zelo, quia ſicut Elias præcedet ſecundum Chriſti adventum, & hoc, ut convertat infideles: ita Joannes præcedet primum ut pariter convertat, &c. Et ſicut Elias in fine ſæculorum Judæos male in Chriſtum diſpoſitos, melius de illo ſentire faciet, & ad fidem in Jeſum diſponet, ita ut Patriarcharum, &c fidem imitentur, ſic Joannes hìc in quibuſdam Judæis, &c. *Convertat corda patrum in filios*, efficiet ut filii eodem ſint corde & affectu cum Patribus ſanctis, propter quod patres agnoſcent eos pro filiis. *Parare*, Syr. Æth. *ac praparet*.



Luc. I. 11.

Ζαχαρίας ἐν τῷ ἱερῷ. | ZACHARIAS IN TEMPLO.

Zacharias in the Temple. | *Zacharie dans le Temple.*

Zacharias in dem Tempel. | Zacharias in den Tempel.

Picart delin. *Gouwen sculp.*

NAPOLI

Digitized by Google



Luc. I. 28.

Ἀσπασμὸς Ἀγγέλυ πρὸς τὴν Μαρίαν. | MARIA AB ANGELO SALUTATA.
The Annunciation of the Virgin Mary. | Salutation de l'Ange à la S. Vierge.
Der Engel grüsset Maria. | De Groetenis des Engels aen Maria.

Hoet delin.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google



Luc. 1,

Μαρία ἀσπάζεται τὴν Ἐλισάβετ. | MARIA ET ELISABETHA.

Mary and Elizabeth | *Marie ſalue Elizabet.*

Maria beſucht Eliſabeth. | Maria en Eliſabeth.

Carlo Maratti pinx. Duflos sculp.

NAPOLI

Digitized by Google

parate Domino plebem perfectam.

Zacharias Angelo non credens mutus efficitur.

18. Et dixit Zacharias ad Angelum: [a] Unde hoc ſciam: ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis.

19. Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.

21. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo.

22. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & [b] cognoverunt quòd viſionem vidiſſet in templo, & ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.

Concipit Elizabeth ſicut prænunciatum fuerat ab Angelo.

23. Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam.

24. Poſt hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, & [c] occultabat ſe menſibus quinque dicens:

25. Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre [d] opprobrium meum inter homines.

Angelus Gabriel Mariæ annunciat Incarnationem Jeſu Filii Dei.

26. In menſe autem [e] ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

27. Ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen virginis Maria.

28. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu [f] in mulieribus:

29. Quæ cùm audiſſet turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, [g] inveniſti enim gratiam apud Deum.

31. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM.

32. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi [h] vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum,

33. Et regni ejus non erit finis.

34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non [i] cognoſco?

35. Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & [k] virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.

36. Et ecce Elizabeth, [l] cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis:

37. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne [m] verbum.

38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

Exit Maria ut inviſat Elizabeth, cujus filius ad ſalutationem Mariæ in utero Matris ſuæ exultat, & ipſa Elizabeth prophetat.

39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione, in civitatem Juda:

40. Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth.

41. Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, [n] exultavit infans in utero ejus: & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth:

42. Et exclamavit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, [o] & benedictus fructus ventris tui.

43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?

44. Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

45. Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi [p] à Domino.

Maria canticum gratiarum actionis Domino decantat, & ab Elizabeth diſcedit.

46. Et ait Maria:

[q] Magnificat anima mea Dominum:

47. Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

48. Quia reſpexit [r] humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

49. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, [ſ] & ſanctum nomen ejus.

50. Et miſericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

51. [t] Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

52. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

53. Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.

54. [u] Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

55. Sicut locutus eſt ad patres noſtros: [x] Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

56. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus: & reverſa eſt in domum ſuam.

Naſcitur Joannes.

57. Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.

18. [a] *Unde*, Syr. Arab. Perſ. *quomodò*.
22. [b] *Cognoverunt*, ex nutuum ſignificatione.
24. [c] *Occultabat ſe*, non ita ut nullis conſpecta eſſet, ſed quòd celaverit ſe gravidam.
25. [d] *Opprobrium*, ſterilitatem, quæ tunc à vulgo habebatur quaſi Dei maledictio.
26. [e] *Sexto*, à conceptione Joannis.
28. [f] *In mulieribus*, Syr. Perſ. *inter mulieres*.
30. [g] *Inveniſti gratiam*, Arab. *prepolles gratiâ*.
32. [h] *Vocabitur*, non tantùm erit filius, ſed ut talis celebrabitur. *Ille*, etiam ut homini. *Sedem David*, regnum quod David habuit tantùm in figura, cuique Chriſtus Davidi promiſſus. *Regnabit*, intus per fidem & charitatem, exterius per leges, pœnas, & præmia. *In domo Jacob*, in omnibus tribubus Jacob, per quas tota gentium Eccleſia intelligitur, quæ meritò fidei fecerunt in familiam Jacob aſcitæ.
34. [i] *Cognoſco*, ex quo colligunt quòd virginitatem voverit: quod non erat inſolitum apud Judæos, ex Philone. Fortè nondum adducta fuerat in domum Joſeph.
35. [k] *Virtus*, potentia patris. *Obumbrabit tibi*, te. *Sanctum*, adverbium eſt, ſanctè, id eſt, ſancto modo. Videtur etiam alludere ad legem quæ ſequenti capite citatur. *Omne maſculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur*. *Filius Dei*, Arab. *Sanctus*, *& Filius Dei*, Perſ. Æth. *ſanctus eſt*, *& Filius Dei*.
36. [l] *Cognata*, quia Aaron, de cujus filiabus Elizabeth, uxorem acceperat aliam Elizabeth de tribu Juda. Vel quòd veriſimilius Elizabeth de tribu Levi genere paterno, potuit eſſe de tribu Juda ac de familia David genere materno, & ſic cognata Mariæ. Vide verſ. 5.
37. [m] *Verbum*, res.
41. [n] *Exultavit*, exiliit, ſalit, ex vi verbi græci, quod aliud eſt ab exultavit, lætatus eſt.
42. [o] *Et benedictus*, quia benedictus.
45. [p] *A Domino*, ex parte Domini.
46. [q] *Magnificat*, Perſ. *Deo laudem tribuit*. Magnificentiam Domini in me ex intimis præcordiis admiror & prædico.
48. [r] *Humilitatem ancillæ*, humilem ancillam. *Ex hoc*, Syr. Perſ. *ex hoc tempore*.
49. [ſ] *Et ſanctum nomen ejus*, cujus nomen ſanctum eſt.
51. [t] *Fecit potentiam*, potenter operatus eſt. *Mente*, cogitatione. *Sui*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *ſuorum*.
54. [u] *Suſcepit*, Syr. *adjuvit*, Perſ. *opem tulit*. Hoc verbum talem vim habet in ſcripturis; è miſeriis erexit.
55. [x] *Abraham*, refertur ad *miſericordiæ* verbum, & eſt in dativo.

Digitized by Google

58. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia [a] magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.

[Qui in circumciſione nomen Joannis imponitur.]

59. Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.

60. Et reſpondens mater ejus, dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Joannes.

61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

62. [b] Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

63. Et poſtulans [c] pugillarem ſcripſit, dicens: Joannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt univerſi.

[Zacharias receptâ loquelâ mirantibus vicinis & cognatis propter omnia mirabilia in nativitate pueri canticum gratiarum actionis edit.]

64. Apertum eſt autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.

65. Et factus eſt [d] timor ſuper omnes vicinos eorum: & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.

66. Et poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis putas, puer iſte erit? Etenim [e] manus Domini erat cum illo.

67. Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto. Et prophetavit, dicens:

68. Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & [f] fecit redemptionem plebis ſuæ.

69. Et erexit [g] cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui.

70. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus.

71. [h] Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.

72. Ad faciendam [i] miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.

73. [k] Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

74. Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi;

75. In ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

76. Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini [l] parare vias ejus:

77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, [m] in remiſſionem peccatorum eorum:

78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos [n] Oriens ex alto.

79. [o] Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

80. Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in [p] deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

[Puer creſcit, manetque in deſerto.]

CAPUT II.

Ex Auguſti decreto Joſeph cum Maria pergit Bethleem, ubi illa parit Salvatorem.

1. FActum eſt autem in diebus illis, exiit edictum à [q] Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis.

2. Hæc deſcriptio [r] prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino.

3. Et ibant omnes ut [ſ] profiterentur ſinguli ſuam civitatem:

4. Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem: eò quòd eſſet de domo & familia David,

5. Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.

6. Factum eſt autem, [t] cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret.

7. Et peperit filium ſuum [u] primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio.

[Cujus nativitate ab Angelo annuntiata, paſtores feſtini veniunt illum viſum.]

8. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & [x] cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.

9. Et ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas [y] Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim [z] evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

11. Quia natus eſt [aa] vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David.

12. Et hoc vobis [bb] ſignum: Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.

13. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium:

---

58. [a] *Magnificavit miſericordiam.* magnâ uſus eſt miſericordiâ.
62. [b] *Innuebant patri*, Perſ. *& illinc ad patrem ejus Zachariam venerunt, & et ſigno facto dixerunt.* Surdus fortè factus fuerat Zacharias.
63. [c] *Pugillarem.* tabella erat cerâ inducta. quæ pugillo poterat includi, in qua ſtylo ſcribebatur.
65. [d] *Timor*, præ admiratione. *Verba*, facta.
66. [e] *Manus Domini*, modo viſibili agebat Deus in ipſum, hiſque ſignis mirabilibus oſtendebat quod ad magna & mira deſtinaret illum.
68. [f] *Fecit redemptionem*, miſit redemptorem.
69. [g] *Cornu ſalutis*, virtutem ſalutarem. Fortem ſalutem dedit. *Pueri*, Syr. Perſ. *ſervi.*
71. [h] *Salutem*, Syr. *ſe nos liberaturum.*
72. [i] *Miſericordiam cum patribus*. miſericorditer impleat quod ipſis ſe præſtiturum prædixit. *Memorari*, declarandum ſe memorem.
73. [k] *Jusjurandum*, Syr. Æth. *jurisjurandi*, Arab. *juramenti.*
76. [l] *Parare*. Syr. *ut paret.*
77. [m] *In remiſſionem*, ut verborum græcorum ſic exponi debet. Quæ ſalus conſiſtit in remiſſione: vel quæ habetur per remiſſionem.
78. [n] *Oriens*, non eſt participium, ſed nomen proprium: reſpicit enim ad caput 3. 6. Zachariæ prophetæ. *Alto*, jungendum cum *viſitavit.*
79. [o] *Illuminare*, Syr. Arab. *ut luceat. Tenebris*, ignorantia *Umbra mortis*, peccato. *Pacis*, juſtitiæ.
80. [p] *Deſertis*, quo ductus credi poteſt propter edictum Herodis de nece innocentum.

1. [q] *Cæſare Auguſto*, nempe Octavio cui nomen Cæſaris à Julio Cæſare à quo adoptatus fuerat. *Deſcriberetur*. Arab. *deſcriberentur nomina* regionum, urbium, villarum, vicorum, & habitatorum nomina redigerentur in ſcriptis, item facultates cujuſlibet, & tributum pro uniuſcujuſque facultate ſolutum. *Univerſus orbis*, Romanis ſubjectus. Hæc anno Auguſti 40.
2. [r] *Prima*, quia fuit & alia ab eodem. Quo munere non eſt functus niſi decem annis poſt mortem Herodis magni. Alii dicunt undecim annis poſt illam, depoſito Archelao. *Præſide Syriæ Cyrino*, non tunc Cyrinus Judææ præſes, ſed Saturninus cui Cyrinus adjunctus eſt ad deſcribendum cenſum. Saturninus autem præſes erat Syriæ inferioris, & Quintilius Varus præſes ſuperioris Syriæ.
3. [ſ] *Profiterentur*, Syr. *deſcriberentur. Suam*, unde oriundi, & ubi familiæ caput erat.
6. [t] *Cum eſſent ibi*, ex his verbis concludi poteſt moratam aliquot diebus ante partum.
7. [u] *Primogenitum*, ante quem nullus, non poſt quem alii. *Pannis*, Syr. Perſ. *faſciis. Præſepio*, in ſtabulo prope diverſorium, in quo hoſpitum animalia, &c.
8. [x] *Cuſtodientes vigilias*, quatuor ſolemnes noctis vigilias ordine ſuo peragentes.
9. [y] *Dei*. divinitus immiſſa.
10. [z] *Evangelizo*. Syr. Æth. *annuntio*, Perſ. *nuntium fero.*
11. [aa] *Vobis*, propter veſtram utilitatem. *Civitate David*. Bethleem.
12. [bb] *Signum*, non tam confirmativum quàm diſtinctivum. *Præſepio*, ergo notum erat illud & commune.

14. Gloria

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI
Digitized by Google



Luc II 16.

Ποιμένες εὑρίσκουσι τὸν Ἰησοῦν κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ | PASTORES INVENIUNT JESUM INFANTEM
The ſhepherds find the Child Jeſus lying in a manger. | *Les Bergers trouvent Jesus couché dans la crêche.*
Die Hirten finden Jeſus in der Krippe. | De Herders vinden het Kindeken in de Kribbe.



Luc II. 21.

Περιτομὴ τῦ Χριςῦ.
The circumcision of Christ.
Chriſti Beſchneidung.

CHRISTI CIRCUMCISIO.
Circoncision de Jesus Christ.
Besnyding van Christus.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Luc. II, 28.

Χριςὸς ἐν ταῖς ἀγκάλαις τοῦ Συμεῶνος.
Christ in the arms of Simeon.
Simeon nimt Jeſum auf ſeine Arme.

CHRISTUS IN ULNIS SIMEONIS.
Jesus-Christ entre les bras de Symeon.
Christus in de armen van Simeon.

Picart delin. *Baron sculp.*

NAPOLI



Ἰησοῦς ἐν μέσῳ γραμματέων.
Jesus ſitting in the midst of the Doctors.
Jeſus ſitzend mitten unter den leerern.

Luc. II. 40.
JESUS IN MEDIO MAGISTRORUM.
Jesus au milieu des Docteurs.
Jeſus in't midden der Leeraren.

NAPOLI

14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax [a] hominibus bonæ voluntatis.

15. Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis angeli in cœlum: paſtores loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus [b] hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.

16. Et venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio.

17. Videntes autem [c] cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt: [d] & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.

19. Maria autem conſervabat [e] omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.

20. Et reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

Puer in circumciſione vocatur Jeſus, quem poſt dies purificationis matris in Jeruſalem delatum, Domino in templo parentes offerunt.

21. Et poſtquam [f] conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer: vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo priùs quàm in utero conciperetur.

22. Et poſtquam [g] impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.

23. Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum [h] adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.

24. Et ut darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Hunc Simeon ſenex benedicit, Deo gratias agit ac de matris in paſſione doloribus prophetat.

25. Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & [i] timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat in eo.

26. Et [k] reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini.

27. Et [l] venit in ſpiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.

28. Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit:

29. Nunc [m] dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace:

30. Quia viderunt oculi mei [n] ſalutare tuum,

31. Quod [o] paraſti ante faciem omnium populorum;

32. Lumen [p] ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

33. Et erat [q] pater ejus & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.

34. Et [r] benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël: & in ſignum cui contradicetur:

35. Et tuam ipſius animam pertranſibit [ſ] gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Anna prophetiſſa Domino gratias agit.

36. Et erat Anna prophetiſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem [t] à virginitate ſua.

37. Et hæc vidua uſque ad [u] annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.

38. Et hæc ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino: & loquebatur [x] de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël.

Jeſus duodecim annorum a parentibus perditus inventus in templo in medio doctorum.

39. Et ut perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, [y] reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth.

40. Puer autem [z] creſcebat & confortabatur, plenus ſapientiâ: & gratia Dei erat in illo.

41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni Paſchæ.

42. Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundùm conſuetudinem [aa] diei feſti,

43. Conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt [bb] parentes ejus.

44. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & [cc] requirebant eum inter cognatos, & notos.

45. Et non invenientes, [dd] regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum.

46. Et factum eſt [ee] poſt triduum, invene-

14. [a] *Hominibus bonæ voluntatis*, Syr. *voluntas bona hominibus*, Arab. *in hominibus hilaritas*, Perſ. *bona ſpes hominibus*, Æth. *& illis hominum voluntas ejus*. Deo requies in hominibus, ex bona voluntate & beneplacito Dei, adeo ut *bonæ voluntatis* verba referri debeant ad *pax*, &c. Pax bonæ voluntatis Dei erga homines.

15. [b] *Hoc verbum quod factum eſt*, Arab. *hanc rem quæ contigit*. Hoc quod audivimus accidiſſe. *Oſtendit*, Æth. *notum fecit*.

17. [c] *Cognoverunt de verbo*, Syr. *notum fecerunt ſermonem*, Perſ. *verbum enuntiarunt*, divulgaverunt de verbo, & re ipſa comperetunt verum eſſe, quod, &c.

18. [d] *Et de his*, id eſt, de his. *Et*, non in Syr. Arab. Æth. Perſ.

19. [e] *Omnia verba hæc*, has omnes res geſtas.

21. [f] *Conſummati ſunt*, completi: ubi advenisset dies octavus. *Ut circumcideretur*, Æth. *adduxerunt parvulum ut circumciderent eum*. *Quod vocatum*, quod prænuntiatum. Vocari commiſſum.

22. [g] *Impleti*, idem ſenſus ac verſus ſuperioris. *Ejus*, Mariæ. Janſenius Gand. legit græcè in plurali *αὐτῶν* Matris & pueri.

23. [h] *Adaperiens vulvam*, periphraſis eſt primogenitum ex matre. *Sanctum vocabitur*, conſecrabitur.

25. [i] *Timoratus*, Arab. *religioſus*.

26. [k] *Reſponſum acceperat*, Syr. *dictum ei fuerat*, Arab. Perſ. *revelatum*, Æth. *manifeſtaverat ei Spiritus ſanctus*. *Videret*, oculis corporalibus. *Chriſtum Domini*, illum qui præ cæteris omnibus a Domino unctus eſt. Promiſſum a Deo Meſſiam.

27. [l] *Venit in ſpiritu* Arab. *per ſpiritum*, Æth. *adduxit eum ſpiritus*.

29. [m] *Dimittis*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *dimitte*. *In pace*, animo quieto & voti compote.

30. [n] *Salutare tuum*, Chriſtum per quem decreviſti mundum ſalvare.

31. [o] *Paraſti*, per incarnationem videri feciſti. *Ante faciem omnium populorum*, pro omnibus populis & à quibus videndum.

32. [p] *Ad revelationem*, Arab. *quod detectum eſt gentibus*. Ad revelandam veritatem. *Revelationem*, illuminationem.

33. [q] *Pater*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *Joſeph*.

34. [r] *Benedixit*, beatum prædicavit. *Signum*, &c. veluti ſcopus contradictionis hominum; quod & de Judæis tempore Chriſti, & de nobis etiam tunc intelligendum.

35. [ſ] *Gladius*, amariſſimus dolor compaſſionis quod ita illi contradiceretur; & præſertim quum illum in cruce pendentem videbis. Hæc autem verba *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ſunt per parentheſim dicta adeo ut quæ ſequuntur ad verſum præcedentem referantur: ex eo enim quòd Chriſtus erit ſignum cui contradicetur, revelabuntur cogitationes de ipſo, id eſt, qualiter quiſque erga eum affectus fuerit fide & charitate.

36. [t] *A virginitate ſua*, ex quo illi virgo nupſerat.

37. [u] *Annos octoginta quatuor*, ætatis, non viduitatis. *Non diſcedebat*, non quia habitaret, ſed quia in eo aſſidue verſaretur.

38. [x] *De illo*, puero affirmans eſſe Meſſiam. *Expectabant*, tanquam imminentem. *Iſrael*, per *Iſrael*, tota regio vel plebs Iſraëlitica deſignatur.

39. [y] *Reverſi ſunt in Galilæam*, redierunt prius Bethleem, unde fugerunt in Ægyptum, & ex Ægypto in Galilæam.

40. [z] *Creſcebat*, ſignis abundantioribus exhibebat. *Gratia Dei*, favor Dei patris donis ſuis illum ornantis.

42. [aa] *Diei feſti*, Paſchatis.

43. [bb] *Parentes ejus*, Syr. *Joſepho & matre ejus neſcientibus*.

44. [cc] *Requirebant eum inter cognatos & notos*. veriſimile eſt quod interdiu unuſquiſque cum obviis prodibat, ſed appropinquante nocte, qui ex eadem familia aut urbe ſaltem, ſimul conveniebant, &c.

45. [dd] *Regreſſi ſunt*, &c. in hoc iter ſecundus dies impenſus eſt.

46. [ee] *Poſt triduum*, die tertio ab amiſſione. *In templo*, in una ex aulis atrii Judæorum purificatorum. *Sedentem*, poterat ſedere in

Digitized by Google

runt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis ejus.

48. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, [a] quid feciſti nobis, ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

49. Et ait ad illos: Quid eſt quòd me quærebatis? neſciebatis quia [b] in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe.

50. Et ipſi [c] non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.

Revertitur Nazareth ubi ſubditus parentibus creſcit ætate, &c.

51. Et deſcendit cùm eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.

52. Et Jeſus [d] proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.

CAPUT III.

Joannes mittitur à Domino impleturus ſuâ prædicatione Iſaïæ vaticinium.

1. ANno autem [e] quinto-decimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha,

2. Sub [f] principibus ſacerdotum Anna & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, Zachariæ filium in deſerto.

3. Et venit in [g] omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

4. Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaïæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus:

5. Omnis vallis [h] implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas:

6. [i] Et videbit omnis caro ſalutare Dei.

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus [k] de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

9. [l] Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

Turbas, publicanos, ac milites docet quid facere debeant.

11. Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, [m] det non habenti: & qui habet eſcas ſimiliter faciat.

12. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus?

13. At ille dixit ad eos: [n] Nihil ampliùs, quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis.

14. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque [o] calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.

Teſtatur publicè Chriſti & baptiſmi illius excellentiam.

15. Exiſtimante autem populo: & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, [p] ne fortè ipſe eſſet Chriſtus.

16. Reſpondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me, [q] cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.

loco inferiore, doctores verò in ſublimiore: ſed meliùs dicendum *Sedentem*, hic hebraiſmum eſſe pro ſtantem. Non enim ſedebant juvenes & diſcipuli. *In medio doctorum*. Hebraiſmus cum doctoribus, in turba doctorum. *Interrogantem*, proponentem quæſtiones ex auditis, licebat enim, & etiam in more erat, ut auditores & diſcipuli magiſtrum prælegentem, vel etiam totum ſynedrium, aut conſeſſum publicè interrogarent

48. [a] *Quid*, Syr. *cur*, Perſ. Æth. *quare*. *Pater*, quia vir Mariæ & pueri curam gerebat. *Dolentes*, ne nos deſeruiſſes.

49. [b] *In his quæ patris mei ſunt*, Syr. Perſ. *in domo patris*. Non locum loco, ſed negotia patris negotiis humanis opponit.

50. [c] *Non intellexerunt* plene quid per iſta verba prætenderet.

51. [d] *Proficiebat*, quantùm ad actus exteriores ſapientiæ & virtutum, ſecundum proceſſum corporis. *Sapientia & gratia*, ſapientiæ & gratiæ operibus & ſignis, quæ in ſcripturis ſapientiæ & gratiæ nomine ſignificari ſolent. *Apud Deum & homines*, Deo & hominibus teſtibus.

1. [e] *Quinto decimo*, poſt aſſociationem imperii cum Auguſto, & non poſt mortem Auguſti. Quod tamen à quibuſdam improbatur. *Procurante*, Syr. Perſ. *ſub præfectura*. Quia non tam præſes quàm procurator ſub præſide Syriæ. *Pontio*, prænomen eſt. *Pilato*, nomen ex Joſeph. Ant. lib. XVIII. cap. 1. *Judæam*, ſtrictè dictam, quæ poſt mortem Herodis magni fuerat Archelao filio ejus Tetrarchiæ nomine attributa, quo in exilium pulſo ab Auguſto Cæſare; propter accuſationem tyrannidis à Judæis factam, tetrarchia ejus in provinciam redacta eſt, & Syriæ adjecta præſidi, ſub veluti procuratore. *Tetrarcha*, Arab. *princeps ſuper quartam partem*. *Herode* Antipa, cui Auguſtus juxta teſtamentum Herodis patris aſſignaverat dimidium ferè regni ejus. Joſeph Ant. lib XVII cap 13. *Fratre*, ex alia matre, Jeroſolymitana ſcilicet, Antipas ex Samaritide, Joſeph. lib. XVII. cap 1. *Ituræa*, quæ à Jordane fluvio juxta Libanum verſus occidentem pertendit uſque ad montes Tyri & Sidonis. *Trachonitidis*, quæ oppoſita Ituræ à fontibus Jordanis & monte Libano verſus orientem tendit. *Lyſania*, filius erat Lyſaniæ Nepos Ptolemæi Mennæi filii, abnepos Ptolemæi Mennæi, reſtitutus fuerat ab Auguſto in partem ditionum paternarum Joſeph. Ant. lib. XIV. cap. 21. *Abilina*, ab Abila civitate dicta, apud montem Libanum.

2. [f] *Principibus ſacerdotum*, vocantur ſic, non quòd ſimul fuerint pontifices, tum enim ſolus Caiphas ſummus erat pontifex, ſed quia præerant aliis ſacerdotibus, Caiphas ob pontificatum, Annas verò quia urbis Politiæ & Sanedrin dux erat, & nomen pontificis retinuerat. Deinde quia Caiphas deferebat plurimum Annæ ſocero ſuo, ut ex Joan. cap. 18. patet, & nihil abſque illius conſilio agens, videretur non tam ſolus quàm cum Anna præeſſe: qui Annas cùm pluribus annis pontificatum geſſiſſet, & ob hoc, & ob virtutem, conſilium, eloquentiam &c. ex Joſeph lib. IV. de bell. cap. ultimo, maximo in pretio apud Judæos erat, & pluris etiam factus quam ipſe pontifex. Fortè etiam ſic vocantur, quia alternis annis fungebantur ſacerdotio. favet ſcriptura, Joan. cap 11. ubi Caiphas vocatur pontifex anni illius. *Anna & Caipha*. Annas ille conſtitutus fuerat pontifex à Quirino Syriæ præſide, & ſucceſſorem habuit poſt aliquos interpoſitos, Joſephum Caipham generum ſuum, paulò ante adventum Pilati, quo procuratore Judæam, videtur manſiſſe pontifex. *Verbum Domini*, præceptum prædicandi, &c. *Super*, ad.

3. [g] *Omnem regionem Jordanis*, non omnem omnino, ſed eam quæ cap. 1. Marci vocatur deſertum, ſcilicet quà parte Jordanes deſerto ac Jericho vicinus erat. *Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, baptiſmum pœnitentiæ ſignum, per quam pœnitentiam aut prædicationem præparati, conſequerentur à Chriſto remiſſionem peccatorum. Vel, ut reciperent baptiſmum, Joannes ab ipſis exigebat pœnitentiam & confeſſionem peccatorum, quibus diſponerentur ad remiſſionem peccatorum, quam baptiſmo Chriſti conſequi deberent.

5. [h] *Implebitur*, impleatur. Futurum pro imperativo, quod Hebræis familiare. Metaphora eſt à conſuetudine regum deſumpta, in quorum adventu omnia itinera parantur. *Et erunt prava*, &c. & fient quæ obliqua ſunt directa, & aſpera vertentur in vias planas.

6. [i] *Et videbit*, &c. omnis homo corporeis oculis videbit Chriſtum ſalutis mundi auctorem.

8. [k] *De lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: his verbis vult eorum jactantiam deprimere dicendo nihil illis gloriandum quòd ſint è prole Abrahæ, cùm Deus lapides æque ac illos ipſos potuerit erigere in Abrahæ filios.

9. [l] *Jam enim*, Syr. *ecce autem*.

11. [m] *Det*, Æth. Perſ. *det unam*. Quod de ſuperfluo intelligendum.

13. [n] *Nihil amplius*, &c. Syr. *ne exegeritis plus quam conſtitutum eſt vobis exigendum*.

14. [o] *Calumniam faciatis*, Arab. Æth. *opprimatis*. Ab his omnibus abſtinere milites & publicanos docet, non quòd ad ſalutem hoc ſatis eſſet, ſed quòd veriſimile eſſet eos facilè cætera vitia vitaturos, ſi vitarent vitia, quibus maximè laborabant.

15. [p] *Ne*, num.

16. [q] *Cujus non ſum dignus*, &c. proverbium inter Judæos de ſervitute viliſſima. Vide cap. 3. Matth. verſ. 11. *Igni*, quia Apoſtolis in igne apparuit.

Digitized by Google

17. Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.

Correptus Herodes à Joanne illum mittit in carcerem.

19. [a] Herodes autem tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes,

20. Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Joannem in carcere.

In baptiſmo Jeſu, deſcendit ſuper ipſum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & vox è cœlo auditur.

21. Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, [b] & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum:

22. Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: & vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

Texitur genealogia Jeſu à Joſeph uſque ad Adam.

23. Et ipſe Jeſus [c] erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,

24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph,

25. Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge,

26. Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda.

27. Qui fuit Joanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel [d] qui fuit Neri,

28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadam, qui fuit Her,

29. Qui fuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathath, qui fuit Levi,

30. Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,

31. Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, [e] qui fuit Nathan, qui fuit David,

32. Qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon,

33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,

34. Qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36. [f] Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,

37. Qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleël, qui fuit Cainan,

38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, [g] qui fuit Dei.

CAPUT IV.

Degens Jeſus in deſerto, jejunat quadraginta dierum ſpatio, quibus expletis variè à ſatana tentatur.

1. JEſus autem plenus Spiritu ſancto [h] regreſſus eſt à Jordane, & agebatur à Spiritu in deſertum

2. [i] Diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: & conſummatis illis eſuriit.

3. Dixit autem illi diabolus, Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.

4. Et reſpondit ad illum Jeſus: Scriptum eſt: Quia non in ſolo pane vivit homo, ſed [k] in omni verbo Dei.

5. Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,

6. Et ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa.

7. Tu ergo ſi [l] adoraveris coram me, erunt tua omnia.

8. Et reſpondens Jeſus, dixit illi: Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.

9. Et duxit illum in Jeruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorſum.

10. Scriptum eſt enim quod Angelis ſuis mandavit de te, ut conſervent te.

11. Et quia in manibus tollent te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

12. Et reſpondens Jeſus, ait illi: Dictum eſt: [m] Non tentabis Dominum Deum tuum.

13. Et conſummatâ omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, uſque [n] ad tempus.

Docet in ſynagogis Galilææ, legitque in Nazareth impletum de ſe vaticinium.

14. Et regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per univerſam regionem de illo.

15. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

19. [a] *Herodes* Antipas.

21. [b] *Et Jeſu baptizato*, Syr. *ut & Jeſus baptizaretur.*

23. [c] *Erat incipiens*, incipiebat eſſe. *Incipiens quaſi annorum triginta*, Arab. *cœperat ingredi in trigeſimum annum*, Perſ. *circiter triginta annos natus. Ut putabatur filius Joſeph.* Jeſus dicitur filius Joſeph ex eo quod licèt inter ipſum & beatam Virginem nulla interfuerit carnalis copula, tamen per verum matrimonium effecti fuerunt una caro: & ſic Joſeph potuit dici filius Heli, ſi verum eſſet quod quibuſdam placet, Heli fuiſſe eumdem ac Joachim patrem Virginis Mariæ. *Qui fuit Heli*, filius legalis, Jacob verò filius naturalis. Mathat, de quo Matth. cap. 1. filium habuit nomine Jacob, uxor Mathat vidua nupſit poſt mortem illius Melchi, qui filium habuit nomine Heli. Heli ſine liberis defuncto Jacob frater ejus uterinus nupſit ex præcepto legis uxori viduæ fratris ex qua filium habuit nomine Joſeph.

27. [d] *Qui fuit Neri*, Matth. cap. 1. Jechonias dicitur pater Salathiel: ſed fuit pater naturalis. Neri verò pater legalis, porrò qui nominantur a Luca diverſi ſunt a nominatis à Matthæo, quia Lucas deſcribit generationem Jeſu per poſteros Nathan, Matthæus verò deſcribit generationem legalem ex Joſeph per poſteros Salomonis, atque adeo diverſæ ſunt perſonæ quæ a Davide numerantur per Lucam uſque ad Joſeph ab iis quas Matthæus narrat à Davide uſque ad Joſeph. Præterea Abiud & Reſa filii ſunt Zorobabel, Lucas deſcribit genealogiam per Reſa, Matthæus verò per Abiud.

31. [e] *Qui fuit Nathan*, deſcribit genealogiam Mariæ per Nathan, & hoc ut probaretur Chriſtum ortum ex David, quod negari poſſet à Judæis & infidelibus, ſi ſola genealogia Joſeph deſcriberetur, quippe qui non ſit Jeſu pater. Hæc dicuntur ex ſententia interpretum nobilium qui volunt genealogiam deſcriptam a Luca, eſſe genealogiam Mariæ, & qui volunt Heli aliter Joachim eſſe patrem Virginis Mariæ, &c.

36. [f] *Qui fuit Cainan*, Gen. cap. 11. hic Cainan non memoratur in Hebr. & vulgata, ſed tantùm in verſione Sept. quam Lucas ſecutus eſt, & cujus ipſius tempore ſumma erat autoritas.

38. [g] *Qui fuit Dei*, Syr. Arab. *qui ex Deo*, Perſ. *qui potentia divina creatus eſt.*

1. [h] *Regreſſus à Jordane*, circa Jericho. *Deſertum*, quod fuit inter Jericho & Jeruſalem.

2. [i] *Diebus quadraginta*, ſupplendum *fuitque ibi diebus quadraginta, poſt quos tentabatur.*

4. [k] *In omni verbo*, omni aliâ re quam voluerit Deus.

7. [l] *Adoraveris coram me*, Perſ. *adoraveris me.*

12. [m] *Non tentabis*, tentare Deum eſt abſque neceſſitate, de ejus ſapientia, providentia, vel poteſtate experimentum accipere.

13. [n] *Ad tempus*, nunc per voluptatem, poſtea verò in paſſione per adverſa opera miniſtrorum ſuorum tentaturus.

16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundùm [a] conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere.

17. Et [b] traditus eſt illi Liber Iſaiæ prophetæ: & ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat:

18. Spiritus Domini ſuper me: propter quod [c] unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde,

19. Prædicare captivis [d] remiſſionem, & cœcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.

20. Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro & [e] ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.

21. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura [f] in auribus veſtris.

Invidentibus concivibus dicit prophetam non eſſe acceptum in patria ſua.

22. Et [g] omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt filius Joſeph?

23. Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc [h] ſimilitudinem: Medice cura te ipſum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël, quando [i] clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra.

26. Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, [k] niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

27. Et multi leproſi erant in Iſraël, ſub Eliſæo propheta: & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.

Quòd ægrè ferentes Nazaræi volunt illum de monte præcipitare, ſed per medium illorum tranſit illæſus.

28. Et repleti ſunt omnes in ſynagoga irâ, hæc audientes:

29. Et ſurrexerunt, & [l] ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30. Ipſe autem tranſiens [m] per medium illorum, ibat.

In Capharnao ejicit dæmonium immundum.

31. [n] Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis.

32. Et ſtupebant in doctrina ejus, quia [o] in poteſtate erat ſermo ipſius.

33. Et in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magnâ,

34. Dicens: Sine, quid nobis, & tibi, Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te quis ſis, Sanctus Dei.

35. Et increpavit illum Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo. Et cùm projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

36. Et factus eſt [p] pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?

37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

Curat ſocrū Simonis, & multos ægros atque dæmoniacos ſanat.

38. Surgens autem Jeſus de ſynagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea.

39. Et [q] ſtans ſuper illam imperavit febri: & dimiſit illam. Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.

40. Cùm autem ſol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

41. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei: Et increpans [r] non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

Secedit in deſertum locum, ubi à turbis quæritur ut apud illas maneat, ſed ad alias civitates ſe miſſum eſſe dicit, & pergit prædicare in ſynagogis Galilææ.

42. Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis.

43. Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo miſſus ſum.

44. Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ.

CAPUT V.

Turbas irruentes, è navi Petri docet Jeſus.

1. FActum eſt autem [f] cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.

2. Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia.

3. Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum; & ſedens docebat de navicula turbas.

Petrus juſſu Chriſti la-

4. Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem

16. [a] *Conſuetudinem*, audiendi, non docendi. *Surrexit*, hoc geſtu ſignificans ſe quoque ex Spiritu habere quod loqui vellet: apud Judæos enim mos erat, ut in ſynagoga non unus tantùm faceret verba ad populum, ſed liberum eſſet diverſis ſucceſſive concionari, ut patet ex Paulo 1. ad Corinth. cap. 14. *Legere*, lectioni concioni adjungi ſolita, thema ſermonis accipiens ex ſacra ſcriptura.

17. [b] *Traditus eſt liber*, mos erat ut archiſynagogus offerret librum viris præſentibus, quando legis intelligentes habebantur.

18. [c] *Unxit*, omne genus gratiarum in me diffudit, velut unguentum quo me tanquam unctum ſuum & Meſſiam conſecravit ad officium prædicationis. *Evangelizare pauperibus*, Syr. *& propterea unxit me ut evangelizem.*

19. [d] *Remiſſionem*, Syr. *libertatem*, Arab. *& dimitterem vinctos in libertatem. Annum*, tempus.

20. [e] *Sedit*, quod in docendo ſingularem ejus autoritatem ſignificat, mos enim Judæis erat ſtandi, cùm legerent & docerent, ut patet Act. cap. 13. verſ. 16. & Paulo 1. ad Cor. cap. 14.

21. [f] *In auribus*, Syr. *quæ eſt in auribus veſtris.*

22. [g] *Omnes*, plerique. *Teſtimonium*, ſapientiæ doctrinæque ſpiritualis. *Mirabantur in verbis gratiæ*, Æth. *mirati ſunt gratiam ſermonis.* Super gratia ſermonum.

23. [h] *Similitudinem*, vulgare proverbium & parabolicum verbum. *In Capharnaum*, ergo hæc per anticipationem narrata ſunt.

25. [i] *Clauſum eſt*, non pluit.

26. [k] *Niſi* referendum eſt ad *miſſus eſt*, hæc enim vidua non erat Iſraëlitis.

29. [l] *Ejecerunt*, tanquam reum mortis.

30. [m] *Per medium illorum*, locutio Hebraica, confidenter abſque timore.

31. [n] *Et deſcendit, &c.* quæ hîc dicuntur referenda ſunt ad tempus quo poſt baptiſmum in Galilæam venit, non verò ad tempus quod immediatè effluxit poſt facta illa in Nazareth. Vide v. 23.

32. [o] *In poteſtate erat, &c.* cum poteſtate conjunctus erat ſermo ipſius.

36. [p] *Pavor*, Syr. Perſ. *ſtupor.* Admirabantur potiùs modum agendi quàm factum in ſe, cùm & exorciſtæ eorum ejicerent dæmones. *Quod eſt hoc verbum*, Syr. *quod hoc res eſt.*

39. [q] *Stans ſuper illam*, Æth. *acceſſit ad eam*, Perſ. *capiti ejus aſtitit.*

41. [r] *Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant, &c.* Syr. *nec permittebat eis dicere noſſe ſe, quod ipſe eſſet Chriſtus.*

1. [f] *Cum turba irruerent in eum*, Syr. *coacta eſſet ad eum turba.*

Digitized by Google



Ἀλιεία με CAPTA.
Th

Raphael invē. *Thomasin Sculps.*

NAPOLI

Digitized by Google



Luc. V. 19.

Καθιᾶσι τὸν παραλυτικὸν διὰ τῶν κεράμων.
The ſick of the palsie let down through the Tiling.
Der Gichtbrüchige durch das Dach niedergelaſſen.

PARALYTICUS DEMISSUS PER TECTUM.
On descend le Paralytique par le toit.
De Geraakte nedergelaten door het Dak.

Picart delin. *Bruin*

NAPOLI

rato reti, concludit piſcium multitudinem copioſam: quo facto perculſi Petrus, ipſiuſque ſocii, Jeſum ſequuntur.

Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

5. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: [a] in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, [b] rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jeſu, dicens: Exi à me, quia [c] homo peccator ſum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, [d] in captura piſcium, quam ceperant.

10. Similiter autem Jacobum & Joannem, filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis. Et ait ad Simonem Jeſus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

11. Et ſubductis ad terram navibus, [e] relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

Leproſum ſanat Jeſus, ad quem multi accedunt ut curentur.

12. Et factum eſt cùm eſſet in [f] una civitatum, & ecce vir plenus leprâ, & videns Jeſum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.

13. Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo: [g] Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo.

14. Et ipſe præcepit illi, ut nemini diceret: ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes, [h] in teſtimonium illis.

15. Perambulabat autem magis ſermo de illo: & conveniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis.

Jeſus ſecedit in deſertum.

16. Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.

Deſcribitur ſanatio paralytici.

17. Et factum eſt in una dierum, & ipſe ſedebat docens. Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex [i] omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos.

18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

19. Et non invenientes quâ parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & [k] per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Jeſum.

20. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.

21. Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?

22. Ut cognovit autem Jeſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris?

23. [l] Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula?

24. Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans Deum.

26. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

27. Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. *Vocatio Matthæi.*

28. Et [m] relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.

Reſpondet Jeſus Phariſæis murmurantibus quod cum peccatoribus manducaret.

30. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ [n] eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis, & bibitis?

31. Et reſpondens Jeſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent.

32. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Et quod diſcipuli ſui non jejunent.

33. At illi [o] dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum, tui autem edunt & bibunt?

34. Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare?

35. Venient autem dies: cùm ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc jejunabunt in illis diebus.

36. Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: quia nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura à novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt.

5. [a] *In verbo*, Syr. *fretus verbo*. Juſſu.
6. [b] *Rumpebatur autem*, Syr. *ita ut diſrumperetur*.
8. [c] *Homo peccator*, multis peccatis obnoxius. tu verò ſanctiſſimus, unde timebat, quemadmodum mulier Sareptana in adventu Eliæ, V. Reg. cap. 17. ne tali occaſione vindicta peccatorum ſuorum ſumeretur à Deo.
9. [d] *In captura*, Syr. *propter capturam*.
11. [e] *Relictis omnibus ſecuti ſunt eum*, ut ferebat vocatio miniſterii cui primo inſervierunt, ſed cum illud permitteret, ad ſua redire & res ſuas curare poterant, ad piſcatum enim reverſi ſunt, Joan. cap. 21. & Petrus poſteà adhuc domum habuit, Matth. cap. 8.
12. [f] *Una civitatum*. Capharnaüm, in ſuburbio non enim leproſis licitum erat ingredi civitates, aut in una, id eſt, prope unam ex qua exierat Jeſus: adeo ut *cum eſſet*, ſit intelligendum quo tempore maneret.
13. [g] *Mundare*, Syr. Perſ. *mundus eſto*.
24. [h] *In teſtimonium*, quod legem impleam, & tu ſis mundus.
17. [i] *Omni caſtello*, Syr. Perſ. *omnibus pagis*. *Eos*, non ad Phariſæos, ſed ad turbas referendum eos, qui egebant curari.
19. [k] *Per tegulas*, Syr. *è tabulato*. Per aperturam factam in tegulis, in Palæſtina enim tecta erant plana, quorum contabulatio lateribus conſternebatur, in cujus medio apertura erat ad lucem conclavis inferioris. Per hanc aperturam paralyticum ſtatuerunt ante Jeſum, & ut daretur lecto facilior locus, lateres aliquot avulſerunt, &c.
23. [l] *Quid eſt facilius*, &c. coram hominibus, qui exteriora tantum vident, facilius eſt dicere *dimittuntur peccata*, cùm enim hoc non fiat exterius, non poſſunt hæc verba arguere falſitatis: ſed dicere, *Surge & ambula*, &c.
28. [m] *Relictis omnibus*, relinquens quæſtuoſum illud vivendi genus, & quod ex rationibus ipſi debebatur. Cætera tunc reliquit animo & voluntate, quippe qui fecerit convivium, ad quod opes neceſſariæ: ſed rebus ſuis diſpoſitis & ordinatis, reipſa reliquit omnia complete.
30. [n] *Eorum*, Judæorum.
33. [o] *Dixerunt*, Phariſæi ſimul cum diſcipulis Joannis, ex Marc. c. 2.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur.

39. [a] Et nemo bibens vetus, ſtatim vult novum, dicit enim: Vetus melius eſt.

CAPUT VI.

Diſcipulos ſpicas ſabbato vellentes excuſat.

1. FActum eſt autem in [b] ſabbato ſecundo, primo, cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus.

2. Quidam autem Phariſæorum, dicebant illis: [c] Quid facitis quod non licet in ſabbatis?

3. Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cùm eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant:

4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant: quos non licet manducare niſi tantùm ſacerdotibus?

5. Et dicebat illis: Quia Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbati.

Alio ſabbato manum aridam ſanat, quod peſſime habent Phariſæi.

6. Factum eſt autem & in alio ſabbato, ut intraret in ſynagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida.

7. Obſervabant autem Scribæ & Phariſæi ſi in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum.

8. Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum, & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.

9. Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos, ſi licet ſabbatis [d] benefacere, an male, animam ſalvam facere an perdere?

10. Et circumſpectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam & extendit: & reſtituta eſt manus ejus.

11. Ipſi autem repleti ſunt [e] inſipientiâ, & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jeſu.

Electos duodecim Apoſtolos nominat, quorum hic nomina recenſentur.

12. Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

13. Et cùm dies factus eſſet vocavit diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit.

14. Simonem quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum,

15. Matthæum, & Thomam, [f] Jacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes,

16. Et [g] Judam Jacobi, & Judam Iſcariotem, qui fuit proditor.

Apoſtolis & magnæ multitudini prædicat quatuor hominis beatitudines.

17. Et deſcendens cum illis, ſtetit in [h] loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis,

18. Qui venerant [i] ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.

19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo [k] exibat, & ſanabat omnes.

20. Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: [l] Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.

21. Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

22. Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm [m] ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter Filium hominis.

23. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo: ſecundùm hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

Quatuor hominis mala docet.

24. Verumtamen væ vobis [n] divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.

25. Væ vobis qui [o] ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.

26. Væ cùm benedixerint vobis [p] homines: ſecundùm hæc enim faciebant pſeudo-prophetis patres eorum.

Alia præcepta & conſilia Evangelica proponit.

27. Sed vobis dico qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

28. [q] Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

29. Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi [r] veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30. Omni autem petenti [s] te tribue: & qui aufert, quæ tua ſunt ne repetas:

31. Et prout [t] vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

32. [u] Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

33. Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? ſi quidem & peccatores hoc faciunt.

34. Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis [x] recipere; quæ gratia eſt vobis? nam

39. [a] *Et nemo, &c.* Chriſtus hic proverbiis ſignificat homines non ſubito ad auſteriorem vitam pertrahendos, ſed per gradus quoſdam aſſuefaciendos, &c.

1. [b] *Sabbato ſecundo primo*, primo poſt ſecundam diem Azymorum. Omnes enim dies ſabbati qui intercidebant inter diem ſecundam à Paſchate ſive decimam ſextam menſis Niſan & feſtum Pentecoſtes, denominabantur ab hac ſecunda die Paſchæ, ita ut primum ſabbatum, ſequens dicebatur primum ſabbatum, poſt ſecundam diem, & ſecundum ſabbatum dicebatur ſecundum poſt ſecundam diem, & ſic de aliis, &c. *Spicas*, hordei.

2. [c] *Quid*, Syr. *cur*, Arab. Perſ. *quare*.

9. [d] *Benefacere*, prodeſſe. *Animam*, vitam. Hominem. *Perdere*, occidere.

11. [e] *Inſipientia*, Syr. *invidia*, Perſ. *invidia & malitia*, Æth. *& illi magis inſanieverunt*.

15. [f] *Jacobum Alphæi*, Syr. Perſ. Arab. *Alphæi filium*. *Zelotes*. Qui ex Cana ortus: Cana enim zelus interpretatur.

16. [g] *Judam Jacobi*, Syr. Perſ. Arab. *Jacobi filium*. Jacobi minoris fratrem.

17. [h] *Loco campeſtri*, Syr. Perſ. *planitie*. Quædam prædicavit in latere montis.

18. [i] *Ut audirent, & ſanarentur*, quidam venerant ut audirent, quidam ut ſanarentur.

19. [k] *Exibat*, per effectum.

20. [l] *Beati, &c.* videndum caput 5. Matthæi.

22. [m] *Separaverint*, ejicientes è ſynagogia. *Exprobraverint*, probris affecerint.

24. [n] *Divitibus*, divitias ſuas immoderate amantibus, iiſque male utentibus.

25. [o] *Saturati eſtis*, qui vos reficitis non ad neceſſitatem, ſed ad voluptatem, & quibus Deus venter eſt. *Ridetis*, in laſcivia, luxu, &c. vivitis.

26. [p] *Homines*, mundani, ſignum enim eſt quod ipſis placentia loquamini more pſeudo-prophetarum.

28. [q] *Benedicite*, bene precamini.

29. [r] *Veſtimentum*, Syr. *pallium*. Ex Joan. cap. 18. & Act. cap. 23. patet quòd hæc verba non ſint nude intelligenda, ſed ſecundum animi præparationem, & prout id ſaluti ejus qui injuriam fecit videmus expedire. Vide cap. 5. Matthæi.

30. [s] *Te*, Syr. Arab. Perſ. *à te*. *Aufert*, egeſtate preſſus. Ne nimis dure agas cum proximo.

31. [t] *Vultis*, voluntate rationabili.

32. [u] *Et ſi diligitis*, Æth. *& ſi ſolummodo*.

34. [x] *Recipere*, non ſortem, alioqui donum potius eſſet quàm mutuum, ſed vicem mutuam, ut & ipſi dent vobis mutuum. *Fœnerantur*, catachreſis, mutuant.

Digitized by Google

Digitized by Google



Luc VII, 14.

Νεανίας ἀποθανὼν ὑπὸ τȣ͂ Χριςȣ͂ ἐγερθεὶς.

A dead Youngman reſtor'd to Life by Chriſt.

Ein Jüngling durch Chriſtus von den todten erweckt.

MORTUUS ADOLESCENS A CHRISTO VITAE REDDITUS.

Un jeune homme reſuſcité par Jeſus-Chriſt.

Een geſtorven Jongeling door Chriſtus opgewekt

Picart delin. *Bleiswyk*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

& peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

35. Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite & mutuum date, [a] nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.

36. Eſtote ergo [b] miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

37. Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnate, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.

38. Date, & dabitur vobis: menſuram [c] bonam, & coofertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura quâ menſi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem illis & ſimilitudinem: Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?

40. [d] Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ejus.

41. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt non conſideras?

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primù n trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui.

43. Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum.

44. Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim de ſpinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum: ex abundantia enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?

47. Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos: oſtendam vobis cui ſimilis ſit.

48. Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in [e] altum, & poſuit fundamentum ſuper petram; inundatione autem factâ, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat ſuper petram.

49. Qui autem audit & non facit: ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſine fundamento: in quam illiſus eſt fluvius, & continuò cecidit: & facta eſt ruina domus illius magna.

CAPUT VII.

Admiratus centurionis fidem, abſens ſanat illius ſervum.

1. CUm autem [f] impleſſet omnia verba ſua, in aures plebis, intravit Capharnaum.

2. Centurionis autem cujuſdam ſervus male habens, erat moriturus: qui illi erat [g] pretioſus.

3. Et cùm audiſſet de Jeſu, miſit ad eum [h] ſeniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus.

4. At illi cùm veniſſent ad Jeſum, rogabant eum ſollicite, dicentes ei: Quia dignus eſt ut hoc illi præſtes.

5. Diligit enim gentem noſtram: & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.

6. Jeſus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longe eſſet à domo, miſit ad eum centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: [i] non enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres.

7. Propter quòd, & me ipſum non ſum dignum arbitratus ut venirem ad te: ſed [k] dic verbo, & ſanabitur puer meus.

8. Nam & ego homo ſum [l] ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic: Vade & vadit, & alii: Veni, & venit; & ſervo meo: Fac hoc, & facit.

9. Quo audito Jeſus miratus eſt: & converſus ſequentibus ſe turbis dixit: Amen dico vobis, [m] nec in Iſraël tantam fidem inveni.

10. Et reverſi, qui miſſi fuerant, domum, invenerunt ſervum, qui languerat, ſanum.

11. Et factum eſt: [n] deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naïm: & ibant cum eo diſcipuli ejus, & turba copioſa. Juxta portam civitatis Naim filium viduæ reſuſcitat.

12. Cùm autem appropinquaret [o] portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Et hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa:

13. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere.

14. Et acceſſit, & tetigit loculum [hi autem qui portabant, ſteterunt] & ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

15. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ.

16. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebem ſuam.

17. Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.

18. Et nuntiaverunt Joanni diſcipuli ejus, de omnibus his. A diſcipulis Joannis interrogatus an eſſet Meſſias venturus, multa edit ſigna.

19. Et convocavit duos de diſcipulis ſuis Joannes, & [p] miſit ad Jeſum, dicens: Tu es

35. [a] *Nihil inde ſperantes*, Æth. *non ſperantes quid retribuetur.* Nullam expectantes ex illo beneficio parem beneficii vicem.
36. [b] *Miſericordes*, benefici & benigni.
38. [c] *Bonam*, plenam. *Confertam*, preſſam. *Coagitatam*, bene concuſſam. Vaſe concuſſo quo plus capiat.
40. [d] *Non eſt diſcipulus*, ut talis ſcilicet conſideratus, hoc dicit ut præveniat objectionem illorum qui dicerent: non adhærere ſe erroribus magiſtrorum ſuorum.
48. [e] *Altum*, profundum.
1. [f] *Impleſſet*, Syr. Arab. Perſ. *abſolviſſet.*
2. [g] *Pretioſus*, Arab. Perſ. *charus.*
3. [h] *Seniores*, ſic vocabant magiſtratus urbis.
6. [i] *Non ſum dignus*, accommodat ſermonem ſenſui Judæorum, qui ſe contaminatos putabant, ſi introiſſent in domum Gentilis.
7. [k] *Dic verbo*, ſolo verbo præcipe.
8. [l] *Sub poteſtate conſtitutus*, Æth. *præpoſitus, imperatori, ac præſidi, tribunoque ſubditus.* Jeſus verò, ut naturæ Dominus, nulli ſubditus.
9. [m] *In Iſrael*, in communi Iſraelitica plebe: non enim fides illa major fuit fide beatæ Virginis. *Inveni*, à tempore prædicationis meæ.
11. [n] *Deinceps*, Syr. *poſtero die.*
12. [o] *Portæ*, quia ſepulchra erant extra urbem.
19. [p] *Miſit*, non quod Joannes ignoraret, ſed ut hoc facto diſcipulorum ignorantiæ mederetur; quatenus ex verbis & factis Chriſti in fide ipſius & amore ædificarentur. *Venturus es*, Chriſtus ille à prophetis prædictus.

Digitized by Google

qui venturus es, an alium expectamus?

20. Cùm autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

21. [In ipſa autem hora multos curavit à languoribus ſuis, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum.]

22. Et reſpondens dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis: quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, [a] pauperes evangelizantur.

23. Et beatus eſt quicumque non [b] fuerit ſcandalizatus in me.

Abeuntibus diſcipulis Joannis, illum coram turbis plurimùm commendat.

24. Et cùm diſceſſiſſent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? [c] arundinem vento agitatam?

25. Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? ecce qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis, in domibus regum ſunt.

26. Sed quid exiſtis videre? prophetam? Utique dico vobis, & plus quàm prophetam.

27. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

28. Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptiſtâ nemo eſt; qui autem minor eſt [d] in regno Dei, major eſt illo.

Phariſæos arguit, quod ipſis nec vita Joannis nec vita Chriſti placeret.

29. Et omnis populus audiens, & publicani [e] juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Joannis.

30. [f] Phariſæi autem, & legiſperiti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos, nòn baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus: Cui ergo ſimiles dicam homines generationis hujus? & cui ſimiles ſunt?

32. [g] Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non ploraſtis.

33. Venit enim Joannes Baptiſta, neque manducans [h] panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.

34. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.

35. Et [i] juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.

36. [k] Rogabat autem illum quidam de Phariſæis ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.

Narratur hiſtoria convivii Simonis, & rerum à muliere peccatrice geſtarum.

37. Et ecce mulier, [l] quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti.

38. Et [m] ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

39. Videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier quæ tangit eum: quia peccatrix eſt.

40. Et [n] reſpondens Jeſus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic.

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque, quis ergo eum plus [o] diligit?

43. Reſpondens Simon dixit: Æſtimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Rectè judicaſti.

44. [p] Et converſus ad mulierem dixit Simoni: Vides hanc mulierem? intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit.

45. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravi, non ceſſavit oſculari pedes meos.

46. [q] Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

49. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſalvam fecit: vade in pace.

CAPUT VIII.

Parabolam de ſeminante proponit, quam diſcipulis interpretatur.

1. ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates, & [r] caſtella, prædi-

22. [a] *Pauperes evangelizantur*, Perſ. *pauperes in ſpem adducuntur*, Æth. *lætificantur*, illis prædicatur Evangelium, quod recipiunt, & à quo beati prædicantur.

23. [b] *Fuerit ſcandalizatus in me*, Arab. *non dubitat de me*, Æth. *non negant me*. Videndum caput undecimum Matthæi.

24. [c] *Arundinem vento agitatam*, hominem huc illuc inclinantem.

28. [d] *In regno Dei*, &c. per regnum Dei intelligendo Eccleſiam militantem, Chriſtus qui minor eſt Joanne, ætate, hominum opinione, prædicationis tempore, major eſt, &c. ſi intelligatur Eccleſia triumphans, minor ex Angelis major eſt Joanne. Quilibet etiam Chriſtianus, cùm ſit membrum novi fœderis.

29. [e] *Juſtificaverunt Deum*, Arab. *gratias egerunt Deo quod baptizati*, &c. quia per prædicationem & baptiſmum Joannis ad juſtitiam à vitiis redierant, & ſic Deum juſtum ac juſte operatum dixerunt.

30. [f] *Phariſæi & legiſperiti*, major pars illorum, nam ex Matth. cap. 3. verſ. 7. ſunt hæc verba. *Videns multos Phariſæorum venientes ad baptiſmum*, &c.

32. [g] *Similes ſunt*, &c. quemadmodum uſu venire ſolet in cœtu puerorum ludentium, qui modò nuptias, modò funera imitantur, ut quidam moroſi, nec tibiis aliorum, nec lamentatione provocentur, vel ad lætum tripudium, vel ad triſtem fletum ita contingit hominibus generationis hujus, qui nec ſeverioris nec lætioris vitæ exemplo, provocari poſſunt ad pœnitentiam & pietatem, videndum cap. 11. Matth. v. 16.

33. [h] *Panem*, eſca enim ejus, locuſtæ & mel ſylveſtre.

35. [i] *Juſtificata ſapientia*, abſoluta ab impiorum condemnatione: dum Chriſtus, Joannes, & omnes prophetæ nihil prætermiſerunt quod utile eſſet ſaluti hominum, vide ſupra v. 29 & 19. c. 11. ex Matthæo.

36. [k] *Rogabat autem*, &c. cùm hæc narret Lucas poſt reſurrectionem filii viduæ urbis Naim evenire debuerunt in urbe è Galilæa, ſecundo prædicationis Chriſti anno.

37. [l] *Quæ erat peccatrix*, quæ per civitatem paſſim habebatur famoſa peccatrix. *Civitate*, Naim. *Alabaſtrum unguenti*, Perſ. *ampullam plenam unguento galia*. Vas ex alabaſtro.

38. [m] *Stans retro ſecus pedes*, accumbebant detractis calceis, & pedes lavabant ne inficerent lectum. Sic erat etiam adorationis forma capillis, qui pretioſi ſunt, aras & templa tergere, ex Livio & Juſto-Lipſio.

40. [n] *Reſpondens*, incipiens loqui, verbum uſitatum apud autores ſacros.

42. [o] *Diligit*, Syr. *diliget*. Diligere obligatur, ſed cum inferius enumeret plura dilectionis officia, potius intelligendum eſt hoc de dilectione quæ præceſſerit, id eſt, quem putas ex eventurem conjectando, plus antea creditorem ſuum dilexiſſe.

44. [p] *Et converſus*, &c. lotio, terſio, & unctio pedum de more erat erga diſcumbentes & peregrinos.

46. [q] *Oleo caput meum non unxiſti*, oleo non ungebant capita, ſed unguento balſamo quo veſtes non inficiebantur, ex Plinio. Vel, quod exprimebatur ex oleis non maturis, & miſcebatur cum liquoribus florum & herbarum odoriferarum, quo veſtes non maculari dicunt.

1. [r] *Caſtella*, Syr. *vicos*, Perſ. *pagos*.

cans

Digitized by Google

cans & evangelizans regnum Dei : & duodecim cum illo,

2. Et [a] mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus : Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant,

3. Et Joanna uxor Chuſæ [b] procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

4. Cùm autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per [c] ſimilitudinem :

5. Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum : & dum ſeminat, aliud [c] cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit ſupra petram : & natum aruit, quia non habebat [d] humorem.

7. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam : & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat : Qui habet aures [e] audiendi audiat.

9. Interrogabant autem eum diſcipuli ejus, [f] quæ eſſet hæc parabola.

10. Quibus ipſe dixit : Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis : ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

11. [g] Eſt autem hæc parabola : Semen eſt verbum Dei.

12. Qui autem ſecus viam, hi ſunt [h] qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.

13. Nam qui ſupra petram : qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum : & hi radices non habent : qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in ſpinas cecidit : hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, [i] euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram : hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt [k] in patientia.

Figurate hortatur diſcipulos ad docendum.

16. [l] Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit : ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

17. Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur : nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palam veniat.

18. [m] Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet dabitur illi : & quicumque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo.

Qui ſint ſui parentes, dicit.

19. Venerunt autem ad illum mater & [n] fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba.

20. Et nuntiatum eſt illi : Mater tua, & fratres tui ſtant foris, volentes te videre.

21. Qui reſpondens, dixit ad eos : Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

In mari excitatus a ſomno tempeſtatem ſedat.

22. Factum eſt autem in una dierum, & ipſe aſcendit in naviculam, & diſcipuli ejus, & ait ad illos : Transfretemus trans ſtagnum. Et [o] aſcenderunt.

23. Et navigantibus illis, obdormivit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, & [p] complebantur, & periclitabantur.

24. Accedentes autem ſuſcitaverunt eum, dicentes : Præceptor, perimus. At ille ſurgens increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſavit : & facta eſt tranquillitas.

25. Dixit autem illis : Ubi eſt fides veſtra ? Qui timentes mirati ſunt ad invicem, dicentes : Quis putas hic eſt, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei ?

Dæmoniacum à dæmonum legione liberat, quibus permittit in porcos intrare, quos in mare præcipitant, obdeque ab incolis rogatur, ut diſcedat a regione illorum.

26. Et navigaverunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt [q] contra Galilæam.

27. Et cùm egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.

28. Is, ut vidit Jeſum, procidit ante illum : & exclamans voce magnâ, dixit : [r] Quid mihi, & tibi eſt Jeſu Fili Dei Altiſſimi ? obſecro te, ne me torqueas.

29. Præcipiebat enim ſpiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſerta.

30. Interrogavit autem illum Jeſus, dicens : Quod tibi nomen eſt ? At ille dixit : Legio : quia intraverant dæmonia multa in eum.

31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in [ſ] abyſſum irent.

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte : & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et [t] permiſit illis.

33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & [u] intraverunt in porcos : & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.

34. Quod ut viderunt factum qui paſcebant fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in villas.

35. [x] Exierunt autem videre quod factum eſt, & venerunt ad Jeſum : & invenerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant, veſtitum, ac ſanâ mente, ad pedes ejus, & timuerunt.

2. [a] *Mulieres aliquæ*. non mirum quòd hæ mulieres ſequerentur Jeſum : mos enim apud Judæos, ut feminæ præberent victum & veſtitum hominibus, quos ut magiſtros habebant, I Cor. c. 9. *Maria Magdalene*, ſic dicta à caſtello Magdalum in quo habitabat, ſito juxta mare Tiberiadis.
3. [b] *Procuratoris*. Syr. *præfecti domui*.
4. [c] *Similitudinem*. Syr. *parabolas*, Arab. *dixit eis parabolam*.
6. [d] *Humorem*, Arab. *quia non erat ei collis*. Æth. Perſ. *radicem*.
8. [e] *Audiendi*, Syr. *ad audiendum*.
9. [f] *Quæ eſſet*, quid ſignificaret.
11. [g] *Eſt autem hæc parabola*, ſic exponenda. *Semen eſt*, id quod per ſemen ſignificatur, eſt verbum.
12. [h] *Qui audiunt*, nec ſuſcipiunt.
14. *Euntes*, converſantes.
15. [k] *In patientia*. per patientiam, id eſt patientem & perſeverantem expectationem mercedis.

16. [l] *Nemo autem*, &c. his verbis innuit quòd diſcipuli ſui debeant prædicare publice, quæ ab ipſo acceperunt in ſecreto.
18. [m] *Videte ergo*, &c. his verbis hortatur diſcipulos, ut ſint in docendo liberales : nec metuant ne ſibi verba deſint. *Non habet*, non utitur talentis ſibi creditis.
19. [n] *Fratres*, ſic in ſcripturis paſſim vocantur cognati.
22. [o] *Aſcenderunt*, provecti ſunt in altum mare.
23. [p] *Complebantur*, complebatur navis fluctibus.
26. [q] *Contra*, Syr. Æth. *ex adverſo*.
28. [r] *Quid mihi & tibi*, &c. quid tu, cùm juſtus ſis, nos è peccatorum corporibus expellis.
31. [ſ] *Abyſſum*. Æth. *infernum*.
32. [t] *Permiſit*, ut appareret quàm multis dæmonibus hominem liberaſſet.
33. [u] *Intraverunt in porcos*, hoc in pœnam peccati Judæorum, quibus nefas erat nutrire porcos. Vide quæ dicta apud Matthæum.
35. [x] *Exierunt*, habitatores urbis atque villarum.

36. Nuntiaverunt autem illis & qui viderant, quomodo ſanus factus eſſet à legione.

37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum ut diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur. Ipſe autem aſcendens navim, reverſus eſt.

Non permittit illi dæmoniaco ut ſecum eat.

38. Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Jeſus, dicens:

39. Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per univerſam civitatem, prædicans quanta illi feciſſet Jeſus.

Dum iret in domum principis ſynagogæ, mulierem curat à fluxu ſanguinis, ſolo tactu fimbriæ veſtimenti.

40. Factum eſt autem cùm [a] rediiſſet Jeſus, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum.

41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat: & cecidit ad pedes Jeſu, rogans eum ut intraret in domum ejus,

42. Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur.

43. Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari:

44. Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus: & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus.

45. Et ait Jeſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

46. Et dixit Jeſus: [b] Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiiſſe.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.

48. At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſalvam te fecit: vade in pace.

Filiam principis ſynagogæ reſuſcitat.

49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.

50. Jeſus autem, audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere; crede tantùm, & ſalva erit.

51. Et cùm veniſſet domum, non permiſit [c] intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ.

52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, [d] non eſt mortua puella, ſed dormit.

53. Et [e] deridebant eum, ſcientes quòd mortua eſſet.

54. Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, ſurge.

55. Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò. Et juſſit illi dari manducare.

56. Et ſtupuerunt parentes ejus, quibus præcepit [f] ne alicui dicerent quod factum erat.

CAPUT IX.

Diſcipulos ad prædicandum mittens, ſervanda tradit illis præcepta.

1. Convocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent.

2. Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos.

3. Et ait ad illos: [g] Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & [h] inde ne exeatis.

5. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium [i] ſupra illos.

6. Egreſſi autem circuibant per [k] caſtella, evangelizantes, & curantes ubique.

7. Audivit autem [l] Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæſitabat eò quòd diceretur

Herodes audit à Chriſti famâ, cupit eum videre.

8. A quibuſdam: Quia Joannes ſurrexit à mortuis: a quibuſdam verò: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis ſurrexit.

9. Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: Quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? Et [m] quærebat videre eum.

10. Et reverſi Apoſtoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: & aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum [n] in locum, qui eſt Bethſaidæ.

Et quinque panibus & duobus piſcibus, ſatiat Jeſus quinque virorum millia.

11. Quod cùm cognoviſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curâ indigebant, ſanabat.

12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in caſtella villaſque quæ circa ſunt, divertant & inveniant eſcas: quia hîc in loco deſerto ſumus.

13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non ſunt nobis plus quàm quinque panes, & duo piſces: niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas.

14. Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad diſcipulos ſuos: Facite illos diſcumbere per convivia quinquagenos.

15. Et ita fecerunt. Et diſcumbere fecerunt omnes.

16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piſcibus, reſpexit in cœlum, & benedixit

40. [a] *Rediiſſet*, à terra Geraſenorum ad Galilæam.

46. [b] *Tetigit*, ex propoſito. *Virtutem*, effectum virtutis ſive potentiæ.

51. [c] *Intrare*, in cubiculum.

52. [d] *Non eſt mortua*, non voluit negare vere defunctam eſſe morte naturæ, ſed quod per reſpectum ad ſe, eſſet potius ſimilis dormienti.

53. [e] *Deridebant*, non parentes puellæ, ſed turba.

56. [f] *Ne alicui dicerent*, uſquequo exiiſſet ex urbe, ne à populis egredi impediretur.

3. [g] *Nihil tuleritis*, &c. his verbis prohibet ſollicitudinem, cum neceſſaria ad vitam accipere debeant ab illis quibus ſpiritualia miniſtrabunt.

4. [h] *Inde ne exeatis*, quamdiu manebitis in civitate, ne aliud hoſpitium quæratis. Hoc vetat ne tanquam vagabundi & inſtabiles contemnantur.

5. [i] *Supra*, Syr. *adverſus*, Arab. *contra*, vide c. 10. Matth. & 6. Marci.

6. [k] *Caſtella*, Syr. Perſ. *pagos*. Æth. *vicos*.

7. [l] *Herodes*, Antypas, magni filius. *Hæſitabat*, Syr. *mirabatur*.

9. [m] *Quærebat*, Syr. *volebat*.

10. [n] *In locum deſertum, qui eſt Bethſaida*, in deſertum locum civitatis quæ vocatur Bethſaida: inter hanc & Tiberiadem.

illis: & fregit, & diſtribuit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante turbas.

17. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſublatum eſt quod ſuperfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

Petrus illum confitetur Chriſtum Dei filium.

18. Et factum eſt, cùm [a] ſolus eſſet orans, erant cum illo & diſcipuli: & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ?

19. At illi reſponderunt, & dixerunt: Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò quia unus propheta de prioribus ſurrexit.

20. Dixit autem illis: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Chriſtum Dei.

Suam prædicit paſſionem & docet propriâ crucem tollendam.

21. At ille [b] increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc,

22. Dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertiâ die reſurgere.

23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

24. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam.

25. Quid enim proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?

26. Nam qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.

27. Dico autem vobis verè: ſunt aliqui hîc ſtantes, qui non guſtabunt mortem donec videant [c] regnum Dei.

Deſcribitur transfiguratio Chriſti.

28. Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies [d] octo, & aſſumpſit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & aſcendit in montem ut oraret.

29. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera: & veſtitus ejus albus & refulgens.

30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias,

31. Viſi in majeſtate: & dicebant [e] exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.

32. Petrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant ſomno. Et evigilantes viderunt majeſtatem ejus, & duos viros, qui ſtabant cum illo.

33. Et factum eſt cùm diſcederent ab illo, ait Petrus ad Jeſum: Præceptor, bonum eſt nos hîc eſſe: & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moyſi, & unum Eliæ: neſciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, [f] intrantibus illis in nubem.

35. Et vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.

36. Et dum [g] fieret vox, inventus eſt Jeſus ſolus. Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

Ad preces Patris pueri, dæmonium à filio ejicit.

37. Factum eſt autem in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, quia unicus eſt mihi.

39. Et ecce [h] ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum:

40. Et rogavi diſcipulos tuos, ut ejicerent illum, & non potuerunt.

41. Reſpondens autem Jeſus, dixit: O generatio infidelis, & perverſa, uſquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum.

42. Et cùm accederet, eliſit illum dæmonium, & [i] diſſipavit.

43. Et increpavit Jeſus ſpiritum immundum, & ſanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.

Rurſus diſcipulis de paſſione ſua loquitur.

44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibuſque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos: Filius enim hominis futurum eſt ut tradatur in manus hominum.

45. At illi ignorabant verbum iſtud: & erat velatum ante eos ut non ſentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

Contentionem inter diſcipulos deprimatu, quæ à Jeſu ſedatur.

46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major eſſet.

47. At Jeſus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & ſtatuit illum ſecus ſe,

48. Et ait illis: Quicumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me miſit. Nam qui [k] minor eſt inter vos omnes, hic major eſt.

Arguit filios Zebedæi volentes igne cœleſti comburi Samaritanos eo quòd Jeſum noluerint ſuſcipere.

49. Reſpondens autem Joannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non [l] ſequitur nobiſcum.

50. Et ait ad illos Jeſus: Nolite prohibere: qui enim non eſt adverſùm vos, pro vobis eſt.

51. Factum eſt autem dum complerentur [m] dies aſſumptionis ejus, & ipſe faciem ſuam firmavit ut iret in Jeruſalem.

52. Et miſit nuntios ante conſpectum ſuum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut [n] pararent illi.

53. Et non receperunt eum, quia [o] facies ejus erat euntis in Jeruſalem.

54. Cùm vidiſſent autem diſcipuli ejus Jacobus, & Joannes, dixerunt: Domine, vis dica-

18. [a] *Solus*, ſeorſum.

21. [b] *Increpans illos, præcepit*, Syr. *prohibuit eis, eoſque admonuit.* Quomodo ergo apoſtoli jubentur prædicare regnum Dei, cujus prædicationis fundamentum eſt, Jeſum eſſe Meſſiam? jubebantur tantùm in genere prædicare regnum Dei & pœnitentiam, ne dicendo Jeſum eſſe Meſſiam impediretur ejus paſſio: idque ante paſſionem.

27. [c] *Regnum Dei*, Evangelii dilatationem: vel, gloriam in qua juſti erunt, quod factum eſt in ſua transfiguratione.

28. [d] *Octo*, comprehenſo utroque die extremo.

31. [e] *Exceſſum*, Syr. Arab. Perſ. *de exitu.*

34. [f] *Intrantibus illis, &c.* Syr. *quum vidiſſent Moſem & Eliam ingreſſos, &c.* Quia nubes erat ſuper capita eorum: in modum tentorii, in quam Moyſes & Elias diſcedentes à Jeſu intrarunt: quod cùm viderent Apoſtoli, timuerunt, &c.

36. [g] *Fieret*, facta eſſet.

39. [h] *Spiritus*, malus.

42. [i] *Diſſipavit*, Æth. *diſcerpſit.*

48. [k] *Minor*, ſimilis huic puero, humillimus, modeſtiſſimus, obedientiſſimus, &c.

49. [l] *Sequitur*, Syr. Perſ. Æth. *ſequitur te.*

51. [m] *Dies aſſumptionis*, dies quibus à mundo aſſumendus, non quòd ultima fuerit Jeſu profectio Jeruſalem, ſed quòd in ultimo vitæ anno. *Faciem firmavit*. Perſ. *propoſitum firmum fecit.*

52. [n] *Pararent illi*, Perſ. additur. *locum*, diverſorium.

53. [o] *Facies ejus erat euntis*, Arab. *ipſe tendebat.* Oderant enim Samaritani Judæos, eò quòd locum religionis & adorationis putarent eſſe apud ſe, non verò in Jeruſalem.

mus ut ignis deſcendat de cœlo, & coonſumat illos?

55. Et converſus increpavit illos, dicens: Neſcitis cujus ſpiritus [a] eſtis.

56. Filius hominis noo venit animas perdere ſed ſalvare. Et abierunt in aliud [b] caſtellum.

Volentem ſequi ſe non ſuſcipit & alterum vocat cui non permittit ut ſepeliat patrem.

57. Factum eſt autem: ambulantibus illis [c] in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris.

58. Dixit illi Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem bominis non habet ubi caput reclinet.

59. Ait autem ad alterum: Sequere me: ille autem dixit: Domine, permitte mihi primùm ire, & [d] ſepelire patrem meum.

60. Dixitque ei Jeſus: [e] Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

Rurſus alium ſequi volentem, non permittit, ut prius diſponat domui ſuæ.

61. Et ait alter: Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm [f] renuntiare his quæ domi ſunt.

62. Ait ad illum Jeſus: [g] Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.

CAPUT X.

Chriſtus mittit ad prædicandum ſeptuaginta duos diſcipulos, quibus tradit præcepta quæ in prædicando ſervent.

1. POſt hæc autem [h] deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus.

2. Et dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.

3. Ite: Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.

4. [i] Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaveritis.

5. In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui:

6. Et ſi ibi fuerit [k] filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra: ſin autem ad vos revertetur.

7. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſuâ. [l] Nolite tranſire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, [m] manducate quæ apponuntur vobis:

9. Et curate infirmos qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non ſuſceperint [n] vos, exeuntes in plateas ejus, dicite:

11. Etiam pulverem, qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis, quia Sodomis in [o] die illa remiſſius erit, quàm illi civitati.

Comminatur civitatibus incredulis in quibus factæ erant plurimæ virtutes.

13. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes pœniterent.

14. Verumtamen Tyro & Sidoni remiſſius erit in judicio, quàm vobis.

15. Et tu Capharnaum [p] uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris.

16. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.

Gaudentibus diſcipulis de ſubjectis ſibi dæmonibus, dicit in quo ſit gaudendum.

17. Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.

18. Et ait illis: [q] Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.

19. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt [r] in cœlis.

Jeſus exultans in ſpiritu, gratias agit Patri, &c.

21. In ipſa hora exultavit Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd abſcondiſti [ſ] hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam ſic placuit ante te.

22. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo ſcit quis ſit Filius niſi Pater: & quis ſit Pater niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

23. Et converſus ad diſcipulos ſuos, dixit: [t] Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quòd [u] multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, &

55. [a] *Eſtis*, eſſe debetis.
56. [b] *Caſtellum*, Syr. Perſ. *pagum*.
57. [c] *In via*, patet ex Matth. c. 8. v. 18. & 19. quæ ſit illa via. *Sequar te*, volebat ſequi ob lucrum, putabat enim quod Jeſus a turba comitante pecunias colligeret.
59. [d] *Sepelire*, manere cum patre, ejus ſenectutem fovendo, quouſque moriatur.
60. [e] *Sine ut mortui*, &c. non prohibet curam parentum, ſed vult relinquendam, quando aliquid melius faciendum eſt. *Vade & annuntia*, relictis omnibus impedimentis ad hoc te da ut annunties, vide c. 8. Matthæi.
61. [f] *Renuntiare his quæ domi ſunt*. Syr. *ut proficiſcar valedicturus filiis domus meæ*, Perſ. *ut eam, & domeſticis meis valedicam, & præcepta tradam*.
62. [g] *Nemo mittens*, &c. nemo ſulcos rectè ducere poterit qui a tergo reſpexerit, ſic nullus aptus eſt ad officium Chriſtiani, qui cum id ſuſceperit, ad alia negotia diſtrahitur.
1. [h] *Deſignavit*, Syr. *ſecrevit*, Arab. *ſegregavit*. *Binos*, ut ſibi mutuo opem ferrent, teſteſque forent ſibi invicem.
4. [i] *Nolite portare*, &c. ne ſolliciti ſitis de victu & veſtitu, hæc enim accipietis ab iis quibus prædicabitis. *Sacculum*, in quo ſint veſtimenta diverſa. *Peram*, in qua reſervetur argentum. *Calceamenta*, bina, nam Marci c. 6. v. 9. jubentur eſſe calceati ſandaliis. *Neminem per viam ſalutaveritis*, ad litteram hyperbole eſt, ut IV. Reg. c. 4. qua præcipitur ſumma in prædicando Evangelio diligentia, ſalutationes enim Orientalium non fiebant levi verbo aut geſtu, ſed multis percunctationibus omnibuſque bonis trahebantur non ſine multis corporis flexionibus, oſculis, amplexibus, quod non niſi cum mora & diſpendio temporis fieri ſolebat.
6. [k] *Filius pacis*, pace dignus.
7. [l] *Nolite tranſire*, Arab. *ne vagemini*.
8. [m] *Manducate*, ſitis contenti: vel, hoſpitum veſtrorum impenſis vivere ne graveris, dignus eſt enim operarius, &c.
10. [n] *Vos*, neque prædicationem veſtram.
12. [o] *Die illa*, noviſſima, judicii ſcilicet.
15. [p] *Uſque in cœlum exaltata*, propter longam commorationem Chriſti, & frequentia miracula ab ipſo facta.
18. [q] *Videbam Satanam*, &c. dæmones ejici in nomine meo non mirum, ego enim ſum qui ſatanam ſubito & ſummâ vi, inſtar fulguris de cœlo præcipitans, vidi de cœlo cadentem: hoc in diſcipuli ſibi caveant à ſuperbia, ne ſicut ſatan cadant, &c.
20. [r] *In cœlis*, quod vocati ad fidem: vel, in libro vitæ, quod non certitudinaliter dictum, ſed videtur per conceſſionem loqui.
21. [ſ] *Hæc*, mea documenta & fidei myſteria. *Sapientibus & prudentibus*, ſapientia & prudentia carnis. *Parvulis*, humilibus & ſimplicibus.
23. [t] *Beati oculi qui vident*, &c. non agitur hîc de auditu & de viſu corporali tantum, aut de ſpirituali tantum, ſed de utroque ſimul, &c.
24. [u] *Multi prophetæ & reges*, veteris teſtamenti. *Videre quæ vos*

Digitized by Google



Luc X 30

Σαμαρείτης βοηθῶν τὸν Ἰουδαῖον.
The good Samaritane
Von dem Samariter und Leviten.

PARABOLA SAMARITANI.
Le Samaritain ſecourant un Juif.
Gelykenis van den Samaritaen.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Luc. X. 40.

Μάρθας περὶ ἀδελφῆς παρα χριςῶ μέμψις.
Martha complains of her ſister to Christ.
Martha klagt bey Christus uber ihre ſchwester.

QUERELA MARTHAE AD CHRISTUM DE SORORE SUA.
Marthe se plaint à Jesus-Christ de sa sœur.
Klagt van Martha over hare ſuster aan Christus.

NAPOLI

non viderunt; & audite quæ auditis, & non audierunt.

Tentanti Legiſperito præceptum dat de dilectione Dei & proximi.

25. Et [a] ecce quidam Legiſperitus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?

26. At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?

27. Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum.

28. Dixitque illi: Rectè reſpondiſti: hoc fac & [b] vives.

Parabolice docet illum quis ſit illius proximus.

29. Ille autem volens [c] juſtificare ſeipſum, dixit ad Jeſum: Et quis eſt meus proximus?

30. [d] Suſcipiens autem Jeſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.

31. Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet eâdem viâ: & viſo illo præterivit.

32. Similiter & Levita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordiâ motus eſt.

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens [e] oleum, & vinum: & imponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam ejus egit.

35. Et alterâ die protulit duos denarios, & dedit [f] ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi [g] proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Jeſus: Vade & tu fac ſimiliter.

A Martha & Maria excipitur, Marthæque de ſorore conquirenti. Mariam meliorem partem elegiſſe dicit.

38. Factum eſt autem, dum irent, & ipſe intravit in quoddam [h] caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam:

39. Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.

40. Martha autem [i] ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.

41. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſolicita es, & [k] turbaris erga plurima.

42. Porro [l] unum eſt neceſſarium.

43. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CAPUT XI.

Docet diſcipulos orare, atque perſeveranti oratione omnia impetrare.

1. ET factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit, dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Joannes diſcipulos ſuos.

2. Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.

3. Panem noſtrum [m] quotidianum da nobis hodie.

4. Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem, & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

5. Et ait ad illos: Quis veſtrûm habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes.

6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.

7. Et ille deintus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.

8. Et ſi ille perſeveravit pulſans: dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eò quòd amicus ejus ſit, propter [n] improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.

9. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.

10. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.

11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi?

12. Aut ſi petierit ovum: numquid porriget illi ſcorpionem?

13. Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

Ejicit dæmonium reddens hominem mutum & confutat dicentes, quòd in Beelzebub ejiceret dæmonia.

14. Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat [o] mutum. Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16. Et alii [p] tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.

17. Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & [q] domus ſupra domum cadet.

18. Si autem & [r] Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

---

audetis. Meſſiam præſentem.

25. [a] *Ecce*, non ſtatim poſt præcedentia, ſed alio quodam tempore.

28. [b] *Vives*. vita æterna.

29. [c] *Juſtificare*. Perſ. *prædicare*. Juſtum ſe oſtendere, qui ſic eſſet ſollicitus juſtitiæ cognoſcendæ & faciendæ. Rurſus volebat carpere Chriſtum, quia enim Judæi per proximum non intelligebant niſi Judæum, cæteros vero alienos: ſi Chriſtus reſpondiſſet proximum eſſe quemlibet hominem, probaſſet eum legis adverſarium: ſi vero dixiſſet quemcumque Judæum, probaſſet ſe juſtum, dicendo: Amo omnem Judæum.

30. [d] *Suſcipiens* vices reſpondendi: loqui incipiens.

34. [e] *Oleum & vinum*, tunc enim qui iter faciebant, ferebant ſecum quæ ad victum neceſſaria. *Stabulum*, Syr. Arab. Perſ. *diverſorium*.

35. [f] *Stabulario*, Syr. *hoſpiti*.

36. [g] *Proximus*, proximi functus officio.

38. [h] *Caſtellum*, Syr. *vicum*.

40. [i] *Satagebat*, Syr. *diſtrahebatur*.

41. [k] *Turbaris*, Syr. *diſtraheris*.

42. [l] *Unum*, hic opponitur pluribus ferculorum generibus, quibus parandis Martha intenta erat.

3. [m] *Quotidianum* Syr. *i. egentiæ noſtræ quotidie*.

8. [n] *Improbitatem*, Syr. *importunitatem*, Arab. *inſtantiam*.

14. [o] *Mutum*, hominem mutum faciens.

16. [p] *Tentantes*, potentiæ ejus periculum facientes; & ut Jeſum turbarent & irritarent, vide c. 12. Matthæi.

17. [q] *Domus ſupra domum*, Syr. *quæ in ſe ipſam diviſa eſt*, Perſ. *quæ à fundamento diviſa fuerit*.

18. [r] *Satanas*, corpus dæmonum.

Digitized by Google

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: [a] filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt.

20 Porro ſi in [b] digito Dei ejicio dæmonia: profectò pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, [c] in pace ſunt ea quæ poſſidet.

22. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & [d] ſpolia ejus diſtribuet.

23. [e] Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

De reditu dæmonis in hominem.

24. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cùm venerit, invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam.

26. Tunc vadit, & aſſumit [f] ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.

Reſpondet mulieri exclamanti præ admiratione ipſius.

27. Factum eſt autem, cùm hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit: & ubera, quæ ſuxiſti.

28. At ille dixit: [g] Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

De ſigno Jonæ, regina Auſtri, & Ninivitis loquitur.

29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio [h] nequam eſt: ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.

30. Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi iſti.

31. Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic.

32. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plus quàm Jonas hic.

Utitur lucernæ & oculi figura

33. Nemo lucernam accendit, & [i] in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

34. [k] Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.

35. Vide ergo ne [l] lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.

36. Si ergo [m] corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Occaſione indignationis Pharisæi apud quem prandebat Jeſus, quòd illotis manibus manducaret, multis verbis taxat Phariſæorum atque Scribarum hypocriſim & malitiam.

37. Et cùm loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus ut pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit.

38. [n] Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium.

39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ, & iniquitate.

40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id, quod deintus eſt, fecit.

41. Verumtamen [o] quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.

42. Sed væ vobis Phariſæis, quia [p] decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

43. Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro.

44. Væ vobis, quia eſtis monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes ſuprà, [q] neſciunt.

45. Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait: Et vobis Legiſperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas.

47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: [r] patres autem veſtri occiderunt illos.

48. Profectò teſtificamini quòd conſentitis operibus patrum veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, [s] vos autem ædificatis eorum ſepulchra.

49. Propterea & [t] ſapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur.

50. Ut [u] inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſta.

51. [x] A ſanguine Abel, uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

52. Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis, [y] clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.

53. Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt

19. [a] *Filii veſtri*. erant apud Judæos exorciſtæ quidam, qui invocato Dei nomine, dæmones ab obſeſſis effugabant.

20. [b] *Digito Dei*, ſpiritu. *Pervenit in vos*, &c. Meſſias adeſt qui regnum Dei inſtauraturus eſt.

21. [c] *In pace*, ſalva.

22. [d] *Spolia diſtribuet*, Perſ. *facultates diripiet*.

23. [e] *Qui non eſt*, &c. vide c. 12. Matthæi.

26. [f] *Septem*, multos.

28. [g] *Quinimmo*, &c. non vult corrigere quod dictum erat, ſed certius aliquid affirmare.

29. [h] *Nequam*, etiam in petendo ſignum, quod nempe malo animo quærerent.

33. [i] *In abſcondito ponit*, &c. hæc dicit ut probet quare non ceſſet prædicare Scribis & Phariſæis, qui non eſſent prædicatione & ſapientiâ ſuâ movendi: vel, poſtulatis miracula. at vos iis non habebitis fidem, ac proinde erunt vobis velut lucerna ſub modio.

34. [k] *Lucerna corporis tui eſt oculus*. metaphoricè per oculum corporis, intentio mentis intelligenda eſt. *Simplex*. ſanus. Senſus eſt quemadmodum cùm oculus vitiatus eſt, licèt lumen adſit, non videmus: ſic Scribæ illi & Phariſæi non vident Evangelicæ veritatis lumen, quia oculus mentis eorum excæcatus eſt pravis affectionibus.

35. [l] *Lumen*. quod pro lumine conſideras & accipis.

36. [m] *Corpus tuum totum*. omnes tuæ affectiones. Si cor vobis fuerit à pravis cupiditatibus liberum; facilè vobis probabitur doctrina mea. *Lucidum totum*. quidquid inde proficiſcetur erit rectum. *Fulgoris*. fulgida.

38. [n] *Phariſæus autem*, &c. Syr. *ille verò Phariſæus quum vidiſſet eum, miratus eſt, quòd non prius abluiſſet ſe ſe ante prandium ſuum*.

41. [o] *Quod ſupereſt*, poſt reſtitutionem opum male partarum. *Omnia munda ſunt*. ſi eleemoſynam datis cum ſpiritu pœnitentiæ & charitatis, hæc opera miſericordiæ plus mundant animam quàm lotiones veſtræ.

42. [p] *Decimatis*, Æth. *affertis decimam partem*.

44. [q] *Neſciunt*, neſcitur enim quid in monumentis lateat.

47. [r] *Patres veſtri*, hoc in omnes Judæorum principes dicit.

48. [s] *Vos ædificatis*, &c. dum erigitis monumenta prophetarum, qui à patribus veſtris occiſi ſunt, nec tamen à peccatis eorum receditis, monumenta illa contra vos clamant, & teſtimonia ſunt veſtræ malitiæ.

49. [t] *Sapientia Dei*, Chriſtus, ego ipſe. *Dixit*, dixerat enim aliquando.

50. [u] *Inquiratur*, detis pœnas.

51. [x] Vide Matthæi c. 23.

52. [y] *Clavem ſcientiæ*, moris erat apud Hebræos ut clavem illi darent, cui committebant facultatem interpretandi legem & prophe-

Phariſæi, & Legiſperiti graviter inſiſtere, & [a] os ejus opprimere de multis,

54. Inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accuſarent eum.

CAPUT XII.

Cavendum docet ab hypocriſi Phariſæorum.

1. MUltis autem turbis circumſtantibus, ita ut ſe invicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.

2. Nihil autem opertum eſt, quod non revelетur: neque abſconditum, quod non ſciatur.

3. Quoniam [b] quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

Quis timendus ſit.

4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant.

5. Oſtendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.

De cura Dei in diſcipulos.

6. Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio, & unus ex illis non eſt [c] in oblivione coram Deo?

7. Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus [d] pluris eſtis vos.

De confeſſione filii Dei, & de blaſphemia in Spiritum ſanctum.

8. Dico autem vobis: Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.

9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.

10. [e] Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non remittetur.

Roborat Apoſtolos adverſus perſecutiones.

11. Cùm autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus, & poteſtates, nolite ſoliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis.

12. Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere.

Non vult ſe immiſcere in dividenda fratrum hæreditate.

13. Ait autem ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.

14. At ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?

Per parabolam divitis, &c. revocat ab avaritia.

15. Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia [f] non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet.

16. Dixit autem [g] ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit:

17. Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?

18. Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea,

19. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, [h] epulare.

20. [i] Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?

21. Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & [k] non eſt in Deum dives.

22. Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideo dico vobis: Nolite [l] ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

Vetat ſollicitum eſſe de victu & veſtitu.

23. Anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum.

24. Conſiderate corvos, quia non ſeminant neque metunt, quibus non eſt cellarium neque horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis?

25. Quis autem veſtrûm [m] cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum.

26. Si ergo neque [n] quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis.

27. Conſiderate lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex iſtis.

28. Si autem [o] fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos puſillæ fidei?

29. Et vos [p] nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in ſublime tolli.

30. Hæc enim omnia [q] gentes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit quoniam his indigetis.

31. Verumtamen quærite primùm regnum Dei, & [r] juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

32. Nolite [ſ] timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.

Ad eleemoſynam hortatur.

33. [t] Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

34. Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.

Sub figuris ſervi & diſpenſatoris fidelis, diſcipulos vigiles eſſe monet.

35. Sint [u] lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris,

36. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis;

tas. Ipſorum autem erat ex mandato Sanedrim docere in ſynagogis, & ſcripturas interpretari. *Non introiſtis* in viam ſalutis quam ſcripturæ ſacræ ſcientia aperit. *Introibant*, introire paratis credentes in me.

53. [a] *Os ejus opprimere de multis*, Syr. *aucupabantur verba ejus*. Captioſe interrogare eum de multis.

3. [b] *Quæ in tenebris*, &c. vide Matth. c. 10. hæc dicit per reſpectum ad hypocriſim Phariſæorum. Poteſt etiam eſſe ratio, quare fugienda ſit hypocriſis, cum omnia ſint revelanda in die judicii.

6. [c] *In oblivione*, ergo à fortiori veſtrûm non obliviſcetur, nec eorum quæ ſuſtinetis pro ejus amore.

7. [d] *Pluris*, Syr. Arab. Perſ. *præſtantiores*.

10. [e] Vide Matthæi c. 12.

15. [f] *Non in abundantia*, &c. Syr. *non in abundantia divitiarum eſt vita*, Arab. *vita hominis non eſt in copia opum ſuorum*. Non vivit divitiis, aut felicius, natura enim paucis contenta eſt.

16. [g] *Similitudinem*, Syr. Perſ. *parabolam*.

19. [h] *Epulare*, indulge voluptati.

20. [i] *Dixit*, non revelando, ſed decernendo.

21. [k] *Non eſt in Deum dives*, à Deo ſpem præcidit.

22. [l] *Solliciti*, anxii. *Animæ*, vitæ.

25. [m] *Cogitando*, Perſ. *ſollicitudine ſua*.

26. [n] *Quod minimum*, minus enim adjicere ad ſtaturam cubitum unum, cùm hoc fiat naturaliter, quàm providere ſibi victum per totam vitam.

28. [o] *Fœnum*, Syr. Arab. Æth. *herbam*. Perſ. *gramen*. *Veſt*, veſtiet.

29. [p] *Nolite in ſublime tolli*, Syr. Perſ. *nec commoretur mens veſtra in iſtis*, Æth. *neque vagante animo eſtote*. In expectatione futuri, ut nubes & aves volantes, quæ huc illuc agitantur: ea enim quæ ſunt in ſublimi, nullo firmo & ſolido fundamento nixa, nutant & agitantur.

30. [q] *Gentes mundi*, ethnici, phraſi Judæis frequentiſſimâ.

31. [r] *Juſtitiam ejus*, per quam ad id pervenitur.

32. [ſ] *Timere*, ne hujus vitæ neceſſaria vobis deſint.

33. [t] *Vendite*, &c. hoc animo eſtote ut, ſi res poſtulet, omnia vendatis ut Chriſtum retineatis.

35. [u] *Lumbi præcincti*, lumbos præcingebant, ne veſtes, quæ longæ erant, diffluerent, & ut facilius miniſtrarent.

Digitized by Google

ut, cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.

37. Beati ſervi illi, quos cùm venerit domi- nus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & [a] tranſiens miniſtrabit illis.

38. Et ſi venerit in [b] ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi.

39. Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam.

40. Et vos eſtote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

42. Dixit autem Dominus: Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis [c] in tempore tritici menſuram?

43. Beatus ille ſervus, quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Verè dico vobis, quoniam ſupra omnia quæ poſſidet, conſtituet illum.

45. Quòd ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere ſervos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:

46. Veniet dominus ſervi illius in die quâ non ſperat: & horâ quâ neſcit, & [d] dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis:

48. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

De paſſione ſua, doctrina, ejuſque effectibus diſſerit.

49. [e] Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?

50. [f] Baptiſmo autem haben baptizari: & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?

51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem:

52. [g] Erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi, tres in duos, & duo in tres

53. Dividentur: pater in filium, & filius in patrem ſuum, mater in filiam, & filia in matrem, ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.

Arguit turbas quod tempus gratiæ non dijudicent.

54. Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.

55. Et cùm auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit.

56. Hypocritæ [h] faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?

57. [i] Quid autem & à vobis ipſis non judicatis quod juſtum eſt?

Monet cum creditore componendum.

58. Cùm autem vadis cum [k] adverſario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas.

CAPUT XIII.

Occaſione Galilæorum à Pilato interemptorum, & aliorum à ruina turris Siloe oppreſſorum, hortatur Judæos ad pœnitentiam.

1. ADerant autem quidam ipſo in tempore, nuntiantes illi [l] de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum.

2. Et reſpondens dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi, præ omnibus Galilæis [m] peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt?

3. Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes [n] ſimiliter peribitis.

4. Sicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipſi [o] debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jeruſalem?

5. Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

Parabolam proponit de ficu infructuoſa.

6. Dicebat autem & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?

8. At ille reſpondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſterenta:

37. [a] *Tranſiens miniſtrabit*, Arab. *ſtabit ad miniſtrandum.* Ultro citroque obambulans, ut diſpiciat numquid deſit, ſuppeditabit quidquid ad felicitatem fecerit inſtar perhumani patrisfamilias, qui bene cœnatus ex nuptiis rediens, famulos propter Dominum dilata cœna incœnatos, viciſſim copioſa cœna velut miniſter exciperet.

38. [b] *Secundâ vigiliâ*, à novem horis nocturnis ad mediam noctem. *Tertia*, à media nocte, ad tres horas matutinas. Non meminit primæ vigiliæ, quia nondum nuptiæ ſacceptæ: non quartæ, quia tunc finitæ erant.

42. [c] *In tempore tritici menſuram*, tunc erat de more ut œconomus daret unicuique ſervorum menſuram farinæ quæ ad menſem erat neceſſaria.

46. [d] *Dividet*, Perſ. *à ſe ſeparabit.* *Infidelibus*, infidis ſervis.

49. [e] *Ignem*, amoris & charitatis, qui maximè accenditur in cordibus hominum ex paſſione Chriſti, vel ignem perſecutionis ex prædicatione Evangelii.

50. [f] *Baptiſmo*, ſanguinis. *Quomodo coarctor*, quanto pavore contrahor, quanto deſiderio afficior.

52. [g] Vide cap. 10. Matth.

56. [h] *Faciem*, Perſ. *ſtatus.* *Hoc tempus*, hujus adventus mei, & regni cœlorum propinqui. *Quomodo non probatis*, eſſe præſens cum ejus indicia plurima eſſent.

57. [i] *Quid autem*, &c. cur autem per voſmetipſos non judicatis veritatem. Perſ. *Veritatem non aſſequimini.* Cùm me per miracula quæ facio, Chriſtum eſſe demonſtrem: ſi ita non eſſet, peſſimus eſſem blaſphemator, nec illa operari poſſem. Atque adeo conſcientiæ veſtræ teſtimonium audire deberetis.

58. [k] *Adverſario*, Perſ. *creditore.* *Principem*, Syr. *magiſtratum*, Æth. *judicem.* *Exactori*, Perſ. *quæſtori.* Qui exigat cogatque ſolvere ea quæ judex ſolvenda definivit, id eſt, præter pecuniam creditam, & lites expenſas, frequenter etiam mulctam conſtitutam in temerè litigantes.

1. [l] *De Galilæis*, orta eſt ſeditio Jeroſolymis, eò quòd Pilatus introducens aquam in urbem per aquæductus, ex ærario templi pecuniam arripere voluit, quam ſeditionem Pilatus vi militum compeſcuit, a quibus Galilæi præſertim præ Judæis in templo habiti ſunt, quod Pilatus Herodi Antypæ infenſus foret, cujus imperio Galilæa parebat. Alii exponunt de Galilæis ſectatoribus Judæ Galilæi quos occidere fecit Jeroſolymis cùm ſacrificarent, unde orta eſt inimicitia inter Herodem & Pilatum, eò quòd Galilæa ditionis eſſet Herodis. Videndus Joſephus lib. XVIII. Ant. cap. 2. & lib. II. de Bello cap. 7. *Miſcuit cum ſacrificiis*, occidi juſſit cùm ſacrificarent.

2. [m] *Peccatores*, Syr. *ſceleratiores.*

3. [n] *Similiter*, divinâ ultione oppreſſi.

4. [o] *Debitores*, Syr. *flagitioſiores.*



Luc XXII, 43

Ἄγγελος ἀπ᾽ οὐρανοῦ Χριστὸν ἐνισχύων.
Christ strengthened by an Angel.
Chriſtus durch den Engel geſtärckt.

CHRISTUS AB ANGELO CORROBORATUS.
Un Ange du Ciel, fortifiant Jesus-Christ.
Christus van eenen Engel gesterkt.

Picart inv. — Bernards

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

9. Et ſi quidem fecerit fructum: [a] ſin autem, in futurum ſuccides eam.

Arguit ſynagogam indignantem quod mulierem curvam curaſſet in die ſabbati.

10. Erat autem docens in ſynagoga eorum ſabbatis.

11. Et ecce mulier, quæ habebat [b] ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata nec omnino poterat ſurſum reſpicere.

12. Quam cùm videret Jeſus, vocavit eam ad ſe, & ait illi: Mulier [c] dimiſſa es ab infirmitate tua.

13. Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.

14. Reſpondens autem archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet Jeſus, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die ſabbati.

15. Reſpondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unuſquiſque veſtrûm ſabbato non ſolvit bovem ſuum aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare?

16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit ſatanas, ecce decem & octo annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die ſabbati?

17. Et cùm hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus: & omnis populus gaudebat in univerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo.

Regnum cœlorum comparat grano ſinapis & fermento.

18. Dicebat ergo: Cui [d] ſimile eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud?

19. Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & crevit, & factum eſt in arborem magnam: & volucres cœli [e] requieverunt in ramis ejus.

20. Et iterùm dixit: Cui ſimile æſtimabo regnum Dei?

21. Simile eſt fermento, quod acceptum mulier [f] abſcondit in farinæ ſata tria, donec fermentaretur totum.

De ingreſſu per anguſtam portam diſſerit.

22. Et ibat per civitates, & [g] caſtella, docens, & iter faciens in Jeruſalem.

23. [h] Ait autem illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur? Ipſe autem dixit ad illos:

24. Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & [i] non poterunt.

25. Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauſerit oſtium, [k] incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis: & reſpondens dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis.

26. Tunc incipietis dicere: [l] Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti.

27. Et dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis: diſcedite à me omnes operarii iniquitatis.

28. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei.

30. Et ecce [m] ſunt noviſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt noviſſimi.

Monent illum quidem ex Phariſæis, quod ab Herode ad necem quæratur; unde de paſſione ſua loquitur, & excidium Jeruſalem prædicit.

31. In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia [n] Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis: Ite & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio [o] hodie & cras, & tertiâ die conſummor.

33. Verumtamen oportet me hodie & cras, & ſequenti die ambulare, quia [p] non capit prophetam perire extra Jeruſalem.

34. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum [q] avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti?

35. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec [r] veniat cùm dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAPUT XIV.

Hydropicum, in domo cujuſdam principis Phariſæorum, ſabbato curat, probans hoc licitum eſſe.

1. ET factum eſt cùm intraret Jeſus in domum cujuſdam principis Phariſæorum ſabbato, manducare panem, & ipſi obſervabant eum.

2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

3. Et [ſ] reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperitos, & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbato curare?

4. At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit.

5. Et reſpondens ad illos, dixit: Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbati?

6. Et non poterant ad hæc reſpondere illi.

Phariſæorum ambitionem arguit.

7. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

8. Cùm invitatus fueris ad [t] nuptias, non diſ-

9. [a] *Sin autem, &c.* Syr. *ſi ediderit fructum dimittes*, Arab. *forſitan fructum afferet*, Æth. *ſi fuerit quod fructum feret, bene eſt*; Perſ. *ſi fructum dederit, maneat.*

11. [b] *Spiritum infirmitatis*, dæmonem qui efficiebat in ea infirmitatem corporis.

12. [c] *Dimiſſa es*, mox liberaberis.

18. [d] *Simile æſtimabo*. Syr. Arab. Perſ. Æth. *aſſimilabo.*

19. [e] *Requieverunt*, Syr. *volatile nidificavit. In ramis*. Perſ. *ſub foliis.*

21. [f] *Abſcondit in farina ſata tria*, Perſ. *tribus ſatis farinæ immiſcuit.*

22. [g] *Caſtella*, Syr. Perſ. *pagos.*

23. [h] *Ait*. Syr. *interrogavit.*

24. [i] *Non poterunt*, quia non per anguſtam ſed per latam portam & viam ingredi voluerunt, & non quæſierunt ut par eſt.

25. [k] *Incipietis ſtare*. ſtabitis. Inchoationem actus ponit pro actu.

26. [l] *Manducavimus coram te, &c.* tecum familiariter converſati ſumus.

30. [m] *Sunt*. Arab. *fient*, Perſ. Æth. *erunt. Noviſſimi qui erunt primi*, Judæi. *Primi qui noviſſimi*. Gentiles.

31. [n] *Herodes* Antypas. Aſcalonitæ filius. Unde concludendum Jeſum tunc in Galilæa morari.

32. [o] *Hodie & cras*, brevi tempore. *Tertiâ die*, paulò poſt.

33. [p] *Non capit prophetam, &c.* Syr. *quia fieri non poteſt, ut propheta pereat, &c. Jeruſalem*, aſſuetam effundere ſanguinem prophetarum.

34. [q] *Avis*, Syr. Perſ. Æth. *Gallina. Nidum ſuum*, Syr. Arab. Perſ. *pullos ſuos.*

35. [r] *Veniat*, tempus. *Cùm dicetis, &c.* hoc exponendum de Judæis, qui circa conſummationem ſeculi, & ante ſecundum adventum Filii hominis, credituri ſunt in Chriſtum. *Venit*, in præſenti.

3. [ſ] *Reſpondens*, Hebraiſmus eſt, loqui incipiens. *Si*, Syr. Arab. *num.*

8. [t] *Nuptias*, convivium nuptiale, aut aliud ſolemne convivium.

K

Digitized by Google

cumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit invitatus ab illo.

9. Et veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore [a] noviſſimum locum tenere.

10. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco: ut cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus:

11. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

Docet qui ſint ad prandium invitandi.

12. Dicebat autem & ei, qui ſe invitaverat: Cùm facis prandium, aut cœnam, [b] noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè te & ipſi reinvitent, & fiat tibi retributio.

13. Sed cùm facis convivium, voca [c] pauperes, debiles, claudos, & cæcos:

14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in [d] reſurrectione juſtorum.

Parabolam proponit de multis ad cœnam invitatis.

15. Hæc cùm audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.

16. At ipſe dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

17. Et miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia.

18. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excuſatum.

19. Et alter dixit: [e] Juga boüm emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum.

20. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire.

21 Et reverſus ſervus nuntiavit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias, dixit ſervo ſuo: Exi citò in plateas, & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

22. Et ait ſervus: Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt.

23. Et ait dominus ſervo: Exi in vias, & [f] ſepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quòd nemo [g] virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

Docet omnibus renuntiandum, crucemque tollendam, quod variis figuris probat.

25. Ibant autem turbæ multæ cum eo, & converſus dixit ad illos:

26. Si quis venit ad me, & non [h] odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

27. Et qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

28. [i] Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum;

29. Ne, poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,

30. Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?

31. Aut quis rex iturus committere bellum adversùs alium regem, non ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe?

32. Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt.

33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non [k] renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

34. [l] Bonum eſt ſal. Si autem ſal evanuerit, in quo condietur?

35. [m] Neque in terram, neque in ſterquilinium utile eſt, ſed foras mittetur: qui habet aures audiendi audiat.

CAPUT XV.

Scribis & Phariſæis murmurantibus quòd cum peccatoribus manducaret, parabolas proponit.

1. ERant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores ut audirent illum.

2. Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

3. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens:

De ove perdita & inventa.

4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?

5. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos, gaudens:

6. Et veniens domum convocat amicos & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat?

7. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, [n] quàm ſuper nonaginta novem juſtis qui non indigent pœnitentiâ.

De drachma.

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam & evertit domum, & quærit diligenter donec inveniat?

9. Et cùm invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram?

10. Ita dico vobis, [o] gaudium erit coram An-

9. [a] *Noviſſimum*, ponitur hîc comparative, id eſt, minus dignum.

12. [b] *Noli vocare*, *&c.* ſi vis convivium fructuoſiſſime collocare, & non cum ſpe retributionis temporalis. Hæc ſunt per comparationem intelligenda. Non enim prohibet mutua inter divites amicitiæ teſtimonia, ſed opera miſericordiæ multo præfert, &c. *Divites*, ad quatuor præcedentia referendum.

13. [c] *Pauperes*, referendum ad tria ſequentia.

14. [d] *Reſurrectione*, reſurrectio hîc, non reſurgendi actionem, ſed vitæ ſtatum futurum ſignificat.

19. [e] *Juga*, paria.

23. [f] *Sepes*, loca ſepibus cincta.

24. [g] *Virorum illorum*, qui prius vocati fuerant.

26. [h] *Odit*, non ſimpliciter ſed comparative, ſcilicèt amat præ me. *Animam*, vitam.

28. [i] *Quis enim*, *&c.* ſignificat magnâ deliberatione opus eſſe cùm quis arripit virtutis viam.

33. [k] *Renuntiat*, paratus omnia amittere potius quàm me offendere.

34. [l] *Bonum eſt ſal*, per ſalem doctrina Chriſti intelligenda eſt, aut Chriſtianiſmi profeſſio, cui vita reſpondeat. *In quo*, Æth. *cum quo*, per quod.

35. [m] *Neque in ſterquilinium utile*, non expedit ipſum miſcere fimo ſeu ſterquilinio ad terram fœcundandam. Per hoc Chriſtus innuit, quòd ſimili modo oportet diſcipulum ſuum omnibus renuntiare, ne per terrenorum carnaliumque amorem evaneſcat, &c.

7. [n] *Quàm ſuper*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *majus quàm*. Non quòd abſolutè ſit majus de una quàm de nonaginta novem, ſed quia inventio ovis perditæ excitat actuale & præſens gaudium.

10. [o] *Gaudium ſuper uno peccatore*, accommodat ſe Chriſtus mo-

gelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

De filio prodigo, &c.

11. Ait autem : Homo quidam habuit duos filios :

12. Et dixit adoleſcentior ex illis patri : Pater da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtantiam.

13. Et non poſt multos dies, [a] congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.

14. Et poſtquam omnia [b] conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.

15. Et abiit, & adhæſit uni civium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem ſuum de [c] ſiliquis, quas porci manducabant : & nemo illi dabat.

17. In ſe autem reverſus dixit : [d] Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo !

18. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei : Pater peccavi [e] in cœlum & coram te :

19. Jam non ſum dignus vocari filius tuus : fac me ſicut unum de mercenariis tuis.

20. Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.

21. Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad ſervos ſuos : Citò proferte [f] ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus :

23. Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur :

24. Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit ; perierat & inventus eſt. Et cœperunt epulari.

25. Erat autem filius ejus ſenior in agro, & cùm veniret, & appropinquaret domui, audivit ſymphoniam & chorum :

26. Et vocavit unum de ſervis, & interrogavit quid hæc eſſent.

27. Iſque dixit illi : Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſalvum illum recepit.

28. Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum.

29. At ille reſpondens, dixit patri ſuo : Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dediſti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer :

30. Sed poſtquàm filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cùm meretricibus venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.

31. At ipſe dixit illi : Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea [g] tua ſunt :

32. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, [h] mortuus erat, & revixit ; perierat, & inventus eſt.

CAPUT XVI.

Per parabolam villici hortatur Chriſtus ad faciendas eleemoſynas.

1. Dicebat autem, & ad [i] diſcipulos ſuos : Homo quidam erat dives qui habebat villicum : & hic diffamatus eſt apud illum quaſi diſſipaſſet bona ipſius.

2. Et vocavit illum, & ait illi : Quid hoc audio de te ? redde rationem villicationis tuæ : jam enim [k] non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra ſe : Quid faciam, quia dominus meus [l] aufert à me villicationem ? fodere non valeo, mendicare erubeſco.

4. Scio quid faciam, ut, cùm amotus fuero à villicatione, [m] recipiant me in domos ſuas.

5. Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo : Quantum debes domino meo ?

6. At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : [n] Accipe cautionem tuam : & ſede citò, ſcribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit : Tu verò quantum debes ? qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta.

8. Et [o] laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet : quia filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.

9. Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de [p] mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Agit de fideli aut infideli divitiarum diſpenſatore.

10. Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt : & qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.

11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis : [q] quod verum eſt, quis credet vobis ?

12. Et ſi in [r] alieno fideles non fuiſtis : quod veſtrum eſt, quis dabit vobis ?

Quòd dicat neminem poſſe ſervire Deo & mammonæ irridetur à Phariſæis, quos dure corripit.

13. Nemo ſervus poteſt duobus dominis ſervire : aut enim unum odiet, & alterum diliget : aut uni adhærebit, & alterum contemnet : non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.

14. Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant avari : & deridebant illum.

ri noſtro loquendi ; gaudium enim illud magis afficit, quemadmodum poſt longam ægritudinem, dies una ſanitatis majori gaudio efficit, quàm multæ dies ſanitatis in curſu ordinario vitæ noſtræ.

13. [a] *Congregatis omnibus*, Syr. *collegit quæcumque ad ſe pervenerant. Luxurioſè*, Syr. *profusè*.

14. [b] *Conſummaſſet*, Syr. Arab. *conſumpſiſſet*.

16. [c] *Siliquis*, non fabarum, &c. ſed fructus arboris dictæ Gallicè *Carrouger*, quibus porci in Syria nutriebantur.

17. [d] *Quanti*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *quot*.

18. [e] *In cœlum*, publicè. *Coram*, contra.

22. [f] *Stolam*, veſtis eſt talaris. *Primam*, pretioſiorem.

31. [g] *Tua*, in tua poteſtate, & quibus uti poteras.

32. [h] *Mortuus erat*, pro mortuo habebatur.

1. [i] *Diſcipulos*, generaliter dictos, omnes ſcilicèt ſectatores ſuos. *Villicum*, œconomus erat qui reddebat rationem de denariis acceptis.

2. [k] *Non poteris villicare*, ſi defeceris in reddenda ratione.

3. [l] *Aufert*, comminatur quod auferet. *Fodere*, manibus operari. Species pro genere.

4. [m] *Recipiant*, ſint qui me recipiant, debitores Domini.

6. [n] *Accipe*, ut comburas. *Cautionem*, Syr. Arab. Æth. *librum*, Perſ. *ſyngraphum*. *Sede*, ut ſcribas aliud chirographum.

8. [o] *Laudavit* non fraudem, ſed induſtriam. *Iniquitatis*, Syr. Perſ. *iniquum*. *Filii hujus ſæculi*, homines mundo dediti. *Prudentiores*, ſagaciores quam filii lucis in rebus divinis. *Filiis lucis*, hominibus, lucem, veritatem, Deum amantibus. *In generatione ſua*, in rebus quas tractant, id eſt, temporalibus acquirendis.

9. [p] *Mammona*, Syr. *hujus divitiis*, Arab. *pecunia*. *Iniquitatis*, quia ſunt iniquitatis occaſio, & fere per iniquitatem parantur.

11. [q] *Quod verum eſt*, Arab. *opes veras*.

12. [r] *Alieno*, divitiis, quas alienas vocat, quia non eſt in noſtra poteſtate ut eas habeamus aut ſervemus. *Veſtrum*, bona ſpiritualia, ad quæ proprie conditi ſumus, & in noſtra ſunt poteſtate, adeo ut à nemine amittantur invito.

15. Et ait illis : Vos eſtis, qui [a] juſtificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda veſtra : quia quod homioibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.

De lege diſſerit.

16. Lex & prophetæ, uſque ad [b] Joannem : ex eo tegnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.

17. Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, qoàm de lege unum apicem [c] cadere.

Uxorem non dimittendam.

18. [d] Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur : & qui dimiſſam à viro ducit mœchatur.

Narratur hiſtoria divitis epulonis & Lazari mendici.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ & byſſo : & [e] epulabatur quotidie ſplendidè.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. Cupiens ſaturari de [f] micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat : ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

22. Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in [g] ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.

23. [h] Elevans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus :

24. Et ipſe clamans dixit : Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma.

25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepiſti [i] bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala : nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.

26. Et [k] in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt : ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.

27. Et ait : Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei.

28. Habeo enim quinque fratres, ut [l] teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham : Habent [m] Moyſeo, & Prophetas : audiant illos.

30. At ille dixit : Non pater Abraham : ſed [n] ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

31. Ait autem illi : Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

CAPUT XVII.

Væ dicit in illos per quos ſcandala veniunt.

1. ET ait ad diſcipulos ſuos : Impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala : væ autem illi per quem veniunt.

2. Utilius eſt illi ſi lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis.

Fratri in nos peccanti dimittendum.

3. Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, [o] increpa illum : & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et ſi [p] ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi.

Apoſtolos fidei augmentum petentes, illius efficaciam docet.

5. Et dixerunt Apoſtoli Domino : [q] Adauge nobis fidem.

6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, & tranſplantare in mare, & obediet vobis.

Et quòd ſe dicant inutiles ſervos, cùm omnia præcepta fecerint.

7. Quis autem veſtrûm habens ſervum arantem aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi : Statim [r] tranſi, recumbe.

8. Et non dicat ei : Para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem & bibam, & poſt hæc tu manducabis, & bibes ?

9. Numquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ?

10. Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite : Servi inutiles ſumus : quod debuimus facere fecimus.

Decem leproſos mundat.

11. Et factum eſt, dum iret in Jeruſalem, tranſibat [ſ] per mediam Samariam & Galilæam.

12. Et cùm [t] ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè.

13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jeſu præceptor, miſerere noſtri.

14. Quos ut vidit, dixit : Ite, [u] oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.

Ab uno, & ipſe Samaritanus erat, gratiæ ipſi aguntur.

15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum.

16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : & hic erat Samaritanus.

---

15. [a] *Juſtificatis*, opinionem juſtitiæ vobis parare ſtudetis.
16. [b] *Joannem*. Joannis prædicationem. *Vim facit*, violentiâ opus eſt & abnegatione, &c. Hæc dicit ut Phariſæos præoccupet qui dicere potuiſſent, per legem promitti abundantiam temporalium obſervatoribus ſuis.
17. [c] *Cadere*, non impleri. Hæc dicit veluti corrigens quæ dixerat de lege & prophetis uſque ad Joannem.
18. [d] *Omnis qui dimittit*, &c. hoc ut probet Evangelium non eſſe contrarium legi, divortium enim erat ad duritiam cordis permiſſum, non verò ut Scribæ dicebant à lege approbatum.
19. [e] *Epulabatur*, voluptatibus indulgens.
21. [f] *Micis*, fragmentis.
22. [g] *Sinum Abrahæ*, remotam & ſecretam quietem in ſocietate Abraham, qui tanquam pater omnium credentium filios ſuos ſibi colligat. Status paradiſi pingitur hac figurâ ut convivium, in quo Abraham primus accumberet, ut pater totius gentis. De more autem erat ut menſæ aſſiderent ſuper lecta, capitibus ad menſam & pedibus extra lecta, adeo ut ſecundus haberet caput velut in ſinu primi, & ſic in ſequentibus. *Sepultus in inferno*, ita corpus fuit terræ mandatum, ut anima per Angelos malos in infernum demerſa fuerit ad pœnas.
23. [h] *Elevans oculos*, &c. hæc & quæ ſequuntur debent ſpiritualiter intelligi, animæ enim nec digitum, nec linguam, nec oculos habent.
25. [i] *Bona*, Syr. Arab. *bona tua*.
26. [k] *In his omnibus*, Syr. Arab. Æth. *cum his*, Perſ. *ad hæc*. *Chaos*, Syr. *hiatus*, Arab. *præcipitium*, Perſ. *barathrum*, Æth. *abyſſus*.
28. [l] *Teſtetur*, Perſ. *moneat*.
29. [m] *Moyſen & prophetas*, ſcripta Moyſis & prophetarum.
31. [n] *Si quis ex mortuis ierit*, &c. Arab. Æth. *niſi ierit*, &c. non agent pœnitentiam.
3. [o] *Increpa*, admone. *Dimitte*, ore & opere, nam etiam ante pœnitentiam corde fuit dimittendum.
4. [p] *Septies*, quotieſcumque : nam ſeptenario numero univerſitas declaratur.
5. [q] *Adauge fidem*, de fide miraculorum exponunt quidam.
7. [r] *Tranſi*, perge in domum. *Recumbe*, menſæ.
11. [ſ] *Per mediam*, &c. Arab. *inter Samariam & Galilæam*. In confinibus Galilææ & Samariæ.
12. [t] *Ingrederetur*, ingreſſurus eſſet. *Caſtellum*, Syr. *vicum*.
14. [u] *Oſtendite vos*, &c. hoc dicto tacite pollicebatur ſanitatem in itinere obventuram. *Dum irent*, ſignum eſt conceptam ab omnibus recuperandæ valetudinis fiduciam.

Digitized by Google

17. Reſpondens autem Jeſus, dixit: Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt?

18. Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.

19. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te ſalvum fecit.

Multa de ſecundo ſui ipſius adventu diſſerit.

20. Interrogatus autem à Phariſæis: Quando [a] venit regnum Dei? reſpondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum obſervatione:

21. Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim [b] regnum Dei intra vos eſt.

22. Et ait ad diſcipulos ſuos: Venient dies quando deſideretis videre [c] unum diem Filii hominis, & non videbitis.

23. Et dicent vobis: [d] Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque ſectemini.

24. [e] Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, in ea quæ ſub cœlo ſunt, fulget: ita erit Filius hominis in die ſua.

25. Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.

26. Et ſicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus Filii hominis.

27. Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſque in diem, quâ intravit Noë in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes.

28. Similiter ſicut factum eſt in diebus Lot: edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant.

29. Quâ die autem exiit Lot à Sodomis, [f] pluit ignem & ſulphur de cœlo, & omnes perdidit.

30. Secundùm hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur.

31. In illa hora, qui fuerit in tecto, & [g] vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa; & qui in agro ſimiliter non redeat retrò.

32. Memores eſtote uxoris Lot.

33. Quicumque quæſierit [h] animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

34. Dico vobis: In illa nocte [i] erunt duo in lecto uno; unus aſſumetur, & alter relinquetur.

35. Duæ erunt molentes [k] in unum; una aſſumetur, & altera relinquetur: duo in agro; unus aſſumetur, & alter relinquetur.

36. Reſpondentes dicunt illi: Ubi, Domine?

37. Qui dixit illis: Ubicumque fuerit [l] corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

CAPUT XVIII.

Per parabolam judicis iniqui, & viduæ ſupplicantis docet ſemper orandum.

1. Dicebat autem & [m] parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare & non deficere.

2. Dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.

3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: [n] Vindica me de adverſario meo.

4. Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Et ſi Deum non timeo, nec hominem revereor:

5. Tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, [o] vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſugillet me.

6. Ait autem Dominus: Audite quid judex [p] iniquitatis dicit.

7. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, & [q] patientiam habebit in illis?

8. Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet [r] fidem in terra?

Per parabolam Phariſæi & publicani, docet quomodo ſit orandum.

9. [ſ] Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam juſti, & aſpernabantur cæteros parabolam iſtam:

10. Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter publicanus.

11. Phariſæus [t] ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi: quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, injuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus.

12. Jejuno bis in [u] ſabbato: decimas do omnium quæ poſſideo.

13. Et publicanus [x] à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori.

20. [a] *Venit*, Syr. Arab. *venturum eſſet*. Somniabant Judæi mundanum quoddam regnum, vel, regnum Meſſiæ à Deo miſſi. *Non venit regnum Dei cum obſervatione*, Perſ. *regnum Dei tempus notum non habet*. Loquitur Jeſus de regno Dei ſpirituali in anima.

21. [b] *Regnum*, pro rege. Meſſias à quo regnum dandum. *Intra vos*. Æth. *medio veſtrum*. Regnum illud non externum eſt, ſed in medio corde.

22. [c] *Unum diem filii hominis*, frui meâ præſentiâ. Hoc dicit præparans eos ad futuras afflictiones, & in perſona diſcipulorum loquitur fidelibus omnibus, quibus prædicit futuram defectionem à fide & cultu exteriore Chriſti. &c.

23. [d] *Ecce hic & ecce illic*, multi nomen Chriſti uſurpabunt ſub tempus excidii Jeroſolymitani. Quod etiam de variis ſectis & hæreſibus exponi poteſt.

24. [e] *Nam, ſicut fulgur, &c.* Syr. *fulgur coruſcat à cœlo, & quidquid eſt ſub cœlo illuminat. De ſub cœlo*, nubibus. *In ea quæ ſub cœlo*, aëre & terra.

29. [f] *Pluit*, Deus.

31. [g] *Vaſa*, ſupellex. Tunc enim muſſitia temporalibus nihil aliud agendum eſt, quàm ut quiſque ſaluti ſuæ æternæ conſulat. Eſt autem proverbialis locutio, quæ certiſſimum exitium ſignificat, & quòd præciſâ omni morâ ſit celerrime effugiendum.

33. [h] *Animam ſuam ſalvam facere*, ſemetipſum periculis præſentibus eximere. Qui ut vitam ſervet, redierit in urbem. *Perdet*, eam in eadem, occidetur. Sola fuga tunc erit ſalutaris. *Perdiderit*, non ſollicitus de ſervandis temporariis, ſed in hoc unum intentus, ut venienti judici digne occurrat. Miſcet enim, ut de more, quæ de adventu ſuo, excidio Jeruſalem, & fine mundi.

34. [i] *Erunt duo, &c.* tunc quæ nunc proximè ſibi invicem copulantur, ab invicem dividentur.

35. [k] *In unum*, Syr. Arab. Perſ. *ſimul*, Æth. *in una mola*.

37. [l] *Corpus*. Arab. Perſ. *cadaver*. Ut aquilæ & aves carnivoræ ad cadaver, ſic electi ad me undique venient. Tam late patere debet iſta diſcretio, quam late proferendum eſt regnum Chriſti: non igitur hic erit, ibi non erit, pro diverſitate locorum, ſed ubique & erit & non erit pro animorum diſcrimine. Vide Matthæi cap. 24. verſ. 28. vel, vaſtatio Judææ & Judæorum à Romanis univerſalis erit.

1. [m] *Parabolam*, huc ſpectantem, quod oporteret ſemper, &c. *Quoniam*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *ut orarent*, &c. *Semper*, non ſignificat temporis continuationem, ſed conſtantiam & perſeverantiam, adeo ut non deficiamus præ tædio, aut ſucceſſus deſperatione.

3. [n] *Vindica*, adverſarii injuriam depelle.

5. [o] *Vindicabo eam*, Perſ. *negotium ejus tranſigam in noviſſimo*. Syr. Perſ. *omni tempore*. Arab. *ſingulis momentis*. *Sugillet me*, hæc per ironiam.

6. [p] *Iniquitatis*, Syr. Perſ. Æth. *iniquus*.

7. [q] *Patientiam habebit in illis*. Perſ. *& animum ſuum benigne in illis affectum habebit*. Semperne longanimis erit, & patienter feret injurias eorum, differendo deliberationem quam petunt?

8. [r] *Fidem*, cum charitate conjunctam, quæ eſt fundamentum orationis.

10. [ſ] *Dixit autem & ad quoſdam*, Arab. *dixit illis propter nonnullos qui, &c.*

11. [t] *Stans*, vere erectus.

12. [u] *Sabbato*, Syr. *hebdomade*, Arab. Perſ. *ſeptimana*. Phariſæi jejunabant ſecundâ & quintâ feriâ.

13. [x] *A longè*, longè ab altari & ſanctis locis.

Digitized by Google

14. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam [a] ab illo: quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

Pueros à ſe repelli vetat.

15. Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cùm viderent diſcipuli, increpabant [b] illos.

16. Jeſus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, [c] talium eſt enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis: Quicumque non [d] acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.

Dives qui ſe à juventute omnia præcepta ſervaſſe dicebat, audito Chriſti conſilio de relinquendis omnibus, abiit triſtis.

18. Et interrogavit eum [e] quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo?

19. [f] Dixit autem ei Jeſus: Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus.

20. Mandata noſti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum & matrem.

21. Qui ait: Hæc omnia cuſtodivi à juventute mea.

22. Quo audito, Jeſus ait ei: Adhuc unum tibi deeſt: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me.

23. His ille auditis, contriſtatus eſt: quia dives erat valdè.

Unde Chriſtus docet quàm difficile ſit divitem intrare in regnum Dei.

24. Videns autem Jeſus illum triſtem factum, dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

25. [g] Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26. Et dixerunt qui audiebant: Et quis poteſt ſalvus fieri?

27. Ait illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Docet quid futurum ſit præmii omnia propter ſe relinquentibus.

28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.

29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,

30. Et non recipiat [h] multò plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam.

Prædicit ſuam paſſionem.

31. [i] Aſſumpſit autem Jeſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim [k] Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.

33. Et poſtquam flagellaverint, occident eum, & tertiâ die reſurget.

34. Et ipſi nihil horum [l] intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

Cæcum prope Jericho illuminat.

35. Factum eſt autem, [m] cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans.

36. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet.

37. Dixerunt autem ei, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret:

38. Et clamavit, dicens: Jeſu [n] fili David, miſerere mei.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipſe verò multò magis clamabat: Fili David, miſerere mei.

40. Stans autem Jeſus juſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogavit illum,

41. Dicens: Quid tibi vis faciam? at ille, dixit: Domine, ut videam.

42. Et Jeſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.

43. Et confeſtim vidit, & [o] ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

CAPUT XIX.

Ad Zachæum divertit, plurimis licèt murmurantibus.

1. ET ingreſſus [p] perambulabat Jericho.

2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipſe dives:

3. Et [q] quærebat videre Jeſum, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtaturâ puſillus erat.

4. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum ut videret eum: quia [r] inde erat tranſiturus.

5. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

6. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.

7. Et cùm viderent omnes murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet.

8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, [ſ] do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9. Ait Jeſus [t] ad eum: Quia hodie ſalus do-

14. [a] *Ab illo*, Syr. *magis quàm ille*, Arab. *juſtificatior illo*, Perſ. *juſtior*, Æth. *potius quàm ille*.

15. [b] *Illos*, afferentes.

16. [c] *Talium*, Arab. *ſimilibus huiſce*.

17. [d] *Acceperit*, per imitationem puritatis, innocentiæ, manſuetudinis, humilitatis, ſimplicitatis, &c.

18. [e] *Quidam princeps*, Syr. *unus ex primoribus*.

19. [f] *Dixit autem*, &c. vide Marci cap. 10. v. 18.

25. [g] *Facilius eſt*, &c. vide Matth. cap. 19. v. 24.

30. [h] *Multo plura*, abundantiora bona in vita præſenti, utpote præcipua munera gratiarum, conſolationes internas, &c.

31. [i] *Aſſumpſit*, Arab. *accivit ad ſe*.

32. [k] *Gentibus*, Perſ. *in manum vulgi*, Æth. *populis*. Captus primùm à cohorte & tribuno, qui erant Gentiles; deinde à pontificibus traditus Pilato.

34. [l] *Intellexerunt*, quomodò & quam ob cauſam. *Verbum*, negotium illud: quia credebant Meſſiam non moriturum.

35. [m] *Cùm appropinquaret Jericho*: id contigiſſe in egreſſu ex Jericho dicunt Matthæus & Marcus, unde *appropinquaret*, idem eſt ac prope eſſet. vel poſtulavit ſanari cùm Jeſus ingrederetur, quam gratiam diſtulit Jeſus, nec cæcus aſſequutus eſt niſi poſtridie, cùm egrederetur. Alii exponunt de diverſis miraculis.

38. [n] *Fili David*, filium David vocat, quoniam apud Judæos notum, quòd Meſſias ex ſemine David naſceretur.

43. [o] *Sequebatur*, in illo itinere.

1. [p] *Perambulabat*, Syr. Perſ. *tranſiret*, Arab. *præteriens*, pertranſibat.

3. [q] *Quærebat*, Syr. *volebat*.

4. [r] *Inde*, Syr. Æth. *illac*.

8. [ſ] *Do*, dare ſtatuo. *Si quid aliquem defraudavi*, Arab. *& illi à quo violenter aliquid accepi*.

9. [t] *Ad eum*, de eo. Alioqui non oportebat dicere: *Filius ſit*, &c. *Quia*, Syr. Arab. Perſ. Æth. redundat. *Filius*, filiatione ſpirituali.

Digitized by Google

mui huic facta eſt: eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.

10. Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.

Parabolam refert de homine nobili qui abiit ad regnum accipiendum, &c.

11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eò quòd eſſet prope Jeruſalem: & quia [a] exiſtimarent quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur.

12. Dixit ergo: [b] Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reverti.

13. Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.

14. [c] Cives autem ejus oderant eum: & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.

15. Et factum eſt ut rediret accepto regno: & juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet.

16. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſivit.

17. Et ait illi: Euge bone ſerve, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem civitates.

18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque civitates.

20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario:

21. Timui enim te, quia homo auſterus es: tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.

22. Dicit ei: De ore tuo te judico, ſerve nequam, ſciebas quòd ego homo auſterus ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminavi:

23. Et quare non dediſti pecuniam meam [d] ad menſam, ut ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam?

24. Et aſtantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.

26. Dico autem vobis, quia omni [e] habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

27. [f] Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.

Super pullum aſinæ ſedens, intrat Jeruſalem maximo cum plauſu.

28. Et his dictis, præcedebat aſcendens Jeroſolymam.

29. Et factum eſt, cùm appropinquaſſet ad Bethphage, & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, miſit duos diſcipulos ſuos,

30. Dicens: Ite in [g] caſtellum, quod contrà eſt, in quod introëuntes invenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo unquam hominum ſedit: ſolvite illum & adducite.

31. Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? ſic dicetis ei: Quia [h] Dominus operam ejus deſiderat.

32. Abierunt autem qui miſſi erant: & invenerunt, ſicut dixit illis, ſtantem pullum.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum?

34. At illi dixerunt: Quia [i] Dominus eum neceſſarium habet.

35. Et duxerunt illum ad Jeſum. Et jactantes [k] veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſuerunt Jeſum.

36. Euntе autem illo, [l] ſubſternebant veſtimenta ſua in via.

37. Et cùm appropinquaret jam ad deſcenſum montis Oliveti cœperunt [m] omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magnâ ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus,

38. Dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, [n] pax in cœlo, & gloria in excelſis.

39. Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magiſter, [o] increpa diſcipulos tuos.

40. Quibus ipſe ait: Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt:

Flens prædicit everſionem Jeruſalem.

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit [p] ſuper illam, dicens:

42. [q] Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te: [r] & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique.

44. Et [s] ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.

Ejicit vendentes in templo.

45. Et ingreſſus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes.

46. Dicens illis: Scriptum eſt: Quia domus mea, domus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

Sacerdotes & Scribæ quærunt interficere illum.

47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem ſacerdotum, & Scribæ, & principes plebis quærebant illum perdere:

48. [t] Et non inveniebant quid facerent illi.

11. [a] *Exiſtimarent quòd confeſtim*, putabant enim regnum Chriſti temporale futurum, & in Jeruſalem urbe regia ſolium collocandum.

12. [b] *Homo quidam, &c.* homo iſte Chriſtus eſt in cœlum aſcendens, &c. *Abiit... accipere ſibi regnum*, tunc à Romanis reges dabantur Judæis, & illi Romam ibant ut regnum acciperent; ſic Archelaüs urbem petiit, regnum ab Auguſto petiturus: Judæi verò detrectabant ejus imperium propter crudelitatem, &c.

14. [c] *Cives ejus*, Judæi apud quos natus & educatus. *Poſt eum*, Arab. *Per veſtigia ejus.*

23. [d] *Ad menſam*, menſariis.

26. [e] *Habenti*, utenti bene, & qui ſibi per diligentiam comparavit. *Non habet*, non utitur ut debet, & per deſidiam, & otioſitatem non habet.

27. [f] *Verumtamen*, cæterum.

30. [g] *Caſtellum quod contra eſt*, Syr. Perſ. *pagum iſtum qui nobis eſt è regione.*

31. [h] *Dominus*, Syr. Perſ. *Domino noſtro.*

34. [i] *Dominus*, Syr. Perſ. *Dominus noſter.*

35. [k] *Veſtimenta*, Syr. *pallia.*

36. [l] *Subſternebant*, alii è turba. *Veſtimenta*, Syr. *pallia.*

37. [m] *Omnes turba diſcipulorum*, Perſ. *diſcipuli & turb.* Diſcipulos vocat, qui ſequebantur Jeſum doctrinæ & miraculorum causâ. *Virtutibus*, miraculis.

38. [n] *Pax in cælo*, multa dicunt interpretes, ſed crediderim, vocem eſſe populi gratias Deo agentis ob felicem Meſſiæ adventum.

39. [o] *Increpa, &c.* ne ex tali acclamatione nominis regis, &c. periculum nobis & tibi accidat ex parte Romanorum, &c.

41. [p] *Super*, propter.

42. [q] *Quia*, non in Syr. Arab. Perſ. Æth. *Si cognoviſſes, &c.* O ſi cognoſceres quæ ad pacem tuam pertinent, nempe Salvatorem tuum eſſe præſentem. *In hac die tua*, quâ te Deus benignis oculis aſpicit. *Quæ*, in plurali, atque adeo non refertur ad *die tua.*

43. [r] *Et circumdabunt*, Syr. *quibus circumdabunt*, Æth. *quando.* Hoc à Tito in obſidione præſtitum.

44. [s] *Ad terram proſternent*, Syr. *evertent*, Arab. *ſubvertent.* Solo æquabunt. *Viſitationis*, quo te Deus per Filium ſuum viſitavit.

48. [t] *Et non inveniebant quid facerent*, Æth. *& non potuerunt quid facere*, Perſ. *& rationem non inveniebant quâ quid agerent.*

Digitized by Google

Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum.

CAPUT XX.

Interrogatus Jeſus à principibus ſacerdotum & Scribis quâ poteſtate ſigna faceret, non reſpondet, cùm ipſi non reſpondiſſent quæſtioni propoſitæ de baptiſmo Joannis.

1. ET factum eſt in una dierum, docente illo populum in templo, & evangelizante, convenerunt principes ſacerdotum, & Scribæ cum ſenioribus.

2. Et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua poteſtate hæc facis? aut quis eſt, qui dedit tibi hanc poteſtatem?

3. Reſpondens autem Jeſus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. Reſpondete mihi.

4. Baptiſmus Joannis [a] de cœlo erat, an ex hominibus?

5. At illi cogitabant intra ſe dicentes: Quia ſi dixerimus, de cœlo: dicet: Quare ergo non credidiſtis illi?

6. Si autem dixerimus ex hominibus, plebs univerſa lapidabit nos: [b] certi ſunt enim Joannem prophetam eſſe.

7. Et reſponderunt ſe neſcire unde eſſet:

8. Et Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio.

Parabolam proponit de vinitoribus, qui cæſis Domini ſervis & male habitis etiam filium ipſius occiderunt.

9. Cœpit autem dicere [c] ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis: & ipſe peregre fuit multis temporibus.

10. Et in tempore miſit ad cultores ſervum, ut de fructu vineæ darent illi: qui cæſum dimiſerunt eum inanem.

11. Et addidit alterum ſervum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumeliâ, dimiſerunt inanem.

12. Et addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes ejecerunt.

13. Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan, cùm hunc viderint, verebuntur.

14. Quem cùm vidiſſent coloni, cogitaverunt intra ſe dicentes: Hic eſt hæres, occidamus illum, ut noſtra fiat hereditas.

15. Et ejectum illum extra vineam occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

16. Veniet & perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: [d] Abſit.

Quam parabolam adverſus ſe dictam ſacerdotes & Scribæ ſentientes, Jeſum apprehendere voluerunt.

17. Ille autem aſpiciens eos, ait: Quid eſt ergo hoc quod ſcriptum eſt: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?

18. [e] Omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum.

19. Et quærebant principes ſacerdotum & Scribæ, mittere in illum manus illâ horâ: & timuerunt populum: cognoverunt enim quòd [f] ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc.

Tentatur Jeſus de tributo Cæſari dando.

20. Et obſervantes miſerunt inſidiatores, qui [g] ſe juſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, ut traderent illum principatui & poteſtati præſidis.

21. Et interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus quia rectè dicis & doces: & non accipis perſonam, ſed viam Dei in veritate doces:

22. Licet nobis tributum dare Cæſari, an non?

23. Conſiderans autem dolum illorum, dixit ad eos, Quid me tentatis?

24. Oſtendite mihi denarium. Cujus habet imaginem & inſcriptionem? reſpondentes dixerunt ei: Cæſaris.

25. Et ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.

26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in reſponſo ejus, tacuerunt.

Et à Sadducæis de reſurrectione.

27. Acceſſerunt autem quidam Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum;

28. Dicentes: Magiſter, Moyſes [h] ſcripſit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.

29. Septem ergo fratres erant: Et primus accepit uxorem, & mortuus eſt ſine filiis.

30. Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſine filio.

31. Et tertius accepit illam: ſimiliter & omnes ſeptem, & non reliquerunt ſemen; & mortui ſunt.

32. Noviſſime omnium mortua eſt, & mulier.

33. In reſurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? ſi quidem ſeptem habuerunt eam uxorem.

34. Et ait illis Jeſus: Filii hujus ſæculi nubunt, & traduntur ad nuptias:

35. Illi verò, qui [i] digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:

36. Neque enim ultrà mori poterunt: [k] æquales enim angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cùm ſint filii reſurrectionis.

37. [l] Quia verò reſurgant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob.

4. [a] *De cœlo*, autoritate divinâ.
6. [b] *Certi ſunt*, Syr. *perſuaſum habent*.
9. [c] *Ad plebem*, converſus.
16. [d] *Abſit*: quomodo hoc conciliari poſſit cum his quæ referuntur Matth. c. 21. & Marc. c. 12. ſic exponendum eſt. Auditores reſponderunt malos male perdet: quam reſponſionem cùm Dominus approbaſſet, rurſus quidam auditores Pharìſæi quibuſcum loquebatur, dixerunt: *Abſit*, ut tantum ſcelus ab agricolis perpetretur, quibus Dominus reſpondet, *lapidem*, &c. innuens quòd tam grave ſcelus futurum ſit.
18. [e] *Omnis*, &c. vide Math. c. 21. v. 44.
19. [f] *Ad ipſos*, adverſus ipſos.
20. [g] *Se juſtos ſimularent*, ſe ad Jeſum accedere motos religione, ut diſcerent ab ipſo quid juſtum eſſet, &c. *Principatui*, Syr. *judicio*.
28. [h] *Scripſit*, lege ſcripta mandavit.
35. [i] *Digni habebuntur*, &c. hæc verba licèt de juſtis intelligi debeant, non tamen cum excluſione reproborum, quaſi reſurgere non debeant.
36. [k] *Æquales angelis*, immortalitate, caſtitate, numero pleno. *Filii Dei*, Dei virtute renati etiam ſecundùm corpus. *Filii reſurrectionis*, per reſurrectionem renati.
37. [l] *Quia verò*, &c. Arab. *verùm quòd mortui reſurgant*, innuit id Moſes in rubo dicente Domino ad ipſum, *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob.*

38. Deus

38. Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum: omnes enim [a] vivunt ei.

39. Reſpondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magiſter bene dixiſti.

40. Et amplius non audebant eum [b] quidquam interrogare.

Interrogat illos quomodo Chriſtus dicatur filius David.

41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Chriſtum, filium eſſe David?

42. Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,

43. Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.

44. David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus eſt?

Monet diſcipulos ut caveant à Scribis, &c.

45. Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis:

46. Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in conviviis:

47. Qui devorant domos viduarum, ſimulantes [c] longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

CAPUT XXI.

Viduam duo minuta offerentem in templo, laudat præ divitibus multa offerentibus.

1. Reſpiciens autem, [d] vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium, divites.

2. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.

3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes miſit.

4. Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex [e] eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit, miſit.

Prædicit ſubverſionem templi & Jeruſalem, atque multa mala, adverſus quæ roborat Apoſtolos.

5. Et quibuſdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum eſſet, dixit:

6. [f] Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

7. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod ſignum cùm fieri incipient?

8. Qui dixit: Videte ne ſeducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia [g] ego ſum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire poſt eos.

9. Cùm autem audieritis prælia, & ſeditiones, [h] nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis.

10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum.

11. Et terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, [i] terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt.

12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas, & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides, propter nomen meum:

13. Continget autem vobis [k] in teſtimonium.

14. Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis.

15. Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri.

16. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis:

17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum:

18. [l] Et capillus de capite veſtro non peribit.

19. [m] In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

20. Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus:

21. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in medio ejus diſcedant: & qui in [n] regionibus, non intrent in eam.

22. Quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.

23. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Erit enim preſſura magna ſuper [o] terram, & ira populo huic.

24. Et cadent in [p] ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gentes: & Jeruſalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum.

Differit de ſignis præceſſuris conſummationem ſæculi, ſuumque ſecundum adventum.

25. [q] Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum:

26. Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, [r] quæ ſupervenient univerſo orbi: nam virtutes cœlorum movebuntur:

27. [s] Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate.

28. His autem fieri incipientibus, [t] reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.

29. Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficul-

38. [a] *Vivunt ei*, Æth. *vivi ſunt apud eum.*
40. [b] *Quidquam*, Syr. Arab. *ulla de re.*
47. [c] *Longam orationem*, quod de oratione pro mortuis intelligendum: alioquin quid hoc ad viduas.
1. [d] *Vidit eos*, &c. Syr. *Dvideos illos, qui conjiciebant*, &c.
4. [e] *Eo quod deeſt illi*, Syr. Æth. *penuria*, Arab. Perſ. *inopia ſua.*
6. [f] *Hæc quæ videtis*, Syr. *in his*, ex his quæ, &c.
8. [g] *Ego ſum*, Syr. *ego ſum Meſſia*, Perſ. *ego ſum Chriſtus*. Dicentes ſe eſſe Chriſtum.
9. [h] *Nolite terreri*, ita ut quod veſtri muneris eſt, omittatis. *Finis*, mundi, aut malorum populi Judaici.
11. [i] *Terrores*, Syr. *terræmotus*.
13. [k] *In teſtimonium*, ut ſitis de me teſtes, vel doctrinam & ſalutem ipſis oblatam, & ab illis repudiatam.
18. [l] *Et capillus*, &c. proverbialis locutio, quà innuit nihil mali illis eventurum ex crudelitate inimicorum: & hoc quia mala temporalia velut nihil ſunt, ſi conferantur cum bonis cœleſtibus.
19. [m] *In patientia*, &c. ſi mala conſtanter ſuſtinueritis propter me, obtinebitis ſalutem animarum veſtrarum.
21. [n] *Regionibus*, Syr. Perſ. *agris*, Arab. *ruribus.*
23. [o] *Terram* Judææ. *Ira* Dei in populum.
24. [p] *Ore*, Syr. *acie. Donec impleantur tempora nationum*, donec expleta fuerint tempora quibus Deus paſſurus eſt Iſraëlitas opprimi à Gentibus: quod ad tempora Conſtantini, in quibus Eccleſia Chriſtiana victrix extitit de Gentibus, referunt quidam: vel, non implebuntur tempora Gentium niſi in fine mundi: ſemper enim Gentes fidem Chriſti ſuſcipient, & Eccleſiæ filii fient, prædicit ergo Judæos numquam reſtituendos.
25. [q] *Et erunt ſigna*, &c. tranſit ab excidio Jeruſalem, ad univerſale excidium mundi. *Erunt*, poſt impleta tempora Gentium. *Sonitus*, ob ſonitum.
26. [r] *Quæ ſupervenient*, Syr. *ejus quod invaſurum eſt. Virtutes cœlorum*, quod non de angelis intelligendum, ſed de cœlis ipſis.
27. [s] *Et tunc*, poſt ſigna & prodigia viſa.
28. [t] *Reſpicite*, Syr. *bono animo eſtote. Redemptio*, effectus redemptionis à Chriſto factæ.

neam, & omnes arbores:

30. Cùm [a] producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas.

31. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.

32. Amen dico vobis, quia non præteribit [b] generatio hæc, donec omnia fiant.

33. Cœlum & terra [c] tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.

Monet Apoſtolos ut caveant a crapula, &c. vigiles & orantes ſint.

34. Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies illa:

35. [d] Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.

36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.

Refertur quomodo plebs ſummo mane ad Jeſum veniret docentem in templo.

37. Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens, morabatur [e] in monte, qui vocatur Oliveti.

38. Et omnis populus [f] manicabat ad eum in templo audire eum.

CAPUT XXII.

Cogitant principes ſacerdotum de occidendo Jeſu, qui venditur à Juda.

1. APpropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur [g] Paſcha:

2. Et quærebant principes ſacerdotum, & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent: timebant verò plebem.

3. [h] Intravit autem ſatanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim.

4. Et abiit, & locutus eſt cum principibus ſacerdotum, & [i] magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis.

5. Et gaviſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare.

6. Et ſpopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum [k] ſine turbis.

Paſcha cum diſcipulis manducat.

7. Venit autem [l] dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.

8. [m] Et miſit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis paſcha, ut manducemus.

9. At illi dixerunt: Ubi vis paremus?

10. Et dixit ad eos: Ecce introëuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum, in quam intrat,

11. Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi [n] Magiſter: Ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?

12. Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate.

13. Euntes autem, invenerunt ſicut dixit illis, & [o] paraverunt paſcha.

14. Et cùm facta eſſet [p] hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.

15. Et ait illis: [q] Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.

16. Dico enim vobis, quia [r] ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

17. Et [ſ] accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos.

18. Dico enim vobis quòd non bibam de [t] generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

Panem in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem conſecrata tradit ipſis.

19. Et accepto pane gratias egit, & fregit & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis [u] datur: hoc facite in meam commemorationem.

20. Similiter & [x] calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Ex verbis Jeſu quærunt quis ex ipſis traditurus ſit illum.

21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.

22. Et quidem Filius hominis, ſecundùm quod definitum eſt, [y] vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.

23. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet.

Sedat Dominus contentionem ortam inter eos de primatu.

24. [z] Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.

25. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum; & qui poteſtatem habent ſuper eos, [aa] benefici vocantur.

26. Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.

30. [a] *Producunt ſeuctum*, Syr. *pullulaverint*, Arab. *cœperint matureſcere*, Perſ. *folia emittere inceperunt*. Æth. *floreſcunt*. Protrudunt gemmas.

32. [b] *Generatio hæc*, genus humanum: vel, hominum præſentium & tunc viventium. *Omnia*, Syr. Arab. Perſ. *hæc omnia*, Æth. *hoc totum*, omnia illa quæ Judæos & excidium urbis ſpectant.

33. [c] *Tranſibunt*, quantum ad modum ſubſiſtendi & accidentalia. *Non tranſibunt*, certitate & adimpletione non carebunt.

35. [d] *Tanquam laqueus*, ſuperveniet avibus, ſed in terram jam delapſis, non his quæ in ſublime volant.

37. [e] *In monte*, in Bethania, quæ in latere montis.

38. [f] *Manicabat*, Syr. *mane*, Arab. *diluculo veniebant*.

1. [g] *Paſcha*, ultimum miniſterii Chriſti.

3. [h] *Intravit*, invaſit ad novum facinus impellens.

4. [i] *Magiſtratibus*, quod de Levitis præpoſitis ad cuſtodiam templi exponunt quidam.

6. [k] *Sine turbis*, inſcio populo.

7. [l] *Dies Azymorum*, &c. dies erat Jovis, ad cujus veſperam incipiebat vigilia Paſchæ, die verò ſequenti poſt meridiem, ad veſperam ſcilicet incipiebat uſus Azymorum, & immolabatur Paſcha, &c. Simplicius exponunt qui duas neomenias admittentes, diem decimam quartam duplicem ſtatuunt, ex diverſa ratione computandi dies a novilunio.

8. [m] *Et miſit*, Syr. Perſ. *miſit Jeſus*.

11. [n] *Magiſter*, Syr. Perſ. *magiſter noſter*.

13. [o] *Paraverunt Paſcha*, quæ ad Paſcha neceſſe erant.

14. [p] *Horâ*, circiter ſextâ veſpertinâ, ſecundum noſtrum morem. *Diſcubuit*: lex jubebat ut agnum Paſchalem ſtantes manducarent, quod fecit Jeſus, ſed poſt eſum agni diſcubuit, ut alios cibos comederet.

15. [q] *Deſiderio deſideravi*, vehementer deſideravi. Phraſis hebraica. *Paſcha*, non Judaicum & legale, ſed Paſcha verum & ab aliis figuratum, figurarumque complementum.

16. [r] *Ex hoc*, Syr. Arab. Æth. *amplius*, ultrà. *Impleatur*, perficiatur, ſpiritualiter ſcilicet, donec cognoſcatis impletum eſſe quod figurat hæc immolatio & eſus agni. *In regno Dei*, in reſurrectione quâ tranſivit ad immortalitatem: quâ ipſe & membra ejus, electi ſcilicet tranſierunt ab hujus vitæ miſeriis & ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei, ſicut interfectis a Domino primogenitis Ægyptiorum, tranſierunt Iſraelitæ ab Ægypto in terram promiſſam: vel, nunc præſens ac conſpicuus vobiſcum Paſcha celebro: poſt hæc id non faciam, ſed veniet tempus cùm me iterum conſpicietis, cum res ipſa quam Paſcha deſignat in vobis per me conſummabitur. *Regnum Dei*, poteſt exponi de inſtitutione Euchariſtiæ, quæ complementum eſt figuræ agni Paſchalis.

17. [ſ] *Accepto calice*, ſcribunt Hebræi morem fuiſſe, ut comeſto agno Paſchali, pater familias acceptum calicem cum aquâ mixtum prægustaret, ac in orbem menſæ deinde ire juberet, ut omnes ex eo biberent: & hoc fuiſſe quaſi libamen agni Paſchalis, in cujus rei uſu dicebant: Benedictus ſis tu, Domine rex mundi, qui das nobis fructum vitis. Unde calix ille diverſus eſt ab eo de quo verſ. 20.

18. [t] *Generatione*, Arab. Perſ. Æth. *fructu*. *Regnum Dei*, vide v. 16. vel reſurrectionem intellige, poſtquam Chriſtus comedit vera & bibit cum diſcipulis.

19. [u] *Datur*, dabitur in mortem. *Hoc facite*, hoc quod à me fieri videtis, & vos ipſi facite. *Meam*, Syr. Perſ. *mei*. *Commemorationem*, repræſentationem mortis meæ ſubeundæ.

20. [x] *Calicem*, accepit. *Hic eſt calix*, &c. hic calix eſt inſtrumentum authenticum, quo ſancitur novum teſtamentum in ſanguine, id eſt, ratione ſanguinis quem continet. *Novum teſtamentum*, Perſ. Æth. *teſtamentum novum*, Arab. *hic calix eſt teſtamentum*, &c. *Qui pro vobis*. *Qui*, refertur ad *calicem*, ut patet ex Græco.

22. [y] *Vadit* ad mortem.

24. [z] *Facta eſt*, facta fuerat ante lotionem pedum.

25. [aa] *Benefici vocantur*, ab adulatoribus ſic vocari amant, & vocantur licèt malè agentes.

Digitized by Google

27. Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum, [a] ſicut qui miniſtrat.

Loquitur de futura gloria diſcipulorum.

28. Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in [b] tentationibus meis:

29. Et ego [c] diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum,

30. Ut [d] edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſraël.

Prædicit Petro trinam ipſius negationem.

31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos ut [e] cribraret ſicut triticum.

32. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; & tu aliquando [f] converſus confirma fratres tuos.

33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.

34. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. Et dixit eis:

Obſcure loquitur de imminente paſſione.

35. Quando miſi vos ſine [g] ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed, nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram: & qui [h] non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.

37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, [i] finem habent.

Deſcribitur oratio ejus & agonia apud montem Olivarum.

38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: [k] Satis eſt.

39. Et egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in [l] montem Olivarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli.

40. Et cùm perveniſſet ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.

41. Et ipſe avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat,

42. Dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

43. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixiùs orabat.

44. Et factus eſt ſudor ejus, [m] ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

45. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad [n] diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes præ triſtitia.

46. Et ait illis: Quid dormitis? ſurgite, orate, ne intretis in tentationem.

Capitur à Judæis quorum uni Petrus abſcindit auriculam qui ſtatim ſanatur à Jeſu.

47. Adhuc eo [o] loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquavit Jeſu ut oſcularetur eum.

48. Jeſus autem dixit illi: Juda, oſculo Filium hominis tradis?

49. Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod [p] futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?

50. Percuſſit unus ex illis ſervum principis ſacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.

51. Reſpondens autem Jeſus, ait: [q] Sinite uſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.

52. Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & [r] magiſtratus templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus?

53. Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt [s] hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.

Ductus Jeſus in domum principis ſacerdotum, ubi ter à Petro negatur.

54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis ſacerdotum: Petrus verò ſequebatur à longe.

55. Accenſo autem igne in medio atrii, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

56. Quem cùm vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat.

57. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum.

58. Et poſt puſillum [t] alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo non ſum.

59. Et intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt.

60. Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantavit gallus.

61. Et converſus Dominus [u] reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis:

62. Et egreſſus foras Petrus flevit amarè.

Illuditur variis modis à militibus.

63. [x] Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei cædentes.

27. [a] *Sicut qui miniſtrat*. quod ad tempus lotionis pedum referendum.
28. [b] *Tentationibus*, Æth. *afflictione*, Perſ. *ærumnis*.
29. [c] *Diſpono*. Syr. *promitto*.
30. [d] *Edatis & bibatis*, non quòd edulia illic ſint poſita, ſed metaphorice loquitur: qui enim cum regibus cœnant, videntur primos honores ſortiti. ſic & qui partiuntur judiciorum poteſtatem.
31. [e] *Cribraret*, variis tentationibus agitaret ſicut triticum in ventilabro.
32. [f] *Converſus*, pœnitentiam agens poſt meî negationem.
35. [g] *Sacculo*, Syr. *marſupio*. Arab. Perſ. Æth. *crumena*. Continens ſumitur pro contento. *Calceamentis*, non omnino ſine calceamentis, erant enim calceati ſandaliis, ex Marci c. 6. v. 9. ſed ſine duplicibus. &c. vide ſupra, &c.
36. [h] *Non habet*, Syr. Arab. Perſ. *non habet gladium*. Non revocat his verbis doctrinam olim traditam, ſed more ſcripturæ, ut Jer. c. 9. v. 17. 18. & Ezech. c. 4. v. 1. quo prædicit imminentes calamitates, jubendo fieri id quod homines facere ſolent in hujuſcemodi calamitatibus, deſcribit ſolummodò quibus ad vitæ tuendæ præſidiis uti deberent, ſi humanâ providentiâ nitendum eſſet.
37. [i] *Finem habent*. Æth. *totum perficietur*, Syr. *de me ſcripta*.
38. [k] *Satis eſt*, his verbis *Satis eſt*, non vult ſignificare duos gladios ſufficere ad ſui defenſionem, ſed cùm videret Apoſtolos non intelligere quæ diceret, abrumpendo ſermonem, dixit: *Satis eſt*, quemadmodum nos dicimus: Bene eſt.
39. [l] *Montem*, hortum villæ Gethſemani ſitæ ad radicem montis.
44. [m] *Sicut guttæ ſanguinis*, quia guttæ ſudoris mixtæ erant ſanguine.
45. [n] *Diſcipulos*, tres illos Petrum, Jacobum, & Joannem, quos ſecum aſſumpſerat, & quibus dixerat quod anima ſua triſtis eſſet, &c.
47. [o] *Loquente*, non verba præcedentia, ſed alia ab aliis Evangeliſtis deſcripta.
49. [p] *Futurum*, ut Jeſus caperetur ab hoſtibus. *Si percutimus?* numquid percutiemus?
51. [q] *Sinite uſque huc*. Arab. *cohibe te*, Æth. *ſine hunc*.
52. [r] *Magiſtratus templi*. Syr. *præpoſitos militiæ templi*. Ædiles templi conſtitutos ad exquirenda ea quæ ad templi uſum exigebantur, aut præfecti ædificio & conſtructioni templi, vide quæ dicta ad Matthæum, & v. 4. hujus cap.
53. [s] *Hora veſtra & poteſtas tenebrarum*, hora à patre meo præfixa Judæis & principi tenebrarum, ut impleant, &c.
58. [t] *Alius*. In aliis Evangeliſtis hoc iterum dicitur de ancilla: ſed forſan vir & mulier eadem dixerunt, aut communi omnium linguarum uſu, maſculinum uſurpat Lucas pro communi, cum ſexum in hoc non multùm differat. vide Joan. c. 18. v. 18.
61. [u] *Reſpexit*, fortè Jeſus tunc condemnatus ex aula in atrium deſcenderat.
63. [x] *Et viri*, hoc factum eſt à ſervis per intervallum temporis.

64. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes: Propbetiſa, quis eſt, qui te percuſſit?

65. Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.

Mane in concilio interrogatus ſ fatetur ſilium Dei.

66. Et ut factus eſt dies, [a] convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis.

67. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:

68. Si autem & [b] interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.

69. [c] Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.

70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo eſt Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum.

71. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus de ore ejus.

CAPUT XXIII.

Accuſatus coram Pilato, mittitur ab ipſo ad Herodem.

1. ET ſurgens [d] omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

2. Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe [e] Chriſtum regem eſſe.

3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es [f] rex Judæorum? At ille reſpondens ait: Tu dicis.

4. Ait autem Pilatus ad principes ſacerdotum & turbas: Nihil invenio [g] cauſæ in hoc homine.

5. At illi invaleſcebant, dicentes: Commovet populum, docens per univerſam Judæam, incipiens à [h] Galilæa uſque huc.

6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet.

7. Et ut cognovit quòd de [i] Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis erat illis diebus.

Herodes ſpretum Jeſum remittit ad Pilatum.

8. Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat [k] ſignum aliquod videre ab eo fieri.

9. Interrogabat autem eum multis ſermonibus: At ipſe nihil illi reſpondebat.

10. Stabant autem principes ſacerdotum, & Scribæ [l] conſtanter accuſantes eum.

11. Sprevit autem illum Herodes [m] cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum.

12. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam [n] antea inimici erant ad invicem.

Pilatus conatur Jeſum dimittere, propoſitâ Judæis liberatione ejus aut Barabbæ, atque etiam flagellatione.

13. Pilatus autem convocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus & plebe,

14. Dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi [o] avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inveni in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis.

15. Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum, & ecce [p] nihil dignum morte actum eſt ei.

16. [q] Emendatum ergo illum dimittam.

17. Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum, unum,

18. Exclamavit autem ſimul univerſa turba, dicens: [r] Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.

19. Qui erat propter ſeditionem quamdam factam in civitate & homicidium, miſſus in carcerem.

Judæis tamen pertinaciter inſtantibus adjudicatur morti.

20. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Jeſum.

21. At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

22. Ille autem [ſ] tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.

23. At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes ut crucifigeretur: & invaleſcebant voces eorum.

24. Et Pilatus [t] adjudicavit fieri petitionem eorum.

25. Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant: Jeſum verò tradidit [u] voluntati eorum.

Docet ad ſupplicium vetat mulieres ſuper ſe flere, ſed magis ſuper excidio futuro Jeruſalem.

26. Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem, venientem de [x] villa: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum.

quo ſeceſſerunt ſacerdotes & Scribæ, uſque dum mane fieret, &c. *Illum*, Jeſum.

66. [a] *Convenerunt, &c.* jam habitus fuerat alius conventus ſtatim poſt captivam Jeſu, unde veriſimile apparet Jeſum à ſynedrio relictum tempore noctis inter manus militum qui illuſerunt ei totâ nocte, & ſupra. Deinde ſummo diluculo redierunt pontifices, &c.

68. [b] *Interrogavero*, de his, per quæ in ſcripturis me Chriſtum eſſe cognoſcere deberes. Hebraiſmus eſt, legero vobiſcum, conferam, &c. vel, gratiam petam. Hoc enim ſignificat verbum *ἐρωτᾶν*, quo Lucas utitur. Vultis omnino me perdere, unde inutile eſt colloqui vobiſcum.

69. [c] *Ex hoc*, Syr. Perſ. Æth. *ab hoc tempore. A dextris virtutis Dei*, à dextris Dei omnipotentis.

1. [d] *Omnis multitudo*, totum ſynhedrium.

2. [e] *Chriſtum*, Syr. *Meſſiam. Regem*, Æth. *regem Iſraëlis*, ſe, non Cæſarem, regem eſſe Judæorum.

3. [f] *Rex*, ille à Judæis expectatus: propter articulum græcum. *Tu dicis*, ſubaudiendum *ego ſum*.

4. [g] *Cauſa*, Æth. *criminis. In homine*, Syr. Arab. *adverſus hominem*.

5. [h] *Galilæa*, Galilæam nominant, ut ſeditionis ſuſpicionem ingererent, quia inde Judas & alii ſeditioſi de quibus ſupra c. 7.

7. [i] *Herodis* Antipæ, filii magni Herodis. *Erat*, propter Paſchalem ſolemnitatem.

8. [k] *Signum*, miraculum.

10. [l] *Conſtanter*, Syr. *pertinaciter*.

11. [m] *Cum exercitu ſuo*, Perſ. *&* *aſſeclis ejus. Illuſit indutum*, Syr. *quumque illuſiſſet ei, induit eum*.

12. [n] *Antea inimici*, propter litteras quas Herodes & primores Judæorum ſcripſerant Tiberio adverſus Pilatum, eo quòd ſcuta aurea Tiberio conſecrata, & vexilla ejus imagine inſignita intuliſſet in Jeruſalem duobus annis antea: quibus litteris acceptis, iratus imperator in Pilatum juſſit illi, ut ea omnia transferri curaret Cæſaream, & in templo Cæſari Auguſto dedicato poneret.

14. [o] *Avertentem*, à veſtra lege & obedientia Cæſaris. *Cauſam*, Æth. *nihil iniquitatis*, crimen.

15. [p] *Nihil dignum morte actum eſt ei*, Arab. *non eſt illi facinus ob quod mereatur mortem.* Nihil ab Herode factum eſt, quo ſignificaverit eum eſſe morte dignum.

16. [q] *Emendatum* Æth. *flagellabo.* Pro his quæ inſipienter potius quam maligne egit. Mos enim erat Romanorum, flagellis cædere in pœnam criminum non capitalium. Non ergo agebatur de flagellatione ad crucifixionem præparatoria.

18. [r] *Tolle* è medio, interfice.

22. [ſ] *Tertiò*, ex quo ab Herode reductus. *Corripiam*, Æth. *flagellabo.*

24. [t] *Adjudicavit*, Syr. Perſ. *juſſit.*

25. [u] *Voluntati*, Arab. *prout voluerint.*

26. [x] *Villa*. Arab. Perſ. *agro*, Æth. *rure. Poſt Jeſum*, non quòd illam portaverit ſimul cum Jeſu; ſed illam Jeſu privatam dat, cumque amplius ferre non poſſet, coëgerunt hominem illum, &c.

Digitized by Google



Luc. XXIII. v.

Ὁ Χριςὸς ἀναπεμφθεὶς τῷ Πιλάτῳ.
Christ sent back to Pilate.
Chriſtus zum Pilatus zurück geſchickt.

CHRISTUS AD PILATUM REMISSUS.
Jesus-Christ renvoyé à Pilate.
Christus te rug gezonden aen Pilatus.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



CHRISTUS IN CRUCE.
Jesus - Christ crucifié.
Christus aan 't Kruis.

Folkema sculps.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

27. Sequebatur autem illum [a] multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabaotur eum.

28. Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſupet filios veſtros.

29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos.

31. [b] Quia ſi io viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Crucifigentur cum illo duo latrones.

32. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33. Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, unum a dextris, & alterum à ſiniſtris.

Patrem orat pro crucifigentibus irridetur a populo, ſacerdotibus, & militibus.

34. Jeſus autem dicebat: Pater dimitte illis: non enim ſeiunt quid faciunt. [c] Dividentes verò veſtimenta ejus, miſerunt ſortes.

35. Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum principes cum [d] eis, dicentes: Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.

36. Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei,

36. Et dicentes: Si tu es [e] rex Judæorum, ſalvum te fac.

Deſcribitur ſuperſcriptio crucis. Blaſphematur ab uno latronum, alteri verò ſupplicanti promittit ſui in paradiſo conſortium.

38. Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris græcis, & latinis, & hebraicis: Hic eſt rex Judæorum.

39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus: blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos.

40. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu [f] times Deum, quod in eadem damnatione es.

41. Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.

42. Et [g] dicebat ad Jeſum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

43. Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in [h] paradiſo.

Poſt multa ſigna moritur.

44. Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, uſque in horam nonam.

45. Et obſcuratus eſt ſol: & velum templi ſciſſum eſt medium.

46. Et clamans voce magnâ Jeſus ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, & hæc dicens, expiravit.

A centurione juſtus dicitur, turba circumſtans mœrens revertitur, noti ejus, &c. a longe hæc omnia ſpectant.

47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo juſtus erat.

48. Et [i] omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.

49. Stabant autem [k] omnes noti ejus à longe, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

A Joſeph corpus ejus ſepelitur.

50. Et ecce vir nomine Joſeph, qui erat [l] Decurio, vir bonus & juſtus:

51. Hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei.

52. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu:

53. Et depoſitum involvit ſindone, & poſuit eum in monumento exciſo, [m] in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.

54. Et dies erat paraſceves, & [n] ſabbatum illuceſcebat.

Quod videntes mulieres quæ Jeſu adhærebant, parant aromata ad condiendum illud.

55. Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus ejus.

56. Et [o] revertentes paraverunt aromata & unguenta: & ſabbato quidem ſiluerunt ſecundùm mandatum.

CAPUT XXIV.

Mulieribus ad Chriſti monumentum conſternatis, quòd ejus corpus non invenirent, angeli ipſum reſurrexiſſe nuntiant.

1. [p] UNa autem ſabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata:

2. Et invenerunt lapidem revolutum à [q] monumento.

3. Et ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Jeſu.

4. Et factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti.

5. Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem [r] cum mortuis?

6. Non eſt hic, ſed ſurrexit: recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet,

7. Dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi & die tertiâ reſurgere.

8. Et recordatæ ſunt verborum ejus.

Illæ nuntiant Apoſtolis, qui id tanquam deliramentum accipiunt. Petrus verò ad monu-

9. Et regreſſæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus.

10. Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria [s] Jacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc.

27. [a] *Multa turba mulierum*, veriſimile eſt quòd de more eſſet, ut mulieres comitarentur cum planctu morti addictos.

31. [b] *Quia ſi in viridi*, &c. proverbialis eſt locutio. Si in me, qui velut arbor virens & fœcunda, tam dira perpetrantur, quid æquum eſt fieri in gentem iſtam Judaicam, quæ propter impietatem velut arbor arida, ignis pabulum eſſe debet. Apud Judæos boni comparantur viridi ligno, mali vero arido, vide Ezech. c. 20. v. 47. & 21. v. 3.

34. [c] *Dividentes*, milites ſcilicet, ut patet ex Joanne.

35. [d] *Eis*, populo. *Chriſtus*, Syr. *Meſſia*.

37. [e] *Rex*, Syr. *rex ille*.

40. [f] *Times Deum*, non times Deum ultorem convitiantium, tu qui in eodem genere ſupplicii, morti proximus es. Utendo hac voce *Deum*, ad Chriſtum jam ut Deum cognitum ut Meſſiam reſpicere potuit.

42. [g] *Dicebat ad Jeſum*, &c. credidit latro Chriſtum eſſe regem, Meſſiam in lege promiſſum.

43. [h] *Paradiſo*, in ſtatu beatitudinis in quo ſunt animæ beatorum.

48. [i] *Omnis*, non abſolute ſed plerique.

49. [k] *Omnes*, qui aderant. *Noti*, non de Apoſtolis exponendum, ſolus enim Joannes aderat.

50. [l] *Decurio*, Syr. *Senator*. Qui Romæ Senatores, in municipiis Decuriones. Membrum Sanhedrin dicunt quidam.

53. [m] *In quo nondum*, &c. ne quis poſtea alium, non autem Jeſum, reſurrexiſſe calumniaretur.

54. [n] *Sabbatum illuceſcebat*, Syr. *ſabbatum poſt illuceſcebat*. Arab. *cujus mane erat ſabbatum*, Perſ. *ſabbatum inibat*. Incipiebat enim ſabbatum poſt ſolis occaſum.

56. [o] *Revertentes*, dictum eſt per anticipationem. *Siluerunt*, Syr. Æth. Perſ. *quieverunt*. Arab. *continuerunt ſe*.

1. [p] *Una ſabbati*, Syr. *primo hebdomadis*.

2. [q] *Monumento*, oſtio monumenti.

5. [r] *Cum mortuis*. Perſ. *inter mortuos*.

10. [s] *Jacobi*, mater, vide c. 27. Matthæi.

Digitized by Google

mentum currens ſola linteamina reperit.

11. Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum, verba iſta: & non crediderunt illis.

12. Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum: & [a] procumbens vidit linteamina ſola poſita, & abiit ſecum mirans quod factum fuerat.

Deſcribitur apparitio Chriſti diſcipulis in Emmaum euntibus.

13. Et ecce duo ex [b] illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, nomine Emmaüs.

14. Et ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.

15. Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent: & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis:

16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoſcerent.

17. Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?

18. Et reſpondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: [c] Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa his diebus?

19. Quibus ille dixit: Quæ? & dixerunt: De Jeſu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populo:

20. Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

21. Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet [d] redempturus Iſraël: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quod hæc facta ſunt.

22. Sed & mulieres quædam ex noſtris [e] terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

23. Et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes: Se etiam viſionem angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere.

24. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt [f] ſicut mulieres dixerunt: ipſum verò non invenerunt.

25. Et ipſe dixit ad eos: O [g] ſtulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ!

26. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?

27. Et incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis, [h] interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.

28. Et appropinquaverunt caſtello quò ibant: & ipſe ſe finxit longiùs ire.

29. Et coëgerunt illum dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. Et intravit cum illis.

30. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & [i] benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

31. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum.

32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor noſtrum [k] ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?

Jeruſalem revertuntur, nunciatum hoc Apoſtolis.

33. Et ſurgentes eâdem horâ regreſſi ſunt in Jeruſalem: & invenerunt congregatos [l] undecim, & eos qui cum illis erant.

34. Dicentes: Quod ſurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.

35. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

Apparet Chriſtus Apoſtolis, & Diſcipulis quibus cum edit & bibit, atque de ſe in ſcripturis ſcripta interpretatur.

36. Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Jeſus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere.

37. Conturbati verò, & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre.

38. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?

39. Videte [m] manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

40. Et cùm hoc dixiſſet, [n] oſtendit eis manus & pedes.

41. Adhuc autem illis [o] non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur.

42. At illi obtulerunt ei partem piſcis, aſſi, & [p] favum mellis.

43. Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis.

44. Et dixit ad eos: [q] Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.

45. Tunc aperuit illis [r] ſenſum ut intelligerent ſcripturas.

46. Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die:

47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma.

48. Vos autem teſtes eſtis [ſ] horum.

Promiſſo Spiritu ſancto in cœlum aſcendit.

49. Et ego [t] mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto.

12. [a] *Procumbens*, Syr. *introſpiciens*, ad inſpiciendum ſe inclinans.

13. [b] *Illis*, de quibus v. 9. *Caſtellum*, Syr. Perſ. *pagum*. Æth. *vicum*. *Erat in ſpatio*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *diſtantem*. *Stadiorum ſexaginta*, duarum leucarum cum dimidia.

18. [c] *Tu ſolus peregrinus*, Perſ. *nunquid tu ab Hieroſolyma peregrinus es, ut quod ignores.*

21. [d] *Redempturus* à jugo Gentilium & Romanorum; nondum enim amplius ſapiebant.

22. [e] *Terruerunt*, Syr. Arab. Æth. *obſtupefecerunt*. Attonitos reddidere.

24. [f] *Sicut mulieres dixerunt*, quòd monumentum apertum eſſet & vacuum.

25. [g] *Stulti*, Syr. *expertes rationis*, Arab. *ô quorum capta mentes*, Perſ. *parum intelligentes*. *Credendum in omnibus*, credendum omnibus.

27. [h] *Interpretabatur*, &c. ordo ſic eſt, interpretabatur illis, quæ de ipſo erant in omnibus ſcripturis.

30. [i] *Benedixit*, Syr. *ſuper hanc beneficentiam Dei invocavit.*

32. [k] *Ardens*, ardebat affectu. *Aperiret*, exponeret.

33. [l] *Undecim*, Synecdochice, quia collegium erat undecim Apoſtolorum: Thomas enim aberat.

39. [m] *Manus & pedes*, ſervantes clavorum veſtigia: non enim eſt alia ratio, cur potius manus & pedes quam cæteras corporis partes oſtenderet.

40. [n] *Oſtendit*, contrectandas præbuit.

41. [o] *Non credentibus præ gaudio*, nam quæ multum læta vix creduntur.

42. [p] *Favum*, Syr. *ex favo*.

44. [q] *Hæc ſunt verba* hæc quæ contigerunt, ſunt ipſiſſima illa quæ diu vobis prædixi. *Quoniam neceſſe eſt*, Syr. *oportere*.

45. [r] *Senſum*, Syr. *mentem*.

48. [ſ] *Horum*, vitæ, prædicationis, paſſionis, & reſurrectionis.

49. [t] *Mitto*: Syr. Arab. Æth. Perſ. *mittam*. *Sedete*, Syr. *expectate*, Æth. *manete*. Conſtat non ante diem aſcenſionis hoc dictum fuiſſe, ante enim liberum eis fuerat abire in Galilæam, aliòque quo vellent.

Digitized by Google



Luc. XXIV.

Διάλογος Εμμαυντκός.
Christ talketh with two Disciples going to Emmaus.
Christi unterredung mit den Jüngern auf dem wege nach Emmaus.

COLLOQUIUM EMMAUNTICUM.
Conversation en allant à Emmaus.
Christus by de leerlingen op den wegh naer Emmaus.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

50. [a] Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus ſuis benedixit eis.

51. Et factum eſt, dum [b] benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum.

52. Et ipſi [c] adorantes, regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno.

53. Et [d] erant ſemper in templo, laudantes, & benedicentes Deum. Amen.

IN EVANGELIUM JOANNIS.

SCripſit illud Joannes poſt mortem aliorum Evangeliſtarum, & adimplevit quæcumque ab aliis prætermiſſa fuerant, & quæ ſuccinctiùs dicta. Scripſit illud rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, occaſione Hæreſeon Marcionis, Cerinthi, & Hebionis, qui divinitatem Chriſti impugnabant, quam ipſe adversùs illos aſſerit.

Sermone Græco ſcripſit, ſed qui plane adumbratus eſſet Syriaco illius ſæculi. Quo tempore verò & quo loco ſcripſerit, variæ ſunt interpretum ſententiæ.

CAPUT I.

Agit de Verbo æterno.

1. [e] IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

2. Hoc erat in principio apud Deum.

3. [f] Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt,

4. [g] In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum:

5. Et [h] lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Agit de Joanne Baptiſta.

6. [i] Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Joannes.

7. Hic venit in teſtimonium, ut [k] teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

8. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.

9. Erat [l] lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Rurſum agit de Verbo & ejus incarnatione.

10. [m] In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.

11. [n] In propria venit, & ſui eum non receperunt.

12. Quotquot autem receperunt eum, [o] dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus:

13. Qui non ex [p] ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

14. Et Verbum [q] caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

15. Joannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui poſt me venturus eſt, [r] ante me factus eſt: quia prior me erat. Agit adhuc de Joanne, cujus multa divinitatis Chriſti teſtimonia referuntur.

16. [ſ] Et de plenitudine ejus nos omnes acce-

50. [a] *Eduxit*, quadrageſimo die, jungit enim Lucas ea quæ primo die & ultimo geſta ſunt.

51. [b] *Benediceret*, benedictionem abſolviſſet.

52. [c] *Adorantes*. Syr. Arab. Perſ. Æth. *adoraverunt eum*.

53. [d] *Erant ſemper*, poſt acceptum Spiritum ſanctum.

1. [e] *In principio erat*, ergo nullum tempus inventum eſt quo non erat. Unde æternitas Verbi probatur, &c. *Deus erat verbum*, ordo, Verbum erat Deus, ut infrà cap. 4. *Spiritus eſt Deus*.

3. [f] *Omnia*, quæ facta ſunt. *Quod factum eſt*, Syr. *quidquid fuit*.

4. [g] *In ipſo vita erat*, ipſemet erat vita, & vita illa divina, ſapientia, idemque verbum. *Erat lux hominum*, quia ad imaginem Dei facti, rationalem habent mentem quâ poſſunt videre ſapientiam Dei, æternamque veritatem.

5. [h] *Lux*, illa æternæ veritatis & ſapientiæ. *In tenebris*, inter homines qui ſeipſos reddiderunt tenebras. *Comprehenderunt*, apprehenderunt, perceperunt. Quod non de omnibus, quidam enim lucem receperunt, non agnoverunt divinitatem Verbi velatam infirmitate carnis, aut lucem & veritatem reſpuerunt. Et cùm tenebræ non comprehenderint, *Fuit homo*, *&c.*

6. [i] *Fuit*, extitit. Non enim jungendum cum *miſſus*.

7. [k] *Teſtimonium*, venit ut præco ad annuntiandam veram lucem. *Omnes crederent*, primò Judæi ac per Judæos omnes Gentes. *Per illum*, Joannem ſcilicet, non enim creditur per Chriſtum, ſed in Chriſtum.

9. [l] *Lux*. Illa, de qua ſcilicet Joannes teſtatum miſſus erat. *Omnem hominem*, humanum genus. Quia ab eo illuminantur quotquot illuminantur.

10. [m] *In mundo erat*, ut Deus ubique præſens & mundum continens. *Mundus eum non cognovit*, nam ante incarnationem non niſi paucis cognitum fuit, & id quidem per revelationem.

11. [n] *In propria venit*, in mundum à ſe factum & præcipuè in Judæos carne cognatos venit.

12. [o] *Dedit eis poteſtatem*, dedit eis jus, autoritatem, hancque dignitatem ut ſint filii Dei.

13. [p] *Sanguinibus*, ſeminibus maris ac fœminæ, vel, genere Abraham. *Voluntate carnis*, Arab. *appetitu carnis*, Æth. *concupiſcentiâ & voluntate carnali*. Animæ carnali, ut in matrimonio. *Voluntate viri*, eos geminus dicit qui non naturali ſexuum commiſtione, de qua actum eſt, ſed adoptione, aut inſtitutione fiunt hominis alicujus filii, ut Ephraim & Manaſſes a Jacob adopti. *Ex Deo*, ſolâ voluntate & miſericordia Dei.

14. [q] *Caro*. Arab. *corpus*. Perſ. *ſermo incarnatus eſt*. Homo, totum pro parte. Dixit *caro* non homo, ne intelligeretur Verbum aſſumpſiſſe perſonam hominis. *In nobis*, Perſ. *inter*, Æth. *apud nos*. *Quaſi unigeniti*, talem gloriam qualem parentes dare ſolent filiis unicis. *Plenum*, Arab. *plena*, Perſ. *qui plenus eſt*. *Plenum*, refertur ad *Verbum*. *Gratia*, miſericordiæ, beneficentiæ, ad ſananda vulnera & diſtribuenda dona. *Veritatis*, fidelitatis in promiſſis, ut infrà, *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. *Veritatis*, ad depellendas tenebras, &c. Vel quia complevit figuras, præcepta & promiſſa legis; aut, quia cultum Dei qui olim totus exterior erat, fixit in corde, quod eſt veritatis ſedes.

15. [r] *Ante*, non ad tempus, ſed ad dignitatem pertinet. *Prior*, æternitate. Dignitate præſtantior.

16. [ſ] *Et de plenitudine*, *&c.* verba eſſe Evangeliſtæ dicunt interpretes. *Gratiam pro gratia*, gratiam novi teſtamenti pro gratia veteris. Vel, nos gratiam accepimus, fidem, remiſſionem peccatorum, &c. propter gratiam verbi caro facti. Vel, alii unam gratiam, alii alteram.

Digitized by Google

pimus, & gratiam pro gratia.

17. Quia lex per Moyſen data eſt, [a] gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.

18. [b] Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.

19. Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt [c] Judæi ab Jeroſolymis ſacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et [d] confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. [e] Propheta es tu? Et reſpondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? Quid dicis de te ipſo?

23. Ait: Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini, [f] ſicut dixit Iſaias propheta.

24. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.

25. Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: [g] Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?

26. Reſpondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: [h] medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.

27. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui [i] ante me factus eſt: cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.

28. Hæc in [k] Bethania facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

29. [l] Alterâ die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30. Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.

31. Et ego [m] neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans.

32. Et teſtimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.

33. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.

34. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui quia hic eſt Filius Dei.

35. Alterâ die iterùm ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo.

36. Et reſpiciens Jeſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.

37. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & [n] ſecuti ſunt Jeſum.

Sequitur Jeſum Andreas, & adducit ad ipſum Simonem fratrem ſuum, quem Jeſus Petrum nominat.

38. Converſus autem Jeſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi [quod dicitur interpretatum Magiſter] ubi habitas?

39. Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi [o] decima.

40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Joanne, & ſecuti fuerant eum.

41. Invenit hic primùm fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Invenimus Meſſiam, [quod eſt interpretatum Chriſtus.]

42. Et adduxit eum ad Jeſum, intuitus autem eum Jeſus, dixit: Tu es Simon, filius Jona: tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus.

43. In craſtinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei Jeſus: Sequere me.

Philippus à Jeſu vocatus adducit etiam Nathanaël, qui cum Jeſu ſermonem habet.

44. Erat autem Philippus à Bethſaïda, [p] civitate Andreæ & Petri.

45. Invenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph à Nazareth.

46. Et dixit ei Nathanaël: [q] A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

47. Vidit Jeſus Nathanaël venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce [r] verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.

48. Dicit ei Nathanaël: Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Prius quàm te Philippus vocaret, [ſ] cùm eſſes ſub ficu, vidi te.

49. Reſpondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, [t] tu es Filius Dei, tu es rex Iſraël.

50. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quia dixi

17. [a] *Gratia*, quia novum Teſtamentum dat remiſſionem peccatorum, filiorum adoptionem, &c. quæ lex Moſaica non dabat. *Veritas*, quia quæcumque olim figurata ſunt per umbras & cæremonias legis, &c. impleta ſunt novi Teſtamenti tempore.

18. [b] *Deum nemo vidit*, hoc ſimpliciter intelligitur de viſione comprehenſiva, aut de viſione corporali. ſed ut hæc ad præcedentia referri poſſint, ſenſus eſt. Multa de Deo, ut quod ſit in Spiritu adorandus. &c. de regno cœlorum, de vita æterna, de nativitate Chriſti, proceſſione Spiritus ſancti. non fuerunt plene revelata ante Chriſti tempora, ſoluſque Chriſtus poterat illa nobis enarrare. *Enarravit*, Syr. *annunciavit*. Hæc dicuntur ut probet excellentiam Chriſti ſupra Moyſen, cùm Jeſus & gratiæ ſit autor, & Deum clare videat. & ſit in ſinu Patris. Unde verba ſic transponi poſſunt. unigenitus filius qui enarravit nobis, ipſe eſt in ſinu Patris, id eſt, Patri intime conjunctus.

19. [c] *Judæi*, conſilium ſupremum, Sanedrin dictum, cujus erat de novis doctrinis & prophetis judicare. *Quis es*, officio, munere. Ex reſponſione Joannis patet quod petierunt utrùm eſſet Meſſias, &c.

20. [d] *Confeſſus eſt & non negavit*. plane, diſerte, & aperte confeſſus eſt.

21. [e] *Propheta es tu*, unuſne ex antiquis prophetis? de Chriſto enim tale judicium tulerunt Judæi. ut videre eſt Lucæ cap. 9. ex reſponſione Petri. *Reſpondit: Non*, non erat propheta. quia officium prophetarum erat futura prædicere: Joannes verò Chriſtum non futurum, ſed præſentem oſtendebat.

23. [f] *Sicut dixit*, de me prædixit.

25. [g] *Quid ergo baptizas?* quâ autoritate polles ut baptiſmum inſtituas, non à lege, nec a traditione præſcriptum.

26. [h] *Medius autem veſtrûm*, Syr. Perſ. *inter vos. Stetit*, ſtat. Vir agens ſicut alii homines officia vitæ civilis. &c.

27. [i] *Ante me factus eſt*, vide verſ. 15.

28. [k] *Bethania*. aliter Bethabora, ſita in tribu Ruben.

29. [l] *Altera*, poſt legationem Judæorum & reſponſum Joannis. *Agnus*, immaculata hoſtia per Agnum Paſchalem præfigurata. *Dei*, Deo per mortem offerendus.

31. [m] *Neſciebam*. facie non noveram eum in deſerto degens. Hoc dicit ne teſtimonium ſuum tribuatur cognationi, familiaritati, &c. *Ut manifeſtetur*, *&c.* me baptizante concurrunt populi, & cùm congregantur, manifeſtatur eis Chriſtus, qui à me præſens monſtratur.

37. [n] *Secuti ſunt*, non ut diſcipuli, quod poſteà fecerunt, ſed præ curioſitate cognoſcendi, quiſnam eſſet vir ille de quo tanta audiebant.

39. [o] *Decima*, ab ortu ſolis, duabus ſcilicet horis ante ſolis occaſum.

45. [p] *Invenimus Jeſum*, Arab. *ipſeque eſt Jeſus. A Nazareth*, ſecundùm vulgi opinionem.

46. [q] *A Nazareth*, *&c.* quia juxta Phariſæorum opinionem à Galilæa nullus propheta ſurgere poterat, & quia Scripturæ orturum illum ex Bethleem dicebant.

47. [r] *Verè Iſraëlita*, morum ſimplicitate & innocentia patriarcham Jacob referens.

48. [ſ] *Cum eſſes ſub ficu*, ubi à nemine videri putabas, unde eum Philippus ſolus, nemine conſcio vocaverat.

49. [t] *Tu es Filius Dei*, quòd exponunt multi interpretes de filiatione adoptiva, eaque præ cæteris excellentiore: cum Trinitas Perſonarum Divinarum non eſſet niſi paucis Judæis cognita, & confeſſio divinitatis Chriſti Petro reſervata foret. Alii tamen de divinitate Chriſti exponunt.

tibi:

Digitized by Google

Digitized by Google



II. 1.

NUPTIAE CANAE IN GALILEA.

La Noce de Cana en Galilée

De Bruiloft te Cana in Galileen.

Folkema sculp.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Joann. II. 14.

Ἰησοῦς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐκβάλλει.
Jesus drives the buyers and sellers out of the temple.
Jeſus treibet die Käuffer und Verkäuffer auſs dem Tempel.

EMTORES ET VENDITORES E TEMPLO DEPULSI.
Jesus met hors du Temple les vendeurs et les acheteurs.
Koopers en verkoopers uit den Tempel gedreven.

NAPOLI



Joan. III.

Νικοδήμου ὁμιλία μετὰ Χριςοῦ.

Nicodemus' with Christ

Nicodemus kommt zu Chriſto.

NICODEMUS APUD CHRISTUM.

Conversation de Nicodeme avec Jesus-Christ.

Nikodemus by Christus.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

tibi: Vidi te ſub ficu, credis: majus his videbis.

51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum: & Angelos Dei [a] aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis.

CAPUT II.

Jeſus invitatus ad nuptias, aquam in vinum convertit.

1. ET die [b] tertiâ nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi.

2. Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.

4. Et dicit ei Jeſus: [c] Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.

5. Dicit mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ [d] ſecundùm purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.

7. Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas uſque ad ſummum.

8. Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc, & ferte [e] architriclino. Et tulerunt.

9. Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus,

10. Et dicit ei: Omnis homo [f] primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.

11. [g] Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.

12. Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater ejus, & [h] fratres ejus, & diſcipuli ejus, & ibi manſerunt non multis diebus.

Capharnaum veniens Jeruſalem ejicit de templo negotiatores.

13. Et prope erat [i] Paſcha Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam:

14. Et invenit in [k] templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & numularios ſedentes.

15. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, [l] omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.

16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

17. Recordati ſunt verò diſcipuli ejus quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.

18. Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: [m] Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?

Reſpondet Judæis interrogantibus quâ poteſtate hæc faciat.

19. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: [n] Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

20. Dixerunt ergo Judæi: [o] Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

21. Ille autem dicebat [p] de templo corporis ſui.

22. Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Jeſus.

23. Cùm autem eſſet Jeroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt [q] in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat.

Multi propter ſigna credunt in eum quibus ipſe non confidit.

24. Ipſe autem Jeſus non [r] credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes,

25. Et quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

CAPUT III.

Nicodemum docet de renaſcendo ex aqua & Spiritu.

1. ERat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, [ſ] princeps Judæorum.

2. Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo [t] veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.

3. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre [u] regnum Dei.

4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid po-

51. [a] *Aſcendentes & deſcendentes*, alludit ad viſionem Jacob euntis in Meſopotamiam, &c. Inſervientes, miniſteria commiſſa exequentes; nam ejus nativitatem paſtoribus Angeli nuntiarunt; Joſeph monuerunt ut fugeret in Ægyptum cum puero; poſt jejunium Chriſto miniſtrarunt; reſurrectionem ejus nuntiarunt, & quod Nathanaël videre potuit; poſt Aſcenſionem duo Angeli viſi ſunt diſcipulis, quos de judicio ultimo & de reditu Chriſti certiores fecerunt. *Suprà*, Syr. Arab. Æth. *ad.*

1. [b] *Tertia*, à relicto Jordane & Bethabara.

4. [c] *Quid mihi & tibi eſt mulier*, quid hoc ad me & te intereſt? Arguere & increpare videtur, quaſi ex imperio materno miraculum exigeret; & hoc non propter matrem dicit, ſed propter diſcipulos, ne crederent quòd ex illa haberet poteſtatem miraculorum. *Nondum venit hora mea*, nondum à Patre venit hora manifeſtandi gloriam meam: nec enim debebat miracula facere niſi in principio miſſionis ſuæ & quum prædicare inciperet: mox tamen miraculum facit, ſed idem eſt ac ſi diceret, non à matre, ſed à patre talis hora definienda eſt: deinde ut miraculum clarius fieret, debebat vini inopia convivis eſſe manifeſta.

6. [d] *Secundùm*, Syr. Arab. *ad.*

8. [e] *Architriclino*, unus erat ex amicis ſponſi, qui convivii curam gerebat.

10. [f] *Primùm*, Syr. Arab. Perſ. *priùs. Inebriati*, non in malam partem accipiendum.

11. [g] *Hoc fecit initium ſignorum*, hoc initium ſignorum fecit. *Crediderunt*, firmius.

12. [h] *Fratres*, cognati: uſitato more loquendi ſacræ Scripturæ, cujus multa ſunt exempla.

13. [i] *Paſcha*, primum à baptiſmo, primo anno prædicationis.

14. [k] *Templo*, templi atrio. *Numularios*, qui pecunias commutabant, & mutuabant. *Sedentes*, ad menſas.

15. [l] *Omnes* referendum ad *oves, & boves*: græcè enim non eſt. *Oves quoque & boves*, ſed oveſque & boves.

18. [m] *Quod ſignum, &c.* quo miraculo oſtendis hanc autoritatem tibi competere.

19. [n] *Solvite*, non eſt præceptum, ſed ſuppoſitio rei faciendæ. *In tribus diebus*, Æth. *tertio die*, dat ænigmaticè ſignum futuræ reſurrectionis ſuæ.

20. [o] *Quadraginta & ſex annis*, agitur hîc de reſtauratione templi facta ab Herode Aſcalonita, qui anno regni ſui decimo octavo, (alii dicunt vigeſimo, aut etiam vigeſimo quarto) qui erat annus Julianus vigeſimus ſeptimus, illud conſtruere cœpit; abſolvit autem magnam exterioris templi partem annis octo, ſed reliqua ſtructura duravit uſque ad tempora Neronis. Computando igitur à vigeſimo ſeptimo anno Juliano uſque ad decimum quintum Tiberii, quo Chriſtus baptizatus eſt, & hæc acta ſunt, incidemus in ſeptuageſimum tertium Julianum, quod conſtituit præciſe, quadraginta ſex annos.

21. [p] *De templo corporis*, de templo quod eſt corpus ſuum.

23. [q] *In nomine ejus*, in eum.

24. [r] *Credebat ſemetipſum*, Arab. Æth. *fidebat eis.* Docebat eos myſteria regni ſui.

1. [ſ] *Princeps*, Perſ. *gubernator.* Unus è primoribus, vel magiſtratibus, fortè è Sanedrin.

2. [t] *Veniſti Magiſter*, ut ſis magiſter, doctor, &c.

3. [u] *Regnum Dei*: veriſimile eſt Nicodemum interrogaſſe de regno Dei, &c.

teſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?

5. Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

6. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, [a] ſpiritus eſt.

7. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuò.

8. [b] Spiritus ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.

9. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?

10. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Tu es [c] magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?

11. Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non [d] accipitis.

12. Si [e] terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?

13. Et nemo [f] aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.

De ſui inſtar ænei ſerpentis exaltatione.

14. Et ſicut Moyſes [g] exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis;

15. Ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Deus Filium ſuum miſit ad ſalvandum mundum.

16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

17. Non enim [h] miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.

Agit de fide in ſe Filium Dei.

18. Qui [i] credit in eum non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

19. Hoc eſt autem [k] judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.

20. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non [l] arguantur opera ejus.

21. Qui autem facit [m] veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.

Ortâ quæſtione de dignitate baptiſmatum Chriſti aut Joannis, Chriſtum diſcipulis ſuis Joannes multis verbis commendat.

22. Poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus, in terram Judæam: & illic demorabatur cum eis, & [n] baptizabat.

23. Erat autem & Joannes baptizans [o] in Ænnon juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.

24. Nondum enim miſſus fuerat Joannes in carcerem.

25. Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Joannis cum Judæis [p] de purificatione.

26. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu [q] teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.

27. Reſpondit Joannes, & dixit: Non poteſt homo [r] accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo.

28. Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim: Non ſum ego Chriſtus: ſed quia miſſus ſum ante illum.

29. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, [ſ] gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.

30. Illum oportet [t] creſcere, me autem minui.

31. Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & [u] de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt.

32. Et quod vidit, & audivit, hoc teſtatur: & teſtimonium ejus [x] nemo accipit.

33. Qui accepit ejus teſtimonium, [y] ſignavit quia Deus verax eſt.

34. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſuram [z] dat Deus ſpiritum.

35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.

36. Qui credit in Filium, [aa] habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

6. [a] *Spiritus eſt*, accipit eſſe ſpirituale, fit ſpiritualis.

8. [b] *Spiritus ubi vult ſpirat*, ſive de vento, ſive de Spiritu ſancto intelligatur. ſenſus eſt, Spiritum ſanctum regenerare quos voluerit, & myſterium regenerationis ſpiritualis eſſe quid occultum. *Vocem ejus audis*, effectus venti ſunt ſenſibiles, licèt ventus ſit inviſibilis: ſic & Spiritus ſanctus, &c. *Neſcis unde veniat, aut quò vadat*, interiorem acceſſum receſſumque Spiritus. ſic in anima non percipiuntur, nec videntur principium & finis ſive terminus operationum Spiritus ſancti.

10. [c] *Magiſter*, Syr. *doctor*. Arguit Jeſus quòd ignoraret quæ erant de aqua mundante, & Spiritu ſanctificante multis in locis veteris teſtamenti dicta.

11. [d] *Accipitis*, vos Judæi.

12. [e] *Terrena*, &c. ſi tam multa quæ per parabolas de terra ſumptas prædicavi, non capitis, &c.

13. [f] *Aſcendit*, præteritum eſt. nemo quæ Dei ſunt tam perfectè contemplatus eſt, cùm enim ſit è cœlo, quæ dicit de cœleſtibus credenda ſunt ut dicta ab oculato teſte. *Deſcendit*, aſſumendo naturam humanam in unitate perſonæ. *Filius hominis*, qui exiſtens ſimul Deus & homo non deſeruit cœlum, &c.

14. [g] *Exaltavit*, Æth. *ſuſpendit*. *Exaltari*, Æth. *ſuſpendere* In loco alto poſuit & erexit. Hæc dicit ut oſtendat crucem & mortem Chriſti autorem eſſe gratiæ nobis per baptiſmum datæ.

17. [h] *Miſit*. ſermo eſt de primo adventu. *Judicet*, Syr. *condemnet*. Idem verſ. 18. & 19.

18. [i] *Credit*, fide perſeverante & per dilectionem operante. *Judicatus*, quia hæc ſola fides juſtificat: omnis enim homo naſcitur per peccatum condemnatus. *Quia*, quod. *In nomine Unigeniti*, in Unigenito.

19. [k] *Judicium*, condemnationis cauſa.

20. [l] *Arguantur opera*, Æth. *revelatur opus*.

21. [m] *Veritatem*, Perſ. *rectum*. *In Deo*, Æth. *propter Deum*, per Deum.

22. [n] *Baptizabat*, baptizavit prius diſcipulos ſuos, per quos poſteà baptizavit alios homines, & ſic conciliantur hoc caput & ſequens.

23. [o] *In Ænnon*, Arab. *in fonte Nun*, Perſ. *in fonte Jon*. *Salem*, aliter Salem Sichimorum oppidum, Gen. cap. 33. prope Sichem.

25. [p] *De purificatione*, diſcipuli Joannis cœperunt diſceptare cum Judæis ad baptiſmum Chriſti confluentibus, uter eſſet præſtantior a & utrum purificationes Phariſæorum præcellerent baptiſmum Joannis.

26. [q] *Teſtimonium perhibuiſti*, quaſi dicerent, quem tu ipſe cùm ignoratus eſſet celebrem reddidiſti.

27. [r] *Accipere*, Arab. *arrogare*. Quibus verbis indicat non poſſe arrogare ſibi id quod è cœlo datum non eſt, ut præponat ſe Chriſto.

29. [ſ] *Gaudio gaudet propter vocem ſponſi*, quòd audiat ſponſum cum ſponſa loquentem, &c. *Sponſa*, ſunt populi. *Sponſus*, Jeſus Chriſtus. *Amicus ſponſi*, Joannes, cujus officium erat populos de Chriſto docere.

30. [t] *Creſcere*, exiſtimatione, nominis celebritate. *Minui*, minoris fieri quantùm ad illa, ſicut lux luciferi fulgentis in nocte minui videtur oriente ſole.

31. [u] *De terra loquitur*, non quòd Joannes & alii prophetæ non locuti ſint divina, ſed quòd humilia locuti ſunt, ſi comparentur cum his quæ docuit Chriſtus.

32. [x] *Nemo*, pauci admodum.

33. [y] *Signavit*, fide tanquam ſigillo.

34. [z] *Dat*, huic dat. *Ad menſuram*, parce.

36. [aa] *Habet*, habebit. *Manet*, manebit.

Digitized by Google



Joann. IV. 7.

Ἰησοῦς καὶ Σαμαρεῖτις.
Jesus and the woman of Samaria.
Jeſus und die Samaritiſche frau.

JESUS ET SAMARITANA.
Jesus & la Samaritaine.
Jeſus en de Samaritaenſche Vrou.

NAPOLI

CAPUT IV.

Deſcribitur colloquium Jeſu cum muliere Samaritana.

1. UT ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi quòd Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Joannes.

2. [Quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus,]

3. Reliquit Judæam, & abiit iterùm in Galilæam.

4. Oportebat autem eum tranſire per [a] Samariam.

5. Venit ergo in [b] civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium, quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo.

6. Erat autem ibi [c] fons Jacob. Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Hora erat quaſi ſexta.

7. Venit mulier de [d] Samaria haurire aquam. Dicit ei Jeſus: Da mihi bibere.

8. [Diſcipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.]

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.

10. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si ſcires [e] donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.

11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus [f] altus eſt: unde ergo habes aquam vivam?

12. [g] Numquid tu major es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?

13. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterùm: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, [h] non ſitiet in æternum:

14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ [i] ſalientis in vitam æternam.

15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire.

16. Dicit ei Jeſus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17. Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jeſus: Benè dixiſti, quia non habeo virum:

18. Quinque enim viros habuiſti: & nunc quem habes, non eſt [k] tuus vir: hoc verè dixiſti.

19. Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu.

20. [l] Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.

21. Dicit ei Jeſus: Mulier crede mihi, quia [m] venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem.

22. Vos [n] adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt.

23. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in [o] ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

24. [p] Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.

25. Dicit ei mulier: Scio [q] quia Meſſias venit [qui dicitur Chriſtus] cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia,

26. Dicit ei Jeſus: Ego ſum qui loquor tecum.

27. Et continuò venerunt diſcipuli ejus: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. [r] Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? — *Redeunt diſcipuli miranturque quòd illum invenerint cum muliere.*

28. Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem, & dicit [ſ] illis hominibus:

29. Venite, & [t] videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus? — *Narrat mulier concivibus ſuis quid ipſi acciderit, qui confeſtim veniunt ad Jeſum.*

30. Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.

31. Intereà rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi, manduca. — *Cùm diſcipulis loquitur Jeſus de cibo ſuo, meſſe ac ſeminante, &c.*

32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.

33. Dicebant ergo diſcipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

34. Dicit eis Jeſus: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam [u] opus ejus.

35. [x] Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt jam ad meſſem.

4. [a] *Samariam*, non urbem ſed provinciam.
5. [b] *Civitatem*, territorium cujuſdam civitatis. *Sichar*, in Geneſi dicta Sichem.
6. [c] *Fons*, puteus, quem Jacob regreſſus à Meſopotamia fodcrat. *Sic*, non Syr. Arab. Perſ. Æth. *Supra*. Perſ. *juxta*. *Hora quaſi ſexta*, dimidium diei.
7. [d] *Samaria*, provincia, nam de urbe Sichar erat: adeo ut, *de Samaria* non ſit jungendum cum *venit*.
10. [e] *Donum Dei*, gratiam quæ tibi offertur per hoc quod Filius Dei petit à te potum, qui tibi offert aquam vivam, doctrinam ſcilicet ſalutis, gratiam juſtificationis, converſionem cordis, notitiam Meſſiæ, &c.
11. [f] *Altus*. Syr. Arab. Æth. Perſ. *profundus*.
12. [g] *Numquid tu major*, &c. hæc dicit ut probet non poſſe dari meliorem aquam, dulcem hominibus, & abundantem pecoribus.
13. [h] *Non ſitiet*, quaſi aquâ carens. Eccleſiaſtici verſ. 29. c. 24. ſitiunt qui amant ac retinent ſine faſtidio.
14. [i] *Salientis*, ſalire facientis in vitam æternam.
18. [k] *Tuus vir*. Perſ. *maritus legitimus*.
20. [l] *Patres noſtri*, communes Judæorum & Samaritanorum, Jacob & alii patriarchæ. *Monte hoc Garizim*, proximo civitati Sichar. Jud. cap. 9. *Adorare*, ſacrificare, nam ubique Deum adorare licebat.
21. [m] *Venit*, Syr. *venturam horam*.
22. [n] *Adoratis quod neſcitis*, malè, & malo ritu Deum & idola. *Adoramus quod ſcimus*, Deum verum & ritu legitimo. *Salus ex Judæis*, quia apud Judæos inſtituta vera religio, prophetæ & prophetarum libri, ceremoniæ divinitus inſtitutæ, &c. Chriſtus denique ex illis proditurus.
23. [o] *Spiritu*, contra Samaritanos qui Deum localem exiſtimabant, & prout Spiritus opponitur carni, vel non ceremoniis Judaicis. *Veritate*, contra Judæos, qui in typo & figuris adorabant. *Qui adorent eum*, Perſ. *cultores*.
24. [p] *Spiritus eſt Deus*, Deus eſt ſpiritus. *Et eos*, ideo eos.
25. [q] *Quia Meſſias venit*. Syr. *Meſſiam eſſe venturum*. Jam jam venit præſentis temporis. *Qui dicitur Chriſtus*, verbo Evangeliſtæ. *Omnia*, quæ ſunt inter nos & Judæos controverſa.
27. [r] *Nemo tamen dixit*, Arab. *& non auſus eſt quiſquam ex iis dicere illi*.
28. [ſ] *Illis*, illius civitatis.
29. [t] *Videte*, Æth. *videbitis*. *Chriſtus*, Syr. *Meſſia*.
34. [u] *Opus ejus*, ab eo mihi impoſitum.
35. [x] *Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Syr. *nonne vos dicitis poſt quatuor menſes venturam meſſem?* Arab. *meſſis veniret*. Proverbialis locutio hominum otioſorum & laborem recuſantium, &c. Metaphoricè loquitur de Samaritanis, qui jam veniebant ad eum.

36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & [a] qui metit.

37. In hoc enim eſt verbum verum: quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit.

38. Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.

Multi ex Samaritanis credunt in eum.

39. Ex civitate autem illa [b] multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quæcumque feci.

40. Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies.

41. Et multò plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus.

42. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam [c] loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi.

Reverſus in Galilæam filium reguli ſanat.

43. Poſt duos autem dies exiit inde: & abiit [d] in Galilæam.

44. [e] Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit quia propheta in ſua patria honorem non habet.

45. Cùm ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidiſſent quæ fecerat Jeroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum.

46. Venit ergo iterùm in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam [f] regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cùm audiſſet quia Jeſus adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: [g] incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jeſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis non [h] creditis.

49. Dicit ad eum regulus: Domine, deſcende priùs quàm moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jeſus: Vade, filius tuus [i] vivit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Jeſus, & ibat.

51. Jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus [k] viveret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua meliùs habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri horâ ſeptimâ reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: Filius tuus vivit: & [l] credidit ipſe, & domus ejus tota.

54. Hoc iterùm [m] ſecundum ſignum fecit Jeſus, cùm veniſſet à Judæa in Galilæam.

CAPUT V.

Jeſus ad piſcinam ſanat ægrum jam à triginta octo annis.

1. POſt hæc erat dies [n] feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam.

2. Eſt autem Jeroſolymis [o] Probatica piſcina, quæ cognominatur hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens.

3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, [p] aridorum, expectantium aquæ motum.

4. Angelus autem Domini deſcendebat [q] ſecundùm tempus in piſcinam: & movebatur aqua; & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

5. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.

6. Hunc cùm vidiſſet Jeſus jacentem, & cognoviſſet, [r] quia multum tempus jam haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri?

7. Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.

8. Dicit ei Jeſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

9. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo.

Cùm id ægre ferrent Judæi quod in ſabbato actum eſſet, multa dicit Jeſus in probationem divinitatis ſuæ & æquitatis cum Patre.

10. Dicebant ergo Judæi illi qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi [ſ] tollere grabatum tuum.

11. Reſpondit eis: qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula.

13. Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Jeſus enim declinavit à turba conſtituta in loco.

14. Poſteà invenit eum Jeſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jeſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

16. Propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in ſabbato.

36. [a] *Qui metit*, eſt prædicator Evangelii. *Qui ſeminat*, Moyſes & prophetæ.
39. [b] *Multi crediderunt*, quod ex ſequentibus intelligendum, an tequam exiſſent ex urbe.
42. [c] *Loquelam*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *ſermonem*. Non ſolùm propter teſtimonium tuum, &c.
43. [d] *In Galilæam*, relicta Nazareth, & Judæa, &c.
44. [e] *Ipſe enim Jeſus*, &c. innuit hoc loco Jeſum non feciſſe moram in urbe Nazareth, quia propheta, &c.
46. [f] *Regulus*. Perſ. *magnus quidam*, Syr. *miniſter regius*. Philippi tetrarchæ. Alii dicunt, Herodis Antypæ tetrarchæ Galilææ.
47. [g] *Incipiebat mori*, Syr. *propè erat ut moreretur*.
48. [h] *Creditis*, Syr. Arab. Æth. *creditis*, me eſſe eum qui ſum, nempe Meſſiam.
50. [i] *Vivit*, ſecundùm phraſim hebraicam, ſanus & incolumis eſt.
51. [k] *Viveret*, ſanus eſſet.
53. [l] *Credidit* Jeſum eſſe Filium Dei.
54. [m] *Secundum* in Cana. Vel, ex factis in Galilæa, adeo ut *iterùm* jungendum ſit cum *veniſſet*.

1. [n] *Feſtus*, quidam de Pentecoſte, alii de Paſcha exponunt, quod negant alii, qui probant eſſe feſtum dedicationis, quia capite ſequenti Paſcha dicitur eſſe proximum, nihilque refertur inter feſtum de quo nunc, & Paſcha de quo c. 6. niſi res una.
2. [o] *Probatica*, Arab. *nota*. A *προβατον*, quod ſignificat, *ovis*, quia oves offerendæ in templo, earumque inteſtina lavabantur in ea, & ex iſta ablutione pecorum ſacrificatorum multi opinabantur, quòd virtutem diviniorem acciperet aqua. Fortè probatica dicebatur potiùs quantùm ad homines, quam quantùm ad pecora. Vel etiam quia erat prope portam gregis, de qua II. Eſdræ cap. 3. piſcinæ verò huic juncta erat domus, ubi pauperes curabantur. *Quinque porticus*, ſecretiores ad recipiendos ægros, qui ſanitatis causâ illic expectabant. *Bethſaida*, error eſt copiſtæ. Legendum, Betheſda, quod ſignificat, locus miſericordiæ.
3. [p] *Aridorum*, aliqua corporis parte.
4. [q] *Secundum tempus*, certo aliquo tempore, ſed interrupto & hominibus ignoto.
6. [r] *Quia jam multum tempus haberet*, Syr. *eum multo tempore egiſſe in morbo*.
10. [ſ] *Tollere*, Arab. *bajulare*.

Digitized by Google

17. Jeſus autem reſpondit eis : Pater meus [a] uſquemodò operatur, & ego operor.

18. Proptereà ergo magis quærebant eum Judæi interficere : quia non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaque Jeſus, & dixit eis :

19. [b] Amen, amen dico vobis : Non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.

20. Pater enim diligit Filium, & omnia [c] demonſtrat ei, quæ ipſe facit : & majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini.

21. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat : [d] ſic & Filius, quos vult, vivificat.

22. Neque [e] enim Pater judicat quemquam : ſed omne judicium dedit Filio.

23. Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem : qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.

24. Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, [f] habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam.

25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando [g] mortui audient vocem Filii Dei : & qui audierint vivent.

26. Sicut enim Pater [h] habet vitam in ſemetipſo : ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.

27. Et poteſtatem dedit ei [i] judicium facere, quia Filius hominis eſt.

28. Nolite mirari hoc, quia [k] venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei.

29. Et procedent qui bona fecerunt, in [l] reſurrectionem vitæ : qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicii.

30. Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam. [m] Sicut audio judico : & judicium meum juſtum eſt : quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.

Divinitatis ſuæ multa teſtimonia affert, Judæos arguens incredulitatis, &c.

31. Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo teſtimonium meum non eſt [n] verum.

32. Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me : & ſcio quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me.

33. Vos miſiſtis ad Joannem : & teſtimonium perhibuit veritati.

34. Ego autem non ab homine teſtimonium [o] accipio : ſed hæc dico ut vos ſalvi ſitis.

35. Ille erat [p] lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce ejus.

36. Ego autem habeo teſtimonium majus [q] Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea : ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me :

37. Et qui miſit me Pater, ipſe [r] teſtimonium perhibuit de me : neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis.

38. Et [ſ] verbum ejus non habetis in vobis manens : quia quem miſit ille huic, vos non creditis.

39. [t] Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere : & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.

40. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

41. [u] Claritatem ab hominibus non accipio.

42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me : ſi [x] alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.

44. Quomodo vos poteſtis credere, [y] qui gloriam ab invicem accipitis ; & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis ?

45. Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem : eſt qui accuſat vos Moyſes, [z] in quo vos ſperatis.

46. Si enim crederetis Moyſi, crederetis [aa] forſitan & mihi : de me enim ille ſcripſit.

47. Si autem illius [bb] litteris non creditis ; quomodo verbis meis credetis ?

CAPUT VI.

Quinque panibus & duobus piſcibus ſatiat Jeſus quinque virorum millia.

1. [cc] POſt hæc abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis :

2. Et ſequebatur eum multitudo magna quia

17. [a] *Uſquemodo operatur, &c.* à mundo condito ad hanc uſque diem, nullo ſabbati diſcrimine operatur, conſervando, gubernando, &c. ſic & ego qui ut Pater, Deus ſum, & Dominus ſabbati, operor.

19. [b] *Amen, amen dico vobis, &c.* his verbis oſtendit ſe eſſe ejuſdem naturæ, potentiæ, &c. cum Patre a quo accepit & virtutem & ſcientiam operandi cum æqualitate perfecta.

20. [c] *Demonſtrat*, communicat, &c. ſemper enim generat filium, & per conſequens dat ei divinam eſſentiam, ſapientiam omnia intuitivam. *Majora his*, curatione paralytici.

21. [d] *Sic & Filius*, eâdem poteſtate, eâdem voluntate.

22. [e] *Enim*, non Arab. Perſ. Æth. *Omne*, tam bonos quàm malos, & de omnibus. *Judicium dedit filio*, hoc de prolatione ſententiæ judicii intelligendum, & de viſibili judicis præſentia, atque exteriore judicii forma.

24. [f] *Habet... venit... tranſiit*, hæc in fututo intelligi debent. *Habet vitam æternam*, vivit vitâ gratiæ, quæ eſt ſemen vitæ æternæ. *Judicium*, Æth. *condemnationem*. *Morte*, peccati.

25. [g] *Mortui*, quod intelligendum de iis quos poſteà reſuſcitavit Jeſus, quia dicitur *qui audierint vivent*.

26. [h] *Habet vitam*, jus dandæ vitæ penes ſe habet.

27. [i] *Judicium facere*, modo viſibili & ſenſibili. *Quia*, ſecundùm quod.

28. [k] *Venit*, Arab. Æth. Perſ. *veniet*.

29. [l] *Reſurrectionem vitæ*, vitam quæ poſt reſurrectionem erit, quam vita æterna comitabitur, id eſt, ut reſurgant ad vitam æternam & beatam. *Judicii*, Syr. Arab. Æth. *damnationis*.

30. [m] *Sicut audio*, à Patre, ut ipſe jubet, & ſecundùm voluntatem ejus. *Voluntatem meam*, mihi ſoli propriam, cùm ſecundùm divinitatem una ſit mihi cum illo voluntas, & ſecundùm humanitatem ſit per omnia cum ejus voluntate conformis.

31. [n] *Verum*, fide dignum veſtro judicio, & quia ſecundùm mores hominum, nullus in propria cauſa teſtis eſt idoneus.

34. [o] *Accipio*, Arab. *quæro*. Æth. *deſidero*, tanquam indigeam illo.

35. [p] *Lucerna*, non lux, accepto ſcilicet lumine aliunde. *Ad horam exultare*, quia mox poſt approbatam ejus doctrinam & converſationem, illam improbaſtis ; & ejus de me teſtimonium nihil feciſtis. *Exultare*, Syr. *voſmetipſos glorificare*.

36. [q] *Joanne*, teſtimonio Joannis.

37. [r] *Teſtimonium perhibuit*, in baptiſmo.

38. [ſ] *Verbum*, ſcripturas quæ de me teſtantur. Vel, mandatum quod dedit de illo propheta audiendo. *Non habetis*, non habet locum in vobis. Non recipitur.

39. [t] *Scrutamini*, in indicativo. *In ipſis*, per ipſas.

41. [u] *Claritatem*, Syr. Arab. *gloriam*. *Accipio*, Arab. *capto*.

43. [x] *Alius in nomine ſuo*, quidam exponunt de antichriſto.

44. [y] *Qui gloriam ab invicem, &c.* Æth. *qui deſideratis placere ſociis veſtris magis quàm ut placeatis ſoli Deo.*

45. [z] *In quo*, in cujus doctrina.

46. [aa] *Forſitan*, Syr. *quoque*, Æth. Perſ. *etiam*.

47. [bb] *Litteris*, Syr. *ſcriptis*. Quas ſecundùm ſenſum de me à Moyſe ſcriptorum non accipitis.

1. [cc] *Poſt hæc*, hæc contigerunt circa Paſcha ſequentis anni. *Mare Galilææ*, lacus Geneſareth. *Quod eſt*, quod dicitur. *Tiberiadis*, ab urbe Tiberiade quam alluit.

videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur.

3. [a] Subiit ergo in montem Jeſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.

4. Erat autem proximum [b] Paſcha, dies feſtus Judæorum.

5. [c] Cùm ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat [d] tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.

7. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

9. Eſt puer unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter [e] tantos?

10. Dixit ergo Jeſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem [f] fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia.

11. Accepit ergo Jeſus panes: & [g] cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.

12. Ut autem [h] impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant.

13. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant.

14. Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Jeſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè [i] propheta, qui venturus eſt in mundum.

Fugit volentes ipſum facere regem.

15. Jeſus ergo cùm cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum [k] regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus.

Super mare ambulans ad diſcipulos vento agitatos venit.

16. Ut autem ſerò factum eſt, deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare.

17. Et cùm aſcendiſſent navim, [l] venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos Jeſus.

18. Mare autem, vento magno flante, [m] exurgebat.

19. Cùm remigaſſent ergo quaſi [n] ſtadia viginti quinque aut triginta, vident Jeſum ambulantem ſupra mare, & proximum navi fieri, & & timuerunt.

20. Ille autem dicit eis: Ego ſum, nolite timere.

21. Voluerunt ergo accipere eum in navim: & [o] ſtatim navis fuit ad terram, in quam ibant.

Quæritur à turbis Capharnaum uſque, qui de pane cœleſti docet, carnemque ſuam manducandam & ſanguinem bibendum.

22. Alterâ die turba quæ ſtabat trans mare, vidit, quia navicula alia non erat ibi niſi una, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Jeſus in navim, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent:

23. Aliæ verò ſupervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, [p] gratias agente Domino.

24. Cùm ergo vidiſſet turba quia Jeſus non eſſet ibi, neque diſcipuli ejus, aſcenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jeſum.

25. Et cùm inveniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, [q] quando huc veniſti?

26. Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quæritis me, non quia [r] vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.

27. [ſ] Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignavit Deus.

28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera [t] Dei?

29. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.

30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis [u] ſignum ut videamus & credamus tibi? Quid operaris?

31. Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare.

32. Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: [x] Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.

33. [y] Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.

34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc.

35. Dixit autem eis Jeſus: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unquam.

36. Sed dixi vobis, [z] quia & vidiſtis me, & non creditis.

37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras:

38. Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.

39. Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit

3. [a] *Subiit in montem*, de deſerto Bethſaidæ.
4. [b] *Paſcha*, tertium à Chriſti baptiſmo.
5. [c] *Cùm ſublevaſſet*, &c. multa hîc omittuntur dicta ab aliis Evangeliſtis: unde non de loco agitur, ſed de ratione comparandi panem, & de pretio ejus.
6. [d] *Tentans*, explorans an deficientibus mediis humanis ad omnipotentiam Chriſti recurrerent.
9. [e] *Tantos*, Syr. *hos omnes*, tot, tam multos.
10. [f] *Fœnum*. Arab. Æth. *herba*.
11. [g] *Cùm gratias egiſſet*. Syr. Arab. Æth. Perſ. *benedixit*. *Diſtribuit*, diſcipulis, & diſcipuli diſcumbentibus.
12. [h] *Impleti*. Syr. Arab. *ſaturati*, Æth. Perſ. *ſatiati*. *Superaverunt*, Syr. Arab. *ſuperfuerunt*.
14. [i] *Propheta*. Syr. *propheta ille qui venturus erat*.
15. [k] *Regem*, quia ut Meſſiam promiſſum illum habebant, quem putabant temporaliter ſupra Judæos regnaturum. *Fugit*, Syr. *ſubduxit ſe ſe*. *Iterùm*, quia ex eo deſcenderat ad turbas.
17. [l] *Venerunt*, Syr. *trajiciebant*. Arab. *ut trajicerent*.
18. [m] *Exurgebat*, Syr. Perſ. *intumeſcebat*, Arab. *concitatum eſt*, Æth. *commotum*.
19. [n] *Stadia viginti quinque*, quorum ſexdecim leucam conſtituunt.
21. [o] *Statim*, ut eum acceperunt.
23. [p] *Gratias agente*, ut verſu 11.
25. [q] *Quando*, quomodo.
26. [r] *Vidiſtis ſigna*, ut his viſis credatis in me, mihique obediatis.
27. [ſ] *Operamini non cibum*. Arab. *ſatagite ne vobis*, Perſ. *ne ſervatis cibo*. *Operamini*, operando acquirite & adipiſci ſtudete. *Non cibum*, ſolum. *Signavit*, velut ſigillo appoſito, voce de cœlo & miraculis declaravit ſuum eſſe filium.
28. [t] *Dei*, Deo grata.
30. [u] *Signum*, majus ſignis Moyſis, cùm enim te præferas illi, & doctrinam novam doceas. *Quod ſignum*, &c. ſi enim quinque millia hominum paviſti, ille ſexcenta millia, &c.
32. [x] *Non Moyſes*, &c. Perſ. *non Moyſes eſt qui*, &c. *Vobis*, patribus veſtris. *Panem*, Syr. *panem illum verum*. Prout opponitur figurato.
33. [y] *Panis enim Dei eſt*, nam ille eſt panis verè divinus & cœleſtis.
36. [z] *Quia*, redundat, non Syr. Perſ. Æth. *Vidiſtis*, ſpectatorem fuiſtis poteſtatis mihi datæ.

me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.

40. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis [a] vivus, qui de cœlo deſcendi.

42. Et dicebant, Nonne hic eſt Jeſus, filius Joſeph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo deſcendi?

43. Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem.

44. Nemo poteſt [b] venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

45. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes [c] docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.

46. [d] Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.

47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, [e] habet vitam æternam.

48. Ego ſum panis vitæ.

49. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & [f] mortui ſunt.

50. Hic eſt panis de cœlo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, [g] non moriatur.

51. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.

52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis [h] quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?

54. Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

56. Caro enim mea, verè eſt cibus; & ſanguis meus, verè eſt potus.

57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

58. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo [i] propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.

59. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, [k] non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum.

60. Hæc dixit in ſynagoga docens, in Capharnaum.

61. Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: [l] Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

Offenſi hoc ſermone multi ex diſcipulis ipſius illum deſerunt.

62. Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?

63. [m] Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat priùs?

64. [n] Spiritus eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quidquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

65. Sed ſunt quidam ex vobis, qui [o] non credunt: ſciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.

66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.

67. Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retrò: & [p] jam non cum illo ambulabant.

68. Dixit ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?

Apoſtoli cum Jeſu permanent, quorum unum diabolum eſſe dicit.

69. Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? [q] verba vitæ æternæ habes.

70. Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.

71. Reſpondit eis Jeſus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus [r] diabolus eſt?

72. [ſ] Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet unus ex duodecim.

CAPUT VII.

Cognati Jeſu hortantur ipſum ut ad feſtum ſcenopegiæ eat Jeruſalem, quò ire cum ipſis, recuſat, ſed occulte illuc ſe transfert.

1. Poſt hæc autem [t] ambulabat Jeſus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.

2. Erat autem in proximo dies feſtus Judæorum [u] Scenopegia.

3. Dixerunt autem ad eum [x] fratres ejus: Tranſi

41. [a] *Vivus*, vivificans.
44. [b] *Venire ad me*, agnoſcere in me cœleſtem illam excellentiam, quam indicaveram, cùm dicerem ex cœlo me deſcendiſſe.
45. [c] *Docibiles*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *docti*.
46. [d] *Non quia Patrem vidit quiſquam*, ex eò quòd dictum eſt, omnes trahi & doceri à Patre, concludi non debet quod Deus ſenſibus percipi poſſit.
47. [e] *Habet*, habebit, vel habet pignus vitæ æternæ certiſſimum.
49. [f] *Mortui ſunt*, non potuerunt conſequi vitam æternam per manducationem mannæ, quam aſſequentur qui manducabunt panem, &c.
50. [g] *Non moriatur* in æternum; anima enim & corpore ſuſcitabitur, vi panis illius.
52. [h] *Quem ego dabo*, Syr. Arab. Perſ. *quod pro mundi vita do*.
58. [i] *Propter Patrem*, per Patrem. *Et qui manducat me* ſic qui manducat me.
59. [k] *Non ſicut*, Syr. *non eſt ſicut illud*, Arab. *non ut manna*, Perſ. *haud perinde eſt ac Patres veſtri*, &c.
61. [l] *Durus*, difficilis captu. *Audire*, capere.
63. [m] *Si ergo*, &c. addendum, *quid tum dicetis aut facietis?* aut ſubaudiendum, *ſi rem præſentem putatis non poſſe manducari quanto magis cùm abſens ero*, &c. & quomodo reſurrectionem & aſcenſionem credetis?
64. [n] *Spiritus*, verba mea ſpiritualiter intellecta. *Spiritus vivificat*, divinitas carni unita vitam tribuit per ipſam carnem meam. *Caro*, verba mea carnaliter intellecta: vel, caro à ſpiritu & divinitate ſeparata. *Spiritus & vita ſunt*, vitam dant ſpiritualem.
65. [o] *Non credunt*, non tantùm quòd non credant ſermoni, quem nunc habui, ſed quia non credunt mihi. Quem ſenſum verba ſequentia exigunt.
67. [p] *Jam non*, Arab. Æth. *non amplius*.
69. [q] *Verba vitæ æternæ*, effectricia, ſi quis eis obediat.
71. [r] *Diabolus*, diabolicum, mihique adverſantem animum gerit avaritia, incredulitate, eſtque in malitia & perfidia conſummatus.
72. [ſ] *Dicebat Judam*, Syr. *loquebatur de Juda*, Arab. *innuit autem per hunc Judam, Simonis*, filium.
1. [t] *Ambulabat*, Perſ. *verſabatur*. *In Judæam*, circa Jeruſalem. *Ambulare*, Perſ. *verſari*.
2. [u] *Scenopegia*, Arab. Æth. Perſ. *dies feſtus tabernaculorum*.
3. [x] *Fratres*, filii ſororum Mariæ virginis; hoc enim nomine conſanguinei vocantur in ſcriptura. *Diſcipuli*, non Apoſtoli, ſed viri qui te ſequuntur, tuæque doctrinæ ſtudioſi.

hinc, & vade in Judæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis.

4. Nemo quippe in occulto [a] quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe: ſi hæc facis, manifeſta teipſum mundo.

5. Neque enim fratres ejus credebant in eum.

6. Dicit ergo eis Jeſus: [b] Tempus meum nondum advenit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.

7. Non poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala ſunt.

8. Vos aſcendite ad [c] diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum: quia meum tempus nondum impletum eſt.

9. Hæc cùm dixiſſet ipſe [d] manſit in Galilæa.

10. Ut autem aſcenderunt fratres ejus, [e] tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non manifeſte, ſed quaſi in occulto.

Referuntur varii ſermones à Judæis habiti de illo.

11. [f] Judæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant ubi eſt ille.

12. Et [g] murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus eſt. Alii autem dicebant: Non, ſed ſeducit turbas.

13. [h] Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum.

Convincit in templo Judæos quòd ipſum injuſte calumniarentur de curatione paralytici facta in ſabbato.

14. Jam autem [i] die feſto mediante, aſcendit Jeſus in templum, & docebat.

15. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic [k] litteras ſcit, cùm non didicerit?

16. Reſpondit eis Jeſus, & dixit: [l] Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.

17. Si quis voluerit [m] voluntatem ejus facere: cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar.

18. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.

19. [n] Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

20. Quid me quæritis interficere? [o] Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

21. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: [p] Unum opus feci, & omnes miramini.

22. [q] Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem: (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus,) & in ſabbato circumciditis hominem.

23. Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, [r] ut non ſolvatur lex Moyſi: mihi indignamini quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?

24. [ſ] Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate.

Adhuc Judæi colloquuntur de ipſo.

25. Dicebant ergo quidam ex Jeroſolymis: Nonne hic eſt, quem quærunt interficere?

26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic eſt Chriſtus?

27. Sed hunc ſcimus [t] unde ſit: Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit unde ſit.

Sitientes ad ſe vocat, multique credunt in eum.

28. Clamabat ergo Jeſus in templo docens, & dicens: Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis: & à me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.

29. Ego ſcio eum: Quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.

30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.

31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: [u] Chriſtus cùm venerit, numquid plura ſigna faciet quam quæ hic facit.

Mittunt Phariſæi miniſtros ad eum apprehendendum, qui auditâ ejus prædicatione capti, juſſa non exequuntur, illumque apud Phariſæos laudant, à quibus de hoc objurgantur.

32. Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc: & miſerunt principes & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent eum.

33. Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & [x] vado ad eum, qui me miſit.

34. [y] Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.

35. Dixerunt ergo Judæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inveniemus eum? Numquid in [z] diſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gentes?

36. Quis eſt hic ſermo quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire.

37. In [aa] noviſſimo autem die magno feſtivita-

4. [a] *Quid facit*, egregium & ſingulare. *Et quærit*, ſed quærit *ſi hæc facis*, cum talia opera facias.
6. [b] *Tempus meum*, me manifeſtandi & eundi in Judæam, &c. *Semper paratum*, quibus nihil imminet periculi.
8. [c] *Diem feſtum*, primum ſcilicet. Aſcendit enim poſtrà. *Non aſcendo*, Græce, nondum aſcendo. Non vobiſcum.
9. [d] *Manſit*, ſubſiſtit aliquandiu.
10. [e] *Tunc*, aliquot diebus poſt.
11. [f] *Judæi*, Phariſæi, Scribæ, & primores Judæorum.
12. [g] *Murmur multum*, multa muſſitatio.
13. [h] *Nemo*, eorum qui defenderent. *Judæorum*, ut v. 11.
14. [i] *Die feſto*, tabernaculorum. *Mediante*, quartâ die hujus hebdomadæ.
15. [k] *Litteras*, Arab. Perſ. *ſcripturas*. Cùm nec ſcholas frequentaverit, nec doctorem habuerit.
16. [l] *Mea doctrina*, quam vobis trado & expono. *Non eſt mea*, originaliter, ſilius enim à patre, totum quod eſt & habet, accepit. Non eſt mentis meæ figmentum.
17. [m] *Voluntatem ejus facere*, adimplere quæ doceo, & *in me credere*. *A me ipſo*, ita ut non ſit à Deo, aut ipſi contraria, vel à puro homine quemadmodum putabant.
19. [n] *Nonne Moyſes*, *&c.* redit ad id quod dixerat, ſuum dogma ab iis damnari quod animum non haberent promptum ut Deo obediant: quod probat ex lege Moyſis, quam ſe Deo negare non poterant. *Et nemo*, Hebraiſm. ſic ſupplendum, *& cum nemo ex vobis faciat legem*, quod dicit ut probet Judæos ſibi injuſte offenſos quod paralyticum curaſſet in ſabbato, &c.
20. [o] *Reſpondit turba*, hujus conſilii neſcia. Judæi ſcilicet non ex urbe Jeruſalem, licèt Jeſus Scribis & Phariſæis loqueretur, qui volebant interficere illum propter violationem ſabbati.
21. [p] *Unum opus*, curationem paralytici in ſabbato, cui dixi ut grabatum ſuum tolleret. *Miramini*, tumultuamini, quaſi ſabbatum violaverim. Non negat autem à ſe ſabbatum violari, ſed probat innocenter violari, quod & Judæi etiam innocenter violant, circumcidendo. *Unum opus*, ſanando vos, multa opera, circumcidendo.
22. [q] *Propterea*, ſupplendum, *attendite ad ea quæ modo dicam, cùm Moyſes dederit vobis circumciſionem*. *Non quia ex Moyſe eſt*, Perſ. *illud non eſt, quod circumciſio a Moſe ſolo ſit, ſed a patribus antiquis eſt, propterea*. *Et in ſabbato*, etiam in ſabbato, &c.
23. [r] *Ut non ſolvatur*, Syr. *ob idque non ſolvitur.*
24. [ſ] *Nolite judicare*, de me ſecundum id quod appareo vobis, ſed ſecundùm opera quæ videtis. *Secundùm faciem*, Perſ. *in hypocriſi & duplici vultu*, Æth. *ad complacendam perſonæ.*
27. [t] *Unde*, quibus ortus parentibus.
31. [u] *Chriſtus cùm venerit*, ſi adhuc Chriſtus venturus eſſet, jam enim credebant in eum.
33. [x] *Vado*, Syr. Æth. Perſ. *abibo.*
34. [y] *Quæretis me*, Perſ. *poſthac me quæretis*, multi poſt aſcenſionem Domini, præſentiam ejus corporalem deſiderarunt, ſive cùm miraculis & prædicatione apoſtolorum compuncti corde fuerunt, aut cùm gravi à Romanis premerentur obſidione: vel, ſi quæratis, &c. prævidebat enim in malo obſtinate perſeveraturos. *Ubi ego ſum*, ad locum ad quem ego abiturus ſum.
35. [z] *Diſperſionem gentium*, Judæos apud Græcos & barbaros degentes. Qui circa Euphratem Græci à Judæis dicebantur, barbari verò qui ultrà morabantur.
37. [aa] *Noviſſimo die*, non ſeptimo. In quo ab opere ſervili non fuit

cis

Digitized by Google



Joan VIII. 3. 4. 5.

Γυνὴ ἐν μοιχείᾳ καταληφθεῖσα. | MULIER IN ADULTERIO DEP...
The woman taken in Adulterÿ. | *La femme ſurpriſe en adulte...*
Das ehebrecheriſch Weib. | Een Vrou op overſpel bevonde...

NAPOLI

tis, ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.

38. Qui credit in me, ſicut dicit [a] Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

39. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum: [b] nondum enim erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.

40. [c] Ex illa ergo turba cùm audiſſent hos ſermones ejus, dicebant: Hic eſt vere propheta.

41. Alii dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa [d] venit Chriſtus.

42. Nonne Scriptura dicit: Quia ex ſemine David, & de Bethlehem [e] caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?

43. Diſſentio itaque facta eſt in turba propter eum.

44. Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum: ſed nemo miſit ſuper eum manus.

45. Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum?

46. Reſponderunt miniſtri: Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.

47. Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Numquid & vos ſeducti eſtis?

48. Numquid ex [f] principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?

49. [g] Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti ſunt.

Nicodemus defendit Jeſum apud Phariſæos & ſacerdotes, à quibus propter hoc male audit.

50. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui [h] unus erat ex ipſis:

51. Numquid lex noſtra [i] judicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo & cognoverit quid faciat?

52. Reſponderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu [k] Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non ſurgit.

53. Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.

CAPUT VIII.

Narratur hiſtoria mulieris in adulterio deprehenſa, & ad Jeſum adducta in templo, quam ſcribens in terra abſolvit ab accuſatoribus.

1. JEſus autem perrexit in montem Oliveti:

2. Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.

3. Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio.

4. Et dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier [l] modò deprehenſa eſt in adulterio.

5. [m] In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eum. Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito [n] ſcribebat in terra.

7. Cùm ergo perſeverarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui [o] ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.

8. Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terra.

9. Audientes autem unus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus: & remanſit [p] ſolus Jeſus, & mulier in medio ſtans.

10. Erigens autem ſe Jeſus, dixit ei: Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnavit?

11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jeſus: Nec ego te condemnabo: Vade, & jam amplius noli peccare.

Referuntur multi ſermones Jeſu cum Judæis in templo quibus mire ſuam divinitaté probat, eoſque vehementer arguit.

12. Iterùm ergo locutus eſt eis Jeſus, dicens: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen [q] vitæ.

13. Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum.

14. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia [r] ſcio onde veni, & quò vado: vos autem neſcitis unde venio, aut quò vado.

15. Vos ſecundùm carnem judicatis: ego [ſ] non judico quemquam.

16. Et ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit me, Pater.

17. Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium [t] verum eſt.

18. Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.

19. Dicebant ergo ei: Ubi eſt Pater tuus? Reſpondit Jeſus: [u] Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.

20. Hæc verba locutus eſt Jeſus [x] in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit

---

teriatum, ſed octavo. *Si quis ſitit, &c.* ex rebus obviis ſermonis occaſionem capere Chriſtus ſolebat. Eo die populus magna pompa ex fonte Siloë aquam hauriebat, canticum illud ex Iſ. cap. 55 uſurpans. *Haurietis aquas in gaudio*, &c. quam aquam cum vocibus & clangore tubarum templo inferebat atque offerebat, ſignificans ſe a Deo petere benedictionem pluviæ in ſementem imminentem.

38. [a] *Scriptura*, quantùm ad ſenſum. *Ventre*, corde: tropo Hebraico.

39. [b] *Nondum*, viſibiliter & cum tanta effuſione ſignorum & effectuum. *Glorificatus*, per reſurrectionem & aſcenſionem.

40. [c] *Ex illa turba*, Syr. Perſ. Æth. *multi ex turba*.

41. [d] *Venit*, Syr. Arab. Æth. *veniet*, Perſ. *venturus eſt*.

42. [e] *Caſtello ubi erat David*, Syr. *pago ipſius David*.

48. [f] *Principibus*, Syr. *proceribus*.

49. [g] *Sed*, Syr. Perſ. *niſi*. Arab. Æth. *præter turbam*.

50. [h] *Unus ex ipſis*, non voluntaria aſſenſu, ſed ordinis dignitate. Unus é ſenatu.

51. [i] *Judicat*, Syr. Perſ. *reum peragit*.

52. [k] *Galilæus es?* ex ejus diſcipulis, & ob communem patriam ei faves. *A Galilæa, &c.* mentiuntur. Debboræ enim, Heliſeus, & Tobias erant é Galilæa, Nahum item & Jonas.

4. [l] *Modo*, in ipſo actu.

5. [m] *In lege, &c.* lex quæ refertur Lev. c. 20. & Deut. cap. 22. non facit lapidationis mentionem, ſed a ſexcentis & amplius annis, ut patet ex verſ. 40. cap. 16. Ezech. lapidabantur adulteri, unde probabile eſt Moyſen interpretatum fuiſſe vivæ vocis oraculo, quod lex tacebat, uti de virgine deſponſata, v. 23. c. 22. Deut.

6. [n] *Scribebat in terra*, peccata eorum qui adulteram accuſabant.

7. [o] *Sine peccato*, quod de peccato adulterii exponunt multi.

9. [p] *Solus*, ſine accuſatoribus. *In medio*, populi quem Jeſus docebat.

12. [q] *Vitæ*, vitam dans.

14. [r] *Scio unde veni*, ſcio originem meam à patre, &c. unde cùm ſim Deus, ſum etiam ſufficiens teſtis mihi ipſi.

15. [ſ] *Non judico*, ut vos, ex affectu carnali & iis quæ ſolis ſenſibus apparent. Hæc verba *judicare* & *judicium*, pro *teſtari* & *teſtimonio* ſumi debent: præcedentia enim & ſequentia id poſtulant.

17. [t] *Verum eſt*, verum reputatur, eique ſtandum eſt.

19. [u] *Neque me ſcitis*, eſſe Deum, &c. *Forſitan*, non Syr. Perſ. Æth. ſed Arab. *ſane*. *Et patrem meum ſciretis*, hoc conciperetis animo, non alium à me patrem appellari, quàm Deum.

20. [x] *In gazophylacio*, Æth. *apud arcam eleemoſynæ*, in atrio ubi

eum, quia necdum venerat hora ejus.

21. Dixit ergo iterum eis Jeſus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quò ego [a] vado, vos non poteſtis venire.

22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quò ego vado, vos non poteſtis venire?

23. Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.

24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis quia [b] ego ſum, moriemini in peccato veſtro.

25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jeſus: [c] Principium, qui & loquor vobis.

26. Multa habeo [d] de vobis loqui, & judicare, ſed qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.

27. Et non cognoverunt quia [e] Patrem ejus dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Jeſus: Cùm [f] exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor:

29. Et qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego, [g] quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

31. Dicebat ergo Jeſus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos [h] manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.

32. Et cognoſcetis veritatem, & veritas [i] liberabit vos.

33. [k] Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?

34. Reſpondit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.

35. [l] Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.

36. Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.

37. Scio quia filii Abrahæ eſtis: ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus [m] non capit in vobis.

38. Ego quod vidi [n] apud Patrem meum loquor: & vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis.

39. Reſponderunt, & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis Jeſus: Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.

40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo: [o] hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris veſtri. Dixerunt itaque ei: [p] Nos ex fornicatione non ſumus nati: unum patrem habemus Deum.

42. Dixit ergo eis Jeſus: Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me: ego enim ex Deo proceſſi, & veni: neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.

43. Quare [q] loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum.

44. Vos [r] ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus.

45. Ego autem [ſ] ſi veritatem dico, non creditis mihi?

46. Quis ex vobis [t] arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Proptereà vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

48. Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia [u] Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

49. Reſpondit Jeſus: Ego dæmonium non habeo: ſed [x] honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.

50. Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & [y] judicet.

51. Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, [z] mortem non videbit in æternum.

52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.

erat arca à Joas rege poſita, IV. Reg. cap. 12. Vide v. 41. cap. 12. Marci.

21. [a] *Vado*, per crucem & paſſionem regnaturus apud Patrem. *Quæretis me*, odio ſcilicet, ut me interficiatis: vel, expectando Meſſiam quaſi jam non venerit. Et ſic *in peccato* incredulitatis *moriemini*, vide c. 7. v. 33. & 34.

24. [b] *Ego ſum*, Meſſias à Patre miſſus, & Filius Dei quem me eſſe dico.

25. [c] *Principium qui & loquor vobis*, Perſ. *ego ſum qui ab initio vobis dixi & feci*, Syr. *etenim id quod incæpi loqui vobiſcum loqui, id eſt dicere, ſum id quod à principio vobis dixi, Dei filius*: vel, ego qui loquor vobis ſum principium omnium rerum, id eſt, verbum Patris. Non reſpondet hic quæſtioni. *Tu quis es?* reſpondit v. 28. ſed vox *principium* ſecundùm vim græcæ locutionis, ſignificat *primum*: & talis eſt ſenſus, Chriſtus indignatus Judæis, antequam reſpondeat illorum quæſtioni, pergit dicere quæ inceperat loqui. & ſic ait: Cogitate primùm quod & loquor vobis: habemus enim exempla talia reticentiæ, ut Joan. c. 6. v. 63 quid ergo facietis. vel, quomodo ſcandalizamini & cap. 21. verſ. 21. *Domine hic autem quid fiet*. &c.

26. [d] *De vobis*, Arab. *adverſum vos*. *Sed*, omiſſis illis, hoc unum vobis dicam.

27. [e] *Patrem ejus dicebat Deum*. Syr. *de patre ipſis verba facere*. Quod de Deo tanquam patre ſuo naturali loqueretur.

28. [f] *Exaltaveritis*, in cruce. *Cognoſcetis*, &c. hoc ſic debet exponi, ut referatur ad illos qui in paſſione Chriſti, & poſt ipſam, viſis ſignis, &c. crediderunt Jeſum eſſe Filium Dei. *Ego ſum*, Meſſias, &c.

29. [g] *Quæ placita ſunt ei facio ſemper*, hæc verba non probant quòd Pater non reliquerit illum ſolum, ſed quòd cum ipſo ſit ſemper, &c.

31. [h] *Manſeritis*, Arab. Perſ. *firmi fueritis*.

32. [i] *Liberabit* à ſervitute peccati.

33. [k] *Reſponderunt*, quidam de turba qui non credebant.

35. [l] *Servus autem*, &c. relinquit ſupponendum alteram ſimilitudinis partem; ut ſervus peccati ex domo Dei ejicitur.

37. [m] *Non capit in vobis*, Syr. *ſermoni meo capiendo non ſufficiatis*, Arab. *non eſt firmus in vobis*. Sermonis mei non ſitis capaces.

38. [n] *Apud Patrem veſtrum*, innuens his verbis quòd non ſint Abrahæ filii.

40. [o] *Hoc*, ſimile huic.

41. [p] *Nos ex fornicatione non ſumus nati*, nihil habes quod objicias de generatione carnali aut ſpirituali, non enim ex idololatris ſumus nati, ſed ex veri Dei cultoribus.

43 [q] *Loquelam meam non cognoſcitis*, Perſ. *ſermonem autem meum non accipitis, neque auditis*. *Quia*, niſi quia. *Non poteſtis*, non vultis, præ odio. *Audire*, ferre.

44. [r] *Ex patre diabolo eſtis*, per imitationem. *Homicida*, occidens hominem per peccatum. *Ab initio*, primus, impellens Cain ad necem Abel. *Veritate*, juſtitiæ, & ſeduxit primam mulierem.

45. [ſ] *Si*, Æth. *quia*, licet.

46 [t] *Arguet*, convincet. *Peccato*, maximè mendacii.

48. [u] *Samaritanus*, religionis Moſaicæ & gentis contemptor. *Dæmonium*, per quod tot ſigna operaris.

49. [x] *Honorifico*, &c. cùm miracula facio, gloriam ad patrem refero.

50. [y] *Judicet*, ulciſcatur contumelias mihi illatas.

51. [z] *Mortem*, æternam damnationem.

Digitized by Google

Digitized by Google



Joan. IX. 7

Τυφλὸς ἀναβλέπων.

The eyes of the blind opened.

Ein Blind-gebohrener wird ſehend

OCULI CAECO APERTI.

Un aveugle recouvrant la vuë.

Een Blinde aan het gezicht geholpen.

Sumer pinx. *Sorneque sc.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTOR. EMANUELE III NAPOLI

53. Numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis?

54. Reſpondit Jeſus: Si ego [a] glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus veſter eſt,

55. [b] Et non cognoviſtis eum: ego autem novi eum: & ſi dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo.

56. Abraham pater veſter [c] exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.

57. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?

58. Dixit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham [d] fieret, ego ſum.

Judæis eum lapidare volentibus, è templo exit abſcondens ſe ab eis.

59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo.

CAPUT IX.

Cæcum à nativitate ſabbato illuminat.

1. [e] ET præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate.

2. Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus: Rabbi, [f] quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?

3. Reſpondit Jeſus: [g] Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.

4. Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, [h] donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.

5. Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.

6. Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus,

7. Et dixit ei: Vade, lava in [i] natatoria Siloë [quod interpretatur miſſus.] Abiit ergo, & lavit, & venit videns.

8. Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? alii dicebant: Quia hic eſt.

9. Alii autem: Nequaquam ſed ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat: Quia ego ſum.

10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi?

11. Reſpondit: Ille homo qui dicitur Jeſus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & lava. Et abii, lavi, & video.

12. Et dixerunt ei: Ubi eſt ille? ait: Neſcio.

Hujus miraculi gloriam Phariſæi conantur Chriſto detrahere.

13. Adducunt eum ad [k] Phariſæos, qui cæcus fuerat.

14. Erat autem ſabbatum, quando lutum fecit Jeſus, & aperuit oculos ejus.

15. Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet. Ille autem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & lavi, & video.

16. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo qui ſabbatum non [l] cuſtodit. Alii autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? & ſchiſma erat inter eos.

17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? ille autem dixit: Quia [m] propheta eſt.

18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat:

19. Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis, quia cæcus natus eſt? quomodo ergo nunc videt?

20. Reſponderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt:

21. Quomodo autem nunc videat neſcimus, aut quis ejus aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.

22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conſpiraverant Judæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, [n] extra ſynagogam fieret.

23. Proptereà parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipſum interrogate.

Quia is qui cæcus fuerat Chriſtum tuetur, hunc à ſe foras ejiciunt.

24. Vocaverunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: [o] Da gloriam Deo. Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.

25. Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt, [p] neſcio: unum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modò video.

26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos?

27. Reſpondit eis: Dixi vobis jam, & audiſtis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?

28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.

29. Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem [q] neſcimus unde ſit.

30. Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc

54. [a] *Glorifico me ipſum*, quod de humanitate intelligendum. *Nihil*, apud vos.

55. [b] *Et non*, Arab. *& tamen non*. *Cognoviſtis eum*. nec Deum in ſeipſo, nec in operibus illius.

56. [c] *Exultavit ut videret*, Syr. *deſiderabat videre*, Perſ. *valde cupidus fuit, ut. &c.* *Diem meum*, futuram incarnationem: vel, ſi me videre, meoque colloquio frui poſſet, quod factum eſt, quando tres vidit & unum adoravit, Gen. c. 18. fortè diem generalis reſurrectionis, eo quòd ibi agatur de vita æterna. *Vidit* in promiſſione naſcituri Iſaac, & oculis ſpiritualibus in ejuſdem immolatione.

58. [d] *Fieret*, Æth. *naſceretur*, Arab. *eſſet*.

1. [e] *Et præteriens, &c.* non hoc ſtatim poſt præcedentia factum, quando enim exivit Jeſus non aderant diſcipuli: ſed poſtridie, dicunt quidam interpretes.

2. [f] *Quis peccavit, hic, &c.* non poterat peccaſſe antequam naſceretur, ſed loquebatur ſecundum doctrinam Phariſæorum, qui putabant animas de corporibus migrare, &c.

3. [g] *Neque hic peccavit, &c.* non negat abſolute eos unquam peccaſſe, ſed peccatum illorum cauſam fuiſſe cæcitatis.

4. [h] *Donec dies eſt, &c.* diem vocat tempus vitæ ſuæ præſentis & corporalis ſuæ in mundo præſentiæ: noctem verò, mortem & tempus ſuæ abſentiæ.

7. [i] *Natatoria*, Arab. Perſ. *fonte*. Piſcina.

13. [k] *Phariſæos*, Synedrium, in quo plurimi Phariſæi.

16. [l] *Cuſtodit*, Perſ. Æth. *obſervat*. *Schiſma*, Syr. *diſſidium*.

17. [m] *Propheta*, vir clarus ſanctitate & doctrinâ quales prophetæ.

22. [n] *Extra ſynagogam*, Perſ. *è medio ſuo*. *Fieret*, Syr. *ejiceretur*, Arab. *expelleretur*, Æth. *ejicerent*.

24. [o] *Da gloriam Deo*, modus obteſtandi apud Hebræos: confitere ſimpliciter veritatem, quaſi Deo vero præſente.

25. [p] *Neſcio*, non quòd diffidat & dubitet, ſed hoc dicit ut efficacius urgeat Phariſæos.

29. [q] *Neſcimus unde ſit*, à quo ſcilicet ſit miſſus.

enim mirabile eſt, [a] quia vos neſcitis unde ſit, & aperuit oculos meos :

31. Scimus autem quia [b] peccatores Deus non audit : ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

32. A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

33. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere [c] quidquam.

34. Reſponderunt, & dixerunt ei : [d] In peccatis natus es totus, & tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras.

A Chriſto edoctus credit in eum.

35. Audivit Jeſus quia ejecerunt eum foras : & cùm inveniſſet eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ?

36. Reſpondit ille, & dixit : Quis eſt, Domine, ut credam in eum ?

37. Et dixit ei Jeſus : Et [e] vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.

38. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.

In mundum ad judicium ſe veniſſe dicit Chriſtus.

39. Et dixit Jeſus : [f] In judicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.

40. Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei : Numquid & nos cæci ſumus ?

41. Dixit eis Jeſus : [g] Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, nunc verò dicitis : Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.

CAPUT X.

Chriſtus deſcribens verum paſtorem & mercenarium dicit ſe eſſe oſtium ovium & bonum paſtorem.

1. AMen, amen dico vobis : qui non intrat per [h] oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.

2. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.

3. Huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas.

4. Et cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadit : & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus.

5. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum.

6. Hoc [i] proverbium dixit eis Jeſus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.

7. Dixit ergo eis iterum Jeſus : Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium.

8. [k] Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oves.

9. Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur : & [l] ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.

10. Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat, ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

11. Ego ſum [m] paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

12. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit : & lupus rapit, & diſpergit oves.

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & [n] non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego ſum paſtor bonus : & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.

15. [o] Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem : & animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et [p] alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili : & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.

17. Propterea me diligit Pater : Quia ego pono [q] animam meam, ut iterum ſumam eam.

Poteſtatem ſibi eſſe ponendi animam ſuam, ut iterum ſumat eam, dicit Chriſtus.

18. Nemo tollit eam à me : ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam : & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam : [r] Hoc mandatum accepi à Patre meo.

Interrogatus a Judæis reſpondet ſe Filium Dei eſſe, unumque cum Patre.

19. Diſſenſio iterum facta eſt inter Judæos propter ſermones hos.

20. Dicebant autem multi ex ipſis : Dæmonium habet, & inſanit : quid eum auditis ?

21. Alii dicebant : Hæc verba non ſunt dæmonium habentis : numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire ?

22. Facta ſunt autem [ſ] Encænia in Jeroſolymis : & hiems erat.

23. Et ambulabat Jeſus in templo, [t] in porticu Salomonis.

24. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei : Quouſque animam noſtram [u] tollis ? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.

25. Reſpondit eis Jeſus : [x] Loquor vobis, &

30. [a] *Quia*. Syr. Arab. *quòd*. *Et aperuit*, cùm tamen aperuerit.
31. [b] *Peccatores non audit*, ut miraculis falſam doctrinam confirment. Quod dicit ſecundum communem regulam.
33. [c] *Quidquam*, Syr. *hoc*, Perſ. *hoc miraculum*.
34. [d] *In peccatis natus es totus*, cæcitatem ei exprobrant ut peccati pœnam. *Foras*, extra eum locum ; non autem è ſynagoga, cùm nondum profeſſus eſſet eum eſſe Chriſtum.
37. [e] *Vidiſti*, vides nunc.
39. [f] *In judicium ego in hunc mundum veni*, Syr. *ad judicium mundi hujus veni*. *In judicium*, ut faciam judicium, ſeu diſcretionem hominum in duas contrarias partes, Judæorum & Gentilium. *Qui non vident*, ſimplices & ignari. *Videant*, doceantur & illuminentur. *Qui vident*, docti & elati corde. *Cæci fiant* ex malitia.
41. [g] *Si cæci eſſetis*, ſi naturali & ſcripturarum lumine non eſſetis illuſtrati. *Non haberetis peccatum* infidelitatis, tantum quantum nunc habetis. Quia humiliores eſſetis, & ad medicum ſpiritualem veniretis, qui vos curaret à cæcitate. *Nunc verò dicitis*, &c. Syr. *nunc autem dicitis*: *Videmus*, *propterea peccatum*, &c. *Manet*, ſine venia aut excuſatione.
1. [h] *Oſtium*, debitam viam.
6. [i] *Proverbium*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *parabolam*.
8. [k] *Omnes*, non de prophetis intelligendum, ſed de Theuda & Juda, atque aliis qui ſe Chriſtos eſſe dicebant : vel, de iis qui venerunt non à Deo miſſi, ſed propriâ autoritate.
9. [l] *Ingredietur & egredietur*, ingredi & egredi in ſcriptura ſignificat totam hominis converſationem.
11. [m] *Paſtor bonus*. Syr. Perſ. *paſtor ille bonus*. *Animam*, vitam.
13. [n] *Non pertinet ad eum*, Syr. *non eſt ei cura ovium*.
15. [o] *Sicut novit me Pater*, &c. ſupple, *ſic ego cognoſco meas* ; *ſicut Pater me ut filium*, &c. ſicut *agnoſco patrem*, omnium bonorum mentium fontem, &c. ſic cognoſcunt me meæ. *Animam*, vitam.
16. [p] *Alias oves*, Gentiles. *Ovile*, Syr. Æth. Perſ. *grex*.
17. [q] *Animam*, vitam. *Ut iterum*, ſic tamen ut iterum.
18. [r] *Hoc mandatum*, moriendi pro ovibus.
22. [ſ] *Encænia*, feſtum erat à Juda Machabæo inſtitutum de quo 1. Mach. c. 4. quod celebrabatur menſe nono, ſcilicet Caſleu, qui reſpondet noſtro Novembri ac Decembri, quando purgavit templum & altare polluta ab Antiocho illuſtri.
23. [t] *In porticu Salomonis*, atrio gentium, quod dicebatur porticus Salomonis, quia ſimile erat formâ & loco, ei quem fecerat olim Salomon, in quo ſtabat ad loquendum populo & ad ſacrificia peragenda, & quia ſolum terræ in quo erat, maximis impenſis à Salomone adæquatum fuerat. ex Joſeph ant. lib. XX. c. 8.
24. [u] *Tollis*, Syr. *retines*, Arab. *cruciabis*. Nos ſuſpenſos tenes. *Palam*, ſine parabolis & verborum involucris.
25. [x] *Loquor*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *dixi*. *De me*, Perſ. *quaſi ſum*.

non creditis opera, quæ ego facio io nomine Patris mei, hæc teſtimooium perhibent de me.

26. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.

27. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.

28. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.

29. Pater meus [a] quod dedit mihi majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.

30. Ego & Pater unum ſumus.

Judæia propter hoc ipſum ut blaſphemum lapidare volentibus, probat non eſſe blaſphemiam quod dixerit.

31. Suſtulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.

32. Reſpondit eis Jeſus: Multa bona opera [b] oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

33. Reſponderunt ei Judæi: [c] De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cùm ſis, facis te ipſum Deum.

34. Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in [d] lege veſtra: quia Ego dixi, dii eſtis.

35. Si illos [e] dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura:

36. [f] Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum?

37. Si non facio [g] opera Patris mei, nolite credere mihi.

38. Si autem facio: & ſi mihi non vultis credere operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.

Fugiens ab eis ipſum comprehendere volentibus trans Jordanem abit, ubi multi crediderunt in eum.

39. Quærebant ergo eum apprehendere: & [h] exivit de manibus eorum.

40. Et abiit iterùm trans Jordanem, in eum locum ubi erat Joannes baptizans [i] primum: & manſit illic.

41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: [k] Quia Joannes quidem ſignum fecit nullum.

42. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in [l] eum.

CAPUT XI.

Refertur hiſtoria reſurrectionis Lazari, propter quam multi ex Judæis in Jeſum credunt.

1. ERat autem quidam languens Lazarus [m] à Bethania de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis ejus.

2. [n] (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis ſuis: cujus frater Lazarus infirmabatur.)

3. Miſerunt ergo ſorores ejus ad eum [o] dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

4. Audiens autem Jeſus [p] dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & Lazarum.

6. [q] Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.

7. Deinde poſt hæc dixit diſcipulis ſuis: Eamus in [r] Judæam iterum.

8. Dicunt ei Diſcipuli: Rabbi, [ſ] nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?

9. Reſpondit Jeſus: Nonne [t] duodecim ſunt horæ diei? ſi quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt:

10. [u] Si autem ambulaverit in nocte, offendit quia lux non eſt in eo.

11. Hæc ait, & poſt hæc dixit eis: Lazarus amicus noſter [x] dormit: ſed vado ut à ſomno excitem eum.

12. Dixerunt ergo diſcipuli ejus: Domine, [y] ſi dormit, ſalvus erit.

13. Dixerat autem Jeſus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret.

14. Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſtè: Lazarus mortuus eſt:

15. [z] Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum [aa] eo.

17. [bb] Venit itaque Jeſus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

---

29. [a] *Quod dedit*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *qui dedit*. Divinâ generatione, eſſentiam ſcilicet divinam. *Majus*, Syr. Arab. Æth. Perſ. *major*. *De manu Patris*, ſupplendum *nec de mea*.

32. [b] *Oſtendi*, phraſis hebraica, in veſtri gratiam feci. *Lapidatis*, lapidare vultis.

33. [c] *De*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *propter*.

34. [d] *Lege* veteri. Lex hîc ſumitur pro tota ſcriptura.

35. [e] *Dixit*, Deus in ſcriptura loquens. *Ad quos*, de quibus. *Sermo Dei factus*, commiſſa eſt poteſtas & demandatum munus aliis imperandi.

36. [f] *Quem pater*, &c. quantò magis ille quem ſanctificavit, &c. *Vos dicitis*, Syr. *dicitis ei*.

37. [g] *Opera patris*, ſoli divinæ virtuti poſſibilia.

39. [h] *Exivit*, Syr. *evaſit*.

40. [i] *Primum*, ſcilicet in Bethania ſeu Bethabara, nam poſteà Joannes migravit in Ænnon juxta Salim. ſuprà c. 3.

41. [k] *Quia*, Arab. *profectò*. *Signum fecit nullum*, ſupplendum *& tamen ei credimus, quantò magis Jeſu credemus, qui tot ſigna fecit*.

42. [l] *Erant*, ſunt.

1. [m] *A Bethania*, Syr. *ex Bethania pago, frater Mariæ*, &c. Perſ. *ex pago Bethania, frater*, &c. *De caſtello*, quia in illo pago caſtellum habebant, non ut dominæ loci, ſed habitantes Bethaniæ. *Maria*, non eadem eſt cum illa meretrice de qua apud Lucam & Matthæum ſermo. *Sororis ejus*, Marthæ ſororis Mariæ.

2. [n] *Maria autem*, &c. mulier hæc deſcribitur ibi ab eo quod poſtea geſſit, unde prolepſis eſt non infrequens in ſcripturis, ut Matth. c. 10. & 26. & Marci c. 3. de Juda dicitur qui tradidit illum, cùm tamen traditio nondum facta eſſet eo tempore ad quod narratio Evangeliſtæ refertur. Undè conſequens non eſt quòd eadem ſit cum peccatrice.

3. [o] *Dicentes*, cum mandato Dei.

4. [p] *Dixit eis*, per eumdem nuntium mandavit. *Eis*, non Syr. Arab. Perſ. Æth. *ad mortem*, quâ finiatur vita Lazari.

6. [q] *Ut ergo audivit*, Syr. Arab. *quumque audiſſet*. *In eodem loco*, Syr. Perſ. *in loco ubi erat*.

7. [r] *Judæam*, terram tribuum Judæ & Benjamin, quia tunc in Peræa morabatur.

8. [ſ] *Nunc*, a quatuor menſibus tempore dedicationis Joan. c. 10. v. 31.

9. [t] *Duodecim*. Judæi enim dies in duodecim horas dividebant, nonne conſilium & voluntas hominum mutari cum tempore poſſunt? Deinde certum eſt & ſtatutum diei ſpatium, quod minui non poteſt, ſic & mihi certum & conſtitutum eſt tempus, quo ambulare debeam, id eſt, officium meum explere: vel, cum proſim omnibus, nihil timeo & ambulo in die.

11. [u] *Si autem*, &c. hac ſimilitudine ſignificatum vult, vitæ ſuæ mortali ſicut & diei certum ſpatium a Deo præfinitum, quod nullis perſecutionibus minui poſſit, illiuſque diei aliquid ſupereſſe, quo in Judæam tuto ambulare poſſit.

12. [x] *Dormit*, mihi ſuſcitaturo. Præterea frequens erat Hebræis mortem vocare ſomni nomine.

13. [y] *Si dormit*, &c. hæc ut Jeſum ab itinere avocarent.

15. [z] Syr. *Et gaudeo me illic non fuiſſe propter vos, ut credatis*, &c.

16. [aa] *Eo*, quod & de Lazaro & de Chriſto exponi poteſt.

17. [bb] *Venit* profectus eſt. *Invenit*, non in vico ſed extra eum, ad ipſum monumentum deprehendit, quod pro more orientalium, ex-

Digitized by Google

18. [Erat autem Bethania juxta Jeroſolymam quaſi [a] ſtadiis quindecim.]

19. Multi autem ex Judæis venetant ad Martham & Mariam, ut conſolarentut eas de fratre ſuo.

20. Martha ergo ut audivit quia Jeſus venit, occurrit illi. Maria autem domi ſedebat.

21. Dixit ergo Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hic, fratet meus non fuiſſet mortuus.

22. [b] Sed & nunc ſcio, quia quæcumque poſceris à Deo, dabit tibi Deus.

23. Dicit illi Jeſus: Reſurget ſtater tuus,

24. Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.

25. Dixit ei Jeſus: Ego ſum [c] reſurrectio & vita: qui eredit in me, etiam ſi mortuus fuetit, vivet:

26. Et omnis qui vivit, & credit in me, [d] non morietur in æteroum. Credis hoc?

27. Ait illi: Utique Domine, ego eredidi [e] quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.

28. Et cùm hæc dixiſſet, abiit, & vocavit Mariam ſorotem ſuam [f] ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.

29. Illa ut audivit ſurgit eito, & venit ad eum:

30. Nondum enim venerat Jeſus in [g] caſtellum: ſed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & eonſolabantur eam, cùm vidiſſent Matiam quia cito ſurrexit & exiit, ſecuti ſunt eam diceotes: Quia vadit ad monumentum ut ploret ibi.

32. Maria ergo cùm veniſſet ubi erat Jeſus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus.

33. Jeſus ergo ut vidit eam plorantem, & Judæos qui venetant cum ea, plorantes, [h] infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum.

34. Et dixit: Ubi poſuiſtis eum? dicunt ei: Domine, veni, & vide.

35. Et lacrymatus eſt Jeſus.

36. Dixerunt ergo Judæi: Ecce [i] quomodo amabat eum.

37. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui apetuit oeulos cæci nati, facere ut hic non moreretur.

38. Jeſus [k] ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum, erat autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei.

39. Ait Jeſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, [l] quatriduanus eſt enim.

40. Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis [m] gloriam Dei?

41. Tulerunt ergo lapidem: Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam [n] audiſti me.

42. Ego autem [o] ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui eircumſtat, dixi: ut credant quia tu me miſiſti.

43. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit: Lazare, veni foras.

44. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite [p] abire.

45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.

46. Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Jeſus.

Referuntur conſultationes ſacerdotum & Phariſæorum, in quibus necem Jeſu ſtatuunt.

47. Collegeruot ergo Pontifices & Phariſæi [q] eoncilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?

48. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & [r] venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem.

49. Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex [ſ] anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam,

50. Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo [t] pro populo, & non tota gens pereat.

51. Hoc autem [u] à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, ptophetavit, quòd Jeſus moriturus erat pro gente,

52. Et oon tantùm pro [x] gente: ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum.

53. Ab illo ergo die [y] cogitaverunt ut interficerent eum.

54. Jeſus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem quæ dicitur [z] Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.

55. Proximum autem erat Paſcha Judæorum: & aſcenderunt multi Jeroſolymam de regione ante [aa] Paſcha, ut ſanctificarent ſe ipſos.

56. Quærebant ergo Jeſum: & colloquebantur ad invicem, in templo ſtantes: Quid putatis, quia [bb] non venit ad diem feſtum? dede-

tra vicum fuiſſe ex verſ. 31. apparet. *Quatuor*, quorum duo in itinere ... ſciendo ſolum pe...

18. [a] *Stadiis quindecim*, tribus leucæ quadrantibus.

22. [b] *Sed & nunc ſcio, &c.* his verbis rogabat ut fratrem reſurgere faceret.

25. [c] *Reſurrectio & vita*, Æth. *vivificator & ſuſcitator mortuorum*, autor reſurrectionis & fons vitæ. *Vivet*, vitâ beatâ.

26. [d] *Non morietur in æternum*, non perpetuò manebit in morte ſed ſuſcitabitur ad æternam felicemque vitam.

27. [e] *Quia*, Æth. Perſ. *quod*. *Veniſti*, Syr. Æth. *venturus erat*.

28. [f] *Silentio*, Syr. *clanculum*, Arab. *ſecreto*, Æth. Perſ. *clam*.

30. [g] *Caſtellum*, Syr. Perſ. *pagum*, Æth. *vicum*.

33. [h] *Infremuit*, *turbavit*, quod viſum eſt gemitibus & ſuſpiriis. *Spiritu*, quæ vox indicat motus illos fuiſſe voluntarios.

36. [i] *Quomodo*, Syr. Perſ. Æth. *quantum*.

38. [k] *Ergo*, dictio hæc continuat, non cauſam reddit.

39. [l] *Quatriduanus eſt*, Perſ. *quartus dies eſt*, *quod in ſepulchro fuit*.

40. [m] *Gloriam Dei*, opus præclarum quo Deus glorificabitur.

41. [n] *Audiſti*, audire ſoles.

42. [o] *Sciebam*, Arab. Æth. *ſcio*.

44. [p] *Abire*, libere procedere.

47. [q] *Concilium*, ſanedrin. *Facimus*, Syr. *agimus*, Arab. Æth. Perſ. *faciemus*.

48. [r] *Venient Romani*, tanquam adverſus eos qui deſerto Cæſare alium regem ſibi ſuſcitaverint. *Tollent locum*, deſtruent urbem & templum, occupando, vel perdendo.

49. [ſ] *Anni illius*, non quòd in annos, ſed quòd ſubinde mutarentur pontifices. *Dixit eis*, quibuſdam ex concilio, qui in favorem Jeſu opinati fuerant.

50. [t] *Pro populo*, pro ereptione gentis noſtræ de manibus Romanorum.

51. [u] *A ſemetipſo*, quantum ad ſenſum verum & intentum à Spiritu ſancto, quem ipſe Caiphas non intelligebat.

52. [x] *Gente* Judaicâ. *Filios Dei*, electos è Gentibus. *Qui erant diſperſi*, gentilitas ſæpe in ſcripturis vocatur diſperſio.

53. [y] *Cogitaverunt*, Syr. *machinabantur*.

54. [z] *Ephrem*, veriſimile eſt eſſe Ephron de quo II. Paral. c. 13. v. 19. prope Bethel in tribu Ephraim.

55. [aa] *Paſcha*, quartum & ultimum prædicantis Chriſti. *De regione*, de regionibus circa Jeroſolymam ſitis, aut de regione Ephrem. *Sanctificarent*, Syr. Æth. Perſ. *purificarent*.

56. [bb] *Non venit*, quia ab Ephrem eundo Jeruſalem demoratus eſt aliquandiu in deſerto, &c. & Jericho.



Joan. XI: 43, 44.

Ἀνάςασις τῦ Λαζάρυ ἐκ τῦ τάφυ.
Lazarus rising out of his grave
Die auferstehung des Lazarus aus dem grabe.

RESURRECTIO LAZARI È SEPULCRO.
Resurrection, de Lazare de son tombeau
De opwekking van Lazarus uit den grave.

NAPOLI

Digitized by Google

rant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.

CAPUT XII.

Jeſus apud Martham & Lazarum receptus, ungitur à Maria, quod murmuris Judæ eſt occaſio.

1. JEſus ergo [a] ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus.

2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha miniſtrabat, Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo.

3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore [b] unguenti.

4. [c] Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus.

5. Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?

6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum; ſed quia fur erat, [d] & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.

7. [e] Dixit ergo Jeſus: Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud.

8. Pauperes enim [f] ſemper habetis vobiſcum: me autem non ſemper habetis.

Principes ſacerdotum conſilium capiunt de occidendo Lazaro.

9. [g] Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic eſt: & venerunt, non propter Jeſum tantùm, ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit à mortuis.

10. Cogitaverunt autem principes ſacerdotum, ut & Lazarum interficerent.

11. Quia multi propter illum [h] abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum.

Jeſus aſello vectus Jeruſalem cum honore ingreditur.

12. [i] In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia venit Jeſus Jeroſolymam,

13. Acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Iſraël.

14. Et invenit Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut [k] ſcriptum eſt:

15. Noli timere filia Sion: Ecce rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ.

16. Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus [l] primum: ſed quando glorificatus eſt Jeſus, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei.

17. Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo [m] quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum à mortuis.

18. Propterea & obviam venit ei turba: quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.

19. Phariſæi ergo dixerunt [n] ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus poſt eum abiit.

Occaſione Gentilium Chriſtum videre cupientium Jeſus multa turbis ſe circumſtantibus proponit, in cujus ſermonis medio, vox de cœlo auditur.

20. Erant autem quidam [o] Gentiles, ex his qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto.

21. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jeſum videre.

22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum, & Philippus dixerunt Jeſu.

23. Jeſus autem reſpondit eis, dicens: Venit hora ut [p] clarificetur Filius hominis.

24. Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit;

25. Ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit multum [q] fructum affert. Qui amat animam ſuam perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

26. Si quis [r] mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.

27. Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater [ſ] ſalvifica me ex hac hora, ſed propterea veni in horam hanc.

28. Pater [t] clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: & clarificavi, & iterum clarificabo.

29. Turba ergo quæ ſtabat & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus eſt.

30. Reſpondit Jeſus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.

31. Nunc [u] judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

32. Et ego [x] ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.

33. [Hoc autem dicebat, ſignificans quâ morte eſſet moriturus.]

34. Reſpondit ei turba: Nos audivimus ex [y] lege quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo

1. a *Ante ſex dies Paſcha*, Syr. *ſex ante Paſcha diebus*. *Venit*, ex Ephrem. *Ubi Lazarus fuerat mortuus*, &c. Syr. Arab. *Ubi erat Lazarus ille, quem ſuſcitaverat à mortuis*. *Fuerat*, tunc morabatur.

3. b *Unguenti*, Syr. *aromatis*. *Piſtici*, ſinceri & puri, nardi Indicæ non Celticæ.

4. c *Dixit*, is fecit initium ſermonis quem alii incautiùs ſequuti ſunt.

6. d *Et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat*, Syr. *& marſupium haberet, & quidquid conjiciebatur in illud, ipſe portabat*.

7. e *Dixit ergo Jeſus*, &c. vide c. 26. v. 12. apud Matth. & 14. v. 8. apud Marcum. *Ut ſervet*. Syr. Arab. Perſ. *ſervant*.

8. f *Semper habetis*. Syr. *habebitis*.

9. g *Cognovit*, cùm hæſiſſet ibi per diem unum aut alterum.

11. h *Abibant*, deficiebant ab ipſis.

12. i *In craſtinum*, cœnæ factæ apud Simonem in Bethania.

14. k *Scriptum*, per Zachariam, quantum ad ſenſum

16. l *Primum*, cùm hæc fierent. *Fecerunt*. Syr. Arab. Æth. Perſ. *feciſſent*. Ipſi & populus.

17. m *Quando*. Syr. Perſ. Arab. *quòd*.

19. n *Ad ſemetipſos*, Æth. *inter ſe*.

20. o *Gentiles*, Græci Syriæ aut Phenicis, nec Judæi nec proſelyti, qui Deum Judæorum ut verum colebant: & quibus licitum erat in templo orare, eleemoſynas dare, & holocauſta offerre; & hæc in atrio exteriori, dicto Gentilium.

23. p *Clarificetur*, prædicatione Evangelii ad omnes Gentes, non ad Judæos ſolum, &c. quæ glorificatio non niſi morte ſuâ præcedente fieri poterat: unde de illa loquitur utens familiari ſimilitudine.

25. q *Fructum affert*, ſupplenda altera ſimilitudinis pars. *Sic & ego cùm mortuus fuero* &c. *Qui amat*, &c. vide Matth. c. 10.

26. r *Mihi miniſtrat*, ſe meum miniſtrum profiteri velit. *Sequatur*, imitetur, odiendo animam ſuam in hoc mundo, & uſque ad mortem: illic erit in gloria cum Chriſto.

27. ſ *Salvifica*, Syr. Arab. *libera me ab hac hora*. *Propterea*. Perſ. Æth. *propter hoc*. Arab. *propter hanc horam veni*. *Veni in horam hanc*, ut mortem patiar.

28. t *Clarifica nomen tuum*. illuſtretur in me & per me nomen tuum. *Clarificavi*, tot mirabilibus in vita tua. *Clarificabo*, per mortem, & reſurrectionem tuam.

31. u *Judicium mundi*, judicium quod pro mundo, id eſt, hominibus diaboli tyrannide oppreſſis erat tum per mortem ipſius futurum: vel, quo princeps tenebrarum ſuo cadet imperio. *Ejicietur foras*, extra ſuum imperium, ut non ſic omnibus dominetur.

32. x *Si exaltatus fuero à terra*, cùm in crucem actus fuero. *Omnia* genera hominum, id eſt, quoſdam de omnibus Gentibus, & non ſolum Judaicum populum: vel, omnes aut voluntate aut invite agnoſcent me ſolum Dominum.

34. y *Lege*, ſcripturis. *Oportet exaltari*, Syr. *fore ut tollatur*.

Digitized by Google

tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? quis eſt iſte Filius hominis?

35. Dixit ergo eis Jeſus: [a] Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.

36. Dum lucem habetis credite in lucem, ut filii lucis ſitis. Hæc locutus eſt Jeſus, & abiit, & abſcondit ſe ab eis.

Proponit Evangeliſta incredulitatem Judæorum prædictam ab Iſaia propheta.

37. Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum.

38. [b] Ut ſermo Iſaïæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt?

39. Propterea [c] non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias:

40. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: [d] ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.

41. Hæc dixit Iſaias, quando [e] vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo:

Aliqui ex primoribus credunt in Jeſum, ſed non audent illud palam profiteri.

42. Verumtamen & ex [f] principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut è ſynagoga non ejicerentur.

43. Dilexerunt enim gloriam [g] hominum magis, quàm gloriam Dei.

Adhuc alia verba Chriſti referuntur.

44. Jeſus autem clamavit, & dixit: Qui [h] credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me.

45. Et qui [i] videt me, videt eum, qui miſit me.

46. Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit: ego non [k] judico eum, non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.

48. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea habet qui judicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille [l] judicabit eum in noviſſimo die.

49. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar.

50. Et ſcio quia [m] mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.

CAPUT XIII.

Lavat Jeſus pedes diſcipulorum, renitente priùs Petro.

1. [n] ANte diem feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2. Et [o] cœna facta, cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iſcariotæ:

3. Sciens quia [p] omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit.

4. Surgit à [q] cœna: & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe.

5. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, [r] tu mihi lavas pedes?

7. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu [ſ] neſcis modò, ſcies autem poſteà.

8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes [t] in æternum. Reſpondit ei Jeſus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput.

10. Dicit ei Jeſus: Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos [u] mundi eſtis ſed non omnes.

11. Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum: propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.

12. Poſtquàm ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua; cùm recubuiſſet iterùm, dixit eis: Scitis [x] quid fecerim vobis.

Hortatur diſcipulos ad implenda erga ſe invicem humanitatis officia.

13. Vos vocatis me magiſter, & Domine; & bene dicitis: ſum etenim.

14. [y] Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

16. Amen, amen dico vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo: neque [z] apoſtolus major eſt eo qui miſit illum:

17. Si [aa] hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.

35. [a] *Adhuc modicum*. Syr. *modicum ad tempus*, pro modico tempore. *In vobis*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *vobiſcum*.

38. [b] *Ut*, ita ut, propterea eventum non cauſam denotat. *Auditui*, Arab. *voci*, Æth. *teſtimonio*, ſermoni. *Brachium*, virtus, verbum patris.

39. [c] *Non poterant*, non volebant. *Non poterant credere*, propter cæcitatem ſuam, quam prædixit Iſaias.

40. [d] *Ut non videant*, atque ita factum eſt ut non videant. *Non*, per modum cauſæ, ſed loquelæ ſumendum eſt.

41. [e] *Vidit*. Viſio refertur Iſaiæ c. 6.

42. [f] *Principibus*, Syr. *proceribus*.

43. [g] *Hominum*, ab hominibus. *Dei*, à Deo.

44. [h] *Credit in me*. Arab. *in me tantum*.

45. [i] *Videt*, per fidem.

47. [k] *Judico*, Syr. Arab. Æth. *condemno*. Nunc in primo meo adventu. *Judicem*, Syr. Arab. Æth *condemnem*.

48. [l] *Judicabit*, condemnabilem demonſtrabit, occaſio & titulus erit cur increduli condemnentur.

50. [m] *Mandatum ejus*, quod mandavit annuntiandum. *Vita æterna eſt*, ad illam perducit hancque confert.

1. [n] *Ante diem feſtum Paſcha*, ergo nondum erat Paſcha, quando Chriſtus cœnam fecit, & lavit pedes diſcipulorum die ſcilicet Jovis in veſpera. Ante Paſcha Judæorum qui celebrarunt illud die Veneris ad veſperam, die tamen decimâ quartâ lunæ, numerando dies lunæ, & incipiendo Neomeniam à die apparitionis novæ lunæ, Chriſtus verò celebravit pariter die decimâ quartâ numerando Neomeniam à die conjunctionis lunæ cum ſole, quæ dies præcedebat alteram viginti quatuor horis quæ alibi fuſius explicata.

2. [o] *Cœna facta*, non tantùm legali, ſeu Agni Paſchalis, quæ ſtando fiebat, ſed communi quæ poſt ipſam, Chriſtus enim dicitur ſurrexiſſe. *Miſiſſet in cor*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *in cor Judæ*. *Simonis*, Syr. Arab. Perſ. *filii Simonis*.

3. [p] *Omnia dedit ei Pater*, &c. ut probet potentiam ſuam per quam panem in corpus mutare poſſet: hæc autem notantur, ut ſciamus Jeſum humilem fuiſſe electione, non ignorantiâ ſui.

4. [q] *A cœna*, è menſa cibis appoſitis adhuc inſtructa. *Veſtimenta*, exteriorem amictum.

6. [r] *Tu*, Arab. Æth. *tune*. *Lavas*, Syr. *lavabis*.

7. [ſ] *Neſcis*, non intelligis quorſum hæc fiant. *Scies poſteà*, quando Spiritus ſanctus te docuerit imitari in miniſterio Apoſtolico exemplum humilitatis.

8. [t] *In æternum*: epitaſis, quæ rem valdè exagerat, nullo modo id patiar. *Non habebis partem*, nihil mihi tecum commune amplius erit.

10. [u] *Mundi*, per ſermonem meum, & fidem in me, à lotione corporali tranſit Chriſtus ad ſpiritualem, hac utens ſimilitudine. Sicut qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet qui facilius inquinantur, ſic & vos, &c.

12. [x] *Quid*, quorſum.

14. [y] *Si ergo*, &c. hoc non de ſola pedum ablutione intelligendum, ſed de quibuſvis humanitatis officiis.

16. [z] *Apoſtolus*. Perſ. *legatus*, Arab. *miſſus*.

17. [aa] *Hæc*, quæ de humilitate & mei imitatione dixi.

18. Non

Loquitur Jeſus de proditore ſuo, quem Joanni indicat.

18. Non de omnibus vobis [a] dico: Ego ſcio quos elegerim: ſed ut adimpleatur ſcriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum.

19. Amodo dico vobis, priùs quàm fiat: ut cùm factum fuerit credatis, quia [b] ego ſum.

20. [c] Amen, amen dico vobis: Qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit.

21. Cùm hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu: & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

22. Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret.

23. Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus [d] in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus.

24. [e] Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis eſt de quo dicit?

25. Itaque cùm [f] recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu, dicit ei: Domine, quis eſt?

26. [g] Reſpondit Jeſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ.

27. Et poſt buccellam, [h] introivit in eum ſatanas, & dixit ei Jeſus: Quod facis fac citius.

28. Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium [i] ad quid dixerit ei.

29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei Jeſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis [k] ad diem feſtum: aut egenis ut aliquid daret.

30. Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuò. Erat autem nox.

Loquitur Jeſus diſcipulis ſuis de ſui clarificatione atque præceptum dat mutuæ dilectionis.

31. Cùm ergo exiſſet, dixit Jeſus: Nunc [l] clarificatus eſt Filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo.

32. Si Deus clarificatus eſt [m] in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo: & continuò clarificabit eum.

33. Filioli, adhuc [n] modicum vobiſcum ſum. Quæretis me: & ſicut dixi Judæis: Quò ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modò.

34. Mandatum [o] novum do vobis: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.

35. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Reſpondit Jeſus: [p] Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequeris autem poſteà. — Petro prædicit trinam negationem.

37. Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modò: animam meam pro te [q] ponam.

38. Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non [r] cantabit gallus, donec ter me neges.

CAPUT XIV.

Pergit Chriſtus colloqui cum diſcipulis, illoſque verbis ſuis ad paſſionem diſceſſumque ſuum præparare, promittens ipſis alium conſolatorem, pacemque veram illis relinquens.

1. NOn [ſ] turbetur cor veſtrum, creditis in Deum: & in me credite.

2. [t] In domo patris mei manſiones multæ ſunt, ſi quominus dixiſſem vobis: Quia vado parare vobis locum.

3. Et [u] ſi abiero & præparavero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.

4. Et [x] quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis.

5. Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire?

6. Dicit ei Jeſus: Ego ſum [y] via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me.

7. Si cognoviſſetis me, & patrem meum utique cognoviſſetis: & [z] amodo cognoſcetis eum, & vidiſtis eum.

8. Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem, & [aa] ſufficit nobis.

9. Dicit ei Jeſus: Tanto tempore vobiſcum ſum: [bb] & non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo, tu dicis: Oſtende nobis Patrem?

10. Non creditis quia ego in Patre, & Pater

18. [a] *Dico*, vos fore beatos. *Elegerim* ad ſalutem. *Ut impleatur*, ut illud, eventum non cauſam denotet, ita ut. Ideò me permittente fiet quod ab uno veſtrùm futurum eſt.

19. [b] *Ego ſum*, quem me eſſe dixi. Filius Dei.

20. [c] *Amen, amen, &c.* hæc dicit pergendo hortari ad mutuam dilectionem.

23. [d] *In ſinu*, quia ſuper lecta menſis aſſidebant, tres in unoquoque lecto, & ſic Jeſus fuit in medio inter Petrum & Joannem, qui Joannes faciem vertebat ad Jeſum. Lectum autem ex parte menſæ erat pulvinari ut limbo circumdatum, aſſidentes extendebant ſe corpore innixi cubito brachii ſiniſtri. Qui primus aſſidebat, ita erat diſpoſitus, ut ſtomachus ipſius vicinus eſſet dorſo alterius aſſidentis, adeo ut cùm ille ſecundus caput inclinaret ab occipite ſtomachum prioris tangeret.

24. [e] *Innuit*, per ſignum fecit. Erectâ à tergo Jeſu ſuperiore corporis ſui parte, & Joannem reſpiciens. *Et dixit ei*, Syr. *ut ſuſcitaretur ab eo.*

25. [f] *Recubuiſſet*, caput prope ſtomachum poſuiſſet.

26. [g] *Reſpondit*, ita ſubmiſſè ut ab aliis non audiretur.

27. [h] *Introivit*, plenius, tunc enim Judas fuit abſolutè derelictus. *Facis*, facere moliris. *Fac*, permiſſio eſt, non juſſio. Exprobrat Judæ ſollicitudinem quâ premebatur.

28. [i] *Ad quid*, Æth. *propter quod*, Perſ. *quorſum.*

29. [k] *Ad diem feſtum*, quia craſtina dies Veneris feſtiva erat, maximè iis qui Paſcha celebraverant die Jovis: ergo nondum advenerat dies Paſchalis feſtivus, in quo nihil vendere nihil emere licitum, hinc concluditur cœnam hanc Chriſti non fuiſſe Paſchalem; Paſchæ autem dies in craſtinum incœpit ferè moriente Chriſto.

31. [l] *Clarificatus eſt*, cœleſti doctrinâ, & miraculis quæ Deus operatus eſt per eum, & quia morte & reſurrectione ſuâ meruit hominibus vitam æternam. *In eo*, per eum.

32. [m] *In eo*, per eum.

33. [n] *Modicum*, modico tempore. *Me*, meam præſentiam. *Et*, ita dico vobis, ut dixi Judæis. *Non poteſtis venire*, non poteſtis me ſequi modò, nondum enim ſatis fortes.

34. [o] *Novum*, novo modo expoſitum, & præceptum, qui loquendi modus frequens in Scripturis, non tantùm diligendi proximum ut ſeipſum, ſed etiam plus quàm ſeipſum, ut Chriſtus, qui vitam ſuam dedit pro inimicis, &c. *Ut &c*, Æth. *ſic.*

36. [p] *Quò ego vado, &c.* ad mortem crucis, quam nunc ferre non potes, ſed poſtea, &c.

37. [q] *Ponam*, Æth. *tradam.*

38. [r] *Cantabit*, in ultimo galli cantu.

1. [ſ] *Turbetur*, timore, vel mœrore ex dictis. *Creditis, &c.* in Deum potentem & bonum, ut vos in periculis ſervet, ita in me, &c.

2. [t] *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, hæc dicit ne diſcipuli deſperent ſe perventuros ad regnum cœleſte, quòd dixerit; *Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Si quo minus dixiſſem*, Æth. *ecce dico*, Perſ. *& ſi vobis dixero*, Syr. *alioquin.* Quod ſi ſecus eſſet. Niſi multæ forent manſiones, dixiſſem vobis. Nam quam ab eam parare vobis locum, fruſtra id facerem niſi, &c.

3. [u] *Si*, Æth. *poſtquàm. Præparavero*, manſiones quidem paratæ ſunt ex parte Dei, ſed qui perventuri ſint ad illas, indigent præparari à Chriſto, per miſſionem Spiritus ſancti.

4. [x] *Quò vado*, ad Patrem in cœlum. *Viam*, quâ illuc profecturus ſum per mortem meam. *Scitis*, ſciebant imperfectè, & dicit hoc, ut cogat illos inſcitiam fateri, & illum interrogent.

6. [y] *Via, &c.* non itur ad Patrem niſi per Chriſtum, qui via eſt per doctrinam ſuam, & vitam quam in ipſo habere debemus.

7. [z] *Amodo*, poſt miſſionem Spiritus ſancti. *Vidiſtis*, fide, licèt multum imperfectâ, Perſ. *ſcietis.*

8. [aa] *Sufficit*, nihil quærendum & interrogandum reſtabit.

9. [bb] *Et non cognoviſtis me*, putavit Philippus Deum poſſe oculis corporalibus videri, idque petiit à Chriſto, qui altiora docens Philippum, deque divinitate ſua ſermonem faciens, arguit illum quod non noverit quis eſſet, & quia filius idem eſt quod Pater, dicit quod qui videat Filium videat & Patrem.

Digitized by Google

in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera.

11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?

12. Alioquin propter opera ipſa credite. Amen, amen dico vobis: Qui [a] credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio.

14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

15. Si diligitis me, mandata mea ſervate.

16. Et ego rogabo Patrem & alium [b] Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.

17. Spiritum [c] veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit.

18. Non relinquam vos orphanos: [d] veniam ad vos.

19. Adhuc modicum, & mundus me jam non [e] videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis.

20. In illo die vos [f] cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

21. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & [g] manifeſtabo ei meipſum.

22. Dicit ei Judas, non ille Iſcariotes: Domine, [h] quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis te ipſum, & non mundo?

23. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:

24. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt [i] meus: ſed ejus, qui miſit me Patris.

25. Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens.

26. [k] Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

27. [l] Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum neque formidet.

28. Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado, [m] & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me eſt.

29. Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat: ut cùm factum fuerit [n] credatis.

30. Jam non multa loquar vobiſcum. [o] Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.

31. Sed ut cognoſcat mundus quia [p] diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite, eamus hinc.

CAPUT XV.

Adhuc Jeſus ſermonem facit cum diſcipulis, ſe viti, diſcipulos palmitibus conferens.

1. EGo ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt.

2. Omnem palmitem [q] in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

3. Jam vos mundi eſtis [r] propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.

4. Manete in me: [ſ] & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.

5. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum quia ſine me nihil poteſtis facere.

6. Si quis in me non [t] manſerit: mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

7. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcumque volueritis [u] petetis, & fiet vobis.

8. In hoc clarificatus eſt Pater meus, [x] ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.

9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione [y] mea. *Hortatur diſcipulos, ut in mutua dilectione permaneant, & fructum afferant ad quem electi ſunt.*

10. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.

12. [a] *Credit in me*, credit me eſſe Filium Dei conſubſtantialem Patri. *Majora*, mundi totius converſionem, & quædam etiam miracula majora miraculis Chriſti. *Quia ego ad Patrem vado*, Hebraiſmus, cùm ad Patrem vadam. Sicque expleto omni humiliationis miniſterio, & glorificatione acceptâ, potentiam ſuam divinam per Apoſtolos ſervos, & miniſtros ſuos declarabit.

16. [b] *Paraclitum*, Arab. *conſolatorem*.

17. [c] *Veritatis*, doctorem & datorem. *Mundus*, corruptus & malus. *Non videt*, cordis intuitum ad eum non dirigit.

18. [d] *Veniam*, hoc fecit poſt reſurrectionem, & mittendo Spiritum ſanctum.

19. [e] *Videt*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *videbit*. Quia poſt reſurrectionem ſolis diſcipulis & amicis apparebit. *Videtis*, Syr. Arab. Perſ. Æth. *videbitis*, poſt reſurrectionem. *Vivo*, reviviſcam à morte. *Vivetis*, interim non occidemini.

20. [f] *Cognoſcetis*, &c. quòd ſicut ego ſum in Patre meo & Pater meus in me & ego in vobis.

21. [g] *Manifeſtabo meipſum*, dabo claram divinitatis meæ notitiam.

22. [h] *Quid factum eſt, quia*, Arab. *quiſnam eſt ſenſus ſermonis tui, quod*, Perſ. *quomodo eſt, quod*, Syr. *quid ſibi vult*.

24. [i] *Meus*, ſolùm & originaliter.

26. [k] *Paraclitus*, Arab. *conſolator*. *In nomine meo*, propter mea meaque merita, vel, qui vices meas impleat docendo, conſolando. *Dixero*, Syr. *dico*, Arab. Perſ. Æth. *dixi*.

27. [l] *Pacem*, pacis nomine omnia bona intelligit. *Mundus dat*, pax mundi fallax, & in bonis temporalibus: pax Chriſti in bonis gratiæ & gloriæ. *Non turbetur*, auditâ mentione diſceſſus mei.

28. [m] *Et venio*, reviſurum vos. *Major me*, quatenus homo, & ad Patrem vado: vel, comparatio eſt officiorum non perſonarum.

29. [n] *Credatis* firmiùs quod credendum eſt de me.

30. [o] *Venit*, me per ſuos miniſtros interempturus. *Princeps mundi hujus*, peccatorum & amatorum hujus mundi. *Et in me*, &c. quicquam in me, &c. *Non habet quidquam*, cùm peccatum non habeam nihil juris & poteſtatis habet in me: quæ etenim fecit per miniſtros ſuos in corpus Jeſu, fecit volente & diſponente Jeſu.

31. [p] *Diligo Patrem*, ad mortem volens progrediendo. *Surgite, eamus hinc*, tollendum eſt punctum poſitum ante verbum *ſurgite*, fortè dixit quæ ſequuntur, aut manendo in eodem loco, aut progrediendo cum diſcipulis.

2. [q] *In me*, qui cùm ſint in me, fructum tamen non ferunt, &c.

3. [r] *Propter ſermonem*, doctrinam fide & obedientiâ acceptam.

4. [ſ] *Et ego*, ut ego maneam.

6. [t] *Manſerit*, per fidem & charitatem.

7. [u] *Petetis*, Syr. *poſtulate*, Æth. *rogate*, Perſ. *& petieritis*.

8. [x] *Ut*, ſi.

9. [y] *Mea*, quâ vos diligo, vel, quâ me diligitis: prior expoſitio melior.

Digitized by Google

11. Hæc locutus ſum vobis, ut [a] gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

12. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.

13. Majorem hac [b] dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

14. Vos amici mei [c] eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.

15. Jam non dicam vos [d] ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: Quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.

16. Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis, & fructum afferatis: & fructus veſter maneat: ut quodcumque petieritis Patrem, in nomine meo det vobis.

Munit illos adverſus mundi odium & perſecutiones.

17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

18. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.

19. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

20. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: [e] ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.

21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia neſciunt eum, [f] qui miſit me.

Judæos dicit inexcuſabiles de peccato ſuo.

22. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, [g] peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.

23. [h] Qui me odit, & Patrem meum odit.

24. Si opera non feciſſem [i] in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.

25. Sed [k] ut adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis.

Loquitur de teſtimonio quod ipſi erit & à Spiritu ſancto & à diſcipulis ſuis.

26. Cùm autem venerit [l] Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.

27. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia [m] ab initio mecum eſtis.

CAPUT XVI.

Pergit ſermonem facere de morte & paſſione ſua, diſceſſu ad Patrem, miſſione Spiritus ſancti, & futuris ipſorum afflictionibus, quibus tandem liberandi erunt, &c.

1. [n] HÆc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.

2. [o] Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.

3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt [p] Patrem neque me.

4. Sed hoc locutus ſum vobis: ut cùm venerit hora eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis.

5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram: & nunc vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis [q] interrogat me, Quò vadis:

6. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.

7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, [r] Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cùm venerit ille, [ſ] arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.

9. [t] De peccato quidem, quia non crediderunt in me:

10. [u] De juſtitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me:

11. [x] De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis [y] portare modò.

13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumque [z] audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis.

14. Ille me clarificabit: quia [aa] de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

15. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt,

11. [a] *Gaudium meum*, gaudium de me, vel, gaudium quo ego gaudeo in Patris erga me dilectione, & quod ex meo munere cœpit eſſe in vobis. Adiuc, gaudium quod habeo de vobis. *Impleatur*, ſit in vobis firmum, ſtabile, & perſeverans, & gaudium illud veſtrum ex eo quod mei ſitis, creſcat & perficiatur uſque in finem.

13. [b] *Dilectionem*, dilectionis opus & demonſtrationem. *Animam ponat*, vitam impendat. *Amicis*, iis quos amamus, licet etiam ipſi oderint nos.

14. [c] *Eſtis*, eritis.

15. [d] *Servos*, tunc ſervi non famuli. *Faciat*, facere velit. *Omnia*, quæ vos ſcire conveniebat. *Nota feci*, faciam.

20. [e] *Si ſermonem meum ſervaverunt*, hæc intelligenda à contrario, quia ſermonem meum non ſervaverunt, &c. Vel, ſi me in ſermonibus capere, & ex verbis reum facere voluerunt.

21. [f] *Qui miſit me*, cujus perſonam gero in peragendo iſto legationis meæ myſterio; Patrem ſcilicet & me eſſe filium ejus.

22. [g] *Peccatum* incredulitatis.

23. [h] *Qui me odit*, &c. cùm ſcire potuerint ac debuerint a Patre miſſum, quidquid in me contumelioſum faciunt, id Pater in ſuam contumeliam factum arbitratur.

24. [i] *In eis*, Syr. *coram oculis eorum*, inter eos. *Viderunt*, ſupple *opera quæ ego feci*.

25. [k] *Ut*, non cauſam ſed eventum ſignificat. *Lege*, Scripturis.

26. [l] *Paraclitus*, Syr. Arab. *conſolator*.

27. [m] *Ab initio*, à baptiſmate Joannis.

1. [n] *Hæc*, de odio veſtri & perſecutionibus. *Scandalizemini*, à fide deficiatis.

2. [o] *Abſque ſynagogis facient*, Syr. *ejicient ex ſynagogis*. *Obſequium præſtare*, Syr. *oblationem offerre*.

3. [p] *Patrem, neque me*, Deum verum eſſe Patrem meum, neque me ejus filium.

5. [q] *Interrogat*, ampliùs ut anteà.

7. [r] *Paraclitus*, Syr. *conſolator ille*.

8. [ſ] *Arguet*, certis argumentis convincet. *Mundum*, Judæos præcipuè. *De peccato*, oſtendet abſque venia peccaſſe. *De juſtitia & judicio*, ſpretis & neglectis.

9. [t] *De peccato quidem*, &c. Judæos arguet de peccato infidelitatis, & criminibus inde ſequutis: cùm enim evenerint omnia quæ prædixi de mittendo Spiritu, apparebit me eſſe prophetam Chriſtum Dominum, quod jam manifeſtum eſt ex tot ſignis: atque adeo illi rei, quod me ut verum Meſſiam non receperint.

10. [u] *De juſtitia*, quam non acceptaverunt & contempſerunt licèt ſim Filius Dei, quia vera juſtitia in ſolo Chriſto, non in operibus legis oſtendet etiam me juſtum & inique occiſum, quippe qui ſuſceptus à Patre ad quem vado. *Jam*, Syr. Æth. *amplius*. *Videbitis*, poſt Aſcenſionem.

11. [x] *De judicio*, quo diabolum condemnavi deque hominum cordibus ejeci, convincet etiam mundum eſſe damnationi juſte obnoxium, cùm princeps mundi jam condemnatus ſit, quatenus ſuo in homines imperio per juſtitiam Chriſti ſpoliatus. *Judicatus*, Æth. *condemnatus*.

12. [y] *Portare*, Syr. Perſ. *capere*.

13. [z] *Audiet*, acceperit a Patre & me.

14. [aa] *De meo*, ut qui a me procedit.

Digitized by Google

Propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.

16. Modicum, & jam [a] non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex diſcipulis ejus ad invicem: Quid eſt hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit: Modicum? Neſcimus quid loquitur.

19. Cognovit autem Jeſus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me; & iterùm modicum, & videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis: quia [b] plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

21. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit [c] hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.

22. Et vos igitur nunc quidem [d] triſtitiam habetis, iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

23. Et in [e] illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Uſque modò non petiſtis quidquam [f] in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.

25. Hæc in [g] proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis.

26. [h] In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis.

27. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia ego à Deo exivi.

28. Exivi à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.

29. Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & [i] proverbium nullum dicis.

30. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & [k] non opus eſt tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo exiſti.

31. Reſpondit ei Jeſus: Modò creditis?

32. Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in [l] propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.

33. Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.

CAPUT XVII.

Orat Chriſtus pro ſe, ſuique clarificatione.

1. HÆc locutus eſt Jeſus: & ſublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater venit [m] hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.

2. Sicut dediſti ei poteſtatem [n] omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam.

3. [o] Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.

4. Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam:

5. [p] Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui priùs, quàm mundus eſſet, apud te.

6. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti [q] mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti: & ſermonem tuum ſervaverunt. Orat pro Apoſtolis ſuis ut ſerventur a malo.

7. Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt:

8. Quia verba mea quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt, & cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me miſiſti.

9. Ego pro eis rogo: Non [r] pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt:

10. Et mea omnia tua ſunt, & [ſ] tua mea ſunt: & clarificatus ſum in eis.

11. Et [t] jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: ut ſint unum ſicut & nos.

12. Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, [u] ut Scriptura impleatur.

---

16. [a] *Non videbitis*, quia paulò pòſt moriar. *Videbitis*, quia reſurgam.
20. [b] *Plorabitis* de morte mea. *Mundus*, Judæi, &c.
21. [c] *Hora ejus*, Syr. *dies partus ejus*.
22. [d] *Triſtitiam habetis*, habebitis de mea paſſione, &c.
23. [e] *Illo die*, tempore quo reſuſcitatus fuero. *Rogabitis*, &c. poſt miſſionem Spiritus ſancti nihil interrogabitis me amplius, ſed quidquid poſt ſubtractam meî præſentiam corporalem petieritis per me ut redemptorem, Pater dabit vobis.
24. [f] *In nomine meo*, tanquam redemptoris, mediatoris & capitis, nondum enim ſatis perſuaſi erant de divinitate Chriſti.
25. [g] *Proverbiis*, Syr. Æth. Perſ. *parabolis*. *Palam de Patre*, &c. quod fecit per dies quadraginta poſt reſurrectionem.
26. [h] *In illo die*, poſt reſurrectionem, & Aſcenſionem. *Non dico vobis*, &c. non enim erit opus, cum Pater amet vos.
29. [i] *Proverbium*, Syr. Æth. Perſ. *parabolam*.
30. [k] *Non opus eſt*, &c. quia Chriſtus prævenerat modò interrogationem diſcipulorum, dicunt, nunc ſcimus omnia etiam arcana cordis à te ſciri, neque opus eſſe ut quis te interroget, ut ſcias quid à te velit.
32. [l] *Propria*, Syr. Arab. *locum ſuum*. *Pater mecum eſt*, cum aliquo eſſe, eſt ſtare ab ejus partibus, & auxilium ei præſtare.
1. [m] *Hora*, mortis & paſſionis. *Clarifica*, quod fecit ſignis mortem Chriſti comitantibus, reſurrectione, Aſcenſione, &c. Evangelicâ prædicatione, quibus toti mundo manifeſtes innocentiam & dignitatem meam, neque ab omnibus impoſtor habear. *Ut filius tuus clarificet te*, ut gloria mea in te veluti in fontem redundet, & per reſurrectionis meæ prædicationem toti orbi innoteſcas per me.
2. [n] *Omnis carnis*, Syr. *ſuper omnem carnem*. Clarifica filium, &c. ut omne quod dediſti ei, det illi vitam æternam, ſicut dediſti ei poteſtatem, &c.
3. [o] *Hæc eſt vita*, per hoc pervenitur ad vitam. *Te ſolum*, &c. te eſſe Deum illum qui ſolus verus eſt.
5. [p] *Et nunc clarifica*, &c. petit ut humanæ naturæ tribuatur gloria divina, reſuſcitando illam, uſque ad dexteram patris collocando, adeo ut ab omnibus verus Deus agnoſcatur.
6. [q] *Mihi*, per me ſalvandos. *De mundo*, ſeparatos. Hæc verba diſcipulos ſpectant.
9. [r] *Mundo*, infidele & impœnitente; ſenſus etiam eſſe poteſt. Nunc pro diſcipulis rogo, non pro aliis omnibus hominibus, jam jam pro illis rogaturus.
10. [ſ] *Tua mea ſunt ... tua*, à te data. *Mea*, mihi data. *Clarificatus* ſecunda eſt ratio, cur oret pro eis, quia crediderunt & mandatis obtemperaverunt. *Eis*, hominibus à te mihi datis.
11. [t] *Jam non ſum*, paulò pòſt non ero.
12. [u] *Ut*, eventum non cauſam ſignificat: ita ut.

13. Nunc autem ad te venio : & [a] hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.

14. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo.

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo.

16. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo.

17. [b] Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt.

18. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego [c] miſi eos in mundum.

19. Et pro eis ego [d] ſanctifico meipſum : ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.

20. Non pro eis autem rogo tantùm : ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.

Orat pro credituris per prædicationem Apoſtolorum, ut omnes concordes ſint credantque Jeſum à Patre miſſum.

21. Ut omnes [e] unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint : ut credat mundus, quia tu me miſiſti.

22. Et ego [f] claritatem quam dediſti mihi, dedi eis : ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.

23. [g] Ego in eis, & tu in me : ut ſint conſummati in unum : & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.

24. Pater quos dediſti mihi, [h] volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum : ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi : quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

25. Pater juſte, mundus te non cognovit : ego autem te cognovi : & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti.

26. Et [i] notum feci eis nomen tuum, & notum faciam : ut dilectio, quâ dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

CAPUT XVIII.

Deſcribit quæ facta ſint in horto, in quo comprehenſus eſt Jeſus.

1. HÆc cùm dixiſſet Jeſus, [k] egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe, & diſcipuli ejus.

2. Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jeſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis.

3. [l] Judas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.

4. Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit & dixit eis : [m] Quem quæritis ?

5. Reſponderunt ei : Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus : Ego ſum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipſis.

6. Ut ergo dixit eis : Ego ſum : abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.

7. Iterùm ergo interrogavit eos : Quem quæritis ? Illi autem dixerunt : Jeſum Nazarenum.

8. Reſpondit Jeſus : Dixi vobis, quia ego ſum : ſi ergo me quæritis, ſinite [n] hos abire.

9. Ut impleretur ſermo, quem dixit : Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum : & percuſſit pontificis ſervum : & abſcidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen ſervo Malchus.

11. Dixit ergo Jeſus Petro : [o] Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?

12. Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum.

13. [p] Et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim ſocer Caïphæ, qui erat pontifex anni illius.

Quæ facta in domibus Annæ & Caiphæ.

14. [q] Erat autem Caïphas, qui conſilium dederat Judæis : Quia expedit unum hominem mori pro populo.

15. Sequebatur autem Jeſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. [r] Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jeſu in atrium pontificis.

16. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.

17. Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria : Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius ? Dicit ille : Non ſum :

18. Stabant autem ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe : erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe.

19. Pontifex ergo interrogavit Jeſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus.

20. Reſpondit ei Jeſus : Ego palàm locutus ſum [ſ] mundo : ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt : & in occulto locutus ſum nihil.

13. [a] *Hæc loquor, &c.* ut, licèt præſentiâ meâ priventur, protectione tuâ & miſſione Spiritus ſancti, nihil minuatur gaudii, quod ipſis erat ex mea præſentia. *Ut habeant, &c.* Syr. Arab. *ut ſit gaudium meum plenum in ipſis.*

17. [b] *Sanctifica*, ad opera religionis divinique cultus ſegregando. *In veritate*, verè, non ſanctitate legali, ſed doctrinâ Evangelicâ.

18. [c] *Miſi.* Æth. *mittam.*

19. [d] *Sanctifico*, me in ſacrificium offero, ita illos ſepara in ſacrificium, in prædicationem, &c. *Veritate*, operibus ſanctis & verbo Evangelico.

21. [e] *Unum ſint*, per mutuam charitatem unum ſint Spiritu, ſicut nos unum ſumus naturâ & divinitate. *Mundus*, ii qui ex infidelitate ad fidem erant convertendi. *Me miſiſti*, hæc officia charitatis operaturus.

22. [f] *Claritatem*, gloriam filiationis divinæ, & participationem divinæ naturæ Syr. Arab. Æth. Perſ. *gloriam.* Quæ per ſigna, dogmata, doctrinam, & concordiam, atque communicationem amoris & donorum.

23. [g] *Ego in eis*, per gratiam. *Tu in me*, per unitatem naturæ divinæ. *Conſummati in unum*, perfectè uniti.

24. [h] *Volo*, cupio. *Sum*, futurus ſum.

26. [i] *Notum feci*, Hebraiſmus, & cùm notum fecerim. *In ipſis ſit*, perſeveret dilectio tua erga eos, ſicut erga me. *Ego in ipſis*, quia ego in ipſis ſum, tanquam caput in membris.

1. [k] *Egreſſus*, non quod propriè domo egreſſus, ſed idem eſt ac tranſgreſſus.

3. [l] *Judas ergo*, &c. vide Matthæi cap 26.

4. [m] *Quem quæritis*, interrogat poſt oſculum, cùm non permiſiſſet ut turba militum hoc ſignum videret.

8. [n] *Hos*, Apoſtolos, & alios comites.

11. [o] *Mitte*, Arab. Perſ. *repone*, immitte.

13. [p] *Et duxerunt*, &c. Vide ſuprà cap. 11. verſ. 49. *Primum*, tacitè ſatis indicat Evangeliſta, inde ductum ad Caipham, qui in eadem domo cujus Annas dominus erat, cum Anna morabatur.

14. [q] *Erat autem Caiphas*, &c. ſupplendum *ad quem deinde tanquam pontificem, Annas Jeſum remiſerat*, &c.

15 [r] *Diſcipulus*, veriſimile eſt non fuiſſe Joannem, ſed alium quemdam diſcipulum occultum, atque adeo nihil timentem à pontifice & miniſtris ejus, &c.

20. [ſ] *Mundo*, Syr. *ad populum.*

Digitized by Google

21. Quid me iotertogas? interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciunt quæ dixetim ego.

22. Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens: Sic reſpondes pontifici?

23. Reſpoodit ei Jeſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis?

24. Et [a] miſit eum Aonas ligatum ad Caïpham pootificem.

25. Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non ſum.

26. Dicit ei unus ex ſervis pontificis, cognatus ejus, cujus [b] abſcidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?

27. Itetùm ergo negavit Petrus: & ſtatim gallus caotavit.

Deſcribit quæ geſta in prætorio.

28. Adducunt ergo Jeſum à Caïpha in prætorium. Erat autem manè: & ipſi oon introierunt io prætorium, ut non [c] contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.

29. Exivit ergo Pilatus ad eos [d] foras, & dixit: Quam accuſatiooem affertis adversùs hominem hunc?

30. Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, oon tibi tradidiſſemus eum.

31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis ooo licet [e] ioterficere quemquam.

32. Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixit, [f] ſignificans quâ morte eſſet moriturus.

33. Intcoivit ergo iterùm in prætorium Pilatus, & vocavit Jeſum, & dixit ei: Tu es rex Judæorum?

34. Reſpondit Jeſus: [g] A temetipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35. Reſpondit Pilatus: [h] Numquid ego Judæus ſum? Gens tua, & pootifices tradiderunt te mihi: quid feciſti?

36. Reſpoodit Jeſus: Regnum meum noo eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.

37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpoodit Jeſus: Tu dicis quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni io mundum, ut [i] teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.

38. Dicit ei Pilatus: [k] Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterùm exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo cauſam.

39. Eſt autem conſuetudo [l] vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha; vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum.

40. Clamaveruot ergo rurſum omnes, dicentes: Non hunc, ſed Barrabam. Erat autem Barrabas latro.

CAPUT XIX.

Pergit deſcribere Hiſtoriam paſſionis Jeſu, uſque ad mortem ipſius.

1. TUne ergo [m] apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit.

2. Et milites plectentes coronam de [n] ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdederunt eum.

3. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave rex Judæorum: & dabant ei alapas.

4. Exivit ergo iterùm Pilatus [o] foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis quia nullam iovenio in eo cauſam.

5. (Exivit ergo Jeſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimeotum) & dicit eis: Ecce homo.

6. Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum [p] vos, & crucifigite: ego enim oon invenio in eo cauſam.

7. Reſpooderunt ei Judæi: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.

8. Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis [q] timuit.

9. Et ingreſſus eſt prætorium iterùm: & dixit ad Jeſum: [r] Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei.

24. [a] *Miſit*, aoriſtus ille græcus ponitur loco *miſerat*: hæc enim repetit, quia prius interrupta fuerat Hiſtoria negationum Petri.

26. [b] *Abſcidit*, abſciderat.

28. [c] *Contaminarentur*, ingrediendo domum viri Gentilis: in ædibus enim Gentilium difficile vitabantur ea quæ faciebant immundum. *Sed ut*, prius quàm, Arab. *antequam. Paſcha*, & Jeſus ipſe & reliquum vulgus comederant Paſcha pridiè; ſed ut ſupra diximus cùm ſecundùm variam rationem Neomeniarum, duobus diebus luna diceretur decima quarta, ſeniores populi & principes ſacerdotum nondum Agnum Paſchalem comederant, quem non manducabant niſi in ſabbato, quando Paſcha incidebat in feriam ſextam, ne diu cogerentur paratu ciborum abſtinere. Alii *Paſcha*, exponunt de Paſchalibus victimis, quæ per illos dies offerebantur, & quæ Paſcha vocantur, Deut. cap. 16 verſ. 2. & II. Par. c. 35. v. 8. & 9. quas comedere non licebat immundis, Lev. cap. 22. verſ. 3. Sunt etiam alii interpretes, inter quos Calmet, qui *Paſcha*, exponunt de Agno Paſchali quem contendunt non manducatum à Chriſto pridie, nec à Judæis, cujus manducatio incidit in horam quâ Chriſtus verus Agnus immolatus eſt in cruce.

29. [d] *Foras*, non in plateam, ſed in lithoſtrothon, quæ erat Porticus ſupra plateam ædificata inſtar pontis, è prætorio ducens in arcem Antonianam.

31. [e] *Interficere*, cùm jus mortis inferendæ ſit à nobis per vos Romanos ablatum. Prætereà eum crucifigendum volebant, quod genus mortis inferendæ non licebat ipſis. Præſides quidem permittebant quandoque Judæis ſecundùm legem ipſorum judicare reos, ſed cùm ſecundùm conciliorum illorum Chriſtus reus non eſſet niſi blaſphemiæ, cujus criminis lapidatio erat pœna, diebus autem Paſchalibus licitum illis non erat occidere quemquam: prætereà ex teſtimoniis prophetarum, Chriſtus à Gentilibus ut ſceleratus damnandus erat. Unde ut ſeductorem & ſeditioſum, accuſarunt illum Judæi apud Pilatum.

32. [f] *Significans*, Syr. *quam patefaceret*, Arab. *quo ſignificaret*, *quaſi morte*. &c.

34. [g] *A temetipſo*, num à te, aut ex relatu aliorum cognoviſti affectatum à me imperium.

35. [h] *Numquid ego Judæus ſum?* ut mihi curæ ſit illius nationis Meſſiam, vel ſtemmata noſſe, &c.

37. [i] *Teſtimonium perhibeam veritati*, palam prædicem hominibus veritatem.

38. [k] *Quid eſt veritas*, quæſtio eſt parvi facientis & faſtidientis, non diſcere cupientis. *In eo*, Arab. *adverſùs eum*. *Cauſam*, Perſ. *ſpeciem criminis*, Æth. *nullum ſcio quod inveni illius crimen*, *ne unum quidem*.

39. [l] *Vobis*, in veſtri gratiam introducta. Hæc verba præcedentibus non fuerunt continuè ſubjuncta, multa enim interceſſerunt, ut Jeſu ad Herodem remiſſio. &c.

1. [m] *Apprehendit*... *flagellavit*. apprehendi & flagellari per lictores ſuos fecit.

2. [n] *Spinis*. juncis marinis longis & acutis exponunt quidam.

4. [o] *Foras*, ut verſ. 29. cap. præcedentis. *Cauſam* ut verſ. 38. ejuſdem capitis, nequidem flagellationis & coronationis iſtius, ut cùm videatis eum innocentem à me male tractatum, colligatis me non parciturum ei fuiſſe, ſi quam cauſam mortis inveniſſem, &c.

6. [p] *Vos*, facite veſtro periculo: non jam concedit, ſed mavult alienum quam ſuum eſſe crimen.

8. [q] *Timuit*, ne hominem condemnando, Deum etiam occideret. Quod ethnicum metuiſſe mirum non eſt, ne ſcilicet heros eſſet aut ſemideus ex Deo & homine natus. Vide Act. cap. 14. verſ. ne tandem ſeditio erumperet, niſi illis pareret.

9. [r] *Unde es tu?* hoc non de patria, jam enim miſerat ad Herodem. &c. quibus majoribus, quod magis conveniat cum timore verſus præcedentis.



Joann. XIX. 1.

Χριϛὸς μαϛιγωθείς. | CHRISTUS FLAGRIS CAESUS.
Christ Scourged. | Jesus-Christ fouëtté.
Chriſtus wird gegeiſſelt. | Christus gegeesselt.

Picart delin. Bernard sculp.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?

11. Reſpondit Jeſus: Non haberes poteſtatem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. [a] Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.

13. Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Jeſum: & [b] ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrothos, hebraicè autem Gabbatha.

14. Erat autem [c] Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta, & dixit Judæis: Ecce rex veſter.

15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem.

16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. [d] Suſceperunt autem Jeſum, & eduxerunt.

17. Et bajulans [e] ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, hebraicè autem Golgotha.

18. Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jeſum.

19. [f] Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Jeſus Nazarenus rex Judæorum.

20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt; quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum hebraicè, græcè, & latinè.

21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli [g] ſcribere, Rex Judæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum.

22. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, [h] ſcripſi.

23. Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, [& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem] & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.

24. Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit. [i] Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

25. Stabant autem [k] juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.

26. Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce [l] filius tuus.

27. Deinde dicit diſcipulo: Ecce [m] mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

28. Poſteà ſciens Jeſus quia [n] omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

29. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. [o] Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.

30. Cùm ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: [p] Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.

31. Judæi ergo, [quoniam Paraſceve erat] ut [q] non remanerent in cruce corpora ſabbato, [erat enim magnus dies ille ſabbati] rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

Fractis latronum cruribus, ex aperto latere Chriſti profluit ſanguis & aqua.

32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo.

33. Ad Jeſum autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.

34. Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.

35. Et qui vidit teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit: ut & vos credatis.

36. Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: [r] Os non comminuetis ex eo.

37. Et iterùm alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

38. Poſt hæc autem rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathæa, [eò quòd eſſet [ſ] diſcipulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæorum] ut tolleret corpus Jeſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jeſu.

Sepelitur corpus Jeſu.

11. [a] *Propterea, &c.* quia ex Scripturis debuit Judæis eſſe notum & quis ſim, & quem Patrem habeam deſuper, &c. *Qui me tradidit*, populus Judæorum. *Majus peccatum*, quia præter peccatum proprium, occaſionem tibi præbet crudelitatis & injuſtitiæ.

13. [b] *Sedit pro tribunali*, in ſede ad judicandum, & in habitu judicis. *Hebraicè*, lingua quâ Judæi eo tempore utebantur, Chaldaica ſcilicet mixta Hebrææ, quam Syriacam vocamus.

14. [c] *Paraſceve Paſchæ*, quia duo dies, ut diximus ſuprà deſtinati erant immolationi & manducationi Agni Paſchalis, ſecundùm variam rationem Neomeniarum. Prioris diei veſperè nequaquam poterant ſacerdotes comedere Paſcha, quia inſerviebant ferè omni genti in immolatione victimarum, quarum numerus uſque ad 3000000. erat, &c. ſimpliciter verò exponunt alii, qui contendunt diem Paſchæ non incidiſſe niſi in diem ſequentem, agnumque Paſchalem non fuiſſe manducatum à Chriſto. *Quaſi ſexta*, vide Marci cap. 15. *Ecce rex veſter*, hæc deridens Judæos.

16. [d] *Suſceperunt*, non Judæi ſed milites Pilati.

17. [e] *Sibi*, Syr. Arab. Æth. *ſuam. Calvariæ*, non quod caput Adæ fuerit ibi ſepultum, qui Adam ſepultus fuit in Ebron; ſed quia locus ille abundabat oſſibus mortuorum, eò quòd damnati ibi ſepelirentur.

19. [f] *Scripſit*, ſcribere fecit.

21. [g] *Scribere*, ſcriptum relinquere.

22. [h] *Scripſi*, Arab. *ſcriptum eſt.* Maneat ſcriptum quod ſcripſi. Proconſulis enim ſententia ſemel lecta, neque augeri litera neque minui poterat ex Apuleio ſub finem, lib. I. Floridorum.

24. [i] *Ut*, ita ut. *Miſerunt ſortem*, ex quo non eſt concludendum ſortem non fuiſſe miſſam ſuper alia veſtimenta, ſed quòd illa diviſa non fuerint.

25. [k] *Juxta crucem*, hæ mulieres apud Matthæum dicuntur à longè ſtetiſſe, ſed utrumque ſucceſſivè fieri potuit. *Soror*, cognata, aut verè ſoror. *Maria Cleophæ*, uxor; à Matthæo & Marco vocatur Jacobi & Joſeph mater; Cleophas ille, alio nomine dictus Alphæus, frater erat Joſeph.

26. [l] *Filius*, non naturâ, aut adoptione, ſed officio & charitate filiali erga illam: hinc colligitur Joſephum mortuum fuiſſe, alioqui matrem non tradidiſſet Chriſtus cuſtodi alteri.

27. [m] *Mater*, matris loco cujus curam geras. *In ſua*, Syr. *apud ſe*, Arab. *in domum ſuam.* Et conſequenter in curam ſuam.

28. [n] *Omnia*, præter id quod ſequitur. *Conſummaretur Scriptura*, Pſal. 68. *in ſiti mea potaverunt me aceto.*

29. [o] *Illi autem*, ex illis unus. *Plenam aceto*, acetum aſſervabant, ut vires morientium recrearet, & ſanguinis fluxum ex vulneribus ſiſteret. Alii dicunt quòd mortem acceleraret, erat præterea potus militum Romanorum, qui illud attulerant ad uſum ipſorum, cùm per reliquum diei ibi conſiſtere deberent. *Hyſſopo circumponentes*, Perſ. *& ſumma arundini infixit*, Æth. *& circumpoſita fuit hyſſopo*. *& ligarunt eam ſuper arundinem.* Hyſſopi calamo pro ligamine utentes, ne ſcilicet ſpongia dilaberetur, & ut acetum virtute hyſſopi condiretur.

30. [p] *Conſummatum*, quidquid ad mortem & redemptionem pertinebat.

31. [q] *Non remanerent in cruce*, vide legem latam, Deut. cap. 21. *Erat enim magnus dies ille ſabbati*, quia hoc anno celebrabatur dies primus Azymorum, pro iis ſcilicet, qui cum ſacerdotibus Paſcha celebraverant die Veneris decima quarta à Phaſe, id eſt, apparitione lunæ. Vel, propter feſtum Paſchatis incurrentem in diem ſabbati.

36. [r] *Os non comminuetis, &c.* hoc in ſacramentum corporis myſtici, de quo Chriſtus ait. *Quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam*, ergo etiam falsò dicitur à devotionariis cranium Chriſti perforatum fuiſſe à corona ſpinea.

38. [ſ] *Diſcipulus*, unus eorum qui in ipſum credebant.

Digitized by Google

39. Venit autem & Nicodemus qui venerat ad Jeſum nocte [a] primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quaſi libras centum.

40. Acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire.

41. Erat autem [b] in loco, ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat.

42. Ibi ergo [c] propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.

CAPUT XX.

Deſcribitur qualiter Maria Magdalene primò, deinde Petrus cum alio diſcipulo iverint ad ſepulchrum Jeſu.

1. [d] UNa autem ſabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento.

2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & [e] neſcimus ubi poſuerunt eum.

3. Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.

4. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum.

5. Et cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introivit.

6. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina poſita,

7. Et ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.

8. Tunc ergo introivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & [f] credidit.

9. Nondum enim [g] ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.

10. Abierunt ergo iterùm diſcipuli ad [h] ſemetipſos.

Apparitio Chriſti facta Mariæ Magdalenæ.

11. Maria autem ſtabat ad monumentum [i] foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum.

12. Et vidit duos angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.

13. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia [k] tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.

14. Hæc cùm dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus eſt.

15. Dicit ei Jeſus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans quia [l] hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.

16. Dicit ei Jeſus: Maria. [m] Converſa illa, dicit ei: Rabboni [quod dicitur Magiſter.]

17. Dicit ei Jeſus: [n] Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.

18. Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

19. Cùm ergo ſerò eſſet die illo, [o] una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jeſus & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

Deinde Apoſtolis, quibus dat poteſtatem retinendi & remittendi peccata.

20. Et cùm hoc dixiſſet oſtendit eis manus, & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.

21. Dixit ergo eis iterùm: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, [p] & ego mitto vos.

22. Hæc cùm dixiſſet inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum:

23. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt.

24. [q] Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jeſus.

Hæc cùm non crederet Thomas, rurſus illi & aliis Apoſtolis apparet.

25. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.

26. Et [r] poſt dies octo iterùm erant diſcipuli ejus intus; & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis.

27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus ſed [ſ] fidelis.

28. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

29. Dixit ei Jeſus: Quia [t] vidiſti me, Thomas credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

30. Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.

Agitur de ſignis à Jeſu factis.

31. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia

39. [a] *Primum*, Arab. Perſ. *antea*. Primâ vice quâ ad eum venit.
41. [b] *In loco*, prope locum.
42. [c] *Propter Paraſceven Judæorum*, Syr. *propterea quod ſabbatum intrabat*.
1. [d] *Una*, Syr. Æth. *prima*, Perſ. *in matutino autem diei primæ ſeptimanæ*.
2. [e] *Neſcimus*, aderant cum ea aliæ mulieres.
8. [f] *Credidit*, eſſe ſublatum.
9. [g] *Sciebant Scripturam*, Syr. *noverant ex Scripturis*.
10. [h] *Semetipſos*, Syr. Arab. Perſ. *locum ſuum*.
11. [i] *Foris*, extra ſpeluncam, in qua erat exciſum ſepulchrum.
13. [k] *Tulerunt*, ex verſu 42. capitis præcedentis veriſimile eſt corpus Jeſu poſitum fuiſſe in hoc ſepulchro propter Paraſceven, ut poſtea poneretur in alio loco.
15. [l] *Hortulanus*, non quòd ſarculum aut ligonem haberet, ſed ex veſtimento ſimplici, &c.
16. [m] *Converſa*, quia iterum ad Angelos reſpexerat.
17. [n] *Noli me tangere*, hoc non eſt exponendum, quaſi tactum corporis ſui poſt reſurrectionem prohibuerit, qui dixit poſtea. *Videte & palpate, &c.* ſed ut Maria cognovit Jeſum, corruit ad pedes ipſius, quos amplectebatur; dicit illi Jeſus, ne immoreris in his amplexibus, hoc enim facere poteris antequam aſcendam ad Patrem meum; nondum enim, &c. ſed vade, &c. *Aſcendo*, Arab. *aſcenſurus ſum*.
19. [o] *Una ſabbatorum*, Syr. *diei illius primi hebdomadis*.
21. [p] *Et ego*, ita ego, pari autoritate, &c.
24. [q] *Thomas autem, &c.* potuit Thomas licèt abſens Spiritum ſanctum accipere, ſicut Eldad, & Medad cum abſentes acceperunt quia erant inter deſignatos à Moyſe ſicut & Paulus poſtea.
26. [r] *Poſt dies octo*, octavo poſt die.
27. [ſ] *Fidelis*, credens.
29. [t] *Vidiſti*, pro tetigiſti.

Jeſus

Digitized by Google




Joan XX. 14 15

Μαρία Χριςὸν ἑαυτῇ φανέντα νομίζει κηπουρὸν εἶναι. | **CHRISTUS SUB SPECIE HORTULANI.**

Jesus appeareth to Mary | *Jesus-Christ paroissant à Marie passe pour le Jardinier.*

Chriſtus erſcheinet Mariä welche meinet daß er der Garten-hüter ſey. | Christus in de gedaente eens Hoveniers

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Joann. XX. 27.

Θωμᾶς ἄπιϛος. | THOMAS INCREDULUS.
Unbeliving Thomas. | *L'incredulité de Thomas.*
Der unglaubige Thomas. | Ongeloof van Thomas.

A. Pool sculp.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Joan XXI.

Χριςὸς φανερῶ ἑαυτὸν τοῖς μαθηταῖς παρὰ τῇ θαλάσσῃ.
Christ appeard to his Disciples at the Sea of Tiberias.
Chriſtus erſcheint ſeinen Jüngeren.

CHRISTUS PATEFACIT SE DISCIPULIS AD MARE.
Jesus-Christ apparoit à ses Disciples près de la Mer.
Christus verschynt syn Discipelen by de Zee.

Jeſus eſt [a] Chriſtus Filius Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

CAPUT XXI.

Deſcribitur apparitio Chriſti ad mare Tiberiadis.

1. POſteà manifeſtavit ſe iterùm Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis. Manifeſtavit autem ſic.

2. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & [b] Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis ejus duo.

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus, & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim: & illâ nocte nihil prendiderunt.

4. Manè autem facto ſtetit Jeſus in littore: non tamen cognoverunt diſcipuli quia Jeſus eſt.

5. Dixit ergo eis Jeſus: [c] Pueri numqnid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non.

6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miſerunt ergo; & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.

7. Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro: Dominus eſt: Simon Petrus, cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunicâ ſuccinxit ſe (erat enim [d] nudus) & miſit ſe in mare.

8. Alii autem diſcipuli navigio venerunt, [non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis] trahentes rete piſcium.

9. Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & [e] piſcem ſuperpoſitum, & panem.

10. Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.

11. [f] Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.

12. Dicit eis Jeſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? ſcientes, quia Dominus eſt.

13. Et venit Jeſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.

14. Hoc jam [g] tertiò manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.

Poſt trinam amoris confeſſionem committitur Petro ovilis Chriſti cura.

15. Cùm ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Jeſus: Simon [h] Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.

16. Dicit ei iterùm: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.

17. Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oves meas.

De morte Petri & Joannis agitur.

18. Amen, amen dico tibi: Cùm eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem ſenueris, [i] extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.

19. Hoc autem dixit, ſignificans quâ morte clarificaturus eſſet Deum. Et cùm hoc dixiſſet, dicit ei: Sequere me.

20. Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & [k] recubuit in cœna ſuper pectus ejus, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te?

21. Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Domine, [l] hic autem quid?

22. Dicit ei Jeſus: [m] Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere.

23. Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jeſus: Non moritur; ſed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

De veritate teſtimonii Joannis, & quòd omnia Chriſti facta ſcripta non ſint.

24. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & [n] ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus.

25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, [o] nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

31. [a] *Chriſtus*. Syr. *Meſſias*.
2. [b] *Nathanael*, quem unum & eumdem cum Bartholomæo dicunt quidam, quod alii negant.
5. [c] *Pueri*, Arab. *juvenes*.
7. [d] *Nudus*, non omninò, id eſt, ſine tunica & pallio.
9. [e] *Piſcem*, piſces.
11. [f] *Aſcendit*, cum non nihil intraſſet in mare aſcendendo traxit.
14. [g] *Tertio*, diſcipulis ſimul congregatis.
15. [h] *Joannis*, Arab. *fili Jonæ*.
18. [i] *Extendes manus, & alius te cinget*, extende manus in cruce Et ut ad hoc venias, alius te cinget vincula injiciens.
20. [k] *Recubuit*, tunc temporis accumbebant in menſa, cùm manducarent hic qui propius erat alicui, capite pectus illius velut tangebat, &c.
21. [l] *Hic autem quid*, Perſ. *huic quid eſt futurum?* facturus ea, paſſurus? quid.
22. [m] *Sic*, patet in græco, quod legendum ſit, ſi ſenſus tamen eſſe poteſt. Eſto quod eum velim manere, &c. *Manere*, in carne mortali; ſine martyrio. *Donec veniam*, ad eum in hora mortis ejus, vocaturus eum, &c.
24. [n] *Scimus*, modò in ſingulari, modò in plurali loquitur Sed hæc perſonæ numerique mutatio Hebræis frequens eſt, ut Gen. c. 28. verſ. 3. &c. Hæc a fidelibus Epheſinis addita dicunt nonnulli.
25. [o] *Nec ipſum arbitror mundum*, &c. locutio eſt hyperbolica, vult dicere nihil à Jeſu dictum aut factum in tota vita, quod non eſſet divinum, & ſcriptione digniſſimum. De captu hominum exponunt alii.

IN ACTUS APOSTOLORUM.

Continet hic liber Hiſtoriam rerum quæ acciderunt Apoſtolis, & Paulo præ-ſertim, per ſpatium triginta annorum, à morte Chriſti & anno æræ noſtræ trigeſimo tertio uſque ad annum ſexageſimum tertium.

Scripta fuit à Luca, idque Romæ, cùm eſſet Apoſtoli Pauli diſcipulis, cujus non pauca prætermiſit, neque enim proceſſit ultra biennium Romæ commorantis Pauli, hoc eſt, quartum Neronis annum.

Græcè ſcripta fuit, & in latinum ſermonem à ſancto Hieronymo verſa.

CAPUT I.

Narrantur quædam quæ contigerunt ante Aſcenſionem Chriſti, quæ hic etiam deſcribitur.

1. [a] PRIMUM quidem ſermnnem feci de nmnibus, ô Thenphile, quæ cœpit Jeſus facere, & docere.

2. [b] Uſque in diem, quâ præcipiens Apnſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt:

3. Quibus & præbuit ſeipſum vivum pnſt paſſionem ſuam io multis [c] argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regnn Dei.

4. Et [d] conveſceos, præcepit eis ab Jernſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis (inquit) per os meum.

5. Quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vns autem [e] baptizabimini Spiritu ſaocto non pnſt multos hos dies.

6. Igitur qni [f] coovenerant, interrngabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?

7. Dixit autem eis: Nnn eſt veſtrûm noſſe tempora vel momeota, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate:

8. Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vns, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Jndæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.

9. Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis, elevatus eſt: & oubes [g] ſuſcepit eum ab oculis eorum.

10. Cùmque iotuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo [h] viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis,

11. Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis io cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

12. Tunc reverſi ſunt Jernſolymam, [i] à monte qui vocatur Oliveri, qui eſt juxta Jeruſalem, ſabbati habens iter. Reverſi Apoſtoli Jeruſalem perſeverant in oratione cum Maria &c.

13. Et cùm intrniſſent in [k] cœnaculum, aſcenderunt ubi manebant Petrus & Joanoes, Jacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Barthnlomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simnn Zelntes, & Judas Jacnbi.

14. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum [l] mulieribus, & Maria matre Jeſu, & fratribus ejus.

15. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit [erat autem turba hnminum ſimul, ferè centum viginti.] Deſcribitur electio Mathiæ, & ſubſtitutio in locum Judæ proditoris.

16. Viri fratres, nportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui cnmprehenderunt Jeſum.

17. Qui connumeratus erat in oobis, & [m] ſortitus eſt ſnrtem mioiſterii hujus.

18. Et hic quidem [n] pnſſedit agrum de mer-

1. [a] *Primum quidem ſermonem feci*, Syr. Æth. *primum librum ſcripſi*, ſuperiore quidem volumine, diximus. *De omnibus*, exponendum de generibus ſingulorum. Vel de omnibus præcipuis, & quibus opus erat, de multis.

2. [b] *Uſque in diem, &c.* Syr. *uſque ad diem illum quo ſublatus eſt, poſtquam mandata dediſſet Apoſtolis illis quos elegit per Spiritum ſanctitatis.* *Diem*, Maii decimam quartam.

3. [c] *Argumentis*, Syr. Æth. *ſignis*.

4. [d] *Conveſcens*, Græcè, *congregans*. *Promiſſionem*, impletionem promiſſionis de miſſione Paracliti.

5. [e] *Baptizabimini*, quod de confirmatione exponendum, facta in die Pentecoſtes. Vel, de effuſione Spiritus abundantiore.

6. [f] *Convenerant* ad montem Oliveti verſus Bethaniam. *Si*, Arab. Æth. Syr. *num hoc*, deſcenſus Spiritus Sancti. *Iſrael*, Gr. Arab. Syr. *Iſraeli*. Æth. *filius*.

9. [g] *Suſcepit*, ſubduxit.

10. [h] *Viri*, Angeli virorum ſpecie.

12. [i] *A monte Oliveti*, ſed Lucæ cap. 24. locus unde aſcendit Chriſtus dicitur: *Bethania*, at Bethania erat in latere montis extremo *Sabbati habens iter*, diſtans itinere quod fieri poterat ſabbato.

13. [k] *Cœnaculum*, domus Mariæ uxoris Cleophæ, matris Joannis Marci, ubi probabile eſt quod Dominus celebraverit ſacræ Paſchæ myſteria. *Alphæi*, Syr. Arab. Æth. *filius Alphæi*. *Judas Jacobi*, Jacobi frater, uterque enim Alphæi filius.

14. [l] *Mulieribus*, de quibus mentio, Matth. cap. 27. verſ. 55. de ſexu enim non de matrimonio agitur. *Fratribus*, cognatis.

17. [m] *Sortitus*, non quod ſortium interventu electus fuerit à Chriſto; ſed quia, ſicut ſors non reſpicit meritum perſonæ, ita Chriſtus Apoſtolos elegit, &c.

18. [n] *Poſſedit*, poſſideri fecit, argenteos reſtituendo: quia meum eſſe cenſetur. Quod meo ære emptum eſt, & mortuus dicor illud

Digitized by Google



Actor. 1, 9

Χριςꙋ̃ ἀνάληψις εἰς τὸν ȣ̓ρανόν.
Christs ascension into heaven.
Chriſti Him̃elfahrt.

CHRISTI ADSCENSIO IN CAELUM.
L'ascencion de Jesus-Christ au Ciel.
Christus Hemelvaert.

Champagne delin. | Bernards sculp.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Πνεύμα SANCTI.

Se ceest.

Picart delin. *Brion sculp.*

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

tede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius: & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.

19. [a] Et notum factum eſt omnibus habitantibus Jeruſalem, ita ut appellaretur ager ille, linguâ eorum, Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis.

20. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat [b] commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: & epiſcopatum ejus accipiat alter.

21. Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jeſus.

22. Incipiens à baptiſmate Joannis uſque in diem quâ aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.

23. Et ſtatuerunt duos, Joſeph, qui vocabatur [c] Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Mathiam.

24. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum,

25. [d] Accipere locum miniſterii hujus, & apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas ut abiret in locum ſuum.

26. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.

CAPUT II.

Effuſo in die Pentecoſtes ſuper diſcipulos Spiritu ſancto, ſtatim loquuntur variis linguis, quod Judæi qui aderant mirantur.

1. ET cùm complerentur [e] dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.

2. Et factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis [f] ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes.

3. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, [g] ſeditque ſupra ſingulos eorum:

4. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.

5. Erant autem in Jeruſalem habitantes Judæi, viri religioſi [h] ex omni natione quæ ſub cœlo eſt.

6. [i] Factâ autem hac voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes.

7. Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt,

8. [k] Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?

9. Parthi, & Medi, & [l] Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum, & Aſiam,

10. Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & [m] advenæ Romani,

11. [n] Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.

12. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem, dicentes: Quidnam vult hoc eſſe?

13. Alii autem irridentes dicebant: Quia muſto pleni ſunt iſti.

14. Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Judæi, & qui habitatis Jeruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea.

15. Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei [o] tertia:

Dicentes muſto plenos eſſe diſcipulos confutat Petrus, citatque in defenſionem quædam ex propheta Joële.

16. Sed hoc eſt, quod dictum eſt per prophetam Joël:

17. Et erit in noviſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.

18. Et quidem ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt:

19. Et dabo prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

20. Sol convertetur in tenebras, & luna [p] in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifeſtus.

21. Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

22. Viri Iſraëlitæ, audite verba hæc: Jeſum Nazarenum, virum [q] approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis.

Horum verborum occaſione loquitur Petrus de Chriſto, quem verum Dominum & Meſſiam eſſe probat.

23. Hunc definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum [r] affigentes interemiſtis.

24. Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus

per meos ſucceſſores poſſidere. Vel, poſſedit pecuniam pretium agri, vel etiam, ut avarus mentem habebat agri comparandi, hocque fortè jam ante pactus fuerat. *Suſpenſus crepuit*, quia poſt ſuſpenſionem cecidit, &c. cadendo crepuit. *Diffuſa*, Gr. Syr. Arab. Æth. *effuſa*.

19. [a] Verba verſûs hujus videntur eſſe potiùs authoris libri, quàm ipſius Petri, &c.

20. [b] *Commoratio deſerta*, quod de Judæis præcipuè intelligendum, niſi domus Judæ in vico Scarioth deſerta, &c. *Epiſcopatum*, Syr. Æth. *miniſterium*.

23. [c] *Barſabas*, filius Sabæ.

25. [d] *Accipere*, Syr. *ut accipiat*, Arab. Æth. *qui accipiat*. *De quo prævaricatus eſt*, unde prævaricatus excidit.

1. [e] *Dies Pentecoſtes*, hoc anno vigeſima quarta Maii noſtri. *Pariter*, ſimul.

2. [f] *Spiritus*, Gr. *flatus*, Syr. *venti*.

3. [g] *Sedit*, Syr. Arab. *ſederunt*.

5. [h] *Ex omni natione*, hyperbole, ex diverſis & multis provinciis, in quibus remanſerant poſt captivitatem, licèt obtentâ à Cyro facultate redeundi.

6. [i] *Factâ autem hac voce*, Syr. *quumque extitiſſet ſonitus ille*. Is rumor cum increbuiſſet. *Audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes*, quidam ſic exponunt, quod licèt unâ linguâ loquerentur coram hominibus diverſarum nationum, tamen ab omnibus audirentur.

8. [k] *Et quomodo*, &c. Æth. *quomodo igitur audivimus eos loquentes in ſermone regionum originis noſtræ*.

9. [l] *Ælamitæ*, populi vicini Perſarum & Medorum. *Judæam*, terram duarum tribuum.

10. [m] *Advenæ Romani*, Syr. *ii qui à Roma venerunt*.

11. [n] *Judæi*, genere & religione.

15. [o] *Tertia*, ab ortu ſolis. Tempus precum matutinarum, unde immaturum ebrietatis. His enim diebus feſtis Judæi non ſolvebant jejunium niſi poſt oblationem ſacrificiorum matutinorum quæ non erat finita, niſi poſt ſextam aut ſeptimam horam diei atque adeo poſt meridiem.

20. [p] *In ſanguinem*, Æth. *ſicut ſanguis fiet manifeſtus*, Gr. *illuſtris*, Syr. *tremendus*. Æth. *glorioſus*. *Dies Domini*, dicitur in Scripturis, dies ille in quo ultionem ſumit de hoſtibus ſuis miro & ſtupendo modo, &c. ſic dies quo capta Jeruſalem à Nabuchodonoſor, & poſteà à Romanis, quo Chriſtus judicaturus vivos & mortuos.

22. [q] *Approbatum*, certiſſimis argumentis probatum. *In vobis*, Syr. *apud vos*.

23. [r] *Affigentes*, Syr. *crucique affixiſtis*, Æth. *ſuſpendiſtis eum*, crucifixum.

[a] inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.

25. David enim dicit [b] in eum: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commovear:

26. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe:

27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

28. [c] Notas mihi feciſti vias vitæ: & replebis me jucunditate cum facie tua.

29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem.

30. Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus:

31. [d] Providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

32. Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.

33. Dexterâ igitur Dei exaltatus, & [e] promiſſione Spiritus ſancti acceptâ à Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

34. Non enim David aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,

35. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

36. Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum, & [f] Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis.

Compuncti Judæi convertuntur, & baptizantur ad tria millia.

37. His autem auditis, [g] compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?

38. Petrus verò ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & [h] baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus ſancti.

39. [i] Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.

40. Aliis etiam verbis plurimis [k] teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini à generatione iſta prava.

41. Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt: & [l] appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.

Perſeverant fideles in doctrina Apoſtolorum, &c. Habent omnia communia, & numerus credentium augetur.

42. Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & [m] communicatione fractionis panis, & orationibus.

43. Fiebat autem omni animæ timor: [n] multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Jeruſalem fiebant, & metus erat magnus in univerſis.

44. Omnes etiam qui credebant, [o] erant pariter, & habebant omnia communia.

45. Poſſeſſiones & [p] ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & [q] frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis,

47. Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. [r] Dominus autem augebat qui ſalvi fierent quotidie in idipſum.

CAPUT III.

Petrus cum Joanne claudum à matris utero ſanat ad portam templi, mirantibus univerſis.

1. PEtrus autem & Joannes aſcendebant in templum, ad horam orationis nonam.

2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, [ſ] quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemoſynam ab introëuntibus in templum.

3. Is cùm vidiſſet Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemoſynam acciperet.

4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Reſpice in nos.

5. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis.

6. Petrus autem dixit: Argentum & aurum [t] non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.

7. Et apprehensâ manu ejus dexterâ, allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ.

8. Et exiliens ſtetit, & ambulabat & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

24. [a] *Inferni*, Gr. Arab. Æth. *mortis*. Dolores mortis, hic pro morte dolorum & cruciatuum plena.

25. [b] *In eum*, Syr. Æth. *de eo*. In eum reſpiciens, & pro ejus nomine.

28. [c] *Notas mihi feciſti vias vitæ*, me in vitam revocaſti. *Cum vultu*; Arab. *per vultum*.

31. [d] *Providens*, Syr. *pravidit*, Arab. *cum præſcivisſet*, Æth. *præſciendo*.

33. [e] *Promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre*, omni glorificatione adeptâ, quam Pater ei per Spiritum ſanctum in Scripturis promiſerat. Vel, accipiens a Patre, ut poſſet Spiritum ſanctum mittere quem promiſerat, & hoc per meritum mortis & reſurrectionis. *Hunc*. Syr. *hoc donum*. Arab. *hoc*.

36. [f] *Chriſtum*, Syr. Æth. *Meſſiam*.

37. [g] *Compuncti*, non omnes, ſed multi.

38. [h] *Baptizetur in nomine Jeſu Chriſti*, quia ad majorem dignitatem & autoritatem conciliandam nomini Chriſti, exprimebatur nomen illius, ſic, in nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti. Et etiam ante baptiſmum invocatio fiebat & confeſſio nominis Jeſu, ſicque baptizati dicuntur in nomine Jeſu Chriſti, qui baptizati ſunt poſtquam invocaverunt & confeſſi ſunt nomen Domini Jeſu.

39. [i] *Vobis*, propter Chriſtum, per Abraham. *Omnibus qui longè*, &c. quod & de Gentilibus, & de Judæis longè diſperſis exponendum.

40. [k] *Teſtificatus*, veritatem confirmans.

41. [l] *Appoſitæ ſunt*, Arab. *additæ fuerant inter fideles tria millia*; appoſitæ numero credentium.

42. [m] *Communicatione fractionis*, communi fractione. Quod licèt de Euchariſtia intellectum, poteſt de ſimplici annona intelligi.

43. [n] *Multa quoque*, Arab. *quoniam*, &c.

44. [o] *Erant pariter*, Arab. *erant ſimul concordes*, erant conjuncti.

45. [p] *Subſtantias*, Gr. *facultates*.

46. [q] *Frangentes circa domos panem*, hoc de pane communi, quo de communi vivebant.

47. [r] *Dominus autem augebat*, &c. Dominum verò ſervandos quotidie addebat Eccleſiæ. *In idipſum*, Gr. *Eccleſiæ*. Syr. Arab. *in Eccleſia*. Apud Gr. Syr. Arab. & Eraſmum, principium eſt capitis ſequentis.

2. [ſ] *Quæ dicitur ſpecioſa*, quia ex cupro Corinthiaco erat facta. Joseph. lib. VII. de bello Jud. cap. 11. æneam dicit.

6. [t] *Non eſt mihi*, quomodo hoc, cum facultates ſuas traderent fideles in manus Apoſtolorum? hoc tamen verum, quia nihil apud ſe retinebant nec ferebant. *Habeo* in mea poteſtate dare.

Digitized by Google

9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

10. Cognoſcebant autem illum, quòd ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad Specioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore & [a] extaſi, in eo quod contigerat illi.

Unde Petrus alloquitur populum, docetque id à ſe factum per fidem nominis Christi, cujus mortem ipſis imprebat.

11. Cùm teneret autem Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum quæ appellatur [b] Salomonis, ſtupentes.

12. Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraëlitæ, quid miramini [c] in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtrâ virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?

13. Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum, glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & [d] negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.

14. Vos autem ſanctum & juſtum [e] negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis:

15. Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus.

16. Et in [f] fide nominis ejus, hunc quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrûm.

17. Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.

18. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, [g] pati Chriſtum ſuum, ſic implevit.

Hortatur illos ad pœnitentiam, probatque Chriſtum eſſe Meſſiam promiſſum per Moyſen, prophetas, ipſoſque Abrahæ.

19. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra:

20. [h] Ut cùm venerint tempora refrigerii à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis Jeſum Chriſtum,

21. Quem oportet quidem cœlum [i] ſuſcipere, uſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſæculo prophetarum.

22. Moyſes quidem dixit: Quoniam prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tamquam me ipſum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis.

23. Erit autem: omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.

24. Et omnes prophetæ à Samuël, & deinceps, qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos.

25. Vos eſtis filii prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

26. Vobis primùm Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis: ut convertat ſe unuſquiſque à nequitia ſua.

CAPUT IV.

Cùm multi credidiſſent ſermonibus Apoſtolorum, ipſi à ſacerdotibus ponuntur in cuſtodiam.

1. Loquentibus autem illis ad populum, ſupervenerunt ſacerdotes, & [k] magiſtratus templi, & Sadducæi,

2. Dolentes quòd docerent populum, & annuntiarent [l] in Jeſu reſurrectionem ex mortuis:

3. Et injecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum: erat enim jam veſpera.

4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus eſt [m] numerus virorum quinque millia.

Examinati a ſacerdotibus de claudi curatione, hanc in Chriſti nomine factam fatentur, quem probant ſolum eſſe à quo ſit ſperanda ſalus.

5. Factum eſt autem in craſtinum, ut congregarentur principes eorum, & ſeniores, & Scribæ in Jeruſalem,

6. Et [n] Annas princeps ſacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali.

7. Et ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?

8. Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & ſeniores audite:

9. Si nos hodiè dijudicamur in benefacto hominis infirmi, [o] in quo iſte ſalvus factus eſt,

10. Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël: quia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.

11. [p] Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli:

12. Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

Prohibentur prædicare Chriſtum, cui juſſioni ſe non obtemperaturos declarant.

13. Videntes autem Petri [q] conſtantiam & Joannis, comperto quòd homines eſſent ſine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoſcebant eos quoniam cum Jeſu fuerant:

14. Hominem quoque videntes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

15. Juſſerunt autem eos foras extra concilium ſecedere: & conferebant ad invicem,

16. Dicentes: Quid faciemus hominibus iſtis? [r] quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, omnibus habitantibus Jeruſalem:

10. [a] *Extaſi*, Syr. Arab. *admiratione*.
11. [b] *Salomonis*, conſtat ex libro Joſephi ant. XX. cap. 18. & lib. XV. c. 14. fundamenta atrii orientalis à Salomone constructi adhuc permanſiſſe poſt ædificatum templum ſecundum.
12. [c] *In hoc*, Syr. *propter hoc*.
13. [d] *Negaſtis*, regem veſtrum aut Filium Dei. *Judicante illo dimitti*, Syr. *quum ipſe æquum judicaſſet eum eſſe abſolvendum*.
14. [e] *Negaſtis*, dimittendum.
16. [f] *Fide nominis ejus*, illa fides eſt Petri ſanantis, &c. *Confirmavit nomen ejus*, &c. & nomen ejus confirmavit per illius fidem hunc, &c.
18. [g] *Pati*, Syr. *paſſurum*.
20. [h] *Ut cùm venerint*, &c. Syr. *& obveniant vobis tempora quietis à conſpectu Domini, mittatque vobis illum*, &c. *Refrigerii*, expugnationis Jeruſalem.
21. [i] *Suſcipere*, ſuſceptum retinere. *Reſtitutionis*, quia unicuique quod promeruit retribuetur.
1. [k] *Magiſtratus templi*, dux Judæorum qui cuſtodiebant ſecundum atrium templi: vel, dux cohortis Romanæ ad cuſtodiam templi.
2. [l] *In Jeſu*, Arab. *per Jeſum*. *Reſurrectionem*, futuram virtute Chriſti, & demonſtratam in hoc quod de Jeſu commemorabant.
4. [m] *Numerus virorum*, Arab. *numerus hominum credentium*.
6. [n] *Annas princeps ſacerdotum*, non tunc princeps, ſed per plures annos, hunceque titulum durante vita retinuit. Caiphas autem tunc erat princeps ſacerdotum.
9. [o] *In quo*, Æth. *quomodo*, Arab. *per quid*. Quâ ratione.
11. [p] *Hic*, Chriſtus.
13. [q] *Conſtantiam*, Gr. *libertatem*, in dicendo. *Idiotæ*, dicuntur apud Hebræos, qui neque magiſtratus ſunt, neque legiſperiti.
16. [r] *Quoniam notum ſignum*, &c. Syr. *ecce enim ſignum illud manifeſtum, quod editum eſt per eos, omnibus incolis Jeruſalem notum eſt*, &c.

manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.

17. Sed ne amplius divulgetur in populum comminemur eis, ne ultrà loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18. Et vocantes eos, [a] denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jeſu.

19. Petrus verò & Joannes reſpondentes, dixerunt ad eos: Si juſtum eſt [b] in conſpectu Dei, vos potius audire quàm Deum, judicate:

20. Non enim poſſumus quæ vidimus, & audivimus non loqui.

21. At illi comminantes dimiſerunt eos: non invenientes quomodo punirent eos propter populum, quia omnes [c] clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat.

22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis.

Dimiſſi Apoſtoli narrant quæ ipſis acciderant, unde orantibus reliquis fratribus ſigno terræ motus replentur Spiritu ſancto.

23. Dimiſſi autem venerunt ad ſuos: & annuntiaverunt eis, [d] quanta ad eos principes ſacerdotum, & ſeniores dixiſſent.

24. Qui cùm audiſſent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt:

25. Qui Spiritu ſancto per os patris noſtri David, [e] pueri tui, dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?

26. Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus?

27. Convenerunt enim verè in civitate iſta adversùs ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſraël,

28. [f] Facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.

29. Et nunc, Domine, reſpice minas eorum, & da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum,

30. [g] In eo quod manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna & prodigia fieri per nomen ſancti Filii tui Jeſu.

31. Et cùm oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.

Libere Chriſtum prædicant, credentiumque unanimitas & communitas bonorum deſcribitur.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.

33. Et virtute magnâ reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri: [h] & gratia magna erat in omnibus illis.

34. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant,

35. Et ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.

Barnabas vendit agrum ſuum, & ſicut cæteri pretium deponit ad pedes Apoſtolorum.

36. Joſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis [quod eſt interpretatum Filius conſolationis] Levites, [i] Cyprius genere,

37. Cùm [k] haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.

CAPUT V.

Narratur hiſtoria mortis Ananiæ, & Saphiræ uxoris ejus.

1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore ſua, vendidit agrum,

2. Et [l] fraudavit de pretio agri, conſciâ uxore ſuâ: & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.

3. Dixit autem Petrus: Anania, cur [m] tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri.

4. [n] Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo.

5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt.

6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes ſepelierunt.

7. Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpatium, & uxor ipſius, neſciens quod factum fuerat, introivit.

8. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, [o] ſi tanti agrum vendidiſtis? at illa dixit: Etiam tanti.

9. Petrus autem ad eam: Quid utique [p] convenit vobis tentare Spiritum Domini? ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum, ad oſtium, & efferent te.

10. Confeſtim cecidit ante pedes ejus: & expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & ſepelierunt [q] ad virum ſuum.

11. Et factus eſt timor magnus in univerſa eccleſia, & in omnes qui audierunt hæc.

Multa ſigna fiunt per Apoſtolos, & maxime per Petrum, augeturque credentium numerus.

12. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.

13. Cæterorum autem nemo audebat [r] ſe conjungere illis: ſed magnificabat eos populus.

14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum.

18. [a] *Denuntiaverunt*. Syr. *præceperunt*.
19. [b] *In conſpectu Dei*, Deo judice.
21. [c] *Clarificabant id quod factum fuerat*, &c. Gr. *omnes glorificabant Deum ſuper facto*, Syr. *ſuper eo quod factum fuerat*.
23. [d] *Quanta*, Syr. *quæcumque*.
25. [e] *Pueri*, Syr. Æth. *ſervi*.
28. [f] *Facere*. Syr. Æth. *ut facerent*, Arab. *ad faciendum*. *Conſilium*. Syr. *voluntas*.
30. [g] *In eo quod extendas*, Arab. *extendens*.
33. [h] *Et gratia*, &c. Æth. *& magna gratia eorum fuit apud omnes*. *Illis*, fidelibus.
36. [i] *Cyprius*, cujus parentes per diſperſionem & captivitatem ad illum deducti ſunt locum.
37. [k] *Haberet agrum*, licebat enim Levitis habere hæreditaria bona in aliena terra, & in terra Chanaan, &c.

2. [l] *Fraudavit*, partem pecuniæ ſibi ſervando.
3. [m] *Tentavit*, tentatione efficaci per conſenſum. *Mentiri Spiritui ſancto*, hoc mendacium erat in fraudem promiſſionis Deo factæ.
4. [n] *Nonne manens tibi manebat*, &c. Syr. *nonne tuus erat priuſquam vendidiſſes? & poſtquam venundatus es rurſus in poteſtatem habebas ſuper pretium*.
8. [o] *Si*, Syr. Æth. *num*. Arab. *tantine*.
9. [p] *Convenit vobis*. Syr. *concordes fuiſtis*, *ad tentandum*, Arab. *conſpiratis inter vos*. *Tentare ſpiritum*, an miniſtros Eccleſiæ doceret rem occultam, credentes quod lateret, &c. vel, illuminatos à Spiritu ſancto.
10. [q] *Ad virum*. Syr. *ad tumulum mariti ſui*, Arab. *prope maritum*.
13. [r] *Se conjungere*, Æth. *accedere*.

15. Ita ut in plateas [a] ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.

16. Concurrebat autem, & multitudo vicinarum civitatum Jeruſalem, afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis: qui curabantur omnes.

Miſſi in carcerem Apoſtoli, ab Angelo educuntur, & in templo docent.

17. [b] Exurgens autem princeps ſacerdotum, & omnes qui cum illo erant (quæ eſt hæreſis Sadducæorum) repleti ſunt zelo:

18. Et injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica.

19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit:

20. Ite, & [c] ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus.

Conſulunt inter ſe principes ſacerdotum de ipſis quos adductos arguunt de doctrina: ſed Petrus cum libertate magna loquitur ipſis de Jeſu, unde ſacerdotes furore aguntur, cogitantque interficere illos.

21. Qui cùm audiſſent, intraverunt diluculo in templum, & docebant. Adveniens autem princeps ſacerdotum, & qui cum eo erant, convocaverunt concilium, & omnes ſeniores filiorum Iſraël: & miſerunt ad carcerem, ut adducerentur.

22. Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto carcere non inveniſſent illos, reverſi nuntiaverunt,

23. Dicentes: Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus.

24. Ut autem audierunt hos ſermones magiſtratus templi, & principes ſacerdotum, [d] ambigebant de illis quidnam fieret.

25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis: Quia ecce viri, quos poſuiſtis in carcerem, ſunt in templo ſtantes, & docentes populum.

26. Tunc abiit magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi: timebant enim populum ne lapidarentur.

27. Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio. Et interrogavit eos princeps ſacerdotum,

28. Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine iſto: & ecce repleſtis Jeruſalem doctrinâ veſtrâ: & vultis [e] inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.

29. Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli, dixerunt, Obedire oportet Deo [f] magis quàm hominibus.

30. Deus patrum noſtrorum ſuſcitavit Jeſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno.

31. Hunc principem, & ſalvatorem Deus exaltavit dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum:

32. Et nos ſumus teſtes [g] horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.

33. Hæc cùm audiſſent, [h] diſſecabantur, & cogitabant interficere illos.

34. Surgens autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis univerſæ plebi, juſſit foras ad breve [i] homines fieri.

Conſilio Gamalielis dimittuntur, cæſis tamen & flagellatis Apoſtolis, qui ſe contumeliâ affectos eſſe gaudentes, à prædicando non ceſſant.

35. Dixitque ad illos: Viri Iſraëlitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis quid acturi ſitis.

36. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens: Se eſſe aliquem, cui [k] conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt: & omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum.

37. Poſt hunc extitit Judas Galilæus in diebus [l] profeſſionis, & avertit populum poſt ſe, & ipſe periit: & omnes, quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.

38. Et nunc itaque dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos: quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur.

39. Si verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini. [m] Conſenſerunt autem illi.

40. Et convocantes Apoſtolos, [n] cæſis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jeſu, & dimiſerunt eos.

41. Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.

42. Omni autem die non ceſſabant in templo, & [o] circa domos docentes, & evangelizantes Chriſtum Jeſum.

CAPUT VI.

Deſcribitur electio ſeptem diaconorum.

1. IN diebus autem illis, creſcente numero [p] Diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adversùs Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.

2. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare [q] menſis.

3. [r] Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſanc-

15. [a] *Ejicerent*, Gr. Syr. *efferrent*.
17. [b] *Exurgens*, excitatus & commotus rebus his geſtis. *Quæ eſt hæreſis*, qui erant ex hæreſi. *Zelo*, Arab. *invidia*.
20. [c] *Stantes loquimini*, prædicate audacter. *Omnia verba vitæ hujus*, hujus inſtituti rationem.
24. [d] *Ambigebant de illis*, &c. Syr. *obſtupeſcebant ſuper his*, & *cogitabant quid hoc eſſet*.
28. [e] *Inducere*, facere nos reos ſanguinis.
29. [f] *Magis* Syr. Arab. Æth. *potius*.
32. [g] *Horum verborum*, horum quæ dicimus. *Spiritus ſanctus*, per nos loquendo & mirabilia operando.
33. [h] *Diſſecabantur* Gr. *urebant*.
34. [i] *Homines*, Gr. Syr. Æth. Arab. *homines*.
36. [k] *Conſenſit*, Gr. Æth. *adhæſit*. *Aliquem*, magnum.
37. [l] *Profeſſionis*, Gr. Æth. *deſcriptionis*, Amb. *cenſus*. Tempore ſecundæ deſcriptionis à Quirino factæ, quando Judæa fuit in provinciam à Romanis redacta; & Archelaus exul in Gallias miſſus, &c.
39. [m] *Conſenſerunt*, non in toto, ſed quantum ad necem.
40. [n] *Cæſis*, Syr. Arab. Æth. *flagellarunt eos*. *Denuntiaverunt eos*, Syr. Arab. *præceperunt*.
42. [o] *Circa domos*, Syr. Arab. *domique*.
1. [p] *Diſcipulorum*, hoc nomine vocabantur credentes. *Græcorum*, Judæorum in Græcia natorum propter diſperſionem gentis: vel, Græci illi poterant eſſe advenæ, aut Judæi nati in provinciis, in quibus lingua Græca erat in uſu. *Deſpicerentur*, non ſatis proſpiceretur ſuſtentationi eorum, & quòd ad viliora miniſteria redigerentur.
2. [q] *Menſis*, non quòd cæteris accumbentibus inferrent quæ ad eſcam & potum pertinebant (quod tamen in conviviis quæ agapas vocabant facere poterant & poſt cibos communes ipſam Euchariſtiam miniſtrare) ſed quòd eleemoſynas dividendo, curarent ea quibus cuique opus eſſet, & alia quæ cum menſis erant conjuncta.
3. [r] *Conſiderate*, Arab. *feligite*. *Septem*, videtur reſpicere ſeptem gentes occidentalium Judæorum, qui hoc loco murmurabant, videlicet Cappadoces, Ponticos, Aſianos, Phryges, Pamphylios, Romanos & Cretes.

to, & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus.

4. Nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.

5. Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum [a] advenam Antiochenum.

6. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, [b] & orantes impoſuerunt eis manus.

7. Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Jeruſalem valdè: multa etiam turba [c] ſacerdotum obediebat fidei.

Stephanus multa ſigna facit, in quem multi inſurgentes, cum verbis & diſputatione nihil adverſus ipſum proficerent, accuſant illum miniſterio falſorum teſtium.

8. Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.

9. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur [d] Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano.

10. Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, [e] qui loquebatur.

11. Tunc ſummiſerunt viros, qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum.

12. Commoverunt itaque plebem & ſeniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in [f] concilium.

13. Et ſtatuerunt falſos teſtes qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adversùs locum ſanctum, & legem.

14. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jeſus Nazarenus hic, deſtruet locum iſtum, & mutabit [g] traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.

15. Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in [h] concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli.

CAPUT VII.

Oratio Stephani habita coram concilio, in qua multa refert de Abraham, aliiſque Patriarchis.

1. [i] DIxit autem princeps ſacerdotum: Si hæc ita ſe habent?

2. Qui ait: Viri fratres, & patres audite: Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ cùm eſſet in [k] Meſopotamia, prius quàm moraretur in Charan.

3. Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtravero tibi,

4. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, poſtquam mortuus eſt pater ejus, [l] tranſtulit illum in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis.

5. Et [m] non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis; ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, cùm non haberet filium.

6. Locutus eſt autem ei Deus: Quia erit ſemen ejus accola in terra aliena, & ſervituti eos ſubjicient, & male tractabunt eos annis [n] quadringentis:

7. Et gentem cui ſervierint, [o] judicabo ego, dixit Dominus; & poſt hæc exibunt, & ſervient mihi in loco iſto.

8. Et dedit illi [p] teſtamentum circumciſionis, & ſic genuit Iſaac, & circumcidit eum die octavo: & Iſaac, Jacob: & Jacob duodecim Patriarchas.

9. Et [q] Patriarchæ æmulantes, Joſeph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo.

10. Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus, & dedit ei gratiam, & ſapientiam in conſpectu Pharaonis regis Ægypti, & conſtituit eum præpoſitum ſuper Ægyptum, & ſuper omnem domum ſuam.

11. Venit autem fames in univerſam Ægyptum & Chanaan, & tribulatio magna: & non inveniebant cibos patres noſtri.

12. Cùm audiſſet autem Jacob eſſe frumentum in Ægypto: miſit patres noſtros primum:

13. Et [r] in ſecundo cognitus eſt Joſeph à fratribus ſuis, & manifeſtatum eſt Pharaoni genus ejus.

14. Mittens autem Joſeph accerſivit Jacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus [ſ] ſeptuaginta quinque.

15. Et deſcendit Jacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & patres noſtri.

16. Et [t] tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem.

5. [a] *Advenam*, Syr. Æth. *proſelytum.*
6. [b] *Et orantes*, Arab. *qui cum oraſſent.*
7. [c] *Sacerdotum*, Aaronicorum.
9. [d] *Libertinorum*, qui ex patribus libertate donatis, poſtquam à Pompeio in ſervitutem abducti fuerant, erant progeniti.
10. [e] *Qui*, Gr. *quo.*
12. [f] *Concilium*, Syr. *medium ſynagogæ.*
14. [g] *Traditiones*, Æth. *legem.*
15. [h] *Concilio*, Syr. *medio ſynagogæ. Faciem angeli*, valde pulchram & gratioſam.
1. [i] Syr. *Et interrogavit eum ſummus ſacerdos. Num hæc ita ſe habent?*
2. [k] *Meſopotamia*, vide v. 1. c. 12. Gen. Fortè apparuit prius quàm eſſet in Haran, unde quæ præcedunt in Geneſi per anticipationem narrata ſunt: vel, duæ ſunt apparitiones & duo præcepta: vel, per Meſopotamiam non intelligi debet provincia præciſe hoc nomine dicta, ſed tota regio inter Tigrim & Euphratem: vel, melius, confundit Meſopotamiam cum Chaldæa quia Chaldæa imperium erat cui Meſopotamia ſubjecta.
4. [l] *Tranſtulit*, ire præcepit: ergo tunc religio non erat Judææ alligata. Reſpondet accuſationi circa locum ſanctum & tranſlationem cultus.
5. [m] *Non dedit*, &c. quomodo hoc verum, cùm Gen. c. 21. v. 33. dicatur Abraham plantaſſe nemus, &c. verùm nihilominus, cùm Deus nihil de terra promiſſa dederit Abrahæ qui emit quidquid in ea poſſedit. Ergo ſanctitas non erat terræ ſanctæ alligata.
6. [n] *Quadringentis*, incipiendo à quatuor annis ante natum Iſaac, ſed c. 15. Geneſis, incipiunt à tempore quo Abraham ingreſſus eſt in terram Chanaan, tuncque numerantur 430. anni, reſpondet autem accuſationi circa deſtructionem Judææ & diſperſionem Judæorum; non enim Judæi tunc melioris conditionis quàm patres eorum. &c.
7. [o] *Judicabo*, Syr. *condemnabo*, judicio punitionis & condemnationis.
8. [p] *Teſtamentum*, Gr. *pactum*, Syr. Arab. *fœdus. Dedit*, cùm jam juſtus eſſet. *Sic*, Syr. Æth. *tunc*, Arab. *poſt hæc.* Circumciſus ſcilicet, reſpondet accuſationi circa legem, & inutilitatem circumciſionis innuit.
9. [q] *Patriarchæ*, non tamen omnes, non Ruben, nec Benjamin. *Æmulantes*, Syr. *invidiâ moti*, Arab. *invidentes. In Ægyptum*, abducendum ab Iſmaëlitis negotiatoribus, reſpondet calumniis Judæorum circa Chriſtum, exemplis Joſeph primum, deinde Moyſis.
13. [r] *In ſecundo cognitus eſt Joſeph à fratribus ſuis*, Chriſtus poſt Aſcenſionem a multis Judæis ut Meſſias agnitus eſt, &c.
14. [ſ] *Septuaginta quinque*, numerando Jacob, Joſeph, Ephraim, Manaſſe, & quinque nepotes Joſeph. Quidam interpretes detrahunt ea illo numero, ut concilient textum Hebræum cum Sept. &c.
16. [t] *Tranſlati in Sichem*, veriſimiliter poſt iſtam tranſlationem poſiti ſunt in ſepulchro Jacob, quod ab Abraham emptum fuerat ab Ephron filio Seor, qui etiam nominabatur Hemor: vel, ſaltem Hemor avus erat Ephron. Si ergo Jacob à terra promiſſa tranſlatus eſt in Ægyptum, quare blaſphemiæ accuſor quòd dixerim Judæos transferendos, &c. *Sichem*, hic ſumitur non pro agro aut regione Sichimorum, ſed pro illo agro juxta Hebron, qui pertinebat ad Ephron Seoris filium, ut dicitur Gen. c. 23. qui cùm ex Sichem eſſet oriundus, tunc apud Hebræos in civitate Hebron habitans, illius agri Dominus erat. *Emit Abraham*, hic ponitur Abraham pro Jacob, errore copiſtarum.

Digitized by Google

De oppreſſione filiorum Iſraël in Ægypto.

17. Cùm autem appropinquaret tempus promiſſionis, quam [a] confeſſus erat Deus Abrahæ, crevit populus, & multiplicatus eſt in Ægypto,

18. Quoadusque ſurrexit alius rex in Ægypto, qui non ſciebat Joſeph.

19. Hic circumveniens genus noſtrum, afflixit patres noſtros, [b] ut exponerent infantes ſuos ne vivificarentur.

De Moyſe.

20. [c] Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui.

21. Expoſito autem illo, ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum ſibi in filium.

22. Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientiâ Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus ſuis.

23. Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor ejus ut viſitaret fratres ſuos filios Iſraël.

24. Et cùm vidiſſet quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei qui injuriam ſuſtinebat, percuſſo Ægyptio.

25. Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi [d] non intellexerunt.

26. Sequenti verò die apparuit illis litigantibus: & [e] reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres eſtis, ut quid nocetis alterutrum?

27. Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos?

28. Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Ægyptium?

29. Fugit autem Moyſes in verbo iſto: & factus eſt advena in terra [f] Madian, ubi generavit filios duos.

30. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deſerto montis Sina [g] Angelus in igne flammæ rubi.

31. Moyſes autem videns, [h] admiratus eſt viſum, & accedente illo ut conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini, dicens:

32. Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moyſes, non audebat conſiderare.

33. Dixit autem illi Dominus: [i] Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.

34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & deſcendi liberare eos. Et nunc [k] veni, & mittam te in Ægyptum.

35. Hunc Moyſen, quem negaverunt, dicentes: Quis te conſtituit principem & judicem? hunc Deus principem, & redemptorem miſit, cum manu Angeli qui apparuit illi in rubo.

36. Hic eduxit illos, faciens prodigia, & ſigna in terra Ægypti, & in Rubro mari, & in deſerto annis quadraginta.

37. Hic eſt Moyſes qui dixit filiis Iſraël: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, [l] tanquam me ipſum, audietis.

38. Hic eſt, qui fuit [m] in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui accepit verba vitæ dare nobis.

39. Cui noluerunt obedire patres noſtri: ſed repulerunt, & [n] averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum,

De idololatria filiorum Iſraël.

40. Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus quid factum ſit ei.

41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum.

42. [o] Convertit autem Deus, & tradidit eos ſervire militiæ cœli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum: Numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſraël?

43. Et ſuſcepiſtis tabernaculum [p] Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

De templo.

44. Tabernaculum teſtimonii fuit cum patribus noſtris in deſerto, ſicut diſpoſuit illis Deus, loquens ad Moyſen, ut [q] faceret illud ſecundùm formam quam viderat.

45. Quod & induxerunt, ſuſcipientes patres noſtri cum [r] Jeſu in poſſeſſionem Gentium, quas expulit Deus à facie patrum noſtrorum, uſque in diebus David,

46. Qui [ſ] invenit gratiam ante Deum, & petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob:

47. Salomon autem ædificavit illi domum.

48. Sed non excelſus in manufactis habitat, ſicut Propheta dicit:

49. Cœlum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt?

50. [t] Nonne manus mea fecit hæc omnia?

Arguit Judæos quòd ſimiles eſſent patribus ſuis in operibus malis.

51. Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos.

17. [a] *Confeſſus*, Gr. Arab. *juraverat*, Syr. *pollicitus fuerat jurejurando*. *Promiſſionis*, præſtandæ.

19. [b] *Ut exponerent*, Syr. *præcepit ejici*. Quidam hoc exponunt de expoſitione ad ſervitutem, quo pacto à nece liberabantur.

20. [c] *Eodem tempore*, &c. hic Chriſtus natus, quo tempore ſceptrum ablatum de Juda, & in manus alienas tranſlatum, &c.

25. [d] *Non intellexerunt*, in hoc Moyſes conformis Chriſto.

26. [e] *Reconciliabat eos in pace*, Syr. *ſuadebat eis ut in gratiam irent*, Arab. *hortatuſque eſt eos ad concordiam & pacem*.

29. [f] *Madian*, ad oram orientalem maris Rubri, non Madian ad orientem maris Mortui.

30. [g] *Angelus*, in perſona Dei loquens, figura Verbi incarnati. *Rubi*, Syr. *qui ardebat in rubo*.

31. [h] *Admiratus*, quòd rubus arderet & non combureretur: quod imago populi Hebræi in ſummis calamitatibus futuri ſuperſtites.

33. [i] *Solve*, Arab. *ejice*, exue, depone, quod adhuc apud Orientales ſignum eſt honoris & reverentiæ: Turcæ enim non intrant in fana ſua, niſi nudis pedibus.

34. [k] *Veni*, morali acceſſu per obedientiam. Hunc Moyſen, quem negaverunt.

37. [l] *Tanquam me*. Chriſtus homo & Legiſlator & dux in terram promiſſionis cœleſtem.

38. [m] *In Eccleſia*, cum multitudine Iſraëlitarum.

39. [n] *Averſi*, Syr. Arab. *reverſi*.

42. [o] *Convertit*, Syr. *averſus eſt*, Arab. Æth. *avertit ſe*. *Tradidit*, permiſit: quod non referendum eſt ad illud tempus in deſerto, ſed ad tempora poſteriora: coluerunt tamen in deſerto idolum Beelphegor, Num. c. 25. *Annis quadraginta*, poſt reditum exploratorum non amplius leguntur ſacrificia oblata; unde per quadraginta annos intelligi debent triginta octo.

43. [p] *Moloch*, non alium fuiſſe quàm Sem filium Noë dicunt quidam interpretes; qui pro ſua ſanctitate ſicut Seth Deus eſt appellatus, & poſt mortem inter aſtra relatus, nunc Solis, nunc Saturni, nunc Mercurii planetæ comparatus, & ſucceſſu temporis pro vero Deo perperam habitus ab Iſraëlitis, Ammonitas imitando. *Sidus Dei veſtri*, ſidus quod eſt Deus veſter. *Rempham*, ſtellam matutinam, Luciferum: vel, Saturnum. *Trans Babylonem*, in Mediam deportati ſunt.

44. [q] *Faceret*, fieri juberet.

45. [r] *Jeſu*, Arab. *Joſue*.

46. [ſ] *Inveniret*, templum ædificare poſſet. *Tabernaculum*, locum ubi tabernaculum collocaretur.

50. [t] *Nonne manus*, &c. hæc dicta de tabernaculo verſibus præcedentibus, ut reſpondeat accuſationi de deſtructione templi: ſi enim

52. Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Juſti, cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis:

53. Qui accepiſtis legem [a] in diſpoſitione angelorum, & non cuſtodiſtis.

Qui audiebant frementes præ furore, lapidant Stephanum, poſtquam ſe videre Deum dixiſſet, ipſe verò moriens orat pro lapidatoribus ſuis, quibus Saulus conſentiens erat.

54. Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.

55. Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto: intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.

56. Exclamantes autem voce magnâ [b] continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.

57. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & [c] teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua, ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.

58. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum.

59. Poſitis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens: Domine, [d] ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci ejus.

CAPUT VIII.

Narratur perſecutio magna Jeroſolymis, propter quam fideles diſperguntur, præter Apoſtolos.

1. FActa eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Jeroſolymis, & [e] omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos.

Sepelitur Stephanus.

2. [f] Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.

Saulus dire vexat Eccleſiam, & diſperſi diſcipuli prædicant verbum Dei.

3. Saulus autem devaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat [g] in cuſtodiam.

4. Igitur qui diſperſi erant pertranſibant, evangelizantes verbum Dei.

Philippus diaconus multos convertit Samariæ & inter illos Simonem magum.

5. [h] Philippus autem deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum.

6. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes [i] ſigna quæ faciebat.

7. [k] Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant.

8. Multi autem paralytici, & claudi curati ſunt.

9. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in civitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum,

10. Cui auſcultabant omnes à minimo uſque ad maximum, dicentes: Hic eſt [l] virtus Dei, quæ vocatur magna.

11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos.

12. [m] Cùm verò credidiſſent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres.

13. Tunc Simon & ipſe credidit: & cùm baptizatus eſſet, adhærebat Philippo. Videns etiam ſigna, & virtutes maximas fieri: ſtupens admirabatur.

14. Cùm autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem.

Mittuntur Samariam Petrus & Joannes ab Apoſtolis, qui manuum impoſitione dant Spiritum ſanctum Samaritanis.

15. Qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum.

16. [n] Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu.

17. Tunc imponebant manus ſuper illos, & [o] accipiebant Spiritum ſanctum.

Quod videns Simon, voluit hoc donum pecuniâ emere, propter quod à Petro increpatur.

18. [p] Cùm vidiſſet autem Simon quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam,

19. Dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum:

20. [q] Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.

21. Non eſt tibi pars, neque ſors in [r] ſermone iſto: cor enim tuum non eſt rectum coram Deo.

22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, [ſ] ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

23. In felle enim amaritudinis, & [t] obligatione iniquitatis video te eſſe.

24. Reſpondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum quæ dixiſtis.

25. Et illi quidem teſtificati & locuti verbum Domini, redibant Jeroſolymam, [u] & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.

Deſcribitur hiſtoria baptiſmi Eu-

26. Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge & vade [x] contra me-

unum deſtructum, cur non aliud deſtrui poteſt? &c. & quæ impietas in hac aſſertione.

53. [a] *In diſpoſitione*, Syr. Æth. *per diſpoſitionem*.

56. [b] *Continuerunt*, Syr. *obturaverunt*, ne verba audirent quæ blaſphemias putabant. *Impetum fecerunt*, qui enim deos alienos colere ſuadebat, ſtatim abſque judicii forma lapidandus erat.

57. [c] *Teſtes*, Syr. *illi autem qui teſtimonium tulerant adverſus eum*, teſtium erat primos jacere lapides, Deut. c. 13. & 17. *Veſtimenta*, externa, qualia ſunt pallia. *Extra civitatem*, in qua illicitum erat occidere quemquam. *Adoleſcentis*, tunc plus quam triginta annorum.

59. [d] *Ne ſtatuas illis hoc peccatum*, noli in eos vindicare.

1. [e] *Omnes*, non omnino, quomodo enim curaſſent Stephanum: fortè omnes diſcipuli.

2. [f] *Curaverunt*, Syr. *collegerunt autem atque ſepelierunt*, Gr. Arab. *extulerunt*.

3. [g] *In cuſtodiam*, Syr. *carceri*.

5. [h] *Philippus*, Diaconus. *Civitatem*, ſingulare pro plurali, civitates.

6. [i] *Signa*, Arab. *mirabilia*.

7. [k] *Multi enim*, &c. Arab. *ex multis enim eorum in quibus erant ſpiritus immundi, exibant clamantes voce magnâ*.

10. [l] *Virtus*, Arab. *robur*, potentia. *Virtus Dei, quæ vocatur magna*, id numen quod in quaque gente ſummum creditur.

12. [m] *Cùm verò*, &c. vide verſ. 38. cap. 2.

16. [n] *Nondum venerat*, viſibili formâ aut ſigno ſenſibili, veluti dono linguarum, prophetiæ, aut miraculorum, ut tunc fiebat cùm Apoſtoli manus imponebant: acceperant enim illum inviſibiliter in baptiſmo; nondum verò complementum & perfectionem Spiritus, &c. vide v. 38. c. 2.

17. [o] *Accipiebant*, cum plenitudine gratiæ amplioris, quod palam fiebat ſigno aliquo ſenſibili.

18. [p] *Cùm vidiſſet autem*, &c. hinc conſtat viſibili ſigno v. 9. locutionis linguarum, &c. foris oſtenſum eſſe id quod Spiritus ſanctus intus operabatur.

20. [q] *Pecunia tua*, &c. non eſt imprecatio, ſed fortis redargutio ob crimen propter quod perire dignus erat.

21. [r] *Sermone*, Syr. *fide*. Ut ſcilicet ad manuum tuarum impoſitionem detur Spiritus ſanctus.

22. [ſ] *Si fortè*, &c. non dubitat de poteſtate gratiæ & miſericordiæ Dei, ſed timebat ille, & magnitudinem culpæ, & fortaſſe impœnitentiam cordis.

23. [t] *Obligatione*, Syr. Arab. *vinculo*. Quod ſignificat animi conſtrictionem maximè iniquam, & talem quales ſunt cum felle corrupti.

25. [u] *Et multis*, Arab. *poſtquam multis*.

26. [x] *Contra meridianum*, Syr. *ad auſtrum*, Arab. *in meridiem*. *Ad viam*, Syr. *per viam deſertam*. *Hæc*, poteſt de gaza & de via exponi.



Actor. VII, 58.

Στέφανος λιθοβολεῖται. | STEPHANUS LAPIDATUS.

Stephen Stoned. | S. Estienne est Lapidé.

Stephani Steinigung. | Stefanus gesteenigt.

BIBLIOTECA NAZIONALE ... NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Act. IX. 4.

Σαύλυ ἐπιϛροφή.
Saul's converſion.
Sauls bekehrung.

SAULI CONVERSIO.
La converſion de Saul.
Sauwels bekering.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

nuchi Candacis reginæ Æthiopum.

tidianum, ad viam quæ deſcendit ab Jeruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta.

27. Et ſurgens abiit. Et ecce vir Æthiops, Eunuchus, potens Candacis reginæ [a] Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas ejus, venerat adorare in Jeruſalem.

28. Et revertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legenſque Iſaiam prophetam.

29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum iſtum.

30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Iſaiam prophetam, & dixit: Putaſnè intelligis quæ legis?

31. Qui ait: Et quomodo poſſum, [b] ſi non aliquis oſtenderit mihi? Rogavitque Philippum ut aſcenderet, & ſederet ſecum.

32. Locus autem ſcripturæ quam legebat, erat hic: Et tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, [c] ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.

33. [d] In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus.

34. Reſpondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc? de ſe, an de alio aliquo?

35. Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens à ſcriptura iſta, evangelizavit illi Jeſum.

36. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?

37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens, ait: Credo, Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum.

38. Et juſſit ſtare currum: & deſcenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.

Poſt ejus baptiſmum Philippus raptus à Spiritu defertur Azotum.

39. Cùm autem aſcendiſſent de aqua, [e] Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam ſuam gaudens.

40. Philippus autem [f] inventus eſt in Azoto, & pertranſiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.

CAPUT IX.

Narratur converſio miraculoſa Pauli, baptiſmus ejus, initiumque prædicationis, & inſidiarum Judæorum contra ipſum.

1. SAulus autem adhuc ſpirans [g] minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum,

2. Et petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum [h] ad ſynagogas: ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem.

3. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubito circumfulſit eum lux de cœlo.

4. Et cadens in terram [i] audivit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris?

5. Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

6. Et tremens ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere?

7. Et Dominus ad eum: Surge & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem [l] vocem, neminem autem videntes.

8. Surrexit autem Saulus de terra apertiſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum [m] trahentes, introduxerunt Damaſcum.

9. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.

10. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias: & dixit ad illum in viſu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.

11. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarſenſem: ecce enim orat.

12. ([n] Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat)

13. Reſpondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Jeruſalem:

14. Et [o] hic habet poteſtatem à principibus ſacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.

15. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam [p] vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Iſraël.

16. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

17. Et abiit Ananias, & introivit in domum, & [q] imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via quà veniebas, ut videas, & implearis Spiritu ſancto.

18. Et confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ, & viſum recepit: & ſurgens baptizatus eſt.

19. Et cùm accepiſſet cibum, confortatus eſt. Fuit autem cum diſcipulis, qui erant Damaſci, per dies aliquot.

20. Et continuò in ſynagogis prædicabat Jeſum, quoniam hic eſt Filius Dei.

21. Stupebant autem omnes qui audiebant,

27. [a] *Æthiopum*, Æthiopiæ quæ in Africa.
31. [b] *Si non aliquis oſtenderit mihi*. Æth. *ſi nemo ſit qui doceat me*.
32. [c] *Sine voce*, vocem non edens.
33. [d] *In humilitate*, Arab. *ob humilitatem*, adeo contemptus fuit, ut contra jus omne condemnatus ſit; & humilitate condemnationis ejus glorificatus & exaltatus eſt. Quis progeniem ex eo naſcituram numerare poterit, poſtquam vita ab eo ablata fuerit.
39. [e] *Spiritus* Domini, angelus ſcilicet.
40. [f] *Inventus eſt in Azoto*, repertus eſt Azotum delatus.
1. [g] *Minarum & cædis*, Arab. *minas ac neces*. Hæc acta ſunt 25. Januarii, anno à Chriſti morte altero ineunte.
2. [h] *Ad ſynagogas* non quod urbs Damaſci ſubderetur Sanhedrin Jeroſolymitano, ſed ſynagogæ omnes ubique diſperſæ. Præterea gubernator Damaſci ſub rege Areta favebat Judæis. II. Cor. c. 11.
4. [i] *Audivit*, vidit etiam, ut patet ex verbis Ananiæ, Dominus Jeſus qui apparuit tibi in via, &c.
5. [k] *Contra ſtimulum calcitrare*. Arab. *mihi reſiſtere*. Fruſtra potentiori reſiſtis. Tunc temporis multa Saulus habebat in mente, quæ illum in diverſos ſenſus de Chriſto trahebant.
7. [l] *Vocem*, Pauli, non Chriſti: vel, ſonum confuſum & indiſtinctum, ut concilietur hic locus cum v. 9. c. 22.
8. [m] *Trahentes*, Gr. Æth. Arab. *ducentes*.
12. [n] *Et vidit, &c.* Paulus, in viſu mentis. Verba ſunt authoris per parentheſim legenda. Syr. *Ecce enim dum ille precatur, vidit per viſionem, &c.*
14. [o] *Hic*, hoc loco.
15. [p] *Vas electionis*, organum electum, inſtrumentum.
17. [q] *Imponens manus*, ut viſum reciperet, non, ut impleretur Spiritu ſancto ante baptiſmum, quo à Deo impletus eſt miraculoſè & ex poteſtate, ut patet ex contextu hiſtoriæ.

Digitized by Google

& dicebant: Nonne hic eſt, qui expugnabat in Jeruſalem eos, qui invocabant nomen iſtud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes ſacerdotum?

22. Saülus autem multò magis convaleſcebat, & confundebat Judæos, qui habitabant Damaſci,[a] affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.

23. Cùm autem implerentur [b] dies multi, conſilium fecerunt in unum Judæi ut eum interficerent.

24. Notæ autem factæ ſunt Saülo inſidiæ eorum, [c] cuſtodiebant autem & portas die ac nocte, ut eum interficerent.

25. Accipientes autem eum diſcipuli nocte, per murum dimiſerunt eum, ſubmittentes in ſporta.

26. Cùm autem veniſſet in Jeruſalem, tentabat ſe jungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quòd eſſet diſcipulus.

27. Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad [d] Apoſtolos: & narravit illis quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine Jeſu.

28. Et erat cum illis [e] intrans, & exiens in Jeruſalem, & fiducialiter agens in nomine Domini.

29. Loquebatur quoque [f] Gentibus: & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

30. Quod cùm cognoviſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tharſum.

Petrus perambulans varia loca, in quibus Eccleſiæ multæ erant, quæ ſummâ pace gaudebant, curat Lyddæ paralyticum.

31. Eccleſia quidem per totam Judæam & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione ſancti Spiritus replebatur.

32. Factum eſt autem, ut Petrus dum pertranſiret [g] univerſos, deveniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ.

33. Invenit autem ibi hominem quemdam nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus.

34. Et ait illi Petrus: Ænea, ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus: ſurge, & ſterne [h] tibi. Et continuò ſurrexit.

35. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ & Saronæ: [i] qui converſi ſunt ad Dominum.

Joppe Tabitham reſuſcitat, quæ ambo miracula converſionem multorum procreant, & ibi per dies multos remanet.

36. In Joppe autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ [k] interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis & eleemoſynis, quas faciebat.

37. Factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cùm laviſſent, poſuerunt eam in cœnaculo.

38. Cum autem propè eſſet Lydda ad Joppen, diſcipuli audientes quia Petrus eſſet in ea, miſerunt duos viros ad eum rogantes: Ne pigriteris venire uſque ad nos.

39. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm adveniſſent, duxerunt illum in cœnaculum: & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.

40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & converſus ad corpus, dixit: Tabitha; ſurge. At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit.

41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocaſſet ſanctos, & viduas, [l] aſſignavit eam vivam.

42. Notum autem factum eſt per univerſam Joppen: & crediderunt multi in [m] Domino.

43. Factum eſt autem, ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium.

CAPUT X.

Deſcribitur hiſtoria converſionis Cornelii centurionis, & quomodo ad prædicationem Petri multi ſimul cum Cornelio baptizati ſunt.

1. VIr autem quidam erat in [o] Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica,

2. Religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper:

3. Is vidit [p] in viſu manifeſte, quaſi horâ diei nonâ, Angelum Dei introëuntem ad ſe, & dicentem ſibi: Corneli.

4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid eſt, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.

5. Et nunc mitte viros in Joppen, & accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus.

6. Hic hoſpitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus eſt domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.

7. Et cùm diſceſſiſſet Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domeſticos ſuos, & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant.

8. Quibus cùm narraſſet omnia, miſit illos in Joppen.

9. Poſterâ autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus civitati aſcendit Petrus in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam.

10. Et cùm eſuriret, voluit [q] guſtare. Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus:

11. Et vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor [r] initiis ſubmitti de cœlo in terram.

22. [a] *Affirmans*, Syr. *quum oſtenderet*, Arab. *docebatque palam*, Æth. *demonſtrans in veritate.*
23. [b] *Dies multi*, triennium, ut ex Epiſt. ad Galatas cap. 1. v. 18.
24. [c] *Cuſtodiebant*, Damaſci præpoſitus gentis Aretæ, regis, ut ipſe Paulus exponit. II. ad Cor. c. 11.
27. [d] *Apoſtolos*, Petrum & Jacobum Minorem, ut patet ex cap. 1. Epiſt. ad Gal. *Fiducialiter egerit*, Syr. *palam locutus eſſet*, Arab. *manifeſtaſſet nomen*, Æth. *docuiſſe in nomine.*
28. [e] *Intrans & exiens*, converſans.
29. [f] *Gentibus*, non in Syr. Gr. Arab. Æth. *Græcis*, Syr. *Judæis illis qui legebant græce.* Helleniſtis ſcilicet.
32. [g] *Univerſos*, Syr. *urbes*, Arab. *cuncta loca prædicta.*
34. [h] *Tibi*, Syr. Æth. *lectum tuum.*
35. [i] *Qui converſi*, Syr. Arab. *& converſi.*
36. [k] *Interpretata*, Græce *Dorcas*, habebant enim fere omnes duo nomina, unum Syriaco-hebraicum, & alterum græcum.
41. [l] *Aſſignavit*, Syr. *dedit illis*, Gr. *ſtitit*, Arab. *ſtatuit*, Æth. *tradidit.*
42. [m] *Domino*, Gr. Arab. Syr. *in Dominum.*
1. [o] *Cæſarea*, Paleſtinæ; tres enim urbes erant hoc nomine. *Cornelius*, Latinus & Gentilis origine, nec Judæus, nec circumciſus, ſed proſelytus de porta, ut vocabant, id eſt, colens Deum non ſecundum legem Judæorum.
3. [p] *In viſu manifeſte*, oculis etiam corporis.
10. [q] *Guſtare*, Syr. Arab. *comedere.*
11. [r] *Initiis*, Arab. *extremitatibus*, Æth. *angulis.*

12. In quo [a] erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli.

13. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide & [b] manduca.

14. Ait autem Petrus: Abſit, Domine, quia numquam manducavi omne [c] commune, & immundum.

15. Et vox iterùm ſecundò ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.

16. Hoc autem factum eſt per ter & ſtatim receptum eſt vas in cœlum.

17. Et dum intra ſe hæſitaret Petrus, quidnam eſſet viſio, quam vidiſſet: ecce viri qui miſſi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, aſtiterunt ad januam.

18. [d] Et cùm vocaſſent, interrogabant, ſi Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hoſpitium.

19. Petro autem cogitante de viſione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te.

20. Surge itaque, deſcende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego miſi illos.

21. Deſcendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego ſum, quem quæritis: quæ cauſa eſt, propter quam veniſtis?

22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir juſtus, & timens Deum, & teſtimonium habens ab univerſa gente Judæorum, reſponſum accepit ab Angelo ſancto, [e] accerſire te in domum ſuam, & audire verba abs te.

23. Introducens ergo eos, recepit hoſpitio. Sequenti autem die ſurgens profectus eſt cum illis: & quidam ex fratribus ab Joppe comitati ſunt eum.

24. Alterâ autem die introivit Cæſaream. Cornelius verò expectabat illos, [f] convocatis cognatis ſuis, & neceſſariis amicis.

25. Et factum eſt cùm introiſſet Petrus, obvius venit Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit.

26. Petrus verò elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum.

27. Et loquens cum illo intravit, & invenit multos qui convenerant.

28. Dixitque ad illos: Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Judæo, conjungi aut [g] accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem.

29. Propter quod ſine dubitatione veni accerſitus. Interrogo ergo, quam ob cauſam accerſiſtis me?

30. Et Cornelius ait: A nudiusquarta die uſque ad hanc horam, orans eram horâ nonâ in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait:

31. Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ [h] commemoratæ ſunt in conſpectu Dei.

32. Mitte ergo in Joppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hoſpitatur in domo Simonis coriarii juxta mare.

33. Confeſtim ergo miſi ad te: & tu benefeciſti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus, [i] audire omnia quæcumque tibi præcepta ſunt à Domino.

34. Aperiens autem Petrus os ſuum, dixit: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus:

35. Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.

36. [k] Verbum miſit Deus filiis Iſraël, annuntians pacem per Jeſum Chriſtum: (hic eſt omnium Dominus.)

37. Vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Judæam, incipiens enim à Galilæa, poſt baptiſmum quod prædicavit Joannes.

38. [l] Jeſum à Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

39. Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jeruſalem,[m] quem occiderunt ſuſpendentes in ligno.

40. Hunc Deus ſuſcitavit tertiâ die, & dedit eum manifeſtum fieri,

41. Non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo: nobis, qui [n] manducavimus & bibimus cum illo, poſtquàm reſurrexit à mortuis.

42. Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum.

43. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.

45. Et obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in [o] nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.

46. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.

47. Tunc reſpondit Petrus: [p] Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos?

48. Et juſſit eos baptizari [q] in nomine Domini Jeſu Chriſti. Tunc rogaverunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus.

12. [a] *Erant*, non vera, ſed in imagine. *Serpentia*, Gr. Syr. Arab. *reptilia*.
13. [b] *Manduca*, ſine diſcrimine.
14. [c] *Commune*, aliis nationibus. & prohibitum Judæis.
18. [d] *Et cùm vocaſſent*, Arab. *& evocantes quempiam*.
22. [e] *Accerſire te*, Syr. *ut mittens introducet te*, Arab. *ut te deducendum curaret*, Æth. *ut accerſiret te*.
24. [f] *Convocatis neceſſariis amicis*, Arab. *jamque convocaverat amicos ſuos ſibi conjunctos*.
28. [g] *Accedere ad alienigenam*, Æth. *communicare cum ethnicis*. Non erat tamen paganus, ſed nec etiam ad Judaiſmum converſus.
31. [h] *Commemorata*, Arab. *in memoria habita*.
33. [i] *Audire*, Arab. *audituri*, Æth. *ut audiamus*.
36. [k] *Verbum miſit*, ſecretum audire fecisti.
38. [l] *Jeſum à Nazareth*, Syr. *de Jeſu Nazareno*. Ut Jeſum Nazarenum unxerit. *Virtute*. Æth. *potentiâ*, Gr. *efficaciâ*.
39. [m] *Quem occiderunt ſuſpendentes*, Syr. *hunc ipſum ſuſpenderunt Judæi*.
41. [n] *Manducavimus & bibimus*. per manducare & bibere. omnes vitæ humanæ actus intelligendi ſunt.
45. [o] *Nationes*, Gentiles.
47. [p] *Numquid aquam*, &c. num quis prohibere poteſt quominus aquâ baptizentur, hi qui Spiritum, &c.
48. [q] *In nomine Jeſu Chriſti*, vide verſ. 38. cap. 2.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Diſceptantibus diſcipulis quòd Petrus ad Gentiles acceſſiſſet, ille rei ordinem ipſis exponit.

1. AUdierunt autem Apoſtoli, & fratres qui erant in Judæa: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.

2. Cùm autem aſcendiſſet Petrus Jeroſolymam, diſceptabant adversus illum, qui erant ex circumciſione,

3. Dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?

4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:

5. Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in exceſſu mentis viſionem, deſcendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor [a] initiis ſummitti de cœlo, & venit uſque ad me.

6. In quod intuens conſiderabam, & vidi quadrupedia terræ, & beſtias, & reptilia, & volatilia cœli.

7. Audivi autem & vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, & [b] manduca.

8. Dixi autem: Nequaquam, Domine: quia commune aut immundum nunquam introivit in os meum.

9. Reſpondit autem vox ſecundò de cœlo: quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris.

10. Hoc autem factum eſt per ter: & recepta ſunt omnia rurſum in cœlum.

11. Et ecce viri tres confeſtim aſtiterunt in domo, in qua eram, miſſi à Cæſarea ad me.

12. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæſitans. Venerunt autem mecum & & ſex fratres iſti, & ingreſſi ſumus in domum viri.

13. Narravit autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum in domo ſua, ſtantem & dicentem ſibi: Mitte in Joppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus,

14. Qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa domus tua.

15. Cùm autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, [c] ſicut & in nos in initio.

16. Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.

17. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?

18. His auditis, tacuerunt: & glorificaverunt Deum, dicentes: [d] Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

19. Et illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano: perambulaverunt uſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Judæis. *Multi convertuntur Antiochiæ.*

20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cùm introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad [e] Græcos, annuntiantes Dominum Jeſum.

21. Et erat [f] manus Domini cum eis: multuſque numerus credentium converſus eſt ad Dominum.

22. Pervenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Jeroſolymis ſuper iſtis: & miſerunt Barnabam uſque ad Antiochiam. *Quo audito Jeroſolymi, mittitur illuc Barnabas.*

23. Qui cùm perveniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt: & hortabatur omnes [g] in propoſito cordis permanere in Domino:

24. Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto, & fide. Et [h] appoſita eſt multa turba Domino.

25. Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum: quem cùm inveniſſet, perduxit Antiochiam. *Barnabas à Tarſo Paulum eò adducit.*

26. [i] Et annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia, & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ diſcipuli, Chriſtiani.

27. [k] In his autem diebus ſupervenerunt ab Jeroſolymis prophetæ Antiochiam. *Prædictâ fame ab Agabo, mittuntur ambo Jeruſalem, fratribus eleemoſynas daturi.*

28. Et ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram in [l] univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.

29. Diſcipuli autem prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in [m] miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus:

30. Quod & fecerunt, mittentes ad [n] ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.

CAPUT XII.

Occiſo Jacobo, Herodes Petrum incarcerat mortì poſt Paſcha tradendum, pro cujus ſalute Eccleſia ſine intermiſſione orat.

1. [o] EOdem autem tempore miſit Herodes rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia.

2. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.

3. Videns autem quia placeret Judæis, [p] appoſuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.

4. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens [q] quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.

5. [a] *Initiis*, Syr. *angulis*, Æth. *extremitatibus*.
7. [b] *Manduca*, ſine ullo diſcrimine.
15. [c] *Sicut*, eodem modo, vel iiſdem effectibus. *Nos*, Judæos, nec enim de ſolis Apoſtolis exponendum.
18. [d] *Ergo & Gentibus*, &c. qui etiam externis aditum ad vitam per morum correctionem dediſſet.
20. [e] *Græcos*, aut Gentiles, aut Judæos in Græcia natos, vel Helleniſtas græcè loquentes.
21. [f] *Manus*, potentia.
23. [g] *In propoſito cordis permanere in Domino*, Syr. *ut toto corde ſuo adhærerent Domino noſtro*.
24. [h] *Appoſita eſt*, &c. Arab. *attraxitque ad Dominum turbam copioſam*.
26. [i] *Et annum totum*, Syr. *totoque anno*.
27. [k] *In his autem diebus*, &c. tunc enim multi fulgebant Spiritu prophetico.
28. [l] *Univerſo orbe*, non omninò, ſed præcipuè in imperio Romano.
29. [m] *Miniſterium*, Syr. *ſubſidium*, Æth. *eleemoſynas*.
30. [n] *Seniores*, Syr. *preſbyteros*, qui in Eccleſia illa cæteris præfuerunt.
1. [o] *Eodem tempore*, anno quarto Chriſti. *Herodes*, Agrippa Ariſtoboli filius. *Miſit manus ut affligeret*, cœpit affligere.
3. [p] *Appoſuit ut apprehenderet*, Arab. *perrexit adhuc apprehendere*.
4. [q] *Quatuor quaternionibus militum*, Syr. *ſexdecim militibus*. *Volens producere*, Syr. *ut traderet*, tradere Judæis ut occideretur.

Digitized by Google

Digitized by Google



Act. XII. 7.

Πέτρος ἐξαιρεῖται ἐκ τῆς φυλακῆς ὑπὸ τοῦ Ἀγγέλου.
Peter delivered from prison by an Angel.
Petrus durch einen Engel auſs dem Gefängnüs erlöſt

PETRUS IN CARCERE AB ANGELO LIBERATUS.
Pierre est délivré de la prison, par un Ange.
Petrus in de gevangenis door een Engel verlost.

NAPOLI

Digitized by Google



Actor. XIII, 11.

Ἐλύμας τυφλὸς γενόμενος.
Elymas struck with blindness.
Elymas wird mit Blindheit geſchlagen.

ELYMAS PRIVATUS LUMINE.
Elymas frappé d'aveuglement
Elymas met blintheit geslagen.

Hoet delin. — Scrup[…]

NAPOLI

5. Et Petrus quidem ſervabatur in carcere, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.

Deſcribitur eductio Petri è carcere, Angelo miniſtrante.

6. Cùm autem [a] producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.

7. Et ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.

8. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: [b] Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.

9. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verum eſt, quod fiebat per Angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre.

10. Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream quæ ducit ad civitatem, quæ ultrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum: & continuò diſceſſit Angelus ab eo.

11. Et Petrus ad ſe reverſus, dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & [c] de omni expectatione plebis Judæorum.

Qualiter Petrus ipſe [illegible]

12. [d] Conſideranſque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes.

13. Pulſante autem eo oſtium januæ, proceſſit puella ad audiendum, nomine Rhode.

14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, ſed intrò currens nuntiavit ſtare Petrum ante januam.

15. At illi dixerunt ad eam: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus eſt.

16. Petrus autem perſeverabat pulſans. Cùm autem aperuiſſent, viderunt eum, & obſtupuerunt.

17. Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxiſſet eum de carcere, dixitque: Nuntiate [e] Jacobo, & fratribus hæc. Et egreſſus abiit in alium locum.

Factâ de carceris cuſtodibus inquiſitione, Herodes proficiſcitur Cæſaream.

18. Factâ autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum eſſet de Petro.

19. Herodes autem cùm requiſiſſet eum, & non inveniſſet, inquiſitione factâ de cuſtodibus, [f] juſſit eos duci: deſcendenſque à Judæa in Cæſaream ibi commoratus eſt.

Iratus Tyriis & Sidoniis cum divinos honores ab ipſis oblatos non reſpueret, conſumptus à vermibus expiravit.

20. Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, & perſuaſo Blaſto, qui erat ſuper cubiculum regis, poſtulabant pacem, eò quòd alerentur regiones eorum [g] ab illo.

21. Statuto autem die, Herodes veſtitus veſte regiâ, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.

22. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.

23. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo: & conſumptus à vermibus [h] expiravit.

Verbum Dei creſcit. Saulus verò & Barnabas redeunt Antiochiam.

24. Verbum autem Domini creſcebat, & multiplicabatur.

25. Barnabas autem & Saulus reverſi ſunt [i] ab Jeroſolymis, expleto miniſterio, aſſumpto Joanne, qui cognominatus eſt Marcus.

CAPUT XIII.

Deſcribitur miſſio Sauli & Barnabæ in opus ad quod aſſumpti fuerant à Spiritu Sancto.

1. ERant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, [k] prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.

2. [l] Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.

3. Tunc jejunantes, & orantes, [m] imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.

Prædicatio Apoſtolorum in inſula Cypro, ad quam credidit Sergius Paulus Proconſul, reſiſtente licèt Elymago, ad Pauli verbum excæcato.

4. Et ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam: & inde navigaverunt Cyprum.

5. Et cùm veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in ſynagogis Judæorum, habebant autem & Joannem in miniſterio.

6. Et cùm perambulaſſent univerſam inſulam, uſque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pſeudoprophetam, Judæum cui nomen erat Bar-jeſu,

7. Qui erat cum Proconſule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accerſitis Barnabâ & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei.

8. Reſiſtebat autem illis [n] Elymas magus, [ſic enim interpretatur nomen ejus] quærens avertere Proconſulem à fide.

9. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in eum,

10. Dixit: O plene omni dolo, & omni fallaciâ, fili Diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis [o] ſubvertere vias Domini rectas.

11. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret.

12. Tunc Proconſul cùm vidiſſet factum, credidit admirans ſuper doctrina Domini.

6. [a] *Producturus*, ut verſu 4.
8. [b] *Circumda tibi veſtimentum*, Syr. *obvolve te pallio tuo.*
11. [c] *De omni expectatione plebis*, Syr. *ex eo quod machinabantur adverſum me Judæi.*
12. [d] *Conſideranſque*, Syr. *quod quum intelligeret*, reque perpensâ. *Marcus*, alius ab Evangeliſta, prius comes Pauli & Barnabæ à quibus diſceſſit, & tandem cum Paulo Romam ivit.
17. [e] *Jacobo*, non Zebedæi filio ſed Alphæi, & Jeroſolymorum epiſcopo. *In alium locum*, hoc tempore creditur Judæam reliquiſſe & Romam migraſſe, ibique ſedem ſuam circa initium anni ſequentis poſuiſſe: quæ ſententia à multis rejicitur.
19. [f] *Juſſit eos duci*, Gr. *juſſit ad ſupplicium trahi.*
20. [g] *Ab illo*, Syr. *ex regno ipſius Herodis.* Annonâ regia.
23. [h] *Expiravit*, infra quinque dies, ex Joſepho, lib. XVIII. Ant. cap. 8. & lib. XIX. cap. 7.
25. [i] *Ab Jeroſolymis*, Syr. *ex Jeruſalem*. Antiochiam.
1. [k] *Prophetæ*, non ſolùm qui futura prædicabant, ſed etiam qui reſerarent abſtruſiora ſcripturarum.
2. [l] *Miniſtrantibus*: quod de prædicatione, oratione, jejunio, & ſacrificio Euchariſtico exponendum. *Opus ad quod aſſumpſi*, prædicationem ad Gentes.
3. [m] *Imponentes eis manus* de ordinatione ad presbyterium, vel epiſcopatum exponunt multi; quod ab aliis negatur, ex cap. 14. in quo videtur uterque fuiſſe Apoſtolus.
8. [n] *Elymas*, in Perſide regio erat præcipua nomine Elymais, in qua magicæ artes frequentes extiterant: ut magi Elymaides, vel Elymæi vocarentur, ſicut in Proverbiorum libro cap. 31. mercator vocatur Chananæus. *Magus*, ſecundùm Perſas deſignat hominem ſapientiâ & ſcientiâ præditum.
10. [o] *Subvertere*, impedire, interturbare.

Digitized by Google

Continuatio Hiſtoriæ itineris Apoſtolorum, & quomodo in Antiochia Piſidiæ verbum Dei in ſynagoga prædicaverunt: ſed Judæis perſecutionem in eos commoventibus, convertuntur ad Gentes juxta Iſaiæ vaticinium & veniunt Iconium.

13. Et cùm à Papho navigaſſent, Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ, Joannes autem diſcedens ab eis, reverſus eſt Jeroſolymam.

14. Illi verò pertranſeuntes Pergen, venerunt Antiochiam Piſidiæ: & ingreſſi ſynagogam die ſabbatorum, ſederunt.

15. Poſt lectionem autem legis, & prophetarum, miſerunt principes ſynagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite.

16. Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens, ait: Viri Iſraëlitæ, & [a] qui timetis Deum, audite:

17. Deus plebis Iſraël elegit patres noſtros, & plebem exaltavit cùm eſſent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelſo eduxit eos ex ea,

18. Et per quadraginta annorum tempus [b] mores eorum ſuſtinuit in deſerto.

19. Et deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum,

20. Quaſi poſt [c] quadringentos & quinquaginta annos: & poſt hæc dedit judices uſque ad Samuel Prophetam.

21. Et exinde poſtulaverunt regem: & dedit illis Deus Saül filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis [d] quadraginta,

22. Et amoto illo, ſuſcitavit illis David regem: cui [e] teſtimonium perhibens, dixit: Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

23. Hujus Deus ex ſemine ſecundùm promiſſionem eduxit [f] Iſraël ſalvatorem Jeſum,

24. Prædicante Joanne [g] ante faciem adventus ejus baptiſmum pœnitentiæ omni populo Iſraël.

25. Cùm impleret autem Joannes [h] curſum ſuum, dicebat: Quem me arbitramini eſſe: non ſum ego, ſed ecce venit poſt me, cujus non ſum dignus calceamenta pedum ſolvere.

26. Viri fratres, filii generis Abraham, & [i] qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalutis hujus miſſum eſt.

27. Qui enim habitabant Jeruſalem, & principes ejus: hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne ſabbatum leguntur, [k] judicantes impleverunt:

28. Et nullam cauſam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato, [l] ut interficerent eum.

29. Cùmque conſummaſſent omnia quæ de eo ſcripta erant [m] deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento.

30. Deus verò ſuſcitavit eum à mortuis tertiâ die: qui viſus eſt per dies multos his,

31. Qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilæa in Jeruſalem, qui uſque nunc ſunt teſtes ejus ad plebem.

32. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt,

33. Quoniam hanc Deus adimplevit [n] filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

34. Quod autem ſuſcitavit eum à mortuis, ampliùs jam non reverſurum in corruptionem, ita [o] dixit: Quia dabo vobis ſancta David fidelia.

35. Ideoque & aliàs dicit: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

36. David enim [p] in ſua generatione cùm adminiſtraſſet voluntati Dei dormivit: & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem.

37. Quem verò Deus ſuſcitavit à mortuis, non vidit corruptionem.

38. Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari,

39. [q] In hoc omnis, qui credit, juſtificatur.

40. Videte ergo ne ſuperveniat vobis quod dictum eſt in prophetis:

41. [r] Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini: quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarraverit vobis.

42. [ſ] Exeuntibus autem illis: rogabant ut ſequenti ſabbato loquerentur ſibi verba hæc.

43. Cùmque dimiſſa eſſet ſynagoga, ſecuti ſunt multi Judæorum, & colentium advenarum, Paulum & Barnabam: qui loquentes ſuadebant eis ut permanerent in gratia Dei.

44. Sequenti verò ſabbato penè univerſa civitas convenit audire verbum Dei.

45. Videntes autem turbas Judæi, repleti ſunt [t] zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes.

46. Tunc [u] conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.

47. Sic enim præcepit nobis Dominus: [x] Po-

16. [a] *Qui timetis Deum*, quod de proſelytis exponendum. Hæc 41. anno Chriſti, novem annis à paſſione. Vide verſ. 26.

18. [b] *Mores ſuſtinuit*, Syr. Arab. Æth. *nutrivit eos.*

20. [c] *Quadringentos & quinquaginta:* anni illi inchoantur à nativitate Iſaac, & faciunt quadringentos quinque uſque ad egreſſum ex Ægypto, quibus addendi ſunt quadraginta in deſerto, & quinque alii in terra Chanaan, poſt quos finita ſunt prælia, & diviſa eſt terra.

21. [d] *Quadraginta*, numerando à morte Heli, & præfectura Samuelis. Alii dicunt ab unctione in regem.

22. [e] *Teſtimonium perhibens*, variis in ſcripturæ locis.

23. [f] *Iſrael*, Syr. Arab. *Iſraelis.*

24. [g] *Ante faciem adventus*, ante manifeſtam Chriſti prædicationem.

25. [h] *Curſum*, Syr. Æth. *miniſterium. Cujus non ſum dignus, &c.* phraſis hebræa: nec in minimis dignus ei obſequium deferre.

26. [i] *Qui in vobis timent Deum*, quod aut de veris Iſraëlitis filiis Abrahæ ſecundùm Spiritum, aut de Gentibus factis proſelytis intelligendum.

27. [k] *Judicantes, impleverunt*. Syr. *ſed condemnarunt eum, & impleverunt quæcumque ſcripta ſunt. Judicantes*, condemnato eo. Loquitur de Judæis habitatoribus Jeruſalem, propter æmulationem quæ intercedebat inter illos, & Judæos Helleniſtas, qui non ſyriacè ſed græcè loquebantur.

28. [l] *Ut interficerent*, Gr. *interfici.*

29. [m] *Deponentes*, non iidem qui mortem petierant, ſed alii viri pii. Hoc ergo impersonaliter dictum; de primis tamen aliqualiter dici poteſt, quia ſignaverunt lapidem, &c.

33. [n] *Filiis noſtris*, Gr. *natis eorum nobis*, *reſuſcitans*, Syr. *nobis filiis eorum.*

34. [o] *Dixit*, ſecundùm Septuaginta ex Iſaiæ cap. 55. *Sancta David fidelia*, ſanctè promiſſa de rege æterno naſcituro ex ipſo, miſericorditer promiſſa fideliter implebo.

36. [p] *In ſua generatione cum adminiſtraſſet*, Arab. *in ſuo ſæculo miniſtravit*. Æth. *in diebus ſuis.* Cùm ſuæ ætati inſerviſſet. *Voluntati*, Æth. *ſecundùm mandatum Domini*, Syr. *David enim in ſua generatione inſervivit voluntati Dei, &c.*

39. [q] *In hoc*, Arab. *per hunc.*

41. [r] *Videte .... admiramini & diſperdimini*, imperativi pro futuris: videbitis, admirabimini, & ob incredulitatem veſtram peribitis.

42. [ſ] *Exeuntibus*, Paulo & Barnabâ.

45. [t] *Zelo*, Syr. *invidiâ*, Arab. *animoſitate & invidiâ.*

46. [u] *Conſtanter*, Gr. *libertate uſi*, tunc ſumpta fiducia. *Indignos vos judicatis*, facto perverſo indignos monſtratis.

47. [x] *Poſui te, &c.* ſupplendum, *ſicut ſcriptum eſt*, hocque ad Chriſtum referri debet.

ſui

ſui te in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ.

48. Audientes autem Gentes gaviſæ ſunt, & [a] glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

49. Diſſeminabatur autem verbum Domini per univerſam regionem.

50. Judæi autem concitaverunt mulieres religioſas, & honeſtas, & primos civitatis, & excitaverunt perſecutionem in Paulum & Barnabam: & ejecerunt eos de finibus ſuis.

51. At illi, [b] excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.

52. Diſcipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu ſancto.

CAPUT XIV.

Iconii multi Judæorum ac Gentilium Chriſti fidem ſuſcipiunt, propter quod diviſâ civitate concitatur tumultus in Apoſtolos qui ad civitates Lycaoniæ fugiunt.

1. FActum eſt autem Iconii, ut ſimul introirent in ſynagogam Judæorum, & loquerentur, ita ut crederet Judæorum & [c] Græcorum copioſa multitudo.

2. Qui verò increduli fuerunt Judæi, ſuſcitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversùs fratres.

3. [d] Multo igitur tempore demorati ſunt, fiducialiter agentes in Domino, teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna & prodigia fieri per manus eorum.

4. Diviſa eſt autem multitudo civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam verò cum Apoſtolis.

5. Cùm autem factus eſſet impetus Gentilium & Judæorum cum principibus ſuis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent eos,

6. Intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lyſtram, & Derben, & univerſam in circuitu regionem, & ibi evangelizantes erant.

Lyſtris claudum à matris utero Paulus ſanat.

7. Et quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex utero matris ſuæ, qui numquam ambulaverat.

8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet [e] ut ſalvus fieret,

9. Dixit magnâ voce: Surge ſuper pedes tuos rectus, & exilivit, & ambulabat.

Populus ac ſacerdotes ob hoc miraculum Paulo ac Barnabæ tanquam diis ſacrificare volentes compeſcuntilli non ſine labore, Deum verum prædicantes.

10. Turbæ autem cùm vidiſſent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem ſuam, lycaonicè dicentes: Dii ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos.

11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi.

12. Sacerdos quoque Jovis, [f] qui erat ante civitatem, tauros, & coronas ante januas afferens, cum populis volebat ſacrificare.

13. Quod ubi audierunt Apoſtoli, Barnabas & Paulus, [g] conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes

14. Et dicentes: Viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt:

15. Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes [h] ingredi vias ſuas.

16. Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens [i] cibo & lætitiâ corda noſtra.

17. Et hæc dicentes, vix ſedaverunt turbas ne ſibi immolarent.

Concitatâ turbà à Judæis ſupervenientibus Paulus lapidatur, & pro mortuo relinquitur, indè tamen ſurgit, ipſe & Barnabas varia loca peragentes, diſcipulos hortantur, presbyteros ordinant, Antiochiamque unde venerant revertuntur.

18. Supervenerunt autem quidam ab [k] Antiochia & Iconio Judæi: & perſuaſis turbis, lapidanteſque Paulum, traxerunt extra civitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.

19. Circumdantibus autem eum diſcipulis, ſurgens intravit civitatem, & poſterâ die profectus eſt cum Barnaba in Derben.

20. Cùmque evangelizaſſent civitati illi, & docuiſſent multos, reverſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & Antiochiam,

21. Confirmantes animas diſcipulorum, exhortanteſque ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

22. Et cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias [l] presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt.

23. Tranſeunteſque Piſidiam, venerunt in Pamphyliam,

24. Et loquentes verbum Domini in Perge, deſcenderunt in Attaliam:

25. Et inde navigaverunt [m] Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt.

26. Cùm autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.

27. Morati ſunt autem [n] tempus non modicum cum diſcipulis.

CAPUT XV.

Oritur Antiochia quæſtio Judæos inter & Gentiles converſos circa præcepta legis Moyſis, propter quam Paulus & Barnabas cum aliis mittuntur ad Apoſtolos Jeroſolymam qui rem ad Apoſtolos referunt.

1. ET [o] quidam deſcendentes de Judæa docebant fratres: quia niſi circumcidamini

48. [a] *Glorificabant*, Syr. *gloriam tribuebant.*
51. [b] *Excuſſo pulvere*, vide Matth. cap. 10. de hac excuſſione.
1. [c] *Græcorum*, ſic vocabantur non ſolum qui græcè loquebantur, ſed etiam omnes illi qui alium cultum à Judaiſmo profitebantur.
3. [d] *Multo tempore*, ferè per annum.
8. [e] *Ut ſalvus fieret*, Syr. *ſe ſervatum iri.* Fore ut, &c.
12. [f] *Qui*. Jupiter, id eſt, Jovis templum. *Januas* domûs, in qua manebant Apoſtoli. *Sacrificare*. Syr. Æth. *eis ſacrificare.*
13. [g] *Conſciſſis tunicis* Gr. Æth. *pallia*, Syr. *togas*. Arab. *veſtes* ſuperiores, mos enim Orientalium ſcindere tunicas à ſuperiori parte uſque ad pectus. Quidam de inferioribus exponunt.

15. [h] *Ingredi vias ſuas*, vivere ſuo modo.
16. [i] *Cibo & lætitiâ*, cibo & vino. Vel. lætitia ex cibi copia.
18. [k] *Antiochia*, Piſidiæ.
22. [l] *Presbyteros*, hoc etiam de epiſcopis poteſt intelligi: cùm ex uſu loquendi hâc ætate nomen illud commune ſit ambobus.
25. [m] *Antiochiam*. Syriæ. *Traditi*, Syr. *commendati*. Æth. *ubi datum fuiſſet iis donum Dei propter opus quod fecerant.*
27. [n] *Tempus non modicum*, circiter duos annos.
1. [o] *Quidam*, ex quibus primus Corinthus, poſteà Hæreſiarcha. *Circumcidamini*, legem Moſis ſervetis. *Morem*, Æth. *legem*, Syr. *ritus legis.*

R

Digitized by Google

ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.

2. [a] Factâ ergo ſeditione non minimâ Paulo & Barnabæ adversùs illos, ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apoſtolos & presbyteros in Jeruſalem, ſuper hac quæſtione.

3. Illi ergo deducti ab Eccleſia, pertranſibant Phœnicem & Samariam, narrantes converſionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

4. Cùm autem veniſſent Jeroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & ſenioribus, annuntiantes quanta Deus feciſſet cum illis.

5. [b] Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi.

Apoſtoli poſt Petri & Jacobi ſuffragia, communi decreto ſtatuunt Gentes converſas non ligari lege Moſaicâ.

6. Conveneruntque Apoſtoli & [c] ſeniores videre de verbo hoc.

7. Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab [d] antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.

8. Et qui novit corda Deus, [e] teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis.

9. Et nihil diſcrevit inter nos & illos, [f] fide purificans corda eorum.

10. Nunc ergo quid [g] tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?

11. Sed per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & [h] illi.

12. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam & Paulum, narrantes quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos.

13. Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Jacobus, dicens: Viri fratres audite me.

14. Simon narravit quemadmodum [i] primùm Deus viſitavit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo.

15. Et huic concordant verba prophetarum, ſicut ſcriptum eſt:

16. Poſt hæc revertar, & reædificabo [k] tabernaculum David, quod decidit: & diruta ejus reædificabo, & erigam illud:

17. Ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

18. Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum.

19. Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum,

20. Sed ſcribere ad eos ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & [l] ſuffocatis, & ſanguine.

21. [m] Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur.

22. Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros [n] ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus,

23. [o] Scribentes per manus eorum. Apoſtoli & ſeniores fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, ſalutem.

24. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis: [p] evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus:

25. Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos, cum chariſſimis noſtris Barnaba & Paulo,

26. Hominibus, qui [q] tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

27. Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem.

28. Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis, [r] nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria.

29. Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, benè agetis. Valete.

30. Illi ergo dimiſſi, deſcenderunt Antiochiam: & congregatâ multitudine tradiderunt Epiſtolam.

Hanc litteram cùm fratres Antiochienſes recepiſſent gaviſi ſunt multùm.

31. Quam cùm legiſſent, gaviſi ſunt [ſ] ſuper conſolatione.

32. Judas autem & Silas, & ipſi cùm eſſent [t] Prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmaverunt.

33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace à fratribus, ad eos qui miſerant illos.

Narratur quibus in locis Judas & Silas, Paulus & Barnabas poſt hæc iverint, & quâ occaſione Paulus & Barnabas ſeparaverint ſe in opere prædicationis.

34. Viſum eſt autem Silæ ibi remanere, Judas autem ſolus abiit Jeruſalem.

35. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.

2. [a] *Factâ ergo ſeditione*, &c. Syr. *proinde ortus eſt tumultus plurimus & diſceptatio Paulo & Barnabæ cum eis. Alii ex aliis*, ex parte adverſâ.

5. [b] *Surrexerunt*, Syr. *ſed inquiunt, ſurrexerunt. Hæreſi*, Syr. *doctrinâ*, Arab. *ſectâ*, factione.

6. [c] *Seniores*, Syr. *presbyteros. Verbo*, Æth. *re*. Arab. *ut diſceptarent hanc cauſam.*

7. [d] *Antiquis*, primis, Æth. *à principio prædicationis* ſcilicet, & miſſionis Spiritus ſancti. *In nobis*, inter nos.

8. [e] *Teſtimonium perhibuit*, Gentiles fideles eſſe abſque circumciſione.

9. [f] *Fide*, formatâ, de qua Paulus ad Gal. cap. 5. & 1 ad Cor. cap. 13.

10. [g] *Tentatis Deum*, cur laboratis divinæ diſpoſitioni reſiſtere. *Potuimus*, difficillimum fuit.

11. [h] *Illi*, patres noſtri.

14. [i] *Primùm viſitavit*, Syr. *cœperit*, Gr. *primùm reſpexit.*

16. [k] *Tabernaculum David*: per tabernaculum David intelligi debet Meſſiæ regnum: itaque reædificare tabernaculum David, nihil aliud eſt, quàm ruinas Judæorum à Meſſiæ regno excluſorum reparare.

20. [l] *Suffocatis & ſanguine*. eſu animalium ſuffocatorum, quod in iis ſanguis ſit, quem edere prohibitum.

21. [m] *Moyſes enim*, &c. hæc dicuntur propter Judæos, quibus nihil ſcribendum erat, eo quòd in ſynagogis legantur libri ejus. Vel, in hoc non detrahimus legi Moyſis, legitur enim in ſynagogis & in Eccleſiis fidelium. &c.

22. [n] *Ex eis*, Syr. Arab. *ex ſe. Senioribus*, ut verſ. 6.

23. [o] *Scribentes*. ſcriptam epiſtolam dirigentes. *Seniores*, ut v. 6.

24. [p] *Evertentes*. Arab *animas veſtras conturbare.*

26. [q] *Tradiderunt*, Syr. *expoſuerunt.*

28. [r] *Nihil*, quod pertinet ad ea quæ nuper apud vos diſputata ſunt.

31. [ſ] *Super conſolatione*, Syr. *& conſolationem receperunt*, Arab. *de conſolatione ſibi miſſa.*

32. [t] *Prophetæ*, verbi Dei interpretes, & repleti Spiritu ſancto ad docendum.

Digitized by Google



Actor. XVI. 24

Παῦλος καὶ Σίλας ἐν τῇ φυλακῇ.
Paul and Silas in prison.
Paulus und Silas in dem gefängnis.

PAULUS ET SILAS IN VINCULIS.
Paul & Silas en prison.
Gevangenis van Paulus en Silas.

BIBLIOTECA NAZIONALE

36. Poſt aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: revertentes viſitemus fratres per univerſas civitates in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo ſe habeant.

37. Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus.

38. Paulus autem rogabat eum [ut qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphylia, & non iſſet cum eis in opus] non debere recipi.

39. Facta eſt autem diſſenſio, ita ut diſcederent ab invicem, & Barnabas quidem aſſumpto Marco navigaret Cyprum.

40. Paulus verò electo Silâ profectus eſt [a] traditus gratiæ Dei à fratribus.

41. Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum.

CAPUT XVI.

Paulus Lyſtris aſſumptum Timotheum circumcidit.

1. PErvenit autem Derben, & Lyſtram. Et ecce diſcipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili.

2. Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres.

3. Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumens [b] circumcidit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quòd pater ejus erat Gentilis.

Per varias tranſiens civitates ſervanda docet decreta Apoſtolorum.

4. Cùm autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire [c] dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis.

5. Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

Vetatur a Spiritu ſancto prædicare in Aſia & Bithynia.

6. Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in [d] Aſia.

7. Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permiſit eos Spiritus Jeſu.

Proficiſcitur in Macedoniam, poſtquam illuc per viſionem vocatus fuiſſet.

8. Cùm autem pertranſiſſet Myſiam, deſcenderunt Troadem.

9. Et [e] viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam, adjuva nos.

10. Ut autem viſum vidit, ſtatim quæſivimus proficiſci in Macedoniam, certi facti quòd vocaſſet nos Deus evangelizare eis.

11. Navigantes autem à Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die [f] Neapolim;

Deſcribuntur quæ Paulo & ſociis acciderunt Philippis.

12. Et inde Philippos, quæ eſt prima [g] partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes.

13. Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur [h] oratio eſſe: & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant.

14. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, [i] colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.

15. Cùm autem baptizata eſſet, & domus ejus, deprecata eſt, dicens: Si judicaſtis me [k] fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.

16. Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem [l] ſpiritum pythonem obviare nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divinando.

17. Hæc ſubſecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.

18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & converſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea. Et exiit eâdem horâ.

19. Videntes autem domini ejus quia exivit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum ad principes:

20. Et offerentes eos magiſtratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem noſtram, cùm ſint Judæi:

21. [m] Et annuntiant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cùm ſimus Romani.

22. Et cucurrit plebs adversùs eos, & magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum, juſſerunt eos virgis cædi.

23. Et cùm multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi ut diligenter cuſtodiret eos.

24. Qui cùm tale præceptum accepiſſet, miſit eos in [n] interiorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno.

25. Mediâ autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudabant Deum, & audiebant eos, [o] qui in cuſtodia erant.

26. Subitò verò terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia: & univerſorum vincula ſoluta ſunt.

27. Expergefactus autem cuſtos carceris, & videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat ſe interficere, æſtimans fugiſſe vinctos.

28. Clamavit autem Paulus voce magnâ, di-

40. [a] *Traditus*, Syr. *commendatus*.
3. [b] *Circumcidit*, ut vitaret ſcandalum Judæorum, & quia filius mulieris viduæ, &c.
4. [c] *Dogmata*, Syr. Arab. *præcepta*, decreta. *Senioribus*. Syr. *presbyteris*.
6. [d] *Aſia* minori. Proconſulari, in qua erat Ionia. Eolia, & Lydia.
9. [e] *Viſio*, imaginaria, & facta videtur in ſomno.
11. [f] *Neapolim*. civitas eſt Cariæ, quæ eſt provincia Aſiæ, in Thraciæ & Macedoniæ confinio.
12. [g] *Partis*. hujus religionis. *Quæ eſt prima colonia*. Syr. *quæ eſt caput Macedoniæ*. *Civitas*. Æth. *principium Macedoniæ*. *Colonia*, Romanorum quod magni æſtimabatur propter multas prærogativas coloniis conceſſas.
13. *Oratio*. Syr. *domus precationis*. Erant ſynagogæ in majoribus urbibus, in aliis verò erat duntaxat locus orationi deſtinatus. Philippis verò talis locus erat prope flumen Strimonem.
14. [i] *Colens Deum*, Judæa aut ortu. aut religione.
15. [k] *Fidelem in Domino*, Syr. *ſi verè conſiditis me credidiſſe in Dominum noſtrum*.
16. [l] *Spiritum Pythonem*: Apollo dictus eſt Pytho à dracone, vel homine eo nomine quem occidit. Is divinationis autor quâ veritas a mortuis inveſtigatur per ſuſcitationem præſtigialem: vel à vivis, agente & revelante diabolo.
21. [m] *Et annuntiant morem*, &c. Romanis licitum non erat numen ullum colere, niſi ex decreto ſenatus. Philippis autem colonia erat Romanorum.
24. [n] *Interiorem carcerem*. Syr. *locum intimum carceris*.
25. [o] *Qui in cuſtodia erant*, Gr. Syr. Arab. *vincti*.

Digitized by Google

cens : Nihil tibi mali feceris : univerſi enim hîc ſumus.

29. [a] Petitoqoe lumine, inrrogreſſus eſt : & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes.

30. Et producens eos [b] foras, ait : Domini, quid me oportet facere, ut ſalvus fiam ?

31. At illi dixerunt : Crede in Dominum Jeſum : & ſalvus eris tu, & domus tua.

32. Et locuti ſunt ei verbum Domini, [c] cum omnibus qui erant in domo ejus.

33. Et [d] tollens eos in illa hora noctis lavit plagas eorum, & baptizatus eſt ipſe, & omnis domus ejus continuò.

34. [e] Cùmque perduxiſſet eos in domum ſuam, appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo.

35. Et cùm dies factus eſſet, miſerunt magiſtratus lictores, dicentes : Dimitte homines illos.

36. Nuntiavit autem cuſtos carceris verba hæc Paulo : Quia miſerunt magiſtratus ut dimittamini : nunc igitur exeuntes, ite in pace.

37. Paulus autem dixit eis : Cæſos nos publicè, [f] indemnatos, homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt ? Non ita : ſed veniant,

38. Et ipſi nos [g] ejiciant. Nuntiaverunt autem magiſtratibus lictores verba hæc. Timueruntque audito quòd Romani eſſent :

39. Et venientes [h] deprecati ſunt eos, & educentes rogabantur ut egrederentur de urbe.

40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad [i] Lydiam : & viſis fratribus conſolati ſunt eos, & profecti ſunt.

CAPUT XVII.

Deſcribitur prædicatio Pauli Theſſalonicæ facta & quæ contigerunt in illa urbe.

1. CUm autem perambulaſſent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam, ubi erat ſynagoga Judæorum.

2. Secundùm conſuetudinem autem Paulus introivit ad eos, & per ſabbata tria diſſerebat eis de Scripturis,

3. Adaperiens & inſinuans quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere à mortuis : & quia hic eſt Jeſus Chriſtus quem ego annuntio vobis.

4. Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti ſunt Paulo & Silæ, [k] & de colentibus Gentilibuſque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

5. Zelantes autem Judæi, aſſumenteſque de vulgo viros quoſdam malos, & turbâ factâ, concitaverunt civitatem, & aſſiſtentes domui Jaſonis quærebant eos producere in populum.

6. Et cùm non inveniſſent eos, trahebant Jaſonem & quoſdam fratres ad principes civitatis, clamantes : Quoniam hi, qui urbem concitant, & huc venerunt,

7. Quos ſuſcepit Jaſon, & hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt, [l] regem alium dicentes eſſe, Jeſum.

8. Concitaverunt autem plebem, & principes civitatis audientes hæc.

9. Et [m] acceptâ ſatisfactione à Jaſone, & à cæteris, dimiſerunt eos.

10. Fratres verò confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum & Silam in Berœam, qui cùm veniſſent, in ſynagogam Judæorum introierunt. Quæ contigerunt BerϾ.

11. Hi autem erant [n] nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.

12. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honeſtarum, & viri non pauci.

13. Cùm autem cognoviſſent in Theſſalonica Judæi, quia & BerϾ prædicatum eſt à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commoventes & turbantes multitudinem.

14. Statimque tunc Paulum dimiſerunt fratres, ut iret uſque [o] ad mare : Silas autem & Timotheus remanſerunt ibi. Quæ Athenis.

15. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum uſque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, ut quàm celeriter venirent ad illum, profecti ſunt.

16. Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus ejus in ipſo, videns idololatriæ deditam civitatem.

17. Diſputabat igitur in ſynagoga cum Judæis, & [p] colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos qui aderant.

18. Quidam autem Epicurei, & Stoïci philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant : Quid vult ſeminiverbius hic dicere ? Alii verò : [q] Novorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe : quia Jeſum, & reſurrectionem annuntiabat eis.

19. Et apprehenſum eum ad [r] Areopagum duxerunt, dicentes : Poſſumus ſcire quæ eſt hæc nova, quæ à te dicitur, doctrina ?

20. Nova enim quædam infers auribus noſtris : volumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe.


21. [Athenienſes autem omnes, & advenæ hoſpites, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.]

22. Stans autem Paulus in medio Areopagi,

29. [a] *Petitoque lumine*, Syr. *ille verò accendit ſibi lucernam*, Æth. *& adduxit lumen.*
30. [b] *Foras*, ex ergaſtulo interiore.
32. [c] *Cum*, Gr. Arab. Æth. *&c.*
33. [d] *Tollens*, Arab. *aſſumens*, Syr. Æth. *aſſumptis illis.* Ad meliora domus ſuæ loca introducens
34. [e] *Cùmque perduxiſſet*, *&c.* poſt hæc in carcerem redierunt.
37. [f] *Indemnatos*, Syr. *Innocentes.* Indictâ causâ.
38. [g] *Ejiciant*, educant.
39. [h] *Deprecati ſunt*, culpam excuſarunt.
40. [i] *Lydiam*, domum Lydiæ.
4. [k] *Et de colentibus*, *Gentilibuſque*, Syr. *multique ex Græcis illis qui timebant Deum.* Gentilibus ad Judaiſmum converſis.

7. [l] *Regem alium*, nomina regis & Meſſiæ ſynonima erant apud Judæos.
9. [m] *Acceptâ ſatisfactione*, Syr. *acceperunt fidejuſſores* : quòd Jaſon ſiſteret ſe coram magiſtratibus, quando opus foret.
11. [n] *Nobiliores*, Æth. *meliores.* Caſtalio, *Theſſalonicenſibus generoſiores*, nobilitate animi & virtutum.
14. [o] *Ad mare*, fama ſparſa, quòd eſſet navigaturus.
17. [p] *Colentibus*. Gentilibus colentibus Deum.
18. [q] *Novorum dæmoniorum*, *&c.* Syr. *Deos alienos prædicat.* Hoc nomen a philoſophis non quemadmodum apud nos ſemper in malam partem accipiebatur : per illud gentes intelligebant rationalis ſubſtantiæ, medios inter Deos & homines.
19. [r] *Areopagum*, curia erat non procul a Martis templo, ubi judices judicabant.

Digitized by Google



Hand. XVI, 33.

Δεσμοφύλακος επιςροφή. | CONVERSIO COMMENTARIENSIS.
The Convert Jaylor. | *La conversion du Geolier.*
Die bekehrung des Kerkermeisters. | Bekeering des Stokbewaerders.

A. Houbraken del. | *M. Pool sculp.*

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

ait : Viri Athenienſes per omnia quaſi [a] ſuperſtitioſiores vos video.

23. Prætereiens enim, & videns [b] ſimulachra veſtra, inveni & aram, in qua ſcriptum erat : IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.

24. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cum ſit Dominus, [c] non in manufactis templis habitat,

25. Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam : & inſpirationem & omnia:

26. Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ definiens [d] ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum,

27. [e] Quærere Deum, ſi fortè attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrûm.

28. [f] In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt : Ipſius enim, & genus ſumus.

29. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare, auro, aut argento, [g] aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum eſſe ſimile.

30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ [h] deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant,

31. Eò quòd ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in iniquitate, [i] in viro, in quo ſtatuit fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.

32. Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt : Audiemus te de hoc iterum.

33. Sic Paulus exivit de medio eorum.

34. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt : in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

CAPUT XVIII.

Deſcribuntur quæ à Paulo geſta ſunt Corinthi, & quæ circa illum.

1. POſt hæc egreſſus ab Athenis, venit Corinthum:

2. Et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam uxorem ejus, [eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos à Roma] acceſſit ad eos.

3. Et quia ejuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erant autem [k] ſcenofactoriæ artis.)

4. Et diſputabat in ſynagoga per omne ſabbatum, [l] interponens nomen Domini Jeſu, ſuadebatque Judæis, & Græcis.

5. Cùm veniſſent autem de Macedonia Silas & Timotheus, inſtabat verbo Paulus, teſtificans Judæis [m] eſſe Chriſtum Jeſum.

6. Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus, [n] excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos : Sanguis veſter ſuper caput veſtrum : mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.

7. Et migrans inde, intravit in domum cujuſdam, nomine Titi Juſti, [o] colentis Deum, cujus domus erat conjuncta ſynagogæ.

8. Criſpus autem archiſynagogus credidit Domino cum omni domo ſua, & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

9. Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo : Noli timere, ſed loquere, & ne taceas.

10. Propter quod ego ſum tecum : & [p] nemo apponetur tibi ut noceat te : quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate.

11. Sedit autem ibi annum & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei.

12. [q] Gallione autem proconſule Achaiæ, inſurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,

13. Dicentes: Quia contra [r] legem hic perſuadet hominibus colere Deum.

14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos : Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, ô viri Judæi, rectè [ſ] vos ſuſtinerem.

15. Si verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis : Judex ego horum nolo eſſe.

16. Et [t] minavit eos à tribunali.

17. Apprehendentes autem [u] omnes Soſthenem principem ſynagogæ, percutiebant eum ante tribunal : & nihil eorum Gallioni curæ erat.

18. Paulus verò cùm adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam, [& cum eo Priſcilla, & Aquila] qui ſibi Referuntur variæ Pauli peregrinationes.

22. [a] *Superſtitioſiores*, Syr. *nimios in cultu dæmonum*. Arab. *quaſi nimis dæmonia verentes*. Hæc in bonam partem.
23. [b] *Simulachra*, Gr. *ſacra*.
24. [c] *Non in manufactis*, &c. non habitat quemadmodum Gentiles putabant, tanquam templis indigentes, ſicut reges habitant in palatiis.
26. [d] *Statuta tempora*, cujuſque vitæ. *Terminos*, &c. ubi quiſque populus habitaret.
27. [e] *Quærere*, Syr. *ut quærerent*. Ad hoc enim tempora terminoſque diſtinxit, ut homines quærant Deum.
28. [f] *In ipſo*, Arab. *per ipſum*. *Ipſius*, Syr. *ab eo*. *Genus*, Syr. *progenies*.
29. [g] *Aut lapidi*, Syr. *aut lapidi inſculpto artificio & ſcientiâ humanâ*.
30. [h] *Deſpiciens*, Syr. *prætereire fecit*, Arab. *à temporibus*, nos amovit. Cùm diſſimulaverit : vel, ex alto videns.
31. [i] *In viro*, &c. Syr. *per virum quem deſinit*, *& reſtituit unumquemque hominem ad fidem ejus*, *quem excitavit à mortuis*, Arab. *per virum quem præſcripſit ut fidem præſtaret omnibus hominibus*, *ſuſcitando eum à mortuis*. *Fidem præbens*, teſtimonium præbens & certos reddens homines de hac re per reſurrectionem. &c.
3. [k] *Scenofactoriæ artis*, ars eſt conficiendorum tentoriorum, aut etiam aulæorum, quibus nobiliores utuntur.
4. [l] *Interponens*, ſubinde admiſcens & proponens.
5. [m] *Eſſe Chriſtum Jeſum*, Syr. *ſe non eſſe Chriſtum*.
6. [n] *Excutiens*, vide c. 10. Matth. de hac excuſſione *Sanguis*, damnum, interitus.
7. [o] *Colentis Deum*, ſic vocabantur Gentiles qui unum & verum Deum colebant, licèt onus legis non ſubirent.
10. [p] *Nemo apponetur tibi ut noceat te*, Syr. *nemoque poterit tibi moleſtiam exhibere*.
12. [q] *Gallione*, is erat Novatus, frater Senecæ philoſophi, qui adoptatus à Gallione relegato juſſu Tiberii, nomen Gallionis ſumpſerat.
13. [r] *Legem*, Moyſis. & Romanorum quæ vetat ſine ſenatus-conſulto novos inducere deos.
14. [ſ] *Vos ſuſtinerem*. Arab. *ſpectarem cauſam veſtram*.
16. [t] *Minavit*, Gr. *abegit*. Syr. *amandavit*.
17. [u] *Omnes*, Gr. additur. *Græci*, Syr. *Ethnici*. Æth. *Gentiles*. *Soſthenem*, qui fortè crediderat prædicationi Pauli, & in locum Criſpi ſuffectus fuerat : vel, præfectus alterius ſynagogæ : nam in magnis urbibus plures erant. Corinthii homines qui tribunali aſtabant, cùm viderent Judæos ideo à tribunali cum contemptu abigi, quod tam nugis quæſtiunculis obſtreperent proconſuli, ipſi quoque vicem proconſuli gratiam facturi, verba ingeſſerunt Judæis, & Soſthenem malè habuerunt, quò celeriùs abirent, &c.

Digitized by Google



Actor. XX. 10.

Ἀνάστασις τοῦ Εὐτύχου διὰ τοῦ Παύλου.
Paul raiseth Eutychus to Life.
Eutychus wird von Paulus wieder lebendig gemacht.

EUTYCHUS A PAULO AD VITAM REVOCATUS.
S. Paul reſſuscite Eutyche.
Opwekking van Eutychus door Paulus.

NAPOLI

20. Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur.

21. His autem expletis, propoſuit Paulus [a] in Spiritu, tranſitâ Macedoniâ & Achaiâ ire Jeroſolymam, dicens: Quoniam poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.

22. Mittens autem in Macedoniam duos ex miniſtrantibus ſibi, Timotheum & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſia.

23. Facta eſt autem illo tempore turbatio non minima [b] de via Domini.

24. Demetrius autem quidam nomine, argentarius, faciens [c] ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum:

25. Quos convocans, & eos qui hujuſmodi erant opifices, dixit: Viri, ſcitis quia de hoc artificio eſt nobis [d] acquiſitio:

26. Et videtis, & auditis, quia non ſolùm Epheſi, ſed penè totius Aſiæ, Paulus hic ſuadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt dii qui manibus fiunt.

27. [e] Non ſolum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, ſed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui incipiet majeſtas ejus, quam tota Aſia & orbis colit.

28. His auditis, repleti ſunt irâ, & exclamaverunt, dicentes: Magna Diana Epheſiorum.

29. Et impleta eſt civitas confuſione, & impetum fecerunt uno animo in [f] theatrum, rapto Gaio & Ariſtarcho Macedonibus comitibus Pauli.

30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiſerunt diſcipuli.

31. Quidam autem, & de [g] Aſiæ principibus, qui erant amici ejus, miſerunt ad eum rogantes ne ſe daret in theatrum;

32. [h] Alii autem aliud clamabant: Erat enim Eccleſia confuſa: & plures neſciebant qua ex cauſa conveniſſent.

33. [i] De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu ſilentio poſtulato, volebat reddere rationem populo.

34. Quem ut cognoverunt Judæum eſſe, vox facta una eſt omnium quaſi per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum.

35. Et cùm ſedaſſet [k] ſcriba turbas, dixit: Viri Epheſii, quis enim eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, Joviſque prolis?

36. Cùm ergo his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temere agere.

37. Adduxiſtis enim homines iſtos, neque ſacrilegos, neque blaſphemantes deam veſtram.

38. Quòd ſi Demetrius, & qui cum eo ſunt, artifices habent adversùs aliquem cauſam, conventus forenſes aguntur, & proconſules ſunt, accuſent invicem.

39. Si quid autem alterius rei quæritis: [l] in legitima Eccleſia poterit abſolvi.

40. Nam & periclitamur argui ſeditionis hodiernæ: [m] cùm nullus obnoxius ſit [de quo poſſimus reddere rationem] concurſus iſtius. Et cùm hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam.

CAPUT XX.

Referuntur multa peregrinationes Pauli Troadem uſque.

1. Poſtquam autem ceſſavit tumultus, vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus eſt ut iret in Macedoniam.

2. Cùm autem perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit ad [n] Græciam.

3. Ubi [o] cùm feciſſet menſes tres, factæ ſunt illi inſidiæ à Judæis navigaturo in Syriam: habuitque conſilium ut reverteretur per Macedoniam.

4. Comitatus eſt autem eum Sopater Pyrrhi Berœenſis, Theſſalonicenſium verò Ariſtarchus, & Secundus, & Gaius [p] Derbeus, & Timotheus: Aſiani verò Tychicus & Trophimus.

5. Hi cùm præceſſiſſent, [q] ſuſtinuerunt nos Troade.

6. Nos verò navigavimus poſt dies azymorum à Philippis & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati ſumus diebus ſeptem.

7. [r] Una autem Sabbati cùm conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis, profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem.

Troade Paulus Eutychum adoleſcentem reſuſcitat, multumque concionatur.

8. Erant autem lampades copioſæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.

9. Sedens autem quidam adoleſcens nomine Eutychus ſuper feneſtram, cùm mergeretur ſomno gravi, [ſ] diſputante diu Paulo, ductus ſomno cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus.

10. Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus incubuit ſuper eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt.

21. [a] *In ſpiritu*. Syr. *in mente ſua*.
23. [b] *De via*, Syr. *propter viam*. Æth. *de hac doctrina*.
24. [c] *Ædes*, Syr. *delubra*, Æth. *imagines argenteas*. Ædes ſimiles templo Epheſino.
25. [d] *Acquiſitio*, Arab. Æth. *quæſtus*.
27. [e] *Non ſolùm autem hæc periclitabitur nobis pars*, Æth. *& non ſolùm propter hoc periclitabimur nos*. *Pars*, negotium artis noſtræ. *Redargutionem*, reprobationem, adeò ut contemnatur.
29. [f] *Theatrum*, fortè locus in quo conventus fiebant & judicia reddebantur.
31. [g] *Aſiæ principibus*, quidam de pontificibus paganis exponunt, quorum ſumptibus celebrabantur ludi publici.
32. [h] Syr. *Turba autem quæ erant in theatro valdè tumultuabantur, & alii aliud clamabant; multi verò ex eis neſciebant cur conveniſſent.*
33. [i] *De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis*, Arab. *erexit ſe autem de turba Alexander, annuentibus Judæis*. Syr. *plebs autem Judæorum qui illic erant, ſtatuerunt ex ſe ipſis virum Judæum, cui nomen Alexander.*
35. [k] *Scriba*. Syr. *princeps civitatis*. *Joviſque prolis*, Syr. *ſimulachri è cælo delapſi*, Æth. *quis neſcit magnificentiam deæ Epheſiorum* huj*uſque* [illegible], *quæ miſſa fuit à Jove deo magno*. Ut enim majori religione coleretur, vulgò perſuaſum fuerat è cœlo & ab ipſo Jove demiſſum ſimulachrum.
39. [l] *In legitima Eccleſia*, Syr. *in loco à longè ad concionem dato*. Arab. *in ſenatorum curia*.
40. [m] *Cùm nullus obnoxius, &c.* Gr. *nullâ cauſâ ſubſiſtente de qua poſſimus reddere rationem concurſus iſtius*. *Obnoxius*, in culpa, ſeu autor. *Eccleſiam*, conventum populi.
2. [n] *Græciam*, quandam Græciæ partem, alii Athenas, alii Achaiam dicunt.
3. [o] *Cùm feciſſet menſes*, exactis menſibus. Syr. Arab. Æth. *& manſit*. *Habuit conſilium*. Syr. Æth. *cenſuit*, Arab. *propoſuit*.
4. [p] *Derbeus*, Syr. *ex Derbe civitate*, Pyrrhi filius.
5. [q] *Suſtinuerunt*. Syr. *profecti ſunt*, Arab. *pervenerunt Troadem, nos expectaturi*.
7. [r] *Una ſabbati*. Syr. *primo die hebdomadis*. *Frangendum panem*, frangendum Euchariſtiam, quia dies erat dominicæ, quia tempus erat cœnæ, quia hanc cœnam concio fuit ſubſecuta. *Diſputabat cum eis*, Æth. *prædicabat eis*. Syr. *verba faciebat*.
9. [ſ] *Diſputante diu Paulo*, Syr. *dum produceret ſermonem ipſe Paulus*.

11. Aſcendens autem, frangenſque panem, & guſtans, ſatiſque allocutus uſque in lucem, ſic profectus eſt.

12. Adduxerunt autem puerum viventem, & conſolati ſunt non [a] minimè.

Deſcribuntur adhuc variæ peregrinationes Pauli uſque ad Epheſum, ubi convocans Epiſcopis Aſianis hortatur illos ſermone valido, prædicens quòd ipſum non eſſent amplius viſuri.

13. Nos autem aſcendentes navem, navigavimus in Aſſon, inde ſuſcepturi Paulum; ſic enim diſpoſuerat ipſe per terram iter facturus.

14. Cùm autem conveniſſet nos in Aſſon, aſſumpto eo, venimus Mitylenen.

15. Et inde navigantes, ſequenti die venimus contra Chium, & [b] alia applicuimus Samum, & ſequenti die venimus Miletum.

16. Propoſuerat enim Paulus tranſnavigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia. Feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis.

17. A Mileto autem mittens Epheſum, vocavit [c] Majores natu Eccleſiæ.

18. Qui cùm veniſſent ad eum & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis à prima die, quâ ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim,

19. Serviens Domino cum omni humilitate & lacrymis, & [d] tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Judæorum.

20. Quomodo nihil ſubſtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos,

21. [e] Teſtificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

22. Et nunc ecce [f] alligatus ego ſpiritu, vado in Jeruſalem: quæ in ea ventura ſint mihi, ignorans.

23. Niſi quod [g] Spiritus ſanctus per omnes civitates mihi proteſtatur, dicens: Quoniam vincula & tribulationes Jeroſolymis me manent.

24. Sed nihil horum vereor: [h] nec facio animam meam pretioſiorem quàm me, dummodò conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Jeſu, teſtificari Evangelium gratiæ Dei.

25. Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi prædicans regnum Dei.

26. Quapropter conteſtor vos hodiernâ die, quia [i] mundus ſum à ſanguine omnium.

27. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne [k] conſilium Dei vobis.

28. Attendite vobis, & univerſo grègi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos. [l] Regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.

29. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces [m] in vos, non parcentes gregi.

30. Ex his vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.

31. Propter quod vigilate, memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm.

32. Et nunc commendo vos Deo, & [n] verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus.

33. Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut

34. Ipſi ſcitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.

35. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet [o] ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare quàm accipere.

36. Et cùm hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis oravit cum omnibus illis.

37. Magnus autem fletus factus eſt omnium: & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum,

38. Dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem non eſſent viſuri. Et deducebant eum ad navem.

CAPUT XXI.

Deſcribuntur variæ navigationes Pauli Jeroſolymam tendentis, cui in Cæſarea ab Agabo, & ab aliis prædicuntur afflictiones quas paſſurus erat Jeroſolymis, quod nec amicorum lacrymæ removent eum ab incœpto itinere.

1. CUm autem factum eſſet ut navigaremus abſtracti ab eis, recto curſu venimus Coum, & ſequenti die Rhodum, & inde Pataram.

2. Et cùm inveniſſemus navem transfretantem in Phœnicen, aſcendentes navigavimus.

3. Cùm apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam ad ſiniſtram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim navis expoſitura erat onus.

4. Inventis autem diſcipulis, manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo [p] dicebant per Spiritum ne aſcenderet Jeroſolymam

5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus, & filiis uſque foras civitatem: & poſitis genibus in littore, oravimus.

6. Et cùm valefeciſſemus invicem, aſcendimus navem: illi autem redierunt in [q] ſua.

7. Nos verò navigatione expletâ à Tyro deſcendimus Ptolemaidam: & ſalutatis fratribus, manſimus die unâ apud illos.

12. [a] *Minime*, mediocriter.
13. [b] *Alia*, Syr. Arab. Æth. *poſtridie*.
17. [c] *Majores natu*, Syr. Arab. *presbyteros*. Hoc de ſolis Epiſcopis exponunt multi, alii de Epiſcopis & presbyteris. *Eccleſia*, non Epheſinæ tantùm, ſed Aſianæ.
19. [d] *Tentationibus*, perſecutionibus.
21. [e] *Teſtificans*, Arab. *hortans ad pœnitentiam*.
22. [f] *Alligatus Spiritu*, ex revelatione Spiritus ſancti ad id impellentis.
23. [g] *Spiritus ſanctus per omnes civitates*, &c. multi in variis civitatibus ſpiritu prophetico inſtructi per quos Spiritus ſanctus mihi inſinuat.
24. [h] *Nec facio animam meam pretioſiorem quàm me*, Syr. *mihi vero pro nihilo habetur anima mea*, Æth. *verùm tamen non reputo animam meam quoquam. Animam*, vitam corporalem.
26. [i] *Mundus à ſanguine*, à peccatis & damnatione, cùm vobis prædicaverim quidquid ad ſalutem pertinet.
27. [k] *Conſilium*, Syr. *voluntatem*
28. [l] *Regere*, Syr. Arab. Æth. *Ut paſcatis*, ad regendum.
29. [m] *In vos*, Arab *ad vos*, contra vos.
32. [n] *Verbo gratiæ*, promiſſionibus divini eloquii quibus miſericordiam ſuam ad ipſum confugientibus promiſit. *Verbo*, redundat more hebraico. *Gratiæ Dei*, vel prædicationi quam audiſtis & Evangelio. *In ſanctificatis omnibus*. Syr. *cum omnibus ſanctis*.
35. [o] *Suſcipere infirmos*, ſubvenire infirmis in fide. *Dare*, ex charitate. *Accipere*, ex inopia.
4. [p] *Dicebant per ſpiritum*, per ſpiritum prævideran̄t quæ paſſurus eſſet Paulus, ſed ex affectu proprio dicebant.
6. [q] *Sua*, Syr. *domos ſuas*, Gr. *propria*.

8. Alia



Actor. XXI, 10.

Ἀγάβου πρόῤῥησις τῷ Παύλῳ.

Agabus prophesie concerning Paul.

Agabs prophezyung.

AGABUS PAULO VINCULA PRAEDICIT.

Prediction d'Agabus à S. Paul.

Agabus voorzegging aan Paulus.

Houbraken del. Folkema sculp.

Biblioteca Nazionale Vittorio Emanuele III Napoli

8. Aliâ autem die profecti, venimus [a] Cæſaream. Et intrantes domum Philippi Evangeliſtæ, qui erat unus de ſeptem, manſimus apud eum.

9. Hîc autem erant quatuor filiæ virgines [b] prophetantes.

10. Et cùm moraremur per dies aliquot, ſupervenit quidam à Judæa propheta nomine Agabus.

11. Is cùm veniſſet ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans ſibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus ſanctus: Virum, cujus eſt zona hæc, ſic alligabunt in Jeruſalem Judæi, & tradent in manus Gentium.

12. Quod cùm audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Jeroſolymam.

13. Tunc reſpondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non ſolùm alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu.

14. Et cùm ei ſuadere non poſſemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat.

15. Poſt dies autem iſtos [c] præparati aſcendebamus in Jeruſalem.

16. Venerunt autem & ex diſcipulis à Cæſarea nobiſcum adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur Mnaſonem quemdam Cyprium, antiquum diſcipulum.

Cùm Jeruſalem perveniſſet Paulus, ſuadet ei Jacobus ut cum quinque viris votum habentibus ſe ſanctificet, &c.

17. Et cùm veniſſemus Jeroſolymam, libenter exceperunt nos fratres.

18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Jacobum, omneſque collecti ſunt [d] ſeniores.

19. Quos cùm ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius.

20. At illi cùm audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & [e] omnes æmulatores ſunt legis.

21. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt, Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundùm conſuetudinem [f] ingredi.

22. [g] Quid ergo eſt? Utique oportet convenire multitudinem: audient enim te ſuperveniſſe.

23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt [h] nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe.

24. His aſſumptis, ſanctifica te cum illis: & [i] impende in illis ut radant capita, & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.

25. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, judicantes ut abſtineant ſe ab idolis, immolato & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.

26. Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſterâ die purificatus cum illis intravit in templum annuntians expletionem dierum purificationis, [k] donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.

Cùm Paulus id faceret, capitur à Judæis tumultum magnum in urbe facientibus.

27. [l] Dum autem ſeptem dies conſummarentur, hi qui de Aſia erant Judæi, cùm vidiſſent eum in templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus, clamantes.

28. Viri Iſraëlitæ, adjuvate: hic eſt homo, qui adversùs populum, & legem, & locum hunc, omnes ubique docens: inſuper & [m] Gentiles induxit in templum, & violavit ſanctum locum iſtum.

29. Viderant enim Trophimum Epheſium in civitate cum ipſo quem æſtimaverunt quoniam in templum introduxiſſet Paulus.

30. Commotaque eſt civitas tota & facta eſt concurſio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum; & ſtatim clauſæ ſunt januæ.

31. Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum eſt tribuno [n] cohortis: quia tota confunditur Jeruſalem.

32. Qui ſtatim aſſumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidiſſent tribunum, & milites, ceſſaverunt percutere Paulum.

A Judæis volentibus Paulum occidere eripitur à tribuno, ducitur que in caſtra, ubi facultatem obtinet alloquendi populum.

33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & juſſit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis eſſet, & quid feciſſet.

34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cùm non poſſet certum cognoſcere præ tumultu, juſſit duci eum in [o] caſtra.

35. Et cùm veniſſet ad [p] gradus, contigit ut portaretur à militibus propter vim populi.

36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: [q] Tolle eum.

37. Et cùm cœpiſſet induci in caſtra Paulus, dicit tribuno: [r] Si licet mihi loqui aliquid ad te? qui dixit: Græcè noſti?

38. Nonne tu es Ægyptius qui [ſ] ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum.

39. Et dixit ad eum Paulus: Ego homo ſum quidem Judæus à Tarſo Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

40. Et cùm ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſi-

8. [a] *Cæſaream*, Stratonis, quæ in Judæa ſive in Syria Paleſtinæ. *Evangeliſtæ*, ab officio Evangelicæ prædicationis. *Septem*, Diaconis.

9. [b] *Prophetantes*, futura & occulta.

15. [c] *Præparati*, Gr. *colligentes ſarcinas*.

18. [d] *Seniores*, Syr. Æth. *presbyteri*.

20. [e] *Omnes*, & tamen omnes. *Æmulatores*, Syr. Gr. *zelatores*. Studioſi ſectatores.

21. [f] *Ingredi*, vivere.

22. [g] *Quid ergo*, &c. Arab. *quid ergo ex his gignetur*. Quid eſt agendum, & à te quid volumus.

23. [h] *Nobis*, Arab. Æth. *apud nos*. *Votum habentes ſuper ſe*, Syr. *voto obnoxii*, Arab. *adſtricti*.

24. [i] *Impende in illis*, Syr. *expende pro eis expenſas*. Expenſas ſacrificii offerendi in die expletionis voti. Moris erat apud Judæos ut ſumptus ſuppeditarent in oblationibus Nazaræorum, qui volebant participes eſſe meriti votorum, &c. ſic Joſeph. ant. lib. XIX cap. 5. refert impenſas Herodis Agrippæ. *Radant capita*: his verbis tota Nazaræatus ceremonia intelligitur.

26. [k] *Donec offerretur*, illic perſtitens donec oblata eſſet.

27. [l] *Dum autem ſeptem diebus conſummarentur*, Gr. *ut autem futuri erant ſeptem dies conſummari*. *Septem*, ab adventu Jeruſalem, in fine quintæ ad veſperum, & ſic initio ſextæ diei, qua comparuit coram Sanhedrin nocte ſequenti ductus ſuit Antipatridem, ſeptimâ die advenit Cæſaream, in quam poſt quinque dies accuſatores Pauli pervenerant, vide v. 1. c. 24.

28. [m] *Gentiles induxit*, quod falſum, ex v. 29.

31. [n] *Cohortis*, quæ in arce Antoniana, prope templum.

34. [o] *Caſtra*, turrem Antonianam.

35. [p] *Gradus*, arcis Antonianæ.

36. [q] *Tolle*, à vita.

37. [r] *Si licet*, Arab. *permittiſne*. *Græcè noſti*, affirmativè loquitur, ſed velut interroget, hoc enim ex ſequentibus patet: ſi enim Paulum Judæum crederet, non pro Ægyptio haberet, &c.

38. [ſ] *Ante hos dies*, biennium, aut triennium, anno Claudii trigeſimo.

Digitized by Google

lentio facto, allocutus linguâ hebræâ, dicens.

CAPUT XXII.

Concio Pauli ad populum, narraturque quid poſteà actum ſit à Judæis & tribuno, &c.

1. Viri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.

2. Cùm audiſſent autem quia hebræâ linguâ loqueretur ad illos, magis præſtiterunt ſilentium.

3. Et dicit: Ego ſum vir Judæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta civitate, ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis ſicut & vos omnes eſtis hodie.

4. Qui hanc [a] viam perſecutus ſum uſque ad mortem, alligans & tradens in cuſtodias viros ac mulieres.

5. Sicut princeps ſacerdotum mihi [b] teſtimonium reddit, & omnes majores natu, à quibus & Epiſtolas accipiens ad fratres Damaſcum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jeruſalem, ut punirentur.

6. Factum eſt autem, eunte me, & appropinquante Damaſco mediâ die, ſubito de cœlo circumfulſit me lux copioſa:

7. Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule quid me perſequeris?

8. Ego autem reſpondi: Quis es, Domine? dixitque ad me: Ego ſum Jeſus Nazarenus quem tu perſequeris.

9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem [c] non audierunt ejus qui loquebatur mecum.

10. Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damaſcum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.

11. Et cùm non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damaſcum.

12. Ananias autem, quidam vir ſecundùm legem teſtimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis,

13. Veniens ad me, & aſtans dixit mihi: Saule frater reſpice. Et ego eâdem horâ reſpexi in eum.

14. At ille dixit: Deus patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, & videres [d] juſtum, & audires vocem ex ore ejus.

15. [e] Quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum quæ vidiſti, & audiſti.

16. Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius.

17. Factum eſt autem revertenti mihi in Jeruſalem, & oranti in templo, fieri me in [f] ſtupore mentis,

18. Et videre [g] illum dicentem mihi: Feſtina & exi velociter ex Jeruſalem quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.

19. Et ego dixi: Domine, ipſi ſciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & cedens per ſynagogas eos qui credebant in te:

20. Et cùm funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.

21. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.

22. Audiebant autem eum uſque ad hoc verbum, & levaverunt vocem ſuam dicentes: Tolle de terra hujuſmodi: non enim fas eſt eum vivere.

23. Vociferantibus autem eis, & [h] projicientibus veſtimenta ſua, & pulverem jactantibus in aërem,

24. Juſſit tribunus induci eum in [i] caſtra, & flagellis cædi & torqueri eum, ut ſciret propter quam cauſam ſic acclamarent ei.

25. Et cùm aſtrinxiſſent eum loris: dicit aſtanti ſibi centurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum [k] licet vobis flagellare?

26. Quo audito, centurio acceſſit ad tribunum, & nuntiavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo, civis Romanus eſt.

27. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi ſi tu Romanus es? at ille dixit: Etiam.

28. Et reſpondit tribunus: Ego multa ſumma civitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autem & [l] natus ſum.

29. Protinus ergo diſceſſerunt ab illo qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit poſtquam reſcivit, quia civis Romanus eſſet, & quia alligaſſet eum.

30. Poſterâ autem die volens ſcire diligentiùs, qua ex cauſa accuſaretur à Judæis, ſolvit eum, & juſſit ſacerdotes convenire, & omne concilium, & producens Paulum, ſtatuit inter illos.

CAPUT XXIII.

Narratur quid actum ſit Phariſæos inter & Sadducæos cùm Paulus præſens eſſet in concilio ipſorum, quem Dominus nocte confortat, prædicens quod ſit Romæ de ipſo teſtificaturus.

1. Intendens autem in concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conſcientiâ bonâ converſatus ſum ante Deum uſque in hodiernum diem.

2. Princeps autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os ejus.

3. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, [m] paries dealbate. Et tu ſedens judicas

4. [a] *Viam*, Evangelicam legem.
5. [b] *Teſtimonium reddit*, Syr. *teſtis eſt*, Æth. *& ſit princeps*, &c.
9. [c] *Non audierunt*, diſtinctè: vel, vocem Chriſti.
14. [d] *Juſtum*, Syr. *juſtum illum*. Propter articulum, ſcilicet Chriſtum.
15. [e] *Quia*, Syr. *proinde*.
17. [f] *Stupore mentis*, Gr. Arab. *extaſi*.
18. [g] *Illum*, Chriſtum.
23. [h] *Projicientibus*, hæc omnia ut inturbarent eum: undè non de projectione, ſed de comploſione veſtimentorum intelligerem.
24. [i] *Caſtra*, partem interiorem arcis Antonianæ, ubi erant milites.
25. [k] *Licet vobis*, Syr. *vobiſne licet*.
28. [l] *Natus ſum*, non eò quòd civis Tarſenſis eſſet; nondum enim Tarſum colonia Romana erat, tribunus namque ex v. 3. illum Tarſenſem eſſe noſcebat: ſed pater aut avus Pauli civitatem hanc fortè ab Auguſto acceperant in bellis contra Brutum & Caſſium.
3. [m] *Paries dealbate*, hypocrita, ſub ſpecie judicis æqui, hoſtis innocentiæ. *Judicans*, ut judices. *Me percuti*, nec damnatum, nec auditum.

me ſecundùm legem, & contra legem jubes me percuti?

4. Et qui aſtabant dixerunt: Summum ſacerdotem Dei maledicis?

5. Dixit autem Paulus: [a] Neſciebam, fratres, quia princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices.

6. Sciens autem Paulus, quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego [b] judicor.

7. Et cùm hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos & Sadducæos, & [c] ſoluta eſt multitudo.

8. Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque [d] angelum, neque ſpiritum: Phariſæi autem utraque confitentur.

9. Factus eſt autem clamor magnus. Et ſurgentes quidam Phariſæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine iſto: [e] Quid ſi Spiritus locutus eſt ei, aut angelus?

10. Et cùm magna diſſenſio facta eſſet, timens tribunus ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, juſſit milites deſcendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in caſtra.

11. Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus, ait: conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Jeruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.

Conſpirant quidam ex Judæis necemque à ſe Paulum occidendū, quod cùm tribuno innotuiſſet, miſit illum Cæſaream ad Felicem præſidem.

12. Facta autem die collegerunt ſe quidam ex Judæis, & devoverunt ſe dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.

13. Erant autem plus quàm quadraginta viri qui hanc conjurationem fecerant.

14. Qui acceſſerunt ad principes ſacerdotum, & ſeniores, & dixerunt: devotione devovimus nos nihil guſtaturos, donec occidamus Paulum.

15. Nunc ergo vos notum facite tribuno [f] cum concilio, ut producat illum ad vos, tanquam aliqoid certius cognituri de eo. Nos verò priuſquam appropiet, parati ſumus interficere illum.

16. [g] Quod cùm audiſſet filius ſororis Pauli inſidias, venit & intravit in caſtra, nuntiavitque Paulo.

17. Vocans autem Paulus ad ſe unum ex centurionibus, ait: Adoleſcentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi.

18. Et ille quidem aſſumens eum, dixit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adoleſcentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

19. Apprehendens autem tribunus manum illius, ſeceſſit cum eo ſeorſum, & interrogavit illum: Quid eſt quod habes indicare mihi?

20. Ille autem dixit: [h] Judæis convenit rogare te, ut craſtinâ die producas Paulum in concilium, quaſi aliquid certius inquiſituri ſint de illo:

21. Tu verò ne credideris illis, inſidiantur enim ei ex eis viri amplius quàm quadraginta, qui ſe devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati ſunt expectantes [i] promiſſum tuum.

22. Tribunus igitur dimiſit adoleſcentem, præcipiens ne cui loqueretur [k] quoniam hæc nota ſibi feciſſet.

23. Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant uſque Cæſaream, & equites ſeptuaginta, & lancearios ducentos [l] à tertia hora noctis.

24. Et jumenta præparate, ut imponentes Paulum, ſalvum perducerent ad Felicem præſidem.

25. [m] [Timuit enim ne forte raperent eum Judæi, & occiderent, & ipſe poſteà calumniam ſuſtineret, tanquam accepturus pecuniam:] ſcribens Epiſtolam continentem hæc:

26. Claudius Lyſias optimo præſidi, Felici, ſalutem.

27. Virum hunc comprehenſum à Judæis, & incipientem interfici ab eis, ſuperveniens cum [n] exercitu eripui, cognito quia Romanus eſt:

28. Voleníque ſcire cauſam quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum.

29. Quem inveni accuſari de quæſtionibus legis ipſorum, nihil verò dignum morte aut vinculis habentem criminis.

30. Et cùm mihi perlatum eſſet de inſidiis quas paraverant illi, miſi eum ad te denuntians & accuſatoribus ut dicant apud te. Vale.

31. Milites ergo ſecundùm præceptum ſibi, aſſumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem.

32. [o] Et poſterâ die dimiſſis equitibus ut cum eo irent, reverſi ſunt ad caſtra.

33. [p] Qui cùm veniſſent Cæſaream, & tradidiſſent Epiſtolam Præſidi, ſtatuerunt ante illum & Paulum.

34. Cùm legiſſet autem, & interrogaſſet de qua provincia eſſet: & cognoſcens quia de Cilicia,

Felix jubet cuſtodiri Paulum auditurus illum poſtquam accuſatores advenerint.

35. Audiam te, inquit, cùm accuſatores tui venerint. Juſſitque in prætorio Herodis cuſtodiri eum.

CAPUT XXIV.

Deſcribitur accuſatio Pauli coram Felice præſide; ipſiuſque ad accuſationem reſponſio.

1. POſt [q] quinque autem dies deſcendit princeps ſacerdotum, Ananias cum ſe-

5. [a] *Neſciebam*, à viginti-quinque annis Paulus non moratus fuerat Jeruſalem niſi paucis diebus, unde potuit ignorare quis eſſet ſummus ſacerdos, cùm ordo illorum & ſucceſſio jam à longo tempore interturbatus eſſet.

6. [b] *Judicor*, in judicium vocor.

7. [c] *Soluta*, quod verum non ad litteram, ſed diviſa propter diverſitatem opinionum.

8. [d] *Angelum*, negabant Angelos eſſe immortales ſpiritus & per ſe ſubſiſtentes: recipiebant tamen Pentateuchum, in quo toties fit mentio Angelorum, quam de phantaſmatibus à Deo formatis exponebant. *Spiritum*, animam poſt mortem à corpore ſeparatam.

9. [e] *Quid ſi Spiritus, &c.* ſpiritus hominis alicujus mortui, nam contra doctrinam Sadducæorum erat tunc fidelium perſuaſio, non ſolum angelos, ſed & ſpiritus humanos interdum poſt mortem apparere. quod verum eſſe patet ex diſcipulis credentibus à ſe ſpiritum videri, quando Chriſtum redivivum viderunt, Gr. additur, *ne repugnemus Deo*, Syr. *quid in hoc rei eſt?* quod ad apparitionem Chriſti referendum.

15. [f] *Cum concilio*, Syr. *& primores ſynagogæ*. Nomine concilii.

16. [g] *Quod*, non in Gr. Syr. Arab. Æth.

20. [h] *Judæis convenit*, Arab. *Judæi conſpirarunt*. Gr. *conſtituerunt*.

21. [i] *Promiſſum*, mandatum.

22. [k] *Quoniam*, Arab. Æ h. *quod*.

23. [l] *A tertia hora noctis*, Syr. *qui exeant à tertia hora noctis*, Arab. *adſintque in atrio ad horam tertiam nocturnam*.

25. [m] Deeſt in Gr. Syr. Arab. Æth.

27. [n] *Exercitu*, militibus.

32. [o] Gr. *Et poſtridie dimittentes equites ire cum eo reverſi ſunt in caſtra*.

33. [p] *Qui*, milites, de quibus v. 31. *Cæſaream*, Stratonis.

1. [q] *Quinque*, à comprehenſione Pauli in templo, & duodecim ab appulſu Jeruſalem.

nioribus quibuſdam : & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præſidem adverſùs Paulum.

2. Et citato Paulo cœpit accuſare Tertullus, dicens: Cùm in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam [a] providentiam;

3. [b] Semper & ubique ſuſcipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.

4. Ne diutiùs autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia.

5. Invenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones omnibus Judæis in univerſo orbe, & auctorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum:

6. Qui etiam templum violare conatus eſt, quem & apprehenſum voluimus ſecundùm legem noſtram judicare.

7. Superveniens autem tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris.

8. Jubens accuſatores ejus ad te venire: [c] à quo poteris ipſe judicans de omnibus iſtis cognoſcere, de quibus nos accuſamus eum.

9. Adjecerunt autem & Judæi, dicentes: Hæc ita ſe habere.

10. Reſpondit autem Paulus, (annuente ſibi præſide dicere:) Ex multis annis te eſſe judicem genti huic ſciens, bono animo pro me ſatisfaciam.

11. Potes enim cognoſcere, quia non plus ſunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo aſcendi adorare in Jeruſalem:

12. Et neque in templo invenerunt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in ſynagogis,

13. Neque in civitate: neque probare poſſunt tibi de quibus nunc me accuſant.

14. Confiteor autem hoc tibi, quod ſecundùm ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſervio [d] Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & prophetis ſcripta ſunt:

15. Spem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram juſtorum, & iniquorum.

16. In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper.

17. Poſt annos autem plures, eleemoſynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota:

18. [e] In quibus invenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum tumultu.

19. [f] Quidam autem ex Aſia Judæi, quos oportebat apud te præſto eſſe, & accuſare ſi quid haberent adverſùm me:

20. Aut hi ipſi dicant ſi quid invenerunt in me iniquitatis, [g] cum ſtem in concilio.

21. Niſi de una hac ſolummodo voce, quâ clamavi inter eos ſtans: Quoniam de reſurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis.

22. [h] Diſtulit autem illos Felix, certiſſimè ſciens de via hac, dicens: Cùm tribunus Lyſias deſcenderit, audiam vos. *Narrantur quæ contigerunt uſque ad Portium Feſtum Felicis ſucceſſorem.*

23. [i] Juſſitque centurioni cuſtodire eum, & habere requiem, nec quemquam de ſuis prohibere miniſtrare ei.

24. Poſt aliquot autem dies veniens Felix cum [k] Druſilla uxore ſua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem quæ eſt in Chriſtum Jeſum.

25. Diſputante autem illo de [l] juſtitia & caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix reſpondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accerſam te.

26. Simul & ſperans quòd [m] pecunia ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accerſens eum, loquebatur cum eo.

27. Biennio autem expleto, accepit ſucceſſorem Felix Portium Feſtum. Volens autem gratiam præſtare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

CAPUT XXV.

Ubi primùm advenit Feſtus, ab ipſo petunt inſidioſè Judæi ut Paulus Jeroſolymam ducatur, non annuit Feſtus.

1. Feſtus ergo cùm veniſſet in provinciam: poſt triduum aſcendit Jeroſolymam à Cæſarea.

2. Adieruntque eum [n] principes ſacerdotum, & primi Judæorum, adverſùs Paulum: & rogabant eum,

3. [o] Poſtulantes gratiam adverſùs eum, ut juberet perduci eum in Jeruſalem, inſidias tendentes ut interficerent eum in via.

4. Feſtus autem reſpondit, ſervari Paulum in Cæſarea: ſe autem maturius profecturum.

5. Qui ergo in vobis (ait) potentes ſunt, deſcendentes ſimul, ſi quod eſt in viro crimen, accuſent eum.

6. Demoratus autem inter eos dies non ampliùs quàm octo, aut decem, deſcendit Cæſaream, & alterâ die ſedit pro tribunali, & juſſit Paulum adduci. *Cæſareæ audit Feſtus Judæos accuſantes Paulum, Paulique reſponſionem, qui ad Cæſarem appellat.*

7. Qui cùm perductus eſſet, circumſteterunt eum, qui ab Jeroſolyma deſcenderant Judæi, multas & graves [p] cauſas objicientes, quas non poterant probare.

8. Paulo rationem reddente: quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæſaream quidquam peccavi.

9. Feſtus autem volens gratiam præſtare Ju-

2. [a] *Providentiam*, Gr. Æth. *prudentiam*.
3. [b] Arab. *O potentiſſime Felix complexa nos eſt pax abundans, & contigerunt per gubernationem tuam huic genti beneficia plurima quæ ſuſcepimus, &c.*
8. [c] *A quo*, Paulo, ſed meliùs à quibus, accuſatoribus ſcilicet.
14. [d] *Patri & Deo meo*, Gr. *patrio Deo*, Syr. *Deum patrum meorum*.
18. [e] *In quibus*, occupatum.
19. [f] *Quidam autem, &c.* Syr. *niſi quòd tumultuati ſunt Judæi illi, &c.*
20. [g] *Cùm ſtem, &c.* quando ſteti in concilio Judæorum.
22. [h] *Diſtulit*, judicium. *Certiſſimè ſciens de via hac*, doctrinæ Judæorum & Chriſtianorum notitiam habens: vel, quando à Lyſia notitiam habuerit de via hac.
23. [i] Syr. *Et imperavit centurioni ut cuſtodiretur Paulus in requie; uſque nemo ex familiaribus ipſius prohiberetur ei miniſtrare.* Requiem, Gr. *laxationem*. Æth. *cuſtodiret*.
24. [k] *Druſilla*, ſorore juniore Agrippæ, de quo capite ſequenti.
25. [l] *Juſtitia*, cum multis injuſtitiis Felix læſerat. *Caſtitate*, quia Druſilla nupſerat prius Azizo regi Emeſæ, quod adhuc vivente nupſit Felici, Joſeph. ant. lib. XX. c. 5.
26. [m] *Pecunia daretur*, Gr. *pecunia daretur ut ſolveret eum*.
2. [n] *Principes*, Gr. *princeps*. Iſmael filius Phabei, ſucceſſor Ananiæ.
3. [o] *Poſtulantes gratiam adverſùs eum*, contra quem à Feſto beneficii loco poſtulabant, ut, &c.
7. [p] *Cauſas*, crimina.

Digitized by Google

dæis, reſpondens Paulo, dixit: [a] Vis Jeroſolymam aſcendere, & ibi de his judicari apud me?

10. Dixit autem Paulus: [b] Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari: Judæis non nocui, ſicut tu meliùs noſti.

11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori: ſi verò nihil eſt eorum, [c] quæ hi accuſant me, nemo poteſt me illis donare, Cæſarem appello.

12. Tunc Feſtus cum concilio locutus, reſpondit, Cæſarem appellaſti? ad Cæſarem ibis.

Feſtus cauſam Pauli exponit Agrippæ, qui ad ſe venerat, qui cum Paulum audire cupiſſet, poſtero die coram Agrippa, &c. adducitur.

13. Et cùm dies aliquot tranſacti eſſent, [d] Agrippa rex & Bernice deſcenderunt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum.

14. Et cùm dies plures ibi demorarentur, Feſtus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam eſt derelictus à Felice vinctus,

15. De quo cùm eſſem Jeroſolymis, adierunt me principes ſacerdotum, & ſeniores Judæorum, poſtulantes adversùs illum damnationem.

16. Ad quos reſpondi: Quia non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priùs quàm is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

17. Cùm ergo huc conveniſſent ſine ulla dilatione, ſequenti die ſedens pro tribunali, juſſi adduci virum.

18. De quo, cùm ſtetiſſent accuſatores, nullam cauſam deferebant, [e] de quibus ego ſuſpicabar malum.

19. Quæſtiones verò quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant adversùs eum, & de quodam Jeſu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere,

20. [f] Hæſitans autem ego de hujuſmodi quæſtione, dicebam ſi vellet ire Jeroſolymam, & ibi judicari de iſtis.

21. Paulo autem appellante ut ſervaretur ad Auguſti cognitionem, juſſi ſervari eum donec mittam eum ad Cæſarem.

22. Agrigpa autem dixit ad Feſtum: [g] Volebam & ipſe hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

23. Alterâ autem die, cùm veniſſet Agrippa, & Bernice, cum multa [h] ambitione, & introiſſent in auditorium cum tribunis & viris principalibus civitatis, jubente Feſto adductus eſt Paulus.

24. Et dicit Feſtus: Agrippa rex, & omnes, qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jeroſolymis, petentes & acclamantes non oportere eum vivere ampliùs,

25. Ego verò comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Ipſo autem hoc appellante ad Auguſtum, judicavi mittere.

26. De quo quid certum ſcribam Domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te rex Agrippa, ut interrogatione factâ habeam quid ſcribam.

27. Sine ratione enim videtur mittere vinctum, & [i] cauſas ejus non ſignificare.

CAPUT XXVI.

Referuntur oratio Pauli coram Agrippa rege, & regis ſententia de Paulo.

1. AGrippa verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipſo. Tunc Paulus extentâ manu cœpit rationem reddere.

2. De omnibus, quibus accuſor à Judæis, rex Agrippa, æſtimo me beatum, apud te cùm ſim defenſurus me hodie,

3. Maximè te ſciente omnia, & quæ apud Judæos ſunt conſuetudines, & quæſtiones: propter quod obſecro patienter me audias.

4. Et quidem vitam meam à juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jeroſolymis, noverunt omnes Judæi:

5. [k] Præſcientes me ab initio (ſi velint teſtimonium perhibere) quoniam ſecundùm certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.

6. Et nunc [l] in ſpe, quæ ad patres noſtros repromiſſionis facta eſt à Deo, ſto judicio ſubjectus.

7. [m] In quam duodecim tribus noſtræ, nocte ac die deſervientes, ſperant devenire. De qua ſpe accuſor à Judæis, rex.

8. [n] Quid incredibile judicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat?

9. Et ego quidem exiſtimaveram, me adversùs nomen Jeſu Nazareni debere multa contraria agere.

10. Quod & feci Jeroſolymis, & multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, à principibus ſacerdotum poteſtate acceptâ, & cùm occiderentur, detuli [o] ſententiam.

11. Et per omnes ſynagogas frequenter puniens eos, [p] compellebam blaſphemare: & ampliùs inſaniens in eos, perſequebar uſque in exteras civitates.

12. [q] In quibus dum irem Damaſcum cum poteſtate & permiſſu principum ſacerdotum,

13. Die mediâ in via, vidi, rex, de cœlo [r] ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos qui mecum ſimul erant.

14. Omneſque nos cùm decidiſſemus in ter-

9. [a] *Vis Jeroſolymam aſcendere*, conſenſum poſtulat, quia ſecundùm leges Romanas non poterat civis Romanus cogi ſiſtere ſe ad tribunal judicis provincialis.

10. [b] *Ad tribunal Cæſaris ſto*, à tribunali Judæorum, ad tribunal Cæſaris adductus fuerat, à quo iterùm ad tribunal Judæorum non poterat ſecundùm leges perduci. *Melius*, Arab. *certiſſime*.

11. [c] *Quæ*, Syr. Arab. *de quibus*. *Donare*: propoſuerat enim illi Feſtus ſi vellet a Synedrio, Feſto præſente, judicari; habebat enim Synedrium juriſdictionem quamdam in Judæos, ſed civitatis Romæ jus erat validius ſynedrio; itaque Paulus invitus cogi non poterat illos agnoſcere judices, unde ait: Si vis me Synedrio judicandum tradere, Cæſarem appello.

13. [d] *Agrippa*, filius erat Agrippæ ſenioris ab Angelo percuſſi, nec erat rex Judææ, ſed Chalcidis & Trachonitidis. *Bernice*, non ſoror Agrippæ quam fertur adamaſſe, ſed neptis, filia Archelai & Mariamnes ſororis Agrippæ. Quidam tamen ſororem dicunt.

18. [e] *De quibus ego ſuſpicabar malum*, Syr. *prout arbitratus fueram*, Arab. *ex his in quibus illum criminabantur*.

20. [f] *Hæſitans*, Syr. *& quia non mihi conſtabat*. Num à me an verò à Synedrio Judaico, cauſa hæc judicanda eſſet.

22. [g] *Volebam*, Syr. Arab. Æth. *vellem*.

23. [h] *Ambitione*, Syr. *apparatu*, Arab. *faſtu*.

27. [i] *Cauſas*, Syr. *delictum*.

5. [k] *Præſcientes*, jam diu ſcientes.

6. [l] *In ſpe*, ob ſpem. *Repromiſſione*, de reſurrectione.

7. [m] *In quam*, rem ſperatam.

8. [n] Judæos præſentes & accuſatores alloquitur. Itane verò incredibile apud vos judicatur, mortuos a Deo excitari?

10. [o] *Sententiam*, Gr. *ſuffragium*.

11. [p] *Compellebam blaſphemare*, Syr. *adigerem ad blaſphemandum nomen Jeſu*.

12. [q] *In quibus dum irem Damaſcum*, Syr. *quumque profectus fuiſſem hac de re*.

13. [r] *Supra ſplendorem ſolis*, Syr. *ſole præſtantiorem*, Arab. *majorem ſplendore ſolis*.

tam, audivi vocem loquentem mihi hebraicâ linguâ: Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

15. Ego autem dixi: Quis es, Domine? Dominus autem dixit: Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris.

16. Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum quæ vidiſti, & eorum [a] quibus apparebo tibi.

17. Eripiens te de [b] populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te,

18. [c] Aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate ſatanæ ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos, per fidem, quæ eſt in me.

19. Unde rex Agrippa, [d] non fui incredulus cœleſti viſioni:

20. Sed his, qui ſunt Damaſci primùm & Jeroſolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.

21. Hac ex cauſa me Judæi, cùm eſſem in templo, comprehenſum tentabant interficere.

22. Auxilio autem adjutus Dei, uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque majori, nihil extra dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes,

23. [e] Si paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus eſt populo, & Gentibus.

24. Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magnâ voce dixit: Inſanis Paule: multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.

25. Et Paulus: Non inſanio [inquit] optime Feſte, ſed veritatis & [f] ſobrietatis verba loquor.

26. [g] Scit enim de his rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum geſtum eſt.

27. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis.

28. Agrippa autem ad Paulum: In modico ſuades me Chriſtianum fieri.

29. Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his.

30. Et exſurrexit rex, & præſes, & Bernice, & qui aſſidebant eis.

31. Et cùm receſſiſſent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iſte.

32. Agrippa autem Feſto dixit: Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.

CAPUT XXVII.

Narratur hiſtoria navigationis Pauli Romam verſùs, uſque ad naufragium ipſius.

1. [h] UT autem judicatum eſt navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis centurioni nomine Julio cohortis Auguſtæ.

2. Aſcendentes navem [i] Adrumetinam, incipientes navigare circa Aſiæ loca, ſuſtulimus, perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.

3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humanè autem tractans Julius Paulum, permiſit ad amicos ire, & curam ſui agere.

4. Et inde cùm [k] ſuſtuliſſemus, ſubnavigavimus Cyprum, propterea quòd eſſent venti contrarii.

5. Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ navigantes, venimus [l] Lyſtram, quæ eſt Lyciæ.

6. Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam.

7. Et cùm multis diebus tardè navigaremus, & vix deveniſſemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigamus Cretæ, juxta Salmonem:

8. Et vix juxtà navigantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boni portus, cui juxtà erat civitas Thalaſſa.

9. Multo autem tempore peracto, & cùm jam non eſſet tuta navigatio, eò quòd & [m] jejunium jam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus.

10. Dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria & multo damno, non ſolùm oneris navis, ſed etiam animarum noſtrarum incipit eſſe navigatio.

11. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur.

12. Et cùm aptus portus non eſſet ad hiemandum, plurimi ſtatuerunt conſilium navigare inde, ſi quomodo poſſent, devenientes [n] Phœnicen, hiemare, portum Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum.

13. Aſpirante autem Auſtro, æſtimantes propoſitum ſe tenere, cùm ſuſtuliſſent de [o] Aſſon, legebant Cretam.

14. Non poſt multum autem miſit ſe [p] contra ipſam ventus Thyphonicus, qui vocatur Euroaquilo.

15. Cùmque arrepta eſſet navis, & non poſſet conari in ventum, datâ nave flatibus, ferebamur.

16. [a] *Quibus apparebo tibi*, apparens te docebo.
17. [b] *Populo*. Syr. *populo Judæorum*.
18. [c] *Aperire*. Syr. Arab. Æth. *ut aperiat*. *Sortem*, Æth. *hæreditatem*.
19. [d] *Non fui incredulus*. Syr. *per contumaciam non obſtiti*.
23. [e] *Si*, Syr. *nempe*. Æth. *quomodo*. *Paſſibilis*, Syr. Arab. *paſſurus*. *Primus*, non tempore ſed dignitate, & cauſalitate. *Populo*, Syr. *huic populo*.
25. [f] *Sobrietatis*. Syr. *rectitudinis*. Æth. *verè & rectè loquor*.
26. [g] *Scit de his*, Arab. *ſcit veritatem horum ſermonum*.
1. [h] *Ut autem judicatum*. Syr. *decrevit*. *Cuſtodiis*, Gr. Syr. Arab. *vinctos*.
2. [i] *Adrumetinam*, urbs in littore Africæ, ſed meliùs ex Græco Adramyttenam: urbs Myſiæ in Aſia minori. *Suſtulimus*, Æth. *ſolvimus*.

4. [k] *Suſtuliſſemus*. Æth. *ſolviſſemus*.
5. [l] *Lyſtram*, Gr. Syr. *Myram*. quòd melius, neque enim alia Lyſtra quam quæ in Lycaonia.
9. [m] *Jejunium*. Syr. *diei jejunii Judæorum*, quod de jejunio quodam ſeptimi menſis celebri apud Judæos, quo tempore incipit periculoſum eſſe mare, exponendum. *Conſolabatur*, monebat.
12. [n] *Phœnicen*, non illam Syriæ regionem, ad urbem & portum Cretæ. *Ad Africum & Corum*, Syr. *Auſtrum*. Nomina ſunt ventorum.
13. [o] *Aſſon*. duplex civitas hujus nominis: altera Myſiæ, altera Cretæ. Quidam contendunt nullam urbem eſſe hujus nominis, ſed hîc *Aſſon*, adverbium eſſe idem ſignificans ac *prope*. *Suſtuliſſent*, Æth. *ſolviſſent*.
14. [p] *Contra ipſam*, Arab. *adversùs navim*. Alii Cretam inſulam.



Actor. XXVIII 5

Παῦλος δαχθεὶς ὑπὸ τῆς ἐχίδνας, ἄνευ κακȣ.

Paul shaketh off the viper, and felt no harm.

Paulus wird von der ſchlange nicht beſchädiget.

PAULUS A VIPERA ILLAESUS.

S. Paul mordu par une vipere, sans qu'il lui arrive du mal.

Paulus onbeschadigt van eenen adder.

Houbraken delin. | Bleu Sculp.

NAPOLI

16. [a] In inſulam autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere ſcapham.

17. [b] Qua ſublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes, ne in Syrtim inciderent ſummiſſo vaſe ſic ferebantur.

18. Validâ autem nobis tempeſtate jactatis, ſequenti die [c] jactum fecerunt.

19. Et tertiâ die ſuis manibus [d] armamenta navis projecerunt.

20. Neque autem ſole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exiguâ imminente, jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.

21. Et cùm multa [e] jejunatio fuiſſet tunc ſtans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere injuriam hanc & jacturam.

22. Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe, [f] amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præter quàm navis.

23. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego, & cui deſervio.

24. Dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere: & ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.

25. Propter quod bono animo eſtote viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi.

26. In inſulam autem quandam oportet nos devenire.

27. Sed poſteaquàm quartadecima nox ſupervenit navigantibus nobis [g] in Adria circa mediam noctem, ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem.

28. Qui & ſummittentes bolidem, invenerunt [h] paſſus viginti: & puſillum inde ſeparati, invenerunt paſſus quindecim.

29. Timentes autem ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.

30. Nautis verò quærentibus fugere de navi, cùm miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi inciperent à prora anchoras extendere.

31. Dixit Paulus Centurioni, & militibus: Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri [i] non poteſtis.

32. Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam excidere.

33. Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum, dicens: Quartâ decimâ die hodie expectantes jejuni permanetis, [k] nihil accipientes.

34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro [l] ſalute veſtra: quia nullius veſtrûm capillus de capite peribit.

35. Et cùm hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium: & cùm fregiſſet, cœpit manducare.

36. Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum.

37. Eramus verò univerſæ animæ in navi ducentæ ſeptuaginta ſex.

38. Et ſatiati cibo alleviabant navem jactantes triticum in mare.

39. Cùm autem dies factus eſſet, [m] terram non agnoſcebant: ſinum verò quemdam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent, ejicere navem.

40. Et cùm anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, [n] ſimul laxantes juncturas gubernaculorum: & levato artemone ſecundùm auræ flatum tendebant ad littus.

41. Et cùm incidiſſemus in locum [o] dithalaſſum, impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò ſolvebatur à vi maris.

42. Militum autem conſilium fuit ut [p] cuſtodias occiderent: ne quis cùm enataſſet, effugeret.

43. Centurio autem volens ſervare Paulum, prohibuit fieri: juſſitque eos, qui poſſent natare, emittere ſe primos, & evadere, & ad terram exire:

44. [q] Et cæteros alios in tabulis ferebant: quoſdam ſuper ea, quæ de navi erant. Et ſic factum eſt, ut omnes animæ evaderent ad terram.

CAPUT XXVIII.

Narrantur quæ geſta ſunt in inſula Melita.

1. ET cùm evaſiſſemus, tunc cognovimus quia Melita inſula vocabatur. [r] Barbari verò præſtabant non modicam humanitatem nobis.

2. Accenſâ enim pyrâ, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat & frigus.

3. Cùm congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cùm proceſſiſſet, invaſit manum ejus.

4. Ut verò viderunt [ſ] barbari pendentem beſtiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida eſt homo hic, qui cùm evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.

5. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt.

16. [a] Æth. *Et cùm velociter detuliſſet nos navis, venimus in quamdam inſulam, &c.* Factum id ne ſcapha incuſſa navi, eam læderet.

17. [b] Syr. *Ea verò ſublata, cingebamus & dirigebamus navim, quia timebamus ne fortè incideret in ſyrtim maris, ſubmiſimus antennam, & ita perreximus. Sublata*, in navim. *Adjutoriis*, remediis quibus poterant. *Accingentes*, funibus, ne vi tempeſtatis diſſolveretur. *Syrtim*, ſcopulos, loca arenoſa.

18. [c] *Jactum fecerunt*, Syr. *ſupellectilem noſtra in mare projeciebant*, Arab. *cœperunt projicere merces.*

19. [d] *Armamenta*, Arab. *inſtrumenta.*

21. [e] *Jejunatio*, media. *Lucrique facere*, Arab. *& quidem evaſiſſemus hunc laborem & jacturam.*

22. [f] *Amiſſio enim. &c.* Æth. *nihil eſt inter vos quod perdetur, præter ſolam navis damnum.*

27. [g] *In Adria*, per mare Adriaticum hîc intelligitur non ſtrictè mare Venetum, ſed largè exponitur de mari Siculo.

28. [h] *Paſſus*. Orgyas, vulgo *braſſes.*

31. [i] *Non poteſtis*. hoc non pugnat cum dictis verſu 22. promiſſum enim non debebat impedire quominus ordinarius mediis uteretur.

33. [k] *Nihil*, ferè nihil, modicum.

34. [l] *Salute*, incolumitate.

39. [m] *Terram*, quæ terra eſſet. *Ejicere*, Gr. *expellere*, Syr. *impellere*, Arab. *appellere.*

40. [n] *Simul laxantes juncturas gubernaculorum*, Æth. *laxans velum & gubernaculum navis. Gubernaculorum*, gubernaculi. *Levato artemone*, temonem reliquerunt quo navis gubernatur. Vel, levato velo ad artemonem.

41. [o] *Dithalaſſum*, Gr. Arab. *bimarem*. Syr. *in locum quemdam jacentem inter duas profunditates maris.* Iſthmum, linguam terræ in mare protenſam. *Impegerunt navem*, Gr. *illiſerant*, Syr. *atque illiſa eſt.*

42. [p] *Cuſtodias*, Gr. Syr. Arab. Æth. *vinctos.*

44. [q] Arab. *Reliqui ea ipſis evaſerunt partim ſuper tabulas, partim ſuper inſtrumenta navis. Et ſic, &c.*

1. [r] *Barbari*, Æth. *ruſtici.* Barbari vocantur quia neque græcè, neque latinè loquebantur.

4. [ſ] *Barbari*, Æth. *ruſtici. Ultio*, Syr. *juſtitia*, Æth. *ultio ſanguinis.*

Digitized by Google

6. At illi exiſtimabant eum in tumorem convertendum, & ſubito caſurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, [a] convertentes ſe dicebant eum eſſe Deum.

7. In locis autem illis erant prædia principis inſulæ, nomine Publii, qui nos ſuſcipiens triduo benignè exhibuit.

8. Contigit autem, patrem Publii febribus & dyſenteriâ vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit: & cùm oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, [b] ſalvavit eum.

9. Quo facto, omnes, qui in inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur:

10. Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant.

Deſcribitur navigatio & iter Pauli Romam uſque.

11. Poſt menſes autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quæ in inſula hiemaverat, cui erat inſigne [c] Caſtorum.

12. Et cùm veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo.

13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & poſt unum diem flante Auſtro, ſecundâ die venimus Puteolos:

14. Ubi inventis [d] fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem: & ſic venimus Romam.

Quæ Paulus egerit Romæ ſtatim ab adventu ſuo, & quomodo in ea toto biennio manſerit.

15. Et inde cùm audiſſent fratres, occurrerunt nobis uſque ad Appii forum, ac tres Tabernas. Quos cùm vidiſſet Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.

16. Cùm autem [e] veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite.

17. Poſt tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cùmque conveniſſent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversùs plebem faciens, [f] aut morem paternum, vinctus ab Jeroſolymis traditus ſum in manus Romanorum:

18. Qui cùm interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere, eò quòd nulla eſſet cauſa mortis in me.

19. Contradicentibus autem Judæis, coactus ſum appellare Cæſarem, non quaſi gentem meam habens aliquid accuſare.

20. Propter hanc igitur cauſam rogavi vos videre, & alloqui. Propter [g] ſpem enim Iſraël catenâ hâc circumdatus ſum.

21. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te à Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus eſt quid de te malum.

22. Rogamus autem à te audire quæ ſentis: nam de [h] ſecta hac notum eſt nobis quia ubique ei contradicitur.

23. Cùm conſtituiſſent autem illi diem, venerunt ad eum in hoſpitium plurimi, quibus exponebat teſtificans regnum Dei, ſuadenſque eis de Jeſu ex Lege Moyſi & Prophetis, à mane uſque ad veſperam.

24. Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam verò non credebant.

25. Cùmque invicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam prophetam ad patres noſtros.

26. Dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis.

27. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.

28. Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc [i] ſalutare Dei, & ipſi audient.

29. Et cùm hæc dixiſſet, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter ſe [k] quæſtionem.

30. Manſit autem biennio toto [l] in ſuo conducto: & ſuſcipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum,

31. Prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto, cum omni fiducia, ſine prohibitione.

6. [a] *Convertentes ſe*, Gr. *mutati*. Mutatâ mente.
8. [b] *Salvavit*, Gr. Æth. *ſanavit*.
11. [c] *Caſtorum*, Gr. *aſſignata Caſtori & Polluci*.
14. [d] *Fratribus*, intellige de Chriſtianis. *Sic venimus Romam*, ſc. Appii foro, &c. Hæc enim per anticipationem dicuntur.
16. [e] *Veniſſemus Romam*, Gr. Arab. Æth. additur: *centurio tradidit vinctos præfecto caſtrorum*. Præfectus caſtrorum ſive prætorii non alius erat duæ cohortis cuſtodum imperatoris, qui tunc erat Afranius Burrus. *Sibimet*, Syr. *quocumque vellet*. *Cuſtodiente ſe milite*. Moris tunc erat ut vincti concatenarentur militibus, vinculo alligato ad brachium ſiniſtrum militis.
17. [f] *Aut morem paternum*, quod intelligendum eſt quantùm ad ea de quibus accuſabatur à Judæis.
20. [g] *Spem Iſraël*, bonum ſperatum, reſurrectionem ſcilicèt mortuorum, quam dico impletam in Chriſto, &c. *Catenâ hac*, ſic liber erat ut tamen captivitatis ſigna, id eſt, catenam circumferret, alligato ſibi milite.
22. [h] *Secta*, Chriſti & Chriſtianorum.
28. [i] *Salutare*, Syr. *redemptionem*, Arab. Æth. *ſalutem*.
29. [k] *Quæſtionem*, Gr. *diſputationem*.
30. [l] *In ſuo conducto*, Æth. *in domo conducta, quam conduxerat*.

IN

Digitized by Google

IN QUATUORDECIM EPISTOLAS S. PAULI.

QUatuordecim ſunt Epiſtolæ beati Pauli, à quo ſcriptas voluit Deus, ut faciliùs crederent omnes veram eſſe doctrinam ejus, qui antè inimicus & perſecutor fuiſſet.

Scriptæ ſunt autem vel ante ejus vincula, ut duæ ad Theſſalonicenſes, ad Titum, ad Galatas, duæ ad Corinthios, prima ad Thimoteum, & ad Romanos. Scriptæ in vinculis prioribus, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Philemonem, ad Epheſios, ad Hebræos. In poſterioribus ſecunda ad Timotheum. Ordo autem illarum non talis eſt, ſed qui eas primi in unum volumen compegerunt, locarunt priùs quæ ad Eccleſias ſcriptæ ſunt, deinde quæ ad ſingulos.

Stylus Pauli nec ſublimis, nec humilis & impolitus, ſed ex utroque mixtus, familiaris, planus, æquabilis.

Adhuc tempore Tertulliani ſervabantur authenticæ quatuordecim.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

INter Epiſtolas Pauli, prima ponitur quæ ad Romanos, propter urbis hujus dignitatem & majeſtatem, & propter ſublimitatem materiæ.

Non ad omnem populum Romanum ſcripta fuit, ſed ad omnes & ſolos fideles qui Romæ morabantur, cùm per quoſdam Moſaïcæ legis æmulatores turbarentur, propter quæſtiones de meritis & juſtificatione, Judæis & Gentilibus gratiam Evangelii ſuis meritis arrogantibus. Tota autem Epiſtola docet, utroſque priùs quàm à Deo vocarentur ad fidem Chriſti, fuiſſe peccatis ſubditos & à vera juſtitia alienos; atque à Deo non per legem aut ullo operum merito, ſed gratis per fidem in Chriſtum propitiatorem juſtificati tam Gentiles quàm Judæos.

Scripta fuit Corinthi cùm Caïum hoſpitem ſuum vocet, qui Corinthi habitabat, & miſſa eſt per Phœben diaconiſſam Eccleſiæ quæ erat Cenchris, portu Corinthiorum. Anno quinquageſimo octavo Chriſti, in ſecunda Pauli manſione in hac urbe, quod probatur, quia in illa fit mentio itineris Pauli Jeroſolymam, ut ſubſidia pauperibus afferret.

Græcè ſcripta fuit, quia tunc Romæ apud viros & etiam feminas lingua græca erat in uſu, frequentiorque in toto orbe quàm latina, atque adeo aptior ad manifeſtationem religionis Chriſtianæ.

Dividitur Epiſtola in duas partes à verſu 16. cap. 1. ad cap. 12. gratiæ doctrina; à cap. 12. gratiæ uſus demonſtratur. Vel in tres, à cap. 1. ad 9. agitur de juſtificatione hominis coram Deo capitibus; 1. & 2. omnes eſſe peccatores oſtendit. Inde ad cap. 5. juſtificationem hominis gratuitam eſſe. Inde ad cap. 9. deſcribit ſtatum hominis tum peccatoris tum juſtificati. Secunda pars à 9. capite ad 12. de vocatione omnium hominum indiſcriminatim ad juſtificationem & ſalutem; & diſputat de prima cauſa electionis & reprobationis. Tertia pars à cap. 12. con-

Digitized by Google

tinet varia præcepta doctrinæ Chriſtianæ, morum informandorum gratiâ, & alia de Pauli erga Romanos officiis, &c.

CAPUT I.

Paulus, commendato ſuo munere Evangelico, gratias agit Deo pro fide Romanorum.

PAULUS, ſervus Jeſu Chriſti, vocatus [a] Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei,

2. Quod antè promiſerat per [b] prophetas ſuos in Scripturis ſanctis

3. De Filio ſuo, qui factus eſt [c] ei ex ſemine David, ſecundùm carnem,

4. [d] Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri:

5. [e] Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus,

6. [f] In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti:

7. Omnibus qui ſunt Romæ dilectis [g] Dei, vocatis ſanctis. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

8. Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum [h] pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.

Romanos inviſere optat, declaratque ſuam promptitudinem evangelizandi, & maxime Romanis.

9. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio [i] in ſpiritu meo in Evangelio filii ejus, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtrî facio

10. Semper in orationibus meis: obſecrans, ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam [k] in voluntate Dei veniendi ad vos.

11. Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis [l] gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos:

12. Id eſt, ſimul conſolari [m] in vobis, per eam quæ invicem eſt, fidem veſtram atque meam.

13. Nolo autem vos ignorare, fratres: quia ſæpè propoſui venire ad vos, [& prohibitus ſum uſque adhuc] ut aliquem [n] fructum habeam & in vobis, ſicut & in cæteris gentibus.

14. [o] Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.

15. [p] Ita [quod in me] promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizare.

16. [q] Non enim erubeſco Evangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm, & Græco.

Ex fide dicit eſſe Evangelii juſtitiam.

17. [r] Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit.

18. [ſ] Revelatur enim ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent:

Arguit ingratitudinem philoſophorum Gentilium, qui Deum ex creaturis cognitum non glorificaverunt.

19. [t] Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit.

20. [u] Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles.

21. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.

22. [x] Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.

1. [a] *Apoſtolus*, ad munus Apoſtolicum. In græco κλητὸς, non participium ſed nomen eſt quaſi vocatitius, id eſt, vocatione Apoſtolus. *Evangelium*, annuntiandum, & alia miniſteria Apoſtolica.

2. [b] *Prophetas*, nomine prophetarum intelligendi ſunt omnes ſcriptores canonici.

3. [c] *Ei*, non in Gr. Syr. Arab. Æth. *Carnem*, humanam naturam.

4. [d] Syr. *Et agnitus eſt Filius Dei in virtute, & Spiritu ſancto, qui reſurrexit à mortuis nempe Jeſu Chriſto Domino noſtro*, Æth. *quem declaravit eſſe Filium Dei per virtutem ſuam & per Spiritum ſanctum, eumque reſurrexiſſe à mortuis, nempe Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Eraſm. *qui declaratus fuit Filius Dei potentia ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex eo quod reſurrexit à mortuis Jeſus Chriſtus Dominus noſter*. Hujus verſus, qui difficilis eſt, multæ ſunt expoſitiones. Secundùm græcum textum: qui factus eſt ex ſemine David atque proinde verus fuit homo, conſtat eumdem definitum, id eſt, declaratum & certiſſimis argumentis comprobatum eſſe Filium Dei. *In virtute*, per potentiam miraculorum. *Secundùm ſpiritum ſanctificationis*, per Spiritum ſanctum per quem evidentia ſigna multipliciter impertitus eſt. *Ex reſurrectione mortuorum*, &c. ex eo quod reſurrexit à mortuis. Vel, qui in duabus naturis ſubſiſtens, ſecundùm quod homo prædeſtinatus eſt & ab æterno prælectus ut eſſet Filius Dei naturalis, idque virtute divinâ & per Spiritum ſanctum cujus operatione incarnatus eſt, & per cujus ſanctificantem gratiam ſpiritualiter mortui, qui vocantur Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quoniam ejus meritis gratiam Spiritus ſancti recipiunt & reviviſcunt. Vel, adhuc, qui ſecundùm Spiritum ſanctificationis, id eſt, ſecundùm divinitatem ſuam totius ſanctitatis fontem prædeſtinatus eſt, id eſt, declaratus Filius Dei, in virtute, id eſt, æqualis Patri, &c. per reſurrectionem mortuorum. Quo nomine intelligi debent alia myſteria, verbi gratiâ aſcenſio, miſſio Spiritus ſancti, quæ hominibus manifeſtarunt gloriam ipſius. *Jeſu Chriſti Domini noſtri*, Jeſu Chriſto Domino noſtro.

5. [e] Syr. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum inter gentes, ut obediant fidei nominis ipſius*. Æth. *per quem adepti ſumus gratiam ejus, & Apoſtoli conſtituti ſumus, ut gentes auſcultare faciamus, & confidere in ipſius nomine*. *Per quem*, &c. ut omnes gentes in nomine ejus obediant fidei. *Ad obediendum*, ut obediatur. *Fides*, metonymice ſumitur pro doctrina fidei. *Pro nomine*, referendum ad *Apoſtolatum*, ejus autoritate.

6. [f] *In quibus*, Arab. *inter quas*, Syr. *ex quibus*. *Jeſu Chriſti*, Syr. *per Jeſum Chriſtum*, Arab. *à Jeſu Chriſto*.

7. [g] *Dei*, à Deo. *Sanctis*, ad ſanctitatem. *Gratia & pax*, ſubaudi *multiplicetur*.

8. [h] *Pro omnibus*, Syr. *veſtrûm omnium cauſa*. *Annuntiatur*, divulgatur, & ſic exemplo veſtro multi alii ad fidem impelluntur.

9. [i] *In Spiritu*, tota mente, & cultu non tantum exteriore. *In Evangelio*, annuntiando.

10. [k] *In voluntate Dei*, Arab. *per voluntatem Dei*. Volente Deo.

11. [l] *Gratiæ*, Gr. Syr. Arab. *donum*.

12. [m] *In vobis*, vobiſcum.

13. [n] *Fructum*, Evangelii profectum. *In vobis*, apud vos.

14. [o] *Græcis*, græco idiomate utentibus; quo nomine etiam Romanos intelligit. *Barbaris*, qui nec Græci nec Romani. *Sapientibus & inſipientibus*, doctis & indoctis. *Debitor ſum*, Arab. *intendam annuntiare*, Æth. *factus ſum utilis*.

15. [p] *Ita (quod in me promptum eſt)* Syr. *itaque diligenter ſatago*. Quantùm in me eſt, paratus ſum.

16. [q] Arab. *Non enim abhorreo ab annuntiatione Chriſti, cùm ipſa ſit potentia Dei*, &c. non enim me pudet docere Evangelium, eò quòd virtus eſt Dei, &c. *In ſalutem*, Syr. Arab. *ad ſalutem*. Hic per ſalutem non agitur tantùm de vita æterna quæ eſt conſummata ſalus, ſed etiam de juſtificatione, ut patet ex ſequentibus. *Græco*, omni Gentili.

17. [r] *Juſtitia Dei*, quâ juſtificamur. *In eo*, Syr. *per illud*, Arab. *per ipſum*. In Evangelio. *Revelatur*, non tantum, ſed etiam communicatur. *De fide in fidem*, ex fide progreſſum faciente in fidem majorem. Multæ ſunt locutiones ſimiles in ſcripturis. *De fide*, priſcorum patrum de Chriſto venturo. *In fidem*, Evangelii de Chriſto qui jam venit.

18. [ſ] *Revelatur*, per Evangelium. *Dei de cœlo*, Dei de cœlo venturi. *Super*, contra. *Veritatem*, veram notitiam. *Detinent*, injuſte vivendo, patet ex ſequentibus.

19. [t] Syr. *Quia cognitio Dei patefacta eſt in ipſis. Deus enim patefecit in eis*, Eraſm. *proptereà quòd id quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in illis*. &c. *Notum*, cognoſcibile naturali lumine. *In illis*, apud illos. Aut particula *in* redundat.

20. [u] *Inviſibilia*, proprietates Dei quæ corporeis oculis videri non poſſunt. *A creatura mundi*, intelligendum abjective, hoc eſt, ex operibus creatis, vel ab initio humani generis. *Intellecta conſpiciuntur*, mente conſpiciuntur ex univerſa hac creatura viſibili, quæ mundus dicitur, dum intelliguntur per opera ſenſibus noſtris expoſita, tanquam per ſuos effectus. *Virtus*, Syr. *poteſtas*, Arab. *potentia*.

22. [x] *Dicentes*, Syr. *quamquam animo ſuo reputarent*. Hæc maximè ad gnoſticos.

Digitized by Google

23. [a] Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.

Ex quo in idololatriam, & alia multa ſcelera quæ hic recenſentur prolapſi ſunt.

24. [b] Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis:

25. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

26. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones [c] ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam.

27. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu feminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui [d] in ſemetipſis recipientes.

28. Et ſicut non [e] probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt,

29. Repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones,

30. Detractores, [f] Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,

31. Inſipientes, [g] incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia.

32. [h] Qui cùm juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

CAPUT II.

Hoc capite Judæos redarguit, quod ex lege ſibi data Gentiles condemnarent, eadem tamen ac ipſi agentes, propter quæ à Deo reddente unicuique ſecundùm opera, condemnandi forent, maximè cùm Gentiles non acceptâ lege facerent ea quæ legis ſunt.

1. [i] PRopter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.

2. Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos qui talia agunt.

3. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?

4. An [k] divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

5. Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei,

6. Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus:

7. Iis quidem, qui [l] ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam:

8. Iis autem, qui [m] ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.

9. Tribulatio & anguſtia in omnem [n] animam hominis operantis malum, Judæi primùm, & Græci:

10. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm, & Græco,

11. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

12. Quicumque enim [o] ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

13. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis [p] juſtificabuntur.

14. Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, [q] naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.

15. Qui [r] oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus,

16. [ſ] In die, cùm judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum, per Jeſum Chriſtum.

17. Si autem tu [t] Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo,

18. Et noſti voluntatem ejus, & [u] probas

23. [a] Et, etenim. *Similitudinem imaginis*, Hebraiſmus, imaginem ſimilem repræſentantem.

24. [b] Syr. *Propterea tradidit eos Deus cupiditatibus impuris cordium ipſorum ut ignominiâ afficerent corpus ſuum inter ſe.*

26. [c] *Ignominiæ*, quod tunc commune feminis Romanis.

27. [d] *In ſemetipſis*, in propriis corporibus.

28. [e] *Probaverunt*, curarunt.

30. [f] *Deo odibiles*, Syr. *Osores*.

31. [g] *Incompoſitos*, qui moribus ſunt inurbanis. *Sine fœdere*, Syr. *cum quibus nulla pax*, perfidos.

32. [h] Gr. *Qui jus Dei cognoſcentes (quoniam talia agentes digni morte ſunt) non ſolùm ea faciunt ſed etiam conſentiunt facientibus.* *Juſtitiam Dei*, quam Deus homini in creatione infudit.

1. [i] *Propter quod*, quia Dei juſtitiam cognoviſti, tacito nomine tranſit ad reprehenſionem Judæorum, qui Gentiles tot vitiis contaminatos deſpiciebant. *Judicas*, Syr. *condemnas*, & ſic infrà.

4. [k] *Divitias*, Arab. *ubertatem*. *Divitias bonitatis*, abundantem bonitatem. *Adducit*, adducere optat, invitat.

7. [l] *Secundùm patientiam boni operis*, Gr. *ſecundùm permanentiam boni operis*, Arab. *cum conſtantia in opere bono*, Æth. *patienter expectant per opera bona*. Perſeverantes in benefaciendo.

8. [m] *Sunt ex contentione*. Syr. *rebelles ſunt*, Arab. *malum operantur ex æmulatione*. *Ira & indignatio*, ventura eſt indignatio & ira.

9. [n] *Animam*, perſonam. *Græci*, Syr. *Gentilibus*, & ſic poſtea.

12. [o] *Sine lege*, ſcripta, quam non habuerunt, peribunt condemnante eos lege divinâ naturali. *Judicabuntur*, Syr. *condemnabuntur*.

13. [p] *Juſtificabuntur*, juſti habebuntur. Occurrit objectioni Judæorum dicentium ſe eſſe Gentibus ſuperiores quod legem haberent, &c. quod illis nihil valet, cum ſint tantùm auditores legis, non factores.

14. [q] *Naturaliter*, naturali ratione eis dictante quid honeſtum, quid turpe ſit. *Ejuſmodi legem non habentes*, Syr. *in quum legem non habeant*. Contendit Eſtius hîc loqui Apoſtolum de Gentibus ad Deum converſis, & fide Chriſti mediatoris imbutis. Sive præceſſerint illius adventum ſive non, hancque ſententiam probat argumentis validis, & ex ipſa eadem epiſtola ſumptis. Eſt autem ſenſus talis. cum Gentes quæ legem ſcriptam non acceperunt, naturaliter, id eſt, ſine lege ſcripta, duce lumine rationis, adjuvante tamen lumine gratiæ, faciunt ea quæ legis ſunt ſcriptæ, hi legem ſcriptam non habentes, ſibi ipſis ſunt loco legis, dum proprio judicio ſine externo legis jubentis impulſu bonum operantur. Alii tamen de Gentibus infidelibus exponunt.

15. [r] *Oſtendunt*, bene vivendo. *Opus legis*, quod lex jubet. *Scriptum in cordibus*, intellectui naturali impreſſum. *Teſtimonium reddente*, &c. Syr. *& teſtimonium reddit eis ipſorum conſcientia, cogitationibus eorum mutuo ſe ſe excuſantibus, aut accuſantibus. Inter ſe invicem*, per vices modo bene modò male.

16. [ſ] *In die*, quia licèt modo conſcientia teſtimonium reddat, tamen in judicio futuro clarius perhibebit. *Secundùm Evangelium meum*, Æth. *quemadmodum docui*. Evangelium quod prædico & Chriſtus mihi tradidit prædicandum. *Per Jeſum Chriſtum*, referendum ad *judicabit*.

17. [t] *Judæus*, Judæi nomen cœpit eſſe commune tempore captivitatis Babylonicæ: vide Joſeph. lib XI. Antiq. cap 5. hocque nomine adoratores unius Dei intelligebantur.

18. [u] *Probas*, Syr. Arab. Æth. *diſcernis*. *Utiliora*, Æth. *meliora*.

utiliora inſtructus per legem,

19. Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt,

20. Eruditorem [a] inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege.

21. Qui ergo alium doces, teipſum [b] non doces: qui prædicas non furandum, furaris:

22. Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, [c] ſacrilegium facis:

23. Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.

24. [Nomen enim Dei [d] per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt.]

25. [e] Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.

26. [f] Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?

27. [g] Et judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es?

Docet præter carnalem Judaiſmum & circumciſionem opus eſſe ſpirituali.

28. [h] Non enim qui in manifeſto Judæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne eſt circumciſio:

29. [i] Sed qui in abſcondito, Judæus eſt: & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

CAPUT III.

Oſtendit Judæos quodammodo præcellere Gentibus propter factas illis promiſſiones, quæ complebuntur quanquam nonnulli eorum fuerint increduli.

1. QUid ergo amplius Judæo eſt? Aut quæ utilitas circumciſionis?

2. Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita ſunt illis [k] eloquia Dei.

3. Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum [l] fidem Dei evacuabit? Abſit.

4. Eſt autem Deus verax: omnis autem homo [m] mendax, ſicut ſcriptum eſt: Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

5. Si autem iniquitas noſtra [n] juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?

6. [[o] Secundùm hominem dico.] Abſit alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?

7. Si enim [p] veritas Dei in meo mendacio abundavit, in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?

8. [q] Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.

Omnes tamen & Judæos & Gentiles docet eſſe ſub peccato.

9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam, [r] cauſati enim ſumus, Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe,

10. Sicut ſcriptum eſt: Quia [ſ] non eſt juſtus quiſquam:

11. [t] Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum.

12. Omnes declinaverunt [u] ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

13. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant: Venenum aſpidum ſub labiis eorum.

14. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt:

15. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem:

16. Contritio, & infelicitas in viis eorum:

17. Et viam pacis non [x] cognoverunt:

18. Non eſt timor Dei ante oculos eorum.

19. Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui [y] in lege ſunt, loquitur: ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.

20. Quia ex operibus legis non juſtificabitur

20. [a] *Inſipientium*, divinorum cognitione carentium. *Habentem formam*, &c. Arab. *& eſſe penes te formam doctrinæ & veritatis in lege contentæ. Formam*. Syr. *informationem*, typum. Qui ex ſtudio legis conſecutus ſis rationem quâ alios ſcientiâ veritatis imbuere poſſis.

21. [b] *Non doces*, non pares præceptis tuis.

22. [c] *Sacrilegium facis*, res idolis conſecratas contra legem uſurpatis, aut menſas adeundo Idolothytis inſtructas. Vel, quod in religione ſanctius violando.

24. [d] *Per vos*, Syr. Æth *propter vos. Blaſphematur*, male audit. *Inter gentes*, detrahentes majeſtati ejus qui habeat tam malos cultores. *Scriptum eſt*, Ezech. cap. 36 & Iſ. cap 52.

25. [e] *Circumciſio*, &c. aliud removet in quo gloriabantur Judæi. *Præputium facta eſt*, eris tanquam Gentilis.

26. [f] *Si igitur*, Syr. *quod ſi. Præputium*, præputiatus. *Juſtitias legis*, non legales præcisè, ſed quod lex juſtum & ſanctum præcipit circa Deum & proximum.

27. [g] Syr. *Itaque præputium, quod ex natura ſua præſtat legem, condemnabit te, qui per ſcripturam & circumciſionem tranſgreſſores legis. Per*, habens.

28. [h] Arab. *Judæus enim non ille eſt, qui eſt extrinſecus Judæus: neque circumciſio apparens in carne, circumciſio eſt.*

29. [i] Arab *Sed Judæus is eſt, qui in ſecreto Judæus eſt, & circumciſio, circumciſio eſt cordis in Spiritu, non in ſcriptura: cujus laus eſt*, &c. mens illius non eſt, negare fieri poſſe, ut qui in manifeſto Judæus eſt, idem etiam coram Deo & vere Judæus ſit, &c. ſed Judaiſmum & circumciſionem ſpiritualem requirit.

2. [k] *Eloquia Dei*, promiſſiones ad gratiam novi teſtamenti pertinentes.

3. [l] *Fidem*, in promiſſis præſtandis.

4. [m] *Mendax*, ex ſua natura. *Sicut ſcriptum eſt*, vide Pſalmum 50. Sed fateamur Deum veracem in promiſſis, etiamſi homines omnes mendaces forent in præſtandis quæ Deo promiſerunt, quemadmodum implevit Deus quæ Davidi promiſerat licèt multum peccaverit, ſic præſtitit promiſſa erga Judæos circa Meſſiam venturum, licet, &c.

5. [n] *Juſtitiam*, fidem & veritatem. *Iram*. Æth. *pœnam*. Dixerat Apoſtolus incredulitate hominum non modo non evacuari fidem, verùm etiam illuſtrari, &c. Nunc quæſtionem hanc meritò ſubjicit, an ob id cenſebimus Deum injuſtum eſſe, qui infert punitionem, id eſt, qui punit peccata, in quibus tamen juſtitia ejus commendatur.

6. [o] *Secundùm hominem dico*, quæſtionem hanc faciendo, ago ex perſona hominis nondum divina capientis. *Quomodo judicabit*, ſi injuſtus eſt.

7. [p] *Veritas*, juſtitia. *In mendacio*, Syr. Arab *per mendacium*, peccatum. Pergit in objectione. Si peccata hominum per ſe juſtitiam Dei illuſtrant ejuſque gloriam promovent, cur igitur homines tanquam peccatores puniuntur.

8. [q] *Et non*, Syr. *aut numquid. Blaſphemamur*, obtrectant nobis. De nobis male loquuntur. *Quorum*, dicentium: *Faciamus mala*, &c.

9. [r] *Cauſati ſumus*, Syr. *determinavimus*. Cauſis redditis oſtendimus. Quia dixerat quæ amplius erant Judæis nunc dicit: *Quid ergo?* Præcellimus nos Judæi eos Gentiles.

10. [ſ] *Non eſt juſtus*, non quod ad litteram nullus ſit juſtus: ſed quòd pauci ſint, & nullus naturæ viribus.

11. [t] *Non eſt intelligens*, Arab. *nec eſt qui ſapiat* ea quæ Dei ſunt, & officii ſui & ſalutis.

12. [u] *Simul inutiles facti ſunt*, Syr. *improbati ſunt*, Arab. *cunctique depravarunt*, Æth. *pariter tranſgreſſi ſunt. Uſque ad unum*, Syr. Arab. Æth. *ne unus quidem*.

17. [x] *Cognoverunt*, approbationis notitia.

19. [y] *In lege*, Æth. *ſub lege*. Lex ibi ſumitur pro toto veteri teſtamento. *Ut obſtruatur*, illatio eſt, non cauſa, hunc ſic ut obſtruatur. Senſus itaque eſt, ne Judæus excipiat & dicat, hæc ſuperiora nihil ad ſe pertinere, ſed de impiis, id eſt, Gentilibus dicta eſſe, ratione probat Apoſtolus hæc Judæis eſſe communia. *Subditus*, Syr. *obnoxius condemnationi*, Arab. *ſint ſub cenſura Dei*.

Digitized by Google

[a] omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

21. [b] Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege & Prophetis.

22. [c] Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio:

23. Omnes enim peccaverunt, & [d] egent gloriâ Dei.

Lex à peccatis non liberat, ſed fides in Chriſtum; unde non eſt iniquam de legis operibus gloriandum.

24. [e] Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu,

25. Quem propoſuit Deus propitiationem [f] per fidem in ſanguine ipſius, ad oſteoſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum:

26. [g] In ſuſtentatiooe Dei ad oſtenſinnem juſtitiæ ejus io hoc tempore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtificaos eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.

27. [h] Ubi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei.

28. [i] Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.

29. Ao Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? [k] Immò & Gentium.

30. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem [l] ex fide, & præputium per fidem.

31. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit; ſed legem [m] ſtatuimus.

CAPUT IV.

Toto hoc capite oſtendit exemplo Abrahæ non ex operibus, neque ex circumciſione; neque ex lege, ſed ex fide expectandam eſſe juſtitiam non Judæis ſolùm, ſed omnibus fidem illius imitantibus, per quam, non per legem, pater multarum Gentium factus eſt.

1. [n] Quid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem?

2. [o] Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.

3. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi [p] ad juſtitiam.

4. [q] Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.

5. Ei verò qui oon operatur, credenti autem io eum, qui juſtificat impium, [r] reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei.

6. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus [s] accepto fert juſtitiam ſine operibus:

7. Beati, quorum [t] remiſſæ ſunt ioiquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

8. Beatus vir, cui [u] non imputavit Dominus peccatum.

9. Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantùm [x] manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam.

10. [y] Quomodo ergo reputata eſt? In circumciſione, an in præputio? Non io circumciſione, ſed in præputio.

11. [z] Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio:

20. [a] *Omnis caro*, Arab. *ullus carneus.* Dicent Judæi à ſe ſervari legem, ſed os eorum obſtruitur, quia non operum merito ſine gratia quiſquam juſtificatur. *Per legem enim, &c.* excluſive hoc intelligendum. Lex ſolam præſtat & infert agendorum & fugiendorum notitiam, & non auxilium ad vitandum, &c.

21. [b] *Nunc*, tempore legis Evangelicæ. *Sine lege*, legis obſervatione. *Juſtitia Dei*, juſtitia vera, quâ apud Deum juſti ſumus & quam efficit. *Manifeſtata eſt*, potiſſimum in converſione Gentilium qui legem non acceperant. *Teſtificata*, à lege & prophetis.

22. [c] *Juſtitia Dei*, gratia nos juſtificans. Nobis collata eſt per fidem, &c.

23. [d] *Egent gloriâ*. Syr. *deſtituuntur.* Non habent de quo coram Deo glorientur, & egent à Deo juſtificari. *Gloria Dei*, gloria apud Deum.

24. [e] *Juſtificati*, Syr. *juſtificantur. In Chriſto*, per Chriſtum facta.

25. [f] *Per fidem*, quâ mediante conſequimur fructum Dominicæ Paſſionis. *Ad oſtenſionem, &c.* quia juſtificat. *Propter*, Gr. *per.*

26. [g] *In ſuſtentatione Dei, &c.* Syr. *per dilationem quam dedit nobis Deus longanimitate ſua. Juſtitia ejus*, Syr. *juſtitia ſua*, Arab. *tolerante Deo*, ad patefaciendam juſtitiam ſuam in hoc tempore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtificator ejus qui ſe fecerit ex fide Jeſu. Æth. *qui credunt in Jeſum. Suſtentatione Dei*, ab Adam uſque ad Chriſtum incarnatum, id eſt, à temporibus, &c. *Ut ſit ipſe juſtus* ut juſtus cognoſcatur in ſe, & auctor juſtitiæ in aliis. Ideò miſit Filium ſuum redemptorem, &c. *Qui eſt ex fide*, ſic dicuntur fideles, quemadmodum Judaizantes dicuntur ex lege.

27. [h] *Ubi eſt ergo, &c.* Judæum alloquitur. *Factorum*, per quam habetur nuda cognitio agendorum. *Legem fidei*, eſt quæ fidem exigit per quam ſine operibus expectatur à Deo juſtitia, vel potius ipſa fides quâ velut lege impellitur homo ad operandum juſtitiam. Eſt etiam lex Evangelica quæ tollit gloriationem, per illam enim cognoſcit homo ſe nihil poſſe ſine gratia.

28. [i] *Arbitramur enim.* Gr. *ratione colligimus ergo.* Agitur de prima juſtificatione quâ homo fit juſtus ex injuſto, & nomine operum intelligit opera quæ fiunt ſine fide & gratia ſolis viribus liberi arbitrii. Colligimus ergo hominem juſtificari per fidem quâ juſtitiam apprehendat, etiamſi legis opera non afferat, ea ſcilicet quæ ſolâ cognitione legis adjutus fecerit. *Per fidem*, per religionem Jeſu Chriſti abſque operibus, conſiderando illa in a Moyſe præcepta.

29. [k] *Immo*, Syr. *ſane*, Arab. *certe.* Novum argumentum, quo probat nos ex fide, non operibus legis juſtificari, quia alioquin juſtitia alligata eſſet legi Moyſis & Judæis. Quod abſurdum.

30. [l] *Ex fide*, per fidem. *Præputium*, Arab. *præputiatum.*

31. [m] *Statuimus*, quia fides gratiam impetrat quâ lex impleatur.

1. [n] Gr. *Quid ergo dicemus Abraham patrem noſtrum inveniſſe ſecundum carnem.* Redit ad propoſitum de circumciſione. *Inveniſſe*, conſecutum fuiſſe. *Secundum carnem*, per carnis circumciſionem. Si illum ſine gratia & fide conſideremus.

2. [o] *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt*, & non ea fide, habet unde ſe jactet apud homines tanquam juſtum, ſed non apud Deum, apud quem non eſt talis juſtitia, ut ſupra demonſtratum eſt; cùm propria virtute, non gratiâ Dei juſtificatus eſſet. Sed in confeſſo eſt Abraham fuiſſe juſtum apud Deum, ergo, &c. *Apud Deum*, Dei voce & teſtimonio, cum Scriptura dicat contrarium.

3. [p] *Ad juſtitiam*, ad profectum & incrementum juſtitiæ. Fides autem illa eſt quæ contineat fidem Dei remuneratoris, in qua includitur fides mediatoris, &c.

4. [q] Arab. *Operanti autem merces non cenſetur ſub ratione doni, ſed mercedis debitæ.*

5. [r] *Reputatur fides ejus ad juſtitiam*, juſtus reputatur apud Deum merito fidei ſuæ. *Ad juſtitiam*, ſaltem inchoatam. *Secundum propoſitum gratiæ Dei*, non in Gr. Syr. Arab. Æth. Quia Deus gratioſo decreto ſuo ſic ab æterno ordinavit.

6. [s] *Accepto fert*, Gr. Syr. *imputat. Sine operibus*, ex viribus naturæ prodeuntibus.

7. [t] *Remiſſæ* gratuitâ condonatione, non meritis operum.

8. [u] *Non imputavit*, quia remiſit ignoſcendo.

9. [x] *Manet, &c.* tantummodo contingit Judæis circumciſis, an etiam pervenit ad Gentiles non circumciſos? David enim non ex operibus legis, quæ Judæis propria, juſtitiam conſtituit, ſed in liberalitate & gratia Dei, quæ omnibus communis eſt.

10. [y] *Quomodo*, in quo ſtatu? an circumciſus exiſtens, &c.

11. [z] Æth. *Et circumciſio ſignaculum juſtitiæ ejus fuit quam ei dedit. & ſignum ejus, ut et innoteſceret de hoc, quod per fidem Deus juſtificaret Abrahamum quum non fuit illo tempore circumciſus: ut eſſet ille Pater omnium credentium, qui ſunt abſque circumciſione, ut cognoſcant quod per fidem juſtificantur etiam ipſi, ſicut per fidem juſtificatus fuit Abrahamus. Signaculum, &c.* in eſſe ſigillum ejus juſtitiæ quam perceperat ex fide quando nondum erat circumciſus. *Sic pater*, ut exemplo fidei ſuæ pater eſſet eorum omnium qui credituri erant, &c.

Digitized by Google

ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam :

12. [a] Et ſit pater circumciſionis, non iis tantùm qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.

13. Non enim [b] per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi : ſed per juſtitiam fidei.

14. [c] Si enim qui ex lege hæredes ſunt : exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.

15. Lex enim [d] iram operatur. Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.

16. [e] Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrûm.

A decimo ſeptimo ad vigeſimum tertium inſerit mentionem de firmitate fidei Abrahæ circa promiſſum ſibi ſemen, licet ipſe & Sara annos excellſiſſent ad generandum aptos.

17. (Sicut ſcriptum eſt : Quia patrem multarum gentium poſui te) [f] ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

18. [g] Qui contra ſpem in ſpem credidit : ut fieret pater multarum gentium ſecundùm quod dictum eſt ei : Sic erit ſemen tuum.

19. Et non [h] infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ.

20. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo :

21. [i] Pleniſſimè ſciens quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere.

22. Ideò & reputatum eſt illi ad [k] juſtitiam :

23. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam :

24. Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis.

25. Qui [l] traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.

CAPUT V.

Docet nos, juſtificatos ex fide, non ſolùm ſpe gloriari, ſed etiam in adverſitatibus. Juſtificationem illuſtrat ab effectis.

1. JUſtificati ergo ex fide, [m] pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum :

2. [n] Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei,

3. [o] Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus; ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur :

4. Patientia autem [p] probationem, probatio verò ſpem:

5. Spes autem [q] non confundit : quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

6. [r] Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt ? Eximiam Dei erga nos charitatem prædicat.

7. Vix enim pro juſto quis moritur : nam [ſ] pro bono forſitan quis audeat mori.

8. Commendat autem charitatem ſuam Deus [t] in nobis : quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus

9. Chriſtus pro nobis mortuus eſt : multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab [u] ira per ipſum.

12. [a] Arab. *Et pater hominum circumciſionis, non iis qui crederent ex circumciſione tantùm, ſed iis etiam qui ſectarentur veſtigia fidei patris noſtri Abrahæ exiſtentis in præputio. Iis tantùm qui*, iis qui tantùm. *Et iis qui ſectantur*, iis qui & ſectantur, id eſt, Abraham cùm juſtificatus eſt in præputio, tamen adhuc accepit juſtitiæ ſignaculum circumciſionem, ut eſſet pater Judæorum, non eorum tantùm qui carne circumciſi ſunt, verùm etiam fidem habent quâ ſectantur veſtigia ejus.

13. [b] *Per legem*, Arab. *in lege exiſtenti*. Idem hic quod per juſtitiam legis, ſive quæ ea lege præſtitur. *Promiſſio*, Syr. *extitit promiſſum*, Arab. *factum eſt promiſſum. Hæres eſſet mundi*, quod temporaliter intellectum, imperfectè omnino impletum eſt, ſed ſenſu ſublimiori de felicitate æterna intelligendum. *Per juſtitiam fidei*, Arab. *ſed in juſtitia credulitatis ipſius*. Ad vim hujus argumenti ſupponendum, promiſſionem factam fuiſſe ſine conditione, & ſine lege donari & impleri, atque adeo gratuitam fuiſſe promiſſionem.

14. [c] Syr. *Si enim ii qui ex lege ſunt, hæredes ſunt*. Si enim per legis obſervantiam hæreditas promiſſa veniret, & ex lege juſtitia obtineretur, fides nihil valeret, & promiſſio per illam facta : ſed cùm lex ſola per ſui obſervationem ad juſtitiam non perducat, opus eſt Dei gratiâ, quæ non datur niſi per fidem.

15. [d] *Iram*, punitionem. *Operatur*, Arab. *generat*, Æth. *adducit*. Tantùm abeſt ut ex lege obtineatur hæreditas, quin potius pœna augetur & maledictio affertur. *Prævaricatio*, Æth. *non eſſet qui peccatum cognoviſſet*. Tranſgreſſio, dum quis peccat ſciens.

16. [e] *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam*. Syr. *propterea ex fide, quæ per gratiam eſt, juſtificabimur*, Arab. *ideirco ex fide ſunt hæredes, ut ſit ſecundum gratiam ejus*. Cùm per legem non poſſit impleri promiſſio Abrahæ facta, reſtat igitur ut per fidem impleatur, adeo ut promiſſio agnoſcatur gratuita, &c. *Omni ſemini*, Syr. *toti ejus ſemini. Ex lege*, Judæo. *Ex fide*. Gentili.

17. [f] *Ante Deum*, Pater eſt ante Deum, id eſt, non paternitate carnali, ſed ſpirituali per fidem, fideique exemplo. *Cui credidit*, cui credenti tanquam maximè potenti, qui ſcilicet vivificet mortuos & vocet à non eſſe ad eſſe, id eſt, creet non entia. Reſpicit ad fidem Abrahæ quandò juſſus eſt immolare filium, & credidit ſibi filium ex Sara naſciturum. *Mortuos*, emortua corpora Abrahæ & Saræ, ad gignendi functionem inutilia. Quod non eſt ſaltem de Abraham ſtrictè ſumendum, habuit enim poſtea de alia uxore filios. *Tanquam ea quæ ſunt*, Syr. *perinde ac ſi eſſent*.

18. [g] Arab. *Qui præter ſpem credidit oraculo expectans cum ſpe ſe futurum patrem multis gentibus, &c. Contra ſpem* naturæ, & id quod naturaliter ſperari poterat. *In ſpem*, ſperando promiſſioni divinæ. *Ut fieret*, Æth. *quod fieret*.

19. [h] *Infirmatus fide*, vide quæ dicuntur, Gen. cap. 17. *Emortuum*, quomodo dicitur corpus Abrahæ emortuum, id eſt, ad generandum ineptum, cùm triginta ſeptem annis poſteà alios filios habuerit ex Cethura ? reſpondendum, emortuum quidem fuiſſe corpus, ſed per miraculum redditam ei fuiſſe virtutem generandi : quemadmodum etiam Sara & ſterilis & vetula concipere potuit. Vel, dicitur emortuum reſpectu Saræ, quæ vetula & ad concipiendum inhabilis.

21. [i] *Pleniſſimè ſciens*, Æth. *credidit toto corde ſuo*, Arab. *certoque ſibi perſuaſit*.

22. [k] *Juſtitiam*, augmentum juſtitiæ.

25. [l] *Traditus*, ad mortem. *Delicta*, delenda. *Juſtificationem*, dandam.

1. [m] *Pacem*, quod Deo ſumus reconciliati. *Ad Deum*, Syr. Arab. Æth. *apud Deum*.

2. [n] *Per quem, &c.* cujus operâ ac merito adducti & admiſſi ſumus per fidem, quæ & ipſa pars & initium noſtræ juſtificationis, ad hanc gratiam, id eſt, beneficium juſtificationis, &c. *Stamus*, conſtanter perſeveramus, nec ullis ab ea rebus adverſis dimovemur. *Spe gloriæ*. Hebraiſmus, gloria ſperata felicitatis æternæ quæ filiis Dei adoptivis communicatur. *Filiorum*, non in Gr. Syr. Arab. Æth.

3. [o] *Non ſolum autem*, in hoc gloriamur, ſed & , &c. *Operatur*, Syr. *perficiat*, tribulatione acquiritur patientia.

4. [p] *Probationem*, Syr. Æth. *experientiam*. Reddit eum qui affligitur probatum & exploratum, ut cognoſcat quanti Deum & cœleſtia faciat. *Spem*, excitando eam & augendo; qui enim expertus eſt ſe nullis adverſis à juſtitia dimotum fuiſſe, maximè erigitur animo in ſpem gloriæ cœleſtis.

5. [q] *Non confundit*, non eſt inanis & effectu fruſtrata. *Charitas Dei*, quâ Deum diligimus, aut à Deo diligimur. *Spiritum ſanctum*, qui eſt pignus hæreditatis æternæ.

6. [r] *Ut quid*, propter quid aliud niſi ad charitatem effundendam. *Infirmi*, peccatores. *Secundùm tempus*, jungendum cum verbis ſequentibus. Præfinito tempore, ſenſus eſt, non fruſtrabit nos ſpe promiſſionis æternæ gloriæ, quia ſi cùm adhuc peccatores eramus, adeo nos dilexit Chriſtus, ut pro nobis mortem oppeteret, quantò magis nobis jam juſtificatis præſtabit cætera quæ promiſit.

7. [ſ] *Pro bono*, viro innocente & injuſte damnato. Eſt qui velit pro illo mortem ſubire ratione innocentiæ ſuæ. Et meritò dixit *Vix*, id eſt, rariſſime & difficulter; nam quandoque fieri poteſt, ut aliquis reperiatur qui id audeat, &c. Subintelligendum autem, *ſed ſontis cauſa mortem nemo ſuſtinet. Hoc Chriſti proprium eſt & amoris tranſdeti*.

8. [t] *In nobis*, Syr. Arab. *erga nos*. *Secundùm tempus*, non in Arab. Syr. Æth.

9. [u] *Ira*, punitione in extremo judicio, & damnatione æterna.

10. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus: multò magis reconciliati, ſalvi erimus [a] in vita ipſius.

11. [b] Non ſolùm autem: ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

Docet ſicut peccatum & mors per unum hominem in omnes tranſierunt, ita gratiam & vitam ex uno homine in omnes derivari, & juſtificationem illatam à comparatione.

12. Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, [c] in quo omnes peccaverunt.

13. [d] Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet.

14. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam [e] in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.

15. Sed non ſicut delictum ita & donum. Si enim unius delicto [f] multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.

16. Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum, nam judicium quidem ex [g] uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.

18. [h] Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.

19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt [i] multi, ita & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi.

20. Lex autem ſubintravit [k] ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.

21. Ut ſicut regnavit peccatum [l] in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPUT VI.

Oſtendit non ideo peccandum eſſe ut gratia abundet, ſed ad ſimilitudinem mortis & reſurrectionis Chriſti, in qua baptizati ſumus, nos peccato mortuos vivere debere juſtitiæ.

1. QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet?

2. Abſit. Qui enim [m] mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?

3. An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus [n] in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?

4. [o] Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

5. Si enim [p] complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus.

6. Hoc ſcientes quia [q] vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultrà non ſerviamus peccato.

7. Qui enim [r] mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.

8. [ſ] Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto:

9. Scientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis [t] jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.

10. [u] Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo.

10. [a] *In vita ipſius*, ipſo vivente & nobis favente, vitamque ſuam nobis communicante.

11. [b] Senſus eſt, quantò magis ſalvi erimus, qui non ſolùm reconciliati ſumus Deo, ut peccata noſtra non puniat: ſed etiam gloriamur in Deo, velut Patre, cujus filii facti ſumus adoptione, velut omnis noſtræ juſtitiæ, reconciliationis, & renovationis authore.

12. [c] *In quo omnes peccaverunt*, Syr. *eo quod omnes peccaverunt*, Æth. *eo quod omnibus hominibus imputatur illud peccatum*. *In quo*, in cujus corrupta natura. Quum igitur per Chriſtum acceperimus reconciliationem, & in Deo gloriemur: hinc conſequens eſt Chriſtum ſimilem eſſe Adamo per quem in Deum offendimus, cumque eſſe alterum Adam, qui perditam in priore Adamo juſtitiam & ſalutem reſtituit mundo.

13. [d] *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo*, non ſolùm tempore legis, quando manifeſtata eſt tranſgreſſio, verum etiam ab initio, &c. peccatum erat in mundo. *Non imputabatur*, hoc non debet intelligi ſimpliciter, alioquin omnes fuiſſent juſti, ſed non imputabatur ad prævaricationem, quod intelligendum e capite præcedente: & eſt ſenſus ſicut peccatum & mors regnavit in mundo, etiam in eos qui Adami tranſgreſſionem non ſunt imitati, quia lex non erat: ſic gratia Chriſti immerentibus eſt data.

14. [e] *In eos qui non peccaverunt*, quod de parvulis & peccato originali exponendum. *In ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, qui non erant prævaricati legem aliquam ſibi à Deo poſitam ſicut Adam fecerat, ſed ſolùm peccaverant in legem naturæ. *Forma futuri*, à contrario ſcilicet. *Futuri*, Gr. Syr. *illius futuri*.

15. [f] *Multi mortui ſunt*, omnes. *Multo magis*, &c. Adam ſuo delicto mortem invexit, & Chriſtus juſtitiæ perſeverantiam & vitam æternam, quæ dona Adam in paradiſo non habuit: Adam etiam nobis cauſa unius peccati, Jeſus Chriſtus omnium meritorum. *In gratia*, Arab. Æth. *per gratiam*. *Gratia unius*, id eſt, juſtitia, &c. *Abundavit*, gratia ſupra delictum exuberat, non quidem merito ſervandorum, ſic enim æqualitas tantùm eſſet non exuberantia; ſed & præſtantia effectus, nam vita nobilior eſt morte quæ effectus eſt peccati, & potentia effectus, quia difficilius eſt unum hominem vitâ donare quam multos perdere, & amplitudine gratiæ, quæ juſtificat non modo ab uno delicto Adæ, ſed ab omnibus inſuper admiſſis.

16. [g] *Uno*, peccato.

18. [h] Syr. *Sicut ergo propter delictum unius extitit condemnatio in omnes homines, ita propter juſtitiam unius futura eſt juſtificatio ad vitam omnibus hominibus*. *Omnes*, ex Adam geniti. *Juſtitiam in omnes*, qui ſunt ex parte Chriſti, niſi ponant obicem, aut proveniat applicatione meriti & gratiæ, ut parvuli non baptizati. *Vita*, ad vitam æternam.

19. [i] *Multi*, omnes.

20. [k] *Ut abundaret*, &c. eventum dicit non cauſam. data eſt lex ad permittendam abundantiam peccatorum, ut dum legis occaſione peccatum augetur præſertim in opere eo crudo & manifeſto, ſuperbus animus cogatur ſe agnoſcere peccatorem, & legem ſibi nequaquam ſufficere ad juſtitiam.

21. [l] *In mortem*, occidendo: *Per juſtitiam*, juſtificando. *Per Jeſum Chriſtum*, quod referendum ad *regnet*.

2. [m] *Mortui*, a peccati ſervitute liberati per baptiſmum.

3. [n] *In Chriſto Jeſu*, in inſtitutione fidei, & operatione Chriſti, & ipſi per baptiſmum uniti ut membra capiti. *In morte ipſius*, ad ſimilitudinem mortis, ut ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt carne, & ſemper vivit ſpiritu, ſic nos mortui iniquitati, deinceps vivamus juſtitiæ.

4. [o] *Conſepulti*, Chriſto ſepulto aſſimilati ſumus. *In mortem*, peccati ad expreſſionem mortis ejus. *Per gloriam Patris*, per glorioſam operationem & efficientiam Patris: poteſt tamen intelligi ut cauſa formalis, adeo ut nova & glorioſa vita ad quam à Patre reſuſcitatus eſt, vocetur gloria Patris, & ſic aptior & plenior erit collatio inter Chriſtum & nos.

5. [p] *Complantati facti ſumus ſimilitudini*, Syr. *cum eo plantati ſumus per ſimilitudinem*, Æth. *quod ſi vero conformes facti ſumus morti ejus, ita etiam vitæ ejus conformes facti erimus*. Si more ſurculorum, qui arbori inſeruntur ut inde ſuccum trahant, inſiti ſumus corpori Chriſti, cujus ſimilitudinem gerit immerſio baptiſmi, & ſic ejuſdem mortis effecti participes, eo quod ſumus mortui peccatis etiam reſurrectionis figuratæ per emerſionem &c. atque adeo in novitate vitæ debemus ambulare.

6. [q] *Vetus homo noſter*, homo affectus vetuſtate & corruptione peccati contracta ex veteri Adam. *Simul crucifixus*, una cum Chriſto, in typo ſcilicet. *Corpus peccati*, vetus homo qui deſtruitur, cum deſideriis peccati non conſentimus.

7. [r] *Mortuus*, peccato in baptiſmo. *Juſtificatus*, Syr. *liberatus eſt*. Sicut qui mortuus eſt, nullas retinet actiones vitæ, ſic qui per baptiſmum configuratus eſt morti Chriſti, mortuus eſt peccato ſeu vitæ veteri.

8. [ſ] *Si autem mortui*, &c. ſi mortui ſumus peccato quomodo Chriſtus mortuus eſt carne, confidimus, ſicut ille reſuſcitatus a mortuis vivit novam vitam, &c.

9. [t] *Jam*, Gr. Syr. Arab. *amplius*. Æth. *iterum*.

10. [u] *Quod*, Syr. Arab. *qui*. Æth. *& hoc quod mortuus eſt, mortuus eſt ſemel, & per mortem ejus abolevit peccatum: & hoc quod vivit, vivit Deo*. *Deo*, vitam immortalem & Deo dignam.

Digitized by Google

11. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, [a] in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

12. Non ergo regnet [b] peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.

13. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes: & membra veſtra [c] arma juſtitiæ Deo.

Docet cùm ſimus ſoluti a lege, & per Chriſti gratiam liberati à ſerviente peccati: immo ſervi facti juſtitiæ, debere nos tradere membra noſtra in obſequium illius, quæ prius tradideramus immunditiæ ad mortem.

14. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim [d] ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.

15. Quid ergo? [e] peccabimus quoniam non ſumus ſub lege ſed ſub gratia? Abſit.

16. Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive [f] obeditionis ad juſtitiam.

17. Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ [g] in quam traditi eſtis.

18. Liberati autem à peccato ſervi facti eſtis [h] juſtitiæ.

19. [i] Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

20. Cùm enim ſervi eſſetis peccati, [k] liberi fuiſtis juſtitiæ.

Docet quàm diſpar ſit utriuſque ſervitutis exitus.

21. Quem ergo fructum habuiſtis tunc [l] in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.

22. Nunc verò liberati à peccato, [m] ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.

23. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei, [n] vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

CAPUT VII.

Similitudine mulieris cujus vir defunctus eſt, docet fideles per Chriſtum ſolutos eſſe à lege, ut Deo fructificent, qui, quando ſub lege erant, morti fructificabant.

1. AN ignoratis, [o] fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit.

2. [p] Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri.

3. Igitur vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri: ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.

4. Itaque fratres mei, & vos [q] mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo.

5. Cùm enim eſſemus in carne paſſiones peccatorum, quæ [r] per legem erant operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.

6. Nunc autem ſoluti ſumus à [ſ] lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.

7. Quid ergo dicemus? [t] lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.

Non vitio legis, quæ in ſe bona eſt & ſancta, ſed concupiſcentiæ & peccati, quod per legem cognitum, ejuſdem occaſione magis excrevit.

8. Occaſione autem acceptâ [u] peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam; ſine lege enim peccatum mortuum erat.

9. Ego autem vivebam [x] ſine lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum peccatum revixit.

10. Ego autem [y] mortuus ſum: & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

11. [z] Nam peccatum occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.

12. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum

11. [a] *In*. Syr. Arab. Æth. *per*.

12. [b] *Peccatum*, fomes peccati, concupiſcentia, quæ peccatum dicitur quia ad illud inclinat.

13. [c] *Arma*, inſtrumenta, ut ſint ea inſtrumenta ad peccandum. *Peccato*, ad executionem peccati. *Deo*, ad Dei obſequium. *Ex mortuis viventes*, à morte culpæ ad vitam gratiæ ſuſcitati.

14. [d] *Sub lege*, &c. legem putam & ſolam intelligit ſine fide & gratia. Lege jam abolitâ & tranſlati ad gratiam Chriſti, cui eſtis incorporati per baptiſmum, eſtis à dominio peccati liberi.

15. [e] *Peccabimus*, quia non ſumus legis vinculo aſtricti: vel, ut gratia Dei magis commendetur.

16. [f] *Obeditionis ad juſtitiam*, obedientiæ divinorum mandatorum, ad hoc ut juſti ſitis: vel, fidei, cujus obedientia præſtat juſtitiam.

17. [g] *In quam*, &c. Syr. *cui*, Arab. *quæ tradita eſt vobis*.

18. [h] *Juſtitiæ*, in dativo Græcè. Mancipati eſtis juſtitiæ.

19. [i] *Humanum dico*, Syr. *ſicut inter homines loquor*. Æth. *more hominum loquimur inter vos*. Rem humanis viribus gratiâ adjutis facilem vobis propono. *Ad iniquitatem*, inique agendo. *In ſanctificationem*, ſanctè vivendo.

20. [k] *Liberi juſtitiæ*, à juſtitia alieni.

21. [l] *In illis*, Syr. *ex eo*. *In quibus*, Æth. *ecce de eo*. De quibus.

22. [m] *Servi facti Deo*, mancipati Deo. *In ſanctificationem*, ipſam ſanctificationem.

23. [n] *Vita æterna*, vitam æternam confert. *In Chriſto*, Syr. Arab. *per Chriſtum*.

1. [o] *Fratres*, loquitur Judæis converſis. *Lex*, loquitur de lege Judæis propria. *Quanto tempore vivit*, tranſl. Eraſmi *quoad ipſa vixerit*.

2. [p] *Nam*, &c. comparat legem viro, & Judæos legi ſubjectos, mulieri: hic autem reſpicit ad legem conjugii in paradiſo inſtitutam, quod enim lex Moſaica repudium permitteret, hoc non approbative ſed permiſſive fiebat: præterea mulieri non erat divortium ex lege licitum, ſed ſoli viro.

4. [q] *Mortificati eſtis legi*, à debito legis veteris ſoluti: exemplum de viro & muliere applicat inſtituto, lex Moyſi cui vos mortui eſtis, & ipſa viciſſim vobis mortua, nihil amplius in vos juris habet, loquitur de lege, ut à gratia diſtinguitur minante, accuſante, damnante, puniente, &c. *Per corpus Chriſti*, per hoc quod incorporati eſtis Chriſto, tanquam conjuncti alteri viro. *Fructificemus*, ſicut uxores debent fructificare viris ſuis non alienis, ita & vos Deo, &c.

5. [r] *Per legem*, ab occaſione. *Operabantur*, paſſivè accipiendum ex Græco, vigebant, Syr. *concitabantur*. Quando eramus in ſtatu veteris & carnalis hominis, cujuſmodi ſunt omnes qui ſunt ſub lege, motus ac deſideria peccandi quæ excitantur per legem, eo quòd prohibitio auget deſiderium; exercebantur & ipſo opere complebantur in membris noſtris. *Morti*, opera morte digna.

6. [ſ] *Lege mortis*, quæ ex occaſione mortem ſpiritalem inferebat augendo culpam ratione tranſgreſſionis, & incitando concupiſcentiam. *Novitate ſpiritus*, novitate vitæ quam facit Spiritus ſanctus. *Vetuſtate litteræ*, vetuſtate vitæ quam lex ſcripta adeò non aufert, ut per occaſionem augeat, litteram legis ſolam ſine ſpiritu ſequendo.

7. [t] *Lex peccatum eſt? abſit*. Lex peccatum non eſt, ſed ad bonum ordinatur, cum per eam diſcernatur inter bonum & malum. *Concupiſcentiam neſciebam*, neſciebam latentem in corde concupiſcentiam eſſe peccatum, quia Judæi ſolis operibus externis ſe peccare putabant, concupiſcentiam autem intelligit generaliter pro prava inclinatione totius appetitus humani.

8. [u] *Peccatum*, concupiſcentiæ vitium in me latens, quod hîc vocat peccatum, occaſione mandati acceptâ, per illud ipſum excitavit & produxit in me omne genus pravorum deſideriorum. *In me*, in Iſraelitis carnalibus, de quibus in perſona mea loquor, & ſic infrà: vel, in toto genere humano. *Mortuum*, quaſi mortuum, quia non cognoſcebatur, & vires ſuas non tam acriter exerebat.

9. [x] *Sine lege*, ante tempus Moyſis. *Aliquando*, Syr. Arab. Æth. *quondam*, loquitur hîc Apoſtolus in perſona hominis communiter. *Revixit*, excitatum eſt, & rebellare agereque cœpit, duobus modis quibus è contrario prius dictum eſt ſine lege mortuum.

10. [y] *Mortuus*, morte ſpirituali, ſed manifeſta propter manifeſtam tranſgreſſionem legis, quæ mors prius erat latens: vel, pœnæ morti a obnoxius lata contra tranſgreſſores legis.

11. [z] *Nam peccatum*, &c. non quòd antea juſtus eſſem, ſed quia longius abduxit à via juſtitiæ falſo zelo tuendæ libertatis contra prohibitiones legis.

ſanctum,

Digitized by Google

ſanctum, & juſtum, & bonum.

13. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed [a] peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

[Deſcribit pugnam exteriorem & carnalis hominis cum interiore, & qualiter homo mente ſerviat legi Dei, carne verò legi peccati: quo etiam argumento utitur ut probet legem ſanctam & ſpiritualem eſſe.]

14. Scimus enim quia [b] lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato.

15. Quod enim operor non [c] intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.

16. [d] Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi quoniam bona eſt.

17. [e] Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

18. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. [f] Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.

19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.

20. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me [g] peccatum.

21. [h] Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet:

22. Condelector enim legi Dei ſecundùm [i] interiorem hominem:

23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

24. Infelix ego homo, quis me liberabit [k] de corpore mortis hujus?

25. Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei; carne autem legi peccati.

CAPUT VIII.

Docet iis qui ſunt in Chriſto nihil damnationis eſſe reliquum, ut qui damnato per Chriſtum peccato, non carnem ſectentur, ſed ſpiritum quem acceperunt.

1. [l] Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.

2. [m] Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis.

3. [n] Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne,

4. Ut [o] juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.

5. Qui enim ſecundùm carnem ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt.

6. Nam [p] prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax.

7. Quoniam [q] ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.

8. [r] Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

9. [ſ] Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.

10. Si autem [t] Chriſtus in vobis eſt: corpus qui-

13. [a] *Peccatum*, concupiſcentia. *Ita ut appareat*, non enim cauſam finalem, ſed eventum denotat. *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem*, ſed peccatum, ut appareat quale quantumque ſit malum, per legem quæ in ſe bona eſt. *Operatum eſt mihi mortem*, factum eſt mihi mors. *Ut fiat ſupra modum*, &c. Syr. *ut magis pœnæ obnoxium eſſet peccatum per præceptum.* Adeoque illud ipſum peccatum in me latens, occaſione mandati factum eſt tanquam ingens peccator, dum in me operatur omnem concupiſcentiam, & in apertam prævaricationem impellit. *Peccans*, peccare faciens: vel, peccatum reiteratum, & multiplicatum.

14. [b] *Lex ſpiritualis eſt*, quia præcipit ea quæ hominem ſpiritualem & juſtum reddunt. *Carnalis ſum*, exponendum de Judæis ſub lege carnalibus. *Carnalis*, non mente, ſed carne concupiſcente contra ſpiritum: hæc etiam de ſe & de omnibus juſtis in lege gratiæ conſtitutis, dicit Paulus, ut ex ſequentibus clarius erit. *Venumdatus ſub peccato*, venditus in ſervitutem peccati velut domini, hæc autem dicit contra criminationem quam Judæi facere poterant contra fidem in Chriſtum, quia ſicut lex, non extinguit concupiſcentiæ motus.

15. [c] *Intelligo*, probo ad affectum enim non ad intellectum referendum eſt. *Quod volo*, ut non concupiſcam. *Quod odi*, concupiſcere, & in hoc diſtinguit Judæum à fideli.

16. [d] Arab. *Si ergo quod non approbo, hoc facio, ingenuè fateor legem eſſe bonam.*

17. [e] *Nunc autem*, &c. quoniam renovatus per gratiam legi conſentio, nunc non amplius ego operor malum, ſicut faciebam conſtitutus ſub lege, non enim operor ex imperio & conſenſu rationis, imò potius patior quam operor: ſed concupiſcentia mihi inſita pravos motus excitat in me non conſentiente. Supponit ſemper Judæum conſentientem, & murmurantem contra legem, in quo tota diſparitas Judæi & fidelis.

18. [f] *Nam velle, adjacet*, Syr. *nam ut velim bonum, facile quidem mihi eſt, at illud exequar impotens ſum.* Hic nomine boni debet intelligi, totum bonum quod volumus, ſcilicet non concupiſcere, quod verò Philip. c. 2. dicitur *Deus operatur velle & perficere*, de bonis operibus quæ fiunt à nobis in hac vita intelligi debet.

20. [g] *Peccatum*, concupiſcentia, contra quam militat fidelis, cui obedit Judæus voluntate per legem inflammata: præterea in peccatum inhabitans omnem culpam merito derivat, non ut renatos excuſet, ſed ut in lucta ſua animet.

21. [h] *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum*, Syr. *comperio ergo hanc legem conſentientem menti meæ volenti bene agere.* Legem accipit hic ſicut & multis locis ſequentibus pro eo omni quod incitat ad aliquid, ſicut lex facit minis & promiſſis. *Quoniam*, quod. Invenio in me legem ſeu inclinationem quandam quâ ſcilicet malum mihi adjacet, & faciendum tanquam lege imperatur, in me, inquam, volente facere quod bonum eſt.

22. [i] Per *interiorem hominem*, intelligit hic Paulus mentem, non autem hominem novum aut renovatum.

24. [k] *De corpore mortis hujus*, ex hoc corpore morti obnoxio.

1. [l] *Nihil damnationis*, Gr. Syr. Arab. Æth. *nulla condemnatio.* *Qui ſunt in Chriſto*, qui inſiti ſunt Chriſto: per baptiſmum, quamvis adhuc carne ſerviebant legi peccati, jam nullum ampliùs habent peccatum, neque propter illud ulli pœnæ ampliùs obnoxii ſunt: illi inquam, qui concupiſcentiæ motibus ſeu deſideriis non obſequuntur.

2. [m] *Lex ſpiritus*, quia per Spiritum ſanctum inſcribitur cordibus noſtris. *Vitæ*, quia ſpiritus ille vitam tribuit. *In Chriſto Jeſu*, Arab. Æth. *per Jeſum Chriſtum*, quod referendum ad *liberavit*, quia lex peccati mihi non dominatur ampliùs, cùm pravis ejus motibus non conſentiam, reatuſque ejus baptiſmo ſolutus ſit. *Me*, Judæos fideles quos nomine meo intelligo. *Mortis*, quo nomine reliquæ etiam peccati pœnæ comprehenduntur.

3. [n] Syr. *Nam quum impotens eſſet lex propter infirmitatem carnis, miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati propter peccatum, ut reum peragerei peccatum in carne ipſius.* Tranſl. Eraſmi, *Etenim quod lex præſtare non poterat, eâ parte quâ imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio Filio miſſo ſub ſpecie carnis peccato obnoxiæ præſtitit, ac de peccato condemnavit peccatum per carnem.* Nam quod lex præſtare non potuit, non quidem ſuo vitio, ſed in quo, id eſt quatenus infirmabatur per carnem, quia homines corrupti ſunt & carnales in peccato primi parentis, præſtitit Deus, &c. *Impoſſibile legi*, condemnare peccatum. *Carnis peccati*, peccato obnoxiæ, quia miſerias & mortem paſſus eſt quæ debentur peccatoribus. *Et de peccato damnavit peccatum*, peccatum hic ſumitur dominatorem quemdam, quo ſchemate jam uſus eſt Apoſtolus ſuprà, id eſt, ipſum peccatum ſceleris reum peregit, quod non ſolum fuiſſet ſupra modum peccans, augendo prævaricationem, in humano genere, veriùm prætereà manum miſiſſet in Chriſtum, quem ut peccatorem egit in mortem. *In carne*, per carnem Filii ſui ſuſpenſam & mortificatam in cruce, inde autem non ſequitur quod peccatum omnino exterminarit, quod adhuc habitat in carne renatorum, ſed quia dominium ejus abſtulit & reatum ſolvit: vel, per Chriſtum factum pro nobis peccatum, id eſt, hoſtia pro peccatis damnavit, &c.

4. [o] *Juſtificatio legis*, quam lex promittebat & requirebat. Ut nos legem impleremus, ſicque juſti eſſemus, quod fit dum non carnis deſideria ſequimur, ſed inſtinctum Spiritus ſancti.

6. [p] *Prudentia carnis*, quod ſapit, curat, providet, approbat. *Mors*, mortem affert culpæ & pœnæ.

7. [q] *Sapientia*, affectus.

8. [r] *Qui in carne ſunt*, Æth. *qui genio corporum ſuorum indulgent in ſtatu naturæ nondum regeneratæ Spiritu Dei.*

9. [ſ] *Vos*, Romani, baptizati & per Spiritum ſanctum renati.

10. [t] *Chriſtus in vobis eſt*, per ſpiritum ſuum. *Mortuum*, mortale, miſeriis & morti obnoxium. *Propter*, per. *Peccatum* Adæ, originale. *Spiritus verò*, &c. hominem cujus eſt Spiritus per juſtitiam vivere facit. *Juſtificationem*, Gr. Syr. Arab. *juſtitiam.*

Digitized by Google

dem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus
verò vivit propter juſtificationem.
11. Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum
à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum
Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia cor-
pora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus
in vobis.
12. Ergo fratres debitores ſumus non carni,
ut ſecundùm carnem vivamus.
13. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, mo-
riemini: ſi autem [a] ſpiritu facta carnis mortifi-
caveritis, vivetis.
14. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii
ſunt filii Dei.

Non ſpiritum ſervitutis ſed adoptionis, qui Dei filios ac futuræ gloriæ cum Chriſto cohæredes efficit.

15. [b] Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis
iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum ad-
optionis filiorum, in quo clamamus: Abba
[Pater.]
16. Ipſe enim Spiritus [c] teſtimonium reddit ſpi-
ritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.
17. Si autem filii, & hæredes: hæredes qui-
dem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen
compatimur, ut & conglorificemur.
18. Exiſtimo enim quòd non ſunt [d] condignæ
paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam,
quæ revelabitur in nobis.

Ad cujus gloriæ revelationem non ſolùm univerſa creatura aſpirat, ſed & hi qui primitias ſpiritus acceperunt, illam certâ ſpe expectant.

19. [e] Nam expectatio creaturæ, revelationem
filiorum Dei expectat.
20. [f] Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non
volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in
ſpe.
21. [g] Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervi-
tute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum
Dei.
22. Scimus enim quòd omnis creatura [h] inge-
miſcit, & parturit uſque adhuc.
23. Non ſolùm autem illa, ſed & [i] nos ipſi pri-
mitias ſpiritus habentes; & ipſi intra nos gemi-
mus, adoptionem filiorum Dei expectantes, re-
demptionem corporis noſtri.
24. [k] Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem
quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis,
quid ſperat?
25. Si autem quod non videmus ſperamus: [l] per
patientiam expectamus.

Spiritu nos roborante & quid orandum ſit inſtruente.

26. [m] Similiter autem & Spiritus adjuvat infir-
mitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut opor-
tet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis
gemitibus inenarrabilibus.
27. Qui autem ſcrutatur corda, [n] ſcit quid
deſideret Spiritus: quia ſecundùm Deum poſ-
tulat pro ſanctis.

Deſcribit magnitudinem charitatis Dei erga ſuos electos, à qua negat nos alla vi poſſe ſeparari.

28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum
omnia cooperantur in bonum, iis, qui [o] ſecun-
dùm propoſitum vocati ſunt ſancti.
29. Nam quos [p] præſcivit, & prædeſtinavit
conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe pri-
mogenitus in multis fratribus.
30. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit:
& quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem
juſtificavit, illos & glorificavit.
31. [q] Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus
pro nobis, quis contra nos?
32. Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit,
ſed pro [r] nobis omnibus tradidit illum: quomo-
do non etiam cum illo omnia nobis donavit?
33. Quis [s] accuſabit adversùs electos Dei? Deus
qui juſtificat.
34. [t] Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus
qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui
eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro
nobis.
35. [u] Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſ-
ti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nu-
ditas? an periculum? an perſecutio? an gla-
dius?

13. [a] *Spiritu*, per Spiritum ſanctum.

15. [b] *Non enim*, &c. non enim vos renati per baptiſmum accepiſtis donum timoris ſervilis, quod acceperant quibus olim lex data eſt per Moyſen, ſed accepiſtis per Spiritum ſanctum gratiam adoptionis, id eſt, charitatem, quæ vos conſtituit adoptivos Dei filios. *Servitutis*, ſervis non licebat parentes vocare nomine patris, hoc ſolis liberis permiſſum erat iterum ut olim Iſraëlitæ. *In timore*, Gr. *in timorem*. *In quo*, per quem ſpiritum. *Clamamus*, clamor in ſcripturis ſignificat orationem profectam magno cordis affectu. *Abba*, nomen ex Hebræo Chaldaicum & Syriacum.

16. [c] *Teſtimonium reddit*, quia ipſe nos clamare facit, & nobiſcum clamat.

18. [d] *Condigna*, Arab. *adæquata gloria*. Pares.

19. [e] Tota hæc creatura quæ hominum uſibus ſubſervit, attentiſſimâ obſervatione [proſopopœia eſt] tempus illud expectat, quo filii Dei glorioſi apparebunt, quia tunc una cum hominibus reformabitur in ſtatum meliorem.

20. [f] *Vanitati*, inſtabilitati, corruptioni, abuſui hominum peccatorum. *Non volens*, non ſuâ ſponte, res enim omnes ſuam [illegible] perfectionem. *Propter*, per. *Eum*, quod de homine peccatore & abutente creaturis exponendum. *Spe*, liberationis, & commutationis.

21. [g] *Quia*, Syr. Arab. *quod*. *In libertatem gloriæ*, &c. in illud tempus quando filii Dei quibus ſubſervit, ſuam libertatem & gloriam conſequentur.

22. [h] *Ingemiſcit*, velut gemens optat. *Parturit*, Arab. *dolet*, Æth. *mundus* . . . *anxius eſt* More parturientis dolet. *Adhuc*, Gr. Æth. *nunc*.

23. [i] *Nos ipſi*, regenerati. *Primitias ſpiritus*, abundantiorem gratiam, & principium aliquod guſtumque Spiritus ſancti in donis nobis collatis, velut pignus plenitudinis repoſitæ in futurum; quemadmodum primitiæ pignus erant decimarum quæ Deo offerebantur. *Redemptionem corporis*, quia beata reſurrectio corpora nobis reſtituet libera ab omni corruptione mortalitatis, pœnis atque miſeriis.

24. [k] *Spe ſalvi facti ſumus*, gemimus quia nondum re ipſa, ſed ſpe ſola ſalvi ſumus & beati. *Spes autem*, &c. res ſperata, quæ præſens habetur, non amplius ſperatur. *Quid ſperat?* Syr. *cur illud expectabimus*.

25. [l] *Per patientiam*, cum patientia ſervitutis ac miſeriæ præſentis, & longanimiter, non cedendo adverſis.

26. [m] *Similiter*, ſicut per patientiam expectamus bona futura adjuti gratiâ Dei, ſimili modo piè ac gratioſè Spiritus, &c. refertur etiam ad teſtimonium de quo v. 16. ſicut Spiritus conteſtificatur ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei, ſic etiam nos infirmos adjuvat, &c. *Spiritus*, Spiritus ſanctus. *Adjuvat*, præter ſpem & patientiam etiam Spiritus ſanctus adjuvat. *Infirmitatem*, in tribulationibus. *Quid oremus*, ſive liberationem à malis & miſeriis noſtris, ſive auxilium ea perferendi. *Poſtulat*, efficaci ſuâ operatione nos orantes ac poſtulantes facit, dum quod agit, quodam modo pro nobis intercedit. *Pro nobis*, defectum noſtrum ſupplens, dum facit nos poſtulare. *Inenarrabilibus*, quos Deus novit, licèt hominibus enarrari nequeant, & quia cum corda noſtra nobis ſint inſcrutabilia, neſcimus num & quatenus poſtulationes noſtræ ſint ſecundùm Deum.

27. [n] *Scit quid deſideret Spiritus*, Deus approbat quæ Spiritus ſanctus nos petere facit, quia ſanctos Deumque diligentes petere facit quæ Deo placita ſunt ad exaudiendum.

28. [o] *Secundum propoſitum*, voluntatis divinæ. *Sancti*, ut ſint ſancti.

29. [p] *Præſcivit*, ab æterno prædilexit & amicos habere voluit. *Et*, etiam. *Prædeſtinavit*, eoſdem prædeſtinavit. *Conformes fieri imaginis*, &c. ita conformandos Filio Dei ut ſint ejus quædam imago, quod fiet in adoptione perfecta quæ erit in gloria. *Ut ſit ipſe*, &c. quia talis adoptio redundabit in gloriam Chriſti ſic acquirentis multos fratres gloriæ illius cohæredes.

31. [q] *Quid ergo dicemus ad hæc*, quomodo tantam gratiam laudare poterimus, & quid dicturi inter paſſiones & adverſitates hujus ſeculi conſtituti? *Quis contra nos?* Æth. *quis prævalebit nobis*.

32. [r] *Nobis omnibus*, electis, in quorum perſona loquitur, ut patet verſu ſequenti. *Donavit*, Arab. *donabit*, Gr. Syr. Æth. habent ſic in futuro.

33. [s] *Accuſabit*, Syr. *ſeſe opponet*, Arab. *litem intentet*. *Quis accuſabit*, objectis criminibus quos Deus vult ſalvare? nullus enim Deus. *Deus qui juſtificat*, Arab. *quum Deus ſit qui juſtificat*. Ex impiis juſtos faciens.

34. [t] *Quis eſt qui condemnet?* Deo abſolvente & juſtificante, quis damnationis ſententiam in eos ferat? nullus niſi fruſtra, cum Chriſtus Jeſus, &c. *Qui mortuus*, &c. quâ morte peccata expiavit, reſurrectione juſtitiam peperit; evectione ad dexteram Dei, Spiritum ſanctum effudit, interceſſione meritum efficaciter applicat: quatuor his gradibus totum redemptionis opus à Chriſto peractum eſt. *Eſt ad dexteram Dei*, quia Patri ſecundùm divinitatem æqualis, & ſecundùm humanitatem eſt in potioribus bonis ejus, & ſummam obtinet poteſtatem.

35. [u] *Quis*, Arab. *quid*. *Charitate*, quâ diligimus, aut quâ diligimur. *Tribulatio*, in corpore & rebus externis *Anguſtia*, in mente & animo.

36. [ª Sicut ſcriptum eſt : Quia propter te mortificamur totâ die : æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.]

37. Sed in ᵇ his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos.

38. ᶜ Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo,

39. Neque ᵈ altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

CAPUT IX.

Propter Judæorum ruinam, de qua vehementer dolet, docet promiſſiones patribus Judæorum factas non fruſtrari, cùm non pertineant ad omnes carnales Abrahæ filios, ſed ad filios promiſſionis, id eſt, ſpiritualem Iſraelem & per fidem filios Dei conſtitutos.

1. ᵉ VEritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ in Spiritu ſancto:

2. Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus ᶠ dolor cordi meo.

3. ᵍ Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem,

4. Qui ſunt Iſraëlitæ, ʰ quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa:

5. ⁱ Quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.

6. ᵏ Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt, ii ſunt Iſraëlitæ:

7. Neque ˡ qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen:

8. Id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis, ᵐ æſtimantur in ſemine.

9. Promiſſionis enim verbum hoc eſt: ⁿ Secundùm hoc tempus veniam; & erit Saræ filius.

10. Non ſolùm autem illa: ſed & Rebecca ex uno concubitu ᵒ habens, Iſaac patris noſtri. Deum pro ſua voluntate, & non ex operibus, alios eligere ad oſtenſionem ſuæ bonitatis, alios reprobare ad manifeſtationem juſtitiæ.

11. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut ᵖ mali [ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret]

12. Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ᑫ ei:

13. Quia major ʳ ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.

14. Quid ergo dicemus? numquid ˢ iniquitas apud Deum? Abſit.

15. Moyſi enim dicit: Miſerebor cujus ᵗ miſereor: & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor.

16. ᵘ Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

17. ˣ Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.

18. Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult ʸ indurat.

19. Dicis itaque mihi: ᶻ Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis reſiſtit?

20. O homo, tu quis es, qui ᵃᵃ reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit? Quid me feciſti ſic?

36. ª *Sicut ſcriptum eſt*, ſupple, *electos pati & paſſuros eſſe. Totâ die*, Syr. *quotidie. Occiſionis*, deſtinatæ mactationi.
37. ᵇ *His omnibus*, adverſitatibus. *Propter*, Syr. Arab. *per*.
38. ᶜ *Certus ſum*, &c. hæc dicit in perſona prædeſtinatorum in genere ſumptorum: nullus enim in particulari, niſi revelatione ſpeciali illuſtratus, hanc certitudinem habere poteſt. *Mors*, timor mortis. *Vita*, amor vitæ. *Angeli*, *principatus*, *virtutes*; ordines peculiares inter alios ordines angelorum, ſub quibus alii comprehenduntur, & id de malis intelligendum. *Inſtantia*, Arab. Æth. *præſentia*. *Fortitudo*, non in Gr. Syr. Arab. Æth. Violentia alicujus, maxime principum hujus ſæculi.
39. ᵈ *Altitudo*, *profundum*, ſublima & abjectum in hoc ſæculo. *Charitate*, potiſſimum ea quâ electi diliguntur à Deo. *In Chriſto*, per Chriſtum.
1. ᵉ *Veritatem dico*, &c. utitur præfatione quâdam & juramento Apoſtolus, ut animos Judæorum emolliat ad ea quæ dicturus eſt. *In Chriſto*, Syr. Æth. *per Chriſtum. Teſtimonium*, &c. Æth. *& teſtis meus eſt Spiritus ſanctus qui in corde meo eſt. In Spiritu*, Syr. Arab. *per Spiritum*.
2. ᶠ *Dolor*, ob Judæorum incredulitatem & rejectionem.
3. ᵍ *Optabam*, optarem, ſi liceret & fieri poſſet: ſermo eſt hyperbolicus, in quo ſenſus non eſt qui per voces directè importatur, ſed qui a loquente intenditur; qui cùm per exceſſum ſeſe explicet, fert quo uſque credatur. *Anathema*, Arab. *ſequeſtratus*, Æth. *abductus*. A viſibili Eccleſiæ corpore ſeparatus, ut Judæi Eccleſiæ inſererentur: privari vitâ, ſanitate, bonis, &c.
4. ʰ *Quorum adoptio eſt filiorum*, Syr. Æth. *quorum eſt adoptio*. Arab. *quorum eſt filiatio*. Adoptio illa non ſpiritualis & Novi Teſtamenti propria, loquitur enim de Judæis excæcatis, ſed ea quâ filios Iſraël præ cæteris Gentibus ſibi Deus in peculium elegerat. *Gloria*, magnificentia operum divinorum, & præ aliis populis excellentia; idque per legem, prophetias, & admiranda Dei opera in illo populo exhibita, præſentiam Dei in templo & in arca, quæ vocatur in Scripturis gloria Dei. *Obſequium*, Gr. *cultus*.
5. ⁱ *Quorum patres*, quia nati ex patriarchis.
6. ᵏ *Non autem*, &c. non id dico quod exiſtimem excidiſſe, &c. *Verbum*, promiſſio de ſalute Iſraëlis. *Non enim*, &c. promiſſiones quæ ad Novum Teſtamentum pertinent, non ſpectant ad omnes carnaliter ex Iſraële progenitos. *Iſraëlitæ*, veri ac ſpirituales; imitando fidem ac opera Jacob.
7. ˡ *Qui*, Gr. Syr. Arab. *quia*. *Sed in Iſaac*, &c. ſupple, *dictum eſt ad Abraham*, quod dicit ut probet non omnes Abrahæ filios futuros participes promiſſionum divinarum, alioqui etiam ad Iſmaëlem pertinerent, & quemadmodum ad illum & alios ſecundum carnem Abrahæ filios non pertinebant, ſed ad Iſaac, &c. ſic non ad omnes carnaliter Judæos, ſed ad eos qui ſecundum fidem, &c. futuri erant Abrahæ filii.

8. ᵐ *Æſtimantur in ſemine*, Arab. *cenſentur progenies*, Syr. *habentur pro ſemine*. Senſus eſt, illa Dei promiſſio ad Abraham facta, quæ ſic diſcrevit inter ejus filios, ut Iſmaële poſthabito, ſolam poſteritatem Iſaac vellet vocari ſemen ejus, allegoricè nobis ſignificat, non habendos eſſe filios Dei, nec reputandos pro vero ſemine Abrahæ eos omnes & ſolos qui ſecundum carnem ex Abraham nati ſunt, ſed qui regenerati ſunt ſecundum Spiritum per gratiam fidei. Iſaac enim non tantùm naturæ ordine, imo hanc exceſſit ex promiſſione natus.
9. ⁿ *Secundùm hoc tempus*, Syr. *hoc ipſo tempore*, Æth. *promiſit enim indixitque ei tempus anni tanquam hodie*, &c. In hac allegoria populus Judaicus ortus ex Abraham ſecundum carnem cenſetur Iſmaël; populus verò fidelis ortus ſecundum fidem, vi promiſſionis hujus: *In te benedicentur*, omnes gentes terræ: figurat Iſaac ortum ſecundum promiſſionem.
10. ᵒ *Habens*, concipiens. Urget in diſcretam æqualitatem duorum, eò quod Judæi excipere potuiſſent, meritò rejectum fuiſſe Iſmaëlem, ut pote ex ancilla natum, unde dicit, *non ſolùm autem illa*, id eſt, non ſolùm in duobus filiis Abrahæ exhibita eſt nobis figura eorum qui futuri eſſent filii Dei, & qui non, &c. verum etiam Rebecca ex uno patre noſtro Iſaac conceptis duobus filiis ejuſdem rei typum nobis exhibuit.
11. ᵖ *Mali*, actualis. *Ut ſecundùm propoſitum*, &c. ut quod eſt ſecundùm electionem propoſitum Dei, &c. *Maneret*, firmum eſſet.
12. ᑫ *Ei*, Arab. *ad illam*. Æth. *Rebeccæ*.
13. ʳ *Serviet*, quæ ſervitus non impleta eſt tempore Eſaü ditioris & potentioris Jacob, ſed in poſteris eorum: verbi gratiâ, quando Idumæi deſcendentes ab Eſaü facti ſunt Judæorum tributarii tempore David. *Odio habui*, poſthabui, minus dilexi, neglexi, qui ſenſus probatur ex aliis ſcripturæ locis.
14. ˢ *Iniquitas*, Arab. *injuſtitia*.
15. ᵗ *Miſereor*, placet miſereri.
16. ᵘ *Igitur non volentis*, Arab. *itaque ſors non eſt ejus qui vult*. Non eſt electio. *Velle*, ſignificat actum internum, *currere*, externum.
17. ˣ *Dicit Scriptura*, Scriptura narrat dictum Pharaoni: hæc dicit Apoſtolus ut probet reprobationem ſine meritis juſtam eſſe, quia electionem gratuitam juſtam eſſe probavit, affertque teſtimonium de Pharaone, quo etiam utitur ut oſtendat Deum non facere niſi cum ratione quæ pro arbitrio & ſine cujuſquam injuria facere poteſt, dum illa ordinat ad finem manifeſtandæ ſuæ potentiæ.
18. ʸ *Indurat*, non inſpirando malitiam, ſed non dando gratiam quæ emolliat, & pœnitentiam ſubtrahendo.
19. ᶻ *Quid adhuc queritur*? Syr. *quamobrem arguit*? Arab. *cur igitur accuſat adhuc*? Si Deus quos vult eligit, & quos vult reprobat, cur conqueritur de hominibus? *Voluntati*, ſcilicet Dei.
20. ᵃᵃ *Reſpondeas*, ex adverſo reſpondeas. *Sic*, non ad modum fingendi, ſed ad qualitatem figmenti pertinet: reſpondet enim Apo-

21. An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in [a] honorem, aliud verò in contumeliam?

22.[b] Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum,

23. Ut oſtenderet divitias [c] gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

24.[d] Quos & vocavit nos non ſolùm ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus,

25. Sicut in Oſee dicit: [e] Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.

26. Et erit: In loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi.

Judæos quia ea legis operibus, non ea fide Chriſti quem rejecerant juſtitiam quærebant, probat relictos & reprobatos fuiſſe, Gentibus per fidem Chriſti juſtificatis & electis.

27. Iſaias autem clamat [f] pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.

28.[g] Verbum enim conſummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram:

29. Et ſicut prædixit Iſaïas: Niſi Dominus [h] ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.

30. Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, [i] apprehenderunt juſtitiam: juſtitiam autem, quæ ex fide eſt.

31. Iſraël verò [k] ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit.

32. Quare? [l] Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis,

33. Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis qui credit in eum, non [m] confundetur.

CAPUT X.

Judæi ſuam quæ ex lege eſt juſtitiam ſtatuere volentes, Dei juſtitiam quæ ex fide eſt non ſunt aſſecuti.

1.[n] FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, ſit pro illis in ſalutem.

2.[o] Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.

3. Ignorantes enim [p] juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.

4.[q] Finis enim legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.

5. Moyſes enim ſcripſit, quoniam juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, [r] vivet in ea.

Agit de diverſitate juſtitiæ ex operibus legis, ab ea quæ eſt ex fide,

6.[s] Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere:

7.[t] Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis revocare.

8. Sed quid dicit Scriptura? [u] Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.

9. Quia ſi confitearis in ore tuo [x] Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quòd illum Deus ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.

10.[y] Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

11. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in [z] illum, non confundetur.

Juſtitia ex fide tam Judæo

ſtolus non tam objectioni, quàm cauſæ objiciendi.

21.[a] *Honorem*, uſum honorificum. *Contumeliam*, vile miniſterium.

22.[b] *Quod ſi, &c.* quæ injuſtitia in Deo, ſi, &c. *Iram*, juſtam vindictam. *Suſtinuit*, Arab. *protulit*, Æth. *adduxit*, adducit in interitum dimittendo, excæcando, &c. *In multa patientia*, quia expectat ad pœnitentiam: hiſque verbis probatur quòd Deus non præparet ad peccata & merita damnationis. *Vaſa iræ*, quibus Deus utitur ad oſtendendam iram ſeu juſtitiam vindicativam. *Apta*, Gr. *adaptata*, Syr. *conſummata*. Arab. *apparata*. *In interitum*, ad interitum dicitur præparare, quia ab æterno præordinavit illis inferre interitum, & quia ſunt ex maſſa corrupta per peccatum primi hominis.

23.[c] *Gloriæ*, bonitatis, propter quam Deus glorificandus.

24.[d] *Quos & vocavit nos*, Syr. *nos ſcilicet vocatos*, Arab. *nimirum nos, quos vocavit.* Si non ſalvavit omnes ex maſſa perditionis, ſaltem quos ſalvavit, elegit ex Judæis & Gentilibus.

25.[e] *Vocabo*, vocat tali prælatione, dum id facit eſſe quod nominat: hæc verò affert ut probet electos ex Gentibus.

27.[f] *Pro Iſrael*. Syr. *de filiis Iſrael*. Hunc locum adducit, ut probet electos etiam quoſdam ex Judæis. *Reliquiæ*, pauci, pars quædam. *Salvæ fient*, quos invenerit in fine mundi, omnes ſalvi fient, licèt fuerint ut arena maris, quia quos eligit ex Gentibus, ſucceſſivè eligit quandiu durat Eccleſia, Judæos eliget in fine mundi omnes, quia verbum breviatum faciet.

28.[g] *Verbum*, rem de qua loquutus eſt Deus per prophetam: decretum de ſalute Judæorum. *Conſummans & abbrevians*, Deus redigens Iſraëlem ad brevem & acciſum numerum, ita ut penè conſumatur. *In æquitate*, juſto judicio. *Quia verbum, &c.* repetitio prioris membri. Quemadmodum tempore Sennacherib pauci admodum in Jeruſalem à communi excidio liberati ſunt, ſic pauci etiam ex Judæis in Eccleſia Chriſtiana ſalvi fient.

29.[h] *Sabaoth*, Syr. *exercituum*. Hæc revelativè ad Judæos qui tunc convertebantur per Apoſtolos, qui pauci numero erant: unde alludit ad verba prophetæ, qui dicit quod niſi Deus in diſperſione & ruina populi Judaici, &c. ſimilis factus fuiſſet reliquiis Sodomæ, &c. ex quibus ſola familia Lot ſalva facta eſt; unde reliquit ſemen, ut in fine mundi omnes ex Judæis ſalvi fiant.

30.[i] *Apprehenderunt juſtitiam*, juſtè viæ erunt, & juſtificatæ ſunt. *Juſtitiam ex fide*, credidemnt in Chriſtum propitiatorem, quod Judæi non fecerunt. Concluſio eſt aſſertionis ſuſceptæ, quâ probare voluit inutilitatem operum legalium.

31.[k] *Sectando legem juſtitiæ*, accepta Dei notitia, legem ſibi ab eo datam, qua vera juſtitia præcipitur: vel, juſtitiam legis. *In legem juſtitiæ, &c.* non pervenit ad eam juſtitiæ legem implendam.

32.[l] *Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus*. Arab. *quia non quæſivit eam ex fide, ſed quaſi ex operibus legis.* *Quaſi*, non ut minuat ſenſum, ſed ut meliùs affirmet.

33.[m] *Confundetur*, ſpe fruſtratur.

1.[n] *Fratres*, alloquitur Judæos qui jam Chriſto nomen dederant. *In ſalutem*, Syr. *ut ſerventur*.

2.[o] *Teſtimonium perhibeo*, planè affirmo. *Æmulationem*, Gr. Syr. Arab. Æth. *zelum*. Voluntatem Deo ſerviendo. *Non ſecundum ſcientiam*, neſcientes quâ ratione quærenda ſit juſtitia quâ Deo verè placere poſſint.

3.[p] *Juſtitiam Dei*, quæ in remiſſione peccatorum & reconciliatione cum Deo conſiſtit, & quæ non datur niſi per fidem in Chriſtum. *Ignorantes juſtitiam*, illam quæ hominem coram Deo juſtum reddit, & cujus Deus in nobis author eſt; & eam quæ habetur, propriis viribus ſolâ legis cognitione adjutis, ſtatuere conantes. *Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, & participes, quia juſtitiam hanc non aſſequitur, niſi per humilitatem fidei, ſe Deo ut autori juſtitiæ ſubjicit.

4.[q] *Finis*, ſcopus, & præcipuè intentum, quia per eum, dum in eum creditur ut in propitiatorem, lex impletur & vera juſtitia acquiritur. *Ad juſtitiam omni credenti*, Arab. *ad juſtitiam, quâ juſtificetur quicumque credit in eum.*

5.[r] *Vivet in ea*, cum adimpleverit legis mandata, vivet vitâ æternâ: juſtitiam autem quâ legem obſervet nemo conſequi poteſt, niſi per fidem in Chriſtum, quâ mediante gratiâ donis adjuvetur.

6.[s] *Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit*, Arab. *at verò de juſtitia quæ ex fide eſt, ſic dicit.* *Quis aſcendet, &c.* facilis eſt lex nec opus eſt aſcenſu in cœlum, aut deſcenſu in infernum, ut inde nobis juſtitia afferatur, &c. *Chriſtum deducere*, poſtulare ut è cœlo veniat ut credamus ei.

7.[t] Quæ Moyſes dixit de facilitate legis, Paulus ſenſu accommodatitio transfert ad Chriſtum. *Quis aſcendet in cœlum* ad deducendum inde Chriſtum? Hoc enim dicere, eſt impoſſibile reputare quòd Chriſtus deſcenderit de cœlo ut carnem aſſumeret, quomodo naturaliter impoſſibile eſt homini aſcendere in cœlum, atque inde aliquid huc adducere: neque dicas: *Quis deſcendet* in profundum ad reducendum Chriſtum a mortuis, atque ab inferis ad vitam? Nam hoc dicere, eſt impoſſibile reputare quod Chriſtus reverſus ſit ab inferis, atque à mortuis reſurrexerit, quomodo naturaliter impoſſibile eſt ut quis deſcendat ad inferos & inde aliquid huc reducat.

8.[u] *Propè eſt verbum in ore & in corde*, probè cognitum, & certò creditum. *Hoc eſt*, tale eſt. *Verbum fidei*. Evangelium quo fides in Chriſtum annuntiatur, & quam prædicamus ut neceſſariam ad juſtitiam conſequendam: illa autem prope eſt in ore & corde.

9.[x] *Dominum Jeſum*, deſcendiſſe de cœlis & hominem factum, quod opponitur dubitationi, *quis aſcendet in cœlum*, &c. ſicut & altera pars opponitur iſti, *quis deſcendet in abyſſum.*

10.[y] Syr. *Cor enim quod credit in eum, juſtificatur, & os quod confitetur eum, ſervatur*

11.[z] *Illum*, Deum nitendo veritati promiſſorum ejus.

quam Gentil. in Chriſtum credenti communis eſt.

12. Non enim eſt diſtinctio Judæi & [a] Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.

13. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

Docet fidem eſſe ex auditu, cujus fidei prædicatio in omnem terram pervenit.

14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, [b] quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?

15. Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur? [c] ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

16. Sed non omnes [d] obediunt Evangelio. Iſaïas enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro?

17. Ergo fides ex auditu, [e] auditus autem per verbum Chriſti.

Fidei prædicationem repulſam a Judæis Gentes ſuſceperunt.

18. Sed dico: [f] Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

19. Sed dico: Numquid Iſraël [g] non cognovit? Primus Moyſes dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam.

20. Iſaïas autem [h] audet & dicit: Inventus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.

21. [i] Ad Iſraël autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

CAPUT XI.

Ex Iſraëlitico populo quoſdam gratuitâ Dei electione ſalvatum iri docet.

1. DIco ergo: Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin.

2. Non repulit Deus plebem ſuam, quam [k] præſcivit. An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversùm Iſraël?

3. Domine, prophetas tuos occiderunt, [l] altaria tua ſuffoderunt; & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.

4. Sed quid dicit illi divinum reſponſum? Reliqui mihi [m] ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.

5. Sic ergo & in hoc tempore [n] reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.

6. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.

7. [o] Quid ergo? Quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt.

8. Sicut ſcriptum eſt: [p] Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem.

Cæteris excæcatis, ac in eorum locum Gentibus aſſumptis.

9. Et David dicit: Fiat [q] menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.

10. [r] Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurva.

11. Dico ergo: Numquid ſic offenderunt [s] ut caderent? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus ut illos æmulentur.

12. Quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium: [t] quanto magis plenitudo eorum?

13. Vobis enim dico Gentibus: [u] Quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo,

14. Si quo modo ad æmulandum provocem [x] carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.

15. Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: [y] quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?

16. Quòd ſi [z] delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.

12. [a] *Græci*, Æth. *Gentilis*.
14. [b] *Quem non*, Syr. Arab. *de quo non*. Ex invocatione colligit fidem, ut ſic probet ex fide juſtitiam eſſe & ſalutem.
15. [c] *Sicut ſcriptum eſt*, de quibus ad prædicandum miſſis ſcriptum eſt.
16. [d] *Obediunt*, Gr. Syr. Æth. *auſcultaverunt*, Arab. *obedverunt*. *Auditui*, Æth. *ſermoni*. Hebraiſm. ſermoni audito. Loquitur enim de Judæis, quibus primum prædicari oportuit.
17. [e] *Auditus*, ut audiant. *Per verbum Chriſti*, debet Chriſtus prædicari: loquitur hic de fide actuali. *Chriſti*, de Chriſto. Gr. Syr. Arab. *Dei*.
18. [f] *Numquid non audierunt?* Hæc de Judæis dici probabilius eſt, cùm de reprobatione illorum agatur.
19. [g] *Non cognovit*, ſupplendum *cognovit certè converſionem Gentilium*. *Ad æmulationem vos adducam*, Gentilem populum hactenus ob ignorantiam veri Dei meritò à vobis contemptum, tantis afficiam beneficiis ut eorum felicitas ad invidiam & indignationem vos provocet, ex quo ſequitur quod dicerat ab Iſraële cognita bona per Evangelium annuntiata: non enim invidere poterat quæ non cognoſcebat. *In non gentem*: *in gentem*, Arab. Æth. *per non gentem*. *In iram vos mittam*, provocat ad iram & invidiam, quia præſtat ea beneficia ex quibus alii capiunt occaſionem invidendi.
20. [h] *Audet & dicit*. Arab. *dicere audet*. Audenter dicit, de converſione Gentilium ad Evangelium. *Palam*, non per ſpeciem, ſed per fidem. *Qui me*. Syr. Arab. *qui de me*.
21. [i] *Ad Iſrael*, Arab. *Iſraelem verò compellans*. De Iſraël: vel, adverſus Iſraël.
2. [k] *Præſcivit*, prædilexit. *In Elia*. Syr. *de Elia*. Arab. *in hiſtoria Eliæ*, Æth. *quod dicit Elias*, *quum interpellavit*, &c. *Interpellat*, Arab. *invocavit*, ad judicandum invocat. *Iſrael*, decem tribus.
3. [l] *Altaria tua*, quæ ſubvertebant odio cultus Dei: nam alioqui fas non erat ſacrificium offerre Deo niſi in uno loco quem Deus ad hoc delegerat: erecta vero erant à veris Dei cultoribus, ne ſine cultu Dei remanerent, quia prohibitum erat ire Jeruſalem. *Solus*, cultor tuus.
4. [m] *Septem millia*, numerus finitus pro indefinito.
5. [n] *Reliquiæ*, reliqui ſunt, pauci quidam remanſerunt. *Secundùm*, Syr. Æth. *per*. *Electionem gratiæ*, electionem Dei gratuitam.
7. [o] *Quid ergo?* ſequitur ex dictis. *Quod quærebat*, juſtitiam quam quærebat. *Electio*, prædictæ reliquiæ electæ. *Cæteri*, Judæi.
8. [p] *Dedit*, non influendo malitiam, ſed permittendo & non apponendo gratiam. *Compunctionis*, Syr. *ſtupiditatis*, Æth. *corporis*. Velut ſi clavis affixus eſſet ille corpor. *Ut*, conſecutive, non cauſaliter accipiendum. *Uſque in hodiernum diem*, hoc additum a Paulo, niſi locus ille ſit Deut. c. 29.
9. [q] *Menſa*, altare templi, cujus zelo moti Evangelium reſpuerunt: vel, Evangelium quod velut opponitur illis. *In laqueum*, quæcumque optant in hac vita, vertantur in interitum. *Captionem*, quo capiantur. *Retributionem*, retaliationem, & juſtam vindictam præcedentium delictorum.
10. [r] *Obſcurentur*, &c. quemadmodum prior pars de ſpirituali cæcitate intelligenda eſt, ſic & poſterior de ſpirituali ſervitute, id eſt, nihil cœleſte ſapiant, &c.
11. [s] *Ut caderent*, abſque ſpe reparationis. *Salus eſt*, Syr. *obvenit*, Arab. *facta eſt*. Contigit Gentibus, in hoc ut eos ad æmulandum provocaret. *Illos*, Gentiles. *Æmulentur*, dum vident promiſſa patribus ſuis facta, & à ſe neglecta, transferri ad Gentes.
12. [t] *Quanto magis*, &c. Arab. *quantò magis competit hoc perfectioni illorum!* Æth. *quantò magis igitur ſient hæc cùm fuerint juſtificati?* Quantò magis valebit ad confirmandam & dilatandam in Gentibus fidem converſio populi Judaici?
13. [u] *Quamdiu*, Gr. Æth. *in quantum*, quatenus, non Syr. Arab. *Miniſterium meum honorificabo*, quia illud graviter obeo, & celebre reddo, ſi ex Gentium converſione Judæi æmulentur & convertantur.
14. [x] *Carnem meam*, carnem ſuam vocat Judæos propter cognationem carnis.
15. [y] *Quæ aſſumptio*, &c. Syr. *quidnam ergo erit eorum reſtitutio, niſi vita ex mortuis?* *Vita ex mortuis*, ſpiritualis vivificatio Gentium a morte peccati reſurgentium: vel, quia mortui omnes, & Judæi increduli & Gentiles, vivent.
16. [z] *Delibatio* . . . *radix*, patriarchæ. *Sancta maſſa* . . . *& rami*, non quòd ſanctitatem in ſe habeant, ſed quia habent unde ſanctificentur: vel, habent habilitatem ad converſionem, &c. Hæc quæ ſequuntur eo pertinent ne ab Gentibus vocati, Judæos ideo quod legalibus addicti eſſent, à ſe ſegregarent: nam ſicut Ebionis ſpiritus inter Judæos, ita ſpiritus qui poſtea Marcionem agitavit, inter Chriſtianos è Gentibus factos, incipiebat oſtendere.

Gentiles monet, adductâ ſimilitudine oleaſtri & olivæ, ne glorientur adversùs Judæos.

17. Quod ſi aliqui ex ramis [a] fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es,

18. Noli gloriari adversùs ramos. Quòd ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed [b] radix te.

19. Dices ergo: [c] Fracti ſunt rami ut ego inſerar.

20. Benè: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas; noli altum ſapere, ſed [d] time.

21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat.

22. Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris [e] in bonitate, alioquin & tu excideris.

23. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.

24. Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & [f] contra naturam inſertus es in bonam olivam; quantò magis ii, qui ſecundùm naturam inſerentur ſuæ olivæ.

Futurum aliquando ut Judæi miſericordiam conſequantur.

25. Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc [ut non ſitis vobis ipſis [g] ſapientes] quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret,

26. Et [h] ſic omnis Iſraël ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt. Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem à Jacob.

27. [i] Et hoc illis à me teſtamentum: cùm abſtulero peccata eorum.

28. [k] Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos: ſecundùm electionem autem, chariſſimi propter patres.

29. [l] Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.

30. Sicut enim aliquando & vos non crediſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis [m] propter incredulitatem illorum.

31. Ita & iſti nunc non crediderunt [n] in veſtram miſericordiam: ut & ipſi miſericordiam conſequantur.

32. Concluſit enim Deus [o] omnia in incredulitate: ut omnium miſereatur.

Sapientiæ divinæ profunditatem exclamans admiratur.

33. O altitudo [p] divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!

34. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?

35. [q] Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

36. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & [r] in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. Amen.

CAPUT XII.

Hortatur ad novitatem vitæ, & ut à vanitate ſæculi abſtracti, totos ſe Deo dedant.

1. Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile [s] obſequium veſtrum.

2. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini [t] in novitate ſenſus veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

3. [u] Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quàm oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.

Docet omnes fideles eſſe unum corpus è multis conſtans membris quorum variæ ſunt operationes.

4 Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent:

* Monet ut intra limites doni à Deo dati quiſque ſe contineat.

* 5. [x] Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

6. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſive [y] prophetiam ſecundùm rationem fidei,

17. [a] *Fracti*, Syr. *amputati*, Gr. *defracti*.

18. [b] *Radix te*, omnis ſalus tua referenda eſt ad illum populum, propter eorum majores ipſo Salvatore atteſtante, Joannis c. 4. *Salus ex Judæis eſt.*

19. [c] *Fracti*, ut v. 17. idem v. 20.

20. [d] *Time*, ne aliquando per infidelitatem ab ea excidas.

22. [e] *In bonitate*, non tua, ſed Dei, id eſt, in eo ad quod Dei benignitate vocatus es.

24. [f] *Contra naturam*, Syr. *præter naturam tuam*, Æth. *plantavit te in illud quod non erat de natura tua. Secundùm naturam*, &c. Judæi qui naturales ſunt rami.

25. [g] *Sapientes*, Gr. *arrogantes. Ex parte*, parti populi Iſraëlitici. *Iſraël*, Iſraëlit. *Intraret* in Eccleſiam fidelium.

26. [h] *Sic*, Syr. *tunc*, Æth. *tam. Omnis*, major pars, & fere omnis. *Salvus fieret*, Gr. Syr. Æth. *ſervabitur.* Salvus erit. *Ex Sion*, in Sionis gratiam. *Avertat impietatem*, à jugo peccati liberet.

27. [i] *Et hoc illis à me teſtamentum*. Syr. *tuncque habebunt fœdus illud quod eſt à me.* In eo teſtamentum, fœdus hoc implebitur, quod auferam peccata non aliquorum è populo ſed ipſius populi.

28. [k] Qui Judæi, quantùm attinet ad cauſam Evangelii cui pertinaciter adverſantur, exoſi ſunt Deo, & hoc propter veſtram ſalutem, quam Deus operari voluit ex occaſione Evangelii a Judæis rejecti; unde eis inſultare non debetis. Sed ſi conſideretur electio divina, quæ aliquando implebitur, &c.

29. [l] Syr. *Non enim revocat Deus donum ſuum, vocationemque ſuam. Pœnitentia*, variatione. *Dona*, non omnia omnino, ſed quæ pendent ab electione & abſoluta ſunt.

30. [m] *Propter incredulitatem*, quæ occaſionaliter fuit veſtra ſalus.

31. [n] *In veſtram miſericordiam*, Arab. *ut vos miſericordiam impetretis*, Gr. *veſtra miſericordia*, Syr. *miſerationibus quæ in vos evaſerunt.* Sicut vos Gentiles aliquando increduli Deo, licèt nullæ vobis factæ eſſent promiſſiones, tamen adducti eſtis ad fidem occaſione incredulitatis Judæorum: ita de Judæis, quibus factæ ſunt promiſſiones exiſtimandum eſt, quod ideirco permiſſi ſunt in hanc incredulitatem incidere, quià noluerunt agnoſcere beneficium Dei per Chriſtum ad Gentiles pertinere, ut & ipſi Dei miſericordiam adducentis eos ad fidem, aliquando experiantur, hæc verò dicuntur, ut neutri alteri exprobrent.

32. [o] *Omnia*, omnia genera hominum, Judæos & Gentiles. *Incredulitate*, in Gentibus, ignorantia veri Dei; in Judæis, oppoſitio adversùs Evangelium. *Ut*, conſecutive non cauſaliter accipiendum. Ut eſſet locus ejus in omnes miſericordiæ.

33. [p] *Divitiarum*, plenitudinis. *Sapientia*, quæ de divinis. *Scientia*, quæ de creatis. *Judicia*, quæ mente facere decrevit de ſingulis hominibus. *Viæ*, rationes per quas decreta ſua Deus ad exitum perducit.

35. [q] Arab. *Aut quis præveniens dedit ei aliquid ut pro ipſo reddat ei?* his verbis probare vult Apoſtolus neminem ullo ſuo merito beneficentiam Dei prævenire poſſe.

36. [r] *In ipſo*, Arab. *ad ipſum*, propter ipſum.

1. [s] *Obſequium*, Gr. *cultum.*

2. [t] *In novitate ſenſus*, Syr. *per renovationem mentis. Voluntas*, quæ Deus velit a nobis. *Bona*, quia jubet bona. *Beneplacens*, jubet Deo placita. *Perfecta*, jubet perfecta: alludit ad hoſtias legales, quæ debebant eſſe bonæ, id eſt, craſſæ & elegantes. Beneplacentes, id eſt, ſine macula & impuritate legali. Perfectæ, id eſt integræ. Quod idem ad actiones Chriſtianas transfert, quas oportet eſſe bonas in ſe & ſine vitio; beneplacentes Deo propter rectitudinem intentionis: perfectæ in omnibus circumſtantiis, &c.

3. [u] *Dico*, præcipio, hortor. *Per gratiam*, Apoſtolici muneris. *Non plus ſapere*, Arab. *ne ſenſum ſuum efferat*, Æth. *ne ſuperbiamini.* Ne quis arroganter de ſe ſentiat, propter dona ſcilicet ſibi à Deo collata. *Sobrietatem*, Syr. *cum modeſtia. Menſuram fidei*, ſecundum normam quam fides & doctrina Evangelii præſcribunt. Vel, ſecundùm modum luminis ſupernaturalis a Deo communicatum.

5. [x] *Ita multi*, Syr. Arab. *ita & nos qui multi ſumus.* Quotquot ſumus fideles.

6. [y] *Prophetiam*, ſumitur hîc non tantùm pro prædictione futurorum, ſed etiam pro omni ſcientia occultorum, & explicatione myſteriorum. Qui prophetiæ donum habet utatur illo. *Secundum rationem fidei*. Syr. *pro menſura fidei ſuæ.* Sed melius ſecundùm congruentiam fidei, ita ut nihil dicatur, aut ulla interpretatio ſcripturæ fiat, quæ a regula fidei diſcrepet.

Digitized by Google

7. [a] Sive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina,

8. Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit [b] in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

Excitat ad multas pias actiones.

9. [c] Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono.

10. Charitate [d] fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes:

11. [e] Sollicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino ſervientes:

12. Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi inſtantes:

13. Neceſſitatibus ſanctorum [f] communicantes: hoſpitalitatem ſectantes.

14. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere:

15. [g] Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:

16. [h] Idipſum invicem ſentientes: non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos:

Vindictam prohibet, & beneficentiam præcipit etiam erga inimicos.

17. [i] Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

18. Si fieri poteſt, [k] quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes:

19. Non voſmetipſos [l] defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.

20. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, [m] carbones ignis congeres ſuper caput ejus.

21. [n] Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

CAPUT XIII.

Docet magiſtratibus parendum ut Dei miniſtris.

1. OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: [o] Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.

2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi [p] damnationem acquirunt.

3. Nam principes non ſunt, [q] timori boni operis ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.

4. Dei enim miniſter eſt tibi [r] in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.

5. Ideo [ſ] neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

6. [t] Ideò enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.

7. Reddite ergo omnibus debita: [u] cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Docet proximum diligendum, ad cujus dilectionem univerſa lex reducitur.

8. [x] Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum legem implevit.

9. Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces: [y] & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

10. Dilectio proximi malum non operatur. [z] Plenitudo ergo legis eſt dilectio.

Abjectis operibus tenebrarum dicit induenda eſſe arma lucis, adeoque ipſum Chriſtum.

11. [aa] Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cùm credidimus.

12. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

13. Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & [bb] æmulatione:

14. Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum; & carnis curam ne feceritis [cc] in deſideriis.

7. Syr. *Alius autem miniſterium habet, in miniſterio ſuo occupetur. & alius qui eſt doctor in doctrina ſua.* Doctorem vocat qui ſcripturæ duntaxat ſimplici interpretationi vacat, nec eam accommodat ad ſpecialem uſum auditorum. Hoc munus propriè eſt doctorum, & munus ſequens exhortandi eſt paſtorum. Qui ſenſus licèt bonus non debet alium qui ſe offert excludere.

8. [b] *In ſimplicitate*, cui incumbit officium diſpenſandi facultates Eccleſiæ & collectas fidelium diſtribuat eas bonâ fide, ſimplici & bonâ intentione, & ſine perſonarum acceptione. Supplendum ſemper *in eo maneat. Miſeretur*, miſerorum, pauperum, ægrotorum curam habet.

9. [c] *Dilectio*, Syr. Arab. *dilectio ſit*, Æth. *diligite. Odientes*, Syr. *odio habete*, Arab. *ſitis odio proſequentes.*

10. [d] *Fraternitatis*, Gr. Arab. *fraterna.*

11. [e] *Sollicitudine non pigri*, promptè & ex animo facientes officium, præſertim quo juvandus eſt proximus. *Spiritu ferventes*, ad exequendum ea quæ veſtri ſunt officii. *Domino*, Jeſu Chriſto.

13. [f] *Communicantes*, communia faciendo bona veſtra, quibus ſubleveris eorum inopiam.

15. [g] *Gaudere ... flere*, Gr. Syr. Æth. *gaudete... flete.* Gaudere moneo.

16. [h] *Idipſum invicem ſentientes*, eodem animo alii in alium affecti. *Prudentes*, arrogantes. *Apud voſmetipſos*, Syr. *propriâ opinione.*

17. [i] *Nulli malum pro malo reddentes*, hîc non tam prohibetur vindicta de qua verſ. 19. quam monetur abrogatam eſſe legem Talionis. *Providentes bona*, &c. quæ bona & honeſta ſunt agite & procurate, ita ut non tantùm Deo probentur in conſcientiis veſtris ſed etiam hominibus accepta ſint, nullique ſcandalum pariant.

18. [k] *Quod*, Syr. *quantum.*

19. [l] *Defendentes*, Gr. *ulciſcentes. Date locum iræ*, puniendi curam Deo relinquite, cedentes iis qui vobis iraſcuntur.

20. [m] *Carbones ignis congeres*, id ſi feceris, reddes eum graviori vindictæ obnoxium in judicio Dei, velut ſi coacerves ardentes carbones, &c. vel accumulatis in eum beneficiis, velut congeſtis carbonibus, excitabis in eo pœnitentiæ dolorem, ſimulque ſuccendes ad te redamandum. *Super caput ejus*, ſuper ipſum.

21. [n] *Noli vinci à malo*, noli vinci à malitia inimici tui, ut te ipſum ulciſci velis, ſed vince ejus malitiam tuâ beneficentiâ. *In bono*, Syr. *bonitate*, Æth. *bene agendo.*

1. [o] *Non eſt enim poteſtas*, quod in genere intelligi debet, id eſt, nullum poteſtatis genus. *Quæ autem ſunt*, Gr. *quæ autem exiſtentes poteſtates.*

2. [p] *Damnationem*, pœnam & à Deo, & à principibus.

3. [q] *Timori*, ad hoc conſtituti ut timorem incutiant. *Boni operis*, Syr. Arab. *bonis operibus*, Æth. *benè agentibus.*

4. [r] *In bonum*, in omne genus boni. *Vindex in iram*, ut juſtitiam exerceat vindicativam.

5. [ſ] *Neceſſitate ſubditi eſtote*, Syr. *neceſſe eſt nobis ut ſubjiciamur.*

6. [t] *Ideo*, &c. ad profitendam veſtram ſubjectionem. *Miniſtri enim Dei ſunt*, in conſervanda vobis pace & honeſtate publica, voſque à malefactoribus, &c. protegendo. *In hoc ipſum ſervientes*, Syr. *ſuper hujuſmodi rebus conſtituti*, Æth. *& ad hoc opus præſtentur.* Propter tributorum perceptionem miniſtrantes vobis, defendendo rem publicam.

7. [u] *Cui*, debetis. *Vectigal*, vectigalia pro mercibus dantur. *Timorem*, reverentiam.

8. [x] *Nemini*, &c. reddite cuique quod debetis, ſic, ut non amplius debeatis, uno debito charitatis excepto, cujus ſemper remanemus debitores. *Legem*, ſecundæ tabulæ, ut ex ſequentibus patet.

9. [y] *Et ſi quod eſt aliud mandatum*, Arab. *& quodvis aliud præceptum. Inſtauratur*, Gr. *recapitulatur*, Syr. *perficitur.* Summatim comprehenduntur.

10. [z] *Plenitudo*, Syr. *adimpletio. Proximi*, Gr. *proximo*, Syr. *proximum ſuum malo non afficit.*

11. [aa] *Et hoc ſcientes tempus*, Syr. *quin etiam hoc ſcitote, quod tempus eſt: & jam hora* Æth. *& hoc ſcitote advenisse tempus expergiſcendi.* Et hoc quod dixi de mutua dilectione exercenda, vel ob id agere debemus, quod ſciamus jam tempus eſſe, &c. *Credidimus*, ſalus nunc vicinior nobis eſt poſtquam magna pars vitæ nobis peracta eſt, quàm cùm primum credere cœpimus.

13. [bb] *Æmulatione*, Arab. Æth. *invidia.*

14. [cc] *In deſideriis*, Syr. *ad concupiſcentias*, Arab. *ad ejus illecebras propenſi*, Æth. *& concupiſcentiam corporis veſtri ne ſapiatis.*

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Docet in fide probe inſtructos fovere & non contemnere eos qui adhuc fide infirmi ſunt, nec hos nec illos judicare quemquam ob ciborum aut dierum legalium diſcrimen, ſcientes quòd omnes Chriſtum habeamus judicem, cui & vivimus & morimur.

1.[a] INfirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum.

2.[b] Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet.

3. Is qui [c] manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit.

4. Tu quis es, qui [d] judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

5. Nam alius [e] judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.

6. Qui [f] ſapit diem, Domino ſapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

7. Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur.

8. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.

9. [g] In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum, & vivorum dominetur.

10. [h] Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.

11. Scriptum eſt enim: [i] Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.

12. Itaque unuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo.

13. Non ergo ampliùs [k] invicem judicemus: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.

14. [l] Scio & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.

15. Si enim propter cibum frater tuus [m] contriſtatur: jam non ſecundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.

Quamquam nullus cibus ex ſe ſit immundus, firmus fide debet fide ſua contentus eſſe apud ſe, & nemo quid quam edere debet cum fratris offendiculo aut contra ſuam conſcientiam.

16. [n] Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.

17. [o] Non eſt enim regnum Dei, eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.

18. Qui enim [p] in hoc ſervit Chriſto placet Deo, & probatus eſt hominibus.

19. Itaque quæ pacis ſunt ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus.

20. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: ſed [q] malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.

21. [r] Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirma-

22. [ſ] Tu fidem habes? Penes temetipſum habe coram Deo: Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat.

23. Qui autem [t] diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

1. [a] *Infirmum autem in fide aſſumite, &c.* Syr. *ei verò qui eſt infirmus in fide, date manum: nec ſitis diſſidentes in cogitationibus veſtris.* Per infirmum in fide toto hoc capite intelligit Judæum, per firmum, Gentilem converſum: & agit de Judæis quibusdam fidelibus, qui tamen adhuc erant legis cæremoniis affecti, obſervabant ciborum genera & dies feſtos Judæorum, ignorantes libertatem Chriſtianam, & qui etiam in malam partem habebant fideles eos, quibus hæc omnia curæ non erant. *Non in diſceptationibus*, Arab. *dubiis*, non diſputando & contendendo, ſed ſublevando. *Cogitationum*, Gr. *di putationum*.

2. [b] Syr. *Eſt qui credit ex omni veſcendum eſſe: qui verò infirmus eſt, olus comedit*, Æth. *hic credit, omnia comedat: & iſte ſubdubitat oleribus veſcatur. Se manducare*, licite. *Olus*, nomine oleris vult intelligi quidquid lege Moſaicâ prohibitum non erat, nihil enim herbarum lege vetitum fuit.

3. [c] *Manducat*, quemlibet cibum. *Non manducantem*, hoc modo, ſed inter cibos diſcernentem. *Spernas*, tanquam iniquum, & præ ſe contemnat tanquam fortis imbecillem. Vel, vilem non habeat ejus ſalutem, ſcandalum ei ponendo, dum exemplo ſuo facit eum comedere contra conſcientiam. *Non manducans*, vetita lege, ſed inter cibos diſcernens. *Judicet*, Syr. *condemnet*. *Aſſumpſiſſet*, ad fidem, & in ſervum & cultorem, unde non eſt alio judicandus.

4. [d] *Judicas*, Syr. *condemnas*. *Judicas alienum ſervum*, tunc heri abſolute & in omnibus erant ſervorum domini. *Domino ſuo ſtat aut cadit*, non tuum eſt illum judicare, habet Dominum ſuum a quo abſolvetur ſi bene agat, aut condemnabitur ſi male. *Stabit*, imo tibi affirmo, quod non condemnabitur. *Potens eſt enim Deus*, illum judicio ſuo juſtificare; licèt homines in fide non ſatis inſtructi eum condemnent. *Statuere*, efficere ut ſtet.

5. [e] *Judicat diem inter diem*, Syr. *eſtimat diem præ die*. Æth. *religioſe obſervat diem præ die. Judicat omnem diem*, Æth. *religioſe ſentit de omni die.* Idem judicat de quovis die. Qui infirmus adhuc fide eſt, diem cum die comparat, ſabbata Neomenias, &c. adhuc obſervans: qui firmus eſt novit ſublatum eſſe illud Moſaicum diſcrimen. *In ſuo ſenſu abundet*, unuſquiſque in mente ſua plene perſuaſus ſit licere ſibi id quod facit, nihilque agat repugnante conſcientiâ.

6. [f] *Sapit*, Syr. *deligit*, Arab. *honorat*, curat, Æth. *obſervat*. *Domino*, ut placeat Domino. Vox Domini in ſcriptis Apoſtolicis ſemper ad Chriſtum referenda.

9. [g] *In hoc*, Syr. *propterea*. *Dominetur*, dominari cognoſcatur.

10. [h] *Tu*, infirmior fide. *Judicas*, Syr. *condemnas*. *Aut tu*, fortior fide.

11. [i] *Vivo ego*, memetipſum ac vitam meam atteſtor, verum eſſe hoc quod affirmo.

13. [k] *Invicem judicemus*, Syr. *alius alium condemnemus*, Arab. *ne quis ergo noſtrum alterum poſthac judicet. Hoc judicate magis*, bonum & obſervandum eſſe diſcernite & ſtatuite apud vos firmo animi judicio. Gentiles converſos alloquitur, nedum paſſim quibuſlibet cibis utimini, præbeatis offendiculum fratri infirmo, qui vos edentes judicare poterit, aut provocatus exemplo veſtro contra conſcientiam ſuam edere.

14. [l] Syr. *Novi ſiquidem & perſuaſum habeo per Dominum Jeſum, nihil eſſe profanum ex ſeipſo: ſed ei qui meditatur aliquid impurum eſſe, idee tantummodo eſſe impurum. In Domino Jeſu*, ſic inſtitutus ac edoctus à Domino Jeſu. *Commune*, quia aliis Gentibus commune erat, ſoliſque Judæis prohibitum. *Niſi*, ſed tantùm.

15. [m] *Contriſtatur*, habet occaſionem ſcandali & periculum peccati. Removetur objectio ſi nihil eſt immundum per ſe, cur igitur non utar quolibet cibo, &c. *Perdere*, ne occaſionem præbe perditionis illius.

16. [n] *Non ergo blaſphemetur, &c.* hæc libertas veſcendi quibuſlibet cibis, non ſit obnoxia maledictis infirmorum fratrum ac ſi eſſet licentia carnis.

17. [o] *Per regnum*, debet hìc intelligi illud quo regnare dicitur Deus in hominibus.

18. [p] *In hoc*, Gr. *in his*, Syr. *per hæc*, Arab. *in hujuſmodi ſemitis*, Æth. *ita*.

20. [q] *Malum*, Syr. Æth. *male*, Arab. *at illud homini malum eſt. Per offendiculum*, cum proximi ſcandalo.

21. [r] *Bonum*, melius. *Neque in quo*, Syr. *neque quicquam in quo*, Arab. *nec ullâ re alia per quam offenditur*: quando prorumpit in maledictiones, aut judicio contra comedentem. *Scandalizatur*, quando fidem ſuſceptam deſerit. *Infirmatur*, quando dubiis & tentationibus perturbatur.

22. [ſ] *Tu fidem habes*, quâ credas omnia eſſe munda, ac legem ceſſare per Chriſtum, proindeque licitum tibi eſſe veſci quibuſlibet. *Penes temetipſum, &c.* ſufficiat tibi quod fidem rectam habeas de cibis apud temetipſum & coram Deo. *Beatus, &c.* tranſit ad inſtructionem infirmi. *Beatus qui ſeipſum*, id eſt, quem propria conſcientia non condemnat *in eo quod probat*, id eſt, quod agendum eligit.

23. [t] *Diſcernit*, Gr. *at ambigens*, Syr. *dubitat, judicat quoſdam cibos vitandos. Manducaverit*, tales cibos. *Damnatus eſt*, nomen damnationis in ſcripturis generale eſt, & ſæpe extenditur ad pœnam venialis peccati. Unde ſi habet conſcientiam peccati mortalis, peccat mortaliter, ſi venialis, venialiter. *Quia non ex fide*, quia non edit cum ea animi perſuaſione quâ credat ſibi licitum hoc eſſe, &c. Fides enim hic accipitur pro illa perſuaſione, ut patet ex ſuperioribus. *Omne autem, &c.* quod quis agit perſuaſus hoc non ſibi licere, & contra rationis dictamen peccatum eſt.

CAPUT XV.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Caput hoc & ſequens quidam interpretum poſt ſcriptum dicunt.

Monet ut firmi ferant infirmos, non ſuæ, exemplo Chriſti, ſed proximorum utilitati, ac mutuæ paci ſtudentes.

1. DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis [a] placere.

2. Unuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.

3. Etenim Chriſtus [b] non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.

4. [c] Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.

5. [d] Deus autem patientiæ, & ſolatii, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Jeſum Chriſtum.

6. Ut [e] unanimes, uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

7. Propter quod [f] ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.

8. Dico enim Chriſtum Jeſum [g] miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum.

Docet Chriſtum Judæis juxta factas patribus promiſſiones, prædicaſſe, ipſis autem Gentibus, non prævijs promiſſionibus, ſed tantum ex miſericordia annuntiatum.

9. [h] Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo.

10. [i] Et iterùm dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus.

11. Et iterùm: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.

12. Et rurſus Iſaias ait: Erit radix [k] Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.

13. Deus autem [l] ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.

Erat pro Romanis, & excuſat ſe quod liberius ad ipſos ſcripſerit ex munere Apoſtolatus ſui, cujus fructum exponit.

14. [m] Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientiâ, ita ut poſſitis alterutrum monere.

15. Audaciùs autem ſcripſi vobis fratres [n] ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo.

16. Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu [o] in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.

17. Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu [p] ad Deum.

18. [q] Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo & factis:

19. In virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti: ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum [r] repleverim Evangelium Chriſti.

20. [ſ] Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt:

21. Quibus non eſt annuntiatum de eo, [t] videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

Pollicetur ſe venturum ad ipſos, ſimulatque collectam pauperibus deſtinatam pertulerit Jeruſalem.

22. Propter quod & impediebar [u] plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.

23. Nunc verò ulteriùs [x] locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis.

24. Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, [y] ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.

25. Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem [z] miniſtrare ſanctis.

26. Probaverunt enim Macedonia, & Achaïa, [aa] collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem.

27. Placuit enim eis: & [bb] debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare illis.

1. [a] *Placere*, quaſi præ aliis habeores.

3. [b] *Non ſibi placuit*, &c. ſua commoda quæſivit ita ut non curaret aliorum ſalutem; ſed infirmitates noſtras ſuſtinuit ſicut ſcriptum eſt, ob convitia eorum qui gloriæ tuæ derogantes tibi Pater æterne, convitiati ſunt, ita indolui, ut pro illis tanquam meis peccatis ad placandam iram tuam in eos, me humiliaverim uſque ad mortem: qua in re declaravi quantæ mihi curæ eſſet ſalus aliorum.

4. [c] *Quæcumque*, &c. quaſi rationem reddens, quare ſcripturam hanc allegaverit. *Ut per patientiam*, &c. Æth. *ut per patientiam noſtram & fiduciam in ſcripturis ſpem noſtram adipiſcamur. Patientiam*, ad quam ſcripturæ hortantur, & quam conferunt.

5. [d] Deus patientiæ & conſolationis author & donator det vobis, ut ſublatis diſſidiis quæ habetis inter vos, &c. idem inter vos mutuo ſentiatis ſecundùm doctrinam & voluntatem Chriſti.

6. [e] *Unanimes*, Syr. *una mente*.

7. [f] *Suſcipite*, ſupportate & inſtruite.

8. [g] *Miniſtrum fuiſſe circumciſionis*, per ſemetipſum Judæis prædicaſſe Evangelium idque pro veritate ſeu fide Dei præſtanda, id eſt, ut Deus verus eſſe cognoſceretur in promiſſis. Hæc autem dicit, ut oſtendat quæ fuerit populi Judaici prærogativa, atque adeo Gentiles qui legalium obſervatione non erant præoccupati, tolerarent ipſos, neque inſultarent quòd minus promptè recepiſſent Evangelium: ſicque capiat quâ ratione Chriſtus omnes ſuſceperit propter Dei honorem: Judæos ex juſtitia ob promiſſa, Gentiles verò ex miſericordia.

9. [h] *Gentes autem*, &c. dico gentes debere. Syr. *& ut gentes laudibus celebrent Deum pro miſerationibus, quæ in ipſas extiterunt ſicut*, &c.

10. [i] *Et iterùm*, &c. verba ſunt cap. 32. Deut. ſecundùm Sept. verſ. 43.

12. [k] *Jeſſe*, Syr. *ipſi Jeſſe*, Gr. *Jeſſe*, in genitivo. *Et qui exurget*. Arab. addidit: *ex ea*. Erit Chriſtus pullulans ex radice Jeſſe.

13. [l] *Spei*. Æth. *promiſſionum veſtrarum. Omni gaudio*, perfecto & pleno. *In credendo*, per fidem. *Et virtute*. Arab. *per potentiam*.

14. [m] *Certus ſum*, Gr. *perſuaſus*, Syr. Æth. *perſuaſum habeo*.

15. [n] *Ex parte*, Syr. *paululum. Tanquam in memoriam vos reducens*, Syr. *ut commonefacerem. Propter*, Gr. Syr. *per*.

16. [o] *In Gentibus*. Syr. Arab. Æth. *inter gentes. Sanctificans Evangelium*, Syr. *& inſerviam Evangelio*, Arab. *ſacerdotali munere exercens. In Spiritu*. Syr. Arab. Æth. *per Spiritum*. Loquitur metaphoricè, de ſe ſcilicet velut ſacerdote, quo ad opus attinet Evangelii prædicandi, & munus exercente velut ſacrificantis.

17. [p] *Ad Deum*, Syr. Æth. Arab. *apud Deum*, in his quæ ad Deum pertinent. Habeo per Jeſum Chriſtum de quo glorari poſſim apud Deum, ob ſucceſſum Evangelii à me prædicati.

18. [q] Syr. Arab. *Non enim auſim quicquam dicere quod non effecerit per me Chriſtus*, &c. Non ex aliorum operibus glorior ut pſeudo-Apoſtoli qui in alienis laudibus gloriantur. *Quæ non*, quam nihil non. *In obedientiam*, ut Gentes adducerem ad obediendum fidei.

19. [r] *Repleverim Evangelium*, more loquendi ſcripturæ familiaris: diffuderim, dilataverim, propagaverim.

20. [ſ] *Sic autem prædicavi*, &c. quod autem in tot locis prædicaverim, cauſa fuit, quod ut plurimum ſummopere ſtuduerim, non prædicare ubi Chriſtus jam annuntiatus, &c. *Sed ſicut ſcriptum eſt*, verum faciens quod ſcriptum eſt.

21. [t] *Videbunt*, lumen. *Intelligent*, doctrinam.

22. [u] *Plurimùm*, ſæpe numero.

23. [x] *Locum non habens*, vacuum à prædicatione ideoque nulla ſupereſt neceſſitas manendi. *His regionibus*, Achaia & Macedonia.

24. [y] *Si*, Syr. *quum*. *Ex parte*, aliquantùm.

25. [z] *Miniſtrare*, eleemoſynam collectam ex Gentibus.

26. [aa] *Collationem* eleemoſynarum ac dationem. *In pauperes ſanctorum*, Syr. *cum pauperibus in ſanctis*.

27. [bb] *Debitores ſunt eorum*. Æth. *æquum eſt ut ipſi retribuant eis*. *Carnalibus*, corporalibus bonis.

11. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, [a] in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

12. Non ergo regnet [b] peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.

13. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes: & membra veſtra [c] arma juſtitiæ Deo.

Docet cùm ſimus ſoluti à lege, & per Chriſti gratiam liberati à ſervitute peccati: immo ſervi facti juſtitiæ, debere nos tradere membra noſtra in obſequium illius, quæ prius tradideramus immunditiæ ad mortem.

14. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim [d] ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.

15. Quid ergo? [e] peccabimus quoniam non ſumus ſub lege ſed ſub gratia? Abſit.

16. Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive [f] obeditionis ad juſtitiam.

17. Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ [g] in quam traditi eſtis.

18. Liberati autem à peccato ſervi facti eſtis [h] juſtitiæ.

19. [i] Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

20. Cùm enim ſervi eſſetis peccati, [k] liberi fuiſtis juſtitiæ.

Docet quàm diſpar ſit utriuſque ſervitutis exitus.

21. Quem ergo fructum habuiſtis tunc [l] in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.

22. Nunc verò liberati à peccato, [m] ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.

23. Stipendia enim peccati mors, Gratia autem Dei, [n] vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

CAPUT VII.

Similitudine mulieris cujus vir defunctus eſt, docet fideles per Chriſtum ſolutos eſſe à lege, ut Deo fructificent, qui, quando ſub lege erant, morti fructificabant.

1. AN ignoratis, [o] fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit.

2. [p] Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri.

3. Igitur vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri; ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.

4. Itaque fratres mei, & vos [q] mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo.

5. Cùm enim eſſemus in carne paſſiones peccatorum, quæ [r] per legem erant operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.

6. Nunc autem ſoluti ſumus à [ſ] lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.

7. Quid ergo dicemus? [t] lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.

Non vitium legis, quæ in ſe bona eſt & ſancta, ſed concupiſcentiæ & peccati, quod per legem cognitum, ejuſdem occaſione magis excrevit.

8. Occaſione autem acceptâ [u] peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam; ſine lege enim peccatum mortuum erat.

9. Ego autem vivebam [x] ſine lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum peccatum revixit.

10. Ego autem [y] mortuus ſum: & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

11. [z] Nam peccatum occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.

12. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum

11. [a] *In*, Syr. Arab. Æth. *per*.

12. [b] *Peccatum*, fomes peccati, concupiſcentia, quæ peccatum dicitur quia ad illud inclinat.

13. [c] *Arma*, inſtrumenta, ut ſint in inſtrumenta ad peccandum. *Peccato*, ad executionem peccati. *Deo*, ad Dei obſequium. *Ex mortuis viventes*, a morte culpæ ad vitam gratiæ ſuſcitati.

14. [d] *Sub lege*, &c. legem puram & ſolam intelligit ſine fide & gratia. Lege jam abolitâ & tranſlati ad gratiam Chriſti, cui eſtis incorporati per baptiſmum, eſtis a dominio peccati liberi.

15. [e] *Peccabimus*, quia non ſumus legis vinculo aſtricti: vel, ut gratia Dei magis commendetur.

16. [f] *Obeditionis ad juſtitiam*, obedientiæ divinorum mandatorum, ad hoc ut juſti ſitis: vel, fidei, cujus obedientia præſtat juſtitiam.

17. [g] *In quam*, &c. Syr. *cui*, Arab. *quæ tradita eſt vobis*.

18. [h] *Juſtitiæ*, in dativo Græcè. Mancipati eſtis juſtitiæ.

19. [i] *Humanum dico*. Syr. *ſicut inter homines loquor*. Æth. *more hominum loquimur inter vos*. Rem humanis viribus gratiâ adjutis facilem vobis propono. *Ad iniquitatem*, inique agendo. *In ſanctificationem*, ſanctè vivendo.

20. [k] *Liberi juſtitiæ*, à juſtitia alieni.

21. [l] *In illis*, Syr. *ex eo*. *In quibus*. Æth. *ecce de eo*. De quibus.

22. [m] *Servi facti Deo*, mancipati Deo. *In ſanctificationem*, ipſam ſanctificationem.

23. [n] *Vita æterna*, vitam æternam confert. *In Chriſto*, Syr. Arab. *per Chriſtum*.

1. [o] *Fratres*, loquitur Judæis converſis. *Lex*, loquitur de lege Judæis propria. *Quanto tempore vivit*, tranſl. Eraſmi *quoad ipſa vixerit*.

2. [p] *Nam*, &c. comparat legem viro, & Judæos legi ſubjectos, mulieri: hic autem reſpicit ad legem conjugii in paradiſo inſtitutam, quod enim lex Moſaica repudium permitteret, hoc non approbative ſed permiſſive fiebat: præterea mulieri non erat divortium ea lege licitum, ſed ſoli viro.

4. [q] *Mortificati eſtis legi*, à debito legis veteris ſoluti: exemplum de viro & muliere applicat inſiſtens, lex Moyſi cui vos mortui eſtis, & ipſa viciſſim vobis mortua, nihil amplius in vos juris habet, loquitur de lege, ut à gratia diſtinguitur minante, accuſante, damnante, puniente, &c. *Per corpus Chriſti*, per hoc quod incorporati eſtis Chriſto, tanquam conjuncti alteri viro. *Fructificemus*, ſicut uxores debent fructificare viris ſuis non alienis, ita & vos Deo, &c.

5. [r] *Per legem*, ab occaſione. *Operabantur*, paſſivè accipiendum ex Græco, vigebant, Syr. *concitabantur*. Quando eramus in ſtatu veteris & carnalis hominis, cujuſmodi ſunt omnes qui ſunt ſub lege, motus ac deſideria peccandi quæ excitantur per legem, eò quòd prohibitio auget deſiderium, exercebantur & ipſo opere complebantur in membris noſtris. *Morti*, opera morte digna.

6. [ſ] *Lege mortis*, quia ex occaſione mortem ſpiritalem inferebat augendo culpam ratione tranſgreſſionis, & incitando concupiſcentiam. *Novitate ſpiritus*, novitate vitæ quam facit Spiritus ſanctus. *Vetuſtate litteræ*, vetuſtate vitæ quam lex ſcripta adeo non aufert, ut per occaſionem augeat, litteram legis ſolam ſine ſpiritu ſequendo.

7. [t] *Lex peccatum eſt? abſit.* Lex peccatum non eſt, ſed ad bonum ordinatur, cùm per eam diſcernatur inter bonum & malum. *Concupiſcentiam neſciebam*, neſciebam latentem in corde concupiſcentiam eſſe peccatum, quia Judæi ſolis operibus externis ſe peccare putabant, concupiſcentiam autem intelligit generaliter pro prava inclinatione totius appetitus humani.

8. [u] *Peccatum*, concupiſcentiæ vitium in me latens, quod hîc vocat peccatum, occaſione mandati acceptâ, per illud ipſum excitavit & produxit in me omne genus pravorum deſideriorum. *In me*, in Iſraelitis carnalibus, de quibus in perſona mea loquor, & ſic infrà: vel, in toto genere humano. *Mortuum*, quaſi mortuum, quia non cognoſcebatur, & vires ſuas non tam acriter exerebat.

9. [x] *Sine lege*, ante tempus Moyſis. *Aliquando*, Syr. Arab. Æth. *quondam*, loquitur nunc Apoſtolus in perſona hominis communiter. *Revixit*, excitatum eſt, & rebellare vigereque cœpit, duobus modis quibus è contrario prius dictum eſt ſine lege mortuum.

10. [y] *Mortuus*, morte ſpirituali, ſed manifeſta propter manifeſtam tranſgreſſionem legis, quæ mors prius erat latens, vel, pœnæ mortis obnoxius latæ contra tranſgreſſores legis.

11. [z] *Nam peccatum*, &c. non quòd antea juſtus eſſem, ſed quia longius abduxit à via juſtitiæ falſo ſe libertatis contra prohibitiones legis.

ſanctum,

Digitized by Google

ſanctum, & juſtum, & bonum.

13. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed [a] peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

Deſcribit pugnam exterioris & carnalis hominis cum interiore, & qualiter homo mente ſerviat legi Dei, carne verò legi peccati: quo etiam argumento utitur ut probet legem ſanctam & ſpiritualem eſſe.

14. Scimus enim quia [b] lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato.

15. Quod enim operor non [c] intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.

16. [d] Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi quoniam bona eſt.

17. [e] Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

18. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. [f] Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.

19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.

20. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me [g] peccatum.

21. [h] Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet:

22. Condelector enim legi Dei ſecundùm [i] interiorem hominem:

23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

24. Infelix ego homo, quis me liberabit [k] de corpore mortis hujus?

25. Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei; carne autem legi peccati.

CAPUT VIII.

Docet iis qui ſunt in Chriſto nihil damnationis eſſe reliquum, ut qui damnato per Chriſtum peccato, non carnem ſectentur, ſed ſpiritum quem acceperunt.

1. [l] NIhil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.

2. [m] Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis.

3. [n] Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne,

4. Ut [o] juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.

5. Qui enim ſecundùm carnem ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt.

6. Nam [p] prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax.

7. Quoniam [q] ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.

8. [r] Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

9. [ſ] Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.

10. Si autem [t] Chriſtus in vobis eſt: corpus qui-

13. [a] *Peccatum*, concupiſcentia. *Itaut appareat*, non enim cauſam finalem, ſed eventum denotat. *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem*, ſed peccatum, ut appareat quale quantumque ſit malum, per legem quæ in ſe bona eſt. *Operatum eſt mihi mortem*, factum eſt mihi mors. *Ut fiat ſupra modum, &c.* Syr. *ut magis pœnæ obnoxium eſſet peccatum per præceptum.* Adeoque illud ipſum peccatum in me latens, occaſione mandati factum eſt tanquam ingens peccator, dum in me operatur omnem concupiſcentiam, & in apertam prævaricationem impellit. *Peccans*, peccare faciens: vel, peccatum reiteratum, & multiplicatum.

14. [b] *Lex ſpiritualis eſt*, quia præcipit ea quæ hominem ſpiritualem & juſtum reddant. *Carnalis ſum*, exponendum de Judæis ſub lege carnalibus. *Carnalis*, non mente, ſed carne concupiſcente contra ſpiritum: hæc etiam de ſe & de omnibus juſtis in lege gratiæ conſtitutis, dicit Paulus, ut ex ſequentibus clarius erit. *Venumdatus ſub peccato*, venditus in ſervientem peccati velut domini, hæc autem dicit contra criminationem quam Judæi facere poterant contra fidem in Chriſtum, quia ſicut lex, non extinguit concupiſcentiæ motus.

15. [c] *Intelligo*, probo ad affectum enim non ad intellectum referendum eſt. *Quod volo*, ut non concupiſcam. *Quod odi*, concupiſcere, & in hoc diſtinguit Judæum à fideli.

16. [d] Arab. *Si ergo quod non approbo, hoc facio, ingenue fateor legem eſſe bonam.*

17. [e] *Nunc autem, &c.* quoniam renovatus per gratiam legi conſentio, nunc non amplius ego operor malum, ſicut faciebam conſtitutus ſub lege, non enim operor ex imperio & conſenſu rationis, immo potius patior quam operor: ſed concupiſcentia mihi inſita pravos motus excitat in me non conſentiente. Supponit ſemper Judæum conſentientem, & murmurantem contra legem, in quo tota diſparitas Judæi & fidelis.

18. [f] *Nam velle, adjacet*, Syr. *nam ut velim bonum, facile quidem mihi eſt, at illud exequar impotens ſum.* Hic nomine boni debet intelligi, totum bonum quod volumus, ſcilicet non concupiſcere, quod vero Philip. c. 2. dicitur *Deus operari velle & perficere*, de bonis operibus quæ fiunt à nobis in hac vita intelligi debet.

20. [g] *Peccatum*, concupiſcentia, contra quam militat fidelis, cui obedit Judæus voluntate per legem inflammata: præterea in peccatum inhabitans omnem culpam merito derivat, non ut renatos excuſet, ſed ut ad lucta ſua animet.

21. [h] *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum*, Syr. *comperio ergo hanc legem conſentientem menti meæ volenti bene agere.* Legem accipit hic ſicut & multis locis ſequentibus pro eo omni quod incitat ad aliquid, ſicut lex facit minis & promiſſis. *Quoniam*, quod. Invenio in me legem ſeu inclinationem quandam quâ ſcilicet malum mihi adjacet, & faciendum tanquam lege ingeritur, in me, inquam, volente facere quod bonum eſt.

22. [i] Per *interiorem hominem*, intelligit hic Paulus mentem, non autem hominem novum aut renovatum.

24. [k] *De corpore mortis hujus*, ex hoc corpore morti obnoxio.

1. [l] *Nihil damnationis*, Gr. Syr. Arab. Æth. *nulla condemnatio.* *Qui ſunt in Chriſto*, qui inſiti ſunt Chriſto: per baptiſmum, quamvis adhuc carne ſerviebant legi peccati, jam nullum amplius habent peccatum, neque propter illud ulli pœnæ amplius obnoxii ſunt: illi inquam, qui concupiſcentiæ motibus ſeu deſideriis non obſequuntur.

2. [m] *Lex ſpiritus*, quia per Spiritum ſanctum inſcribitur cordibus noſtris. *Vitæ*, quia ſpiritus ille vitam tribuit. *In Chriſto Jeſu*, Arab. Æth. *per Jeſum Chriſtum*, quod referendum ad *liberavit*, quia lex peccati mihi non dominatur amplius, cùm prava ejus motibus non conſentiam, reatuſque ejus baptiſmo ſolutus ſit. *Me*, Judæos fideles quos nomine meo intelligo. *Mortis*, quo nomine reliquæ etiam peccati pœnæ comprehenduntur.

3. [n] Syr. *Nam quum impotens eſſet lex propter infirmitatem carnis, miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccatis propter peccatum, ut reum perageret peccatum in carne ipſius.* Tranſl. Eraſmi, *Etenim quod lex praſtare non poterat, ea parte quâ imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio Filio miſſo ſub ſpecie carnis peccato obnoxia præſtitit, ac de peccato condemnavit peccatum per carnem.* Nam quod lex præſtare non potuit, non quidem ſuo vitio, ſed in quo, id eſt quatenus infirmabatur per carnem, quia homines corrupti ſunt & carnales in peccato primi parentis; præſtitit Deus, &c. *Impoſſibile legi*, condemnando peccatum. *Carnis peccati*, peccato obnoxiæ, quia miſerias & mortem paſſus eſt quæ debentur peccatoribus. *Et de peccato damnavit peccatum*, peccatum hic ſumit in dominatorem quemdam, quo ſchemate jam uſus eſt Apoſtolus ſupra, id eſt, ipſum peccatum ſceleris reum peregit, quod non ſolum fuiſſet ſupra modum peccans, augendo prævaricationem, in humano genere, verùm præterea manum miſiſſet in Chriſtum, quem ut peccatorem egit in mortem. *In carne*, per carnem Filii ſui ſuſpenſam & mortificatam in cruce, inde autem non ſequitur quod peccatum omnino extinxerit, quod adhuc habitat in carne renatorum, ſed quia dominium ejus abſtulit & reatum ſolvit: vel, per Chriſtum factum pro nobis peccatum, id eſt, hoſtia pro peccatis damnavit, &c.

4. [o] *Juſtificatio legis*, quam lex promittebat & requirebat. Ut nos legem impleremus, ſicque juſti eſſemus, quod fit dum non carnis deſideria ſequimur, ſed inſtinctum Spiritus ſancti.

6. [p] *Prudentia carnis*, quod ſapit, curat, providet, approbat. *Mors*, mortem affert culpæ & pœnæ.

7. [q] *Sapientia*, affectus.

8. [r] *Qui in carne ſunt*, Æth. *qui genio corporum ſuorum indulgent in ſtatu naturæ nondum regenerata Spiritu Dei.*

9. [ſ] *Vos*, Romani, baptizati & per Spiritum ſanctum renati.

10. [t] *Chriſtus in vobis eſt*, per ſpiritum ſuum. *Mortuum*, mortale, miſeriis & morti obnoxium. *Propter*, per. *Peccatum* Adæ, originale. *Spiritus verò, &c.* hominem cujus eſt Spiritus per juſtitiam vivere facit. *Juſtificationem*, Gr. Syr. Arab. *juſtitiam.*

Digitized by Google

dem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus verò vivit propter juſtificationem.

11. Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

12. Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus.

13. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem [a] ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

14. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.

Non ſpiritum ſervitutis ſed adoptionis, qui Dei filios ac futuræ gloriæ cum Chriſto cohæredes efficit.

15. [b] Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba [Pater.]

16. Ipſe enim Spiritus [c] teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.

17. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.

18. Exiſtimo enim quòd non ſunt [d] condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Ad cujus gloriæ revelationem non ſolùm univerſa creatura aſpirat, ſed & hi qui primitias ſpiritus acceperunt, illam certâ ſpe expectant.

19. [e] Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

20. [f] Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe.

21. [g] Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

22. Scimus enim quòd omnis creatura [h] ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.

23. Non ſolùm autem illa, ſed & [i] nos ipſi primitias ſpiritus habentes; & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.

24. [k] Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?

25. Si autem quod non videmus ſperamus: [l] per patientiam expectamus.

Spiritu nos roborante & quid orandum ſit inſtruente.

26. [m] Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

27. Qui autem ſcrutatur corda, [n] ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.

Deſcribit magnitudinem charitatis Dei erga ſuos electos, à qua negat eos ullâ vi poſſe ſuperari.

28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui [o] ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.

29. Nam quos [p] præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

30. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.

31. [q] Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos?

32. Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro [r] nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

33. Quis [s] accuſabit adversùs electos Dei? Deus qui juſtificat.

34. [t] Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

35. [u] Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?

13. [a] *Spiritu*, per Spiritum ſanctum.

15. [b] *Non enim*, &c. non enim vos renati per baptiſmum accepiſtis donum timoris ſervilis, quod acceperant quibus olim lex data eſt per Moyſen, ſed accepiſtis per Spiritum ſanctum gratiam adoptionis, id eſt, charitatem, quæ vos conſtituit adoptivos Dei filios. *Servitutis*, ſervis non licebat parentes vocare nomine patris. hoc ſolis liberis permiſſum erat iterum ut olim Iſraëlitæ. *In timore*, Gr. *in timorem*. *In quo*, per quem ſpiritum. *Clamamus*, clamor in ſcripturis ſignificat orationem profectam magno cordis affectu. *Abba*, nomen ex Hebræo Chaldaicum & Syriacum.

16. [c] *Teſtimonium reddit*, quia ipſe nos clamare facit, & nobiſcum clamat.

18. [d] *Condigna*, Arab. *adæquata gloriæ*. Pares.

19. [e] Tota hæc creatura quæ hominum uſibus ſubſervit, attentiſſimâ obſervatione [proſopopœia eſt] tempus illud expectat, quo filii Dei glorioſi apparebunt, quia tunc una cum hominibus reformabitur in ſtatum meliorem.

20. [f] *Vanitati*, inſtabilitati, corruptioni, abuſui hominum peccatorum. *Non volens*, non ſuâ ſponte, res enim omnes ſuam [illegible] ſuæ perfectionem. *Propter*, per. *Eum*, quod de homine peccatore & abſente creaturis exponendum. *Spe*, liberationis, & commutationis.

21. [g] *Quia*. Syr. Arab. *quod*. *In libertatem gloriæ*, &c. in illud tempus quando filii Dei quibus ſubſervit, ſuam libertatem & gloriam conſequentur.

22. [h] *Ingemiſcit*, velut gemens optat. *Parturit*, Arab. *dolet*, Æth. *mundus* . . . *anxius eſt* More parturientis dolet. *Adhuc*. Gr. Æth. *nunc*.

23. [i] *Nos ipſi*, regenerati. *Primitias ſpiritus*. abundantiorem gratiam, & principium aliquod guſtumque Spiritus ſancti in donis nobis collatis, velut pignus plenitudinis repoſitæ in futurum; quemadmodum primitiæ pignus erant decimarum quæ Deo offerebantur. *Redemptionem corporis*, quia beata reſurrectio corpora nobis reſtituet libera ab omni corruptione mortalitatis, pœnis atque miſeriis.

24. [k] *Spe ſalvi facti ſumus*. genimus quia nondum reipſa, ſed ſpe ſola ſalvi ſumus & beati. *Spes autem*, &c. res ſperata, quæ præſens habetur, non amplius ſperatur. *Quod ſperat?* Syr. *cur illud expectabimus*.

25. [l] *Per patientiam*, cum patientia ſervitutis ac miſeriæ præſentis, & longanimiter, non cedendo adverſis.

26 [m] *Similiter*, ſicut per patientiam expectamus bona futura adjuti gratiâ Dei, ſimili modo piè ac gratioſè Spiritus, &c. referrur etiam ad teſtimonium de quo v. 16. ſicut Spiritus conteſtificatur ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei, ſic etiam nos infirmos adjuvat, &c. *Spiritus*, Spiritus ſanctus. *Adjuvat*, præter ſpem & patientiam etiam Spiritus ſanctus adjuvat. *Infirmitatem*, in tribulationibus. *Quid oremus*, ſive liberationem à malis & miſeriis noſtris, ſive auxilium ea perferendi. *Poſtulat*, efficaci ſuâ operatione nos orantes ac poſtulantes facit, dum quod agit, quodam modo pro nobis intercedit. *Pro nobis*, defectum noſtrum ſupplens, dum facit nos poſtulare. *Inenarrabilibus*, quos Deus novit, licèt homines enarrare nequeant, & quia cum corda noſtra nobis ſint inſcrutabilia, neſcimus num & quatenus poſtulationes noſtræ ſint ſecundùm Deum.

27. [n] *Scit quid deſideret Spiritus*. Deus approbat quæ Spiritus ſanctus nos petere facit, quia ſanctos Deumque diligentes petere facit quæ Deo placita ſunt ad exaudiendum.

28. [o] *Secundum propoſitum*, voluntatis divinæ. *Sancti*, ut ſint ſancti.

29. [p] *Præſcivit*, ab æterno prædilexit & amicos habere voluit. *Et*, etiam. *Prædeſtinavit*, eoſdem prædeſtinavit. *Conformes fieri imaginis*, &c. ita conformandos Filio Dei ut ſint ejus quædam imago, quod fiet in adoptione perfecta quæ erit in gloria. *Ut ſit ipſe*, &c. quia talis adoptio redundabit in gloriam Chriſti ſic acquirentis multos fratres gloriæ illius cohæredes.

31. [q] *Quid ergo dicemus ad hæc*, quomodo tantam gratiam laudare poterimus, & quid dicturi inter paſſiones & adverſitates hujus ſeculi conſtituti? *Quis contra nos?* Æth. *quis prævalebit nobis*.

32. [r] *Nobis omnibus*, electis, in quorum perſona loquitur, ut patet verſu ſequente. *Donavit*. Arab. *donabit*, Gr. Syr. Æth. habent ſic in futuro.

33. [s] *Accuſabit*, Syr. *ſeſe opponet*. Arab. *litem intentet*. *Quis accuſabit*, objectis criminibus quos Deus vult ſalvare? nullus cùm Deus. *Deus qui juſtificat*, Arab. *quum Deus ſit qui juſtificat*. Ex impiis juſtos faciens.

34. [t] *Quis eſt qui condemnet?* Deo abſolvente & juſtificante, quis damnationis ſententiam in eos ferat? nullus niſi fruſtra, cum Chriſtus Jeſus, &c. *Qui mortuus*, &c. quâ morte peccata expiavit, reſurrectione juſtitiam peperit: evectione ad dextram Dei, Spiritum ſanctum effudit; interceſſione meritum efficaciter applicat: quatuor his gradibus totum redemptionis opus à Chriſto perfectum eſt. *Eſt ad dexteram Dei*, quia Patri ſecundùm divinitatem æqualis, & ſecundùm humanitatem eſt in potioribus bonis ejus, & ſummam obtinet poteſtatem.

35. [u] *Quis*, Arab. *quid*. *Charitate*, quâ diligimus, aut quâ diligimur. *Tribulatio*, in corpore & rebus externis. *Anguſtia*, in mente & animo.

36. [[a] Sicut ſcriptum eſt ; Quia propter te mortificamur totâ die : æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.]

37. Sed in [b] his omnibus ſuperamus , propter eum qui dilexit nos.

38. [c] Certus ſum enim , quia neque mors , neque vita , neque Angeli , neque principatus , neque virtutes , neque inſtantia , neque futura , neque fortitudo ,

39. Neque [d] altitudo , neque profundum , neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei , quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

CAPUT IX.

Propter Judæorum ruinam, de qua vehementer dolet, docet promiſſiones patribus Judæorum factas non fruſtrari, cùm non pertineant ad omnes carnales Abrahæ filios, ſed ad filios promiſſionis, id eſt, ſpiritualem Iſraelem & per fidem filios Dei conſtitutos.

1. [e] VEritatem dico in Chriſto , non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ in Spiritu ſancto ;

2. Quoniam triſtitia mihi magna eſt , & continuus [f] dolor cordi meo.

3. [g] Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis , qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem,

4. Qui ſunt Iſraëlitæ, [h] quorum adoptio eſt filiorum , & gloria , & teſtamentum , & legiſlatio, & obſequium , & promiſſa :

5. [i] Quorum patres , & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem , qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.

6. [k] Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt , ii ſunt Iſraëlitæ:

7. Neque [l] qui ſemen ſunt Abrahæ , omnes filii : ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen:

8. Id eſt , non qui filii carnis , hi filii Dei : ſed qui filii ſunt promiſſionis, [m] æſtimantur in ſemine.

9. Promiſſionis enim verbum hoc eſt : [n] Secundùm hoc tempus veniam ; & erit Saræ filius.

10. Non ſolùm autem illa : ſed & Rebecca ex uno concubitu [o] habens , Iſaac patris noſtri.

11. Cùm enim nondum nati fuiſſent , aut aliquid boni egiſſent, aut [p] mali [ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret]

12. Non ex operibus , ſed ex vocante dictum eſt [q] ei:

Deum pro ſua voluntate , & non ex operibus, alios eligere ad oſtenſionem ſuæ bonitatis, alios reprobare ad manifeſtationem juſtitiæ.

13. Quia major [r] ſerviet minori , ſicut ſcriptum eſt : Jacob dilexi , Eſaü autem odio habui.

14. Quid ergo dicemus ? numquid [ſ] iniquitas apud Deum ? Abſit.

15. Moyſi enim dicit : Miſerebor cujus [t] miſereor : & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor.

16. [u] Igitur non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei.

17. [x] Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipſum excitavi te , ut oſtendam in te virtutem meam : & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.

18. Ergo cujus vult miſeretur , & quem vult [y] indurat.

19. Dicis itaque mihi: [z] Quid adhuc queritur ? voluntati enim ejus quis reſiſtit ? .

20. O homo, tu quis es, qui [aa] reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit ? Quid me feciſti ſic ?

36. [a] *Sicut ſcriptum eſt* , ſupple , *electos pati & paſſuros eſſe. Totâ die* . Syr. *quotidie. Occiſionis* , deſtinatæ mactationi.

37. [b] *His omnibus* , adverſitatibus. *Propter* , Syr. Arab. *per.*

38. [c] *Certus ſum* , &c. hæc dicit in perſona prædeſtinatorum in genere ſumptorum : nullus enim in particulari, niſi revelatione ſpeciali illuſtratus , hanc certitudinem habere poteſt. *Mors* , timor mortis. *Vita* , amor vitæ. *Angeli* , *principatus* , *virtutes* ; ordines peculiares inter alios ordines angelorum , ſub quibus alii comprehenduntur , & id de malis intelligendum *Inſtantia* , Arab. Æth. *præſentia. Fortitudo* , non in Gr. Syr. Arab. Æth. Violentia alicujus , maximè principum hujus ſæculi.

39. [d] *Altitudo* , *profundum* , ſublime & abjectum in hoc ſæculo. *Charitate* , potiſſimum ea quâ electi diliguntur à Deo. *In Chriſto* , per Chriſtum.

1. [e] *Veritatem dico* , &c. utitur præfatione quâdam & juramento Apoſtolus, ut animos Judæorum emolliat ad ea quæ dicturus eſt. *In Chriſto* , Syr. Æth. *per Chriſtum. Teſtimonium* , &c. Æth. *& teſtis meus eſt Spiritus ſanctus qui in corde meo eſt. In Spiritu* , Syr. Arab. *per Spiritum.*

2. [f] *Dolor* , ob Judæorum incredulitatem & rejectionem.

3. [g] *Optabam* , optarem, ſi liceret & fieri poſſet : ſermo eſt hyperbolicus , in quo ſenſus non eſt qui per voces directè importatur , ſed qui à loquente intenditur ; qui cùm per exceſſum ſeſe explicet , ſic quoque credatur. *Anathema* , Arab. *ſequeſtratus* , Æth. *abductus*. A viſibili Eccleſiæ corpore ſeparatus , ut Judæi Eccleſiæ insererentur : privari vitâ , ſanitate , bonis , &c.

4. [h] *Quorum adoptio eſt filiorum* , Syr. Æth. *quorum eſt adoptio*. Arab. *quorum eſt filiatio*. Adoptio illa non ſpiritualis & Novi Teſtamenti propria , loquitur enim de Judæis excæcatis , ſed ea quâ filios Iſraël præ cæteris Gentibus ſibi Deus in peculium elegerat. *Gloria* , magnificentia operum divinorum , & præ aliis populis excellentia ; idque per legem , prophetias , & admiranda Dei opera in illo populo exhibita , præſentiam Dei in templo & in arca , quæ vocatur in Scripturis gloria Dei. *Obſequium* , Gr. *cultus.*

5. [i] *Quorum patres* , quia nati ex patriarchis.

6. [k] *Non autem*, &c. non id dico quod exiſtimem excidiſſe, &c. *Verbum* , promiſſio de ſalute Iſraëlis. *Non enim*, &c. promiſſiones quæ ad Novum Teſtamentum pertinent , non ſpectant ad omnes carnaliter ex Iſraële progenitos. *Iſraëlitæ* , veri ac ſpirituales , imitando fidem ac opera Jacob.

7. [l] *Qui* , Gr. Syr. Arab. *quia. Sed in Iſaac* , &c. ſupple , *dictum eſt ad Abraham* , quod dicit ut probet non omnes Abrahæ filios futuros participes promiſſionum divinarum , alioqui etiam ad Iſmaëlem pertinerent , & quemadmodum ad illum & alios ſecundum carnem Abrahæ filios non pertinebant , ſed ad Iſaac , &c. ſic non ad omnes carnaliter Judæos , ſed ad eos qui ſecundùm fidem , &c. futuri erant Abrahæ filii.

8. [m] *Æſtimantur in ſemine* , Arab. *cenſentur progenies* , Syr. *habentur pro ſemine.* Senſus eſt , illa Dei promiſſio ad Abraham facta , quæ ſic diſcrevit inter ejus filios , ut Iſmaële poſthabito , ſolam poſteritatem Iſaac vellet vocari ſemen ejus , allegoricè nobis ſignificat , non habendos eſſe filios Dei , nec reputandos pro vero ſemine Abrahæ eos omnes & ſolos qui ſecundum carnem ex Abraham nati ſunt , ſed qui regenerati ſunt ſecundum Spiritum per gratiam fidei , Iſaac enim non tantum naturæ ordine , imo hunc excedens ex promiſſione natus.

9. [n] *Secundùm hoc tempus* . Syr. *hoc ipſo tempore* , Æth. *promiſit enim indixitque ei tempus anni tanquam hodie* , &c. In hac allegoria populus Judaicus ortus ex Abraham ſecundum carnem cenſetur Iſmaël ; populus verò fidelis ortus ſecundum fidem , ut promiſſione hujus: *In te benedicentur* , omnes gentes terræ : figurat Iſaac ortum ſecundùm promiſſionem.

10. [o] *Habens* , concipiens. Urget in diſcretam æqualitatem duorum , eò quod Judæi excipere potuiſſent , meritò rejectum fuiſſe Iſmaëlem , ut pote ex ancilla natum , unde dicit , *non ſolùm autem illa* , id eſt , non ſolum in duobus filiis Abrahæ exhibita ait nobis figura eorum qui futuri eſſent filii Dei , & qui non , &c. verùm etiam Rebecca ex uno patre noſtro Iſaac concepiſſe duobus filiis ejuſdem rei typum nobis exhibuit.

11. [p] *Mali* , actualis. *Ut ſecundùm propoſitum* , &c. ut quod eſt ſecundùm electionem propoſitum Dei , &c. *Maneret* , firmum eſſet.

12. [q] *Ei* , Arab. *ad illam* . Æth. *Rebeccæ.*

13. [r] *Serviet* , quæ ſervitus non impleta eſt tempore Eſaü ditioris & potentioris Jacob , ſed in poſteris eorum : verbi gratiâ , quando Idumæi deſcendentes ab Eſau facti ſunt Judæorum tributarii tempore David. *Odio habui* , poſthabui , minus dilexi , neglexi , qui ſenſus probatur ex aliis ſcripturæ locis.

14. [ſ] *Iniquitas* , Arab. *injuſtitia.*

15. [t] *Miſereor* , placet miſereri.

16. [u] *Igitur non volentis* , Arab. *itaque ſors non eſt ejus qui vult.* Non eſt electio. *Velle* , ſignificat actum internum , *currere* , externum.

17. [x] *Dicit Scriptura* , Scriptura narrat dictum Pharaoni : hæc dicit Apoſtolus ut probet reprobationem ſine meritis juſtam eſſe , quia electionem gratuitam juſtam eſſe probavit , affertque teſtimonium de Pharaone , quo etiam utitur ut oſtendat Deum non facere niſi cum ratione quæ pro arbitrio & ſine cujuſquam injuria facere poteſt, dum illa ordinat ad finem manifeſtandæ ſuæ potentiæ.

18. [y] *Indurat* , non inſpirando malitiam , ſed non dando gratiam quæ emolliat , & pœnitentiam ſubtrahendo.

19. [z] *Quid adhuc queritur* ? Syr. *quamobrem arguit ?* Arab. *cur igitur accuſat adhuc* ? Si Deus quos vult eligit , & quos vult reprobat , cur conqueritur de hominibus ? *Voluntati* , ſcilicet Dei.

20. [aa] *Reſpondeas* , ex adverſo reſpondeas. *Sic* , non ad modum fingendi , ſed ad qualitatem figmenti pertinet : reſpondet enim Apo-

21. An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in [a] honorem, aliud verò in contumeliam?

22. [b] Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum,

23. Ut oſtenderet divitias [c] gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

Judæos quia ex legis operibus, non ex fide Chriſti quem rejecerant juſtitiam quærebant, probat relictos & reprobatos fuiſſe, Gentibus per fidem Chriſti juſtificatis & electis.

24. [d] Quos & vocavit nos non ſolùm ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus,

25. Sicut in Oſee dicit: [e] Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.

26. Et erit: In loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi.

27. Iſaias autem clamat [f] pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.

28. [g] Verbum enim conſummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram:

29. Et ſicut prædixit Iſaïas: Niſi Dominus [h] ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.

30. Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, [i] apprehenderunt juſtitiam: juſtitiam autem, quæ ex fide eſt.

31. Iſraël verò [k] ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit.

32. Quare? [l] Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis,

33. Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis qui credit in eum, non [m] confundetur.

CAPUT X.

Judæi ſuam quæ ex lege eſt juſtitiam ſtatuere volentes, Dei juſtitiam quæ ex fide eſt non ſunt aſſecuti.

1. [n] FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem.

2. [o] Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.

3. Ignorantes enim [p] juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.

4. [q] Finis enim legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.

5. Moyſes enim ſcripſit, quoniam juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, [r] vivet in ea.

Agit de diverſitate juſtitiæ ex operibus legis, ab ea quæ eſt ex fide.

6. [s] Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere:

7. [t] Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis revocare.

8. Sed quid dicit Scriptura? [u] Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.

9. Quia ſi confitearis in ore tuo [x] Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quòd illum Deus ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.

10. [y] Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

11. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in [z] illum, non confundetur.

Juſtitia ex fide tam Judæo

ſtolus non tam objectioni, quàm cauſæ objiciendi.

21. [a] *Honorem*, uſum honorificum. *Contumeliam*, vile miniſterium.

22. [b] *Quod ſi, &c.* quæ injuſtitia in Deo, ſi, &c. *Iram*, juſtam vindictam. *Suſtinuit*, Arab. *protulit*, Æth. *adduxit*, adducit in interitum dimittendo, excæcando, &c. *In multa patientia*, quia expectat ad pœnitentiam: hiſque verbis probatur quod Deus non præparet ad peccata & merita damnationis. *Vaſa iræ*, quibus Deus utitur ad oſtendendam iram ſeu juſtitiam vindicativam. *Apta*, Gr. *adaptata*, Syr. *conſummata*, Arab. *apparata*. *In interitum*, ad interitum dicitur præparari, quia ab æterno præordinavit illis inferre interitum, & quia ſunt ex maſſa corrupta per peccatum primi hominis.

23. [c] *Gloria*, bonitatis, propter quam Deus glorificandus.

24. [d] *Quos & vocavit nos*, Syr. *nos ſcilicet vocatos*, Arab. *nimirum nos, quos vocavit*. Si non ſalvavit omnes ex maſſa perditionis, ſaltem quos ſalvavit, elegit ex Judæis & Gentilibus.

25. [e] *Vocabo*, vocat rei præſtatione, dum id facit eſſe quod nominat: hæc verò aſſert ut probet electos ex Gentibus.

27. [f] *Pro Iſrael*, Syr. *de filiis Iſrael*. Hunc locum adducit, ut probet electos etiam quoſdam ex Judæis. *Reliquiæ*, pauci, pars quædam. *Salva fient*, quos invenerit in fine mundi, omnes ſalvi fient, licet fuerint ut arena maris, quia quos eligit ex Gentibus, ſucceſſivè eligit quamdiu durat Eccleſia, Judæos eliget in fine mundi omnes, quia verbum breviatum faciet.

28. [g] *Verbum*, rem de qua loquutus eſt Deus per prophetam, decretum de ſalute Judæorum. *Conſummans & abbrevians*, Deus redigens Iſraelem ad brevem & acciſum numerum, ita ut penè conſumatur. *In æquitate*, juſto judicio. *Quia verbum, &c.* repetitio prioris membri. Quemadmodum tempore Sennacherib pauci admodum in Jeruſalem à communi excidio liberati ſunt, ſic pauci etiam ex Judæis in Eccleſia Chriſtiana ſalvi fient.

29. [h] *Sabaoth*, Syr. *exercituum*. Hæc revelativè ad Judæos qui tunc convertebantur per Apoſtolos, qui pauci numero erant: unde alludit ad verba prophetæ, qui dicit quod niſi Deus in diſperſione & ruina populi Judaici, &c. ſimilis factus fuiſſet reliquiis Sodomæ, &c. ex quibus ſola familia Lot ſalva facta eſt: unde reliquit ſemen, ut in fine mundi omnes ex Judæis ſalvi fiant.

30. [i] *Apprehenderunt juſtitiam*, juſtè vixerunt, & juſtificati ſunt. *Juſtitiam ex fide*, crediderunt in Chriſtum propitiatorem, quod Judæi non fecerunt. Concluſio eſt aſſertionis ſuſceptæ, quâ probare voluit inutilitatem operum legalium.

31. [k] *Sectando legem juſtitiæ*, accepta Dei notitia, legem ſibi ab eo datam, qua vera juſtitia præcipitur: vel, juſtitiam legis. *In legem juſtitiæ, &c.* non pervenit ad eam juſtitiæ legem implendam.

32. [l] *Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus*, Arab. *quia non quæſivit eam ex fide, ſed quaſi ex operibus legis*. *Quaſi*, non ut minuat ſenſum, ſed ut meliùs affirmet.

33. [m] *Confundetur*, ſpe fruſtratur.

1. [n] *Fratres*, alloquitur Judæos qui jam Chriſto nomen dederant. *In ſalutem*, Syr. *ut ſerventur*.

2. [o] *Teſtimonium perhibeo*, plane affirmo. *Æmulationem*, Gr. Syr. Arab. Æth. *zelum*. Voluntatem Deo ſerviendo. *Non ſecundum ſcientiam*, neſcientes quâ ratione quærenda ſit juſtitia quâ Deo verè placere poſſint.

3. [p] *Juſtitiam Dei*, quæ in remiſſione peccatorum & reconciliatione cum Deo conſiſtit, & quæ non datur niſi per fidem in Chriſtum. *Ignorantes juſtitiam*, illam quæ hominem coram Deo juſtum reddit, & cujus Deus in nobis author eſt, & eam quæ habetur, propriis viribus ſolâ legis cognitione adjutis, ſtatuere conantes. *Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, & participes, quia juſtitiam hanc non aſſequitur, niſi per humilitatem fidei, ſe Deo ut autori juſtitiæ ſubjicit.

4. [q] *Finis*, ſcopus, & præcipuè intentum, quia per eum, dum in eum creditur ut in propitiatorem, lex impletur & vera juſtitia acquiritur. *Ad juſtitiam omni credenti*, Arab. *ad juſtitiam, quâ juſtificetur quicumque credit in eum*.

5. [r] *Vivet in ea*, cum adimpleverit legis mandata, vivet vitâ æternâ: juſtitiam autem quâ legem obſervet nemo conſequi poteſt, niſi per fidem in Chriſtum, quâ mediante gratiâ donis adjuvetur.

6. [s] *Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit*, Arab. *at verò de juſtitia quæ ex fide eſt, ſic dicit*. *Quis aſcendet, &c.* facilis eſt lex nec opus eſt aſcenſu in cœlum, aut deſcenſu in infernum, ut inde nobis juſtitia afferatur, &c. *Chriſtum deducere*, poſtulare ut è cœlo veniat ut credamus ei.

7. [t] Quæ Moyſes dixit de facilitate legis, Paulus ſenſu accommodatitio transfert ad Chriſtum. *Quis aſcendet in cœlum* ad deducendum inde Chriſtum? Hoc enim dicere, eſt impoſſibile reputare quòd Chriſtus deſcenderit de cœlo ut carnem aſſumeret, quomodo naturaliter impoſſibile eſt homini aſcendere in cœlum, atque inde aliquid huc adducere: neque dicas: *Quis deſcendet* in profundum ad reducendum Chriſtum à mortuis, atque ab inferis ad vitam? Nam hoc dicere, eſt impoſſibile reputare quod Chriſtus reverſus ſit ab inferis, atque à mortuis reſurrexerit, quomodo naturaliter impoſſibile eſt ut quis deſcendat ad inferos & inde aliquid huc reducat.

8. [u] *Propè eſt verbum in ore & in corde*, probè cognitum, & certò creditum. *Hoc eſt*, tale eſt. *Verbum fidei*, Evangelium quo fides in Chriſtum annunciatur, & quam prædicamus ut neceſſariam ad juſtitiam conſequendam; illa autem prope eſt in ore & corde.

9. [x] *Dominum Jeſum*, deſcendiſſe de cœlis & hominem factum, quod opponitur dubitationi, *quis aſcendet in cœlum*, &c. ſicut & altera pars opponitur iſti, *quis deſcendet in abyſſum*.

10. [y] Syr. *Cor enim quod credit in eum, juſtificatur, & os quod confitetur eum, ſervatur*.

11. [z] *Illum*, Deum nitendo veritati promiſſorum ejus.

quàm Gentil. in Chriſtum credentes commune eſt.

12. Non enim eſt diſtinctio Judæi & [a] Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.

13. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

Docet fidem eſſe ex auditu, cujus fidei prædicatio in orbem terram pervenit.

14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, [b] quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?

15. Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur? [c] ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

16. Sed non omnes [d] obediunt Evangelio. Iſaïas enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro?

17. Ergo fides ex auditu, [e] auditus autem per verbum Chriſti.

Fidei prædicationem repulſam à Judæis Gentes ſuſceperunt.

18. Sed dico: [f] Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

19. Sed dico: Numquid Iſraël [g] non cognovit? Primus Moyſes dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam.

20. Iſaïas autem [h] audet & dicit: Inventus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.

21. [i] Ad Iſraël autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

CAPUT XI.

Ex Iſraëlitico populo quoſdam gratuitâ Dei electione ſalvatum iri docet.

1. DIco ergo: Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin.

2. Non repulit Deus plebem ſuam, quam [k] præſcivit. An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adverſùm Iſraël?

3. Domine, prophetas tuos occiderunt, [l] altaria tua ſuffoderunt; & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.

4. Sed quid dicit illi divinum reſponſum? Reliqui mihi [m] ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.

5. Sic ergo & in hoc tempore [n] reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.

6. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.

7. [o] Quid ergo? Quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt.

8. Sicut ſcriptum eſt: [p] Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem. Cæteris excæcatis, ac in eorum locum Gentibus aſſumptis.

9. Et David dicit: Fiat [q] menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.

10. [r] Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurva.

11. Dico ergo: Numquid ſic offenderunt [s] ut caderent? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus ut illos æmulentur.

12. Quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium: [t] quantò magis plenitudo eorum?

13. Vobis enim dico Gentibus: [u] Quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo,

14. Si quomodo ad æmulandum provocem [x] carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.

15. Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: [y] quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?

16. Quòd ſi [z] delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.

12. [a] *Græci*. Æth. *Gentilis*.
14. [b] *Quem non*, Syr. Arab. *de quo non*. Ex invocatione colligit fidem, ut hic probet ex fide juſtitiam eſſe & ſalutem.
15. [c] *Sicut ſcriptum eſt*, de quibus ad prædicandum miſſis ſcriptum eſt.
16. [d] *Obediunt*, Gr. Syr. Æth. *auſcultaverunt*, Arab. *obedivetunt*. *Auditui*, Æth. *ſermoni*. Hebraiſm. ſermoni audito. Loquitur enim de Judæis, quibus primum prædicari oportuit.
17. [e] *Auditus*, ut audiant. *Per verbum Chriſti*, debet Chriſtus prædicari: loquitur hic de fide actuali. *Chriſti*, de Chriſto, Gr. Syr. Arab. *Dei*.
18. [f] *Numquid non audierunt?* Hæc de Judæis dici probabilius eſt, cùm de reprobatione illorum agatur.
19. [g] *Non cognovit*, ſupplendum *cognovit certè converſionem Gentilium*. *Ad æmulationem vos adducam*, Gentilem populum hactenus ob ignorantiam veri Dei meritò à vobis contemptum, tantis afficiam beneficiis ut eorum felicitas ad invidiam & indignationem vos provocet, ex quo ſequitur quod dixerat ab Iſraële cognita bona per Evangelium annuntiata: non enim invidere poterat quæ non cognoſcebat. *In non gentem*: *in gentem*, Arab. Æth. *per non gentem*. *In iram vos mittam*, provocat ad iram & invidiam, quia præſtat ea beneficia ex quibus alii capiunt occaſionem invidendi.
20. [h] *Audet & dicit*, Arab. *dicere audet*. Audenter dicit, de converſione Gentilium ad Evangelium. *Palam*, non per ſpeciem, ſed per fidem. *Qui me*, Syr. Arab. *qui de me*.
21. [i] *Ad Iſrael*, Arab. *Iſraelem verò compellans*. De Iſraël: vel, adverſus Iſraël.
2. [k] *Præſcivit*, prædilexit. *In Elia*. Syr. *de Elia*. Arab. *in hiſtoria Eliæ*, Æth. *quid dicat Elias, quum interpellat*. &c. *Interpellat*, Arab. *invocavit*, ad judicandum invocat. *Iſrael*, decem tribus.
3. [l] *Altaria tua*, quæ ſubvertebant odio cultus Dei: nam alioqui fas non erat ſacrificium offerre Deo niſi in uno loco quem Deus ad hoc delegerat: erecta verò erant à veris Dei cultoribus, ne ſine cultu Dei remanerent, quia prohibitum erat ire Jeruſalem. *Solus*, cultor tuus.
4. [m] *Septem millia*, numerus finitus pro indefinito.
5. [n] *Reliquiæ*, reliqui ſunt, pauci quidam remanſerunt. *Secundùm*, Syr. Æth. *per*. *Electionem gratiæ*, electionem Dei gratuitam.
7. [o] *Quid ergo?* ſequitur ex dictis. *Quod quærebat*, juſtitiam quam quærebat. *Electio*, prædictæ reliquiæ electæ. *Cæteri*, Judæi.
8. [p] *Dedit*, non influendo malitiam, ſed permittendo & non apponendo gratiam. *Compunctionis*, Syr. *ſtupiditatis*, Æth. *torporis*. Velut ſi clavis affixus eſſet ille torpor. *Ut*, conſecutivè, non cauſaliter accipiendum. *Uſque in hodiernum diem*, hoc additum à Paulo, niſi locus ille ſit Deut. c. 29.
9. [q] *Menſa*, altare templi, cujus zelo moti Evangelium reſpuerunt: vel, Evangelium quod velut apponitur illis. *In laqueum*, quæcumque optant in hac vita, vertantur in interitum. *Captionem*, quo capiantur. *Retributionem*, retaliationem, & juſtam vindictam præcedentium delictorum.
10. [r] *Obſcurentur*, &c. quemadmodum prior pars de ſpirituali cæcitate intelligenda eſt, ſic & poſterior de ſpirituali ſervitute, id eſt, nihil cœleſte ſapiant, &c.
11. [s] *Ut caderent*, abſque ſpe reparationis. *Salus eſt*, Syr. *obvenit*, Arab. *facta eſt*. Contigit Gentibus, in hoc ut eos ad æmulandum provocaret. *Illos*, Gentiles. *Æmulentur*, dum vident promiſſa patribus ſua facta, & à ſe neglecta, transferri ad Gentes.
12. [t] *Quantò magis*, &c. Arab. *quanto magis competit hoc perfectioni illorum?* Æth. *quantò magis igitur fient hæc cùm fuerint juſtificati?* Quantò magis valebit ad confirmandam & dilatandam in Gentibus fidem converſio populi Judaici?
13. [u] *Quamdiu*, Gr. Æth. *in quantum*, quatenus, non Syr. Arab. *Miniſterium meum honorificabo*, quia illud graviter obeo, & celebre reddo, ſi ex Gentium converſione Judæi æmulentur & convertantur.
14. [x] *Carnem meam*, carnem ſuam vocat Judæos propter cognationem carnis.
15. [y] *Quæ aſſumptio*, &c. Syr. *quidnam ergo erit eorum reſtitutio, niſi vita ex mortuis?* *Vita ex mortuis*, ſpiritualis vivificatio Gentium a morte peccati reſurgentium: vel, quia mortui omnes, & Judæi increduli & Gentiles, vivent.
16. [z] *Delibatio . . . radix*, patriarchæ. *Sancta maſſa . . . & rami*, non quod ſanctitatem in ſe habeat, ſed quia habet unde ſanctificetur: vel, habeat habilitatem ad converſionem, &c. Hæc quæ ſequuntur eo pertinent ne ex Gentibus vocati, Judæos ideo quod legis ritibus addicti eſſent, à ſe ſegregarent: nam ſicut Ebionis ſpiritus inter Judæos, ita ſpiritus qui poſtea Marcionem agitavit, inter Chriſtianos è Gentibus factos, incipiebat oſtendere.

Gentiles monet, adducta similitudine oleaſtri & olivæ, ne glorientur adverſus Judæos.

17. Quod ſi aliqui ex ramis [a] fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es,

18. Noli gloriari adverſùs ramos. Quòd ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed [b] radix te.

19. Dices ergo: [c] Fracti ſunt rami ut ego inſerar.

20. Benè: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed [d] time.

21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat.

22. Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris [e] in bonitate, alioquin & tu excideris.

23. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.

24. Nam ſi tu ex naturali excîſus es oleaſtro, & [f] contra naturam inſertus es in bonam olivam; quantò magis ii, qui ſecundùm naturam inſerentur ſuæ olivæ.

Futurum aliquando ut Judæi miſericordiam conſequantur.

25. Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc [ut non ſitis vobis ipſis [g] ſapientes] quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret,

26. Et [h] ſic omnis Iſraël ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt. Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem à Jacob.

27. [i] Et hoc illis à me teſtamentum: cùm abſtulero peccata eorum.

28. [k] Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos: ſecundùm electionem autem, chariſſimi propter patres.

29. [l] Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.

30. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis [m] propter incredulitatem illorum.

31. Ita & iſti nunc non crediderunt [n] in veſtram miſericordiam: ut & ipſi miſericordiam conſequantur.

32. Concluſit enim Deus [o] omnia in incredulitate: ut omnium miſereatur.

Sapientiæ divinæ profunditatem exclamans admiratur.

33. O altitudo [p] divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!

34. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?

35. [q] Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

36. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & [r] in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. Amen.

CAPUT XII.

Hortatur ad novitatem vitæ, & ut à vanitate ſæculi abſtracti, totos ſe Deo dedant.

1. OBſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile [s] obſequium veſtrum.

2. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini [t] in novitate ſenſus veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

3. [u] Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quàm oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.

Docet omnes fideles eſſe unum corpus è multis conſtans membris quorum variæ ſunt operationes.

4 Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent:

* 5. [x] Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

* Monet ut intra limites doni à Deo dati quiſque ſe contineat.

6. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſive [y] prophetiam ſecundùm rationem fidei,

17. [a] *Fracti*, Syr. *amputati*, Gr. *defracti*.
18. [b] *Radix te*, omnis ſalus tua referenda eſt ad illum populum, propter eorum majores ipſo Salvatore atteſtante. Joannis c. 4. *Salus ex Judæis eſt*.
19. [c] *Fracti*, ut v. 17. idem v. 20.
20. [d] *Time*, ne aliquando per infidelitatem ab ea excidas.
22. [e] *In bonitate*, non tua, ſed Dei, id eſt, in eo ad quod Dei benignitate vocatus es.
24. [f] *Contra naturam*, Syr. *præter naturam tuam*, Æth. *plantavit te in illud quod non erat de natura tua. Secundum naturam*, &c. Judæi qui naturales ſunt rami.
25. [g] *Sapientes*, Gr. *arrogantes*. *Ex parte*, parti populi Iſraëlitici. *Iſrael*, Iſraëli. *Intraret* in Eccleſiam fidelium.
26. [h] *Sic*, Syr. *tunc*, Æth. *tum*. *Omnis*, major pars, & fere omnis. *Salvus fieret*, Gr. Syr. Æth. *ſervabitur*. Salvus erit. *Ex Sion*, in Sionis gratiam. *Avertat impietatem*, à jugo peccati liberet.
27. [i] *Et hoc illis à me teſtamentum*. Syr. *tuncque habebunt fœdus illud quod eſt à me*. Id eo teſtamentum, fœdus hoc implebitur, quod auferam peccata non aliquorum è populo ſed ipſius populi.
28. [k] Qui Judæi, quantum attinet ad cauſam Evangelii cui pertinaciter adverſantur, exoſi ſunt Deo, & hoc propter veſtram ſalutem, quam Deus operari voluit ex occaſione Evangelii a Judæis rejecti: unde eis inſultare non debetis. Sed ſi conſideretur electio divina, quæ aliquando implebitur, &c.
29. [l] Syr. *Non enim revocat Deus donum ſuum, vocationemque ſuam. Pœnitentia*, variatione. *Dona*, non omnia omnino, ſed quæ pendent ab electione & abſoluta ſunt.
30. [m] *Propter incredulitatem*, quæ occaſionaliter fuit veſtra ſalus.
31. [n] *In veſtram miſericordiam*, Arab. *ut vos miſericordiam impetretis*, Gr. *veſtra miſericordia*, Syr. *miſerationibus quæ in vos extiterunt*. Sicut vos Gentiles aliquando increduli Deo, licèt nullæ vobis factæ eſſent promiſſiones, tamen adducti eſtis ad fidem occaſione incredulitatis Judæorum: ita de Judæis, quibus factæ ſunt promiſſiones exiſtimandum eſt, quod ideirco permiſſi ſunt in hanc incredulitatem incidere, quia noluerunt agnoſcere beneficium Dei per Chriſtum ad Gentiles pertinere, ut & ipſi Dei miſericordiam adducentis eos ad fidem, aliquando experiantur, hæc verò dicuntur, ut neutri alteri exprobrent.
32. [o] *Omnia*, omnia genera hominum, Judæos & Gentiles. *Incredulitate*, in Gentibus, ignorantia veri Dei; in Judæis, oppoſitio adverſùs Evangelium. *Ut*, conſecutive non cauſaliter accipiendum. Ut aſſet locus ejus in omnes miſericordiæ.
33. [p] *Divitiarum*, plenitudinis. *Sapientia*, quæ de divinis. *Scientia*, quæ de creatis. *Judicia*, quæ mente facere decrevit de ſingulis hominibus. *Viæ*, rationes per quas decreta ſua Deus ad exitum perducit.
35. [q] Arab. *Aut quis præveniens dedit ei aliquid ut pro ipſo reddat ei*? his verbis probare vult Apoſtolus neminem ullo ſuo merito beneficentiam Dei prævenire poſſe.
36. [r] *In ipſo*, Arab. *ad ipſum*, propter ipſum.
1. [s] *Obſequium*, Gr. *cultum*.
2. [t] *In novitate ſenſus*, Syr. *per renovationem mentis*. *Voluntas*, quæ Deus velit a nobis. *Bona*, quia jubet bona. *Beneplacens*, jubet Deo placita. *Perfecta*, jubet perfecta: alludit ad hoſtias legales, quæ debebant eſſe bonæ, id eſt, craſſæ & elegantes. Beneplacentes, id eſt, ſine macula & impuritate legali. Perfectæ, id eſt integræ. Quod idem ad actiones Chriſtianas transfert, quas oportet eſſe bonas in ſe & ſine vitio; beneplacentes Deo propter rectitudinem intentionis: perfectæ in omnibus circumſtantiis, &c.
3. [u] *Dico*, præcipio, hortor. *Per gratiam*, Apoſtolici muneris. *Non plus ſapere*, Arab. *ne ſenſum ſuum efferat*, Æth. *ne ſuperbiamini*. Ne quis arroganter de ſe ſentiat, propter dona ſcilicet ſibi à Deo collata. *Sobrietatem*, Syr. *cum modeſtia*. *Menſuram fidei*, ſecundum normam quam fides & doctrina Evangelii præſcribunt. Vel, ſecundùm modum luminis ſupernaturalis a Deo communicatum.
5. [x] *Ita multi*, Syr. Arab. *ita & nos qui multi ſumus*. Quotquot ſumus fideles.
6. [y] *Prophetiam*, ſumitur hîc non tantùm pro prædictione futurorum, ſed etiam pro omni ſcientia occultorum, & explicatione myſteriorum. Qui prophetiæ donum habet utatur illo. *Secundùm rationem fidei*. Syr. *pro menſura fidei ſuæ*. Sed meliùs ſecundùm congruentiam fidei, ita ut nihil dicatur, aut ulla interpretatio ſcripturæ fiat, quæ a regula fidei diſcrepet.

7. [a] Sive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina,

8. Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit [b] in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

Excitat ad multas pias actiones.

9. [c] Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono.

10. Charitate [d] fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes:

11. [e] Sollicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino ſervientes:

12. Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi inſtantes:

13. Neceſſitatibus ſanctorum [f] communicantes: hoſpitalitatem ſectantes.

14. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere:

15. [g] Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:

16. [h] Idipſum invicem ſentientes: non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos:

Vindictam prohibet, & beneficentiam præcipit etiam erga inimicos.

17. [i] Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

18. Si fieri poteſt, [k] quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes:

19. Non voſmetipſos [l] defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.

20. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, [m] carbones ignis congeres ſuper caput ejus.

21. [n] Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

CAPUT XIII.

Docet magiſtratibus parendum ut Dei miniſtris.

1. OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: [o] Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.

2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi [p] damnationem acquirunt.

3. Nam principes non ſunt, [q] timori boni operis ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.

4. Dei enim miniſter eſt tibi [r] in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.

5. Ideo [ſ] neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

6. [t] Ideò enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.

7. Reddite ergo omnibus debita: [u] cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Docet proximum diligendum ad cujus dilectionem universa lex reducitur.

8. [x] Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum legem implevit.

9. Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces: [y] & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

10. Dilectio proximi malum non operatur. [z] Plenitudo ergo legis eſt dilectio.

Abjectis operibus tenebrarum dicit induenda eſſe arma lucis, adeoque ipſum Chriſtum.

11. [aa] Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cùm credidimus.

12. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

13. Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & [bb] æmulatione:

14. Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum; & carnis curam ne feceritis [cc] in deſideriis.

7. [a] Syr. *Alius autem miniſterium habet, in miniſterio ſuo occupetur: & alius qui eſt doctor in doctrina ſua.* Doctorem vocat qui ſcripturæ duntaxat ſimplici interpretationi vacat, nec eam accommodat ad ſpecialem uſum auditorum. Hoc munus proprie eſt doctorum, & munus ſequens exhortandi eſt paſtorum. Qui ſenſus licèt bonus non debet alium qui ſe offert excludere.

8. [b] *In ſimplicitate*, cui incumbit officium diſpenſandi facultates Eccleſiæ & collectas fidelium diſtribuat eas bonâ fide, ſimplici & bonâ intentione, & ſine perſonarum acceptione. Supplendum ſemper *in eo maneat. Miſeretur*, miſerorum, pauperum, ægrotorum curam habet.

9. [c] *Dilectio*, Syr. Arab. *dilectio ſit*, Æth. *diligite. Odientes*, Syr. *odio habete*, Arab. *ſitis odio proſequentes.*

10. [d] *Fraternitatis*, Gr. Arab. *fraterna.*

11. [e] *Sollicitudine non pigri*, prompte & ex animo facientes officium, præſertim quo juvandus eſt proximus. *Spiritu ferventes*, ad exequendum ea quæ veſtri ſunt officii *Domino*, Jeſu Chriſto.

13. [f] *Communicantes*, communia faciendo bona veſtra, quibus ſubleveris eorum inopiam.

15. [g] *Gaudere ... flere*, Gr. Syr. Æth. *gaudete... flete.* Gaudere moneo.

16. [h] *Idipſum invicem ſentientes*, eodem animo alii in alium affecti. *Prudentes*, arrogantes. *Apud voſmetipſos*, Syr. *propriâ opinione.*

17. [i] *Nulli malum pro malo reddentes*, hîc non tam prohibetur vindicta de qua verſ. 19. quam monetur abrogatam eſſe legem Talionis. *Providentes bona*, &c. quæ bona & honeſta ſunt agite & procurate, ita ut non tantùm Deo probemini in conſcientiis veſtris ſed etiam hominibus accepta ſint, nullique ſcandalum pariant.

18. [k] *Quod*, Syr. *quantum.*

19. [l] *Defendentes*, Gr. *ulciſcentes. Date locum iræ*, puniendi curam Deo relinquite, cedentes iis qui vobis iraſcuntur.

20. [m] *Carbones ignis congeres*, id ſi feceris, reddes eum graviori vindictæ obnoxium in judicio Dei, velut ſi congereres ardentes carbones, &c. vel accumulatis in eum beneficiis, velut congeſtis carbonibus, excitabis in eo pœnitentiæ dolorem, ſimulque ſuccendes ad te readamandum. *Super caput ejus*, ſuper ipſum.

21. [n] *Noli vinci a malo*, noli vinci a malitia inimici tui, ut te ipſum ulciſcaris: ſed vince ejus malitiam tuâ beneficentiâ. *In bono*, Syr. *bonitate*, Æth. *bene agendo.*

1. [o] *Non eſt enim poteſtas*, quod in genere intelligi debet, id eſt, nullum poteſtatis genus. *Quæ autem ſunt*, Gr. *quæ autem exiſtentes poteſtates.*

2. [p] *Damnationem*, pœnam & à Deo, & a principibus.

3. [q] *Timori*, ad hoc conſtituti ut timorem incutiant. *Boni operis* Syr. Arab. *bonis operibus*, Æth. *bene agentibus.*

4. [r] *In bonum*, in omne genus boni. *Vindex in iram*, ut juſtitiam exerceat vindicativam.

5. [ſ] *Neceſſitate ſubditi eſtote*, Syr. *neceſſe eſt nobis ut ſubjiciamur.*

6. [t] *Ideo*, &c. ad profitendam veſtram ſubjectionem. *Miniſtri enim Dei ſunt*, in conſervanda vobis pace & honeſtate publica, voſque a malefactoribus, &c. protegendo. *In hoc ipſum ſervientes*, Syr. *ſuper hujuſmodi rebus conſtitutis*, Æth. *& ad hoc opus præſtantur.* Propter tributorum perceptionem miniſtrantes vobis, defendendo rem publicam.

7. [u] *Cui*, debetis. *Vectigal*, vectigalia pro mercibus dantur. *Timorem*, reverentiam.

8. [x] *Nemini*, &c. reddite cuique quod debetis, ſic, ut non amplius debeatis, uno debito charitatis excepto, cujus ſemper remanemus debitores. *Legem*, ſecundæ tabulæ, ut ex ſequentibus patet.

9. [y] *Et ſi quod eſt aliud mandatum*, Arab. *& quodvis aliud præceptum. Inſtauratur*, Gr. *recapitulatur*, Syr. *perficitur.* Summatim comprehenditur.

10. [z] *Plenitudo*, Syr. *adimpletio. Proximo*, Gr. *proximo*, Syr. *proximum ſuum malo non afficit.*

11. [aa] *Et hoc ſcientes tempus*, Syr. *quin etiam hoc ſcitote, quod tempus eſt, & jam hora*, Æth. *& hoc ſcitote adveniſſe tempus expergiſcendi.* Et hoc quod dixi de mutua dilectione exercenda, vel ob id agere debemus, quod ſciamus jam tempus eſſe, &c. *Credidimus*, ſalus nunc vicinior nobis eſt poſtquam magna pars vitæ nobis peracta eſt, quàm cùm primum credere cœpimus.

13. [bb] *Æmulatione*, Arab. Æth. *invidia.*

14. [cc] *In deſideriis*, Syr. *ad concupiſcentiam*, Arab. *ad ejus illecebras propenſi*, Æth. *& concupiſcentiam corporis veſtri ne ſapiatis.*

CAPUT XV.

Caput hoc & ſequens quidam interpretum poſt ſcriptum dicunt.

Monet ut firmi ferant infirmos, non ſua, exemplo Chriſti, ſed proximorum utilitati, ac mutuæ paci ſtudentes.

1. DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis [a] placere.

2. Unuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.

3. Etenim Chriſtus [b] non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.

4. [c] Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.

5. [d] Deus autem patientiæ, & ſolatii, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Jeſum Chriſtum.

6. Ut [e] unanimes, uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

7. Propter quod [f] ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.

8. Dico enim Chriſtum Jeſum [g] miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum.

Docet Chriſtum Judæis juxta factas patribus promiſſiones, prædicaſſe, ipſum autem Gentibus, non prævius promiſſionibus, ſed tantùm ex miſericordia annunciatum.

9. [h] Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo.

10. [i] Et iterùm dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus.

11. Et iterùm: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.

12. Et rurſus Iſaias ait: Erit radix [k] Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.

13. Deus autem [l] ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.

Erat pro Romanis, & excuſat ſe quod liberius ad ipſos ſcripſerit ex munere Apoſtolatus ſui, cujus fructum exponit.

14. [m] Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientiâ, ita ut poſſitis alterutrum monere.

15. Audaciùs autem ſcripſi vobis fratres [n] ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo.

16. Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu [o] in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.

17. Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu [p] ad Deum.

18. [q] Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo & factis:

19. In virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti: ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum [r] repleverim Evangelium Chriſti.

20. [ſ] Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt:

21. Quibus non eſt annuntiatum de eo, [t] videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

Pollicetur ſe venturum ad ipſos, ſimulatque collectam pauperibus deſtinatam perſolverit Jeruſalem.

22. Propter quod & impediebar [u] plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.

23. Nunc verò ulteriùs [x] locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis.

24. Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, [y] ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.

25. Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem [z] miniſtrare ſanctis.

26. Probaverunt enim Macedonia, & Achaïa, [aa] collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem.

27. Placuit enim eis: & [bb] debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare illis.

---

1. [a] *Placere*, quaſi præ aliis habentes.

3. [b] *Non ſibi placuit*, &c. ſua commoda quæſivit ita ut non curaret aliorum ſalutem, ſed infirmitates noſtras ſuſtinuit ſicut ſcriptum eſt, ob convitia eorum qui gloriæ tuæ derogantes tibi Pater æterne, contriſtati ſum, ita indolui, ut pro illis tanquam meis peccatis ad placandam iram tuam in eos, me humiliaverim uſque ad mortem: quâ in re declaravi quantæ mihi curæ eſſet ſalus illorum.

4. [c] *Quæcumque*, &c. quaſi rationem reddens, quare Scripturam hanc allegaverit. *Ut per patientiam*, &c. Æth. *ut per patientiam noſtram & fiduciam in ſcripturis ſpem noſtram adipiſcamur. Patientiam*, ad quam Scripturæ hortantur, & quam conferunt.

5. [d] Deus patientiæ & conſolationis author & donator det vobis, ut ſublatis diſſidiis quæ habetis inter vos, &c. idem inter vos mutuo ſentiatis ſecundum doctrinam & voluntatem Chriſti.

6. [e] *Unanimes*, Syr. *una mente.*

7. [f] *Suſcipite*, ſupportate & inſtruite.

8. [g] *Miniſtrum fuiſſe circumciſionis*, per ſemetipſum Judæis prædicaſſe Evangelium idque pro veritate ſeu fide Dei præſtanda, id eſt, ut Deus verus eſſe cognoſceretur in promiſſis. Hæc autem dicit, ut oſtendat quæ fuerit populi Judaici prærogativa, atque adeo Gentiles qui legalium obſervatione non erant præoccupati, tolerarent ipſos, neque inſultarent quòd minus promptè recepiſſent Evangelium: ſicque explicat quâ ratione Chriſtus omnes ſuſceperit propter Dei honorem: Judæos ex juſtitia ob promiſſa, Gentiles verò ex miſericordia.

9. [h] *Gentes autem*, &c. dico gentes debere. Syr. *& ut gentes laudibus celebrent Deum pro miſerationibus, quas in ipſas conſtituerunt ſicut*, &c.

10. [i] *Et iterùm*, &c. verba ſunt cap. 32. Deut. ſecundùm Sept. verſ. 43.

12. [k] *Jeſſe*, Syr. *ipſi Jeſſe*, Gr. *Jeſſe*, in genitivo. *Et qui exurget*. Arab. additur: *ex ea.* Erit Chriſtus pullulans ex radice Jeſſe.

13. [l] *Spei*. Æth. *permiſſionum veſtrarum. Omni gaudio*, perfecto & pleno. *In credendo*, per fidem. *Et virtute*. Arab. *per potentiam.*

14. [m] *Certus ſum*, Gr. *perſuaſus*, Syr. Æth. *perſuaſum habeo;*

15. [n] *Ex parte*, Syr. *paululum. Tanquam in memoriam vos reducens*, Syr. *ut commonefacerem. Propter*, Gr. Syr. *per.*

16. [o] *In Gentibus*, Syr. Arab. Æth. *inter gentes. Sanctificans Evangelium*, Syr. *& miniſtrans Evangelio*, Arab. *ſacerdotale munus exercens. In Spiritu*, Syr. Arab. Æth. *per Spiritum.* Loquitur metaphoricè, de ſe ſcilicèt velut ſacerdote, quo ad opus attinet Evangelii prædicandi, & munus exercente velut ſacrificantis.

17. [p] *Ad Deum*, Syr. Æth. Arab. *apud Deum*, in his quæ ad Deum pertinent. Habeo per Jeſum Chriſtum de quo gloriari poſſim apud Deum, ob ſucceſſum Evangelii à me prædicati.

18. [q] Syr. Arab. *Non enim auſim quicquam dicere quod non effecerit per me Chriſtus*, &c. Non ex aliorum operibus glorior ut pſeudo-Apoſtoli qui in alienis laudibus gloriantur. *Quæ non*, quam nihil non. *In obedientiam*, ut Gentes adducerem ad obediendum fidei.

19. [r] *Repleverim Evangelium*, mos loquendi Scripturæ familiaris: diffuderim, dilataverim, propagaverim.

20. [ſ] *Sic autem prædicavi*, &c. quod autem in tot locis prædicaverim, cauſa fuit, quod ut plurimum ſummopere ſtuduerim, non prædicare ubi Chriſtus jam annuntiatus, &c. *Sed ſicut ſcriptum eſt*, verum faciens quod ſcriptum eſt.

21. [t] *Videbunt*, lumen. *Intelligent*, doctrinam.

22. [u] *Plurimùm*, ſæpe numero.

23. [x] *Locum non habens*, vacuum à prædicatione idoque nulla ſupereſt neceſſitas manendi. *His regionibus*, Achaia & Macedonia.

24. [y] *Si*, Syr. *quum. Ex parte*, aliquantùm.

25. [z] *Miniſtrare*, eleemoſynam collectam ex Gentibus.

26. [aa] *Collationem* eleemoſynarum ac dationem. *In pauperes ſanctorum*, Syr. *cum pauperibus & ſanctis.*

27. [bb] *Debitores ſunt eorum*, Æth. *æquum eſt ut ipſi retribuant eis. Carnalibus*, corporalibus bonis.

28. Hoc igitur cùm conſummavero, & [a] aſſignavero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

29. [b] Scio autem quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Evangelii Chriſti veniam.

Petit ut pro ſe interim orent.

30. Obſecro ergo vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum,

31. Ut [c] liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem ſanctis,

32. [d] Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum.

33. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

CAPUT XVI.

Commendat Romanis Phœben, & varias ſubjicit ſalutationes.

1. COmmendo autem vobis [e] Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris:

2. Ut eam ſuſcipiatis [f] in Domino dignè ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi.

3. Salutate [g] Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto Jeſu

4. ([h] Qui pro anima mea ſuas cervices ſuppoſuerunt: quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium.)

5. Et [i] domeſticam Eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto.

6. Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis.

7. Salutate Andronicum & Juniam, [k] cognatos & concaptivos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.

8. Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino.

9. Salutate Urbanum adjutorem noſtrum [l] in Chriſto Jeſu, & Stachyn dilectum meum.

10. Salutate Appellen [m] probum in Chriſto.

11. Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtobuli domo. Salutate Herodionem [n] cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino.

12. Salutate Tryphænam & Tryphoſam, quæ laborant [o] in Domino. Salutate Perſidem chariſſimam, quæ multùm laboravit in Domino.

13. Salutate [p] Rufum electum in Domino, & matrem ejus & meam.

14. Salutate [q] Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis ſunt fratres.

15. Salutate Philologum, & Juliam, Nereum & ſororem ejus, & Olympiadem, & omnes qui cum eis ſunt, ſanctos.

16. Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos [r] omnes Eccleſiæ Chriſti.

Monet cavendum ab iis qui ſerant diviſiones præter doctrinam traditam.

17. Rogo autem vos, fratres, ut [ſ] obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.

18. Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & [t] benedictiones, ſeducunt corda innocentium.

19. Veſtra enim [u] obedientia in omnem locum divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.

Gratiam Dei illis precatur.

20. Deus autem pacis [x] conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.

De aliis dicit quod ſalutent Romanos.

21. Salutat vos Timotheus adjutor meus, & [y] Lucius, & Jaſon, & Soſipater, cognati mei.

22. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam, [z] in Domino.

23. Salutat vos Caïus hoſpes meus, & univerſa [aa] Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius civitatis, & Quartus, frater.

Denuo gratiam illis precatur cum ſubjuncta doxologia.

24. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

28. [a] *Aſſignavero*, ſignatum attulero & tradidero, ne quis ſuſpicaretur eum in rem ſuam aliquid inde uſurpaſſe.

29. [b] *Scio*, Æth. *confido.* Meum adventum allaturum vobis magna incrementa fidei veſtræ & bonorum Spiritus ſancti.

31. [c] *Liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa*, Paulus fidelibus Judæis ſuſpectus ut Moyſis adverſarius. *Obſequii mei oblatio*, Gr. Arab. Æth. *miniſterium meum*, Syr. *miniſterium quod perfero ſanctis qui ſunt in Jeruſalem bene recipiatur.* Eleemoſynas quas defero. *Accepta fiat, &c.* ut Judæi qui in Chriſtum crediderant vocatos ex Gentibus ſincere ament.

32. [d] *Ut veniam*, ita fiet ut veniam.

1. [e] *Phœben*, cui Paulus perferendam hanc tradit Epiſtolam. *Sororem*, fide ac religione. *Quæ eſt in miniſterio*, Gr. Syr. Arab. Æth. *miniſtram.* De ſuis facultatibus Eccleſiam illam juvans. Vel potius, deputata alicui miniſterio ſpectanti ad Eccleſiam, quod per fœminam obiri poſſet aut oporteret diaconiſſam. *Cenchris*, portus & ſtatio navalis Corinthiorum.

2. [f] *In Domino*, propter Dominum. Sicut Deus requirit. *Digne ſanctis*, Syr. *prout æquum eſt ſanctis.*

3. [g] *Priſcam*, uxorem Aquilæ, Act. cap. 18. dictam Priſcillam. *In Chriſto Jeſu*, in iis quæ ad fidem Chriſti pertinent.

4. [h] *Qui pro anima mea ſuas cervices ſuppoſuerunt*, qui pro vita mea tuenda ſemetipſos objecerunt periculo mortis. *Eccleſiæ gentium*, propter Evangelii in Gentes propagandi ſedulam operationem, vel, propter favorem erga Paulum: aut propter hoſpitalitatem erga fideles.

5. [i] *Domeſticam Eccleſiam*, eorum familiam. *Primitivus*, primus, vel, inter primos qui in Chriſtum crediderunt. Nam I. Corinth. cap. 16. verſ. 5. Stephanas & aliæ dicuntur primitiæ Achaiæ. Forte Epænetus erat Stephanæ filius. *Aſiæ* Minoris.

7. [k] *Cognatos*, verè, aut de eadem tribu. *Nobiles in Apoſtolis*, Syr. *percelebres inter Apoſtolos. Apoſtolis*, large ſumitur hoc nomen pro omnibus illis qui Evangelium Chriſti prædicant. *In Chriſto*, fidem Chriſti amplexi ſunt.

9. [l] *In Chriſto Jeſu*, in iis quæ ad fidem Chriſti pertinent.

10. [m] *Probum*, Arab. *probatum in religione Chriſti.*

11. [n] *Cognatum* ut ſupra verſ. 7. ſanguine conjunctionem. *Narciſſi*, libertus erat Claudii Imperatoris, & apud eum potens.

12. [o] *In Domino*, propter Dominum.

13. [p] *Rufum*, Marci cap. 15. Rufus quidam dicitur filius Simonis Cyrenæi. *Electum*, quòd pietate inſignis eſſet. *Meam*, cauſa honoris ſic eam vocat, vel, ob beneficia quæ ab ea acceperat.

14. [q] *Aſyncritum, &c.* ad eamdem familiam hos omnes pertinere dicit Toletus. Quod idem verſu 15.

16. [r] *Omnes*, apud quos verſor.

17. [ſ] *Obſervetis eos*, Syr. *caveatis ab iis. Præter*, Arab. Æth. *contra.*

18. [t] *Benedictiones*, Æth. *blanditias. Innocentium*, Syr. Arab. Æth. *ſimplicium.*

19. [u] *Obedientia*, quâ recepiſtis & crediſtis Evangelio. *Gaudeo in vobis*, Gr. *gaudeo hoc in vobis*, Arab. *gaudeo de eo quod in vobis eſt. Sapientes in bono*, prudentes circa ſanam doctrinam in cognitione & operatione rerum bonarum. *Simplices in malo*, imperiti ad male agendum, & circa malam doctrinam hereſiarcharum.

20. [x] *Conterat ſatanam*, per miniſtros ſuos errorum magiſtros vos ad defectionem à recta fide ſollicitantem conteret, extinctis penitus inter vos diſſidiis.

21. [y] *Lucius*, Cyreneus, Act. cap. 13. alii Lucam Evangeliſtam dicunt. *Jaſon*, hoſpes Pauli Theſſalonicæ, Act. cap. 17. *Soſipater*, Berœenſis, dictus Sopater, Act. cap. 20. *Cognati* quod ad Timotheum non debet extendi.

22. [z] *In Domino* jungendum cum *ſaluto.*

23. [aa] *Eccleſia*, Gr. Syr. *Eccleſiæ*, quod Chriſtianos advenientes menſâ & domo exciperet. Erant apud Judæos, deinde & apud Chriſtianos Xenodochia ubi peregrini & viatores publicis ſumptibus excipiebantur. Huic forſan muneri, præfectus erat Caius cùm non adſit ejus incertitudinem an ſit frater Caii, aut Eraſti. *Arcarius*, Syr. Æth. *procurator*, Syr. *œconomus*, Arab. *quæſtor.*

Digitized by Google

25. [a] Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chriſti, ſecundùm revelationem myſterii temporibus æternis taciti,

26. [Quod tunc patefactum eſt per [b] Scripturas Prophetarum ſecundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei] in cunctis Gentibus cogniti,

27. Soli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, [c] cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

AB Apoſtolo Paulo exiſtente Epheſi ſcripta eſt non ſolùm Gentilibus Corinthiis, ſed etiam Judæis ibi commorantibus: quod idem dicendum de aliis ad Eccleſias Gentilium miſſis.

Scripta autem eſt propter Epiſtolam Corinthiorum quâ illum conſuluerant de variis materiis, & propter ſcandala, & vitia nata poſt Pauli diſceſſum à Corintho.

Miſſam per Stephanam, Fortunatum, & Achaïum non verò per Timotheum dicunt nobiliores interpretes.

CAPUT I.

Poſt ſalutationes præmiſſas, gratias Deo Paulus agit de variis donis in Corinthios collatis.

1. PAULUS [d] vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater,

2. Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, [e] ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro.

3. Gratia [f] vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

4. Gratias ago Deo meo [g] ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu:

5. Quòd in omnibus divites facti eſtis [h] in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia:

6. [i] Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis:

7. [k] Ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

8. Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.

9. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.

10. [l] Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.

Hortatur illos ut contentiones inter ipſos natas & ſchiſmata vitent.

11. Significatum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis [m] qui ſunt Chloës, quia contentiones ſunt inter vos.

12. [n] Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrûm dicit: Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Chriſti.

13. Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut [o] in nomine Pauli baptizati eſtis?

14. Gratias ago Deo, quòd neminem veſ-

25. [a] *Ei*, gloria ei. *Evangelium meum*, à me prædicatum, &c. *Prædicationem Jeſu Chriſti*, Syr. *quod prædicatum eſt de Jeſu Chriſto*. *Secundùm revelationem*, quæ Evangelii prædicatione revelatur, &c. *Temporibus æternis*, ſic vocat tempus quod antè præceſſit. *Taciti*, quod abſconditum fuit.

26. [b] *Scripturas*, expoſitas & intellectas. *Ad obeditionem fidei*, ut fidei obediatur, credendo & operando eamque promptâ voluntate ſuſcipiendo.

27. [c] *Cui*, redundat non Syr. Arab. Æth. Ipſi. *Sæcula ſæculorum*, ſæcula nunquam terminanda.

Gr. *ad Romanos ſcripta eſt à Corintho per Phœben miniſtram ejus quæ in Conchrenſibus Eccleſia, ſed hæc à quopiam autore Græco ſunt addita; ſicut in aliis Epiſtolis & ſæpiſſim falſa.*

1. [d] *Vocatus*, Æth. *conſtitutus*. Vocatione Apoſtolus. *Soſthenes, frater*, factus Pauli comes & collega. Fuerat Corinthi Judæorum ſynagogæ princeps, ſed odio ſuorum Corintho pulſus ſeceſſit Epheſum.

2. [e] *Sanctificatis*, ab omni peccato emendatis per baptiſmum. *In Chriſto*, per Chriſtum. *Vocatis ſanctis*, ad ſanctitatem vocatis. *In omni loco*, vel, Gentium, vel Judæorum *Ipſorum & noſtro*, Arab. *ſuo vel noſtro*. Qui in omni loco invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt Dominus ipſorum & noſter.

3. [f] *Vobis*, multiplicetur.

4. [g] *Semper*, maxime frequenter. *In gratia*, Syr. *ob gratiam*, Arab. *de gratia*. *In Chriſto*, Syr. Arab. *per Chriſtum*.

5. [h] *In illo*, Syr. Arab. *per ipſum*. *Illo* refertur ad Chriſtum. *In omni verbo, & in omni ſcientia*, dicati dono cognoſcendi divina & eadem apte eloquendi. *Scientia*, Syr. *cognitione*.

6. [i] *Sicut*, Æth. *quibus rebus & donis velut primo teſt monens cognoſcitur vos eſſe fideles.*

7. [k] *Ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia*, Syr. *non deſtituamini ullo ex donis ipſius*. *Gratia*, gratuito dono. Hæc non de omnibus omnino intelligendum, ut conſtabit paulò poſt ex correctionibus Apoſtoli, ſed illa dona erant apud quoſdam. *Revelationem*, adventum ejus, quo manifeſtandus.

10. [l] Sicut apud infideles multæ erant ſectæ philoſophorum quorum tunc Corinthi & in Græcia magnus erat numerus; ſic & recens ad fidem converſi exiſtimabant, in religione Chriſtiana varias eſſe ſectas, ſecundùm numerum plurium qui Evangelium prædicabant.

11. [m] *Qui ſunt Chloes*, domeſtici, vel familiares Chriſtianæ mulieris apud Corinthios notæ.

12. [n] *Hoc autem dico*, Gr. *dico autem hoc*. *Quod*, id eſt, quia.

13. [o] *In nomine Pauli baptizati*, virtute ac meritis Pauli remiſſionem peccatorum conſecuti, non quod expreſſum foret nomen Pauli in baptiſmo.

trûm baptizavi, niſi Criſpum & Caïum:

15. Ne quis dicat quòd in nomine meo [a] baptizati eſtis.

16. Baptizavi autem & [b] Stephanæ domum: cæterum neſcio ſi quem alium baptizaverim.

Oſtendit qualiter Deus voluerit per humilitatem crucis, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus verò ſtultitia, non autem per ſapientiam verbi ſalvos facere credentes.

17. [c] Non enim miſit me Chriſtus baptizare ſed evangelizare: non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.

18. [d] Verbum enim crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.

19. Scriptum eſt enim: [e] Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

20. [f] Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?

21. Nam quia in [g] Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.

22. [h] Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt:

23. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: [i] Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam:

24. Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei [k] virtutem, & Dei ſapientiam:

25. Quia [l] quod ſtultum eſt Dei: ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.

Exponit contemptibilia mundi electa eſſe à Deo, &c. ne quis in ſe glorietur.

26. Videte enim [m] vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles:

27. Sed quæ [n] ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:

28. Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & [o] ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret:

29. Ut non glorietur [p] omnis caro in conſpectu ejus.

30. [q] Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio:

31. Ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, [r] in Domino glorietur.

CAPUT II.

Oſtendit Paulus à ſe Chriſtum & hunc crucifixum, magna modeſtia verbiſque ſimplicibus prædicatum Corinthiis.

1. ET ego cùm veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium [ſ] Chriſti.

2. [t] Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

3. Et ego in [u] infirmitate & timore, & tremore multo fui apud vos:

4. Et ſermo meus, & prædicatio mea, [x] non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis:

5. Ut fides veſtra non ſit [y] in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.

6. [z] Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur.

Sapientiam mundo abſconditam quæ ſolo Dei ſpiritu cognoſci poteſt, ſe loqui dicit inter perfectos.

7. Sed loquimur Dei ſapientiam [aa] in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram,

8. Quam nemo principum hujus ſæculi [bb] cog-

15. [a] *Baptizati eſtis*, Gr. Syr. Arab. *baptizavi*. Ne quis me calumnietur quòd vos baptizando tranſcripſerim in nomen meum ac de me Paulianos vocari noluerim. Qui ſenſus eſt græci textus, latinè verò: Ne quis veſtrûm in baptiſmo ſanctificationem aſcribat virtuti ac merito meo, quaſi pro merito baptizantis ſe habeat effectus baptiſmi.

16. [b] *Stephanæ*, nomen viri à nominativo Stephanas.

17. [c] *Non miſit*, non principaliter ad hoc miſit. *Sapientia verbi*, erudito ſermone. *Non evacuetur*, ne converſio Gentium ad fidem aſcribatur eloquentiæ humanæ, & non virtuti crucis. Tunc enim Corinthii eloquentiæ & philoſophiæ multùm ſtudebant. *Crux*, prædicatio crucis. hæc dicit quia Apollo demulcerat Corinthios eloquentiâ ſuâ.

18. [d] *Verbum crucis*, prædicatio Chriſti crucifixi. *Stultitia eſt*. Æth. *ſtultitia videtur*. *Virtus*, potentia.

19. [e] *Perdam*, abjiciam ut contemptibilem, quippe quæ inutilis in promovenda ſalute.

20. [f] *Ubi*, &c. quem Deus ad prædicandum miſerit. *Conquiſitor*, Syr. *diſputator*. Id eſt, qui humana tantum ratione de rebus quibuſlibet inquirit. *Stultam fecit*, vanam & falſam oſtendit, aſſerendo quod illa negat, & agendo quod illa impoſſibile reputat; vel dedignatus uti ejus adminiculo ad perſuadendum hominibus veritatem Evangelii.

21. [g] *Dei ſapientia*, rebus ſapienter factis ipſo mundi opificio. *Stultitiam prædicationis*, ſtultam prædicationem. Quoniam mundus per ſapientiam ſuam quæ contemplatus eſt creaturas, &c. *Non cognovit*, Deum in opere illo ſuo ſapientiſſimè condito, &c. *Placuit Deo*, per crucis prædicationem rem in ſpecie ſtultam, &c.

22. [h] *Quoniam*, Gr. *quandoquidem*, Arab. *dumque*. Judæi volunt ſignis & miraculis probari quæ prædicantur, Græci verò, id eſt, Gentiles humanis rationibus.

23. [i] *Judæis ſcandalum*, quòd non de ſupplicio crucis intelligendum, ſed de abolitione legum Moſaicarum. Crucifigi enim cum Chriſto idem ſonat, ac vivere de Spiritu Chriſti, id eſt, renuntiaſſe cultui & cæremoniis legis, ſuſceptâ doctrinâ Chriſti: quod Judæis erat ſcandalo, cùm leges illas ut bonas & ſanctas haberent: addendum quòd Chriſtus in cruce hoſtia erat, ſacrificia legis complens & abrogans.

24. [k] *Virtutem*, potentiam propter Judæos qui ſigna poſtulabant. Potentiam quam oſtendit eripiendo hominem è poteſtate diaboli, & mortem abolendo. *Sapientiam*, propter Gentiles qui illam quærebant: & quod per eum Deus ſapientiſſimum ſecum conſilium de ſervandis electis conſequutus eſt, quos per humilitatem & mortem Chriſti redemit. Ne autem redargueretur ex verſu præcedente ſtultitia prædicationis, dicit prædicationem illam ſive Chriſtum prædicatum eſſe vocatis, &c.

25. [l] *Quod ſtultum*, &c. quod in Dei operibus, præcipuè in converſione hominum, ſtultum ex propter rationem eſſe videtur, id ſapientius eſt omni conſilio humano.

26. [m] *Vocationem veſtram*, Æth. *quomodo vocavit vos*. *Sapientes*, Syr. *inter vos ſapientes*.

27. [n] *Stulta*, Syr. Æth. *ſtultos*. *Mundi*, ſecundùm mundum. *Infirma*, Syr. Æth. *imbecilles*. *Fortia*, Syr. *potentes*, Æth. *fortes*.

28. [o] *Ea quæ non ſunt*, qui nihil reputantur. *Deſtrueret*, contemptibiles & obſcuros redderet, quod factum eſt quando apparuit quidquid mundus ut magnum admiratur nihil conferre ad negotium ſalutis.

29. [p] *Omnis caro*, Arab. *nullus carne præditus*.

30. [q] *Ex ipſo*, per hoc Dei conſilium & gratiam vos eſtis Chriſtiani. *Sapientia, juſtitia*, &c. hæc ſenſu cauſali, id eſt, Chriſti merito datur nobis, &c.

31. [r] *In Domino*, non in ſe ipſo, ſed quidquid habet, ad Deum referat per Chriſtum: ſubaudiendum, *ergo docendo vos, non debui uti perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*.

1. [ſ] *Chriſti*, de Chriſto.

2. [t] *Non enim judicavi me ſcire*, ita me geſſi ac ſi neſcirem.

3. [u] *Infirmitate*, modeſtè & abjectè: afflictus & malè habitus. Humilem non tantùm ſermone, ſed & perſona fui, timens ne quid committerem verbo aut facto quo vos offenſi reſiliretis à fide ſuſcepta.

4. [x] *Non*, Syr. *non erat*, Arab. Æth. *fuerunt*. *Spiritus & virtutis*, virtutis Spiritus ſancti. Confirmata ſcilicèt à Spiritu ſancto miraculis, &c. *Virtutis*, potentiæ.

5. [y] *In ſapientia*, innitatur, aſcribatur rationi humanæ. Pendens ſit ex ſapientia. *Virtute*, Æth. *potentia*.

6. [z] *Sapientiam loquimur*, recondita ſapientiæ divinæ myſteria. *Perfectos*, ſpirituales. *Sapientiam non hujus ſæculi*, quæ naturali luminis ratione comparari poteſt. *Neque principum*, &c. quæ à dæmonibus acquiritur, quos intelligit nomine principum. Quia poſteà ubi hoc nomen repetitur, loquendo de crucifixione Chriſti, debet de dæmonibus intelligi. *Deſtruuntur*, Syr. *deſinent*, poteſtas eorum deſtruitur.

7. [aa] *In myſterio*, Arab. *ſecreto*. Conſilia divinæ ſapientiæ quæ Deus voluit eſſe abſcondita, & pauciſſimis ante paſſionem Filii ſui revelata, loquimur apud perfectiores, id eſt, ſpiritualiores.

8. [bb] *Cognovit*, arcanum Dei conſilium de deſtruendo dæmonum principatu, & redemptione generis humani per mortem Chriſti.

Digitized by Google

novit: ſi enim cognoviſſent nunquam Domi-num gloriæ crucifixiſſent.

9. Sed ſicut ſcriptum eſt: [a] Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.

10. [b] Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.

11. Quis enim hominum ſcit [c] quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.

12. [d] Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt; ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.

13. Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, [e] ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.

Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt.

14. [f] Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur.

15. Spiritualis autem judicat omnia; & ipſe à [g] nemine judicatur.

16. Quis enim cognovit ſenſum Domini, [h] qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

CAPUT III.

Corinthiis utpote adhuc carnalibus non potuit Paulus prædicare altiora fidei myſteria, quippe qui contentiones haberent ob ſtudia magiſtrorum, quos docet miniſtros tantùm eſſe, ſolo Deo dante incrementum.

1. ET ego, fratres, non potui vobis [i] loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam parvulis in Chriſto,

2. Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim [k] poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis.

3. Cùm enim ſit inter vos [l] zelus, & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?

4. Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nonne [m] homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus?

5. Miniſtri ejus, cui crediditis, [n] & unicuique ſicut Dominus dedit.

6. Ego plantavi: Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit.

7. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus.

8. Qui autem plantat & qui rigat, [o] unum ſunt: unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.

9. Dei enim ſumus adjutores: Dei [p] agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.

Non aliud eſt fundamentum præter Chriſtum, cui quæ ſuperædificantur, erunt in die examinis per ignem probanda.

10. Secundùm gratiam Dei quæ data eſt mihi ut ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.

11. [q] Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

12. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, [r] aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam,

13. Uniuſcujuſque [ſ] opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.

14. Si cujus opus [t] manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet.

15. Si cujus opus arſerit, [u] detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.

Dicit non eſſe violandum Dei templum, quod ſumus nos.

16. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?

17. Si quis autem templum Dei [x] violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Sapientiam mundi deſtruendam docet, quapropter non eſſe hominibus gloriandum.

18. Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos [y] ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.

19. Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: [z] Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.

20. Et iterùm: Dominus novit cogitationes

9. *Quod oculus*, &c. ſupplendum, *ſed loquimur id quod. Sicut ſcriptum eſt*, &c. *Nec in cor hominis aſcendit*, Æth. *cor hominis non cogitavit*, id eſt, cogitare & concipere nequit.

10. [b] *Nobis autem*, &c. Spiritus potuit revelare, cùm omnia conſilia Dei cognita & perſpecta habeat. *Scrutatur*, Æth. *ſcit.*

11. [c] *Quæ ſunt hominis*, cogitata & occulta in animo.

12. [d] Non ſumus inſtituti ſapientiâ mundanâ, & ſæculari ut ſciamus quæ ſunt hujus ſæculi, ſed accepimus Spiritum Dei, ut eo Spiritu revelante ſciamus myſteria pertinentia ad noſtram ſalutem.

13. [e] *Spiritualibus ſpiritualia comparantes*, ſpiritualibus viris ſpiritualia tanquam illis apta tradentes.

14. [f] Syr. *Siquidem homo animalis non recipit ſpiritualia: ſtultitia enim ei ſunt, nec poteſt cognoſcere quod ſpiritu dijudicatur. Animalis*, qui ducitur ratione naturali & ſenſibus.

15. [g] *Judicat*, bene diſcernit non ſolùm de rebus naturalibus & terrenis, ſed etiam de altioribus, & difficilioribus fidei noſtræ myſteriis. *Nemine judicatur*, qui ſentit & agit rectè à nemine condemnari poteſt.

16. [h] *Qui inſtruat*, referendum ad *quis cognovit*, quamvis nemo perfectè noverit mentem Dei multoque minùs eum inſtruere conſiliis; nos Apoſtoli qui ſpirituales ſumus, mentem Chriſti ex revelatione Spiritus ſancti percipimus, ut de arcanis religionis myſteriis judicare poſſimus, eaque aliis tradere.

1. [i] *Loqui*, doctrinam tradere.

2. [k] *Poteratis* altiora capere.

3. [l] *Zelus*, Syr. Arab. *æmulatio*. Diſſidia, factiones. *Carnales*, idem ac animales, verſ. 14. cap. 2.

4. [m] *Homines*, Gr. Arab. *carnales*.

5. [n] *Et unicuique*, &c. Arab. *& quidem uterque ipſorum prout conceſſit illi Deus.*

8. [o] *Unum*, ejuſdem conditionis quantùm ad miniſterium. *Unuſquiſque*, Arab. *quilibet eorum.*

9. [p] *Agricultura*, Syr. *agricolatio*. Ager qui colitur.

11. [q] *Fundamentum*, primarium, nam alibi agitur de fundamentis, ſecundariis ſcilicèt.

12. [r] *Aurum, argentum, lapides pretioſos*, bonam doctrinam, cujus gradus bonitatis diverſi ſunt. *Ligna*, &c. doctrinam non hæreticam aut pernicioſam; ideo enim non ædificaret, ſed minùs ſinceram, vel minùs ſolidam, vanam, curioſam, aut in renatione minùs rectè traditam, & hæc eſt vera expoſitio. Poteſt etiam intelligi hæc ſententia de operibus bonis, & per *ligna*, &c. de inordinatis affectibus ad res terrenas, & venialibus peccatis.

13. [ſ] *Opus*, ſic vocatur doctrina, quia miniſterio hominum tradita. *Dies Domini*, judicium univerſale. *Declarabit*, Syr. *patefaciet illud igne*. Conflagrationis, qui ſimul erit probatorius, purgatorius, & vindicatorius, quos bonos quidem ſed adhuc impuros invenerit, purgabit, quos omninò puros, eos illæſos tranſmittet ad regnum. Quos impios, corripiet & cruciabit in æternum unde ſenſus eſt: dies ille quo Dominus ad judicandum venturus eſt, manifeſtum faciet opus uniuſcujuſque adhibito ſevero examine per ignem ſupra modum admirabilem & terribilem, quo notum fiet omnibus diem illum eſſe quo Dominus mundum judicare ſtatuerit. *Et uniuſcujuſque opus*, &c. illoque igne quidquid doctrinæ ſuperædificatum fuerit à miniſtris ſevere examinabitur.

14. [t] *Manſerit*, illæſum & probatum.

15. [u] *Detrimentum* operis patietur, nihil pro illo mercedis accepturus doctor: ille tamen non peribit cum opere ſuo, quia fundamentum in doctrina ſua retinuit: ſed non niſi per ignem quo purgandus erit, ad ſalutem perveniet. *Quaſi*, accipitur ſpecificativè, non comparativè, ut in multis aliis ſcripturæ locis, verbi gratiâ, *gloriam ejus quaſi unigeniti*, Joan. cap. 1.

17. [x] *Violaverit*, falſa doctrina.

18. [y] *Sapiens*, *ſtultus*, &c. ſapientiâ ſæculari inſtructus, quâ videatur idoneus ad docendum alios, doctrinæ Chriſtianæ, quæ ſtultitia eſt incredulis, penitus ſe ſubjiciat.

19. [z] *Comprehendam*, &c. Deus diſſipat ſapientes cum ſuis conſiliis, vel, detegit, eludit aſtutiam, &c. Deus oſtendit eam non poſſe probare quod promittit, cùm nihil proſit ad bene beatèque vivendum.

ſapientinm, [a] quoniam vanæ ſunt.

21. Nemo iraque glorietur [b] in hominibus.

22. [c] Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mots, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt:

23. Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.

CAPUT IV.

Doces quo loco habendi ſint prædicatores Evangelii, nec eſſe judicandos ante tempus, ſed Domini judicium expectandum.

1. SIc nos exiſtimet [d] homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatotes myſteriorum Dei.

2. [e] Hic jam quæritnr inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.

3. Mihi autem [f] pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum judico.

4. Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non [g] in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.

5. Itaque nolite [h] ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.

Reprehendit diſcipulos, non verò magiſtros, quod patet ex verſ. 15. qui de acceptis donis gloriabantur, ac ſi illa a ſe ipſis haberent.

6. Hæc autem, fratres, [i] transfiguravi in me & Apollo propter vos: ut in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, nnus adversùs alterum inſletur pro alio.

7. Quis enim te [k] diſcernit? Quid autem habes quod noo accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?

8. Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis: ſine nobis [l] regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus.

9. Puto enim quòd Deus oos Apoſtolos noviſſimos [m] oſtendit, tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Occaſione acceptâ Apoſtolorum ſortem humilem & laborioſam deſcribit.

10. [n] Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudeotes in Chriſto: oos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.

11. Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & [o] colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus,

12. Et laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus:

13. [p] Blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc.

14. [q] Non ut confuodam vos hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo.

Paternum ſuum erga Corinthios amorem declarat.

15. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis io Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.

16. Rogo ergo vos, [r] imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

17. Ideo miſi ad vos [s] Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ ſunt in Chriſto Jeſu, ſicut ubique in omni Eccleſia doceo.

18. Tanquam noo venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam.

19. Veniam autem ad vos citò, ſi Domious voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed [u] virtutem.

Adventum ſuum promittit Corinthiis ut magiſtros illorum edarguat.

20. Non enim in ſermone eſt [x] regnum Dei, ſed in virtute.

20. a *Quoniam*, Arab. Æth. *quod*.

21. b *In hominibus*, non in magiſtris glorietur.

22. c *Omnia enim veſtra ſunt*, non eſt de magiſtris gloriandum, omnia enim ſunt, propter vos (electos) & ad veſtram utilitatem.

1. d *Homo*, quicumque fidelis. Sic a Corinthiis debent haberi doctrinæ & Evangelii prædicatores.

2. e *Hic jam quæritur*, Gr. *at reliquum quæritur*. Quod ſupereſt autem, illud requiritur.

4. f *Pro minimo*, nihil refert. *Humano die*, Syr. *quovis homine*. Humano judicio. *Die*, quia dies reis dici ſolebat ad ſiſtendum ſe judicio.

4. g *In hoc*, Syr. Arab. *per hoc*. *Juſtificatus*, culpâ carens.

5. h *Ante tempus*, quia non eſt tempus judicandi quamdiu non habetur certa rei notitia. *Laus erit unicuique à Deo*, unicuique bono & laudem merenti, tunc erit laus apud Deum.

6. i *Transfiguravi*, Syr. *tranſtuli*, per figuram tranſtuli. *Me*, Gr. *meipſum*. *In nobis*, Syr. *per nos*. *Pro alio*, Syr. *propter aliquem*, Gr. *adverſus alterum*, Arab. *cæterum hac comparatione*. O fratres mei propter vos attuli de meipſo & de Apollo, ut in nobis diſceretis haud arrogare vobis prudentiam ſupra id quod ſcriptum eſt, ita ut unus alium non deviter, ut unus veſtrûm adverſus alium non ſuperbiat. Hæc quæ dixi de magiſtris in quibus gloriamini ſchemate quodam tranſtuli in meipſum, & Apollo [non enim gloriabantur de Paulo & Apollo] inſtructionis veſtræ causâ, ut diſceretis in nobis velut in exemplari, non ſentire de vobis ſupra id quod ſcripſi, ſcilicet non aliud omnes nos eſſe quàm Dei miniſtros, & vos diſcipuli, ne alius pro alio, ſcilicet diſcipulus pro magiſtro qualicunque adverſus alterius Magiſtri diſcipulum inſolenius glorietur.

7. k *Diſcernit*, quid te diſtinguit, & facit aliis præſtantiorem? Quidquid enim habes accepiſtis. hæc de Corinthiis exponendum, qui de Magiſtris gloriabantur, licèt de doctoribus exponi poſſit, melius tameo de diſcipulis propter verſum ſequentem.

8. l *Regnatis*, Syr. *regnum adepti eſtis*. *Regnetis*, Syr. *regnum adepti ſitis*. Adhuc diſcipulos præſertim alloquitur qui putabant ſe non ampliùs opus habere doctorum. Idque ironicè jam ad ſatietatem uſque repleti eſtis ſapientiâ & cæteris donis, & ita abundanter ut etiam in alios poſſitis effundere jam inter Corinthios velut Magiſtri inter diſcipulos, quaſi regnum conſecuti, ſummam dignitatem vobis vindicatis, nobis Chriſti Apoſtolis à ſocietate excluſis. & utinam regnetis, id eſt, Corinthios ad eorum ſalutem regatis & dirigatis. Ut & nos vobiſcum regnemus: quod dicit non appetens regimen, ſed quia concors ſocietas Apoſtoli cum illis in regendo populo futura erat populo maximè ſalutaris.

9. m *Oſtendit*, Syr. *conſtituerit*, Gr. *edidit*, Æth. *deſignavit*. In præterito. Puto enim, & ita ſe res habet, Deum qui infirma mundi elegit, ut confundat ſapientes & fortes ad propagandum ſuum Evangelium, nos Apoſtolos ut omnium hominum extremos mundo exhibuiſſe tanquam morti deſtinatos, & velut in ampliſſimo theatro ſpectandos propoſuiſſe, non ſecus atque damnati ad beſtias publicis ſpectaculis exhibentur. Erat autem infra omnes homines ſors damnatorum ad beſtias. *Angelis & hominibus*, quia mundus ſolus conſtat Angelis & hominibus. Hæc dicit ut comparationem inſtituat inter ſinceros Chriſti Apoſtolos, & iſtos Corinthios ſuam gloriam ſectantes.

10. n *Nos*, ſtulti ſumus ſecundùm ſæculum ac veſtro judicio, ſed id *propter Chriſtum*, cujus Evangelii prædicandi causâ noſmetipſos objicimus tot periculis & incommodis. *Vos prudentes*, veſtro judicio (Corinthii enim philoſophiæ & eloquentiæ amatores erat) qui ſic prædicatis Chriſtum, ut tamen cautè proſpiciatis, ne quas adverſitates ejus causâ patiamini. *Infirmi*, quia multa mala patimur nec reſiſtimus. *Fortes*, freti eloquentiâ & amicitiâ hujus ſæculi, mala ſi quæ occurrunt facile repellitis. *Nobiles*, clari, & in magno pretio. *Ignobiles*, contempti, qui eloquentiæ & philoſophiæ ornamentis careamus.

11. o *Colaphis cædimur*, tanquam blaſphemi contumelioſè tractamur. *Et inſtabiles ſumus*, Syr. *nec domum ſtabilem habemus*, deſcribit Apoſtolus ſortem vitæ Apoſtolicæ, & ex antitheſi arguit Corinthios, qui doctores eloquentes & philoſophos curioſiùs inquirebant & quibus omnia contraria. Sicut expreſſius oſtendit in ſecunda Epiſt. cap. 11.

13. p *Blaſphemamur*, Syr. *conviciis profundunt nos*. *Obſecramus*, molle reſponſum damus obſecrationum more.

14. q Quæ ſcribo de noſtra vilitate & contemptu, deque Magiſtrorum veſtrorum honore & gloria, non ſcribo ut vos, ô Corinthii, pudore afficiam quibus pudendum, quod poſthabitis Apoſtolis qui tanta patiuntur veſtrî causâ, ſectamini glorioſulos quoſdam Magiſtros, ac pulchrum ducitis ſi eorum diſcipuli vocamini.

15. r *Sed non*, Arab. *non tamen*.

16. ſ *Imitatores*, in modeſtia, humilitate, laboribus, deſpectu gloriæ mundanæ. *Sicut & ego Chriſti*, non Gr. Syr. Arab. Æth.

17. t *Timotheum*, per quem non miſit hanc Epiſtolam ut poſteà cap. ultimo. *Fidelis in Domino*, fidelem operam præſtans in iis quæ ad Dominum. *Vias*, doctrinam & præcepta. *In Chriſto Jeſu*, in Chriſti negotio promovendo. *Sicut*, Syr. *juxta id quod doceo*.

19. u *Virtutem*, quantùm apud vos ſuâ doctrinâ & ſcientiâ quam jactant profecerint, & quam per eos ſitis bene emendati.

20. x *Regnum*, meritum percipiendi regnum cœlorum, quo nimirum Deus in nobis regnat. *Virtute*, effectu ſermonis.

Digitized by Google

21. [a] Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

CAPUT V.

Corinthios reprehendit quòd in inceſtu publicè viventem in ſuo cœtu tolerarent, eumdemque ſatanæ tradendum judicat in interitum carnis, &c.

1. [b] Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.

2. Et vos [c] inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis ut tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit.

3. Ego quidem abſens corpore, [d] præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt.

4. [e] In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu,

5. [f] Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Monet ut expurgato veteri fermento epulentur in azymis ſinceritatis, & puræ converſationis.

6. [g] Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?

7. Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut [h] eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.

8. Itaque [i] epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

Monet ut devitent Chriſtianos palam criminoſos.

9. Scripſi vobis in [k] epiſtola: Ne commiſceamini fornicariis.

10. Non utique fornicariis [l] hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe.

11. [m] Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri; ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum ejuſmodi nec cibum ſumere.

12. [n] Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?

13. Nam eos qui foris ſunt, Deus judicabit. Auferte [o] malum ex vobis ipſis.

CAPUT VI.

Redarguit Corinthios quòd judiciis contendant apud infideles, & omnino quòd lites habeant inter ſe.

1. Audet aliquis veſtrûm habens [p] negotium adversùs alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?

2. An neſcitis quoniam ſancti [q] de hoc mundo judicabunt? & ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis?

3. Neſcitis quoniam [r] angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia?

4. [ſ] Sæcularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.

5. [t] Ad verecundiam veſtram dico: Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?

6. Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?

7. [u] Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd judicia habetis inter vos: Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?

8. Sed [x] vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.

9. An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri,

Enumerat quædam peccata quæ excludunt a regno Dei.

21. [a] *Quid vultis, &c.* Arab. *quomodo vultis veniam?* Æth. *ut veniam. Virga*, ſi permanerent in peccatis. *Spiritu manſuetudinis*, ſi pœnitentiam agerent.

1. [b] *Omnino*, non levis rumor eſt: ſed fama conſtans. *Inter gentes*, Gr. Syr. Arab. additur: *nominatur*. Æth. *quam non commiſerunt vel Gentiles.* Quod non de Gentibus in univerſum intelligendum, ſed de Gentibus illius temporis, cultioribus ſcilicet Romanis & Græcis. *Uxorem patris*, adhuc viventis, ut probatur ex cap. 7 Epiſt. 2. *Habeat*, utatur carnaliter.

2. [c] *Inflati eſtis*, contentionibus vacatis. Vel, donis veſtris oſtentandis a Deo intenti eſtis: quæ ſunt officii veſtri pace negligatis. *Tollatur*, è conſortio per excommunicationem.

3. [d] *Præſens ſpiritu*, affectu, ſollicitudine. *Judicavi*, Syr. *condemnavi*, Arab. *tuli ſententiam.*

4. [e] *In nomine*, poteſt referri ad *congregatis*, vel ad *judicavi*, meliùs ad *tradere. Vobis*, qui Eccleſiæ præeſtis. *Spiritu*, una vobiſcum facturo id quod vobis injungo. *Virtute*, Arab. *poteſtate*, aſſiſtente mihi poteſtate Chriſti.

5. [f] *Tradere ſatanæ*, quia qui per excommunicationem ejiciebatur ab Eccleſia, quæ eſt regnum Dei, diaboli imperio & dominio tradebatur. *Carnis*, quod non eſt de corporali afflictione accipiendum: per carnem enim intelligitur homo, prout eſt carnalibus concupiſcentiis deditus, quibus mori debet, ut idem ipſe ſecundùm interiorem & ſpiritualem hominem ſalvetur.

6. [g] *Non eſt bona*, mala eſt, id eſt male omnino magiſtri jactant ſe de ſapientia & eloquentia, & diſcipuli gloriantur de Magiſtris quandiu inter vos eſt tam publicus peccator, cujus unius contactu infici, &c. *Totam maſſam corrumpit*, totam maſſam fermentat. *Corrumpit*, quod ad tempus Paſchale referendum.

7. [h] *Eſtis azymi*, in fonte bapti[illegible] par eſt eſſe eos qui Chriſtianam religionem profitentur, quâ profeſſione debent eſſe puri a fermento peccati; alludit hîc ad paſchæ ritum. Senſus eſt: merito vitam Azymam a vobis exigo, quandoquidem agnus noſter Paſchalis, qui eſt Chriſtus pro nobis in ara crucis oblatus, immolatus eſt: quare ſicut Judæi fermento abſtinebant quandiu Paſcha celebrabant, ita & vos Chriſtianum & perpetuum Paſcha celebrantes, ſemper oportet abſtinere à fermento veteris ac pravæ converſationis. Et ſic inceſtuoſum à vobis ſeparare.

8. [i] *Epulemur*, Syr. *feſtum agamus*, Arab. *celebremus.*

9. [k] *Epiſtola*, aut alia quæ nunc non habetur, aut hæc ipſa. *Commiſceamini*, familiaritate, convictu.

10. [l] *Hujus mundi*, mundum intelligit univerſitatem eorum, qui per baptiſmum non ſunt ſeparati a mundana converſatione. *Avaris*, qui quomodocunque res alienas injuſte vel auferunt, vel detinent. *Rapacibus*, qui aperte & per vim. Non loquitur ergo de fornicariis, idololatris & paganis, nam de hoc mundo exire debuiſſent.

11. [m] *Nunc*, non ſignificat ſe diverſum ſcribere ab eo quod jam ſcripſit, ſed quod ſcripſi vobis tale eſt.

12. [n] *Quid enim mihi*, Syr. *quid enim ad me attinet. Nonne de iis, &c.* probat ſibi non licere judicare eos qui extra Eccleſiam ſunt, more Corinthiorum & exemplo, qui non niſi Chriſtianos judicabant.

13. [o] *Malum*, Syr. *ſceleratum*, Arab. *malignum.* Illum qui malus eſt.

1. [p] *Negotium*, Syr. Æth. *litem. Adversùs alterum*, Syr. Æth. *cum fratre ſuo. Judicari*, Arab. *vocare eum in judicium. Iniquos*, infideles. *Sanctos*, fideles, unde patet illud intelligendum de litibus Chriſtianorum inter ſe.

2. [q] *De hoc mundo*, Gr. Syr. Arab. Æth. *mundum. Judicabunt*, per aſſertionem & approbationem. *In vobis*, Syr. Arab. *per vos.*

3. [r] *Angelos*, malos, & etiam bonos, judicium ſcilicet approbationis. *Sæcularia*, Syr. *quæ ſunt ſæculi hujus*, Æth. *mundi.*

4. [ſ] *Sæcularia*, ut ſupra. *Judicia ſi habueritis, &c.* ſi litigandi ſit neceſſitas, hoc non apud infideles, præſtat habere pro judicibus qui minus pollent in Eccleſia. *Contemptibiles*, qui inepti habentur ad majora magiſque propria Eccleſiæ miniſteria: ſed hoc non ita accipiendum: quaſi illi ſoli conſtituendi ſint judices, ſed hoc agendum potius, & ſi parum deceat, quam ferendum ut Chriſtiani litigent apud infideles.

5. [t] *Ad verecundiam, &c.* quod dixi de contemptibilibus, non dixi quod ita fieri debeat, ſed ut eb eo quod agitis pudor vos avocet: ſic enim confugitis ad profana tribunalia, quaſi deſint apud vos viri ſapientes, &c. *Inter fratrem ſuum*, Syr. *fratrem cum fratre ſuo.*

7. [u] *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis*; hoc ipſum ad peccatum pertinet, propter diminutionem charitatis, avaritiam, cupiditatem, &c. *Judicia*, Syr. Arab. Æth. *lites.*

8. [x] *Vos*, qui jus habetis: vel, qui in lite jus non habetis.

10. Neque [a] molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.

11. Et hæc [b] quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis: ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.

Quædam licere dicit quæ non expediunt.

12. [c] Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.

13. [d] Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & has deſtruet: corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori.

14. Deus verò & Dominum ſuſcitavit, & [e] nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.

Varias ob cauſas oſtendit vitandam fornicationem.

15. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? [f] Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit.

16. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in [g] carne una.

17. Qui autem adhæret Domino [h] unus ſpiritus eſt.

18. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur [i] in corpus ſuum peccat.

19. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis [k] veſtri?

20. Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

CAPUT VII.

Corinthios docet de matrimonio, ejuſque uſu, & indiſſolubili vinculo, atque de lege reddendi debiti.

1. [l] DE quibus autem ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini mulierem non tangere.

2. [m] Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.

3. Uxori vir [n] debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro.

4. Mulier [o] ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.

5. [p] Nolite fraudare invicem niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.

6. [q] Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.

Innuptis commendat cælibatum.

7. [r] Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum, ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius verò ſic.

8. Dico autem non nuptis, & viduis: [s] bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.

9. Quod ſi non ſe continent, [t] nubant. Melius eſt enim nubere, quàm uri.

Monet ne conjux conjugem dimittat.

10. Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non [u] diſcedere:

11. Quod ſi diſceſſerit, manere [x] innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

Docet quomodo ſi fidelis cum conjuge infidele habere ſe debeat.

12. Nam [y] cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.

13. [z] Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum.

14. [aa] Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.

15. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim [bb] ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi: in pace autem vocavit nos Deus.

10. [a] *Molles*, Syr. *corrupti*, Arab. *qui ſe dedunt vaſis ſuis genitalibus.* Turpia patientes, provocando, vel, exercendo libidinem in ſeipſis.

11. [b] *Quidam*, Syr. *& hæc quidem fecerunt in aliquibus veſtrum. In*, Syr. Arab. *per. In nomine*, per meritum. *Spiritu*, & virtute Spiritus ſancti, cui tribuuntur ea quæ ad ſanctificationem pertinent.

12. [c] *Omnia mihi licent*, redit ad id quod dixerat de non litigando, veluti reſpondens objectioni. num liceret ſua jure repetere? *Sed ego nullius*, &c. non patiar me propter res pecuniarias & temporales, ac ſi earum nimio amore ſervus eſſem. abſtrahi quominus libere Deo ſerviam: vel. de omnibus comedere licitum eſt, nam *eſca ventri*, &c. ſed non licet quavis uti Venere, ſicut quovis cibo. quia cum venter cibo ſerviat, corpus non libidini, ſed Chriſto ſervire debet.

13. [d] Occurrit objectioni. quâ quis dicere poſſet, ſe non litigare niſi propter vitæ neceſſaria: unde dicit illa non repetenda niſi quantum exigit vitæ præſentis neceſſitas. eſca debetur ventri, & venter indiget eſcis, ſed pro his non debemus nimis anxie contendere, quoniam hæc omnia deſtruentur: quanquam autem pro illis liceat aliquando judiciis forenſibus contendere, numquam tamen fornicatio, de qua ſuperius egi licita eſt, corpus enim non fornicationi ſed Domino ſubjici debet & Dominus corpori præmium tribuere per reſurrectionem illud gloriæ ſuæ conformans.

14. [e] *Nos*, corpora noſtra donabit immortalitate. *Virtutem*, Arab. *potentiam.*

15. [f] *Tollens*, Æth. *poſtquam ſuſceperitis.* Tranſl. Eraſmi. *Num igitur membra Chriſti faciam ſcorti membra?*

16. [g] *Carne una*, Syr. *unum corpus.* Pro eadem carne reputabantur propter mutuum amorem.

17. [h] *Unus Spiritus eſt*. Syr. *fit cum eo unus Spiritus.*

18. [i] *In corpus ſuum peccat*, qui peccat per immunditiam carnalem, dehoneſtat corpus ſuum & illud ignominiâ afficit. excitans in eo brutalem ac fœdam libidinem, quâ animus ita prorſus abſorbetur, ut in eo actu nihil aliud cogitare poſſit, quod in aliis peccatis non contingit. ne quidem in gula & ebrietate.

19. [k] *Veſtri*, Syr. Arab. *veſtri juris*. hoc verum eſt de fidelibus ſancte viventibus & profeſſioni ſuæ reſpondentibus.

1. [l] Arab. *Cæterum reſponſum ut reddam ſermonibus quos ad me ſcripſiſtis.* Dicam vobis. *Bonum*, melius. *Mulierem non tangere*. non ſignificat uxorem non ducere, hæc enim non fuerat quæſtio Corinthiorum. ſed utrum ad vacandum orationi & pietati ab opere carnali eſſet prorſus abſtinendum, etiam iis qui uxores haberent: qui ſenſus patebit amplius ex ſequentibus: alii tamen ad litteram exponunt de matrimonio & continentia.

2. [m] Æth. *Et ut non fornicemini, quiſque homo habitet cum uxore ſua. & quæcumque mulier habitet cum viro ſuo. Fornicationem*, vitandam. *Habeat*, utatur. licet ſit melius non uti. tamen ad vitandam fornicationem.

3. [n] *Debitum*, Gr. *debitam benevolentiam*, Gr. Arab. *dilectionem*, Æth. *mulieri quod juſtum æquum faciat vir.* Honeſto vocabulo exprimunt copulam a conjuge petitam.

4. [o] *Sui corporis*, membrorum quibus peragitur concubitus. *Non habet*, ſola.

5. [p] *Nolite fraudare*, Æth. *& propterea ne elongemini. Niſi fortè*, &c. ſuppleendum, *ſed tantùm ex conſenſu mutuo abſtinete vos interdum. In idipſum*. Æth. *ſimul in unum. Tentet*, ad adulterii crimen. *Incontinentiam veſtram*, Syr. *concupiſcentiam corporis veſtri.*

6. [q] *Hoc*, revertimini ſcilicet in idipſum.

7. [r] *Volo*, vellem. *Omnes vos*, Gr. Syr. Æth. Arab. *omnes homines.*

8. [s] *Bonum*, melius quàm nubere. *Sicut & ego*, qui permaneo innuptus.

9. [t] *Nubant*, niſi continentiam voviſſent. *Melius*, minus malum nubere propter incontinentiam. *Uri*, igne libidinis.

10. [u] *Diſcedere*, dare cauſam ſeparationis.

11. [x] *Innuptam*, ſeparatam a viro, ac ſine conjugii uſu.

12. [y] *Cæteris*, refert ad ſuperiora, quaſi alterum membrum conſilii ſuperioris dati viduis & non nuptis. adeo ut, *cæteris*, quæ nec non nuptæ nec viduæ ſunt *Ego dico*, non Dominus præcipit.

13. [z] *Et ſi qua*, &c. hæc intelligenda de iis qui in infidelitate contraxerunt.

14. [aa] *Sanctificatus*, &c. hæc debent exponi de præparatione ad veram ſanctitatem: per cohabitationem enim conjugis fidelis, alter conjux infidelis, bona converſatione conjugis fidelis diſponitur ad ſuſcipiendam fidem. *Alioquin*. debet addi, *& alioquin*. quia eſt ſecunda ratio impellens ad cohabitandum. *Immundi*. illegitimi. vel, in infidelitate manerent ſi conjux fidelis diſcederet. de adultis enim filiis loquitur, qui caſtiùs & ſanctiùs inſtituuntur à parentibus ſimul habitantibus, cùm alter eorum fidelis eſt. *Sancti*, legitimi: vel, immunes ab illis ſordibus & immunditiis quibus Gentiles turpiter & contra naturam inquinari ſolent.

15. [bb] *Servituti*, ut non habeat illo diſcedente. aut etiam cum in-

Digitized by Google

16. Unde enim ſcis mulier ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?

Unuſquiſque in quo vitæ ſtatu ad fidem vocatus eſt, permanere debet.

17. [a] Niſi unicuique ſicut diviſit Dominus, unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo.

18. [b] Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? non circumcidatur.

19. Circumciſio [c] nihil eſt, & præputium nihil eſt: ſed obſervatio mandatorum Dei.

20. Unuſquiſque in qua [d] vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.

21. Servus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, [e] magis utere.

22. Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, [f] libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.

23. Pretio empti eſtis, [g] nolite fieri ſervi hominum.

24. Unuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat [h] apud Deum.

Virginitatem commendat & matrimonio præfert, quod tamen licite, & ſine peccato contrahi poteſt.

25. De [i] virginibus autem præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis.

26. Exiſtimo ergo [k] hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.

27. Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem: ſolutus es ab uxore? noli quærere uxorem.

28. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit, [l] tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi. Ego autem vobis parco.

29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve eſt [m] reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint:

30. Et qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes.

31. Et qui utuntur hoc mundo, [n] tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.

32. [o] Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.

33. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & [p] diviſus eſt.

34. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

35. Porro hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam, [q] ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.

36. Si quis autem [r] turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, ſi nubat.

37. [ſ] Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit.

38. Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.

39. Mulier alligata eſt [t] legi quanto tempore vir ejus vivit. Quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: qui vult nubat: tantùm in Domino.

De viduis agit, cujus ſtatum etiā matrimonio præfert.

40. Beatior autem erit [u] ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

CAPUT VIII.

Reprehendit eos qui quod ſcirent idolum nihil eſſe; promiſcue, etiam cum offendiculo fratrum infirmorum, cibos edebant immolaticios, abutentes ſuâ ſcientiâ ad fratrum perniciem.

1. DE iis autem, quæ idolis ſacrificantur; ſcimus, quia [x] omnes ſcientiam habe-

junia Chriſtianæ fidei habitante, libertatem in continentia permanendi, aut cum altero contrahendi. *In pace*, Syr. Arab. *ad pacem.* Non cœpit nos religio Chriſtiana ad hanc ſervitutem, qua turbetur pax Chriſtiana, hoc eſt, pacificus Chriſti cultus in familia impediatur.

17. [a] *Niſi*, Arab. Æth. *verumtamen*. Syr. *ſed unuſquiſque ut ipſi partitus eſt Dominus, & unuſquiſque ut eum vocavit Deus, ita ambulet; atque adeo omnibus Eccleſiis ſic præcipio.* Si nulla ſit ſpes lucri faciendi conjugem, &c. perſtandum eſt in eo ſtatu in quo a Deo fuerit collocatus: vel, niſi forte Deus, prout variè dividit dona ſua, quempiam eâ gratiâ dignetur, ut conjugem infidelem, etſi religionis nomine ſibi moleſtam, & gravem ac divortium facere volentem retineat, ferentemque patientiâ & monitis vincat, Chriſtoque lucrifaciat: quo ſenſu conſtat fidelem præcepto non teneri ad dimittendam conjugem infidelem diſcedentem, ſed retinere poſſe cum ſpe lucrifaciendi cum Chriſto, unde ſequitur. *Unumquemque, &c.* id eſt, quiſque Deo ſerviat quoad fieri poteſt, in eo genere vitæ, in quo ad fidem a Deo vocatus eſt: hæcque dicit ne Chriſtiana religio res humanas turbare videretur; & ſic *in Eccleſiis, &c.*

18. [b] *Circumciſus*, Judæus. *Non adducat præputium*, non curet videri incircumciſus, &c. vide I. Mach. c. 1. v. 16. vel, non deſinat inſtituta Moſaica ſervare in iis quæ non repugnant legi Chriſtianæ. *In præputio*, Gentilis. *Non circumcidatur*, non ſubjiciatur circumciſioni & cæremoniis legis: tunc enim fideles, qui ex Judaiſmo & qui ex gentilitate ad Chriſtum tranſierant, in aliquibus ritibus & cæremoniis diſcrepabant: inductionem facit vocationum, in quibus ſit manendum.

19. [c] *Nihil eſt*, nihil prodeſt ad ſalutem; ideo non ſunt affectandæ. *Sed obſervatio, &c.* Arab. *ſed res utilis eſt obſervatio, &c.*

20. [d] *Vocatione*, vitæ conditione in qua erat quando ad Chriſtum vocatus eſt, modò non obſit fidei, bonisque moribus. Hoc conſilium, non præceptum, maxime de matrimonio, circumciſione, ſervitute, &c. exponendum.

21. [e] *Magis utere*, Arab. *præſtantius eſt ut ſervitute utaris.* Simpliciter, liber fias, ſi potes.

22. [f] *Libertus*, è ſervitute peccati in libertatem ab eo vindicatus.

23. [g] *Nolite, &c.* ne vos ita ſubjiciatis hominibus, ut Chriſto Domino debitum obſequium ſubtrahatis.

24. [h] *Apud Deum*, Deo ſerviens.

25. [i] *Virginibus*, Syr. *virginitate. Tanquam miſericordiam, &c. Conſilium do*, tanquam apoſtolatu dignatus à Chriſto per ejus miſericordiam, ut bona fide, ſicut Apoſtolum decet, prolatam ſuper re propoſita ſententiam meam.

26. [k] *Hoc*, in virginitate permanere. *Inſtantem neceſſitatem*, Syr. *neceſſitatem temporis.* Præſentem neceſſitatem vitandam, moleſtias ſcilicet & curas matrimonii.

28. [l] *Tribulationem carnis*, moleſtias & incommoda multa conjugii. *Parco*, conſulo veſtræ infirmitati, dum non recenſeo pluribus verbis conjugii incommoda, ne ab illo abſterreantur incontinentes cum periculo propriæ ſalutis. Aut vobis tanquam filiis parco, cupiens vos expertes eſſe miſeriarum quæ nuptias ſequuntur, quas nolo prolixe nimis aut ſtricte urgere.

29. [m] *Reliquum eſt*, agendum quod ſequitur. *Tanquam non habentes*, & infra, &c. nimis & inordinate inhærendo.

31. [n] *Tamquam non utantur.* Syr. *præter æquum non utantur*, Gr. *tamquam non abutentes. Figura* ſtatus, diſpoſitio; ſenſus harum propoſitionum eſt, uxoratos & continentes, felices & infelices, divites & pauperes a ſe invicem diſtingui non debere, quia brevi à morte in ſtatu æquali collocandi ſunt.

32. [o] *Volo*, Syr. *velim. Quæ*, de iis quæ.

33. [p] *Diviſus*, animo partitus inter Deum & uxorem, ſpiritualia & temporalia.

35. [q] *Sed ad id, &c.* ſed ut quod honeſtum ac decorum eſt ſequamini, & adhæreatis Domino, abſque ulla diſtractione.

36. [r] *Turpem ſe videri*, Gr. *indecorum virgini ſuæ*, Syr. *ſe deſpicatui habere. Superadulta*, Syr. additur, *nec dederit eam viro. Et ita oportet fieri*, Arab. *& ſic oportet eam eſſe.* Et ita fieri oportere putat, ut eam elocet.

37. [ſ] Syr. *Cæterum is qui certiſſime conſtituit in mente ſua, neque coactum habet arbitrium, ſed poteſtatem habet in propriam voluntatem, & ita decrevit in corde ſuo, ut ſervet virginem ſuam, benefacit. Poteſtatem habens*, quia virgo ſe ei commiſit, & conſentit permanere in cœlibatu.

39. [t] *Legi* matrimonii: vel, ex lege Domini. *In Domino*, viro Chriſtiano.

40. [u] *Si ſic permanſerit, &c.* Arab. *quod ſi talis permaneat qualis eſt, &c.*

1. [x] *Omnes ſcientiam habemus*, idolum nihil eſſe, cibos omnes ni-

mus. Scientia inflat, charitas verò ædificat.

2. Si quis autem [a] ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire.

3. Si quis autem [b] diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.

4. De eſcis autem, quæ idolis immolantur, ſcimus quia [c] nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus.

5. Nam etſi [d] ſunt qui dicantur dii, ſive in cœlo, ſive in terra: [ſi quidem ſunt dii multi & domini.]

6. [e] Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.

7. Sed non in omnibus eſt ſcientia: [f] quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum cùm ſit infirma, polluitur.

8. [g] Eſca autem nos non commendat Deo, neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus.

9. Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.

10. Si enim [h] quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem: nonne conſcientia ejus, cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?

11. Et peribit infirmus in [i] tua ſcientia frater, & propter quem Chriſtus mortuus eſt?

12. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, & in Chriſtum peccatis.

13. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.

CAPUT IX.

Licèt poteſtatem habuerit Apoſtolus ſumptus exigendi pro miniſterio evangelico, quod multis argumentis probat, ſe tamen erga Corinthios abſtinuiſſe dicit, ne quod offendiculum daret evangelio; quod in gloriam maximam ceſſiſſe ſibi affirmat.

1. [k] NOn ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino?

2. Et ſi [l] aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: nam ſignaculum apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.

3. Mea defenſio apud eos, qui [m] me interrogant, hæc eſt.

4. [n] Numquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi?

5. Numquid non habemus poteſtatem [o] mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?

6. Aut ego ſolus, & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi?

7. Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?

8. Numquid ſecundùm [p] hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit?

9. Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non [q] alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo?

10. [r] An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe qui arat, arare: & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.

11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos [ſ] carnalia veſtra metamus?

12. Si alii [t] poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non uſi ſumus hac po-

hil per ſe habere immundi. *Scientia inflat*, non vera & ſolida, ſed vana & philoſophica, qualis erat illorum qui de idolothytis comedebant cum ſcandalo infirmorum, quorum cogitata irriſioni & deſpectui habebant. *Inflat*, verò, non quidem naturâ ſua, ſed vitio hominis.

2. [a] *Se exiſtimat ſcire aliquid*. ſi quis ſibi placet in ſua ſcientia, & in ea tanquam in bono ſuo quieſcit, non referens eam ad aliorum utilitatem, ſed quomodocumque cupiens eam oſtentare. *Nondum cognovit, &c.* Syr. *nihil adhuc novit prout oportet eum noſſe*.

3. [b] *Diligit Deum*, charitatem habet qua diligat Deum, & conſequenter proximum. *Cognitus eſt*, cognitione approbationis, *novit Dominus qui ſunt ejus*.

4. [c] *Nihil eſt*, nomen ſine re, repræſentans ut Deum, quod non eſt Deus.

5. [d] *Sunt*, Gentilium opinione.

6. [e] *Nobis*, fidelibus & veri Dei cultoribus. *In illum*, ad illum adducti ſumus per fidem & verum ejus cultum, tanquam ſalvificum noſtrum principium. *Per ipſum*, redempti ſumus & ſalutem expectamus.

7. [f] *Quidam*, fideles, quamvis idolis ex animo renuntiaverint, & credant illa non eſſe deos, tamen adhuc ea elaborant infirmitate ac ſcientiæ defectu, ut habentes conſcientiam idoli, id eſt, exiſtimantes idolum eſſe alicujus virtutis ac proinde cibos immolatitios ab idolo pati mutationem aliquam, ſicque inquinare poſſe edentes, illos tamen tanquam idolothytos, id eſt, quaſi immutatos aliquo modo, &c. ex quo probatur id quod dixerat primo verſu, nam infirmi videntes alios manducare idolothyta, exiſtimabant eos hoc agere in reverentiam idolorum.

8. [g] *Eſca autem nos non commendat Deo*, hoc dicit ne firmiores veſcendo immolatitiis credant ſe placere Deo, manducando de omnibus, qui omnia creavit. *Abundabimus*, meliores erimus coram Deo. *Deficiemus*, erimus minus grati.

10. [h] *Quis*, infirmorum. *Eum qui habet*, Syr. Gr. *te habentem*, Æth. *te fidelem*. *Habet ſcientiam*, quod idolum nihil eſt, & idolothytum veſcentem nihil lædat. *Idolio*, idolis immolatorum menſa. *Ædificabitur* Syr. Arab. *confirmabitur*, Æth. *auſus erit*. Nonne frater ille hoc videns, tuo exemplo provocabitur ad comedendum immolatitia, cum conſcientia idoli, &c.

11. [i] *Tua ſcientia*, Æth. *tuo exemplo*. Scientiâ quâdam tu male uteris, præſtas illi peccandi occaſionem.

1. [k] *Non ſum liber?* id eſt, affirmative, liber ſum, nemini lege aut præcepto ſpecialiter obnoxius. *Apoſtolus*, ut, qui poſſim uti jure Apoſtolorum, quod eſt, ex Evangelio vivere. *Nonne Chriſtum, &c.* ne quis objiciat alios Apoſtolos ipſo majores eſſe, eo quod cum Chriſto non fuerit, ſicut illi, familiariter converſatus, aſſumit aliud argumentum, ſimile tamen ſuperiori, quo declarat ſe a multis licitis abſtinuiſſe, cauſa promovendæ ſalutis aliorum, ac præſertim ab accipiendis vitæ neceſſariis, quæ ſibi tanquam Apoſtolo, ab iis quibus Evangelium annuntiabat, ex Chriſti inſtituto debebantur.

2. [l] *Aliis*, aliorum judicio. *Signaculum*, Syr. Arab. *ſigillum*. Quod apud homines haberi ſolet certum veritatis ſignum, ſides enim veſtra & ſigna atque opera quæ feci inter vos ſunt evidentia ſigna mei Apoſtolatus.

3. [m] *Me interrogant*, Syr. *me condemnant*, Arab. *examinant actiones meas*. Æth. *contradicunt mihi*.

4. [n] *Numquid, &c.* probavit ſe Apoſtolum, nunc probat ſe liberum eſſe, &c. *Manducandi & bibendi*, poteſtatem ex Evangelio vivendi, & veſtris ſumptibus.

5. [o] *Mulierem ſororem*. fortè uxorem ſuam. multi enim ex patribus credunt Paulum fuiſſe maritum: vel, devotam matronam unam, aut plures, quæ ſecundùm morem Judaicum, magiſtris ſuis vitæ neceſſaria miniſtrabant, has autem non duxit Paulus ad Gentiles, ne ipſi ſcandalizarentur ſuſpicantes carnale commercium, aut ad minus crederent uxoratum. *Sicut*, non refertur tantùm ad *poteſtatem mulierem circumducendi*, ſed ad ſuperiora. *Fratres*, ſic juxta morem Hebraici & Syriaci ſermonis vocantur cognati.

8. [p] *Hominem*, humanam tantùm rationem.

9. [q] *Alligabis*, pabulum ſubtrahes. *De bobus cura*, quia non dantur leges præcipue propter ipſos, ſed propter homines, quorum eſt cura ſingularis.

10. [r] Syr. *Imo notum eſt propter quem hoc dicit. Etenim propter nos, &c. Percipiendi*, Syr. Arab. additur, *triturare*.

11. [ſ] *Carnalia*, alimenta quibus caro nutritur.

12. [t] *Poteſtatis veſtræ*, rerum quæ in poteſtate veſtra conſiſtunt, ſubſtantiæ, divitiarum. *Veſtræ*, poteſtatis quam in vos cum conſenſu

Digitized by Google

teſtate : ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus evangelio Chriſti.

13. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt : & qui altari deſerviunt, cum altari participant?

14. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

15. Ego autem nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc ut ita fiant in me : bonum eſt enim mihi magis mori, quàm ut [a] gloriam meam quis evacuet.

16. Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria : neceſſitas enim mihi incumbit : væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.

17. Si enim [b] volens hoc ago, mercedem habeo : ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.

18. Quæ eſt ergo [c] merces mea? ut Evangelium prædicans ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate meâ in Evangelio.

19. Nam cùm [d] liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.

Evangelii cauſa omnem formam ſe vertiſſe dicit.

20. [e] Et factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer.

21. [f] Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, [Cùm ipſe non eſſem ſub lege] ut eos qui ſub lege erant, lucrifacerem iis qui ſine lege erant tanquam ſine lege eſſem [cùm ſine lege Dei non eſſem : ſed in lege eſſem Chriſti] ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant.

22. Factus ſum [g] infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos:

23. [h] Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar.

24. Neſcitis quòd ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.

Ad perſeverantiam certaminis & curſus Chriſtiani Corinthios ſuo hortatur exemplo, & hoc ut præveniat objectionem hæc a ſe fieri non ex neceſſitate ſed per ſupererogationem.

25. Omnis autem, qui in agone contendit, [i] ab omnibus ſe abſtinet : & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant : nos autem incorruptam.

26. Ego igitur ſic curro, non quaſi [k] in incertum : ſic pugno, non quaſi aërem verberans.

27. Sed [l] caſtigo corpus meum : & in ſervitutem redigo : ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

CAPUT X.

Ab idololatria, fornicatione, & aliis vitiis deterret exemplo veteris populi, quem Deus nec beneficiis nec pœnis demereri potuit & cui propter nos omnia in figura contigerunt.

1. NOlo enim vos ignorare, fratres, quoniam [m] patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt,

2. Et omnes [n] in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari:

3. Et omnes [o] eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt,

4. Et omnes [p] eumdem potum ſpiritalem biberunt, (bibebant autem de ſpiritali conſequente eos, petra : petra autem erat Chriſtus.)

5. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo : nam proſtrati ſunt in deſerto.

6. Hæc autem [q] in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.

7. Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis : quemadmodum ſcriptum eſt : ſedit populus [r] manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.

8. Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt unâ die [ſ] viginti tria millia.

veſtro exercent, dum pro ſuo miniſterio recipiunt à vobis temporalia.

15. [a] *Gloriam meam quis evacuet*. Arab. *detrahat quis gloriam mea*. Æth. *ut fruſtretur mihi præmium meum*. *Gloriam*, hic intelligit quâ gloriabatur adverſus pſeudo-Apoſtolos, qui Corinthiis graves erant & ſumptuoſi, adeo ut potius eligat mori, id eſt, fame & egeſtate confici, quàm ut patiatur à quoquam Corinthiorum volente ſibi victum ſuppeditare, gloriam illam inanem reddi : & hoc ne offendiculum ullum ponat Evangelio.

17. [b] *Volens*, libenter & ex animo. *Mercedem habeo*, repoſitam apud Deum. *Invitus*, coactus timore pœnæ: vel, privata commoda ſpectans. *Diſpenſatio mihi credita eſt*, ſaltem ut ſervo, quaſi dicat, etiam ſic per me diſpenſatur Evangelium Chriſti : vel, hoc tantùm de me dici poteſt, diſpenſationem mihi commiſſam fuiſſe & à me adminiſtratam ; ſed ita ut mihi quemadmodum ſervo, nulla merces debeatur.

18. [c] *Merces*, cauſa mercedis procreans *Non abutar*, quod faceret ſi ſumptus acciperet apud quoſcumque prædicaret ; tunc enim invitus faceret, proprii ſcilicet commodi cauſa, non ſtudio propagandi Evangelii, nullaque cura habita ſcandali infirmorum. *Evangelio*, prædicando.

19. [d] *Liber ex omnibus*, nemini ſubjectus.

20. [e] *Et factus ſum*, hoc intelligendum de obſervatione quorumdam legalium, quantum fieri potuit ſine offenſa Dei.

21. [f] *Iis qui ſub lege*, &c. Moſaica apud Judæos converſatus ſum velut adhuc obſervans legem, licèt ſcirem me lege Moſaica amplius non teneri. *Iis qui ſine lege*, &c. apud Gentiles legem ſcriptam non ſervavi, cum tamen non vivam ſine lege Dei, ſed legi Chriſti ſim obnoxius.

22. [g] *Infirmis infirmus*, accommodans ſeſe infirmis, ſimilia quædam faciens velut legales obſervationes exercens, ab idolothytis abſtinens, & omnes offenſiones illorum & ſcandala diligentiſſime cavens.

23. [h] Hæc facio ut ex Evangelio fructus uberrimus ſequatur, cujus ego quoque cum cæteris particeps efficiar.

25. [i] *Ab omnibus ſe abſtinet*, univerſa agonizationis impedimenta vitat & abjicit, & temperatiſſima victus ratione ad certa ſe præparat.

26. [k] *In incertum*, ut qui non currit ad deſtinatam metam. *Pugno*, Arab. *pugno certo*. *Aërem verberans*, ut qui irrito conatu verbera ſuſtentat adverſario.

27. [l] *Caſtigo corpus meum*, ſignificat in hac pugna adverſarium ſe habere corpus ſuum, ratione carnalis concupiſcentiæ. *In ſervitutem redigo*, id ſit dum ita nutritur ac fovetur corpus, ut tamen in officio contineatur, ſubtrahendo quæ provocant ad rebellionem. *Reprobus efficiar*, abjiciar tanquam ſalute indignus, non enim hic agitur de prædeſtinatione aut reprobatione æterna.

1. [m] *Patres noſtri*, gentis noſtræ, unde *noſtri*, non complectitur in univerſum Corinthios ad quos ſcribit, ſed Judæos, ex quibus Paulus, & quorum aliqui Corinthi morabantur. *Mare*, Rubrum.

2. [n] *In Moyſe*, Syr. Arab. *per Moyſen*. Ductu Moyſis ejuſque miniſterio. *Baptizati*, velut baptizati, ita ut credibile ſit eos etiam guttis, tum ex aquæ muris hinc inde quà tranſibant in altum erectis, tum ex nube ſupra ipſos expanſa fuiſſe non nihil aſperſos, quo baptiſmi ſacramentum evidentius ſignificaretur, nubes enim ab æſtu protegebat per diem, eàdemque nocte illuminabat populum : ita Chriſti baptiſmus æſtum concupiſcentiæ refrigerat, & infuſo lumine fidei tenebras ignorantiæ depellit. *In nube, & in mari*. nubes figuravit gratiam Spiritus ſancti, mare verò baptiſmum.

3. [o] *Eamdem eſcam*, manna. *Spiritalem*, quia ſupernaturali potentiâ generabatur, & quia figura erat ſpiritalis eſcæ in ſacramento altaris, quod idem verſ. 4.

4. [p] *Eumdem*, inter ſe. *Conſequente*, Syr. *quæ cum ipſis veniebat*, Arab. *comitante*. Eò quòd aquæ quas petra copioſiſſime fundebat, pro commoditate populi in rivos diviſæ, longo ſpatio profluerent, donec veniretur ad locum, ubi eſſet aquarum copia. *Petra*, petræ aqua, quæ fluxio aquæ de petra debet intelligi ea quæ deſcribitur Exodi cap. 17. ea verſ. proxime ſequente, nam petra quæ ibi deſcribitur anteceſſit populi murmur de aquæ defectu, quæ refertur cap. 20. Num. *Bibebant de petra*, ſicut dicitur bibere dolio, id eſt, petra fundente aquas. *Petra erat Chriſtus*, per illam petram ſignificatus erat Chriſtus, qui percuſſus & occiſus à Judæis exundavit aquas uberrimas gratiarum, &c.

6. [q] *In figura facta ſunt noſtri*, fuerunt figuræ & exempla eorum quæ ſunt aut futura ſunt circa nos.

7. [r] *Manducare*, Syr. Arab. *ut ederet*, his duobus verſibus arguit ſapienter illos, qui idolothyta manducare volebant.

8. [ſ] *Viginti tria*, at Num. c. 25. dicuntur viginti quatuor, ſed major numerus non excludit minorem : præterea forte ultimus millenarius non fuit completus, adeo ut Moyſes ulteriorem numerum ſcriberet, Paulus verò citeriorem.

9. Neque [a] tentemus Chriſtum: ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt.

10. Neque [b] murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.

11. Hæc autem omnia [c] in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.

12. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

Agit de tentatione, & Dei in tentatione auxilio.

13. Tentatio vos non [d] apprehendat niſi humana: fidelis autem Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum ut poſſitis ſuſtinere.

Admonet ut à menſis idolorum abſtineant, datque præcepta circa eſum idolothytorum.

14. Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab [e] idolorum cultura.

15. Ut prudentibus loquor: vos ipſi judicate quod dico.

16. [f] Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?

17. [g] Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus.

18. Videte [h] Iſraël ſecundùm carnem: nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris?

19. Quid ergo? dico quod idolis immolatum ſit [i] aliquid? aut quod idolum ſit aliquid?

20. Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. [k] Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:

21. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.

22. An [l] æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus? Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.

23. [m] Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.

24. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed [n] quod alterius.

25. Omne quod in macello venit, [o] manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.

26. [p] Domini eſt terra & plenitudo ejus.

27. Si quis [q] vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.

28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare, [r] propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam:

29. Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius: [ſ] ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?

30. Si ego [t] cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?

31. [u] Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.

Præcipitur omnia ad Dei gloriam faciant, neque proximo offendicula præbeant.

32. Sine [x] offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei:

33. Sicut & ego per omnia omnibus [y] placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.

CAPUT XI.

Ut viros aperto capite, ſic mulieres, velato orare præcipit ac docet.

1. [z] IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

2. Laudo autem vos fratres, quòd [aa] per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.

3. Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput, Chriſtus eſt: [bb] caput autem mulieris, vir: caput verò Chriſti, Deus.

4. Omnis vir orans, aut [cc] prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.

---

9. [a] *Tentemus Chriſtum*, ſignum aliquod ejus potentiæ explorando, ut patet ex verſ. 11. *Tentaverunt*. Chriſtum ſcilicet in perſona angeli populum ducentis, Chriſtique prout in carne venturi, perſonam repræſentantis.

10. [b] *Murmuraveritis*, contra Deum: vel, homines vobis præfectos. *Exterminatore*, angelo.

11. [c] *In figura*, in typica ſignificatione. *In quos*, Syr. Arab. *ad quos*.

13. [d] *Apprehendat*, Syr. *invadit*, Gr. Æth. *apprehendit*, cepit. *Humana*, levis & quam homo ferre poſſit. Hactenus dura & difficilia non toleraſtis, armat illos ad pugnas majores. *Vos tentari*, cum dicat *vos*, & non, neminem, patet quòd loquatur ſolum de certo hominum genere, & non de omnibus & ſingulis hominibus, promiſſiones enim Novi Teſtamenti pertinent ad ſolos electos, ſaltem quantum ad gratiam finalem, quod & hic etiam de finali tentatione. *Proventum*, faciet ut bonum exitum habeat tentatio. *Suſtinere*, perſeverare.

14. [e] *Idolorum cultura*, in eſu Idolothytorum.

16. [f] *Calix benedictionis*, calix qui vocatur, calix benedictionis, quum in myſteriis preces ſuper eo fundimus. Hic benedictionis nomine nullatenus intelligenda eſt conſecratio, ſicut nec gratiarum actio, ſunt enim res diverſæ: benedictio autem, bona precatio facta ad Deum ſuper re aliqua.

17. [g] Syr. *Quemadmodum igitur unus eſt panis ille, ita & nos omnes unum ſumus corpus: ſi quidem nos omnes ex uno illo pane accipimus. Uno pane*, corpore Domini, quia multi ſumimus unum eundemque panem myſticum, ideo multi per ſignificationem & effectum ſacramenti ſumus unus panis, & quia idem ille panis corpus Chriſti eſt, ideo multi ſumus unum corpus: unde ſic ratiocinatur, Nos Chriſtiani qui de uno pane & calice Domini communicamus, hoc ipſo cum Chriſto & inter nos ſocietatem habemus & fovemus &c. ergo fideles una cum infidelibus ex immolatitiis idolorum edentes, ſocietatem impiæ religionis, & idololatriæ cum eis ineunt.

18 [h] *Iſraël ſecundùm carnem*, populum ſecundùm carnem ex Iſraële progenitum, & nondum Chriſtianum factum. *Altaris*, & eorum quæ in eo offeruntur concludendum: ergo qui manducant idolothyta, participes ſunt, &c.

19. [i] *Aliquid*, vim aliquam habens.

20. [k] *Nolo*, Syr. *nolim*.

22 [l] *Æmulamur Dominum*, Syr. *provocando provocamus ad zelotypiam Dominum noſtrum*, Gr. *irritamus*. Num audemus Chriſtum Dominum ad iram concitare, quaſi contemnentes ejus potentiam, & probare volentes an punire nos poſſit, ad hoſtem ſcilicet diabolum transfugientes? Numquid fortiores ut provocemus velut ad pugnam? ſupplendum, *minime*. *Omnia*, &c. hæc de quibus nunc agimus, ut comedere idolothyta.

23. [m] *Omnia*, vide verſum ſuperiorem.

24. [n] *Quod ſuum eſt quærat*, Arab. *quod ſibi ſoli prodeſt*. *Sed*, Syr. *ſed etiam*.

25. [o] *Manducate*, in privatis ædibus exponunt quidam. *Nihil interrogantes propter conſcientiam*, quantum quidem ad rationem conſcientiæ veſtræ pertinet, ne ea maculetur, non interrogantes utrum carnes venales in foro immolatitiæ ſint, ut qui ſciatis nullum cibum eſſe immundum, atque idolum & idolothytum nihil eſſe: vel, ne conſcientia veſtra lædatur, vel aliorum fidelium qui poſſent ſcandalizari.

26. [p] Nihil ergo eſt dæmonium, ut ab illis tanquam dominis immutari poſſit, adeoque omnia munda ſunt.

27. [q] *Vocat*, ad convivium, non ſignificans ſe ſacrificaſſe. *Conſcientiam*, vide v. 25.

28. [r] *Propter illum qui indicavit*, ne arbitretur à te illud manducari ſub idoli veneratione. *Conſcientiam*, fratris fidelis.

29 [ſ] *Ut quid enim*, alioqui enim cur. *Libertas mea*, quâ poſſum indifferenter quidvis edere. *Judicatur*, damnatur. *Ab aliena conſcientia*, cui manducando occaſionem ſcandali tribuo.

30. [t] *Cum gratia*, gratias referens Deo. *Blaſphemor*, Arab. *reprehendor*. *Pro eo quod* Syr. Arab. *pro quo*. Senſus eſt, committere non debeo, ut alius de me male loquatur, propter id quod ego Deo gratias ago, ſed potius abſtinebo.

31. [u] Hoc præceptum ad ſolos fideles ſpectat, unde ex eo nihilo concludendum circa infidelium opera.

32. [x] *Offenſione*, Syr. Arab. *offendiculo*.

33. [y] *Placeo*, placere ſtudeo. *Non quærens*, tantum.

1. [z] *Imitatores*, in eo quod dixi me omnibus placere.

2 [aa] *Per omnia mei memores eſtis*, Gr. *omnia mea meminiſtis*, Arab. *omnia mea tam dicta quàm facta*.

3. [bb] *Caput*, intelligi debet: cui poteſtas competit alios ſibi ſubjectos regendi. *Caput mulieris*, *vir*, non tamen excluditur Chriſtus, ſed caput eſt viro mediante, veluti capite ſubordinato. *Chriſti*, hominis.

4 [cc] *Prophetans*, qui divino Spiritu afflatus occulta quædam profert auditoribus, ſive ſint res futuræ ſive reconditus ſenſus ſcripturarum,

Digitized by Google

5. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, [a] deturpat caput ſuum: unum enim eſt ac ſi decalvetur.

6. [b] Nam ſi non velatur mulier, tondeatur: ſi verò turpe eſt mulier tonderi, aut decalvari, velet caput ſuum.

7. [c] Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt.

8. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro.

9. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier [d] propter virum.

10. Ideò debet mulier [e] poteſtatem habere ſupra caput propter angelos.

11. Verumtamen neque vir [f] ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino.

12. Nam ſicut mulier de viro: ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.

13. Vos ipſi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?

14. Nec ipſa [g] natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi:

15. Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.

16. [h] Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.

Reprehendit quod cœnam dominicam irreverenter ac tumultuoſe celebrarent.

17. [i] Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, ſed in deterius convenitis.

18. Primum quidem convenientibus vobis in [k] Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo.

19. Nam [l] oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.

20. [m] Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt dominicam cœnam manducare.

21. Unuſquiſque enim [n] ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.

22. Numquid [o] domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

Refert Sacramenti Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutionem.

23. [p] Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem,

24. Et gratias agens fregit & dixit: Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis [q] tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

25. Similiter & [r] calicem poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.

26. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & [ſ] calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

Quàm graviter peccent indignè ſumentes, & quà punitione digni ſint, atque etiam afficiantur ipſimet Corinthii exponit.

27. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit [t] calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini.

28. Probet autem ſeipſum [u] homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.

29. Qui enim manducat & bibit indignè, [x] judicium ſibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.

30. Ideo inter vos multi [y] infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.

31. Quod ſi noſmetipſos [z] dijudicaremus, non

ſive latens quodcumque myſterium. *Velato*, Syr. *operto*. *Deturpat*, Syr. *probro afficit*. Quia velando caput quodam modo ſignificat & profitetur ſe in terris habere aliquem ſupra ſe principem ac rectorem, quod ſignum eſt ei inhoneſtum, cùm ſolus Chriſtus ipſius caput ſit: & ratio ſignificationis eſt, quia velamen capiti impoſitum facit reſpicere deorſum tanquam ad principem in terra conſtitutum, caput autem viri in cœlo eſt: præterea turpia vitioſaque tegi debent, honeſta & vitiis carentia detegi, quod ſi vir operto capite preces agit, oſtendit ſuum caput eſſe vitioſum, & proinde tegendum, at viri caput Chriſtus eſt vitii expers: mulieris vero caput vir, qui cùm ſit nocens & vitioſus, debet mulier caput ſuum tegere: quæ debent intelligi de oratione & prophetatione publica & ſolemni in conventibus Eccleſiæ, non privata.

5. [a] *Deturpat caput*, inhoneſte ſe habet, facit enim contra divinam ordinationem & modeſtiam naturalem, dum abjicit velum capitis ad hoc ſibi attributum, ut eo ſigno profiteatur ſe ſubjectam viro. *Unum enim eſt ac ſi decalvetur*, Syr. *ſimilis enim eſt ei cujus raſum eſt caput*, Arab. *hæc enim modus unus ac idem eſt, ac ſi raſa eſſet*. Quia capilli longiores dati ſunt ei à natura ut naturale velamen, cui aliud extrinſecum addit, ut oſtendat ſe voluntate facere quod natura docet faciendum: unde quando capiti non addit velamen, quantum in ſe eſt, etiam naturale tegumentum excutit: ex hoc loco non debet colligi permiſſum mulieri prophetare in publicis conventibus, quæ ioſa cap. 14. tacere jubentur, ſed reprehendit Apoſtolus & quod prophetet, & quod prophetet aperto capite.

6. [b] Si non admittit mulier aſſumptitium velamen, abjiciat etiam illud quod dedit natura, nam ſi decet eam non velari, decebit & tonderi, ſi verò turpe eſt, &c.

7. [c] Æth. *Et viro non eſt licitum ut veletur caput ejus dum orat*. *Imago*, juxta rationem principatus, quia mulier illi ſubjecta eſt. *Gloria*, Deus in homine tamquam in pulcherrimo opificio, quod & ipſe fecerit immediate & in quo perfectius relucea opificis ſimilitudo poteſt jure gloriari. *Gloria viri*, opificium eſt ex viro factum.

9. [d] *Propter virum*, in adjutorium ejus, vir itaque eſt cauſa finalis, &c.

10. [e] *Poteſtatem*, ſigno tribuitur nomen rei ſignatæ. Signum poteſtatis viri ſupra ſe, quod eſt velamen. *propter angelos*, alia adhuc ratio, ob reverentiam quæ debetur præſentiæ angelorum, maxime in conventibus Eccleſiæ qui de bono hujus ordinis lætantur: vel, propter ſacerdotes qui angeli dicuntur.

11. [f] *Sine muliere*, naſcitur. *In Domino*, ſic utrumque faciente.

14. [g] *Natura*, naturalis inclinatio. *Ignominia*, quia per hoc mollis & effæminatus videtur.

16. [h] Syr. *Cæterum ſi quis contendat adverſus hæc*. *Nos*, Apoſtoli & Judæi, reſpondeo adverſus contradicentes, talem eſſe conſuetudinem.

17. [i] *Hoc autem præcipio*, poteſt & ad antecedentia & ad ſequentia referri. *Non in melius*, &c. quod ex conventibus non fructum ſed detrimentum accipitis.

18. [k] *Eccleſiam*, domum in qua conventus habentur. *Sciſſuras*, Syr. *diſſidia*. *Ex parte*, vel de parte rerum intelligendum, vel de parte perſonarum, iiſque verbis mitigat aſperitatem correctionis.

19. [l] *Oportet*, quia per accidens utile eſt. *Hæreſes*, Syr. Arab. *factiones*. Oportet hæreſes ſuboriri, non igitur mirum ſi ſint diſſidia. *Ut*, non denotat finem hæreſeon, ſed in quem finem Deus illas ordinet. *Probati*, Æth. *electi*. Conſtantes in fide & moribus.

20. [m] *Convenientibus*, Syr. *quum convenitis*. *Jam non eſt*, &c. Arab. *dominicam cœnam minime comeditis*. Convivium intelligit quod fiebat veſpere in Eccleſiis, ante oblationem & participationem corporis Domini; idque in memoriam ultimæ Domini cœnæ cum Apoſtolis ante inſtitutionem Euchariſtiæ, in quo convivio nulla ſuperſunt amplius ſigna charitatis.

21. [n] *Suam cœnam præſumit ad manducandum*. Syr. *propriam cœnam ante comedit ſibi*. *Suam cœnam*, propria cibaria. *Præſumit*, parat & ſecum fert ad Eccleſiam. *Ad manducandum*, in Eccleſia ante ſumptionem ſacramenti. *Alius*, ex vobis. *Eſurit*, pauper ſcilicet, qui proprios cibos ſibi parare non potuit. *Ebrius*, non de potu tantùm, nec proprie nec ſtricte accipiendum de vera ebrietate, ſed ſenſus eſt, divitibus lautè epulantibus.

22. [o] *Domos*, ſi cœnam privatam vultis facere. *Confunditis*, probro afficitis coram tota Eccleſia dum vobis epulantibus illi eſurire coguntur. *Qui non habent*, Arab. *qui nihil habent*, Æth. *inopes*. *Laudo vos*, laudem vos.

23. [p] Hæc affert ut clarius probet quantùm contra dignitatem & reverentiam ſacrorum myſteriorum, quorum celebratio cœnam illam continuo ſequebatur, Corinthii graviſſime peccarent, ut qui ad ea participanda prorſus indignè venirent, poſt epulas, crapulam, pauperum injuriam, &c. *Tradebatur*, in mortem.

24. [q] *Tradetur*, in mortem. *Meam*, Syr. Æth. *mei*.

25. [r] *Calicem*, Syr. *calicem dedit*. *Hic calix novum Teſtamentum*, Æth. *hic calix novi Teſtamenti eſt ſanguis meus*. *Novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, id quod hoc calice continetur eſt ſanguis meus: in quo ceu per quem confirmatur & ſancitur novum Teſtamentum. *Meam*, Syr. Æth. *mei*.

26. [ſ] *Calicem*, contentum in calice. *Annuntiabitis donec veniat*, Syr. *in memoriam revocabitis uſque ad adventum ipſius*.

27. [t] *Calicem*, contentum in calice. *Reus erit*, &c. obnoxius erit pœnæ quam meretur is, qui corpus & ſanguinem Chriſti Domini male tractaverit.

28. [u] *Homo*, quiſque. *Sic*, Syr. *tunc*.

29. [x] *Judicium*, Syr. Æth. *condemnationem*. *Non dijudicans*, Arab. *non diſcernens magnitudinem corporis Chriſti*. Non diſcernens corpus Chriſti ab aliis cibis vulgaribus, neque perpendens cum quanta reverentia accedendum ſit.

30. [y] *Infirmi*, qui gravius ex morbo laborant. *Imbecilles*, Æth. *afflicti*. Qui minus. *Dormiunt*, moriuntur.

31. [z] *Dijudicaremus*, probaremus, diſcuteremus, & emendaremus. *Judicaremur*, puniremur, damnaremur.

utique judicaremur.

31. Dum judicamur autem, à Domino [a] corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

33. Itaque fratres mei, cùm convenitis ad [b] manducandum, invicem expectate.

Concludit quædam præcipiendo circa celebrationem cœnæ dominicæ.

34. Si quis eſurit, domi manducet, ut non [c] in judicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, diſponam.

CAPUT XII.

Similitudine corporis humani, in quo diverſa membra diverſis officiis ſunt deputata, ſic ut alia aliorum opera adjuventur, oſtendit varia eſſe dona Spiritus ſancti, diverſis Eccleſiæ membris ad communem utilitatem attributa.

1. DE [d] ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare, fratres.

2. Scitis quoniam cùm Gentes eſſetis, ad ſimulachra muta [e] prout ducebamini euntes.

3. Ideò notum vobis facio, quòd nemo [f] in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.

4. [g] Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.

5. Et diviſiones [h] miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus:

6. [i] Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.

7. [k] Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.

8. Alii quidem per Spiritum datur [l] ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem Spiritum:

9. Alteri [m] fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu:

10. Alii [n] operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.

11. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.

12. Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt: [o] ita & Chriſtus.

13. Etenim in uno Spiritu omnes nos [p] in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes in uno Spiritu potati ſumus.

14. [q] Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa.

15. Si dixerit pes: Quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore?

16. Et ſi dixerit auris: Quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore?

17. Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus?

18. Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit.

19. Quòd ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?

20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.

21. Non poteſt autem oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii.

22. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt:

23. Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his [r] honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.

24. [ſ] Honeſta autem noſtra nullius egent: ſed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem,

25. [t] Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra.

26. Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſive [u] gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

27. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra [x] de membro.

28. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò [y] prophetas, ter-

32. [a] *Corripimur*, Gr. *erudimur*, punimur.
33. [b] *Manducandum*, cœnam dominicam.
34. [c] *In judicium*, Syr. Arab. *ad condemnationem*.
1. [d] *Spiritualibus*, Arab. *quod autem ad dona ſpiritualia*, Æth. *de iis quæ ſunt Spiritus ſancti*.
2. [e] *Prout ducebamini*, quaſi pecudes, temerè, qualitercumque, non conſilio, ſed pro nutu ducentium. *Euntes*, ſupple, *eratis*, *ibatis*.
3. [f] *In Spiritu*, Syr. Arab. *per Spiritum*. *Anathema Jeſu*, Jeſum execratur, eique maledicit. Hoc dicit propter Judæos, qui de Spiritu Dei glorantes, Jeſu tamen maledicebant, & ne ut in Paganiſmo illudantur ab ariolis, auſpicibus, magis, pythonibus, &c.
4. [g] *Diviſiones*, Arab. *diſcrimina*. Quod idem v. 5. & 6. *Gratiarum*, gratias vocat, quæ dona ſunt Spiritus ſancti gratum facientia.
5. [h] *Miniſtrationum*, Syr. Arab. *miniſteriorum*. Miniſtrationes vocat, quæ varia ſunt officia miniſtrandi Eccleſiæ.
6. [i] Operationes vocat non qualeſcumque, ſed potentes, ſcilicet gratias curationum, dæmonum ejiciendorum, miraculorum, &c.
7. [k] *Unicuique*, omni cui datur. *Manifeſtatio Spiritus*, aliquod hujuſmodi donorum, per quod manifeſtatur eum accepiſſe Spiritum ſanctum. *Ad utilitatem* Eccleſiæ, non ad vanitatem, aut oſtentationem, &c habentis.
8. [l] *Sermo ſapientiæ*, gratia diſſerendi de iis quæ ad doctrinam religionis & pietatis pertinent, idque ex cauſis ſupremis, veluti ſi quis de vocatione Gentium & reprobatione Judæorum, redemptione generis humani per humilitatem paſſionis, &c loquatur. *Sermo ſcientiæ*, gratia diſſerendi de rebus religionis Chriſtianæ, ex iis quæ ſunt humanæ ſcientiæ, vel, experientiæ.
9. [m] *Fides*, data in eum finem, ut quis per illam miracula operetur, & conjuncta cum ſingulari quadam illuſtratione intellectus, non verò ea quæ perfecta ſit quoad obedientiam aſſentiendi verbo Dei. *In*, Syr. Arab. *per*. *Uno*, Syr. Arab. *eumdem*.
10. [n] *Operatio virtutum*, gratia faciendi majora miracula, & quæ multum ſuperant naturæ vires. *Diſcretio ſpirituum*, donum quo quis diſcernere poſſit a quo ſpiritu proficiſcantur ea quæ tanquam prophetica proferuntur in medium. *Linguarum*. Æth. *linguarum exoticarum*.
12. [o] *Ita & Chriſtus*, unum eſt corpus: Eccleſia ſcilicet, multa habens membra.
13. [p] *In*. Syr. Arab. *per*. *In uno Spiritu potati ſumus*, Syr. Arab. *nos omnes unum Spiritum hauſimus*. *Potati*, diverſis donis Spiritus ſancti. Hoc de doctrina poteſt exponi, quæ ſæpe in ſcripturis figuratè pro aqua accipitur & etiam de participatione Euchariſtiæ quæ nomine potus comprenditur, ut una ſpecie altera intelligenda relicta: unde ſenſus eſt, omnes fideles velut unius corporis membra, quemadmodum regenerationem habent communem per baptiſmum, ita nutritionem habere communem per Euchariſtiæ Sacramentum.
14. [q] Inſinuat Apoſtolus illius modi querelas fuiſſe inter Corinthios propter donorum & miniſteriorum diſparitatem: ſicque docet miniſtros non debere inter ſe invidere.
23. [r] *Honorem abundantiorem*, abundantiorem honeſtatem habent enim ex arte & ſtudio humano Chriſtiani. *Quamdam honeſtatem* præ aliis membris, quia a b hominibus ſtudioſe teguntur, quæ etiam ſine ornatu vano ſæpiſſimè & ſuperfluo. *Circumdamus*, Syr. *multiplicamus*. Gr. *apponimus*, Arab. *collocamus*.
24. [ſ] *Honeſta*, Arab. *pulchra forma*. Decora, velut facies, oculi, os, manus. *Nullius*, ejuſmodi. *Abundantiorem*, &c. quia Deus indidit homini naturalem inſtinctum ea diligentibus legem.
25. [t] Syr. *Ne ſit diſſidium in corpore ſed omnia membra æque unum pro alio ſollicita ſint*.
26. [u] *Gloriatur*, Æth. *gaudet*.
27. [x] *De membro*, Syr. *in loco veſtro*, Gr. *ex parte*, Æth. *ejus*. De Chriſto qui caput eſt: vel, melius, alter alterius membra, eſtis in hoc corpore commembra.
28. [y] *Prophetas*, qui ex inſpiratione divina vel, futura prædicant: vel, ſcripturas exponunt. *Doctores*, qui non ex revelatione ſed

tiò doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.

29. [a] Numquid omnes apoſtoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores?

30. Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes [b] interpretantur?

31. [c] Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.

CAPUT XIII.

Docet charitatis neceſſitatem.

1. SI [d] linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.

2. Et ſi habuero [e] prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.

3. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, [f] ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

Charitatis officia recenſet.

4. Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non [g] æmulatur, non agit perperam, non inflatur,

5. Non eſt ambitioſa, non [h] quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum,

6. Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem [i] veritati:

7. Omnia ſuffert, [k] omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

8. [l] Charitas numquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur.

Perpetuitatem & præcellentiam charitatis ſuper alia dona oſtendit.

9. Ex parte enim cognoſcimus, & [m] ex parte prophetamus.

10. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.

11. [n] Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

12. Videmus nunc [o] per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.

13. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas: tria hæc: major autem horum eſt charitas.

CAPUT XIV.

Donum linguarum inferius eſſe dicit dono prophetiæ, imo inutile ſi deſit qui interpretetur, quod variis rationibus probat.

1. SEctamini charitatem, æmulamini [p] ſpiritalia: magis autem ut prophetetis.

2. Qui enim loquitur [q] linguâ, non hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit: Spiritu autem loquitur myſteria.

3. [r] Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.

4. Qui loquitur linguâ, [ſ] ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat.

5. [t] Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare: nam major eſt qui pro-

ex peculiari dono doctrinam fidei docent. *Virtutes*, Syr. *operatores virtutum*. Per quos fiunt miracula à potentia naturali remotiora, ut ſuſcitare mortuos. *Gratias curationum*, ſubaudi, *poſuit Deus in quibuſdam*. *Opitulationes*, qui dono pollent ad fovendos ægrotos & imbecilles, quod fit maxime in noſocomiis. *Gubernationes*, qui præſunt adminiſtrationi rerum Eccleſiæ temporalium.

29. [a] *Numquid*, ſuppleudum, *minime*.

30. [b] *Interpretatur*. multilinguis peregrinis loquebantur, qui tamen non poterant linguâ vernaculâ explicare enuntiare quæ erant prolocuti, & tantùm in genere ſciebant ſe divina loqui, ut pote motos à Spiritu ſancto.

31. [c] *Æmulamini*, &c. Syr. *quod ſi zelo teneamini donorum ampliorum*. Quoniam æmulamini chariſmata, quod non prohibeo, ſtudete conſequi Eccleſiæ Dei ultiora. *Excellentiorem*, charitatem, de qua jam acturus eſt, multo excellentiorem his donis.

1. [d] *Linguis hominum*. Syr. *qualibet hominum lingua*. Hæc quia Corinthii donum linguarum præ aliis admirabantur. *Angelorum*, hyperbole, lingua excellentiſſima.

2. [e] *Prophetiam* … *ſcientiam*, vide dicta capite ſuperiore. *Omnem*, perfectam, non à charitate quæ formata dicitur, ſed ab illuſtratione intellectus circa ea quæ creduntur, & promiſſa ſunt, cum fiducie impetrandi quod petitur, qualis eſt fides miraculorum faciendorum.

3. [f] *Ita ut ardeam*, Syr. Arab. *ut comburatur*. Scilicet pro obſervatione juſtitiæ. *Charitatem*, &c. non intelligendum nihil prodeſſe, ſi ſe in bonis operibus exerceat homo, ſed ſi ea faciat non ex amore Dei & proximi, gloriam quærens humanam, aut interim fraterno laborans odio, quod vitium erat apud Corinthios, ut patet, aut extra Eccleſiæ unitatem adhærens. *Prodeſt*, ad regnum cælorum obtinendum.

4. [g] *Æmulatur*, Syr. Arab. Æth. *invidet*.

5. [h] *Quærit quæ ſua ſunt*, omnia metitur ſuis commodis. *Non cogitat malum*, non expetit vindictam, ſed diſſimulat & excuſat injuriam.

6. [i] *Veritati*, Syr. Arab. *de veritate*. Æth. *in juſtitia*. Vero bono proximi ut de ſuo.

7. [k] *Omnia ſperat*, à Deo promiſſa. *Suſtinet*, patienter expectat, ſed hæc potius videntur intelligendi de proximo, quibus favet inſtitutum Apoſtoli, quod eſt charitatem erga proximum commendare.

8. [l] Arab. *Si prophetias dicam: hæc quidem abolebuntur: ſi linguas enarrem, ſilebunt ac ceſſabunt: ſi doctrinam mihi proponam, tandem deficiet*. *Numquam excidit*, quia permanſura eſt in futuro ſæculo, illiuſque actus, nec habitus repugnat cum ſtatu beatorum. *Scientia*, rectius per ſcientiam intelligenda eſt illa de qua ſuperius loquutus eſt Apoſtolus, donum ſcilicet ad proximorum utilitatem datum.

9. [m] *Ex parte*, imperfecte, quia dona de quibus egit prius, data ad utilitatem aliorum, imperfectionem ipſorum & inopiam monſtrant; fides verò & ſpes, quas quiſque habet propter ſe, imperfectionem habent in ſemetipſis.

11. [n] Nos in hoc ſæculo tanquam in pueritia de Deo loquimur, ſapimus, &c. obſcure & imperfecte, at ubi futuri ſæculi ſtatum attigerimus, &c.

12. [o] *Per ſpeculum*, Syr. *quaſi per ſpeculum*. Quæ videntur in ſe ipſis clarius videntur quam in ſpeculo, itaque *per ſpeculum*, obſcuritatem deſignat, per *in ænigmate*, cognoſcendi difficultatem. *Facie ad faciem*, in ſe ipſa, non in ſimilitudinibus. *Sicut & cognitus ſum*, perfecte. *Sicut*, tamen non æqualitatem, ſed ſimilitudinem quamdam dicit.

1. [p] *Spiritalia*, Syr. *dona ſpiritus*. Id eſt chariſmata illa de quibus prius egit; ſciendum autem inter illa, plus à Corinthiis habitum fuiſſe donum linguarum, ſed cum illo dono magis ad gloriam ſuam quam ad utilitatem publicam uterentur, nec ordinem loquendi in Eccleſia ſervarent. Hortatur illos Apoſtolus poſt commendationem charitatis, ut ſtudio proſequantur illa chariſmata, ſed maxime quæ aliorum utilitati inſervire poſſunt, velut prophetiæ donum, quo nomine intelligitur donum quo quis ex inſpiratione divina cognoſcebat ac pronunciabat occulta quædam, ſive illa futura eſſent, ſive ſcripturarum difficilium explanationes, ſive alia quædam ad Chriſtianam doctrinam illuſtrandam, aut pietatem promovendam pertinentia.

2. [q] *Lingua*, peregrina & ignota. *Non hominibus*, ad inſtructionem eorum. *Sed Deo*, ſolum Deum habet conſcium. *Nemo enim audit*, nemine ſcilicet interpretante. *Spiritu*, nec ipſe loquens ſe ipſum intelligit, ſed mente loquitur, cum pio devotionis affectu: non eſt credibile Corinthios aliosque fideles locutos in Eccleſia aut arabice, aut ſcythice, &c. nullo aut ſuo aut Eccleſiæ commodo, ſed Hebræâ linguâ quæ originalis erat veteris Teſtamenti, & tunc in uſu vernaculo non erat, atque adeo interpretatione indigebat, ſine qua donum illud à Spiritu ſancto datum miniſtris Eccleſiæ, alias inutile erat.

3. [r] *Nam*, Gr. *at*, Arab. *qui verò*. *Hominibus*, ad profectum hominum.

4. [ſ] *Semetipſum ædificat*, non quod intelligat ea quæ loquitur, ſed quia per Spiritum ſanctum à quo movetur ad loquendum etiam affectus ejus excitatur ad laudem Dei.

5. [t] *Volo*, occupatio eſt, id eſt, non hæc ſcribo quaſi improbem quòd aliqui inter vos loquantur linguis, imò verò placet mihi, &c.

Digitized by Google

phetat, quàm qui loquitur linguis: niſi fortè interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat.

6. Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut [a] in revelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina?

7. [b] Tamen quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint: quomodò ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur?

8. Etenim ſi incertam vocem det tuba: quis parabit ſe ad bellum?

9. [c] Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodò ſcietur id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.

10. [d] Tam multa, ut puta, genera linguarum ſunt in hoc mundo: & nihil ſine voce eſt.

11. Si ergo neſciero [e] virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus.

12. Sic & vos, quoniam [f] æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut abundetis.

13. Et ideo qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur.

14. [g] Nam ſi orem linguâ, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt.

15. [h] Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.

16. Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu: qui ſupplet locum [i] idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit.

17. Nam tu quidem bene gratias agis: ſed alter non [k] ædificatur.

18. Gratias ago Deo meo, [l] quòd omnium veſtrûm linguâ loquar.

19. Sed in Eccleſia volo [m] quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam: quam decem millia verborum in lingua.

20. Fratres nolite [n] pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.

21. [o] In lege ſcriptum eſt: Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic, & nec ſic exaudient me, dicit Dominus.

22. Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus ſed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus.

23. Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles: nonne dicent quòd inſanitis?

24. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, [p] convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.

25. [q] Occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd vere Deus in vobis ſit.

26. Quid ergo eſt, fratres? Cùm convenitis [r] unuſquiſque veſtrûm pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

Regulam ac ordinem præſcribit in donis utendi in Eccleſia.

27. [s] Sive lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut ut multum tres, & per partes & unus interpretetur.

28. Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, [t] ſibi autem loquatur, & Deo.

29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & [u] cæteri dijudicent.

30. [x] Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat.

31. Poteſtis enim [y] omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant, & omnes exhortentur.

6. [a] *In revelatione*, Syr. Arab. *per revelationem*. Revelans aliquod myſterium. *Scientia*, explicans aliquid quod ſcitu juvat. *Prophetia*, divinum aliquid exponens. *Doctrina*, mores inſtituens.

7. [b] *Tamen*, Arab. *ad hoc*, quin. *Vocem*, Syr. Arab. *ſonum*. *Id quod canitur*, &c. quod tibiæ aut citharæ ſono redditur. Hæc inſtrumenta ad aliud parata non ſunt, niſi ut ſonent ac tinniant, ſed nulli ſunt uſui niſi diſtinctum & ſignificantem ſonum dederint: nedum probandus inanis vocum ſtrepitus in hominibus.

9. [c] Syr. *Ita & vos ſi ſermonem lingua dixeritis, non ſit autem explicatus, quomodo cognoſcetur quod dicitis; eritis vobis quaſi cum aere loquentes*. Æth. *ſic igitur vos ſi loquuti eſtis in linguis regionum*, & *non ſit interpres verborum veſtrorum quis intelliget qua dixitis? Manifeſtum*, intelligibilem, interpretando niſi explicatis quod dicitis.

10. [d] *Tam multa*, ſunt inter homines idiomatum genera, quorum unumquodque ſuam habet loquelam ab aliis diverſam. *Ut puta*, paſſim.

11. [e] *Virtutem*, ſignificationem. *Barbarus*, non intelligibilis, ut ignotæ & peregrinæ linguæ.

12. [f] *Æmulatores*, ſectatores, ſtudioſi. *Spirituum*, Syr. *donorum ſpiritus*: ſenſus eſt, ſic & vos eritis vobis invicem barbari: quod ne contingat, quoniam æmulatores, &c.

14. [g] Si ad orandum Deum utar dono linguæ, non habens donum intelligentiæ. *Spiritus*, quidem meus, id eſt affectus rationalis, voluntas elevatur in Deum; cæterum *mens*, intellectus quia verborum ſignificationem ac ſenſum non aſſequitur, fructu proprio privatur, qui eſt intelligere, & intelligendo refici. *Mens*, quod verbis intendo.

15. [h] *Quid ergo eſt?* Syr. *quid igitur faciam?* *Pſallam*, Deum laudabo. *Et mente*, quod intelligam, & ab aliis intelligar: ſpiritus hic ſignificat ipſum animum ſive affectum orantis aut pſallentis: intellectus autem orationem ejus intelligibilem.

16. [i] *Idiotæ*, Syr. *imperiti*. Arab. *plebeiorum*. *Benedictionem*, Gr. Syr. Arab. *gratiarum actione*. Idiota, homo privatus ac nullo fungens munere publico: unde in caſtris idiotæ dicebantur qui militiæ non erant aſtricti: inde quadam conſequentia ſignificat indoctum & illiteratum. Senſus eſt, quod ſi tu qui linguâ peregrinâ loqueris, Dei laudes pronuntiaveris ſpiritu tantum & verba tua non intelligens, ut proinde nequeas ea interpretari: quomodo is cujus eſt vice populi reſpondere dicturus ſit *Amen*, ad tua verba, quoniam illa utpote peregrina, non intelligit? Sciendum autem hic agi de precibus & canticis ſpiritualibus quæ proferebant in medium fideles, prout quiſque divinitus eſſet inſpiratus, etiam in lingua aliena, ubi unus fortè linguam pro cæteris reſpondebat: cujus tamen vocem mox etiam cæterorum acclamatione exceptam fuiſſe veriſimile eſt.

17. [k] *Ædificatur*, Arab. *proficit*.

18. [l] *Quod omnium veſtrûm linguâ loquar*, Syr. Gr. Arab. *quòd magis quàm vos omnes linguis loquor*. *Omnium veſtrûm*, nullus veſtrûm loquitur eâ linguâ, quâ & ego non loquar quoties volo.

19. [m] *Quinque*, pauca. *Senſu meo*, Gr. *per intelligentiam meam*. *Senſu*, ita ut intelligam & intelligar. *Quam*, Syr. Arab. *potius quam*.

20. [n] *Pueri effici ſenſibus*, Æth. *voluntatem corrumpatis in malo*. *Senſibus*, Syr. *mentibus*. Ne ſitis pueris ſimiles, eligendo minora bona poſthabitis melioribus, quale erat loqui linguis ſine fructu, poſthabito prophetiæ dono.

21. [o] *In lege*, legis nomine vetus Teſtamentum intelligit. *In aliis linguis*, &c. ſenſum refert non verba Iſaiæ: in diverſis linguarum generibus loquar per Apoſtolos populo Judæorum, ſed neque viſo hoc ſigno credent mihi *Exaudient*, Syr. Arab. Æth. *audient*.

24. [p] *Convincitur*, errores vel peccata in quo eſt. *Dijudicatur*, per doctrinam omnium prophetantium auditam & intellectam, ipſe à ſua conſcientia redarguetur, ac diſcuſſione facta judicabitur tanquam impius & peccator. prophetia hic ſumitur pro cognitione futurorum & manifeſtatione occultorum.

25. [q] *Occulta cordis ejus manifeſta fiunt*, non prophetanti: non enim eſt ſenſus iſtud talis, dum ſic apud ſe per doctrinam prophetarum redarguitur & dijudicatur infidelis aut idiota, manifeſta ei fiunt quæ prius in corde latebant, ita ut nec ipſe qualia eſſent agnoſceret, alii tamen literaliter exponunt.

26. [r] *Unuſquiſque*, Syr. Arab. *quicumque*. *Pſalmum habet*, Syr. *canticum habet*, dicat *Habet*, à Deo motus eſt, ut pſalmum dicat. *Pſalmum*..... *doctrinam*, &c. intellige donum. *Apocalypſim*, Syr. Arab. *revelationem*.

27. [s] Syr. *Sive linguâ quis loquatur, duo loquantur, aut ad ſummum tres, viciſſimque loquantur & unus interpretetur*.

28. [t] *Sibi*, ad privatam ædificationem & utilitatem, nec alii vox hinc concludi poteſt, quòd qui donum haberent linguæ, ſe ipſos intelligebant.

29. [u] *Cæteri*, prophetæ, aut alii in Eccleſia. *Dijudicent*, de doctrina eorum qui loquuntur.

30. [x] Veniebant quidam in Eccleſia parati prius exponere ea quæ Spiritus ſanctus revelaverat, illi loquantur modo prædicto, ſi verò illis loquentibus fiat repente manus Domini ſuper alium prophetam ſedentem inter auditores, is qui loquebatur det ei locum dicendi, ſpiritus enim hoc extraordinario modo ſuggerens, velle videtur ut ſtatim ille audiatur: vel, ſi quis alio loquente à Spiritu Dei afflatus fuerit, non alium interpellet, aut ſeorſim cum populo agat, ſed expectet donec prior ille deſierit.

31. [y] *Omnes*, non omnes fideles, ſed prophetiæ donum habentes. *Per ſingulos*, Syr. Arab. *ſingulatim*. Unus poſt alterum. *Exhorten-*

32. [z] Et

32. [a] Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt.

33. [b] Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.

Mulieres in Eccleſiis ſilere jubet.

34. Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis [c] loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.

35. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent, [d] turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.

Rurſus præcipit ſervari quæ dixit: utpote Domini mandata.

36. [e] An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervenit?

37. [f] Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.

38. [g] Si quis autem ignorat, ignorabitur.

39. Itaque fratres æmulamini prophetare: [h] & loqui linguis nolite prohibere.

40. Omnia autem honeſtè & ſecundùm ordinem fiant.

CAPUT XV.

Exemplo reſurrectionis Chriſti, multis teſtibus, ipſique Paulo comprobata, pluribuſque aliis argumentis fidem reſurrectionis mortuorum aſtruit. Hæc enim in allegoriam vertebatur, imò multis philoſophicis ratiunculis oppugnabatur, ut videre eſt Act. cap. 17.

1. [i] NOtum autem vobis facio fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis,

2. Per quod & ſalvamini: quâ ratione prædicaverim vobis, [k] ſi tenetis, niſi fruſtra crediditis.

3. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm [l] Scripturas:

4. Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas:

5. Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc [m] undecim:

6. [n] Deinde viſus eſt plus quàm quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt:

7. Deinde viſus eſt [o] Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus:

8. Noviſſime autem omnium tanquam [p] abortivo viſus eſt & mihi.

9. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.

10. Gratiâ autem Dei ſum id quod ſum & gratia ejus in me [q] vacua non fuit ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem ſed gratia Dei mecum:

11. Sive enim ego ſive illi, ſic prædicamus, & [r] ſic credidiſtis.

12. Si autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit à mortuis quomodo quidam dicunt [ſ] in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?

13. Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit:

14. Si autem Chriſtus non reſurrexit, [t] inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra:

15. Invenimur autem & falſi teſtes [u] Dei: quoniam teſtimonium diximus adverſùs Deum, quòd ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt.

16. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.

17. Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, [x] adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.

18. Ergo & qui dormierunt [y] in Chriſto, perierunt.

19. Si [z] in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

20. [aa] Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium.

rur, Gr. *conſolatione afficiantur*, Syr. Arab. *conſolationem accipiant*.

32. [a] *Et*, Syr. *enim. Prophetis*, ſibi ipſis, ut poſſint tacere quando voluerint, neque ut arrepititi loquantur: vel, aliis prophetis, a quibus dijudicari poſſunt quæ prophetantur ab aliis quod ſignificatum eſt ſuprà c. 12. his verbis, *alii diſcretio ſpirituum*.

33. [b] Et per hoc omnes adhortor ad ſtudium pacis, & ad vitandam in Eccleſiis confuſionem.

34. [c] *Loqui*, in Eccleſia. *Sed*, ſupplendum *præcipitur*, oportet. *Lex*, ſcriptura, Gen. c. 3.

35. [d] *Turpe*, inhoneſtum propter verecundiam connaturalem mulieri.

36. [e] Neque primi, neque ſoli eſtis Chriſtiani, debetis ergo proteri imitari, & aliis Eccleſiis vos conformare, quod dicit ut faltum quorumdam contradicentium contundat.

37. [f] *Si quis*, Syr. *ſi quis ex vobis*, Æth. *& qui prædicat ſeipſum, ſi propheta eſt, &c. Videtur*, Syr. *exiſtimat Spiritualis*, excitatos habens ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Recognoſcat quæ vobis ſcribo, eſſe Domini præcepta.

38. [g] Si quis non vult agnoſcere hæc quæ dico eſſe Domini mandata, ſed mavult ignorare, ipſe viciſſim à Deo ignorabitur, qui eum non agnoſcet pro ſuo. vel, illius judicium tanquam ignari & pertinacis contemnetur.

39. [h] *Et loqui linguis nolite prohibere*. & eos qui loquuntur in linguis regionum, ne prohibeatis.

1. [i] *Notum facio*, ad memoriam revoco.

2. [k] *Si tenetis*, refertur ad *ſalvamini*, ſi retinetis uſque in finem Evangelium, eaque ratione quâ prædicavi. *Niſi fruſtra, &c.* alioqui fruſtra credideritis: vel reddo vos memores quo ſermone, id eſt, quibus, & quàm magnis argumentis prædicaverim vobis; & hâc meâ rememoratione cognoſcere poteſtis num adhuc teneatis id quod vobis prædicavi, nam ſi non tenetis fruſtra facti eſtis Chriſtiani.

3. [l] *Scripturas* propheticas, & reliquas veteris Teſtamenti.

5. [m] *Undecim*, Syr. Gr. Arab. Æth. *duodecim*.

6. [n] *Deinde viſus eſt*, hæc apparitio fuit ſecunda in Galilæa facta, & octava numero. *Dormierunt*, ſic loquitur ut ipſo vocabulo reſurrectionis fidem confirmet.

7. [o] *Jacobo*, juniore. *Apoſtolis*, quo nomine comprehendi ſeptuaginta Diſcipulos volunt quidam interpretes.

8. [p] *Abortivo*, imperfecto fœtui ratione Apoſtolorum iis, minorem, nec ſic vocari dignum, abortus enim dicitur non ſolùm fœtus mortuus, ſed etiam parvus.

10. [q] *Vacua*, Syr. Gr. *inanis*. *Non ego ſed gratia Dei mecum*, non tam ego quàm gratia Dei, quanquam & ego cum gratia Dei.

11. [r] *Sic*, ut ſuprà dixi, Chriſtum reſurrexiſſe.

12. [ſ] *In vobis*, Syr. *inter vos*. Arab. *ex vobis*.

14. [t] *Inanis*, quia hoc præcipue argumento uſi erant Apoſtoli, ut evincerent verum eſſe Chriſti dogma, quod Deus eum, ſi falſa docuiſſet, non reſuſcitaſſet e mortuis.

15. [u] *Dei*, de Deo. *Adverſus Deum*, contra veritatem, qui enim falſum annuntiat tanquam Dei verbum, facit Deum mendacem, de illo mentiens.

17. [x] *Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*, ſi Chriſtus non reſurrexit, fides veſtra inutilis eſt, nondum enim accepiſtis remiſſionem peccatorum quam fides promittit, & quæ per fidem falſam fieri non poteſt.

18. [y] *In Chriſto*, cum fide Chriſti.

19. [z] *In hac vita*, pro hac vita tantùm. *Miſerabiliores, &c.* poſſet nihilominus eſſe felicitas animarum, ſed Paulus loquitur ex hypotheſi divinæ ordinationis de Chriſto, & noſtra per eum ſalute. Deus enim non voluit mortem filii ſui ſine ejus ad vitam reſurrectione quâ mortem ſuperaret, nec mortem illius quicquam nobis prodeſſe, ſi non eſſet à morte reſurrecturus, & per reſurrectionem glorificandus: cùm igitur hac ſuppoſitâ ordinatione, mors Chriſti ſine ejus reſurrectione non fuerit nobis ad juſtitiam & peccatorum remiſſionem profutura, bene colligit Paulus, ſi Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſtis, &c. ex quo patet nihil nobis felicitatis à Chriſto, ſi non reſurrexit, expectandum in futuro ſæculo, ne quidem quoad animam ſolam, ac multò minus in vita præſenti, &c.

20. [aa] Æth. *Et nunc Chriſtus primo ſuſcitatus eſt ante omnes homines mortuos. Nunc autem*, ut revera. *Primitiæ*, primus dignitate, primus ad vitam immortalem, primus quia propriâ virtute ſurrexit cujus fructus. *Primitiæ*, reſurrectionis aliorum.

21. [a] Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.

22. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & [b] in Chriſto omnes vivificabuntur.

23. Unuſquiſque autem in ſuo [c] ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ii qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt.

24. Deinde [d] finis; cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.

25. Oportet [e] autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.

26. Noviſſima autem inimica deſtruetur mors: [f] omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus. Cùm autem dicat:

27. Omnia ſubjecta ſunt ei: ſine dubio [g] præter eum, qui ſubjecit ei omnia.

28. Cùm autem ſubjecta fuerunt illi omnia: tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.

29. [h] Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?

30. Ut quid & nos periclitamur omni horâ?

31. [i] Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

32. Si [[k] ſecundùm hominem] ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

33. [l] Nolite ſeduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

34. Evigilate [m] juſti & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.

35. Sed dicit aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? qualive corpore venient?

Reſurrectionis ordinem, modum, corporum reſurgentium qualitates, ac gloriæ differentiã deſcribit.

36. Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius [n] moriatur.

37. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus [o] cæterorum.

38. Deus autem dat illi corpus ſicut vult: & unicuique ſeminum proprium corpus.

39. Non omnis [p] caro eadem caro: ſed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium.

40. [q] Et corpora cœleſtia & corpora terreſtria; ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium.

41. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate.

42. [r] Sic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.

43. Seminatur [ſ] in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute:

44. [t] Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale: Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt:

45. Factus eſt primus homo Adam [u] in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem:

46. Sed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale.

47. Primus homo de terra, [x] terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.

48. Qualis terrenus, tales & [y] terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.

21. [a] *Syr. Et quemadmodum per hominem fuit mors, ita & per hominem exiſtit vivificatio mortuorum.*

22. [b] *In*, Arab. Æth. *per. In Chriſto omnes*, omnes quidem divinâ virtute, ſed electi ſoli merito Chriſti.

23. [c] *Ordine*, dignitatis ac meritorum non temporis. *Primitiæ Chriſtus*, ante omnes in Chriſto vivificandos. *Qui crediderunt*, hæc verba non ſunt in Syr. Gr. Arab. Æth. verſione.

24. [d] *Finis* totius mundi, quia ſtatus ipſius mutabitur. *Tradiderit regnum*. Chriſtus ut homo electos fideles præſentaverit Deo, liberos jam à diaboli tyrannide. *Evacuaverit autem principatum, &c.* dæmonum ſcilicet, qui ex omnibus ordinibus Angelorum aliqui ceciderunt. Chriſtus cum ſubjectione & gratiarum actione glorioſum illud regnum ſuum Deo Patri offert, profitens coram electis & reprobis univerſam regni ſui gloriam illi autori ſe acceptam referre, quod facturus eſt Chriſtus, poſtquam adverſarias poteſtates aboleverit ac protriverit, ſicut jam nemini qui ſit ex parte ipſius, quidquam mali poſſint inferre.

25. [e] *Autem*, Syr. Gr. *enim*. Arab. *nam. Donec*, non debet ſumi, ut & in aliis multis ſcripturæ locis excluſive ſed incluſive; non enim Chriſtus regnare ceſſabit cum ſibi fuerint omnes ſubjecti. *Ponat*, Patet.

26. [f] *Omnia*, omnes inimicos, ergo & mortem, datur ergo reſurrectio mortuorum. *Dicat*, ſcriptura.

27. [g] *Præter eum, &c.* Syr. *manifeſtum eſt, excipiendum eum qui ſubjecit illi omnia.* Hæc de Chriſto ut homine. Senſus eſt; non idcirco deſinet Filius eſſe ſubjectus Patri, quòd ſubjecta ſint ei omnia. ſubjectus autem erit re & confeſſione, quia confitebitur Deum patrem ſe majorem, ſuumque regnum & omnia bona cum gratiarum actione Patri referet accepta: & ita palam omnibus fiet Deum eſſe principem etiam Chriſti hominis, & autorem omnium bonorum tam ipſius quam totius regni ejus, quod eſt Eccleſia.

29. [h] Moris erat apud Judæos, ut ſi quis legaliter immundus moreretur, priuſquam ab ea immunditie ſecundùm legem cap. 9. Num. ablutus eſſet, alius quiſpiam pro eo baptizaretur, id eſt, lavaretur, quod exiſtimarent hujuſmodi lotionem proficere mortuo ad emundationem; ſimulque eâ cæremoniâ proteſtarentur fidem immortalitatis animarum & reſurrectionis mortuorum, adversùs hæreſim Sadducæorum: quam conſuetudinem à Phariſæis conſervatam odio Sadducæorum ſatis eſt probabile à frequentibus lotionibus Phariſæorum, quarum etiam mentio eſt in Evangelio. Sed verior expoſitio eſt, ibi per *mortuos*, intelligi debere jamjam morituris, & quibus nulla vitæ ſpes ſupereſt, & ita ſenſus erit iſte. *Alioquin*, id eſt, ſi omnino non eſt reſurrectio mortuorum, quem fructum reportabunt qui baptizantur jamjam morituri, & per hoc profitentur ſe baptizari propter ſtatum futurum poſt hanc vitam? quorſum, inquam, etenim pro ſtatu poſt mortem futuro baptizantur, ſi à morte non eſt reditus ad vitam? *Pro mortuis*, occaſione mortuorum. Eo enim anno ut patet ex c. 11. v. 30. Corinthios morbus invaſerat, unde ingruenti lethi metu, alii ut baptiſmo tingerentur orabant, quo ſtudio ſe proſpicere ſibi in futurum ſignificabant: multi exponunt pro vetis à morte præventis ante baptiſmum, quibus profuturum credebant baptiſmum, pro illis à viventibus ſuſceptum: & volunt Paulum uti hoc argumento ut argumento ad hominem: cùm enim talis baptiſmus vigeret apud Corinthios, inde probat efficaciter reſurrectionem. *Illis*, Syr. Gr. Arab. *mortuis*.

31. [i] *Quotidie morior*, quotidianis vitæ periculis expoſitus ſum. *Per*, Æth. *propter. Gloriam*, Gr. Æth. *gloriationem*. Syr. *juro per gloriam veſtram, fratres mei, quam habeo in Domino noſtro Jeſu Chriſto, me quotidie mori.* Hoc verum eſſe juro per gloriam qua de vobis glorior, tanquam meis in Chriſto filiis.

32. [k] *Secundum hominem*, ut hominum more loquar, qui libenter commemorare ſolent pugnas & pericula quibus evaſerunt. *Ad*, Arab. *adverſus. Pugnavi Epheſi*, hoc non poteſt intelligi de ſeditione facta ab argentariis de qua Act. cap. 19. cum hæc Epiſtola ſcripta fuerit anno præcedente ſeditionem; ſed ſimpliciter debet exponi, quod Paulus fuerit Epheſi beſtiis in amphitheatro expoſitus.

33. [l] *Nolite ſeduci*, hoc dicit occaſione verborum proxime dictorum, ex eorum perſona qui reſurrectionem non credunt. *Bonos*, placidos & in quamvis partem duci faciles.

34. [m] *Juſti*, ut juſti ſitis. *Ignorantiam Dei habent*, qui negant reſurrectionem, & ita vivunt ac ſi Deum ignorarent. *Reverentiam*, Syr. *verecundiam*, Gr. Arab. *pudorem*. Ut de hoc erubeſcatis.

36. [n] *Moriatur*, corruptum fuerit.

37. [o] *Cæterorum*, Syr. *cæterorum ſeminum*.

39. [p] *Caro*, Syr. *corpus*.

40. [q] *Et corpora*, Syr. Arab. *ſunt & corpora*.

42. [r] *Sic*, *erit*, aut ſe habebit.

43. [ſ] *In ignobilitate*, multis ante mortem miſeriis & fœditatibus obnoxium. *Virtute*, Arab. Æth. *potentia*.

44. [t] Arab. *& corporum aliud eſt corpus animale, & eorundem aliud corpus ſpiritale. Animale*, quod ſuſtentatur actionibus animæ quatenus ipſum ſuſtentat actionibus potentiæ vegetativæ, quarum præcipua eſt nutritio, quæ abſque alimento fieri non poteſt: itaque corpus animale idem eſt quod corpus ad ſui conſervationem indigens alimenti ſubſidio.

45. [u] *In*, Arab. *habens. Animam viventem*, dantem corpori vitam animalem, ſuſtentatione ciborum indigentem. *Noviſſimus Adam*, Chriſtus. *Spiritum vivificantem*, in ſua reſurrectione recepit ſpiritum, id eſt animam dantem corpori ſuo vitam ſpiritualem, hoc eſt, cibis & potibus non indigentem, ſed indiſſolubilem atque perpetuam.

47. [x] *Terrenus*, naturaliter animalis atque paſſibilis, maxime poſt peccatum. *De cœlo*, divinam habens originem, utpote natus ex Deo, per reſurrectionem factus eſt etiam corpore cœleſtis, id eſt, qualitates ſuæ dignitati competentes, anima ſecundùm corpus accepit: factus immortalis, impaſſibilis, & ex omni parte glorioſus.

48. [y] *Terreni*, quia corpus habemus quod in terram reſolvi poſſit

49. Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, [a] portemus & imaginem cœleſtis.

50. [b] Hoc autem dico fratres: Quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit.

51. Ecce [c] myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.

52. [d] In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba: & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur.

53. [e] Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.

Mortem in reſurrectione prorſus abolendam dicit.

54. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, [f] tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.

55. Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors [g] ſtimulus tuus?

56. [h] Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus verò peccati lex?

57. Deo autem gratias qui dedit nobis [i] victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Exhortatione ad fidem & opera bona in Domino concludit.

58. Itaque fratres mei dilecti, [k] ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.

CAPUT XVI.

Hortatur ad eleemoſynam erga Chriſtianos qui Jeroſolymis degebant.

1. [l] De collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.

2. [m] Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei benè placuerit, ut non cùm venero tunc collectæ fiant.

3. Cùm autem præſens fuero: quos [n] probaveritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.

4. Quòd ſi dignum fuerit ut, & ego eam, mecum ibunt.

Adventum ſuum promittit, rationemque reddit ſuæ apud Epheſum manſionis.

5. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo.

6. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo: [o] ut vos me deducatis quòcumque iero.

7. Nolo enim vos modo in tranſitu videre, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.

8. Permanebo autem [p] Epheſi uſque ad Pentecoſten.

9. [q] Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & evidens: & adverſarii multi.

Timotheũ commendat, & excuſat Apolloquòd non venerit.

10. [r] Si autem venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego.

11. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum [ſ] fratribus.

12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multùm rogavi eum ut veniret ad vos [t] cum fratribus: & utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum fuerit.

13. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.

14. [u] Omnia veſtra in charitate fiant.

Stephanæ domum, &c. commendat.

15. [x] Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci: quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſeipſos:

16. Ut & vos [y] ſubditi ſitis ejuſmodi, & omni cooperanti, & laboranti.

17. Gaudeo autem [z] in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci: quoniam id, quod vobis deerat ipſi ſuppleverunt:

18. Refecerunt enim & meum ſpiritum, [aa] & veſtrum. Cognoſcite ergo qui hujuſmodi ſunt.

Salutationibus Epiſtolam claudit.

19. [bb] Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila, & Priſcilla,

per mortem. *Cœleſtes*, nos qui ad cœleſtem hominem pertinemus, erimus etiam ſecundùm corpus cœleſtes per reſurrectionem.

49. [a] *Portemus*, Syr. *induemus*. Hæc non tam exhortatorie accipienda quam doctrinaliter, de reſurrectione.

50. [b] Corpus animale dum fœſt, ſtatum illum immortalitatis & incorruptionis poſſidere non poteſt.

51. [c] *Myſterium*, occultum aliquid & divinum de reſurrectione. *Omnes*, &c. Syr. *non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur*, quæ lectio verior & magis ſcopo Pauli conveniens videtur, cum agat præciſe toto hoc capite de ſpe reſurrectionis confirmanda. Senſus autem eſt, nos omnes fideles & ſancti non moriemur, ii ſcilicet qui in adventu Domini ſuperſtites invenientur, ſed tamen omnes nos in ſtatum beatæ immortalitatis immutabimur: hinc ex adverſo intelligitur ſenſus vulgatæ editionis.

52. [d] *In momento, in ictu oculi*, reſurgemus breviſſimo temporis ſpatio, collectio enim cinerum quæ fiet ab Angelo non erit abſque motu locali. *Tuba*, externo ac vehementiſſimo ſonitu, angelorum miniſterio per univerſum terrarum orbem diffuſo. *Incorrupti*, corpore integro & incorruptibiles. *Et nos*, qui viventes erimus.

53. [e] *Oportet*. Syr. *futurum eſt*. *Corruptibile*, mortale hoc corpus.

54. [f] *Fiet*, implebitur. *Scriptus*, Iſaiæ c. 25. *Præcipitabit mortem in ſempiternum*. *In victoria*, Arab. *victa atque perempta*. Per victoriam.

55. [g] *Stimulus*, Arab. *ſuprema vis*, hæc c. 13. Oſee ſecundùm Sept. Mors abolita eſt uſque ad perfectam de ea victoriam, ita prorſus ut nihil ejus reliquum maneat, ſed ſimul cum ea ſublata ſit omnis mortalitas omniſque corruptio.

56. [h] *Stimulus mortis peccatum*, quia mortem affert. *Virtus*, Gr. *potentia*. *Virtus peccati lex*, per occaſionem, ex humana perverſitate: hæc dicit ne Judæus putaret hæc mala legis beneficio tolli poſſe.

57. [i] *Victoriam*, Æth. *ut vincamus*. Dans virtutem implendi legem.

58. [k] *Stabiles*... *immobiles*, in fide reſurrectionis mortuorum *Scientes*, &c. Æth. & *ſciatis quod non fuit fruſtra quod laboraſtis pro Domino noſtro*. *In Domino* apud Dominum.

1. [l] Arab. *Porro quod collectam quæ ſanctos ſubleuatis*.

2. [m] *Per unam ſabbati*, Æth. *primam (id eſt) dominicam*. *Unam*, primam. *Sabbati*, Hebdomadæ, id eſt, die dominico.

3. [n] *Probaveritis per Epiſtolas*, quas dabitis illis Hieroſolymam cùm ſubſidio perferendas. *Hos mittam*, ut eas ferant.

6. [o] *Ut*, non cauſam finalem ſignificat, ſed bonum aliquod conſequens. *Me deducatis*, me diſcedentem comitantes, & viæ ſubſidio juvantes.

8. [p] *Epheſi*, hinc colligitur ibi ſcriptam hanc Epiſtolam. *Pentecoſten*, non debet intelligi de Pentecoſte Chriſtianorum, ſed Judæorum, quod feſtum Paulus nominat non obſervationis causâ, ſed certum tempus fidelibus notum deſignare volens, quo permanſurus ſit Epheſi.

9. [q] *Oſtium*, ratio & occaſio manendi, prædicandique Evangelii. *Et evidens*, Syr. *plenum operoſis factis*, Æth. *ad operandum*.

10. [r] *Si*, Arab. *cum*. *Sine timore*, nullus ſit ei moleſtus.

11. [ſ] *Fratribus*, cum eo venturis.

12. [t] *Cum fratribus*, cum iis quos Corinthii miſerant, qui revertebantur.

14. [u] *Omnia veſtra*, Arab. *omnia veſtra negotia*. Opera.

15. [x] Syr. *Vos autem rogo, fratres mei, pro domo Stephanæ, quippe quam noſtis eſſe primitias Achaiæ, ſeque expoſuiſſe in miniſterium ſanctorum*. *Stephana*, viri nomen. *Primitiæ*, primi crediderunt. *In miniſterium*, ſubminiſtrationem rerum neceſſariarum. *Ordinaverunt*, obtulerunt, exhibuerunt.

16. [y] *Subditi ſitis*, Syr. *dicto audientes ſitis*. Eorum conſilia ac monita libenter audiendo. *Ejuſmodi*, Gr. Æth. *talibus*, Arab. *hiſce ſimilibus*.

17. [z] *In præſentia*, Syr. Arab. Æth. *de adventu*. *Quod vobis deerat*, Syr. *quod vobis deerat apud me*. Vel, quod mihi deerat veſtri. *Ipſi ſuppleverunt*, hi præſentes ſuppleverunt officio ſuo veſtrûm omnium præſentiam mihi alioquin deſideratam.

18. [aa] *Et veſtrum*, quia cum ſitis mei diſcipuli de meo bono gaudere debetis, & mea refocillatio in vos redundat. *Cognoſcite*, &c. Arab. *cognoſcite igitur dignitatem hiſce ſimilium*. Reveremini.

19. [bb] *Salutant vos*, Syr. *poſtulant pacem veſtram*. *Aſia* minoris cujus metropolis Epheſus, ubi ſcripta præſens Epiſtola. *Domeſtica Eccleſia*, congregatione fidelium commorante in domo eorum, vel, familia fideli. *Apud quos & hoſpitor*, non in Syr. Gr. Arab. Æth.

cum domeſtica ſua Eccleſia: apud quos & hoſpitor.

20. Salutant vos omnes [a] fratres, ſalutate invicem in oſculo ſancto.

21. Salutatio, [b] mea manu Pauli.

22. Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit [c] anathema, Maran Atha.

23. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.

24. [d] Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu. Amen.

IN SECUNDAM EPISTOLAM
AD CORINTHIOS.

Scripta eſt occaſione dilationis adventûs Pauli in prima Epiſtola promiſſi, quidam enim ex circumciſione pſeudo-Apoſtoli, intereà temporis, doctrinæ & perſonæ Pauli detrahebant.

Quo loco ſcripta, incertum: ſed è Macedonia anno uno poſt primam. Et ante eam quæ ad Romanos, in hac enim urgetur adhuc negotium faciendæ collectæ, quam ad Romanos ſcribens factam dicit.

CAPUT I.

[e] *Præmiſſâ ſalutatione, oſtendit Apoſtolus tam afflictiones ſuas, cujuſmodi paſſus fuerat in Aſia, quam conſolationem à Deo ſuper iis acceptam, cedere in Corinthiorum ſolatium ac ſalutem.*

1. PAULUS Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, [f] cum omnibus ſanctis, qui ſunt in univerſa Achaia.

2. [g] Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. [h] Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis,

4. Qui conſolatur [i] nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, quâ exhortamur, & ipſi à Deo,

5. [k] Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.

6. [l] Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur:

7. [m] Ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes quòd ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.

8. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt [n] in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.

9. [o] Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos:

10. Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus quoniam & adhuc eripiet.

11. [p] Adjuvantibus & vobis in oratione pro

20. a *Fratres*, fideles Epheſi exiſtentes.

21. b *Mea*, in ablativo, meâ manu ſcripta eſt quæ ſequitur ſalutatio.

22. c *Anathema*, graviſſimum, additâ precatione ut Deus quàm primùm in eum vindicet. *Maran Atha*, Arab. *Maranatha*, hoc eſt, Dominus noſter venit. In præterito, *venit*, poteſt ſumi in futuro more Hebraico, & ſic exponi, cùm Chriſtus veniet ad judicium univerſale anathema his qui non dilexerunt illum.

24. d *Charitas*, dilatio.

e Æth. *Præfigitur: Ad Corinthios ſecunda: & ſcripta fuit quum eſſet in urbe Philippenſi.*

1. f *Cum omnibus*, Syr. Æth. *& omnibus. Sanctis*, quia ad ſanctitatem vocati.

2. g *Gratia*, præſtetur, multiplicetur.

3. h *Benedictus*, Æth. *benedictus ſit.* Id eſt, laudetur à nobis propter opera ſuæ bonitatis. *Deus conſolationis*, autor.

4. i *Nos*, ſeipſum & ſocios Evangelii miniſtros. *Conſolatur... exhortamur*, utrumque paſſive accipiendum. *Per exhortationem, &c.* Syr. *per illam conſolationem quâ nos conſolatur Deus.*

5. k Arab. *Nam juxta menſuram quâ creſcunt paſſiones Chriſti, & multiplicantur in nobis, ita abundat per Chriſtum & conſolatio noſtra. Paſſiones Chriſti*, afflictiones quas pro Chriſto patimur.

6. l Syr. *Sive autem affligimur pro veſtri conſolatione, ac pro veſtra ſalute affligimur.* Sive conſolationem accipimus, id fit, ut conſolationem accipiatis, & ſit in vobis perſeverantia quâ ſuſtineatis perpeſſiones illas quas & nos patimur. *Sive tribulamur*, tribulatio iſta utilis eſt ad vos exhortandum ſalubriter, ſcilicet ut exemplo noſtri tribulationes ſuſtineatis libenter. *Sive conſolamur* à Deo, hoc fit & utile eſt ad conſolandum vos, quia conſolatio magiſtri debet excitare diſcipulos ad ſimilia ferenda; quoniam eadem merces nobis & vobis promittitur. *Sive exhortamur*, divinitus admonemur omnia fortiter perpeti, hoc fit pro veſtra exhortatione & ſalute, quia per hoc idonei efficimur admonere vos ad veſtram ſalutem. *Quæ operatur*, in paſſivo, quæ ſalus efficitur ac paratur obtinenda tamen à vobis per tolerantiam earumdem paſſionum, &c. *Quæ operatur tolerantiam*, Gr. *effecta in tolerantiam*, Arab. *effecta per patientiam.*

7. m *Ut*, adeo ut, gallicè, *en ſorte que. Pro vobis*, Gr. *ſuper vos.*

8. n *In Aſia*, Epheſi, à Demetrio argentario. *Supra modum gravati ſumus ſupra virtutem*, Æth. *prævaluit menſura virium noſtrarum onus noſtrum. Supra virtutem*, vires naturales, non animi & gratiæ, ſed ingenti, adeo ut nulla eſſet ſpes evadendi. *Tæderet, &c.* Syr. *vita noſtra propè abjicienda fuerit*, Gr. *deſperaverimus etiam de vita.*

9. o *Sed ipſi*, quin ipſi. *Reſponſum*, Gr. *decretum*, Arab. *ſententiam*, Æth. *& propoſuimus mori*, tam gravis erat preſſio, ut ipſe de me non aliter ſtatuerim, quàm mihi moriendum eſſe. *Ut non ſimus, &c.* declarat fructum quem afferre ſolet electis afflictionis magnitudo.

11. p Ut ex multis perſonis pro dono in nos collato; per multos gratiæ agantur pro nobis. Vel, multis vobis pro me orantibus, fiet

nobis: ut ex multorum perſonis, ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Cordis ac doctrinæ ſinceritatem declarat.

12. Nam [a] gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos.

13. Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ [b] legiſtis, & cognoviſtis. Spero autem quòd uſque in finem cognoſcetis,

14. Sicut & cognoviſtis nos [c] ex parte, quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Excuſat ſe quòd prout ſtatuerat nondum veniſſet.

15. Et [d] hac confidentia volui priùs venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis:

16. Et per vos tranſire in Macedoniam, & iterùm à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.

17. Cùm ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, [e] ſecundùm carnem cogito, ut ſit apud me EST, & NON?

Aſſerit firmam ſtabilemque permanere Evangelii a ſe prædicati veritatem.

18. [f] Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST & NON.

19. Dei enim filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & [g] Sylvanum, & Timotheum, non fuit EST & NON, ſed EST in illo fuit.

20. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo EST: ideò & [h] per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram.

21. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui [i] unxit nos Deus.

22. Qui & [k] ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.

Agit rurſus de cauſa propter quam ad eos non venerit.

23. Ego autem teſtem Deum invoco in [l] animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri. nam fide ſtatis.

CAPUT II.

Scribit idcirco ſe non veniſſe, ne eos majore triſtitiâ afficeret.

1. [m] STatui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos.

2. [n] Si enim ego contriſto vos; & quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?

3. Et [o] hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cùm venero triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium veſtrûm eſt.

4. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis [p] ſcripſi vobis per multas lachrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.

Hortatur ut fornicatorio jam ſatis afflicto condonationem unà ſecum faciant.

5. Si quis autem [q] contriſtavit, non me contriſtavit: ſed ex parte, ut non onerem omnes vos.

6. Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ [r] fit à pluribus:

7. [ſ] Ita ut econtrariò magis donetis, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.

8. Propter quod obſecro vos, ut [t] confirmetis in illum charitatem.

9. Ideò enim & ſcripſi ut cognoſcam [u] experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis.

10. Cui autem aliquid [x] donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.

---

ut propter beneficium liberationis. *Ex multis perſonis*, id eſt, reſpectu multorum in me collatum, etiam per multos gratiæ Deo pro me agantur.

12. [a] *Gloria*, cauſa atque materia gloriæ & exultationis. *Dei*, quæ coram Deo talis eſt, id eſt, vera ac minimè fucata. *Abundantius*, ut quibus gratis ac ſine ſtipendio Evangelium prædicaſſet. *Ad vos*, Syr. Arab. Æth. *apud vos*, erga vos.

13. [b] *Legiſtis*, in ſuperiori Epiſtola.

14. [c] *Ex parte*, quia multi inter Corinthios deferentes æmulis & obtrectatoribus Pauli minus honorificè de eo ſentiebant. *Gloria veſtra*, quod nacti ſitis talem Apoſtolum, & tam ſincerum Evangelii prædicatorem, qui non ſua quærat, &c. *Noſtra*, apud quos egregiè laboraverimus, non ſine copioſo fructu fidei & ſalutis.

15. [d] *Hac confidentiâ* veſtræ bonæ exiſtimationis de me. *Priùs*, quàm irem in Macedoniam. Vel, pridem. *Ut ſecundam, &c.* ut ex ſecundo meo adventu ſecundam acciperetis gratiam, qui dudum accepiſtis primam, quandò primùm iſtuc veniens ad fidem vos adduxi.

17. [e] *Secundùm carnem*, more hominum carnalium qui in cogitationibus ſuis obſequuntur carnalibus affectibus, velut avaritiæ, ambitionis, aut commodi temporalis, &c. Senſus eſt, an quid volens illud facere, quod poſtea non feci, levis aut carnalis ſum, ut propterea ſit apud me *Eſt, & Non*, id eſt, dicam & non perficiam.

18. [f] *Fidelis autem Deus*, Æth. *teſtis verus eſt Deus. Sermo noſter*, prædicatio noſtra. *Eſt & non.* Affirmans & negans de eodem. Deus verax & infallibilis in dictis & promiſſis: & ideo ſermo prædicationis noſtræ non talis fuit ut mutari poſſet ex affirmatione in negationem, nihil in eo incertum & mutabile, ſed omnia veritate firmiſſimâ conſtant.

19. [g] *Silvanum*. Silam eſſe dicunt interpretes. *Sed eſt in illo fuit*, atque adeo in noſtra prædicatione, in qua non aliud quam Chriſti verbum & Evangelium ac promiſſa vobis annuntiamus.

20. [h] *Per ipſum amen*, veraces ſunt per ipſum Dei promiſſum. *Deo ad gloriam*, Syr. Arab. *ad Dei gloriam. Noſtram*, Gr. Arab. *per nos*, id eſt, per miniſterium noſtrum. *Ad gloriam noſtram*, ad noſtram ſalutem.

21. [i] *Unxit*, donis Spiritus. *Deus*, Arab. *Deus eſt.*

22. [k] *Signavit nos*, Spiritu ſancto, tanquam ſigillo nobis impreſſo, quod fecit largiendo chariſmata, quæ ſigilli inſtar nos probent veri Dei miniſtros. *Pignus Spiritus*, quia dona divina ſunt pignus nos certificans de inhabitatione Spiritus ſancti; vel, dedit Spiritum arrham ſuarum promiſſionum.

23. [l] *Animam meam*, me, ſi mentior. *Parcens vobis, &c.* non eſt quòd metuatis ne fidei cauſa poteſtatem Apoſtolicam, quam dominationem æmuli mei interpretantur, in vos exerceam. Verùm ſunt alia quædam apud vos rectiùs ponenda, de quibus ſcribo me vobis parcere. *Non quia dominamur fidei veſtræ*, non quòd dominemur vobis omnino fidei, quam noſtro magiſterio didiciſtis, quaſi propter eam jus aliquod, quale eſt dominorum, ego & conſortes mei in vos uſurpare velimus. *Adjutores ſumus gaudii*, ſtudemus procurare gaudium veſtrum, cujus digni eſtis, quia ſtatis in fide: agitur autem de gaudio oppoſito triſtitiæ quam pepererat ipſius objurgatio.

1. [m] Nolui ſecundum meum adventum ad vos eſſe cum triſtitia, propter caſtigationes.

2. [n] Quod ſi ego vos contriſto dum præſens ſum apud vos, quiſnam erit, obſecro, qui me apud vos exhilaret? Nemo. Nam vos ex me contriſtati, me exhilarare non poteritis: alius verò me exhilaret apud vos, nullus eſt. *Contriſtatur ex me*, ad pœnitentiam ſalutarem movetur ex mea increpatione.

3. [o] *Hoc ipſum*, ut emendaretis cauſata prius quàm venirem. *Scripſi* in priori Epiſtola, ne cum veniſſem ad vos nondum correctos dolorem caperem ex iis, id eſt, ex vobis, qui mihi debebatis eſſe gaudii materia, fiduciam de vobis habens quòd me gaudente gaviſuri ſitis. *In vobis*, Syr. *de vobis.*

4. [p] *Scripſi*, priorem Epiſtolam. Per. Syr. Arab. *cum. Contriſtemini*, Arab. *contriſtaremini. Quam charitatem, &c.* Syr. *charitatem vehementem quam habeo erga vos.*

5. [q] *Contriſtavit*, fornicarius, de quo in I. Epiſtola. *Non me*, ſolum. *Ex parte*, non eſt additum ad excipiendos aliquos Corinthiorum à participatione mœroris, ſed ad imperfectionem mœroris & teporem Corinthiorum ſignificandum. *Onerem*, gravius & acerbius de illo dicendo. Vel, onerem hac infamiâ quod non ſitis mecum contriſtati.

6. [r] *Fit*, Syr. *facta eſt.* Illa publica ſeparatio, &c. totius Eccleſiæ veſtræ conſenſu facta, ſufficit ei qui Eccleſiam contriſtavit, pro ſatisfactione ſui delicti, ita ut quamvis enormitas facinoris pœnam longè majorem ac diuturniorem merito poſtulet, reliquum tamen pœnæ per indulgentiam illi condonetur.

7. [ſ] *Ita ut e contrario magis donetis, &c.* Syr. *proinde è diverſo oportet ut remittatis ei, &c.* Loco ſeveritatis quâ longiorem adhuc pœnam exigere poſſetis, potius uti vos oportet lenitate.

8. [t] *Confirmetis charitatem*, ſigna donetis majoris charitatis.

9. [u] *Experimentum*, Syr. *experimento.*

10. [x] *Donaſtis*, Syr. *remiſiſtis. Et ego*, ſi cui veſtrûm, &c.

11. [a] Ut non circumveniamur à ſatana: non enim ignoramus cogitationes ejus.

De Tito à ſe non invento, &c.

12. Cùm veniſſem autem Troadem propter Evangelium Chriſti, & [b] oſtium mihi apertum eſſet in Domino.

13. [c] Non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non invenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam.

Addit de Evangelio à ſe inſtar boni odoris late diſperſo, notans in fine inſinceros illius miniſtros.

14. [d] Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco:

15. [e] Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt:

16. [f] Aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?

17. Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, [g] in Chriſto loquimur.

CAPUT III.

Negat Apoſtolus hominum commendatione ſe indigere, cùm fructus ſuæ apud Corinthios prædicationis ſatis ipſum commendet.

1. [h] INcipimus iterùm noſmetipſos commendare? Aut numquid egemus, (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos aut ex vobis?

2. [i] Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus.

3. [k] Manifeſtati quòd Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento ſed ſpiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.

Demonſtrat excellentiam miniſterii novæ legis præ miniſterio veteris legis.

4. [l] Fiduciam autem talem habemus, per Chriſtum ad Deum:

5. Non quòd ſufficientes ſimus [m] cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:

6. Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti; [n] non littera ſed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.

7. Quòd ſi [o] miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria: ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi: propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur:

8. Quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria?

9. Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multò magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.

10. [p] Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

11. Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt: multò magis [q] quod manet, in gloria eſt.

Docet Judæis adhuc velatam eſſe quod novi teſtamenti miniſtris revelatum eſt.

12. Habentes igitur [r] talem ſpem multâ fiduciâ utimur.

13. [s] Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſraël in faciem ejus, quod evacuatur,

14. Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum [t] velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, [quoniam in Chriſto evacuatur.]

15. Sed uſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.

16. Cùm autem [u] converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

17. [x] Dominus autem Spiritus eſt: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

18. [y] Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem; tanquam à Domini Spiritu.

Propter vos, pro publica ſalute, & utilitate veſtræ Eccleſiæ. *In perſona Chriſti*, ejus vice & autoritate.

11. [a] *Ut non circumveniamur à ſatana*, ne occaſione noſtræ ſeveritatis illum inceſtuoſum & alios pœnitentes nobis per deſperationem illorum eripiat. *Cogitationes*, aſtutias, machinationes.

12. [b] *Oſtium apertum*, corda hominum præparata recipere verbum Dei. *In Domino*, Syr. Arab. *per Dominum*, per Dei gratiam. Reddit rationem cur non venerit ad illos.

13. [c] Ratio inquietudinis Pauli, non invento Tito, una eſt quia per illum quem Corinthum miſerat, expectabat ut ſibi nuntiaretur, an Corinthii jam ſe correxiſſent, hocque dicit ut illis probet, quòd ſi corporis acceſſu nondum veniſſet ad illos, ſpiritu tamen præſens eſſet.

14. [d] *Deo autem gratias* ago, qui triumphare nos facit virtute & gratiâ Chriſti atque ea victoria quam à diabolo & hominibus adverſariis reportamus, illuſtres & conſpicuos nos facit, velut publicè triumphum agentes. *Odorem notitiæ*, &c. quia ſicut res odoriferæ, ſi conterantur, vehementiùs olent, ita nos perſecutionibus contriti longius ſpargimus odorem notitiæ, &c.

15. [e] *Nos*, ego ſcilicet & collegæ, famam nominis Chriſti, velut bonum odorem Deoque gratiſſimum ſpargimus apud omnes, non eos ſolùm qui credunt & ſalvi fiunt, verùm etiam qui credere nolentes pereunt.

16. [f] *Aliis*... *aliis*, Syr. Gr. *his*... *illis*. *Ad hæc*, agenda & præſtanda, tam impar eſt. Quibus verbis dicere vult perpaucos eſſe tales miniſtros Evangelii.

17. [g] *In*, Syr. Æth. *per*.

1. [h] *Incipimus*, interrogatio pro negativo: opuſne eſt ut incipiamus? minime, &c. *Iterum*, quia jam in priore Epiſtola vulque removere jactantiam. *Sicut quidam* egent & undique ſtudioſè conquirunt. *Ad vos*, &c. Syr. *quæ de nobis ad vos ſcribantur aut quas commendatitias de nobis ſcribatis?*

2. [i] Epiſtola noſtri commendatitia: abunde enim nos & vobis & aliis commendat fides & vita veſtra, quos ſic inſtituimus cordi meo inſcripta; quam Epiſtolam omnibus in promptu eſt inſpicere, & legere, perinde ut litteras patentes, omnium oculis expoſitas.

3. [k] *Manifeſtati*, de quibus manifeſtum eſt. *Epiſtola Chriſti*, ſcripta à Chriſto, à quo principaliter inſtituti. *Miniſtrata à nobis*, noſtro miniſterio conſcripta. *Non in tabulis*, &c. non in cordibus duris ſicut lapidibus, ſed mollibus inſtar carnis, & ad obediendum promptis.

4. [l] *Fiduciam talem*, quòd ſitis Epiſtola miniſtrata à nobis. *Ad* Syr. *erga*, Arab. Æth. *apud*.

5. [m] *Cogitare*, & per conſequens nec dicere, nec facere.

6. [n] *Non littera ſed ſpiritu*, Gr. *non litteræ ſed ſpiritus*. Non miniſtros legis datæ per Moyſen, ſed miniſtros legis novæ, quia Spiritus ſanctus datur ad legem implendam. Lex enim ſcripta, ſi ſola ſit ac Spiritu deſtituta, eos quibus data eſt æternæ morti reddit obnoxios, non quidem per ſe, ſed ex occaſione latentis in eis concupiſcentiæ. Spiritus verò per gratiam quâ nos efficit legis obſervatores, vivificat nos, æternæ vitæ conſtituendo hæredes.

7. [o] *Miniſtratio*, Arab. Æth. *miniſterium*. *Miniſtratio mortis*, lex, vel exhibitio inſtrumentalis veteris legis. *Deformata*, Gr. *informata*, Syr. *exarata*, Æth. *quod ſcriptum fuit*. *Quæ evacuatur*, Gr. *abolendam*.

10. [p] Syr. *Perinde enim eſt ac ſi non eſſet glorioſum, id quod glorificatum eſt in comparatione hujus excellentis gloriæ*. Etenim *in hac parte*, id eſt, in hac comparationis materia, ne dicendum quidem eſt glorificatum fuiſſe quod olim glorificatum eſt, veteris nempe legis miniſterium, propter eminentem longeque ſuperiorem gloriam miniſterii legis.

11. [q] *Quod manet*, quod fructum habet perpetuum nunquam defuturum. Aut, lex nova Chriſti, quæ durabit uſque in finem mundi.

12. [r] *Talem ſpem*, quòd gloria Evangelii permaneat. *Fiducia*, libertate & audaciâ loquendi.

13. [s] *Et non*, facimus, nec oportet nos facere. Non occultamus ſcilicet Evangelii lucem, ſicut Moyſes in typo fecit, occultans eam Iſraëlitis. *Intenderent*, poſſent intendere. *Quod evacuatur*, quæ gloria tandem abolenda erat.

14. [t] *Velamen*, figuralis obſcuritas legis. *In Chriſto evacuatur*, per fidem & doctrinam Chriſti, qui finis eſt legis, & quem Judæi non recipiunt.

16. [u] *Converſus*, Æth. *converſi*, Syr. *aliqui ex eis convertentur*. Hoc de Moyſe exponi poteſt, qui quando revertebatur ad Dei colloquium, velamen à facie removebat, tuncque typum gerebat populi Chriſtiani ad Deum converſi.

17. [x] *Dominus*, quod de Spiritu ſancto exponendum. *Libertas*, à ſervitute legis & peccati, quem libertatem tanquam velamine ſervitutis ablato, communicat Spiritus ſanctus, iis quos inhabitat.

18. [y] *Nos omnes* fideles, ſed præſertim Evangelii miniſtri. *Revelatâ facie gloriam Domini*, id eſt, noſtram myſteriorum ſalutis noſtræ, quibus glorificatus Deus. *Speculantes*, Gr. *in ſpeculo repræ-*

CAPUT IV.

Scribit à ſe ſuiſque collegis ſincere, & palam apud omnes, licèt quidam præ mentis cæcitate non credant, annuntiari Evangelium Chriſti.

1. [a] IDeò habentes adminiſtrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus,

2. Sed abdicamus [b] occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.

3. Quòd ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt [c] opertum:

4. [d] In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

5. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: [e] nos autem ſervos veſtros per Jeſum:

6. Quoniam Deus qui dixit [f] de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu.

7. Habemus autem theſaurum [g] iſtum in vaſis fictilibus; ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.

Dicit quòd licet multa adverſa patiantur, nunquam tamen ſuccumbant, ob ſpem videlicet repoſitæ ſibi gloriæ æternæ pro temporis afflictione.

8. In omnibus tribulationem patimur, ſed non [h] anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur:

9. Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus:

10. Semper [i] mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.

11. Semper enim nos qui vivimus, in [k] mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.

12. Ergo [l] mors in nobis operatur, vita autem in vobis.

13. Habentes autem [m] eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur:

14. Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos [n] cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.

15. Omnia enim propter vos: [o] ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.

16. [p] Propter quod non deficimus: ſed licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.

17. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, [q] ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

18. Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.

CAPUT V.

Spe gloriæ futuræ, cùm aliter eâ frui non poſſint, volunt Evangelii miniſtri a corpore peregrinari, ut Chriſto Domino præſentes ſint, cui interim ut omnium judici placere ſtudent.

1. SCimus enim, quoniam ſi [r] terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.

2. [ſ] Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes.

3. [t] Si tamen veſtiti non nudi inveniamur.

4. [u] Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eò quòd nolumus expolia-

ſantantes, Syr. *quaſi per ſpeculum contemplamur*. Inſtar ſpeculi ſuſcipientes atque reddentes non ſolùm in nobis recipimus, ſed etiam more ſpeculorum in alios refundimus, & quodammodo *transformamur ad eamdem imaginem*, hoc eſt, ad ſimilitudinem gloriæ Dei, idque à gloria Dei in nobis expreſſa ac repræſentata in claritatem noſtram. *A claritate in claritatem*, Syr. Gr. Arab. Æth. *à gloria in gloriam*. *Transformamur*, in quam. *A Domini Spiritu*, adeo ut. *Tanquam*. Non ſimilitudinem denotet, ſed verum rei modum declaret, hocque miniſterium obimus, impulſi a ſpiritu libertatis autore.

1. [a] Syr. *Proptereà tædium non eſt nobis in hoc miniſterio quod amplectimur, juxta miſerationes quæ fuerunt ſuper nos. Deficimus*, in adverſis, nec ab executione ceſſamus.

2. [b] *Occulta dedecoris*, Hebraiſmus: occulta dedecoroſa, vitia latentia quæ ſolent a peccantibus occultari, ne per ea in infamiam incidant ut turpi lucrum, &c. tanquam pſeudo-Apoſtoloe. *Adulterantes*, Syr. *doloſè tractamus*.

3. [c] *Opertum*, Syr. *velatum*. *In iis*, apud eos. Quod ſi adhuc quibuſdam velatum & occultum eſt Evangelium quod prædicamus, dumtaxat iis qui pereunt, id eſt, reprobis velatum eſt, &c.

4. [d] *In quibus*, quorum infidelium. *Hujus ſæculi*, obvelatum eſt Evangelium iis infidelibus, quorum mentes. *Deus hujus ſæculi*, id eſt, diabolus excæcavit, dum pravis ſuggeſtionibus & ſuaſionibus eos avertit à fide Evangelii prædicatione gloria Chriſti apparet & toti mundo diffunditur.

5. [e] *Nos autem ſervos*, &c. Arab. *& aliâ voce nos ipſos fatemur vobis ſervos propter Jeſum*. Æth. *& vobis ſubjecimus nos ipſos per Jeſum*. *Per*, Syr. *propter*.

6. [f] *De tenebris*, poſt tenebras. *Ad illuminationem*, &c. ut nos Apoſtoli illuminaremus alios. *Scientiæ*, &c. Syr. *ut illuſtremur per cognitionem gloriæ Dei in perſona Jeſu Chriſti*. *In facie*, perſona, id eſt, nomine & autoritate Chriſti.

7. [g] *Iſtum*, illuminationis. *Sublimitas ſit virtutis*, Gr. *ſublimitas virtutis ſit*.

8. [h] *Anguſtiamur*, Syr. *ſuffocamur*. *Aporiamur*, Gr. Arab. *hæſitantes*. E Græco fictitium verbum: quaſi hæremus, inopes conſilii ſumus, obruimur periculis, evadendi conſilio ac ope deſtituti.

10. [i] *Mortificationem*, Arab. Æth. *mortem*. *Vita Jeſu*, &c. dum corpora noſtra mortalia inter tot pericula morteſque quotidianas, occultâ quâdam virtute conſervantur in vita, manifeſtum ex eo fit Dominum Jeſum, pro quo nos, reſurrectionem & vitam ejus prædicantes, talia patimur, reſurrexiſſe & vivere.

11. [k] *Mortem*, mortis periculum. *Ut & vita*, &c. ut in corporibus noſtris mortalibus, toties in mortem traditis, & adhuc viventibus, manifeſte appareat Jeſum quem prædicamus adhuc vivere.

12. [l] *Mors in nobis operatur*, in nobis Apoſtolis more agitur & exercetur. *Vita in vobis*, per noſtra pericula vobis gignitur vita ſpiritualis.

13. [m] *Eumdem Spiritum fidei*, eamdem fidem cum Corinthiis ab eodem Spiritu Sancto datam. *Sicut ſcriptum eſt*, &c. ſicut David inter perſecutiones & pericula credidit ſe perventurum ad regnum ſibi a Deo promiſſum, & propterea confidenter de eo apud homines locutus eſt: ita nos quoque miniſtri novæ legis licèt perſecutionibus preſſi & periculis expoſiti, tandemque morituri, certiſſime tamen credimus nos ad gloriam promiſſam perventuros.

14. [n] *Cum Jeſu*, Syr. Gr. Arab. Æth. *per Jeſum conſtituet vobiſcum*. Syr. *ad ſe nos ſiſtet vobiſcum*. In communi gloria.

15. [o] Syr. *Ut quum abundet gratia per multos, multiplicetur gratiarum actio ad gloriam Dei*, Gr. *ut gratia abundans per multorum gratiarum actionem, abundet in gloriam Dei*. *Omnia propter vos*, omne miniſterium noſtrum ordinatur ad veſtram ſalutem. *Gratia*, beneficium.

16. [p] *Propter quod*, propter ſpem gloriæ quam ex reſurrectione expectamus. *Is qui foris eſt*, caro noſtra. *Is qui intus eſt*, animus.

17. [q] *Supra modum*, Gr. *in excellentiam*. *In ſublimitate*, excellenter.

1. [r] *Terreſtris domus noſtra hujus habitationis*, Syr. *domicilium noſtrum terreſtre hujus corporis*.

2. [ſ] Æth. *Et ipſum expectamus, ut induamur domo noſtrâ*, &c.

3. [t] Quod contingeret ſi veſtiti donis & gratiis Spiritus ſancti, non nudi bonis operibus inveniamur. Vel, *veſtiti*, corpore adhuc vivente. *Nudi*, nudato morte.

4. [u] Nos Evangelicæ legis miniſtri, vel, homines omnes, quamdiu verſamur in hoc tabernaculo mortalis & caduci corporis, dolemus ac gemimus, hac corruptibili carne velut onere depreſſi, ſuſpirantes ad incorruptionem, non quod velimus exui corpore & eo carere, quod refugit naturalis voluntas, ſed quia volumus ſuper-

Digitized by Google

ri, ſed ſupervеſtiri; ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vita.

5. Qui autem [a] efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus.

6. [b] Audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.

7. ([c] Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.)

8. [d] Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.

9. [e] Et ideò contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placere illi.

10. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque [f] propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.

Predicat Paulus ſinceritatem ſuæ converſationis, ut habeant Corinthii de quo gloriari poſſint, coram pſeudo-Apoſtolis adverſariis Pauli.

11. Scientes ergo [g] timorem Domini, hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.

12. Non iterùm commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi [h] pro nobis: ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde

13. [i] Sive enim mente excedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis.

Docet Evangelii miniſtros non ſibi ipſis vivere debere ſed Chriſto, in quo omnia facta ſunt nova creatura, & reconciliata Deo.

14. [k] Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.

15. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.

16. Itaque nos [l] ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem. Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.

17. [m] Si qua ergo in Chriſto nova creatura: vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova.

18. [n] Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis,

Legatione pro Chriſto fungi dicit eoſdem miniſtros, in quibus poſuit munus & officium reconciliationis.

19. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, [o] non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.

20. [p] Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

21. [q] Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.

CAPUT VI.

Hortatur ne tempus gratiæ & ſalutis negligant.

1. [r] ADjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

2. [ſ] Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.

Oſtendit quantùm laboraverit ut probatum Dei miniſtrum ſe exhiberet.

3. Nemini [t] dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.

4. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa [u] patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis,

5. In plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,

6. In caſtitate, [x] in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta.

7. In verbo veritatis, in [y] virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris,

8. Per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam: [z] ut ſeductores, & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti:

indui immortalitatem corpori, nec ita tamen ut mortale corpus idem ſit immortale, ſed ut à vita incorruptibili corpus abſorbeatur, ſicque corpus ex mortali reddatur immortale.

5. [a] *Efficit nos in hoc ipſum*, Deus fecit nos ad hoc ipſum. *Pignus Spiritus*, Spiritum ſanctum tanquam arrhabonem.

6. [b] *Audentes*, Gr. Arab. *confidentes*. Certâ ſpe gloriæ futuræ ſuborti, ſemper bono ac fidenti animo ſumus.

7. [c] *Per fidem*, expectantes gloriam futuram. *Speciem*, Syr. *viſum*.

8. [d] *Audemus*, Syr. Gr. Arab. *confidimus*. *Magis*, Arab. *potius*.

9. [e] *Abſentes ... præſentes*, debent referri ad domicilium corporis, in vita & in morte.

10. [f] *Propria corporis*, Syr. *in corpore ſuo*, Gr. *ea quæ ſiunt per corpus*. Arab. *ut proprium habeat unuſquiſque mercedem operum quæ in corpore geſſit*, Æth. *ut rependamus omnes nos ſecundum quod fecimus in corpore noſtro*.

11. *Timorem Domini*, quàm timendus ſit Deus judex & vindex. *Hominibus ſuademus*, nitimur perſuadere hominibus noſtram integritatem, *Deo* enim qui novit intimos cordis noſtri receſſus, *manifeſti ſumus*, &c. Arab. *hominibus ſuademus ut credant*, *in conſcientiis veſtris*, &c. Apud vos ſpero & confido ſinceritatem noſtram in Evangelico miniſterio ita vobis jam diu manifeſtam eſſe, ut bene rectèque de nobis ſentiatis.

12. [h] *Pro nobis*, Syr. Gr. *de nobis*. *Ut habeatis ad eos*, Arab. *quam habeatis apud eos*. Æth. *ut ſit vobis quod dicatis apud eos*. *In facie gloriantur*, de iis quæ exterius apparent. *Non in corde*, non ex cordis & conſcientiæ teſtimonio.

13. [i] Syr. *Sive inſanimus*, *Deo*: *ſive rectè agimus vobis*. *Excedimus*, nos ipſos laudantes Deo, ad Dei gloriam, ne ex noſtro contemptu contemptibilis fiat doctrina quam prædicamus. *Sobrii ſumus*, modeſte de nobis loquimur. *Vobis*, veſtrî cauſa, imbecillitati veſtræ nos accommodantes, humilitatiſque exempla dantes: in omnibus gloriam Dei & veſtrum profectum quærentes.

14. *Charitas enim Chriſti*, dilectio quâ Chriſtum & proximum ejus exemplo diligimus. *Æſtimantes*, &c. quod ſi Chriſtus mortuus eſt, ut mortuos per peccatum, vitæ redderet, debemus nos ſaluti aliorum invigilare. *Omnes mortui ſunt*, omnes utpote ſervi Chriſti & redempti à Chriſto, non ſibi ſuis commodis ſervientes, vivere debent, ſed ſoli Chriſto.

16. [l] *Ex hoc*, Gr. *ex nunc*, Arab. *poſthac*. *Jam*, Gr. Arab. *amplius*. Ut redarguat pſeudo-Apoſtolos qui gloriabantur de multis, de quibus infra cap. 11. quod totum Apoſtolus vocat, gloriari ſecundùm carnem, dicit, nunc cùm mortui ſimus vitæ veteri, nullius affinitate movemur, non ducimur carnis affectu, etiam erga Chriſtum ut antea faciebamus, ſolam Dei gloriam quærimus, nec glorioſum putamus vidiſſe eum carne viventem, de quo gloriabantur pſeudo-Apoſtoli, aut Gentilem, aut conſanguineum eſſe Chriſti ſecundùm carnem, &c.

17. [m] Syr. *Quiſquis igitur in Chriſto eſt, factus eſt creatura nova, vetera perierunt*.

18. [n] *Omnia autem ex Deo*, Syr. *& facta ſunt omnia nova à Deo ipſo*.

19. [o] *Non reputans*, Syr. *nec imputavit*, non imputans.

20. [p] *Pro Chriſto*, Arab. *vice Chriſti*. Nomine Chriſti.

21. [q] Redditur ratio ſperandæ & quærendæ noſtræ reconciliationis cum Deo. *Non noverat*, adeo alienus à peccato ac ſi ignoraret peccatum. *Pro nobis peccatum*, hoſtiam pro peccato. *Fecit*, Syr. *ſe fecit*. Egit ut cum magno peccatore, ſicque elucet antitheſis inter peccatum & juſtitiam. *In ipſo*, Syr. Arab. *per eum*.

1. [r] *Adjuvantes*, Gr. *cooperantes*. Arab. *hoc igitur conſilium promoventes*. Collaborantes Chriſto per miniſterium reconciliationis.

2. [ſ] *Ait*, Deus. *Accepto*, placito & omnibus acceptabili. *Ecce nunc*, &c. tempus illud acceptabile eſt, jam advenit vobiſque nunciatum eſt.

3. [t] *Dantes*, Syr. *dederitis*, Arab. *præbeamus*. *Offenſionem*, Syr. *occaſionem offendiculi*. Æth. *ſcandalum*. Hæc ad Paulum ejuſque collegas debent referri, qui adjuvantes erant Corinthios.

4. [u] *Patientia*, Syr. *tolerantia*. *tribulationibus*, *neceſſitatibus*, *anguſtiis*. tria ſunt genera afflictionum quæ differunt ſecundum plus & minus: per tribulationes intelliguntur preſſuræ ordinariæ, per neceſſitates intelliguntur graviores, non verò indigentiæ. & per anguſtias, graviſſimæ.

6. [x] *In*, per. *Suavitate*, Syr. *lenitate*, Arab. *bonitate*. Comitas eſt & facilitas quâ quis aliorum moribus ſe accommodat. *Spiritu ſancto*, dona ſunt Spiritus ſancti, per quæ probabant Apoſtoli ſe veros eſſe Dei miniſtros. *Charitate non ficta*, quæ non ſit ſolum in verbis.

7. [y] *Virtute*. potentiâ & miraculis, vel, quod verbum veritatis efficax eſt ſolâ potentiâ Dei. *Per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris*, opera virtutis in proſperis & adverſis, quæ ſunt arma, id eſt, inſtrumenta ad juſtitiam.

8. [z] *Ut ſeductores*, habiti, & nihilominus veraces. *Sicut qui ignoti*, ut ignobiles, & nullius pretii habiti, & tamen clari & in pretio apud pios & probos.

9. Quaſi

9. Quaſi [a] morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati.

10. Quaſi [b] triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Admonet ut s convictu & connubio infidelium ſeparentur, quum ipſi ſint templum & populus & filii Dei.

11. [c] Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt.

12. Non [d] anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.

13. [e] Eamdem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini & vos.

14. Nolite [f] jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?

15. Quæ autem [g] conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?

16. Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

17. Propter quod exite de medio eorum, & [h] ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:

18. Et ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

CAPUT VII.

Declarat ſuam erga Corinthios dilectionem, & viciſſim conſolationem quam ex illis accipit.

1. HAs ergo habentes promiſſiones, Chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.

2. [i] Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.

3. Non ad condemnationem veſtram [k] dico, prædiximus enim quòd in cordibus noſtris eſtis, ad commoriendum, & ad convivendum.

4. [l] Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.

5. Nam & cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit [m] caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores.

6. Sed qui conſolatur [n] humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi.

7. Non ſolùm autem in adventu ejus, [o] ſed etiam in conſolatione, quâ conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

8. Quoniam etſi contriſtavi vos in Epiſtola, non me pœnitet: & ſi pœniteret, videns quòd epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit;

Quantum bonum pepererit triſtitia quam ex ſua priori acceperant Epiſtola.

9. Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, [p] ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

10. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.

11. Ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum [q] contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam, in omnibus exhibuiſtis vos, incontaminatos eſſe negotio.

12. [r] Igitur, etſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis

13. Coram Deo: ideò conſolati ſumus, in conſolatione autem noſtra, abundantiùs magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis.

14. Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus: ita & gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum, [s] veritas facta eſt,

9. [a] *Morientes*, propter quotidiana pericula mortis, à quibus mirâ Dei providentiâ ſervamur. *Caſtigati*, variè à perſecutoribus noſtris afflicti, quibus tamen Deus nondùm permiſit ſævire uſque ad mortem. *Mortificati*, Syr. *mortui*. Æth. *interfecti*.

10. [b] *Triſtes*, propter mala quæ patimus. *Locupletantes*, non tantum ſpiritualibus bonis, ſed etiam temporalibus ex eleemoſynis collectis. *Poſſidentes*, Deo abunde providente.

11. [c] *Os noſtrum patet ad vos*, plene inſtituendos, non poſſum non commonefacere vos. *Cor noſtrum dilatatum*, amore erga vos.

12. [d] *Anguſtiamini*, non præceptivus, ſed indicativus ſermo eſt. Quod triſtes eſtis, & compreſſo corde non ex nobis provenit, qui vobis optime volumus, & in quibus exemplum habetis gaudii ſpiritualis, ſed ejus anguſtiæ cauſa in vobis eſt, nam inter vos ſunt qui vos conturbant & mœrore afficiunt, videtur reſpicere ad fornicarium, &c. & ad alios impœnitentes, de quibus infra. Vel, ſpatioſe in corde meo habitatis, latiſſimâ vos charitate complector, ſed exiguam charitatem nobis rependitis. *In nobis*, Syr. *de nobis*.

13. [e] *Eamdem habentes remunerationem*, quam ex laboribus Evangelii causâ ſuſceptis habiturus ſum, dilatamini interno gaudio Spiritus ſancti, quod ut fiat, amputate cauſas malorum quæ vobis ægritudinem pepererunt. *Dilatamini*, mutuam charitatem reddite.

14. [f] *Jugum ducere*, inire matrimonia neque hoc contrarium eſt verbis cap. 7. Ep. prioris, *ſi quis frater uxorem habet infidelem* In priori enim Epiſtola loquitur de matrimoniis jam contractis, in hac verò de contrahendis.

15. [g] *Conventio*, Syr. Arab *concordia Pars*, participatio, communio.

17. [h] *Separamini*, animo: hoc eſt enim exire, ſeparare. *Immundum ne tetigeritis*, ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, quo infideles coinquinati ſunt, mundos ac puros vos præſtetis.

2. [i] *Capite nos*, advertite quæ diximus.

3. [k] *Dico*, quod in hac parte velim vos objurgare. *Prædiximus*, Syr. *jam dixi*. Æth *antea dixi*. Reſpicit ad ſigna amoris quæ dedit eis cap. 3. *Ad commoriendum*, &c. nec in morte, nec in vita volumus à vobis ſeparari.

4. [l] *Multa mihi fiducia apud vos*, cum magna fiducia & ſermonis libertate vobiſcum ago, confidens vos benignè ac placide meas admonitiones accepturos. hoc dicit ne contriſtandi ſtudio tanquam ſeverus objurgator priorem Epiſtolam ſcripſiſſe videretur. *Pro vobis*, Syr. *ex vobis*, Arab. Æth. *de vobis*. *Tribulatione noſtra*, Syr. *afflictionibus meis*.

5. [m] *Caro*, nos ipſi. pars pro toto. *Foris pugna*, cum pſeudo-Apoſtolis & hoſtibus Evangelii. *Intus timores*, interius, in corde patiebamur. *Timores*, novarum perſecutionum, & ſollicitudines ne Eccleſiæ Dei ſubverterentur.

6. [n] *Humiles*, Æth. *afflictos*. *In adventu Titi*, revertentis à Corintho, bonoque de ſtatu Corinthiorum referentis.

7. [o] *Sed etiam in conſolatione*, &c. quia Titus prius contriſtatus ob peccata veſtra, correctos vos inveniens, conſolationem accepit. *Quâ conſolatus eſt in vobis*, Arab. *quam de vobis accepit*. *Veſtrum deſiderium*, me videndi. Syr. *de charitate veſtra erga nos*. *Fletum*, eò quòd mœror mihi ex culpis veſtris fuiſſet. *Æmulationem*, ſtudium contra detractores. *Ita ut magis gauderem*, Syr. *quæ quum audirem gaudio plurimum habui*.

9. [p] *Ut in nullo*, &c. Syr. *ſicut nihil detrimenti acceperitis à nobis*, Arab. *nulla in re*.

11. [q] *Contriſtari vos*, quod doluiſtis. *Sollicitudinem*, quia prius negligentes fueratis circa punitionem inceſtuoſi, nunc verò diligentes & ſoliciti. *Sollicitudinem*, non ſolum *ſed defenſionem*, Arab. *tuitionem & defenſionem*, apud Titum ſcilicet apud ſe quem excuſarunt ſuper negotio fornicarii. *Indignationem*, quam oſtendebant coram Tito adverſus flagitioſum illum. *Timorem*, ne ſimile quid contingat, & propter tolerantiam illius à Deo in judicio punirentur. *Deſiderium*, me videndi. *Æmulationem*, ut ſupra verſ. 7. *Vindictam*, quia ſevere caſtigarunt fornicarium. *In omnibus exhibuiſtis*, &c. tot argumentis declaraſtis vos à crimine immunes, &c. *Negotio*, hoc nomine tegit inceſti crimen.

12. [r] *Igitur, etſi ſcripſi vobis, non*, &c. Syr. *erit autem hoc quod ſcripſi vobis, non ejus cauſa*, &c. Proinde tametſi ſcripſi vobis, non id feci ejus causâ, &c. *Qui paſſus*, pater inceſtuoſi. *Manifeſtandum*, coram Deo.

14. [s] *Veritas facta eſt*, vera apparuit laus, quâ vos laudaram.

15. Et [a] viſcera ejus abundantiùs in vobis
ſunt : reminiſcentis omnium veſtrûm obedien-
tiam, quomodo cum timore & tremore exce-
piſtis illum.
16. Gaudeo quòd [b] in omnibus confido in
vobis.

CAPUT VIII.

Hortatur eos ad eleemoſynam pauperibus, qui Jeroſólymis agebant prompto animo tribuendam tum Macedonum commendatione, tum Chriſti exemplo.

1. NOtam autem facimus vobis, fratres,
[c] gratiam Dei, quæ data eſt in Eccle-
ſiis Macedoniæ.
2. Quòd in multo experimento tribulationis,
abundantia gaudii ipſorum fuit ; & altiſſima
paupertas eorum, abundavit [d] in divitias ſim-
plicitatis eorum.
3. [e] Quia ſecundùm virtutem teſtimonium
illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fue-
runt,
4. Cum multa exhortatione [f] obſecrantes nos
gratiam, & communicationem miniſterii, quod
fit in Sanctos.
5. [g] Et non ſicut ſperavimus, ſed ſemetipſos
dederunt primùm Domino, deinde nobis per vo-
luntatem Dei ;
6. [h] Ita ut rogaremus Titum, ut quemad-
modum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam
gratiam iſtam.
7. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, &
[i] ſermone, & ſcientiâ, & omni ſollicitudine
inſuper, & charitate veſtrâ in nos, ut & in hac
gratia abundetis.
8. Non quaſi imperans dico : ſed [k] per alio-
rum ſollicitudinem, etiam veſtræ charitatis in-
genium bonum comprobans.
9. Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu
Chriſti quoniam propter vos egenus factus eſt,
cùm eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.
10. Et conſilium in hoc do : hoc enim vobis
utile eſt, [l] qui non ſolùm facere, ſed & velle
cœpiſtis ab anno priore :
11. [m] Nunc vero & facto perficite : ut quem-
admodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit
& perficiendi ex eo quod habetis.
12. [n] Si enim voluntas prompta eſt : ſecun-
dùm id quod habet accepta eſt, non ſecundùm
id quod non habet.
13. Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis au-
tem tribulatio, ſed ex æqualitate.
14. [o] In præſenti tempore veſtra abundantia
illorum inopiam ſuppleat : ut & illorum abun-
dantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat
æqualitas, ſicut ſcriptum eſt :
15. [p] Qui multum, non abundavit : & qui
modicum, non minoravit.
16. Gratias autem Deo, qui dedit [q] eam-
dem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi,
17. Quoniam [r] exhortationem quidem ſuſ-
cepit : ſed cùm ſolicitior eſſet, ſuâ voluntate
profectus eſt ad vos.
18. Miſimus etiam cum illo [f] fratrem, cujus
laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias :
19. Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt
ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in
hanc [t] gratiam quæ miniſtratur à nobis ad Do-
mini gloriam, deſtinatam voluntatem noſ-
tram,
20. Devitantes hoc, ne quis nos vituperet
in hac [u] plenitudine, quæ miniſtratur à no-
bis.
21. Providemus enim [x] bona, non ſolùm co-
ram Deo, ſed etiam coram hominibus.
22. Miſimus autem cum illis & [y] fratrem noſ-
trum, quem probavimus in multis ſæpè ſolici-
tum eſſe : nunc autem multò ſolicitiorem, con-
fidentia multa in vos,
23. Sive [z] pro Tito, qui eſt ſocius meus, &
in vos adjutor, ſive fratres noſtri, Apoſtoli Eccle-
ſiarum, gloria Chriſti.
24. [aa] Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſ-

Admonet ut quod jam dudum facere propoſuerant, id nunc pro cujuſque facultate.

Miniſtros laudat quos ad eam mittit colligendam, hortaturque Corinthios ut bene ab ipſis excipiantur.

15. [a] *Viſcera ejus abundantius in vobis ſunt*, majorem in modum erga vos affecta ſunt, Arab. *teneritudines ejus admodum redundant in vos.*
16. [b] *In omnibus confido in vobis*, Arab. *quòd ſim ſecurus de vobis in omni re.* Quòd abſque offenſionis periculo, poſſim liberè vobiſcum agere, monendo, corripiendo, præſcribendo, petendo, &c. ſic viam præſtat ſequenti orationi de eleemoſyna.
1. [c] *Gratiam Dei*, per Hebraiſmum, ingentem beneficentiam, ſicut cedri Dei. *In Eccleſiis*, in Eccleſias.
2. [d] *In divitias ſimplicitatis eorum*, ad largiendum cum magna animi ſimplicitate ; quia Macedones fratres direptionem bonorum paſſi fuerant a civibus ſuis, ut patet ex cap. 2. I. Epiſt. ad Theſſ. illoſque laudat ut tanto plus a locupletibus Corinthiis obtineat ad ſublevandos in Judæa pauperes quibus Macedones licèt pauperes ipſi ingenuo animo & non fucato neceſſaria ſuppeditaverant.
3. [e] Gr. *Quia ſecundum virtutem*, (teſtor) *& ſupra virtutem voluntarii. Secundùm virtutem*, Arab. *pro viribus voluntarii*, ad dandum.
4. [f] *Obſecrantes nos*, ut de manibus ipſorum ſuſciperemus eleemoſynam, eamque deferremus ad pauperes ſanctos qui ſunt Jeroſolymis. *Miniſterii*, ſubſidii. *In ſanctos*, Gr. addunt : *ſuſcipere nos.*
5. [g] *Et non ſicut ſperavimus*, ſupplendum, *egerunt.* Plus dantes, quàm ſperabamus. *Sed ſemetipſos, &c.* ſeipſos obtulerunt & tradiderunt ut nos tanquam vice Chriſti acciperemus in ſubſidium pauperum quantum nobis placeret : idque *per voluntatem Dei*, liberaliter excitantem tam pium affectum in cordibus eorum operantis.
6. [h] *Ita ut, &c.* Macedonum exemplum me impulit. *Ut rogaremus Titum*, gratiam eleemoſynæ in Jeruſalem mittendæ collectionem.
7. [i] *Sermone & ſcientiâ.* vide verſ. 5. cap. 1 Epiſt. I. gratia pro eleemoſyna.
8. [k] *Per aliorum ſolicitudinem*, propoſito exemplo diligentiæ aliorum, etiam *veſtræ charitatis* indolem ac ſinceritatem probans, id eſt, hujuſmodi beneficentiæ apertè exploratam reddere volens.
10. [l] *Qui non ſolum facere, &c.* non exemplo Macedonum feciſtis, jam enim ab anno priore incœpiſtis, &c. qui ſenſus confirmatur capite ſequenti his verbis. *De vobis glorior apud Macedones*, & I. Epiſt. cap. 16. non dixit. *Sicut ordinavi Eccleſiis Macedoniæ*, unde veriſimile eſt quòd Corinthii in hiſce eleemoſynis jam incœperunt ante Macedones.
11. [m] Gr. *Nunc autem & illud, quod facere cœpiſtis, perficite.* Quia tardi eram in perficiendo rem ante annum inceptam, dicit, quod facere cœpiſtis Tito hortante, nunc perficite ut quemadmodum adfuit vobis animi promptitudo quâ velletis, ita, &c.
12. [n] *Si. ſit. Prompta*, animi. *Voluntas*, ad dandum, ea merito acceptanda eſt, ſi quiſque det juxta modum ſuarum facultatum, ſive multum ſit, ſive parum, ita ut non exigatur ab ullo amplius quam pro ratione ejus quod habet.
14. [o] Duplex hîc egeſtas & abundantia notatur, corporalis & ſpiritualis, ex quarum reciproca æqualitas hæc emergit.
15. [p] Arab. *Qui multum collegit, nihil ei ſuperfuit : & qui parum collegit, nihil ei defuit.* Quod de manna exponendum.
16. [q] *Eamdem*, quam ego habeo. *Sollicitudinem*, exhortandi ad collectam perficiendam.
17. [r] *Exhortationem*, noſtram eundi ad vos, abſque qua tamen pro ſua erga vos ſolicitudine, iviſſet. *Profectus*, intelligendum de tempore quo lecturi erant hanc Epiſtolam Corinthii.
18. [f] *Fratrem* : alii Lucam, alii Barnabam dicunt. Eſtius vult eſſe Silam. *Evangelio*, propter prædicationem Evangelii.
19. [t] *Gratiam*, & prædicandi Evangelii, & eleemoſynæ colligendæ. *Deſtinatam voluntatem noſtram*, complendum propoſitum voluntatis noſtræ.
20. [u] *Plenitudine*, copia pecuniæ, quaſi non ſatis fideliter pecunia tam larga, noſtro miniſterio collecta a nobis tractetur.
21. [x] *Bona*, ut opera noſtra bona ſint.
22. [y] *Fratrem*, quis ſit, incertum. *Confidentia multa in vos*, confiſi de vobis, quod eos pro dignitate ipſorum, & noſtra expectatione ſuſcipietis.
23. [z] *Pro Tito*, confiſi pro Tito & pro fratribus, &c. *In vos*, Syr. *in re veſtra* erga vos. *Apoſtoli Eccleſiarum*, deputati ab Eccleſiis. *Gloria Chriſti*, quia per eos Chriſtus glorificatur.
24. [aa] Gr. *Ergo oſtenſionem charitatis veſtra, & noſtra gloriationis de vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum*, declarate charitatem veſtram erga fratres quos miſimus, & quod gloriatio noſtra quâ de vobis apud Titum & alios gloriati ſumus, non ſit inanis ;

træ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.

CAPUT IX.

Proſequitur hortando ad eleemoſynam prompte & abundanter tribuendam, cujus varios fructus recenſet.

1. [a] NAm de miniſterio, quod fit in ſanctos, ex abondanti eſt mihi ſcribere vobis.

2. Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedooes. Quoniam & [b] Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.

3. Miſi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) [c] parati ſitis:

4. Ne cùm venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (ut non dicamus vos) in hac ſubſtantia.

5. Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi [d] benedictionem, non tanquam avaritiam.

6. Hoc autem dico: Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſemioat in [e] benedictionibus, de benedictionibus & metet.

7. [f] Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, noo ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.

8. [g] Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,

9. Sicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: [h] juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

10. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit [i] ioerementa frugum juſtitiæ veſtræ:

11. Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem [k] ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

12. [l] Quoniam miniſterium hujus officii, non ſolùm ſupplet ea quæ deſuot ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones io Domino,

13. [m] Per probationem miniſterii hujus, glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ, in Evangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes,

14. [n] Et in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

15. Gratias Deo ſuper inenarrabili [o] dono ejus.

CAPUT X.

Adversùs pſeudo-Apoſtolos, apud quos habebatur contemptibilis, dignitatem ſuam tuetur.

1. [p] IPſe autem ego Paulus obſecro vos, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis.

2. [q] Rogo autem vos ne præſens audeam, per eam confidentiam quâ exiſtimor audere, in quoſdam, qui arbitrantur nos tanquam ſecundùm carnem ambulemus.

3. In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.

4. Nam [r] arma militiæ noſtræ non carnalia ſuot, ſed potentia Deo ad deſtructionem muoitionum, conſilia deſtruentes,

5. [f] Et omoem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti,

6. Et in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, [t] cùm impleta fuerit veſtra obedientia.

7. Quæ [u] ſecuodùm faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterùm apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos.

quod fiet ſi eos bene ſuſceperitis, & ſpe liberalitatis veſtræ in pauperes ſanctos exercendæ non fruſtrentur

1. [a] Syr. *Porro de ſubminiſtratione ſanctorum, ſuperfluum ago ſi ſcribo vobis.* Non enim hortatur eos ad eleemoſynam, hanc enim jam ex anno ſuperiore facere cœperant, ſed ad largius faciendam.

2. [b] *Achaia*, cujus metropolis Corinthus. *Veſtra æmulatio*, ſtudium vos imitandi.

3. [c] *Parati ſitis*, ut collecta jam ſit parata, ne cùm venero, tunc collectæ fiant, ut in priore Epiſtola.

5. [d] *Benedictionem*, bonam collationem. *Avaritiam*, Gr. *exactionem*, Æth. *coacte*.

6. [e] *In benedictionibus*, libenter ac benigne largiendo.

7. [f] *Unuſquiſque*, ſupplendum *tribuat*. *Ex neceſſitate*, Syr. *vel tanquam per vim*, Arab. *neque ex coactu*.

8. [g] Occurrit objectioni, &c. Poteſt Deus facere & reverâ faciet, ut totum hoc beneficium ad quod vos exhortor, in vobis ipſis cum affluentia redundet.

9. [h] *Juſtitia*, quo nomine vel generalis virtus juſtitiæ, vel eleemoſyna intelligi poteſt.

10. [i] *Incrementa frugum*, Syr. Arab. *proventus*, Gr. *fructus genimos*. *Juſtitia*, ut ſuprà.

11. [k] *Simplicitatem*, ſic vocat ſincerum animum dandi. *Quæ operatur*, &c. pro qua gratias agimus Deo.

12. [l] Arab. *Nam effectus hujus miniſterii non ſolùm eſt ad ſupplendum neceſſitatibus ſanctorum, ſed etiam ad augendas laudes & multiplicandas gratiarum actiones Deo.*

13. [m] Arab. *Et per iſtius miniſterii probationem Deum glorificabunt de obedientia quâ profitemini Evangelium Chriſti, deque liberalitate communionis veſtra in ſe & in omnes pervenientis.* Per noſtrum miniſterium probata veſtra liberalitate glorificant Deum in confeſſione veſtræ obedientiæ, quâ ſcilicet profitemini obedire Evangelio, & ingenuo animo dandi, &c.

14. [n] Syr. *Preces autem offerent pro vobis cum multa charitate propter multitudinem beneficentiæ Dei in vos*, Arab. *atque gratias agent in precibus ſuis pro vobis, appellantes vos propter eminentem Dei gratiam in vos redundantem. Deſiderantium*, Æth. *& deſiderant videre vos.*

15. [o] *Dono*, fructu eleemoſynæ tam erga dantes quàm accipientes.

1. [p] *Ego Paulus*, qui, quod vitio mihi vertitur ab adverſariis, quum apud vos ſum, ſubmiſſe me gero, quum abſens ſum, audaciam & confidentiam cum autoritate erga vos oſtendo in epiſtolis quas ſcribo. *Manſuetudinem & modeſtiam*, Syr. *lenitatem & manſuetudinem. In facie*, Æth. *quum præſens ſim, confido in vobis*, audax ſum erga vos.

2. [q] *Rogo vos*, &c. ne veſtrâ culpâ contingat, ut præſens audeam in quoſdam cum ea fiducia quâ abſens audere exiſtimor. *In quoſdam*, refertur ad *audeam*. *Secundùm carnem ambulemus*, agamus more hominum qui ſpe obtinendi aut metu amittendi blandiuntur, vel duriùs agunt.

4. [r] *Arma militiæ noſtræ*, ſcientia myſteriorum Evangelii, autoritas Apoſtolica, donum miraculorum. *Potentia Deo*, Dei virtute efficacià. *Munitionum*, adverſariorum doctrinæ Apoſtolicæ, quibus oppugnabant fidei veritatem, & ſuos errores ſtabiliebant. *Conſilia*, quo vocabulo debet intelligi omnis ſubtilitas conſilii & ingenii humani.

5. [f] Æth. *Ut in captivitatem redigam omnem intellectum, & ut ſubjiciatur Chriſto.*

6. [t] *Cùm impleta fuerit*, &c. poteſtate puniendi inobedientes utor, cùm vos omnes plenè ad obedientiam reductos videro. Quidam enim adhuc è Corinthiis inobedientes erant, & peccatis obnoxii, contra quos, quia multi erant, non facilè poterat exerceri diſciplina per excommunicationem

7. [u] *Secundùm faciem*, &c. conſiderate ea quæ conſpicua ſunt & omnibus nota, ex iis enim facile erit vobis de me & meis æmulis judicare.

Digitized by Google

8. Nam, & ſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: non erubeſcam

9. [a] Ut autem non exiſtimet tanquam terrere vos per epiſtolas:

10. [b] Quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis:

11. Hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.

12. Non enim [c] audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis.

Dicit ſe non gloriari ultra modum laboris ſui.

13. [d] Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, quâ menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi uſque ad vos.

14. [e] Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos: uſque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti.

15. [f] Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari ſecundùm regulam noſtram in abundantiam,

16. [g] Etiam in illa, quæ ultra vos ſunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata ſunt gloriari.

Docet in quo ſit gloriandum.

17. Qui autem gloriatur, [h] in Domino glorietur.

18. Non enim qui ſeipſum commendat, ille [i] probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

CAPUT XI.

Propter pſeudo-Apoſtolos pervertentes Pauli prædicationem, videns ipſe Corinthiorum ſalutem non leviter offendi, ſi apud eos contemptus haberetur, & eſſent pſeudo-Apoſtoli in pretio, toto hoc capite ſua recenſet encomia, pauca quædam præfatus excuſationis causâ.

1. [k] Utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me.

2. Æmulor enim vos [l] Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

3. Timeo autem, ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ita corrumpantur [m] ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.

4. [n] Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis; aut aliud Evangelium, quod non recepiſtis: rectè pateremini.

5. Exiſtimo enim nihil me minùs feciſſe à magnis Apoſtolis.

6. Nam etſi [o] imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ: in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis.

7. [p] Aut numquid peccatum feci, meipſum humilians, ut vos exaltemini: quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis?

8. Alias Eccleſias [q] expoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum.

9. Et cùm eſſem, apud vos, & egerem, nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.

10. [r] Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ.

11. Quare? Quia non diligo vos? Deus ſcit.

12. Quod autem facio, & faciam: ut am-

9. a Poſſem gloriari de poteſtate, ſed non faciam, ne videar, &c.

10. b Calumniantium verba refert. *Sermo contemptibilis*, non hæc dicebant quoad nitorem & elegantiam ſermonis, hac enim parte ſermo ejus non differebat ab epiſtolis, ſed quoad authoritatem & poteſtatis ſignificationem.

12. c *Audemus*, animum inducimus. *Inſerere*, miſcere. *Sed ipſi, &c.* ſed metimur nos eâ menſurâ quæ nobis convenit, & ad eam nos comparamus.

13. d Jactant ſe in toto orbe prædicaſſe, nos in noſtra portione quæ pertingit uſque ad vos.

14. e *Non enim*, quum de vobis gloriamur, extendimus nos ultra menſuram, quaſi revera non pertingamus uſque ad vos per regulam quam partitus eſt nobis Deus. *Uſque ad vos enim, &c.* in Evangelio propagando.

15. f Syr. *Neque gloriamur præter menſuram noſtram in labore alieno: ſed eſt nobis ſpes creſcente fide veſtrâ, nos in vobis magnificatum iri juxta menſuram noſtram. Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus*, dum de vobis gloriamur non gloriamur extra menſuram noſtram ac ſuper alienis laboribus, uti faciunt æmuli noſtri. *Spem habentes*, ut creſcente fide veſtrâ per noſtrum miniſterium magnificemur in vobis. *In abundantiam*, jungendum cum *magnificari*, ita ut ampliùs quàm hactenus poſſimus gloriari, & quidem ſecundùm regulam, id eſt, menſuram ac terminos laboris noſtri.

16. g Syr. *Quin & ultra vos progrediemur evangelizando, non in menſura aliena, in his quæ parata ſunt gloriabimur.* Ut in quanque regionibus, quæ ultra vos ſunt, evangelizem non per alienam regulam, ut de his quæ parata ſunt gloriemur. *In illa*, loca ſperamus. *Evangelizare*, ut, *non in aliena regula*, videlicet in iis quæ jam ab aliis occupata ſunt, & per Evangelii culturam præparata, gloriemur: perſtringit pſeudo-Apoſtolorum jactantiam.

17. h *In Domino*, de iis quæ à Deo per Chriſtum accepit.

18. i *Probatus &c.* gloriâ dignus. *Deus commendat*, commendabilem ex iis quæ per eum operatur, oſtendit.

1. k Syr. *Utinam verò toleraretis me paulisper ut loquerer inſipienter, ſed & ſufferte me quidem. Inſipientiæ*, inſipientiam vocat de laudibus ſuis loqui. *Sed & ſupportate me*, in indicativo, imo facitis quod opto, & ita me diligitis, ut facilè toleretis me inſipienter loquentem. Sequitur ratio cur id facere debeant.

2. l *Dei æmulatione*, pro Deo ac Domino ſuo, id eſt, Chriſto ſponſo. *Deſpondi*, promiſi me *vos virginem*, incorruptam illi collocare.

3. m *Senſus*, Gr. Arab. *mentes*.

4. n Removet excuſationem quâ dicere poterant Corinthii ſe non eſſe prohibendos à novis magiſtris audiendis, utpote qui præſtantiora traderent quam Paulus: unde dicit ſi novus Magiſter ſupervenient. *Alium*, Jeſum. *Prædicat*, excellentiorem eo *quem prædicavimus*, aut ſi illo prædicante, *alium ſpiritum accipitis*, præſtantiora dona in vos effundentem, aut *aliud Evangelium*, meliora promiſſa complectens vobis annuntiat: rectè ſuſtinere is talem Magiſtrem, ſed quia illud impoſſibile eſt, &c. non debetis admittere pſeudo-Apoſtolos.

6. o *Imperitus ſermone*, in nativo peritus & elegans erat, non ita in Græco. *In omnibus manifeſtati, &c.* utrumque quod dico noſtis per experientiam, nihil enim apud vos diſſimulanter egi. Taxat ex obliquo pſeudo-Apoſtolos per hypocriſim ſua vitia tegentes. Hæc ſententia non eſt referenda ad ſuperiorem, ſed reſpondet objectioni quod ſit minor eloquentia Apoſtolis.

7. p Nunc reſpondet de humilitate ſuæ præſentiæ. An peccavi *meipſum humilians*, non petendo à vobis retributionem pro miniſterio Evangelico, licèt id à Chriſto permiſſum, & gerens me tanquam nullius eſſem autoritatis, & faciens infirmus infirmis, &c. *Ut vos exaltaremini apud Deum, &c.*

8. q *Expoliavi*, ſtipendium, metaphoris utitur à militia ſumptis: nulla verò ſignificatio injuriæ eſt in verbo. *Expoliavi*, ab aliis Eccleſiis ſumptus neceſſarios accepi.

10. r *Eſt veritas Chriſti in me*, formula jurandi, verum loquor, Chriſto teſte.

Digitized by Google

putem occaſionem [a] eorum, qui volunt occaſionem, ut io quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos.

13. Nam ejuſmodi pſeudo-Apoſtoli, ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.

14. Et non mirum: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Aogelum lucis.

15. Non eſt ergo [b] magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum.

16. [c] Iterùm dieo [ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier.]

17. Quod loquor noo loquor [d] ſecundùm Deum, ſed quaſi io inſipientia, io hac ſubſtantia gloriæ.

18. Quoniam multi gloriantur [e] ſecuodùm carnem: & ego gloriabor.

19. [f] Libenter eoim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes.

20. Suſtioetis enim ſi quis vos in [g] ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.

21. [h] Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. Io quo quis audet [in inſipientia dico] audeo & ego:

22. Hebræi ſunt & ego: Iſraëlitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego:

23. Miniſtri Chriſti ſunt ([i] ut minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.

24. A Judæis quinquies, [k] quadragenas, una minus, accepi.

25. Ter [l] virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profuodo maris fui.

26. In itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex [m] genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis io mari, periculis in falſis fratribus:

27. In labore & ærùmna, in vigiliis multis, io fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate:

28. [n] Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omoium Eccleſiarum.

29. Quis [o] infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?

30. Si gloriari oportet: [p] quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.

31. Deus & Pater Domioi noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus io ſæcula, ſcit quòd non mentior.

32. [q] Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ regis, cuſtodiebat civitatem Damaſceoorum, ut me comprehenderet.

33. Et per feneſtram io ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus.

CAPUT XII.

Commendat ſe Apoſtolus ex divinis revelationibus.

1. SI gloriari oportet ([r] non expedit quidem:) veniam autem ad viſiones & revelationes Domini.

2. [ſ] Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim [ſive io corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit] raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum.

3. Et ſcio hujuſmodi hominem, [ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit]

4. Quoniam raptus eſt in paradiſum: & audivit arcana [t] verba, quæ oon licet homini loqui.

5. [u] Pro hujuſmodi gloriabor. Pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis.

6. [x] Nam, & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem eoim dicam: parco autem,

12. [a] *Eorum*, Syr. *iis*. *Volunt*, Syr. *quærunt*. *In quo*, in eo de quo. *Gloriantur*, ſe poſſe ex Evangelio vivere. Pſeudo Apoſtoli qui licet divites eſſent, accipiebant ſumptus à Corinthiis, cupiebant ipſi etiam ut Paulus acciperet, ut jactare poſſent Paulum ſapientia & eloquentia humana ſe inferiorem, ne hac quidem parte præcellere.

15. [b] *Magnum*, mirum.

16. [c] *Iterùm dico*, reſumit intermiſſam ſui ipſius commendationem. *ne quis me putet inſipientem eſſe*, ob id quia meipſum prædico, nam eſt juſta cauſa cur id faciam. *Alioquin*, ſin minus perſuadeo me non inſipienter agere. *Velut inſipientem accipite me*, tolerate me tanquam inſipientem. *Ut & ego*, &c. ut cùm illos æmulos noſtros toleretis tam multa de ſe jactitantes, mihi quoque concedatis vel paululum de me ipſo gloriari.

17. [d] *Secundùm Deum*, convenienter legi divinæ, quia ſpeciem juſtitiæ non habet laudare ſeipſum. Eſt tamen ſecundùm Deum, ſi ſpectetur ut procedit ex charitate & neceſſitate, ne vos, me contempto, ſeductoribus adhæreſcatis. *In hac*, &c. referendum ad *quod loquor*, in hoc argumento gloriationis.

18. [e] *Secundùm carnem*, de his quæ carnis dignitatem reſpiciunt, ut nobilitas generis, conditionis libertas, lex, &c. *Gloriabor*, ne illorum jactantiam deprimam, & meam apud vos autoritatem defendam.

19. [f] Hæc ut ipſum excuſent quòd ſe laudaret: forte ironicè dicta.

20. [g] *Servitutem redigit*, pſeudo-Apoſtoli tyrannicè dominabantur. *Devorat*, vos mordet, aut vobis convitiatur. *Accipit*, Arab. *rapit facultates veſtras*. *Extollitur*, Arab. *ſe ſuper vos attollit*. *Cædit*, non alapis ſed contumeliis, exprobrando quòd fueritis peccatores, idololatræ, immundi, unde confidit quod patienter ſuſtinebitis laudationem meam.

21. [h] *Secundùm ignobilitatem dico, quaſi*, &c. id quod ad ignominiam attinet, dico: Non quòd facies veſtras percuſſerint, ſed contumelias intelligi volo, quibus illi vos afficiunt, in faciem exprobrantes, quòd fueritis idololatræ peccatores, &c. illi de ſeipſis, contraria prædicantes, quòd ſint populus à Deo electus, &c. vel, hæc ironicè dicit, quaſi non acceperit hanc poteſtatem ad confuſionem meam dico, nimis modeſtus & humilis erga vos fui. *Quaſi nos infirmi*, quaſi nos inferiores illis. *In hac parte*, &c. durius & imperioſius vobiſcum agendi. *In quo quis audet*, gloriari. *Inſipientia*, propriæ laudationis.

23. [i] *Ut minus ſapiens*, invitus & contra modeſtiæ fines. *Plurimis abundantius, ſupra modum*. Syr. *plus quàm illi*. *Mortibus*, mortis periculo, in ſeditionibus. *Frequenter*. Syr. *plures*.

24. [k] *Quadragenas*, plagas.

25. [l] *Virgis*, à Gentilibus. *Nocte & die in profundo maris fui*. Æth. *pernoctavi & dies egi natans in abyſſo*. Naufragio facto, in alto mari jactatus, &c.

26. [m] *Genere*, Syr. *cognatione meâ*. *Solitudine*, Æth. *agro*.

28. [n] *Præter illa quæ extrinſecus ſunt*, accedunt illa quæ interius animum exedunt, nimirum quæ ſequuntur.

29. [o] *Infirmatur*, in anima. *Infirmor*, affligor ejus defectibus compatiendo, & metuens ne cadat. *Uror*, vehementi dolore afficior ac ſi igne urerer.

30. [p] *Quæ infirmitatis*, infirmitates vocat afflictiones illas, propter quas apud homines habentur deſpecti & contemptibiles qui illas paſſi ſunt.

32. [q] *Damaſci*, Gr. *in Damaſco*. *Præpoſitus gentis Aretæ regis cuſtodiebat*, gentis præfectus Aretæ regis excubias poſuerat in Damaſcenorum urbe. *Aretæ regis*, Arabiæ Petreæ, & Damaſci. Is ſocer erat Herodis Antypæ Tetrarchæ, qui Joannem decollavit, ex Joſeph. Ant. lib. XVIII.

1. [r] *Non expedit quidem*, quod quidem extra caſum præſentem aut ſimilem non expedit.

2. [ſ] *Scio hominem*, de ſe loquitur in tertia perſona. *In Chriſto*, Chriſtianum, & Chriſti virtute. *Ante annos quatuordecim*, Arab. *ab annis quatuordecim*. Anno Chriſti quadrageſimo tertio & octavo converſionis Pauli. *Neſcio*, dubitat utrùm quæ vidit in raptu, viderit animâ manente in corpore, an à corpore ſeparatâ. Sed valde probabile eſt raptum illum contigiſſe animâ manente in corpore alioquin tempore raptus, Paulus mortuus fuiſſet, ſed mens ejus fuit hoc tempore à ſenſibus corporis alienata. *Raptum*, ex vi ſuperioris naturæ, in id quod eſt ſupra naturam elevatum. *Tertium cælum*, Empyreum, ubi ſedes beatorum. Hebræi tres tantùm cælos numerant, primum aëreum, ſecundum ſtellatum, tertium Empyreum.

4. [t] *Verba*, res. *Non licet*, non poſſunt explicari ab homine.

5. [u] *Pro hujuſmodi*, de hujuſmodi homine quem novi. *Pro me*, Syr. Æth. *de me ipſo*. *Infirmitatibus*, Æth. *afflictione*.

6. [x] *Nam etſi*, de me ipſo. *Voluero gloriari*, in his quæ glorioſa videntur hominibus, ut ſunt viſiones & revelationes. *Parco*, contineo me, & ab illarum rerum commemoratione abſtineo.

Digitized by Google

cum domeſtica ſua Eccleſia: apud quos & hoſpitor.

20. Salutant vos omnes [a] fratres, ſalutate invicem in oſculo ſancto.

21. Salutatio, [b] mea manu Pauli.

22. Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit [c] anathema, Maran Atha.

23. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.

24. [d] Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu. Amen.

IN SECUNDAM EPISTOLAM
AD CORINTHIOS.

SCripta eſt occaſione dilationis adventûs Pauli in prima Epiſtola promiſſi, quidam enim ex circumciſione pſeudo-Apoſtoli, intereà temporis, doctrinæ & perſonæ Pauli detrahebant.

Quo loco ſcripta, incertum: ſed è Macedonia anno uno poſt primam. Et ante eam quæ ad Romanos, in hac enim urgetur adhuc negotium faciendæ collectæ, quam ad Romanos ſcribens factam dicit.

CAPUT I.

[e] *Præmiſſâ ſalutatione, oſtendit Apoſtolus tam afflictiones ſuas, cujuſmodi paſſus fuerat in Aſia, quam conſolationem à Deo ſuper iis acceptam, cedere in Corinthiorum ſolatium ac ſalutem.*

1. PAULUS Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, [f] cum omnibus ſanctis, qui ſunt in univerſa Achaia.

2. [g] Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. [h] Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis,

4. Qui conſolatur [i] nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, quâ exhortamur, & ipſi à Deo,

5. [k] Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.

6. [l] Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur:

7. [m] Ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes quòd ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.

8. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt [n] in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.

9. [o] Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos:

10. Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus quoniam & adhuc eripiet.

11. [p] Adjuvantibus & vobis in oratione pro

20. [a] *Fratres*, fideles Epheſi exiſtentes.

21. [b] *Mea*, in ablativo, meâ manu ſcripta eſt quæ ſequitur ſalutatio.

22. [c] *Anathema*, graviſſimum, additâ precatione ut Deus quàm primùm in eum vindicet. *Maran Atha*, Arab. *Maranatha*, hoc eſt, Dominus noſter venit. In præterito, *venit*. poteſt ſumi in futuro more Hebraico, & ſic exponi. cùm Chriſtus veniet ad judicium univerſale anathema his qui non dilexerunt illum.

24. [d] *Charitas*, dilatio.

[e] Æth. *Præfigitur: Ad Corinthios ſecunda: & ſcripta fuit quum eſſet in urbe Philippenſi.*

1. [f] *Cum omnibus*, Syr. Æth. *& omnibus. Sanctis*, quia ad ſanctitatem vocati.

2. [g] *Gratia*. præſtetur. multiplicetur.

3. [h] *Benedictus*, Æth. *benedictus ſit*. Id eſt, laudetur à nobis propter opera ſuæ bonitatis. *Deus conſolationis*, autor.

4. [i] *Nos*, ſeipſum & ſocios Evangelii miniſtros. *Conſolatur...exhortamur*, utrumque paſſive accipiendum. *Per exhortationem, &c.* Syr. *per illam conſolationem quâ nos conſolatur Deus.*

5. [k] Arab. *Nam juxta menſuram quâ creſcunt paſſiones Chriſti, & multiplicantur in nobis, ita abundet per Chriſtum & conſolatio noſtra. Paſſiones Chriſti*, afflictiones quas pro Chriſto patimur.

6. [l] Syr. *Sive autem affligimur pro veſtri conſolatione, ac pro veſtra ſalute affligimur.* Sive conſolationem accipimus, id fit, ut conſolationem accipiatis. & ſit in vobis perſeverantia quâ ſuſtineatis perpeſſiones illas quas & nos patimur. *Sive tribulamur*, tribulatio iſta utilis eſt ad vos exhortandum ſalubriter, ſcilicet ut exemplo noſtri tribulationes ſuſtineatis libenter. *Sive conſolamur à Deo*, hoc fit & utile eſt ad conſolandum vos. quia conſolatio magiſtri debet excitare diſcipulos ad ſimilia ferenda; quoniam eadem merces nobis & vobis promittitur. *Sive exhortamur*, divinitus admonemur omnia fortiter perpeti, hoc fit pro veſtra exhortatione & ſalute, quia per hoc idonei efficimur admonere vos ad veſtram ſalutem. *Quæ operatur*, in paſſivo, quæ ſalus efficitur ac paratur obtinenda tamen à vobis per tolerantiam earumdem paſſionum, &c. *Quæ operatur tolerantiam*, Gr. *effecta in tolerantium*, Arab. *effecta per patientiam.*

7. [m] *Ut*, adeo ut. gallicè, *en ſorte que. Pro vobis*, Gr. *ſuper vos.*

8. [n] *In Aſia*, Epheſi, à Demetrio argentario. *Supra modum gravati ſumus ſupra virtutem*, Æth. *prævaluit menſura virium noſtrarum omnis noſtrum. Supra virtutem*, vires naturales, non animi & gratiæ, ſed ingenii, adeò ut nulla eſſet ſpes evadendi. *Tæderet, &c.* Syr. *vita noſtra propè abſcindenda fuerit*, Gr. *deſperaverimus etiam de vita.*

9. [o] *Sed ipſi*, quin ipſi. *Reſponſum*, Gr. *decretum*, Arab. *ſententiam*, Æth. *& propoſuimus mori*, tam gravis erat preſſura, ut ipſe de me non aliter ſtatuerim, quam mihi moriendum eſſe. *Ut non ſimus, &c.* declarat fructum quem afferre ſolet electis afflictionis magnitudo.

11. [p] Ut ex multis perſonis pro dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro nobis. Vel, multis vobis pro me orantibus, fiet

Digitized by Google

nobis: ut ex multorum perſonis, ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Cordis ac doctrinæ ſinceritatem declarat.

12. Nam [a] gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos.

13. Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ [b] legiſtis, & cognoviſtis. Spero autem quòd uſque in finem cognoſcetis,

14. Sicut & cognoviſtis nos [c] ex parte, quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Excuſat ſe quòd prout ſtatuerat nondum veniſſet.

15. Et [d] hac confidentia volui priùs venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis:

16. Et per vos tranſire in Macedoniam, & iterùm à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.

17. Cùm ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, [e] ſecundùm carnem cogito, ut ſit apud me EST, & NON?

Aſſerit firmam nihilominus permanere Evangelii a ſe prædicati veritatem.

18. [f] Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST & NON.

19. Dei enim filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & [g] Sylvanum, & Timotheum, non fuit EST & NON, ſed EST in illo fuit.

20. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo EST: ideò & [h] per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram.

21. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui [i] unxit nos Deus.

22. Qui & [k] ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.

Agit rurſus de cauſa propter quam ad eos non venerat.

23. Ego autem teſtem Deum invoco in [l] animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri. nam fide ſtatis.

CAPUT II.

Scribit idcirco ſe non veniſſe, ne eos majore triſtitiâ afficeret.

1. [m] STatui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos.

2. [n] Si enim ego contriſto vos: & quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?

3. Et [o] hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cùm venero triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium veſtrûm eſt.

4. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis [p] ſcripſi vobis per multas lacrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.

5. Si quis autem [q] contriſtavit, non me contriſtavit: ſed ex parte, ut non onerem omnes vos.

Hortatur ut fornicario jam ſatis afflicto condonationem unà ſecum faciant.

6. Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ [r] fit à pluribus:

7. [s] Ita ut econtrariò magis donetis, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.

8. Propter quod obſecro vos, ut [t] confirmetis in illum charitatem.

9. Ideò enim & ſcripſi ut cognoſcam [u] experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis.

10. Cui autem aliquid [x] donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.

---

ut propter beneficium liberationis. *Ex multis perſonis*, id eſt, reſpectu multorum in me collatum, etiam per multos gratiæ Deo pro me agantur.

12. [a] *Gloria*, cauſa atque materia gloriæ & exultationis. *Dei*, quæ coram Deo talis eſt, id eſt, vera ac minime fucata. *Abundantius*, ut quibus gratis ac ſine ſtipendio Evangelium prædicaſſet. *Ad vos*, Syr. Arab. Æth. *apud vos*, erga vos.

13. [b] *Legiſtis*, in ſuperiori Epiſtola.

14. [c] *Ex parte*, quia multi inter Corinthios deferentes æmulis & obtrectatoribus Pauli minus honorificè de eo ſentiebant. *Gloria veſtra*, quod nacti ſitis talem Apoſtolum, & tam ſincerum Evangelii prædicatorem, qui non ſua quærat, &c. *Noſtra*, apud quos egregie laboraverimus, non ſine copioſo fructu fidei & ſalutis.

15. [d] *Hac confidentiâ* veſtræ bonæ exiſtimationis de me. *Prius*, quam irem in Macedoniam. Vel, pridem. *Ut ſecundam*, &c. ut ex ſecundo meo adventu ſecundam acciperetis gratiam, qui dudum accepiſtis primam, quandò primùm iſtuc veniens ad fidem vos adduxi.

17. [e] *Secundum carnem*, more hominum carnalium qui in cogitationibus ſuis obſequuntur carnalibus affectibus, velut avaritiæ, ambitionis, aut commodi temporalis, &c. Senſus eſt, numquid volens aliud facere, quod poſtea non feci, levis aut carnalis ſum, ut propterea ſit apud me *Eſt*, & *Non*, id eſt, dicam & non præſtem.

18. [f] *Fidelis autem Deus*, Æth. *teſtis verus eſt Deus*. *Sermo noſter*, prædicatio noſtra. *Eſt & non*. Affirmans & negans de eodem. Deus verax & infallibilis in dictis & promiſſis: & ideo ſermo prædicationis noſtræ non talis fuit ut mutari poſſet ex affirmatione in negationem, nihil in eo incertum & mutabile, ſed omnium veritate firmiſſimâ conſtat.

19. [g] *Silvanum*. Silam eſſe dicunt interpretes. *Sed eſt in illo fuit*, atque adeo in noſtra prædicatione, in qua non aliud quam Chriſti verbum & Evangelium ac promiſſa vobis annuntiamus.

20. [h] *Per ipſum amen*, veraces ſunt per ipſum Dei promiſſum. *Deo ad gloriam*, Syr. Arab. *ad Dei gloriam*. *Noſtram*, Gr. Arab. *per nos*, id eſt, per miniſterium noſtrum. *Ad gloriam noſtram*, ad noſtram ſalutem.

21. [i] *Unxit*, donis Spiritus. *Deus*, Arab. *Deus eſt*.

22. [k] *Signavit nos*, Spiritu ſancto, tanquam ſigillo nobis impreſſo, quod fecit largiendo chariſmata, quæ ſigilli inſtar nos probent veri Dei miniſtros. *Pignus Spiritus*, quia dona divina ſunt pignus nos certificans de inhabitatione Spiritus ſancti, vel, dedit Spiritum arrham ſuarum promiſſionum.

23. [l] *Animam meam*, me, ſi mentior. *Parcens vobis*, &c. non eſt quòd metuatis ne fidei cauſâ poteſtatem Apoſtolicam, quam dominationem æmuli mei interpretantur, in vos exerceam. Verum ſunt alia quædam apud vos merito punienda, de quibus ſcribo ut vobis parcere. *Non quia dominamur fidei veſtræ*, non quod dominemur vobis nomine fidei, quam noſtro magiſterio didiciſtis, quaſi propter eam jus aliquod, quale eſt dominorum, ego & conſortes mei in vos uſurpare velimus. *Adjutores ſumus gaudii*, ſtudemus procurare gaudium veſtrum, cujus digni eſtis, quia ſtatis in fide: agitur autem de gaudio oppoſito triſtitiæ quam pepererat ipſius objurgatio.

1. [m] Nolui ſecundum meum adventum ad vos eſſe cum triſtitia, propter caſtigationes.

2. [n] Quod ſi ego vos contriſto dum præſens ſum apud vos, quiſnam erit, obſecro, qui me apud vos exhilaret? Nemo. Nam vos ea me contriſtati, me exhilarare non poteritis: alius verò me exhilaret apud vos, nullus eſt. *Contriſtatur ex me*, ad pœnitentiam ſalutarem movetur ex mea increpatione.

3. [o] *Hoc ipſum*, ut emendaretis errata prius quàm venirem. *Scripſi* in priori Epiſtola, ne cum veniſſem ad vos nondum correctos dolorem caperem ex iis, id eſt, ea vobis, qui mihi debebatis eſſe gaudii materia, fiduciam de vobis habens quòd me gaudente gaviſuri ſitis. *In vobis*, Syr. *de vobis*.

4. [p] *Scripſi*, priorem Epiſtolam. *Per*, Syr. Arab. *cum*. *Contriſtemini*, Arab. *contriſtaremini*. *Quam charitatem*, &c. Syr. *charitatem vehementem quam habeo erga vos*.

5. [q] *Contriſtavit*, fornicarius, de quo in I. Epiſtola. *Non me*, ſolum. *Ex parte*, non eſt additum ad excipiendos aliquos Corinthiorum à participatione mœroris, ſed ad imperfectionem mœroris & teporem Corinthiorum ſignificandum. *Onerem*, gravius & acerbius de illo dicendo. Vel, onerem hac infamiâ quòd non ſitis mecum contriſtati.

6. [r] *Fit*, Syr. *facta eſt*. Illa publica ſeparatio, &c. totius Eccleſiæ veſtræ conſenſu facta, ſufficit ei qui Eccleſiam contriſtavit, pro ſatisfactione ſui delicti, ita ut quamvis enormitas facinoris pœnam longè majorem ac diuturniorem merito poſtulet, reliquum tamen pœnæ per indulgentiam illi condonetur.

7. [s] *Ita ut è contrario magis donetis*, &c. Syr. *proinde è diverſo oportet ut remittatis ei*, &c. Loco ſeveritatis quâ longiorem adhuc pœnam exigere poſſetis, potius uti vos oporteat lenitate.

8. [t] *Confirmetis charitatem*, ſigna donetis majoris charitatis.

9. [u] *Experimentum*, Syr. *experimenta*.

10. [x] *Donaſtis*, Syr. *remittitis*. *Et ego*, ſi cui veſtrûm, &c.

Digitized by Google

11. [a] Ut non circumveniamur à ſatana: non enim ignoramus cogitationes ejus.

De Tito à ſe non invento, &c.

12. Cùm veniſſem autem Troadem propter Evangelium Chriſti, & [b] oſtium mihi apertum eſſet in Domino.

13. [c] Non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non invenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam.

Addit de Evangelio à ſe inſtar boni odoris latè diſperſo, notans in fine inſinceros P. ſius miniſtros.

14. [d] Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco:

15. [e] Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt:

16. [f] Aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?

17. Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, [g] in Chriſto loquimur.

CAPUT III.

Negat Apoſtolus hominum commendatione ſe indigere, cùm fructus ſua apud Corinthios prædicationis ſatis ipſum commendet.

1. [h] INcipimus iterùm noſmetipſos commendare? Aut numquid egemus, (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos aut ex vobis?

2. [i] Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus.

3. [k] Manifeſtati quòd Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento ſed ſpiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.

Demonſtrat excellentiam miniſterii novæ legis præ miniſterio veteris legis.

4. [l] Fiduciam autem talem habemus, per Chriſtum ad Deum:

5. Non quòd ſufficientes ſimus [m] cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:

6. Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti; [n] non littera ſed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.

7. Quòd ſi [o] miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria: ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi: propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur:

8. Quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria?

9. Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multò magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.

10. [p] Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

11. Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt: multò magis [q] quod manet, in gloria eſt.

Docet Judæis adhuc velatum eſſe quod novi teſtamenti miniſtris revelatum eſt.

12. Habentes igitur [r] talem ſpem multâ fiduciâ utimur.

13. [ſ] Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſraël in faciem ejus, quod evacuatur,

14. Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum [t] velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, [quoniam in Chriſto evacuatur.]

15. Sed uſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.

16. Cùm autem [u] converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

17. [x] Dominus autem Spiritus eſt: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

18. [y] Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem; tanquam à Domini Spiritu.

Propter vos, pro publica ſalute, & utilitate veſtræ Eccleſiæ. *In perſona Chriſti*, ejus vice & autoritate.

11. [a] *Ut non circumveniamur à ſatana*, ne occaſione hoſtræ ſeveritatis illum inceſtuoſum & alios pœnitentes nobis per deſperationem illorum eripiat. *Cogitationes*, aſtutias, machinationes.

12. [b] *Oſtium apertum*, corda hominum præparata recipere verbum Dei. *In Domino*, Syr. Arab. *per Dominum*, per Dei gratiam. Reddit rationem cur non venerit ad illos.

13. [c] Ratio inquietudinis Pauli, non invento Tito, una eſt quia per illum quem Corinthum miſerat, exſpectabat ut ſibi nuntiaretur, an Corinthii jam ſe correxiſſent, hocque dicit ut illis probet, quod ſi corporis acceſſu nondum veniſſet ad illos, ſpiritu tamen præſens eſſet.

14. [d] *Deo autem gratias* ago, qui triumphare nos facit virtute & gratiâ Chriſti atque ex victoriis quas à diabolo & hominibus adverſariis reportamus, illuſtres & conſpicuos nos facit, velut publicè triumphum agentes. *Odorem notitiæ, &c.* quia ſicut res odoriferæ, ſi conterantur, vehementiùs olent, ita nos perſecutionibus contriti longiùs ſpargimus odorem notitiæ, &c.

15. [e] Nos, ego ſcilicet & collegæ, famam nominis Chriſti, velut bonum odorem Deoque gratiſſimum ſpargimus apud omnes, non eos ſolùm qui credunt & ſalvi fiunt, verùm etiam qui credere nolentes pereunt.

16. [f] *Aliis . . . aliis*, Syr. Gr. *his . . . illis*. *Ad hæc*, agenda & præſtanda, tam ut par eſt. Quibus verbis dicere vult perpaucos eſſe tales miniſtros Evangelii.

17. [g] *In*, Syr. Æth. *per*.

1. [h] *Incipimus*, interrogatio pro negativo: opuſne eſt ut incipiamus? minime, &c. *Iterum*, quia jam in priore Epiſtola voluitque removere jactantiam. *Sicut quidam* egent & undique ſtudioſe conquirunt. *Ad vos, &c.* Syr. *quæ de nobis ad vos ſcribantur aut quas commendatitias de nobis ſcribatis?*

2. [i] Epiſtola noſtri commendatitia; abunde enim nos & vobis & aliis commendat fides & vita veſtra, quos ſic inſtituimus cordi meo inſcripta; quam Epiſtolam omnibus in promptu eſt inſpicere, & legere, perinde ut literas patentes, omnium oculis expoſitas.

3. [k] *Manifeſtati*, de quibus manifeſtum eſt. *Epiſtola Chriſti*, ſcripta à Chriſto, à quo principaliter inſtituti. *Miniſtrata à nobis*, noſtro miniſterio conſcripta. *Non in tabulis, &c.* non in cordibus duris ſicut lapidibus, ſed mollibus inſtar carnis, & ad obediendum promptis.

4. [l] *Fiduciam talem*, quòd ſitis Epiſtola miniſtrata à nobis. *Ad* Syr. *erga*, Arab. Æth. *apud*.

5. [m] *Cogitare*, & per conſequens nec dicere, nec facere.

6. [n] *Non littera ſed ſpiritu*, Gr. *non litteræ ſed ſpiritus*. Non miniſtros legis datæ per Moyſen, ſed miniſtros legis novæ, quia Spiritus ſanctus datur ad legem implendam. Lex enim ſcripta, ſi ſola ſit ac Spiritu deſtituta, eos quibus data eſt æternæ morti reddit obnoxios, non quidem per ſe, ſed ex occaſione latentis in eis concupiſcentiæ. Spiritus verò per gratiam quâ nos efficit legis obſervatores, vivificat nos, æternæ vitæ conſtituendo hæredes.

7. [o] *Miniſtratio*, Arab. Æth. *miniſterium*. *Miniſtratio mortis*, lex, vel exhibitio inſtrumentalis veteris legis. *Deformata*, Gr. *informata*, Syr. *enarata*, Æth. *quod ſcriptum fuit*. *Quæ evacuatur*, Gr. *abolendam*.

10. [p] Syr. *Perinde enim eſt ac ſi non eſſet glorioſum, id quod glorificatum eſt in comparatione hujus excellentis gloriæ.* Etenim *in hac parte*, id eſt, in hac comparationis materia, ne dicendum quidem eſt glorificatum fuiſſe quod olim glorificatum eſt, veteris nempe legis miniſterium, propter eminentem longeque ſuperiorem gloriam miniſterii legis.

11. [q] *Quod manet*, quod fructum habet perpetuum nunquam deſiturum. Aut, lex nova Chriſti, quæ durabit uſque in finem mundi.

12. [r] *Talem ſpem*, quòd gloria Evangelii permaneat. *Fiducia*, libertate & audaciâ loquendi.

13. [ſ] *Et non*, facimus, nec oportet nos facere. Non occultamus ſcilicet Evangelii lucem, ſicut Moyſes in typo fecit, occultans eam Iſraëlitis. *Intenderent*, poſſent intendere. *Quod evacuatur*, quæ gloria tandem abolenda erat.

14. [t] *Velamen*, figuralis obſcuritas legis. *In Chriſto evacuatur*, per fidem & doctrinam Chriſti, qui finis eſt legis, & quem Judæi non recipiunt.

16. [u] *Converſus*, Æth. *converſi*, Syr. *aliquis ex eis convertetur*. Hoc de Moyſe exponi poteſt, qui quando revertebatur ad Dei colloquium, velamen à facie removebat, tuncque typum gerebat populi Chriſtiani ad Deum converſi.

17. [x] *Dominus*, quod de Spiritu ſancto exponendum. *Libertas*, à ſervitute legis & peccati, quam libertatem tanquam velamine ſervitutis ablato, communicat Spiritus ſanctus, iis quos inhabitat.

18. [y] *Nos omnes* fideles, ſed præſertim Evangelii miniſtri. *Revelatâ facie gloriam Domini*, id eſt, notitiam myſteriorum ſalutis noſtræ, quibus glorificatus Deus. *Speculantes*, Gr. *in ſpeculo repræ-*

Digitized by Google

CAPUT IV.

Scribit à ſe ſuiſque collegis ſincere, & palam apud omnes, licèt quidam præ mentis cæcitate non credant, annuntiari Evangelium Chriſti.

1.[a] IDeò habentes adminiſtrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus,

2. Sed abdicamus [b] occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.

3. Quòd ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt [c] opertum:

4. [d] In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

5. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: [e] nos autem ſervos veſtros per Jeſum:

6. Quoniam Deus qui dixit [f] de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu.

7. Habemus autem theſaurum [g] iſtum in vaſis fictilibus; ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.

Dicit quòd licèt multa adverſa patiantur, nunquam tamen ſuccumbant, ob ſpem videlicet repoſitæ ſibi gloriæ æternæ pro temporis afflictione.

8. In omnibus tribulationem patimur, ſed non [h] anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur:

9. Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus:

10. Semper [i] mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.

11. Semper enim nos qui vivimus, in [k] mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.

12. Ergo [l] mors in nobis operatur, vita autem in vobis.

13. Habentes autem [m] eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur:

14. Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos [n] cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.

15. Omnia enim propter vos: [o] ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.

16. [p] Propter quod non deficimus: ſed licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.

17. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, [q] ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

18. Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.

CAPUT V.

Spe gloriæ futuræ, cùm aliter eâ frui non poſſint, volunt Evangelii miniſtri a corpore peregrinari, ut Chriſto Domino præſentes ſint, cui interim ut omnium judici placere ſtudent.

1. SCimus enim, quoniam ſi [r] terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.

2. [ſ] Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes.

3. [t] Si tamen veſtiti non nudi inveniamur.

4. [u] Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eò quòd nolumus expolia-

ſentantes, Syr. *quaſi per ſpeculum contemplamur*. Inſtar ſpeculi ſuſcipientes atque reddentes non ſolùm in nobis recipimus, ſed etiam more ſpeculorum in alios refundimus, & quodammodo *transformamur in eamdem imaginem*, hoc eſt, ad ſimilitudinem gloriæ Dei, adeò ut à gloria Dei in nobis expreſſa ac repræſentata in claritatem noſtram. *A claritate in claritatem*, Syr. Gr. Arab. Æth. *à gloria in gloriam*. *Transformamur*, in quam. *A Domini Spiritu*, adeo ut. *Tanquam*. Non ſimilitudinem denotet, ſed verum rei modum declaret, hocque miniſterium obimus, impulſi à ſpiritu libertatis autore.

1. [a] Syr. *Propterea tædium non eſt nobis in hoc miniſterio quod amplectimur, juxta miſerationes quæ fuerunt ſuper nos. Deficimus*, in adverſis, nec ab executione ceſſamus.

2. [b] *Occulta dedecoris*, Hebraiſmus: occulta dedecoroſa, vitia latentia quæ ſolent a peccantibus occultari, ne per ea in infamiam incidant ut turpe lucrum, &c. taxat pſeudo-Apoſtolos. *Adulterantes*, Syr. *doloſè tractamus*.

3. [c] *Opertum*, Syr. *velatum*. *In iis*, apud eos. Quod ſi adhuc quibuſdam velatum & occultum eſt Evangelium quod prædicamus, duntaxat iis qui pereunt, id eſt, reprobis velatum eſt, &c.

4. [d] *In quibus*, quorum infidelium. *Hujus ſæculi*, obvelatum eſt Evangelium iis infidelibus, quorum mentes. *Deus hujus ſæculi*, id eſt, diabolus excæcavit, dum pravis ſuggeſtionibus & ſuaſionibus eos avertit à fide Evangelii prædicatione gloria Chriſti apparet & toto mundo diffunditur.

5. [e] *Nos autem ſervos*, &c. Arab. *& aliâ voce nos ipſos fatemur vobis ſervos propter Jeſum*. Æth. *& vobis ſubjecimus nos ipſos per Jeſum*. *Per*, Syr. *propter*.

6. [f] *De tenebris*, poſt tenebras. *Ad illuminationem*, &c. ut nos Apoſtoli illuminaremus alios. *Scientiæ*, &c. Syr. *ut illuſtremur per cognitionem gloriæ Dei in perſona Jeſu Chriſti*. *In facie*, perſona, id eſt, nomine & autoritate Chriſti.

7. [g] *Iſtum*, illuminationis. *Sublimitas ſit virtutis*, Gr. *ſublimitas virtutis ſit*.

8. [h] *Anguſtiamur*, Syr. *ſuffocamur*. *Aporiamur*, Gr. Arab. *hæſitantes*. E Græco ficticium verbum: quaſi hæremus, inopes conſilii ſumus, obimus pericula, evadendi conſilio ac ope deſtituti.

10. [i] *Mortificationem*, Arab. Æth. *mortem*. *Vita Jeſu*, &c. dum corpora noſtra mortalia inter tot pericula morteſque quotidianas, occultâ quâdam virtute conſervantur in vita, manifeſtum ea

eo fit Dominum Jeſum, pro quo nos, reſurrectionem & vitam ejus prædicantes, talia patimur, reſurrexiſſe & vivere.

11. [k] *Mortem*, mortis periculum. *Ut & vita*, &c. ut in corporibus noſtris mortalibus, toties in mortem traditis, & adhuc viventibus, manifeſte appareat Jeſum quem prædicamus adhuc vivere.

12. [l] *Mors in nobis operatur*, in nobis Apoſtolis mors agitur & exercetur. *Vita in vobis*, per noſtra pericula vobis gignitur vita ſpiritualis.

13. [m] *Eumdem Spiritum fidei*, eamdem fidem cum Corinthiis ab eodem Spiritu Sancto datam. *Sicut ſcriptum eſt*, &c. ſicut David inter perſecutiones & pericula credidit ſe perventurum ad regnum ſibi à Deo promiſſum, & propterea confidenter de eo apud homines locutus eſt: ita nos quoque miniſtri novæ legis licèt perſecutionibus preſſi & periculis expoſiti, tandemque morituri, certiſſime tamen credimus nos ad gloriam promiſſam perventuros.

14. [n] *Cum Jeſu*, Syr. Gr. Arab. Æth. *per Jeſum conſtituet vobiſcum*, Syr. *ad ſe nos ſiſtet vobiſcum*. In communi gloria.

15. [o] Syr. *Ut quum abundet gratia per multos, multiplicetur gratiarum actio ad gloriam Dei*, Gr. *ut gratia abundans per multarum gratiarum actionem, abundet in gloriam Dei*. *Omnia propter vos*, omne miniſterium noſtrum ordinatur ad veſtram ſalutem. *Gratia*, beneficium.

16. [p] *Propter quod*, propter ſpem gloriæ quam ex reſurrectione expectamus. *Is qui foris eſt*, caro noſtra. *Is qui intus eſt*, animus.

17. [q] *Supra modum*, Gr. *in excellentiam*. *In ſublimitate*, excellenter.

1. [r] *Terreſtris domus noſtra hujus habitationis*, Syr. *domicilium noſtrum terreſtre hujus corporis*.

2. [ſ] Æth. *Et ipſum expectamus, ut induamur domo noſtrâ*, &c.

3. [t] Quod continget ſi veſtiti donis & gratiis Spiritus ſancti, non nudi bonis operibus inveniamur. Vel, *veſtiti*, corpore adhuc vivente. *Nudi*, nudato morte.

4. [u] Nos Evangelicæ legis miniſtri, vel, homines omnes, quandiu verſamur in hoc tabernaculo mortalis & caduci corporis, dolemus ac gemimus, hac corruptibili carne velut onere depreſſi, ſuſpirantes ad incorruptionem, non quod velimus exui corpore & eo carere, quod refugit naturalis voluntas, ſed quia volumus ſuper-

Digitized by Google

ri, ſed ſuperveſtiri; ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vita.

5. Qui autem [a] efficit nos io hoc ipſum, Deus, qui dedit oobis pignus ſpiritus.

6. [b] Audentes igitut ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.

7. ([c] Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.)

8. [d] Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregtinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.

9. [e] Et ideò contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placere illi.

10. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ur referar unuſquiſque [f] propria cotporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.

Predicat Paulus ſinceritatem ſuæ converſationis, ut habeant Corinthi de quo gloriari poſſint, coram pſeudo-Apoſtolis adverſariis Pauli.

11. Scientes etgo [g] timorem Domini, hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientiis veſttis manifeſtos nos eſſe.

12. Non iterùm commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi [h] pro nobis: ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in cotde

13. [i] Sive enim mente exeedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis.

Docet Evangelii miniſtros non ſibi ipſis vivere debere ſed Chriſto, in quo omnia facta ſunt nova creatura, & reconciliata Deo.

14. [k] Charitas enim Chriſti utget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſiunus pto omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunr.

15. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.

16. Itaque nos [l] ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem. Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.

17. [m] Sſ qua ergo in Chtiſto nova creatuta; vetera traoſierunt: ecce facta ſunt omnia oova.

18. [n] Omnia autem ex Deo, qui nos teconciliavir ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium teconeiliationis,

Legatione pro Chriſto fungi dicit eoſdem miniſtros, in quibus poſuit munus & officium reconciliationis.

19. Quoniam quidem Deus erar in Chriſto mundum reconcilians ſibi, [o] non teputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis vetbum reconciliatioois.

20. [p] Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exbortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deu.

21. [q] Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.

CAPUT VI.

Hortatur ne tempus gratiæ & ſalutis negligant.

1. [r] ADjuvaotes autem exbortamur, ne in vaeuum gratiam Dei recipiatis.

2. [s] Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.

3. Nemini [t] dantes ullam offeoſionem, ut non vituperetut miniſterium noſtrum.

Oſtendit quantum laboraverit ut probatum Dei miniſtrum ſe exhiberet.

4. Sed in omnibus exbibeamus noſmetipſos ſicut Dei mioiſtros, in multa [u] patientia, in tribularionibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis,

5. In plagis, in catceribus, in ſeditionibus, in labotibus, in vigiliis, in jejuoiis,

6. In caſtitate, [x] in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta.

7. In verbo veritatis, in [y] virtute Deì, per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris.

8. Per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam: [z] ut ſeductotes, & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti:

indui immortalitatem corpori; nec ita tamen ut mortale corpus idem fit immortale, ſed ut a vita incorruptibile ... corporis abſorbeatur, ſicque corpus ex mortali reddatur immortale.

5. [a] *Efficit nos in hoc ipſum*, Deus fecit nos ad hoc ipſum. *Pignus Spiritus*. Spiritum ſanctum tanquam arrhabonem.

6. [b] *Audentes*, Gr. Arab. *confidentes*. Certâ ſpe gloriæ futuræ fubnixi, ſemper bono ac fidenti animo ſumus.

7. [c] *Per fidem*, expectantes gloriam futuram. *Speciem*, Syr. *viſum*.

8. [d] *Audemus*, Syr. Gr. Arab. *confidimus*. *Magis*, Arab. *potius*.

9. [e] *Abſentes . . . præſentes*, debent referri ad domicilium corporis, in vita & in morte.

10. [f] *Propria corporis*, Syr. *in corpore ſuo*, Gr. *ea quæ ſiunt per corpus*, Arab. *ut proprium habeat unuſquiſque mercedem operum quæ in corpore geſſit*, Æth. *ut rependamus omnes nos ſecundùm quod fecimus in corpore noſtro.*

11. *Timorem Domini*, quàm timendus ſit Deus judex & vindex. *Hominibus ſuademus*, nitimur perſuadere hominibus noſtram integritatem, *Deo* enim qui novit intimos cordis noſtri receſſus, *manifeſti ſumus*, &c. Arab. *hominibus ſuademus ut credant*, *in conſcientiis veſtris*, &c. Apud vos ſpero & confido ſinceritatem noſtram in Evangelico miniſterio ita vobis jam diu manifeſtam eſſe, ut bene recteque de nobis ſentiatis.

12. [h] *Pro nobis*, Syr. Gr. *de nobis*. *Ut habeatis ad eos*, Arab. *quam habeatis apud eos*. Æth. *ut ſit vobis quod dicatis apud eos*. *In facie gloriantur*, de iis quæ exterius apparent. *Non in corde*, non ex cordis & conſcientiæ teſtimonio.

13. [i] Syr. *Sive inſanimus, Deo: ſive recte agimus vobis*. *Excedimus*, nos ipſos laudantes *Deo*, ad Dei gloriam, ne ex noſtro contemptu contemptibilis fiat doctrina quam prædicamus. *Sobrii ſumus*, modeſte de nobis loquimur. *Vobis*, veſtri cauſa, imbecillitati veſtræ nos accommodantes, humilitatiſque exempla dantes: in omnibus gloriam Dei & veſtrum profectum quærentes.

14. *Charitas enim Chriſti*, dilectio quâ Chriſtum & proximum ejus exemplo diligimus. *Æſtimantes*, &c. quod ſi Chriſtus mortuus eſt, ut mortuos per peccatum, vitæ redderet, debemus nos ſaluti aliorum invigilare *Omnes mortui ſunt*, omnes utpote ſervi Chriſti & redempti e Chriſto, non ſibi ſuis commodis ſervientes, vivere debent, ſed ſoli Chriſto.

16. [l] *Ex hoc*, Gr. *ex nunc*, Arab. *poſthac*. *Jam*, Gr. Arab. *amplius* Ut redarguat pſeudo-Apoſtolos qui gloriabantur de multis, de quibus infra cap. 11. quod totum Apoſtolus vocat, gloriari ſecundùm carnem, dicit, nunc cùm mortui ſimus vitæ veteri, nullius affinitate movemur, nec ducimur carnis affectu, etiam erga Chriſtum ut antea faciebamus, ſolam Dei gloriam quærimus, nec glorioſum putamus vidiſſe eum carne viventem, de quo gloriabantur pſeudo-Apoſtoli, aut Gentilem, aut conſanguineum eſſe Chriſti ſecundùm carnem, &c.

17. [m] Syr. *Quiſquis igitur in Chriſto eſt, factus eſt creatura nova, vetera perierunt.*

18. [n] *Omnia autem ex Deo*, Syr. *& facta ſunt omnia nova à Deo ipſo.*

19. [o] *Non reputans*, Syr. *nec imputavit*, non imputans.

20. [p] *Pro Chriſto*. Arab. *vice Chriſti*. Nomine Chriſti.

21. [q] Redditur ratio ſperandæ & quærendæ noſtræ reconciliationis cum Deo. *Non noverat*, adeo alienus à peccato ac ſi ignoraret peccatum. *Pro nobis peccatum*, hoſtiam pro peccato. *Fecit*, Syr. *ſe fecit*. Egit ut cum magno peccatore, ſicque elucet antitheſis inter peccatum & juſtitiam. *In ipſo*, Syr. Arab. *per eum.*

1. [r] *Adjuvantes*, Gr. *cooperantes*, Arab. *hoc igitur conſilium promoventes*. Collaborantes Chriſto per miniſterium reconciliationis.

2. [s] *Ait*, Deus. *Accepto*, placito & omnibus acceptabili. *Ecce nunc*, &c. tempus illud acceptabile eſt, jam advenit vobiſque nuntiatum eſt.

3. [t] *Dantes*, Syr. *dederitis*, Arab. *præbeamus*. *Offenſionem*, Syr. *occaſionem offendiculi*. Æth. *ſcandalum*. Hæc ad Paulum ejuſque collegas debent referri, qui adjuvantes erant Corinthios.

4. [u] *Patientia*, Syr. *tolerantia*. *Tribulationibus*, *neceſſitatibus*, *anguſtiis*. tria ſunt genera afflictionum quæ differunt ſecundùm plus & minus, per tribulationes intelliguntur preſſuræ ordinariæ, per neceſſitates intelliguntur graviores, non verò indigentiæ & per anguſtias, graviſſimæ.

6. [x] *In*, per. *Suavitate*, Syr. *lenitate*, Arab. *bonitate*. Comitas eſt & facilitas quâ quis aliorum moribus ſe accommodat *Spiritu ſancto*, dona ſunt Spiritus ſancti, per quæ probabant Apoſtoli ſe veros eſſe Dei miniſtros. *Charitate non ficta*, quæ non ſit ſolum in verbis.

7. [y] *Virtute*, potentiâ & miraculis, vel, quod verbum veritatis efficax eſt ſolâ potentiâ Dei *Per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris*, opera virtutis in proſperis & adverſis, quæ ſunt arma, id eſt, inſtrumenta ad juſtitiam

8. [z] *Ut ſeductores*, habiti, & nihilominus veraces. *Sicut qui ignoti*, ut ignobiles, & nullius pretii habiti, & tamen clari & in pretio apud pios & probos.

Digitized by Google

9. Quaſi [a] morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati.

10. Quaſi [b] triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Admonet ut a convictu & connubio infidelium ſeparentur, quum ipſi ſint templum & populus & filii Dei.

11. [c] Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt.

12. Non [d] anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.

13. [e] Eamdem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini & vos.

14. Nolite [f] jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?

15. Quæ autem [g] conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?

16. Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

17. Propter quod exite de medio eorum, & [h] ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:

18. Et ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

CAPUT VII.

Declarat ſuam erga Corinthios dilectionem, & viciſſim conſolationem quam ex illis accipit.

1. HAs ergo habentes promiſſiones, Chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.

2. [i] Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.

3. Non ad condemnationem veſtram [k] dico, prædiximus enim quòd in cordibus noſtris eſtis, ad commoriendum, & ad convivendum.

4. [l] Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.

5. Nam & cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit [m] caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores.

6. Sed qui conſolatur [n] humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi.

7. Non ſolùm autem in adventu ejus, [o] ſed etiam in conſolatione, quâ conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

8. Quoniam etſi contriſtavi vos in Epiſtola, non me pœnitet: & ſi pœniteret, videns quòd epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit; Quantum bonum pepererit triſtitia quam ex ſua priori acceperant Epiſtola.

9. Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, [p] ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

10. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.

11. Ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum [q] contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam, in omnibus exhibuiſtis vos, incontaminatos eſſe negotio.

12. [r] Igitur, etſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis

13. Coram Deo: ideò conſolati ſumus, in conſolatione autem noſtra, abundantiùs magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis.

14. Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus: ita & gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum, [ſ] veritas facta eſt,

9. [a] *Morientes*, propter quotidiana pericula mortis, à quibus mirâ Dei providentiâ ſervamur. *Caſtigati*, variè a perſecutoribus noſtris afflicti, quibus tamen Deus nondùm permiſit ſævire uſque ad mortem. *Mortificati*, Syr. *mortui*, Æth. *interfecti*.

10. [b] *Triſtes*, propter mala quæ patimur. *Locupletantes*, non tantum ſpiritualibus bonis, ſed etiam temporalibus ex eleemoſynis collectis. *Poſſidemus*, Deo abundè providente.

11. [c] *Os noſtrum patet ad vos*, plenè inſtituendos, non poſſum non commonefacere vos. *Cor noſtrum dilatatum*, amore erga vos.

12. [d] *Anguſtiamini*, non præceptivus, ſed indicativus ſermo eſt. Quod triſtes eſtis, & compreſſo corde non ex nobis provenit, qui vobis optime volumus, & in quibus exemplum habetis gaudii ſpiritualis, ſed ejus anguſtiæ cauſa in vobis eſt, nam inter vos ſunt qui vos conturbant & mœrore afficiunt, videtur reſpicere ad fornicarium, &c. & ad alios impœnitentes, de quibus infra. Vel, ſpatioſè in corde meo habitatis, latiſſimâ vos charitate complector, ſed exiguam charitatem nobis rependitis. *In nobis*, Syr. *de nobis*.

13. [e] *Eamdem habentes remunerationem*, quam ex laboribus Evangelii cauſâ ſuſceptis habiturus ſum, dilatamini interno gaudio Spiritus ſancti, quod ut fiat, amputate cauſas malorum quæ vobis triſtitiam pepererunt. *Dilatamini*, mutuam charitatem reddite.

14. [f] *Jugum ducere*, inire matrimonio neque hoc contrarium eſt verbis cap. 7. Ep. prioris. *ſi quis frater uxorem habet infidelem* In priori enim Epiſtola loquitur de matrimoniis jam contractis, in hac verò de contrahendis.

15. [g] *Conventio*, Syr. Arab. *concordia*. *Pars*, participatio, communio.

17. [h] *Separamini*, animo: hoc eſt enim exire, ſeparare. *Immundum ne tetigeritis*, ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, quo infideles coinquinati ſunt, mundos ac puros vos præſtetis.

2. [i] *Capite nos*, advertite quæ dicimus.

3. [k] *Dico*, quod in hac parte velim vos objurgare. *Prædiximus*, Syr. *jam dixi*, Æth. *antea dixi*. Reſpicit ad ſigna amoris quæ dedit eis cap. 3. *Ad commoriendum*, &c. nec in morte, nec in vita volumus à vobis ſeparari.

4. [l] *Multa mihi fiducia apud vos*, cum magna fiducia & ſermonis libertate vobiſcum ago, confidens vos benignè ac placidè meas admonitiones accepturos, hoc dicit ne contriſtandi ſtudio tanquam ſeverus objurgator priorem Epiſtolam ſcripſiſſe videretur. *Pro vobis*, Syr. *ex vobis*, Arab. Æth. *de vobis*. *Tribulatione noſtra*, Syr. *afflictionibus meis*.

5. [m] *Caro*, non ipſi pars pro toto. *Foris pugnæ*, cum pſeudo-Apoſtolis & hoſtibus Evangelii. *Intus timores*, interiùs, in corde patiebamur. *Timores*, novarum perſecutionum, & ſollicitudines ne Eccleſiæ Dei ſubverterentur.

6. [n] *Humiles*, Æth. *afflictos*. *In adventu Titi*, revertentis à Corintho, bonoque de ſtatu Corinthiorum referentis.

7. [o] *Sed etiam in conſolatione*, &c. quia Titus prius contriſtatus ob peccata veſtra, correctos vos inveniens, conſolationem accepit. *Qua conſolatus eſt in vobis*, Arab. *quam de vobis accepit*. *Veſtrum deſiderium*, me videndi. Syr. *de charitate veſtra erga nos*. *Fletum*, eò quod mœror mihi ex culpis veſtris fuiſſet. *Æmulationem*, ſtudium contra detractores. *Ita ut magis gauderem*, Syr. *quia quum audirem gaudii plurimum habui*.

9. [p] *Ut in nullo*, &c. Syr. *ſicut nihil detrimenti acceperitis à nobis*, Arab. *nulla in re*.

11. [q] *Contriſtari vos*, quod doluiſtis. *Sollicitudinem*, quia prius negligentes fueratis circa puniendum inceſtuoſum, nunc verò diligentes & ſoliciti. *Sollicitudinem*, non ſolum *Sed defenſionem*. Arab. *imo & defenſionem*, apud Titum ſcilicet apud ſe quem excuſarunt ſuper negotio fornicarii. *Indignationem*, quam oſtenderant coram Tito adverſus flagitioſum illum. *Timorem*, ne ſimile quid contingat, & propter tolerantiam illius à Deo in judicio puniremur. *Deſiderium*, me videndi. *Æmulationem*, ut ſuprà verſ. 7. *Vindictam*, quia ſeverè caſtigarunt fornicarium. *In omnibus exhibuiſtis*, &c. tot argumentis declaraſtis vos a crimine immunes, &c. *Negotio*, hoc nomine tegit inceſti crimen.

12. [r] *Igitur, etſi ſcripſi vobis, non*, &c. Syr. *erit autem hoc quod ſcripſi vobis, non ejus cauſa*, &c. Proinde tametſi ſcripſi vobis, non id feci ejus cauſâ, &c. *Qui paſſus*, pater inceſtuoſi. *Manifeſtandum*, coram Deo.

14. [ſ] *Veritas facta eſt*, vera apparuit laus, quâ vos laudaram.

15. Et [a] viſcera ejus abundantiùs in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrûm obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepiſtis illum.

16. Gaudeo quòd [b] in omnibus confido in vobis.

CAPUT VIII.

Hortatur eos ad eleemoſynam pauperibus, qui Jeroſolymis agebant prompto animo tribuendam tum Macedonum commendatione, tum Christi exemplo.

1. NOtam autem facimus vobis, fratres, [c] gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ.

2. Quòd in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipſorum fuit; & altiſſima paupertas eorum, abundavit [d] in divitias ſimplicitatis eorum.

3. [e] Quia ſecundùm virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt,

4. Cum multa exhortatione [f] obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterii, quod fit in Sanctos.

5. [g] Et non ſicut ſperavimus, ſed ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;

6. [h] Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam.

7. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & [i] ſermone, & ſcientiâ, & omni ſollicitudine inſuper, & charitate veſtrâ in nos, ut & in hac gratia abundetis.

8. Non quaſi imperans dico: ſed [k] per aliorum ſollicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans.

9. Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.

10. Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis utile eſt, [l] qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore: Admonet ut quod jam dudum facere propoſuerant, id nunc pro cujuſque facultate.

11. [m] Nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis.

12. [n] Si enim voluntas prompta eſt: ſecundùm id quod habet accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.

13. Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate.

14. [o] In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt:

15. [p] Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit.

16. Gratias autem Deo, qui dedit [q] eamdem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi, Miniſtros laudat quos ad eam mittit colligendam, hortaturque Corinthios ut bene ab ipſis excipiantur.

17. Quoniam [r] exhortationem quidem ſuſcepit: ſed cùm ſolicitior eſſet, ſuâ voluntate profectus eſt ad vos.

18. Miſimus etiam cum illo [ſ] fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias:

19. Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hanc [t] gratiam quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, deſtinatam voluntatem noſtram,

20. Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac [u] plenitudine, quæ miniſtratur à nobis.

21. Providemus enim [x] bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.

22. Miſimus autem cum illis & [y] fratrem noſtrum, quem probavimus in multis ſæpè ſolicitum eſſe: nunc autem multò ſolicitiorem, confidentia multa in vos,

23. Sive [z] pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adjutor, ſive fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti.

24. [aa] Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſ-

15. [a] *Viſcera ejus abundantiùs in vobis ſunt*, majorem in modum erga vos affecta ſunt, Arab. *teneritudines ejus admodum redundant in vos.*

16. [b] *In omnibus confido in vobis*, Arab. *quòd ſim ſecurus de vobis in omni re.* Quòd abſque offenſionis periculo, poſſim liberè vobiſcum agere, monendo, corripiendo, præſcribendo, petendo, &c. ſic viam præſtat ſequenti orationi de eleemoſyna.

1. [c] *Gratiam Dei*, per Hebraiſmum, ingentem beneficentiam, ſicut cedri Dei. *In Eccleſiis*, in Eccleſias.

2. [d] *In divitias ſimplicitatis eorum*, ad largiendum cum magna animi ſimplicitate; quia Macedones fratres direptionem bonorum paſſi fuerant a civibus ſuis, ut patet ex cap. 2. I. Epiſt. ad Theſſ. illoſque laudat ut tanto plus à locupletibus Corinthiis obtineat ad ſublevandos in Judæa pauperes quibus Macedones licèt pauperes ipſi ingenuo animo & non fucato neceſſaria ſuppeditaverant.

3. [e] Gr. *Quia ſecundum virtutem*, (teſtor) *& ſupra virtutem voluntarii. Secundum virtutem*, Arab. *pro viribus voluntarii*, ad dandum.

4. [f] *Obſecrantes nos*, ut de manibus ipſorum ſuſciperemus eleemoſynam, eamque deferremus ad pauperes ſanctos qui ſunt Jeroſolymis. *Miniſterii*, ſubſidii. *In ſanctos*, Gr. additur: *ſuſcipere nos.*

5. [g] *Et non ſicut ſperavimus*, ſupplendum, *egerunt.* Plus dantes, quàm ſperabamus. *Sed ſemetipſos, &c.* ſeipſos obtulerunt & tradiderunt ut nos tanquam vice Chriſti acciperemus in ſubſidium pauperum quantum nobis placeret; idque *per voluntatem Dei*, liberalitatem eorum tam pium affectum in cordibus eorum operantis.

6. [h] *Ita ut, &c.* Macedonum exemplum me impulit. *Ut rogarem Titum*, gratiam eleemoſynæ in Jeruſalem mittendæ collectionem.

7. [i] *Sermone & ſcientiâ*, vide verſ. 5. cap. 1 Epiſt. I. gratia pro eleemoſyna.

8. [k] *Per aliorum ſolicitudinem*, propoſito exemplo diligentiæ aliorum, etiam *veſtræ charitatis* indolem ac ſinceritatem probans, id eſt, hujuſmodi beneficentiæ opere capinatam reddere volens.

10. [l] *Qui non ſolum facere, &c.* non exemplo Macedonum feciſtis, jam enim ab anno priore incœpiſtis, &c. qui ſenſus confirmatur capite ſequenti his verbis. *De vobis glorior apud Macedones,* & I. Epiſt. cap 16. non dicit. *Sicut ordinavi Eccleſiis Macedoniæ*, unde veriſimile eſt quòd Corinthii in hiſce eleemoſynis jam inceperunt ante Macedones.

11. [m] Gr. *Nunc autem & illud, quod facere cœpiſtis, perficite.* Quia tardaverant in perficiendo rem ante annum inceptam, dicit, quod facere cœpiſtis Tito hortante, nunc perficite ut quemadmodum adfuit vobis animi promptitudo quâ veliet 10. ita, &c.

12. [n] *Si. ſit. Prompta*, animi. *Voluntas*, ad dandum, ea merito acceptanda eſt, ſi quiſque det juxta modum ſuarum facultatum, ſive multum ſit, ſive parum, ita ut non exigatur ab ullo amplius quam pro ratione ejus quod habet.

14. [o] Duplex hîc egeſtas & abundantia notatur, corporalis & ſpiritualis, ex quarum mutuo ſuppetio æqualitas hæc emergit.

15. [p] Arab. *Qui multum collegit, nihil ei ſuperfuit; & qui parum collegit, nihil ei defuit.* Quod de manna exponendum.

16. [q] *Eamdem*, quam ego habeo. *Sollicitudinem*, exhortandi ad collectam perficiendam.

17. [r] *Exhortationem*, noſtram eundi ad vos; abſque qua tamen pro ſua erga vos ſolicitudine, iviſſet. *Profectus*, intelligendum de tempore quo lecturi erant hanc Epiſtolam Corinthii.

18. [ſ] *Fratrem*: alii Lucam, alii Barnabam dicunt. Eſtius vult eſſe Silam. *Evangelio*, propter prædicationem Evangelii.

19. [t] *Gratiam*, & prædicandi Evangelii, & eleemoſynæ colligendæ. *Deſtinatam voluntatem noſtram*, complendum propoſitam voluntatem noſtram.

20. [u] *Plenitudine*, copia pecuniæ, quaſi non ſatis fideliter pecunia tam larga, noſtro miniſterio collecta a nobis tractetur.

21. [x] *Bona*, ut opera noſtra bona ſint.

22. [y] *Fratrem*, quis ſit, incertum. *Confidentia multa in vos*, confiſi de vobis, quod eos pro dignitate ipſorum, & noſtra expectatione ſuſcipietis.

23. [z] *Pro Tito*, confiſi pro Tito & pro fratribus, &c. *In vos*, Syr. *in re veſtra.* Erga vos. *Apoſtoli Eccleſiarum*, deputati ab Eccleſiis. *Gloria Chriſti*, quia per eos Chriſtus glorificatur.

24. [aa] Gr. *Ergo oſtenſionem charitatis veſtræ, & noſtræ gloriationis de vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum*, declarate charitatem veſtram erga fratres quos mittimus, & quod gloriatio noſtra quâ de vobis apud Titum & alios gloriati ſumus, non ſit inanis;

Digitized by Google

træ, & oostræ gloriæ pro vobis, io illos oſteodite io faciem Eccleſiarum.

CAPUT IX.

Proſequitur hortando ad eleemoſynam prompte & abundanter tribuendam, cujus varios fructus recenſet.

1. [a] NAm de miniſterio, quod fit in ſanctos, ex abuodanti eſt mihi ſcribere vobis.

2. Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & [b] Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.

3. Miſi aotem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) [c] parati ſitis:

4. Ne cùm veoerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (ut noo dicamus vos) io hac ſubſtantia.

5. Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi [d] beoedictionem, non tanquam avaritiam.

6. Hoc autem dico: Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in [e] benedictionibus, de benedictionibus & metet.

7. [f] Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aot ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.

8. [g] Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,

9. Sicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: [h] juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

10. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminaoti: & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit [i] incrementa frugum juſtitiæ veſtræ:

11. Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem [k] ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

12. [l] Quoniam miniſterium hujus officii, non ſolùm ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,

13. [m] Per probationem miniſterii hujus, glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ, in Evangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes,

14. [n] Et in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

15. Gratias Deo ſuper inenarrabili [o] dono ejus.

CAPUT X.

Adversùs pſeudo-Apoſtolos, apud quos habebatur contemptibilis, dignitatem ſuam tuetur.

1. IPſe autem [p] ego Paulus obſecro vos, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis.

2. [q] Rogo autem vos ne præſens audeam, per eam confidentiam quâ exiſtimor audere, in quoſdam, qui arbitrantur oos tanquam ſecundùm carnem ambulemus.

3. In carne enim ambulaotes, non ſecuodùm carnem militamus.

4. Nam [r] arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem muoitiooum, conſilia deſtruentes,

5. [ſ] Et omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti,

6. Et in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, [t] cùm impleta fuerit veſtra obedientia.

7. Quæ [u] ſecundùm faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterùm apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & oos.

---

quod fiet ſi eos bene ſuſceperitis, & ſpe liberalitatis veſtræ in pauperes ſanctos exercendæ non fruſtrentur.

1. [a] Syr. *Porro de ſubminiſtratione ſanctorum, ſuperfluum ego ſi ſcribo vobis.* Non enim hortatur eos ad eleemoſynam, hanc enim jam ex anno ſuperiore facere cœperant, ſed ad largius faciendam.

2. [b] *Achaia*, cujus metropolis Corinthus. *Veſtra æmulatio*, ſtudium vos imitandi.

3. [c] *Parati ſitis*, ut collecta jam ſit parata, ne cùm venero, tunc collectæ fiant, ut in priore Epiſtola.

5. [d] *Benedictionem*, bonam collationem. *Avaritiam*, Gr. *extortionem*, Æth. *coactè*.

6. [e] *In benedictionibus*, libenter ac benigne largiendo.

7. [f] *Unuſquiſque*, ſupplendum *tribuat*. *Ex neceſſitate*, Syr. *vel tanquam per vim*, Arab. *neque ex coactu*.

8. [g] Occurrit objectioni, &c. Poteſt Deus facere & reverâ faciet ut totum hoc beneficium ad quod vos exhortor, in vobis ipſis cum affluentia redundet.

9. [h] *Juſtitia*, quo nomine vel generalis virtus juſtitiæ, vel eleemoſyna intelligi poteſt.

10. [i] *Incrementa frugum*, Syr. Arab. *proventus*, Gr. *fructus genimes*. *Juſtitia*, ut ſupra.

11. [k] *Simplicitatem*, ſic vocat ſincerum animum dandi. *Quæ operatur*, &c. pro qua gratias agimus Deo.

12. [l] Arab. *Nam effectus hujus miniſterii non ſolùm eſt ad ſupplendum neceſſitatibus ſanctorum, ſed etiam ad augendas laudes & multiplicandas gratiarum actiones Deo.*

13. [m] Arab. *Et per iſtius miniſterii præparationem Deum glorificabunt de obedientia quâ profitemini Evangelium Chriſti, deque liberalitate communionis veſtræ in ſe & in omnes perveniente.* Per noſtrum miniſterium probata veſtra liberalitate glorificant Deum in confeſſione veſtræ obedientiæ, quâ ſcilicet profitemini obedire Evangelio, & ingenuo animo dandi, &c.

14. [n] Syr. *Preces autem offerant pro vobis cum multa charitate propter multitudinem beneficentiæ Dei in vos*, Arab. *eoque gratias agent in precibus ſuis pro vobis, expectantes vos propter eminentem Dei gratiam in vos redundantem. Deſiderantium*, Æth. *& deſiderant videre vos.*

15. [o] *Dono*, fructu eleemoſynæ tam erga dantes quàm accipientes.

1. [p] *Ego Paulus*, qui, quod vitio mihi vertitur ab adverſariis, quum apud vos ſum, ſubmiſſe me gero; quum abſens ſum, audaciam & confidentiam cum autoritate erga vos oſtendo in epiſtolis quas ſcribo. *Manſuetudinem & modeſtiam*, Syr. *lenitatem & manſuetudinem*. *In facie*, Æth. *quum præſens ſim, confido in vobis*, audax ſum erga vos.

2. [q] *Rogo vos*, &c. ne veſtrâ culpâ contingat, ut præſens audeam in quoſdam cum ea fiducia quâ abſens audere exiſtimor. *In quoſdam*, refertur ad *audeam*. *Secundum carnem ambulemus*, agamus more hominum qui ſpe obtinendi aut metu amittendi blandiuntur, vel dolis agunt.

4. [r] *Arma militiæ noſtræ*, ſcientia myſteriorum Evangelii, autoritas Apoſtolica, donum miraculorum. *Potentia Deo*, Dei virtute efficacia. *Munitionum*, adverſariorum doctrinæ Apoſtolicæ, quibus oppugnabant fidei veritatem, & ſuos errores ſtabiliebant. *Conſilia*, quo vocabulo debet intelligi omnis ſubtilitas conſilii & ingenii humani.

5. [ſ] Æth. *Ut in captivitatem redigat omnem intellectum, & ut ſubjiciatur Chriſto.*

6. [t] *Cùm impleta fuerit*, &c. poteſtate puniendi inobedientes utar, cùm vos omnes plenè ad obedientiam reductos videro. Quidam enim adhuc è Corinthiis inobedientes erant, & peccatis obnoxii, contra quos, quia multi erant, non facilè poterat exerceri diſciplina per excommunicationem.

7. [u] *Secundùm faciem*, &c. conſiderate ea quæ conſpicua ſunt & omnibus nota, ex iis enim facile erit vobis de me & meis æmulis judicare.

Digitized by Google

putem occaſionem [a] eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos.

13. Nam ejuſmodi pſeudo-Apoſtoli, ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.

14. Et non mirum: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis.

15. Non eſt ergo [b] magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum.

16. [c] Iterùm dico [ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier.]

17. Quod loquor non loquor [d] ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ.

18. Quoniam multi gloriantur [e] ſecundùm carnem: & ego gloriabor.

19. [f] Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes.

20. Suſtinetis enim ſi quis vos in [g] ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.

21. [h] Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet [in inſipientia dico] audeo & ego:

22. Hebræi ſunt & ego: Iſraëlitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego:

23. Miniſtri Chriſti ſunt ([i] ut minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.

24. A Judæis quinquies, [k] quadragenas, una minus, accepi.

25. Ter [l] virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.

26. In itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex [m] genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus:

27. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate:

28. [n] Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.

29. Quis [o] infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?

30. Si gloriari oportet: [p] quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.

31. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quòd non mentior.

32. [q] Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ regis, cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet.

33. Et per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus.

CAPUT XII.

Commendat ſe Apoſtolus ex divinis revelationibus.

1. SI gloriari oportet ([r] non expedit quidem:) veniam autem ad viſiones & revelationes Domini.

2. [s] Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim [ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit] raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum.

3. Et ſcio hujuſmodi hominem, [ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit]

4. Quoniam raptus eſt in paradiſum: & audivit arcana [t] verba, quæ non licet homini loqui.

5. [u] Pro hujuſmodi gloriabor. Pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis.

6. [x] Nam, & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem,

12. [a] *Eorum*, Syr. *iis*. *Volunt*. Syr. *quærunt*. *In quo*, in ea de quo. *Gloriantur*, ſe poſſe ex Evangelio vivere. Pſeudo Apoſtoli qui licèt divites eſſent, accipiebant ſumptus a Corinthiis, cupiebant ipſi etiam ut Paulus acciperet, ut jactare poſſent Paulum ſapientia & eloquentia humana ſe inferiorem, ne hac quidem parte præcellere.

15. [b] *Magnum*, mirum.

16. [c] *Iterum dico*, reſumit intermiſſam ſui ipſius commendationem: *ne quis me putet inſipientem eſſe*, ob id quia meipſum prædico, nam eſt juſta cauſa cur id faciam. *Alioquin*, ſin minùs perſuadeo me non inſipienter agere. *Velut inſipientem accipite me*, tolerate me tanquam inſipientem. *Ut & ego*, &c. ut cùm illos æmulos noſtros toleretis tam multa de ſe jactitantes, mihi quoque concedatis vel paululum de me ipſo gloriari.

17. [d] *Secundum Deum*, convenienter legi divinæ, quia ſpeciem juſtitiæ non habet laudare ſeipſum. Eſt tamen ſecundùm Deum, ſi ſpectetur ut procedit ex charitate & neceſſitate, ne vos, me contempto, ſeductoribus adhæreſcatis. *In hac*, &c. referendum ad *quod loquor*, in hoc argumento gloriationis.

18. [e] *Secundùm carnem*, de his quæ carnis dignitatem reſpiciunt, ut nobilitas generis, conditionis libertas, lex, &c. *Gloriabor*, ut illorum jactantiam deprimam, & meam apud vos autoritatem defendam.

19. [f] Hæc in ipſum excuſent quòd ſe laudaret: fortè ironicè dicta.

20. [g] *Servitutem redigit*, pſeudo-Apoſtoli tyrannicè dominabantur. *Devorat*, vos mordet, aut vobis convitiatur. *Accipit*, Arab. *rapit facultates veſtras*. *Extollitur*, Arab. *ſe ſuper vos attollit*. *Cædit*, non alapis ſed contumeliis, exprobrando quòd fueritis peccatores, idololatræ, immundi, unde confido quod patienter ſuſtinebitis laudationem meam.

21. [h] *Secundum ignobilitatem dico*, *quaſi*, &c. id quod ad ignominiam attinet, dico: Non quòd facies veſtras percuſſerim, ſed contumelias intelligi volo, quibus illi vos afficiunt, in faciem exprobrantes, quòd fueritis idololatræ peccatores, &c. illi de ſeipſis, contraria prædicantes, quòd ſint populus à Deo electus, &c. vel, hæc ironicè dicit, quaſi non acceperit hanc poteſtatem ad confuſionem meam dicit, nimis modeſtus & humilis erga vos fui. *Quaſi nos infirmi*, quaſi nos inferiores illis. *In hac parte*, &c. durius & imperioſius vobiſcum agendo. *In quo quis audet*, gloriari. *Inſipientia*, propriæ laudationis.

23. [i] *Ut minus ſapiens*, nimis & contra modeſtiæ fines. *Plurimis abundantius*, *ſupra modum*. Syr. *plus quàm illi*. *Mortibus*, mortis periculo, in ſeditionibus *Frequenter*. Syr. *plures*.

24. [k] *Quadragenas*, plagas.

25. [l] *Virgis*, a Gentilibus. *Nocte & die in profundo maris fui*. Æth. *pernoctavi & dies egi natans in abyſſo*. Naufragio facto, in alto mari jactatus, &c.

26. [m] *Genere*. Syr. *cognatione mea*. *Solitudine*, Æth. *agro*.

28. [n] *Præter illa quæ extrinſecus ſunt*, accedunt illa quæ interius animum exedunt, nimirum quæ ſequuntur

29. [o] *Infirmatur*, in anima. *Infirmor*, affligor ejus defectibus compatiendo, & metuens ne cadat. *Uror*, vehementi dolore afficior ac ſi igne urerer.

30. [p] *Quæ infirmitatis*, infirmitates meas afflictiones illas, propter quas apud homines habentur deſpecti & contemptibiles qui illas paſſi ſunt.

32. [q] *Damaſci*, Gr. *in Damaſco*. *Præpoſitus gentis Aretæ regis cuſtodiebat*, gentis præfectus Aretæ regis excubias poſuerat in Damaſcenorum urbe. *Aretæ regis*, Arabiæ Petreæ, & Damaſci. Is ſocer erat Herodis Antypæ Tetrarchæ, qui Joannem decollavit, ex Joſeph. Ant. lib. XVIII.

1. [r] *Non expedit quidem*, quod quidem extra caſum præſentem aut ſimilem non expedit.

2. [s] *Scio hominem*, de ſe loquitur in tertia perſona. *In Chriſto*, Chriſtianum, & Chriſti virtute. *Ante annos quatuordecim*, Arab. *ab annis quatuordecim*. Anno Chriſti quadrageſimo tertio & octavo converſionis Pauli. *Neſcio*, dubitat utrùm quæ vidit in raptu, viderit animâ manente in corpore, an à corpore ſeparatâ. Sed valde probabile eſt raptum illum contigiſſe animâ manente in corpore alioquin tempore raptus, Paulus mortuus fuiſſet, ſed mens ejus fuit hoc tempore a ſenſibus corporis alienata. *Raptum*, ex ſe ſuperioris naturæ, in id quod eſt ſupra naturam elevatum. *Tertium cœlum*, Empyreum, ubi ſedes beatorum. Hebræi tres tantùm cœlos numerant, primum aëreum, ſecundum ſtellatum, tertium Empyreum.

4. [t] *Verba*, res. *Non licet*, non poſſunt explicari ab homine.

5. [u] *Pro hujuſmodi*, de hujuſmodi homine quem novi. *Pro me*, Syr. Æth. *de me ipſo*. *Infirmitatibus*, Æth. *afflictione*.

6. [x] *Nam etſi*, de me ipſo. *Voluero gloriari*, in his quæ glorioſa videntur hominibus, ut ſunt viſiones & revelationes. *Parco*, contineo me, & ab illarum rerum commemoratione abſtineo.

Digitized by Google

ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

Exponit remedium datum ne ſuperbiret.

7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi [a] ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet.

8. Propter quod [b] ter Dominum rogavi ut diſcederet à me:

9. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam [c] virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.

10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis, pro Chriſto: [d] Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.

Excuſat ſe quòd laudaverit ſeipſum, exponitque beneficia Corinthiis impenſa.

11. Factus ſum [e] inſipiens, vos me coëgiſtis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minùs fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum.

12. Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni [f] patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.

13. Quid eſt enim, quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quòd ego ipſe non gravavi vos? Donate mihi hanc [g] injuriam.

14. Ecce [h] tertio hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.

15. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licèt plus vos diligens, minus diligar.

16. Sed eſto: ego vos non gravavi: ſed cùm eſſem aſtutus, [i] dolo vos cepi.

17. Numquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumveni vos?

18. Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem ſpiritu ambulavimus? nonne iiſdem veſtigiis?

19. [k] Olim putatis, quòd excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur: omnium autem chariſſimi, propter ædificationem veſtram.

Exponit timorem ſuum ne veniens ad illos inveniat eos multis vitiis involutos.

20. Timeo enim, ne forte cùm venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar à vobis, [l] qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſentiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos:

21. Ne iterùm cùm venero humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.

CAPUT XIII.

Comminatur iis qui peccaverunt ſe non parciturum, niſi pœnitentiam agant, idque juxta poteſtatem quam à Chriſto ſibi datam deberent agnoſcere.

1. Ecce [m] tertio hoc venio ad vos: in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.

2. Prædixi, & prædico, ut præſens, & nunc abſens, iis qui antè peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterùm, non parcam.

3. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui [n] in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?

4. Nam etſi crucifixus eſt ex [o] infirmitate: ſed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo: ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

5. [p] Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis.

6. Spero autem quòd [q] cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi.

7. Oramus autem Deum ut [r] nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis; nos autem ut reprobi ſimus.

8. Non enim [ſ] poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate.

7. [a] *Stimulus carnis*, tentatio libidinis. *Angelus ſatanæ*, quia miniſter erat diaboli, & inſtrumentum ejus ad partes regni ejus promovendas. Sed ſi hæc expoſitio vera eſſet, dum famam ſuam tueri eniteretur, illam conſpurcaret; unde de afflictionibus ſuis aut aliis tentationibus loquitur. *Colaphizet*, tundat.

8. [b] *Ter*, frequenter.

9. [c] *Virtus*, Arab. *potentia*. *In infirmitate*, Arab. *per infirmitatem*. Potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate, dum per eam fit ut tentatio ſuperetur aut afflictio toleretur. Infirmitates autem vocat quæ in animo & corpore patiebatur.

10. [d] *Cùm enim infirmor*, cùm ſubjicior infirmitatibus prædictis. *Tunc potens ſum*, non meâ, ſed Chriſti virtute.

11. [e] *Inſipiens*, additur: Syr. *in gloriatione mea*, Arab. *gloriando*. Meipſum laudando. *Supra modum*, Syr. *admodum præſtantes*, Arab. *ſummis*. *Nihil ſum*, ex meipſo, ſed totum quod habeo eſt ex gratia Dei.

12. [f] *Patientia*, & humilitate, non cum faſtu & imperio, quemadmodum facere ſolent pſeudo-Apoſtoli.

13. [g] *Injuriam*, urbana eſt ironia.

14. [h] *Tertio*, primâ vice, anno quinquageſimo ſecundo Chriſti, & per menſes decimo octavo ibi demoratus eſt. Secundâ vice, anno quinquageſimo quinto & paucis diebus ibi manſit, hæcque profectio omiſſa eſt in actis à ſancto Luca. Rediit tertia vice, ſub finem anni quinquageſimi ſeptimi.

16. [i] *Dolo vos cepi*, fraudulenter veſtra obtinui: occupat objectionem quam quis facere poſſet.

19. [k] *Olim putatis*, Syr. *num adhuc putatis*, Gr. *rurſum putatis*, Arab. *num putatis quòd me iterùm excuſem apud vos*.

20. [l] *Qualem non vultis*, ne ſeveritate in vos uti cogar. *Seditiones*, Arab. *contrarietates*, tumultuationes, ſchiſmata.

1. [m] *Tertio hoc venio*, Syr. *pro tertia vice qua paratus ſum ut veniam ad vos*. *Stabit omne verbum*, decernetur de omni re: videtur alludere ad adventuum numerum, teſtes vocando ſuas ad eos profectiones, per quas certius de peccatis & impœnitentia Corinthiorum cognoſcere poterit.

3. [n] *In vobis*, Arab *erga vos*. Ita vos geritis quaſi experimento probare velitis an ex poteſtate à Chriſto accepta, quæ dixi de impœnitentibus puniendis, loquar.

4. [o] *Infirmitate*, carnis. *Nam & nos*, ſic nos. *Infirmi ſumus*, multis injuriis & afflictionibus obnoxii. *In illo*, propter Chriſtum & verbum ejus. Sed potentes ſumus veſtri reſpectu ad puniendum eos, &c. *In vobis*, Arab *erga vos*.

5. [p] Quæritis experimentum loquentis in me Chriſti potiùs. *Vos ipſos tentate ac probate*, num fidem habeatis, & per hoc Chriſtus in vobis ſit. Loquitur de fide per dilectionem operante: reprehendit enim Corinthios de malis operibus. *An non cognoſcitis*, &c. per cujus fidei experimentum plane cognoſcitis Jeſum Chriſtum eſſe in vobis; ut proinde me cujus miniſterio fidem accepiſtis, ambigere non debeatis quin loquatur in me Chriſtus. *Niſi fortè reprobi eſtis*, omnino cognoſcitis Chriſtum eſſe in vobis, niſi qua parte *reprobi eſtis*, id eſt, timorem Dei & fidem in eum perdidiſtis. Non enim hîc agitur de reprobatione oppoſita prædeſtinationi.

6. [q] *Cognoſcetis*, ſenſus comminatorius eſt. Si fortè non cognoſcitis Chriſtum in vobis eſſe, quia plerique veſtrum vitâ corrupti, dudum exciderunt à priſtinis Spiritus ſancti donis, ſpero vos experientiâ cognituros quod non ſimus viles ac poteſtate deſtituti, facietque ut agnoſcatis auctoritatem meam, nec patiar me contemni. *Reprobi*, Arab. *probationis expertes*.

7. [r] *Nihil mali faciatis*, ſicut opus ſit me declarare poteſtatem quam habeo ad puniendum malos. *Non ut nos probati*, &c. non hoc petimus à Deo: ut judicando & puniendo vos videamur eſſe magnæ auctoritatis, facileque patiar haberi me ut gloriæ & poteſtatis expertem dummodo vos conſtanter in bono permaneatis. *Ut reprobi*, Arab. *quaſi non probati*.

8. [ſ] *Poſſumus*, &c. poteſtas enim mea punitiva nullum habet uſum quamdiu veritas & juſtitia ſervatur. Veritas hîc, pro eo quod juſtum, & rectum eſt.

Digitized by Google

9. Gaudemus enim, quoniam nos [a] infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus veſtram conſummationem.

10. Ideò hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.

Interpoſitâ ad pacem exhortatione bene iis precatur.

11. De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, [b] exhortamini, idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.

12. Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti.

13. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Scripta eſt propter pſeudo-Apoſtolos, qui Paulum reliquis Apoſtolis inferiorem ac diſcipulum eorum, ab eorum tamen doctrina diſſidentem dicebant, & Galatis perſuadere nitebantur cæremonias Moſaïcæ legis non eſſe abolendas, ut quibus peccatorum venia obtinebatur, à Chriſto autem doctrinæ veritatem & exempla perfectæ juſtitiæ quærenda eſſe.

Ubi & quando ſcripta ſit non ſatis conſtat inter interpretes. Veriſimile tamen ſcriptam eſſe anno quinquageſimo quinto aut quinquageſimo ſexto Chriſti.

CAPUT I.

Vehementer increpat Galatas quòd à doctrina per ipſum tradita receſſiſſent, cùm ſola hæc tenenda ſit.

1. PAULUS Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis.

2. Et qui mecum ſunt omnes fratres, [d] Eccleſiis Galatiæ.

3. Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto,

4. Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundùm voluntatem Dei & Patris noſtri,

5. Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

6. [e] Miror quòd ſic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium:

7. Quod non eſt aliud, [f] niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.

8. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, [g] præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.

9. Sicut [h] prædiximus & nunc iterùm dico; ſi quis vobis evangelizaverit præter id quòd accepiſtis, anathema ſit.

10. Modo enim hominibus [i] ſuadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.

11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt à me, quia non eſt [k] ſecundùm hominem:

Oſtendit ſe ab ipſo Chriſto Evangelium & Apoſtolatum accepiſſe, ab aliis autem Apoſtolis non fuiſſe edoctum.

12. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.

13. Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaïſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam,

14. Et proficiebam in Judaïſmo ſupra multos coætaneos meos [l] in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.

15. Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam.

9. [a] *Infirmi... potentes, &c.* gaudemus cùm nulla datur occaſio exercendæ noſtræ poteſtatis, vòſque viciſſim potentes eſtis ut adversùs quos ego nihil poſſim ob correctam vitam veſtram, &c.

11. [b] *Exhortamini*, Syr. Gr. Arab. *conſolationem habete*. Exhortamini mutuo alii alios.

[c] Æth. *Præfigitur: Ad Galatas, & ſcripta fuit quum eſſet civitate Romæ.*

2. [d] *Eccleſiis*, ſubaudi, *ſcribit*, & precatur quod ſequitur.

6. [e] Syr. *Miror quomodo tam citò converſi fueritis à Chriſto illo, qui vocavit vos per gratiam ſuam ad Evangelium aliud. Ab eo*, alii interpretes de Patre exponunt.

7. [f] *Niſi*, ſed more ſolito ſcripturæ. *Convertere*, Syr. Gr. Arab. *invertere*, Æth. *ſubvertere*.

8. [g] *Præter quam*, ita diverſum, ut ſit adverſum & contrarium. Juſtificationem enim illi pſeudo-Apoſtoli adhuc in operibus legis & lege requirebant. *Anathema*, ſeparatus à communione fidelium & ſocietate meritorum.

9. [h] *Prædiximus*. Arab. *antè dixi*.

10. [i] *Suadeo*, probare ſtudeo. Non apud homines à quibus non ſum miſſus, ſed apud tribunal Dei, ad cujus honorem hæc dico, hanc cauſam ago, illique meam doctrinam ut judici meo probare ſtudeo. *Chriſti ſervus non eſſem*, non eſſem idoneus Chriſti ſervus, quia miniſterium meum in Evangelio non ſincere obirem.

11. [k] *Secundùm hominem*, ab homine mihi traditum: pſeudo-Apoſtoli enim objiciebant Paulo quòd Chriſtum non vidiſſet, atque ad eo ab Apoſtolo quopiam Evangelium didiciſſet, & ſic quod inferior illis eſſet.

14. [l] *In genere meo*, Æth. *in natione mea*.

16. Ut revelaret Filium ſuum [a] in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi carni & ſanguini.,

17. Neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abii in Arabiam: & iterum reverſus ſum Damaſcum:

18. Deinde [b] poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.

19. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum [c] fratrem Domini.

20. Quæ autem ſcribo vobis, [d] ecce coram Deo, quia non mentior.

21. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ.

Addit quod tantâ ſolertiâ poſt converſionem ſuam Evangelium docuerit, quantâ illud antea oppugnabat.

22. Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto:

23. Tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui perſequebatur nos aliquandò, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat:

24. Et [e] in me clarificabant Deum.

CAPUT II.

Exponit quare cum Apoſtolis Evangelium ſuum contulerit, nihil ad illud addentibus, ſed ſe in ſocium recipientibus.

1. DEinde poſt annos [f] quatuordecim, iterùm aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.

2. Aſcendi autem [g] ſecundùm revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.

3. Sed neque Titus qui mecum erat, cùm eſſet Gentilis, compulſus eſt circumcidi.

4. [h] Sed propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent.

5. [i] Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.

6. [k] Ab iis autem, qui videbantur eſſe aliquid (quales aliquando fuerint, nihil meâ intereſt. Deus perſonam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.

7. Sed econtrà cùm vidiſſent quòd creditum eſt mihi [l] Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis.

8. (Qui enim [m] operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.)

9. Et cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, [n] Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis: ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem.

10. [o] Tantùm ut pauperum memores eſſemus: quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.

Dicit quomodo Petrum exemplo cogentem Gentes judaizare reprehenderit.

11. Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.

12. Priùs enim quàm venirent quidam [p] à Jacobo, cùm Gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant.

13. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.

14. Sed cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: [q] Si tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaicè: quomodo Gentes cogis judaizare?

15. Nos natura Judæi, [r] & non ex Gentibus peccatores.

Oſtendit non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti.

16. Scientes autem quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex [ſ] operibus legis: propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.

16. [a] *In me*, per me. *Ut evangelizarem*, referendum & jungendum cum *placuit*, hoc modo. Poſtquam Deo qui me ſegregavit & vocavit, &c. ad hoc ut Filium ſuum per me revelares, placuit ut evangelizarem, &c. *Non acquievi*, Syr. *non patefeci*, Arab. *non ſignificavi*. Certus de revelatione non contuli cum ullo homine.

18. [b] *Poſt annos tres veni Jeroſolymam*, fugiens è Damaſco, ut videndum eſt, Act. cap. 9.

19. [c] *Fratrem*: hoc nomine vocabantur apud Hebræos qui erant in æquali gradu affinitatis; filius erat Alphæi, qui & Cleophas, & ſororis Beatæ Mariæ Virginis.

20. [d] *Ecce coram Deo*, &c. Arab. *ecce coram Deo dico non eſſe commentitia*.

24. [e] *In me*. Æth. *propter me*. Propter opera Dei erga Paulum.

2. [f] *Quatuordecim*, à ſua converſione & prima profectione, anno quinquageſimo primo Chriſti. Prætermittit ſecundam profectionem, de qua Act. cap. 12.

2. [g] *Secundùm revelationem*, divino inſtinctu & monitu. *Iis qui videbantur aliquid eſſe*, Gr. *in pretio habitis*. *Ne fortè*, &c. ne ſine fructu prædicarem, dum à falſis fratribus traducor tanquam diverſam à cæteris Apoſtolis doctrinam evulgans.

4. [h] *Sed*, neque. *Propter*, illos *falſos fratres compulſus* fuit *Titus*. *Circumcidi.... explorare*, Arab. *ut contaminarent*. *Libertatem*, quâ ſumus ab onere cæremonialium legis liberi per Chriſti paſſionem, in qua figuralia omnia finem ſumpſerunt. *In ſervitutem redigerent*, quod maximè ſi compertiſſent nos metu Apoſtolorum circumcidiſſe Titum aut ſi id non feciſſemus, nos accuſarent apud Apoſtolos, & eorum autoritate tentarent cogere nos ad legem ſervandam.

5. [i] Senſus trium verſuum: neque Titus comes meus, cùm gentilis & incircumciſus eſſet, ne mecum inter Apoſtolos verſaretur, compulſus eſt circumcidi, propter ſubintroductos falſos fratres, &c. qui illud vehementer urgebant, quibus tamen non ceſſimus, ſubjiciendo nos eorum voluntati & tradendo nos in ſervitutem legis: atque ut veritas Evangelii, quæ docet legem abrogatam eſſe per Chriſtum neque per gratiam ejus & non per legem ſalvare, apud vos Galatas ac cæteros Gentiles permaneat.

6. [k] Objiciebatur Paulo quod aliquando perſecutus fuiſſet Eccleſiam. Unde *quales*, illi *fuerint*, ante Apoſtolatum, &c. aut an fuerint ante tempus illud, ignobiles, illiterati, &c. ego verò doctus in lege, &c.

7. [l] *Evangelium*, munus prædicandi Evangelium. Non hoc intelligendum, quaſi Petrus ſolis Judæis, Paulus vero Gentibus tantùm debuerit prædicare Evangelium, contrarium enim falſum eſt, ſed loquitur de iis ad quos præcipuè ex Dei voluntate uterque miſſus eſt.

8. [m] *Operatus eſt*, Syr. *hortatus eſt Cephora*. Qui efficax fuit in Petro, & ita adfuit gratiæ ſuæ præſidio, ut prædicationem ejus efficacem redderet.

9. [n] *Jacobus*, Hieroſolymorum epiſcopus, dictus frater Domini, qui enim erat frater Joannis jam Herodis gladio occubuerat. *Circumciſionem*, Eraſmus addit, *Apoſtolatu fungeremur*.

10. [o] *Tantùm*, admonentes. *Pauperum*, qui in Judæa & Hieroſolymis. *Memores*, commendando eos Gentibus converſis.

12. [p] *A Jacobo*, ab eo loco ubi erat Jacobus, & fortè ab eo miſſos. *Timens*, ſcandalizare.

14. [q] *Si tu cum Judæus*, &c. ſi tu qui Judæus natus, cùm ſolus et cum Gentilibus, poſtquam didiciſti legem morte Chriſti abolitam eſſe, non ampliùs eam ſervas & gentiliter vivis, quid eſt quod nunc cum Judæis præſentibus ſuis, hac tuâ ſimulatione etiam Gentes quæ ſunt extra legis profeſſionem cogis legem Judaicam obſervare.

15. [r] *Et non ex Gentibus peccatores*, non ex populo Gentium, quibus lex data non fuit, illi peccatores. Unde ſi nos Judæi non potuimus legis operibus juſtificari, ad quid cogimus Gentes judaizare?

16. [ſ] *Operibus legis*, fide ſeclusâ. *Niſi*, Syr. Arab. Æth. *ſed*. *Omnes*, Arab. Æth. *ulla*. Hæc dicit quia Judæi illi nuper converſi Chriſtum cum lege miſcentes, ab illo doctrinam & exemplum accipiebant, ſed legis cæremonias retinere volebant, quaſi per ſe quicquam valerent.

17. Quòd

17. Quòd ſi quærentes juſtificari in Chriſto inventi ſumus & ipſi [a] peccatores, numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit.

18. Si enim quæ [b] deſtruxi, iterùm hæc ædifico; prævaricatorem me conſtituo.

19. [c] Ego enim per legem, legi mortuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci.

20. [d] Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.

CAPUT III.

Oſtendit Abrahæ exemplo, non ex legis operibus ſed ex fide in Chriſtum, juſtitiam expectari debere.

1. O Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus [e] præſcriptus eſt, in vobis crucifixus?

2. Hoc ſolum à vobis volo diſcere: Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex [f] auditu fidei?

3. Sic ſtulti eſtis, ut cum [g] ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?

4. [h] Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa.

5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: [i] ex operibus legis, an ex auditu fidei?

6. [k] Sicut ſcriptum eſt: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.

7. Cognoſcite ergo, quia qui [l] ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ.

8. [m] Providens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes.

9. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.

10. [n] Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro legis, ut faciat ea.

11. [o] Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: quia juſtus ex fide vivit.

Subditos legi, cùm nemo præſtet illam, maledictioni ſubjacere, ab illa verò nos liberari per Chriſtum dicit.

12. Lex autem non eſt ex fide, ſed, [p] qui fecerit ea, vivet in illis.

13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis [q] maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno.

14. Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret [r] in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

15. Fratres ([ſ] ſecundùm hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat.

16. [t] Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

17. [u] Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum à Deo: quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem.

Promiſſiones Abrahæ factas per fidem] complem dicit, legem verò licèt nos non potuerit juſtificare, tanquam pædagogum duxiſſe ad Chriſtum.

18. Nam ſi ex lege hereditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.

19. [x] Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris.

20. [y] Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt.

---

17. [a] *Peccatores*, ex opinione judaïzantium, quia legem non ſervamus. *Numquid, &c.* quia Chriſtus avocat a lege. Deſtructo antecedente, deſtruitur conſequens.

18. [b] *Deſtruxi*, prædicando legem non eſſe ſervandam. *Ædifico*, eam ſi denuo obſervo. *Prævaricatorem, &c.* confiteor me peccaſſe, illam non obſervans.

19. [c] *Ego enim per legem, legi mortuus ſum*, per legem ſpiritualiter intellectam. *Mortuus ſum legi*, deſii ei eſſe obnoxius, eodem modo ac ſi luiſſem pœnas quas infligit peccantibus in ipſam, cùm toleratæ ſint a Chriſto. *Cui confixus ſum cruci*, quemadmodum Chriſtus cruci affixus hac mortali vitâ defunctus eſt, ita ego per baptiſmum, qui mortis Chriſti ſimilitudinem gerit, mortuus ſum legi.

20. [d] *Vivo autem jam non ego*, quod jam vivo vitâ juſtitiæ, ex meipſo non habeo, ſed Chriſtus, &c. *Quod autem, &c.* quod in carne hac mortali juſte vivo, non legi acceptum fero, ſed fidei quam habeo in Chriſtum, &c. vel, quod autem vivo nunc in carne hoc non eſt jure quod habeam ex lege cui inobediens fui, ſed ex fide, &c.

1. [e] *Præſcriptus*, Syr. Arab. *depictus*. Quibus per meam prædicationem, palam velut in tabula publica, propoſitus eſt Chriſtus, perinde atque ſi apud vos eſſet crucifixus.

2. [f] *Auditu*, prædicatione.

3. [g] *Spiritu*, Evangelio. *Carne conſummemini*, perfectionem quæratis a carnalibus legis cæremoniis.

4. [h] *Tanta paſſi eſtis*, ergo ne tam multa paſſi eſtis pro Chriſti nomine? *Si tamen ſine cauſa*, correctio eſt ejus quod dixerat, id eſt, ſpero meliora.

5. [i] *Ex operibus legis*, non propter ipſa Spiritum ſanctum impertiit & operatus eſt ſigna & miracula, quandoquidem lex erat Galatis incognita: additur, Arab. *talia vobis conceſſit*, Syr. *id agit*.

6. [k] Abrahæ obtigit juſtitia non ex operibus legis, ſed per fidem quâ credidit Deo, etiam antequam eſſet circumciſus. Hæc ſubintelligendo, *quod juſtificati ſunt Galatæ ex auditu fidei, &c.*

7. [l] *Ex fide*, qui fidei juſtificationem non aſcribunt legi, & fidem, obedientiam, & fidelitatem Abrahæ æmulantur.

8. [m] *Providens*, longè antè proſpiciens. *Benedicentur Gentes*, optabunt ſibi invicem benedictiones Abrahæ. *In te*, & fidei imitatione & ſemine tuo.

10. [n] At nemo totam legem ſervat, ergo omnes maledicti, ergo promiſſio facta Abrahæ non eſt e lege, ſed ex fide. Et ne dicant adverſarii ſe totam legem ſervare, ſubjungit.

11. [o] *Quoniam*, quod.

12. [p] *Qui fecerit ea*, Syr. *ea quæ in illa ſcripta ſunt*. Sed ex lege præcepta legis implere, & in iis vivere, nemo poteſt: hoc enim non fit niſi per fidem: *Quia juſtus ex fide vivit*.

13. [q] *Maledictum*, quia per pœnam crucis, ſimilitudinem geſſit hominis à Deo propter peccata maledicti, & pro tali reputatus eſt ab hominibus.

14. [r] *In Chriſto Jeſu*, Syr. Arab. Æth. *per Jeſum Chriſtum* Ut per fidem quâ in Chriſtum credimus, acciperemus Spiritum ſanctum nobis promiſſum.

15. [ſ] *Secundum hominem*, Syr. *tanquam inter homines loquor*, Æth. *more humano*. Humano exemplo rem confirmo ſi teſtamentum humanum non poteſt reſcindi, quanto magis promiſſiones divinæ.

16. [t] Adderetur promiſſioni: *ſi ex lege quæ tantò poſt tempore lata eſt, benedictio eſſet.*

17. [u] Æth. *Hoc igitur dico, pactum hoc fuiſſe à Deo: & poſt quadringentos annos, & triginta annos veniſſe legem, ſed non ut prohiberet quod promiſit Deus. Confirmatum à Deo*, additur, Syr. Gr. Arab. *in Chriſto. Quadringentos & triginta annos*, initium ſumendo ab illa revelatione quæ Gen. cap. 15. verſ. 13.

19. [x] *Quid igitur lex?* quæ ejus utilitas? *Tranſgreſſiones*, coercendas, indicandas, augendas. Quod non ita debet intelligi, quaſi augmentum peccatorum ſit id cujus gratiâ lex data fuerit, ſed quod Deus lege latâ permittere voluerit, ut homines ſuis viribus fidentes in legem impingerent, & legis occaſione peccata augerent quo ſic infirmitatis ſuæ convictus ſuperbus eorum animus intelligeret legem ſibi ad juſtitiam non ſufficere. *Ordinata*, data diſpoſita. *Mediatoris*, Moyſis, in quo diſcrimen legis & promiſſionis, quod promiſſio immediate à Deo, lex verò per Angelos & Moyſen.

20. [y] *Mediator unius non eſt*, ſed duorum ſaltem, mediatore autem non eſt opus quando quis libere in favorem alterius contrahit, *Deus autem unus eſt*, Deus in promiſſione facta ſolus obſtringit ſe, non idem dicendum de lege, in qua bona promittuntur ſub conditione implendi legem. Opus itaque erat mediatore ex parte Dei, quod factum per angelos, ex parte populi, quod factum per Moyſen videnda ſunt diſcrimina promiſſionis a lege promiſſio principaliter & primò facta eſt, lex appoſita & ſubintroducta. Promiſſio benedictionis eſt, lex propter tranſgreſſiones. Promiſſio limitationem temporis non habet, lex poſita donec veniret ſemen. Promiſſio facta a Deo, lex ordinata per angelos. Promiſſio ſine mediatore, lex in manu mediatoris; promiſſio unius Dei facta eſt ad Abraham loquentis, lex Moyſe internuncio, eo quod populus non ſuſtineret audire verba Dei loquentis.

Digitized by Google

21. [a] Lex ergo adverſùs promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia.

22. [b] Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.

23. [c] Priùs autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat.

24. Itaque lex [d] pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.

25. [e] At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.

Poſt fidei adventum, omnes baptizatos abſque diſcrimine unum eſſe in Chriſto docet.

26. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

27. [f] Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

28. Non eſt Judæus, neque [g] Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.

29. Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem heredes.

CAPUT IV.

Comparatione heredis parvuli, qui eſt ſub tutoribus, oſtendit Judæos ad tempus fuiſſe ſub ſervitute legis, donec veniret Chriſtus.

1. DIco autem: Quanto tempore heres parvulus eſt, [h] nihil differt à ſervo, cùm ſit dominus omnium:

2. Sed ſub tutoribus & [i] actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus à patre:

3. Ita & [k] nos cùm eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.

4. At ubi venit [l] plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege,

5. Ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

6. Quoniam autem [m] eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater.

Conatur Galatas à ſervitute legis revocare, cùm fide acceperint filiorum adoptionem.

7. Itaque jam non [n] eſt ſervus, ſed filius. Quòd ſi filius: & heres per Deum.

8. Sed [o] tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non ſunt dii, ſerviebatis.

9. Nunc autem cùm cognoveritis Deum, immo cogniti ſitis à Deo: quomodo convertimini [p] iterùm ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?

10. [q] Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.

11. Timeo [r] vos, ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis.

Revocat in memoriam priſtinum illorum fidei fervorem.

12. Eſtote [ſ] ſicut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos: Nihil me læſiſtis.

13. Scitis autem quia per [t] infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: & tentationem veſtram in carne mea

14. Non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum.

15. Ubi eſt ergo [u] beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.

16. Ergo [x] inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?

17. [y] Æmulantur vos non bene: ſed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.

18. [z] Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non tantùm cùm præſens ſum apud vos.

19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec [aa] formetur Chriſtus in vobis.

20. Vellem autem eſſe apud vos modo, & [bb] mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.

21. Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legem [cc] non legiſtis?

Ex allegoria duarum uxorum &

21. [a] *Lex ergo adverſùs promiſſa Dei*, ſi propter tranſgreſſiones augendas lex poſita eſt, videtur obſtare ne promiſſiones ipſi Abraham factæ ad ejus filios perveniant. Verùm *abſit*, ut lex promiſſis Dei repugnet; nam ſibi ipſi Deus foret contrarius. *Si enim data, &c.* nondum ad quæſtionem directè reſpondet, ſed objectionem in adverſarium retorquet, dicendo ſi lex, &c. itaque per legem evacuaretur promiſſio.

22. [b] Clariùs nunc reſpondet quæſtioni: non modò lex eos qui ſub lege ſunt peccati convincit, ſed in univerſum ſcriptura declarat omnes homines velut concluſos teneri ſub dominio peccati, ut promiſſa hereditas per fidem Jeſu Chriſti daretur credentibus in eum, dum in lege nullam invenientes peccati medelam, ad Chriſtum confugiunt, qui eſt ſemen illud in quo datæ ſunt promiſſiones. & ſic lex ſubſervit promiſſis Dei.

23. [c] *Priuſquam veniret*, tempus revelandæ fidei, quod in adventu Chriſti, ſub legis imperio velut in cuſtodia. *Concluſi*, ſervabamur, ne prorumperemus in manifeſta crimina, ut hac ratione duceremur ad eam fidem quæ manifeſtanda erat, &c. *Concluſi*, ſuppie, [*ut perveniremus*] *in eam fidem*.

24. [d] *Pædagogus*, manu ductor: ut nos ad eum duceret. *In Chriſto*, Gr. *in Chriſtum*. Syr. Arab. Æth. *ad Chriſtum*.

25. [e] Concludit hoc pacto legis ceſſationem.

27. [f] Atque adeo cùm ſitis Chriſto tam intime conjuncti, legis obſequio opus non habetis, ut adducamini ad Chriſtum.

28. [g] *Græcus*, Æth. *Gentilis*. In negotio fidei & juſtitiæ per Chriſtum adipiſcendæ, nullus eſt reſpectus generis, conditionis, ſexus, &c.

1. [h] *Nihil differt à ſervo*, nec de bonis diſponere, nec ad libitum agere poteſt. *Cùm ſit*, Arab. *quamvis ſit*.

2. [i] *Actoribus*, Syr. *procuratoribus*, Gr. *curatores*.

3. [k] *Nos*, Judæi. *Parvuli*, quia rebus ſenſibilibus addicti, Judæos vocat parvulos reſpectu promiſſionis factæ Abrahamo, uſque ad illius promiſſionis complementum ſub Chriſto. *Sub elementis mundi*, eramus ut pueri alphabetarii. Elementa vocat initia, rudimenta doctrinæ alicujus, qualia ſunt corporalia ſigna, & carnales cæremoniæ legis Moſaicæ.

4. [l] *Plenitudo temporis*, Æth. *tempus præfinitum ejus*, plenum vocat, cujus ſpatia omnia peracta ſunt. *Sub lege*, legis præceptis ſponte ſubjectum, ne odio ejus videretur ab ea nos liberaſſe.

6. [m] *Eſtis*, vos Galatæ & alii Gentiles ad fidem Chriſti vocati. *Clamantem*, clamare facientem. *Pater*, explicatio præcedentis verbi, *Abba*.

7. [n] *Eſt*, Syr. *eſtis*, Gr. Arab. Æth. *es*. Aliquis vere credens. *Per Deum*, Syr. Arab. Æth. *per Chriſtum*. Per Dei miſericordiam.

8. [o] *Tunc*, Æth. *olim*, priuſquam eſſetis filii.

9. [p] *Iterùm*, non quòd ad eadem numero vel ſpecie, ſed genere: qui enim ſervierant idolis, ſervire volebant ſub ſignis ac cæremoniis Judaicæ legis.

10. [q] *Dies*, ſabbatum, ſcenopegia, dies azymorum, &c. *Menſes*, Neomenias menſem primum & ſeptimum. *Tempora*, egreſſionis ex Ægypto, ter ſingulis annis venire Jeroſolymam. *Annos*, ſeptimum & quinquageſimum.

11. [r] *Vos*, de vobis. *In vobis*, Syr. Gr. *erga vos*.

12. [ſ] *Sicut ego*, legalia dimittendo ſicut ea dimiſi. *Ego ſicut vos*, legalibus non amplius addictus & cor veſtrum erga me, ſicut & meum erga vos, qui ob amoris magnitudinem vobis ſum ſimilis. *Nihil me læſiſtis*, ſi duriùs locutus ſum vobiſcum, non ex memoria injuriarum id feci, ſed veſtram vicem dolens.

13. [t] *Infirmitatem carnis*, magnam corporis afflictionem, pericula, perſecutiones, & ſine oſtentatione, quia ſcilicet præſentia corporis infirma & ſermo contemptibilis. *Et tentationem, &c.* offendiculum de hac mea carnis infirmitate non eſtis paſſi, &c.

15. [u] *Beatitudo veſtra*, exultatio propter me, & plauſus, quo abiit, & ſtatus ille quem felicem dicebatis, voſque beatos.

16. [x] *Inimicus*, non quòd Galatæ odiſſent Paulum ſed Paulus Galatas.

17. [y] *Æmulantur*, de pſeudo-Apoſtolis ſuppreſſo nomine loquitur: illi per quos inimicus vobis factus ſum vos ambiunt, tanquam veſtræ ſalutis admodum cupidi: ſed zelus eorum non eſt ſecundùm ſcientiam; *excludere* enim *volunt vos* a me, & à libertate evangelica, quo ſic vos habeant diſcipulos & imitatores. *Excludere*, ab Eccleſia. *Ut illos æmulemini*, qui ſe ab ipſa ſegregarunt.

18. [z] Syr. *Bonum eſt autem ut æmulemini in re bona ſemper.* Bonum eſt ſi diſcipuli æmulentur magiſtros, modò magiſtri boni ſint, & diſcipuli illos ſemper imitentur, non ſicut Galatæ qui Paulo abſenti non amplius adhæſerant.

19. [aa] *Formetur*, perfectam Chriſti formam, rectam fidem de Chriſto accipiatis, quâ credatis illum vobis ad ſalutem ſufficere ſine legalium obſervatione.

20. [bb] *Mutare vocem*, ſi enim præſens eſſem, conditioni audientium ſermonem accommodarem, quod per Epiſtolam facere nequeo. *Confundor*, Syr. Arab. *ſtupefactus ſum*, Gr. *conſilii inops ſum*.

21. [cc] *Non*, Arab. *an non*.

Digitized by Google

Donorem filiorum Abrahæ oſtendit filios novi Teſtamenti non eſſe ſub ſervitute legis, cujus æmulatores à Chriſti hæreditate ejiciendos aſſerit.

22. Scriptum eſt enim: Quoniam Abraham [a] duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera.

23. Sed qui de ancilla [b] ſecundùm carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionem:

24. Quæ [c] ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans: quæ eſt Agar:

25. Sina enim mons eſt in Arabia, qui [d] conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis.

26. [e] Illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.

27. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia [f] multi filii deſertæ, magis quàm ejus quæ habet virum.

28. Nos autem fratres, [g] ſecundùm Iſaac promiſſionis filii ſumus.

29. Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui [h] ſecundùm ſpiritum: ita & nunc.

30. [i] Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

31. Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: [k] quâ libertate Chriſtus nos liberavit.

CAPUT V.

A circumciſione avertit Galatas, docens, qui legis operibus juſtificari cupit, expertem eſſe fructus Chriſti, in quo nec circumciſio nec præputium aliquid valet, ſed fides viva.

1. [l] STate, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri.

2. Ecce [m] ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.

3. Teſtificor autem rurſus [n] omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.

4. [o] Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini: a gratia excidiſtis.

5. Nos enim [p] ſpiritu in fide, ſpem juſtitiæ expectamus.

6. Nam in [q] Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per charitatem operatur.

7. Currebatis bene: quis vos impedivit [r] veritati non obedire?

Hortatur ut caveant à falſis doctoribus, ſtudeantque mutuæ dilectioni.

8. Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui [ſ] vocat vos.

9. Modicum fermentum totam maſſam [t] corrumpit.

10. Ego confido [u] in vobis in Domino, quod nihil aliud ſapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque eſt ille.

11. Ego autem, fratres, [x] ſi circumciſionem adhuc prædico: quid adhuc perſecutionem patior? Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis.

12. Utinam & [y] abſcindantur qui vos conturbant.

13. Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres: tantum ne libertatem [z] in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem Spiritus ſervite invicem.

14. Omnis enim [aa] lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

15. Quod ſi invicem mordetis, & comeditis: videte ne ab invicem conſumamini.

16. Dico autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.

Enumeratione quâdam oſtendit quæ ſint opera carnis, & qui fructus Spiritus, cujus utriuſque pugnam inter ſe invicem deſcribit.

17. [bb] Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.

22. [a] *Duos*, famoſiores, habuit enim alios.

23. [b] *Secundùm carnem*, uſitatâ lege naturæ. *Per repromiſſionem*, ex virtute divina & promiſſa & ſuppeditata, atque ſupra naturæ facultatem.

24. [c] *Sunt*, deſignant, ſignificant. *In ſervitutem generans*, nudo timore pœnarum. *Eſt*, deſignatur, ſignificatur, repræſentatur.

25. [d] *Conjunctus eſt*, Gr. *quadrat*. Affinitatem & ſimilitudinem quamdam habet quoad myſticam ſignificationem: nam mons Sina vetus Teſtamentum ſignificat, terrena Jeruſalem ſedes eſt filiorum veteris Teſtamenti: in Sina lex vetus data eſt, in Jeruſalem principatus veteris legis, propter templum, & idem eſt populus continuitate ſucceſſionis qui legem in monte Sina accepit, & qui nunc in Jeruſalem habitans, pro eadem lege pugnaciter contendit. *Servit*, ſive ad Sina montem referatur, ſive ad vetus Teſtamentum, ſive ad terrenam Jeruſalem, intelligendum eſt quodlibet horum ſervire cum filiis, quia homines comprehendit aut ſignificat obnoxios illi ſervituti, de qua prius, *in ſervitutem generans*.

26. [e] *Illa autem*, per Saram ſignificata, quæ eſt Eccleſia novi Teſtamenti, *quæ ſurſum* eſſe dicitur quia ſapit ea quæ ſurſum ſunt. *Libera eſt* a ſervitute peccati per ſpiritum dilectionis, & a ſervili jugo legis Moſaicæ.

27. [f] *Multi*, Syr. Æth. *plures*.

28. [g] *Secundùm*, ad ſimilitudinem, unde colligendum relinquit eos qui in Chriſtum credunt non debere eſſe ſub lege, qui enim ſub lege ſunt, non ſecundùm Iſaac promiſſionis filii ſunt ex libera, ſed ſecundùm Iſmaël filii carnis ex ancilla.

29. [h] *Secundùm ſpiritum*, quia per miraculum natus ex matre ſterili: quæ enim ſupra naturam peculiariter attribuuntur operationi Spiritus ſancti.

30. Per hoc quod ſic factum eſt ad litteram, ſpiritualiter figurabatur quod legalis obſervantia eſſet tempore Evangelicæ legis omnino ceſſanda. *Non enim hæres*, &c. qui ſub lege ſunt & in ritibus hærent, non pervenient ad juſtitiam veram ſimul cum Chriſtianis, ſed cum lege ſua foras mittentur.

31. [k] *Quâ libertate*, &c. in quam Chriſtus per mortem ſuam nos aſſeruit.

1. [l] *State*, in ea libertate, de qua v. 31. cap. præcedentis. *Jugo ſervitutis*, legis ceremoniis & obſervatione.

2. [m] *Ego Paulus*, pro authoritate mea apoſtolica. *Circumcidamini*, credentes id neceſſarium ad ſalutem, & hoc animo ut per circumciſionem juſtificemini. *Chriſtus vobis nihil proderit*, non eritis participes beneficiorum Chriſti.

3. [n] *Omni homini*, hæc ad ſolos Gentiles. *Debitor eſt*, &c. quia in conſcientia ſua reputat ſibi circumciſionem neceſſariam ad ſalutem, atque adeo tenetur ad totam legem, cujus illa profeſſio eſt.

4. [o] *Evacuati eſtis à Chriſto*, Chriſtus factus eſt vobis otioſus. *Juſtificamini*, juſtificari quæritis.

5. [p] *Spiritu*, animo, qui opponitur cuti, in qua eſt circumciſio. *Spem juſtitiæ*, hebraica locutio, juſtitiam ſperatam.

6. [q] *Chriſto Jeſu*, religione Chriſtiana. *Per charitatem operatur*, Syr. *charitate perficitur*. *Operatur*, exercetur, ex vi enim verbi Græci ſenſus paſſivus eſſe debet.

7. [r] *Veritati non obedire*, ne obediretis veritati.

8. [ſ] *Vocat*, Syr. Arab. *vocavit*.

9. [t] *Corrumpit*, Syr. Gr. Arab. Æth. *fermentat*.

10. [u] *In vobis*, Syr. Arab. *de vobis*. *Aliud*, quàm quod doceo. *Judicium*, debitam pœnam ſuſtinebit.

11. [x] *Si circumciſionem adhuc prædico*, dicebant Galatis pſeudo-Apoſtoli circumciſionem adhuc à Paulo prædicari. *Perſecutionem patior*, à Judæis. *Evacuatum eſt ſcandalum crucis*, perſecutionem quam à Judæis patior propter prædicationem crucis & myſterii illius, ſi enim crucem & legem adhuc prædico, ſecundùm meam doctrinam abolita eſt crux Chriſti, cujus humilitas & ignominia tantopere Judæos offendit, & avertit à fide Chriſti: quod dici poteſt de Judæis nondum converſis; converſi verò ſcandalizabantur quòd ita gloriam crucis prædicaret, ut aſſereret ad ſalutem ſufficere fidem & gratiam Dominicæ paſſionis, magiſque conſtare in cruce quam in circumciſione.

12. [y] *Abſcindantur*, à conſortio fidelium per excommunicationem, imprecatio eſt: ſint plus quàm circumciſi.

13. [z] *In occaſionem carnis*, ad ſerviendum carni: libertas enim noſtra a lege non eſt abſoluta, ſed dumtaxat a maledictione & ceremoniis legis, non autem ratione pietatis & caritatis quam præcipit, unde *per charitatem ſervite invicem*.

14. [aa] *Lex*, ad mores pertinens. *In uno ſermone impletur*, per obſervationem omnia præcepta cuſtodiuntur.

17. [bb] *Caro*, carnalis concupiſcentia. *Concupiſcit*, concupiſcere facit. *Spiritum*, motus & illuminationes gratiæ. *Quæcumque vultis*, vultis enim omnino non pati motus carnis, ſed quod bonum eſt ſine repugnantia facere. *Faciatis*, facile & perfectè.

18. Qnod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis [a] ſub lege.

19. Maoifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,

20. Idolorum ſervitut, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ,

21. Invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui [b] talia agunt, regnum Dei non conſequentur.

22. Fructus autem Spiritus eſt: charitat, gaudium, pax, patientia, [c] benignitas, bonitas, longanimitas,

23. Manſuetudo, [d] fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujus modi non eſt lex.

24 Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.

25. [e] Si ſpiritu vivimut, ſpiritu & ambulemut.

26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem [f] provocantes, invicem invidentes.

CAPUT VI.

Hortatur Galatas, ut alii aliorum ferant infirmitates & ut bonis operibus ſe exerceant.

1. FRatres, & ſi præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vot, qui [g] ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.

2. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis [h] legem Chriſti.

3. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.

4. [i] Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero.

5. Unuſquiſque enim [k] onut ſuum portabit.

6. Communicet autem, is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis.

7. Nolite [l] errare: Deus non irridetur.

8. [m] Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.

9. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.

10. Ergo dum [n] tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.

11. [o] Videte qualibus litteris ſcripſi vobis meâ manu. *Monet ut caveant à ſeductoribus.*

12. [p] Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Chriſti perſecutiooem oon patiantur.

13. [q] Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circumcidi, & in carne veſtra glorientur.

14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus [r] crucifixut eſt, & ego mundo. *Paulus in ſolo Chriſto crucifixo gloriari ſe dicit.*

15. In Chriſto enim Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed [s] nova creatura. *Pacem optat ſequentibus doctrinam quam tradidit, Epiſtolamque concludit gratiam precando Galatis.*

16. Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper [t] Iſraël Dei.

17. [u] De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.

18. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum ſpiritu veſtro, fratres. Amen.

18. [a] *Sub lege*. ſub lege eſt qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati: quoniam verò jugum legis ceremonialis ſervile erat per ſe, hinc conſequenter intelligendum relinquit incongruum eſſe ut qui ſpiritu ducuntur, jugo legis ceremonialis ſe ſubmittant, maxime cum à jugo legis moralis, quâ parte terret & minatur, per ſpiritum liberi ſunt. Anticipatio eſt. Objici poterat, ſi igitur præſtare non poſſumus bona quæ volumus, ſumus ſub lege: imo, inquit Paulus, etiamſi non poſſitis omnia præſtare modò ſpiritu ductam vitam inſtitueritis, ut caro non imperet, non eſtis ſub lege condemnationis nimirum ratione.

21. [b] *Talia*, cum ſint mortalia.

22. [c] *Benignitas*, morum facilitas ac ſuavitas, quâ quis aliis libenter ſeſe accommodat in bonum. *Bonitas*, quâ quis à nocumentis ſe abſtinet, ac prodeſſe & benefacere paratus eſt.

23. [d] *Fides*, fidelitas in dictis & promiſſis. *Non eſt lex*. *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, v. 18.

25. [e] *Si ſpiritu vivimus*, viam quam monſtrat ſpiritus teneamus, nec deflectamus de ſpiritu ad opera carnis.

26. [f] *Provocantes*, verbis vel ſignis, ad rixas & contentiones.

1. [g] *Spirituales*, perfecti, firmiores, vos qui vos geritis ut tales. *Tenteris*, pone cauſam pro effectu, tentatione vincaris.

2. [h] *Legem*, mandatum de dilectione.

4. [i] *Opus*, vitam & converſationem ſuam. *Et ſic*, &c. & ſi bonum inveniat opus ſuum, habebit unde glorietur conſcientia apud ſe & coram Deo, ut non ſit ei neceſſe gloriam mendicare ab aliis, nec de factis & meritis aliorum præſumere. *In altero*, laudante, vel peccante cui ſe præferat, nec comparatione ejus qui delinquit.

5. [k] *Onus*, peccatorum, de quibus reddet rationem Deo in judicio. *Onus*, hîc pro pœna differt à bono opere de quo v. 2.

7. [l] *Errare*, fallere vos vanis excuſationibus. *Irridetur*, impunè.

8. [m] *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet*, ſeminaverit parce, vel largè dando. *Seminat in carne*, qui pro fine voluptatem aut utilitatem propriam habet, per fidem in dilectione operantem.

10. [n] *Tempus habemus*, ſumus in hac vita, quod eſt ſeminandi tempus. *Ad omnes*. Syr. Arab. *erga domeſticos fidei*, Chriſtianos, qui domeſtici fidei dicuntur, quia in unam domum Eccleſiæ per fidem congregati ſunt.

11. [o] Hanc Epiſtolam totam & ſatis longam ſcripſi meâ manu, ut hanc diſcernerent à falſis, quas pſeudo-Apoſtoli mittebant ſuo nomine, vide II ad Theſſ. c. 2.

12. [p] *Quicumque volunt placere in carne*, qui gratiam hominum quærunt carne ſibi conjunctorum. *Tantum*, &c. Judæi plerique non tam perſequebantur fidem crucifixi, quam doctrinam legis abrogandæ per crucem; præterea pſeudo-Apoſtoli, ut perſecutionem vitarent, placebant Judæis prædicando neceſſitatem circumciſionis & ceremoniarum legalium, & per hoc habebantur pro Judæis, nihilque timendum eis erat à Romanis Gentilibus, apud quos uſus religionis Judaicæ permiſſus erat.

13. [q] Nam nec ipſi, quamvis circumciſi, & circumciſionem prædicent, legem obſervant: ſed volunt vos circumcidi, ut glorientur apud ſuos à ſe rem Judaicam promotam fuiſſe, vosque proſelytas fuiſſe.

14. [r] *Crucifixus*, mortuus, ſpretus à mundo & mundum ſpernens.

15. [s] *Nova*, per gratiam.

16. [t] *Iſrael Dei*, ſecundùm carnem Judæos, quâ parte Dei populus ſunt, non quâ Deo contrarii, legalia ſucceſſive deſerentes, & fidem Catholicam amplectentes.

17. [u] Poſt hac nemo veſtrum turbulentis contentionibus mihi moleſtiam afferat de re nunc quantum ſatis eſt expoſita, nec eſt quod mihi moleſtias augeatis, qui in frequentibus laboribus, plagis, vinculis, aliiſque incommodis, notas Domini Jeſu, cujus me ſervum profiteor, tanquam corpori meo impreſſas circumfero. *Stigmata*, enim erant notæ infames, quales inurebantur ſervis, haſque notas opponit circumciſionis cicatrici. hæc autem dicit adverſus eos qui v. 12. cogunt vos circumcidi. *Nemo mihi moleſtus ſit*, nemo conſcientias noſtras variis erroribus vexet, quaſi notas ſervitutis noſtræ erga Chriſtum carni impreſſas geſtare debeamus, nam per vincula & plagas pro Chriſto perpeſſas, ſtigmata, &c. hæc partim in ſua, partim in Galatorum perſona dicit.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Scripta eſt ad Epheſios & fideles Aſianos à Paulo, qui Epheſiis fidem prædicaverat, antequam Joannes Evangeliſta urbem illorum ingreſſus eſſet: hi autem doctrinam à Paulo acceptam firmiter retinebant, ſed ut illos in bono confirmaret, & plenius inſtitueret de præcipuis fidei myſteriis, hanc ſcripſit Epiſtolam Romæ cùm eſſet in vinculis & in carcere poſitus, & miſit per Tychium Diaconum, ſimul cum ſecunda ad Timotheum, quem diſcedens ex Epheſo, hujus urbis Epiſcopum reliquerat.

Scripta eſt etiam potiſſimum contra Simonem magum, & ejus familiam, & Gnoſticorum ſcholam inde exortam.

Circa annum æræ noſtræ ſexageſimum ſecundum, à Chriſti morte vigeſimum nonum.

CAPUT I.

ª Præmiſsâ ſalutatione, Deo gratias agit Apoſtolus de æterna prædeſtinatione quâ propoſuit omnia inſtaurare in Chriſto.

1. PAULUS Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, [b] & fidelibus in Chriſto Jeſu.

2. [c] Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto,

3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni [d] benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto,

4. Sicut elegit nos [e] in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.

5. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum [f] in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ,

6. In [g] laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo.

7. [h] In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ ejus,

8. Quæ ſuperabundavit in nobis, in omni [i] ſapientia & prudentia:

9. Ut notum faceret nobis [k] ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo,

10. [l] In diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo:

11. [m] In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:

12. [n] Ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui antè ſperavimus in Chriſto:

13. [o] In quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis [Evangelium ſalutis veſtræ] in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto,

Gratias agit peculiariter de Epheſiorum fide in Chriſtum, orans ut perfectam ad piſcantur ſapientiam & cognitionem Dei.

14. Qui eſt pignus hereditatis noſtræ, [p] in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.

ª Æth. Præfigitur, *Ad Epheſios: & ſcripta fuit cùm eſſet in civitate Roma.*

1. [b] *Et fidelibus*, id eſt, fidelibus. eoſdem enim ſanctos & fideles vocat.

2. [c] *Gratia*, detur, multiplicetur.

3. [d] *Benedictione ſpirituali*, per hæc verba diſtinguit fideles à Judæis, quibus terrena promiſſa. *In cœleſtibus*, bonis, quibus diſtinguit electos à reprobis: quâ benedictione ſpirituali provehimur ad cœleſtia. *In Chriſto*, Syr. Arab. *per Chriſtum.*

4. [e] *In ipſo*, Arab. *per ipſum. In charitate.* Syr. Arab. *per charitatem.* Qui per charitatem quâ nos dilexit, *prædeſtinavit nos in adoptionem, &c.*

5. [f] *In ipſum*. Gr. *in ſeſe*, Arab. Æth. *ſibi.* Quod referendum ad hæc verba, *adoptionem filiorum*, ut declaret cujus filiorum, ſcilicet ipſius Dei prædeſtinantis.

6. [g] *Laudem gloriæ*, laudem glorioſam. *Gloria gratiæ*, beneficentiæ. *In qua*, per quam. *In qua gratificavit, &c.* Syr. *quam effudit ſuper nos per dilectum ſuum.*

7. [h] *In quo*, Syr. Gr. Arab. Æth. *per quem. Remiſſionem, &c.* Æth. *& remiſſa ſunt nobis peccata noſtra, in ſanguine ejus, &c. Divitias gratiæ*, abundantiam gratiæ, abundantem gratiam.

8. [i] *Sapientia & prudentia*, replens nos ſapientiâ, &c. poteſt ad Deum & ad nos referri.

9. [k] *Sacramentum*, Syr. *arcanum*, Æth. *conſilium*. Quod erat velle per Chriſtum omnia inſtaurare. *Beneplacitum quod propoſuit*, quam rem benignâ ac liberali voluntate propoſuit & conſtituit. *In eo*, in ſe, apud ſe.

10. [l] *In diſpenſatione, &c.* donec completa eſſent tempora, quæ ad diſpenſationem ſive executionem illius beneplaciti fuerant præfinita; quibus completis Deus in Chriſto inſtauraret cœleſtia & terreſtria, ad Chriſtum tanquam ad unum caput revocans angelos & homines. *Inſtaurare*, Syr. *ut renovarentur*, Arab. *ut perficeret. In ipſo*, per eumdem.

11. [m] *In quo*, Syr. Arab *& per eum. Nos*, Judæi. *Sorte*, ſic vocat divinam electionem ratione meritorum noſtrorum.

12. [n] *Ut ſimus in laudem gloriæ ejus*, ut ipſe in nobis laudetur. vel, active, à nobis laudetur. *Nos*, Judæi, *Antè*, quàm Gentiles in Chriſto ſperarent.

13. [o] *In quo, &c.* in quo & ſperatis & vos, audito verbo, &c. vel, ſperare cœpiſtis, cùm audiviſtis, &c. *Vos*, Gentiles. *Spiritu promiſſionis ſancto*, Syr. *Spiritu ſanctitatis qui promiſſus fuerat*, Æth. *Spiritu ſancto quem promiſit.*

14. [p] *In redemptionem acquiſitionis*, quouſque veniat tempus perfectæ redemptionis Eccleſiæ, nempe ſæculo hoc futuro: vel, ad aſſerendam partam poſſeſſionem, quæ res ei glorioſam laudem pariat. *Acquiſitionis*, Syr. *eorum qui ſervantur.*

15. Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes [a] ſanctos,

16. Non ceſſo gratias [b] agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis:

17. Ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, [c] det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus;

18. Illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes [d] vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis,

19. Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus ſecundùm operationem [e] potentiæ virtutis ejus,

Agit de Chriſti à mortuis ſuſcitati exaltatione.

20. [f] Quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus,

21. Supra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & [g] omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.

22. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus: & ipſum [h] dedit caput ſupra omnem Eccleſiam,

23. Quæ eſt corpus ipſius, & [i] plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

CAPUT II.

Docet nos natura iræ filios gratia Chriſti per fidem ſalvari.

1. ET vos, cùm eſſetis [k] mortui delictis & peccatis veſtris,

2. In quibus aliquando ambulaſtis [l] ſecundùm ſæculum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ,

3. In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis [m] & cogitationum, & eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri:

4. Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter [n] nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos,

5. Et cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, [cujus gratia eſtis ſalvati.]

6. Et conreſuſcitavit, & conſedere [o] fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu:

7. Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ [p] in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.

8. Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt,

9. Non ex operibus, ut ne quis glorietur.

Gentiles qui erant ſine ſpe ſalutis dicit factos eſſe participes promiſſionum Dei, per Chriſtum, qui ex Judæis & Gentibus fecit unum populum.

10. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu [q] in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

11. Propter quod memores eſtote, quòd [r] aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta:

12. Quia eratis illo in tempore [ſ] ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.

13. Nunc autem [t] in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.

14. Ipſe enim eſt [u] pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua:

15. [x] Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem.

16. [y] Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.

17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuiſtis: & pacem iis qui propè.

18. Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

In Chriſto tanquam angulari lapide ſuperædificantur.

19. Ergo jam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis [z] cives ſanctorum, & domeſtici Dei:

20. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo [aa] ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu:

21. [bb] In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino:

22. In quo & vos [cc] coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

15. [a] *Sanctos*, fideles.
16. [b] *Agens*, Syr. Arab. Æth. *agere.*
17. [c] *Det vobis*, &c. det vobis ſapientiam quâ ipſum ejuſque myſteria quæ ſolâ noſcuntur revelatione, cognoſcatis. *In agnitione ejus*, Syr. Arab. *per agnitionem ſui. Ejus*, filii.
18. [d] *Vocationis ejus*, ad quam ille vocavit. *In ſanctis*, Æth. *hæreditatis ſanctorum.*
19. [e] *Potentiæ virtutis*, potentis virtutis.
20. [f] Hæc contra Simonem, qui mundum ab angelis creatum aſſerebat.
21. [g] *Omne nomen*, omne quod exiſtit in rerum natura.
22. [h] *Dedit caput*, Æth. *præpoſuit.* Fecit.
23. [i] *Plenitudo*, Syr. Arab. *complementum*, Æth. *perfectio. Adimpletur*, Syr. *adimplet.*
1. [k] *Mortui delictis*, ſpiritu mortui in delictis. Per delicta.
2. [l] *Secundùm ſæculum mundi hujus*, Syr. *ſecundum mundanam vanitatem mundi hujus. Poteſtatis*, cui poteſtas eſt vel, poteſtatum, id eſt, dæmonum qui in aëre verſantur. *Spiritus*, in genitivo, pro ſpirituum, ſcilicet principem. *Filios diffidentiæ*, incredulos & rebelles.
3. [m] *Et cogitationum*, Syr. *noſtrique ſenſus. Natura*, ex ipſa nativitatis origine, iræ divinæ obnoxii, ob peccatum in quo nati ſumus.
4. [n] *Nimiam*, Syr. Gr. Æth. *multam.*
6. [o] *Fecit*, factum dicit quod per arrham ſpiritus certo futurum eſt. *In Chriſto Jeſu*, Arab. *per Jeſum Chriſtum.*
7. [p] *In bonitate*, &c. Arab. *in nos profuſam ex benignitate ſua per Jeſum Chriſtum.*
10. [q] *In operibus bonis*, Syr. Arab. Æth. *ad opera bona.*
11. [r] *Aliquando vos Gentes*, &c. vos qui Gentes, id eſt, qui ſecundùm carnalem generationem Gentiles, & qui quod carne incircumciſi eſſetis vocabimini non ſine contemptu, præputium, a Judæis, qui vocantur circumciſio, ob circumciſionem manibus factam.
12. [ſ] *Sine Chriſto*, ſine Chriſti cognitione. *Hoſpites*, Arab. *alienos*, Æth. *extraneos. Teſtamentorum*, pluraliter, propter diverſitatem promiſſionum. *Deo*, vero.
13. [t] *In*, Arab. *per.*
14. [u] *Pax*, effective, pacificator. *Utraque*, Judæos ac Gentiles. *Et medium*, &c. & qui medium ſeptum quo obſtruebatur unius acceſſus ad alterum, nempe inimicitiæ cauſam, ſolvit *in carne*, per paſſionem & crucem ſuam. *In carne*, Arab. *per carnem*, Arab. *& deſtruxit medium parietem ſepis inimicitia per carnem ſuam.*
15. [x] Arab. *Et abrogavit legem mandatorum per decreta ſua. Decretis*, Syr. *præceptis ſuis.* Lex enim Moſaica medius paries erat & inimicitiæ cauſa inter Judæos & Gentiles, etiam ab idololatria converſos ita ut illâ ſtante non poſſet ex utroque populo unum Eccleſiæ corpus conſtitui, hanc igitur Chriſtus abrogavit decretis Evangelicis.
16. [y] Arab. *Et reconciliaret utramque ſimul in uno corpore*, reconciliavit nos igitur Deo per crucem, & propria perſona inimicitiam interemit.
19. [z] *Cives*, Syr. Gr. Æth. *Concives. Sanctorum*, ſancti hic intelliguntur quicumque per baptiſmum mundati ſunt a peccatis & ſunt in una Eccleſia, quæ eſt civitas Sanctorum & domus Dei.
20. [aa] *Summo*, extremo.
21. [bb] *In quo*, per quem. *Creſcit*, &c. creſcit in Domino in templum ſanctum.
22. [cc] *Coædificamini*, vos Gentiles cum Judæis. *In habitaculum* ut ſitis habitaculum. *In ſpiritu*, Arab. *per ſpiritum.*

CAPUT III.

Myſterium vocationis Gentium profitetur ſibi divinitus revelatum, ejuſque prædicationem ſibi concreditam.

1. [a] HUjus rei gratiâ, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, pto vobis Gentibus,

2. [b] Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi io vobis:

3. Quoniam ſecundùm revelationem notum mihi factum eſt [c] ſacramentum, ſicut ſuprà ſcripſi in brevi:

4. [d] Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti:

5. Quod aliis [e] generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in Spiritu.

6. [f] Gentes eſſe coheredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium:

7. Cujus factus ſum miniſter, ſecundùm donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecuodùm operationem [g] virtutis ejus.

8. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti,

9. Et [h] illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit.

10. [i] Ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei,

11. [k] Secundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

12. [l] In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus.

13. Propter quod peto ne deficiatis [m] in tribulationibus meis pro vobis: quæ eſt gloria veſtra.

Rogat Deum ut Epheſios

14. [n] Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti,

15. Ex quo omnis [o] paternitas in cœlis & in terra nominatur,

corroboret in fide, charitate, & rerum divinarum ſcientia.

16. Ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, [p] virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem,

17. [q] Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati, & fundati,

18. [r] Ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum:

19. Scire etiam [ſ] ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

20. Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis:

21. [t] Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.

CAPUT IV.

Hortatur Epheſios ad unitatem Spiritus.

1. OBſecro itaque vos ego vinctus [u] in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis,

2. Cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate,

3. Solliciti ſervare [x] unitatem ſpiritus in vinculo pacis.

4. [y] Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.

5. Unus [z] Dominus, una fides, unum baptiſma.

6. Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & [aa] per omnia, & in omnibus nobis.

Oſtendit varia eſſe dona Spiritus ſancti collata ad ædificationem Eccleſiæ.

7. Unicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram [bb] donationis Chriſti.

8. Propter quod dicit: Aſcendens in altum [cc] captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.

9. Quod autem aſcendit, [dd] quid eſt, niſi quia

1. [a] *Hujus rei*, ædificii ſpiritualis. *Ego Paulus*, debet referri ad v. 14. *Pro vobis*, quia Gentibus Evangelium annuntio.

2. [b] *Si audiſtis*, ſicut audiiſſe vos conſtat, quemadmodum diſpenſatione divinâ concreditum mihi eſt munus Evangelii vobis Gentibus annuntiandi. *Diſpenſationem gratiæ*, gratiam mihi ex diſpenſatione divina collatam. *In vobis*, Syr. Gr. Arab. *In vos*. Ad veſtram inſtructionem & ſalutem.

3. [c] *Sacramentum*, Syr. *arcanum*, Gr. Arab. *myſterium*. Explicat diſpenſationem gratiæ quam dixerat. *Supra ſcripſi in brevi*, in præcedenti capite, de Gentibus ſimul cum Judæis in unam Chriſti Eccleſiam cooptandis.

4. [d] Arab. *quem quum legeritis, percipere poteritis intelligentiam meam in myſterio Chriſti*. *Prudentiam*, Syr. *cognitionem*.

5. [e] *Generationibus*, Syr. Arab. *ætatibus*. *Prophetis*, novi Teſtamenti. *In Spiritu*, Syr. Arab. *per Spiritum*.

6. [f] *Gentes eſſe*, &c. hoc eſt myſterium, &c. *Evangelium*, Evangelii prædicationem, fidem & vitam Evangelicam.

7. [g] *Virtutis*, Arab. *potentiæ*. *Secundum operationem virtutis*, divinæ potentiæ vi.

9. [h] *Illuminare omnes*, Syr. Æth. *in lucem proferam omnibus*. *Sacramenti*, Syr. *arcani*, Gr. Arab. *myſterii*.

10. [i] Non mirum ſi hoc myſterium fuit Judæis incognitum, cùm & ipſi angeli illud non noverint niſi per Eccleſiam, in qua velut in ſpeculo viderunt multiformem, &c.

11. [k] Syr. *Quæ quidem futura erant à ſæculo, facta vero in Jeſu Domino noſtro*. Juxta id quod per Chriſtum diſpoſuerat facere, præfinito à ſe tempore.

12. [l] *In quo*, per quem. *Acceſſum*, ad Patrem.

13. [m] *In tribulationibus*, propter tribulationes. *Pro vobis*, vobis, non Epheſiis ſolùm, ſed Gentilibus, ut ea ſibi delegato munere adducat illos ad participationem tantorum bonorum in Chriſto. *Quæ eſt gloria veſtra*, quæ tribulationes cedunt in veſtri gloriam, pro quorum ſalute tot & tanta patior, ſicque gloriari debetis tam fortem habuiſſe doctorem, & apparet quanti Deus vos faciat, quos ex Gentilitate ad Evangelium vocavit.

14. [n] Redit ad id quod dixerat in principio capitis, & poteſt etiam cum proximè præcedentibus jungi.

15. [o] *Paternitas*, Arab. *familia*. Quidquid paternitas nominatur, qui eſt omnium ordinum & familiarum author.

16. [p] *Virtute*, fortiter.

17. [q] *Chriſtum habitare*: quo Chriſtus habitet.

18. [r] Utitur ſimilitudine corporalium dimenſionum. *Latitudo*, hujus myſterii, &c. per omnem terram. *Longitudo*, per ſæcula ventura. *Sublimitas*, quod elevet ad cœlum & vitam æternam. *Profundum* in diſcretione hominum a Deo facta.

19. [ſ] *Supereminentem ſcientiæ*, major quàm intelligi poſſit & cognitionem noſtram ſuperans. *Ut impleamini*, &c. ut omnium donorum Dei perfectione repleamini.

21. [t] Ipſum glorificet univerſa Eccleſia tantis beneficiis ab eo affecta, idque per Jeſum Chriſtum.

1. [u] *In Domino*, propter fidei prædicationem. *Vocatione*, ad Chriſtianiſmum.

3. [x] *Unitatem ſpiritus*, animorum inter vos conjunctionem.

4. [y] *Unum corpus & unus ſpiritus*. Syr. *ut ſitis in uno corpore, & uno ſpiritu*. *Unum corpus*, Eccleſiæ & myſticum. *Spe*, ſpes ponitur pro re ſperata. *Spe vocationis*, ad eamdem beatitudinem ſperandam, ad quam veſtra vocatio ordinatur.

5. [z] *Dominus*, omnium fidelium, Chriſtus. *Una fides*, ratione objecti, idem enim ab omnibus creditur. *Unum baptiſma*, Chriſti quod ſolum ſalvat.

6. [aa] *Per omnia*, Arab. *omnium curam gerens*, Æth. *ex illo omnia*. *Per omnia*, diffuſus & extenſus omnia continet.

7. [bb] *Donationis*, quâ voluit donare.

8. [cc] *Captivam duxit captivitatem*, à diabolo captos eripuit. *Dedit*, in Pſalmo verbum eſt, *accepiſti*, ſed Apoſtolus ſenſum Pſalmi prætulit verbis vide Pſalm. 67. accepit dona quæ daret, quæ enim dare volumus accipimus ut demus: hîc dediſſe dicitur non accepiſſe, quia jam per omnes Eccleſias toto orbe fundatas dona ſua diſtribuerat.

9. [dd] *Quid eſt*, quid nobis aliud inſinuat. *Deſcendit*, aſſumendo hu-

Digitized by Google

& deſcendit primùm in inferiores partes terræ?

10. Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit [a] ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia.

11. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem [b] Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores,

12. [c] Ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti:

13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram [d] ætatis plenitudinis Chriſti:

14. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento [e] doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.

15. [f] Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus:

16. [g] Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.

Monet ut relictis Gentilium vitiis induant novum hominem.

17. [h] Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui,

18. Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à [i] vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum,

19. Qui [k] deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.

20. Vos autem non ita didiciſtis [l] Chriſtum.

21. Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, [m] ſicut eſt veritas in Jeſu.

22. Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur [n] ſecundùm deſideria erroris,

23. Renovamini autem [o] ſpiritu mentis veſtræ.

24. Et induite novum hominem, qui [p] ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.

Varia dat circa mores præcepta.

25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra.

26. [q] Iraſcimini, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

27. Nolite locum dare diabolo:

28. Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.

29. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: [r] ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

30. Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei: [ſ] in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.

31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & [t] blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.

32. Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.

CAPUT V.

Hortatur ut imitentur Chriſtum, & avocat ab operibus tenebrarum, & provocat ad opera lucis.

1. Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi:

2. Et ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo [u] in odorem ſuavitatis.

3. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut [x] avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos;

4. Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, [y] quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio.

manam naturam, cujus elevatione in cœlum aſcendit. *Inferiores partes terræ*, in locum ubi ſanctorum animæ tenebantur incluſæ: oppoſite nimirum ad id quod ſuperficies terræ vocari ſolet: comparatio eſt enim inter partes terræ: ſuperiorem, ubi ſunt viventes, & inferiorem, ubi mortui: unde deſcenſus ille intelligendus eſt de ſtatu mortuorum, & de ſepulchro.

10. [a] *Super omnes cœlos*, uſque ad ſupremam partem cœlorum, ſed ita tamen ut non ſit extra cœlos. *Impleret*, potentia dominationis ſuæ, loquitur enim de Chriſto Apoſtolus quaſi de rege, qui totius regni ſui poſſeſſionem capit, non ad ſingula loca, ſed ad principaliora tantum accedendo.

11. [b] *Prophetas*, novi Teſtamenti. *Evangeliſtas*, qui Evangelium nuntiant.

12. [c] Ut quiſque eorum diligenter incumbat in *opus ſui miniſterii*. *In ædificationem*, id eſt, ſpiritualem profectum corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia idque totum ad hunc finem, ut univerſa ſanctorum, hæc eſt fidelium ſocietas perfecta & conſummata reddatur.

13. [d] *Ætatis*, Syr. Gr. Æth. *ſtaturæ*. *Plenitudinis*, Arab. *perfectionis*, plene adultæ, quorum gradatim opus eſſe debet, ut durante hoc ſæculo alii poſt alios perducantur in unam eamdemque fidem, & veram cognitionem Chriſti filii Dei, ita ut ſimus in ea perfectione virtutum, quemadmodum vir perfectus eſt quoad corpus, qui omnia membra ſuaque in ſtatu perfectionis habet, & ſic Chriſtus ut perfecte formatus in nobis, in quo conſiſtit virilis ætas novi hominis.

14. [e] *Doctrinæ in nequitia*, &c. Syr. *doctrinarum fraudulentarum hominum illorum qui calliditate ſua imponunt ut inducant in errorem*.

15. [f] *Veritatem facientes*, veram Chriſti doctrinam & quod rectum eſt amplexi.

16. [g] Syr. *Ex quo totum corpus coagmentatur, & compingitur per omnes commiſſuras, juxta donum quod datum eſt in menſura cujuſlibet membri ad incrementum ipſius corporis, cujus ædificatio charitate perficitur.* Ex quo Chriſto capite totum corpus apte compoſitum & coagmentatum, per connexionem omnium membrorum ſibi invicem ſubminiſtrantium, per efficaciam ejuſdem capitis operationem pro menſura ac ratione cujuſque membri augeſcit, & ædificatur per charitatem. *Per omnem juncturam ſubminiſtrationis*, per mutuam officiorum ſubminiſtrationem.

17. [h] *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino*, hoc igitur eſt quod dicere cœperam, quod & obteſtor vos per Chriſtum Dominum quem volo hujus exhortationis meæ eſſe teſtem. *Vanitate ſenſus*, Æth. *corruptione cordis*. *Senſus*, Syr. Gr. *mentis*.

18. [i] *Vita Dei*, vita ſecundùm Deum, & quam leges Dei præſcribunt.

19. [k] *Deſperantes*, indurati, atque fide & ſpe futurorum bonorum, quæ nos Chriſtiani credimus & expectamus deſtituti utpote animorum immortalitatem & corporum reſurrectionem non credentes, totos ſe tradiderunt, &c. *In avaritiam*, Gr. in, Arab. *cum exceſſu*. Avaritia hic non ſignificat pecuniarum cupiditatem, ſed inſatiabilem cupiditatem turpium voluptatum.

20. [l] *Chriſtum*, Chriſti doctrinam & Evangelium.

21. [m] *Sicut eſt veritas*, &c. juxta ejus veram doctrinam.

22. [n] *Secundùm deſideria*, obſequendo cupiditatibus.

23. [o] *Spiritu mentis*, mente.

24. [p] *Secundùm Deum*, a Deo. *Veritatis*, vera ecce perfecta.

26. [q] *Iraſcimini*, hypotheticus eſt ſermo, quo per imperativum uti ſolent Hebræi, ſi iraſci contingat, videte ne peccetis & uſque ad injuriam ira erumpat.

29. [r] *Sed ſi quis bonus*, &c. ſed ſi quis bonus eſt ſermo procedat ex ore veſtro, non temere tamen, ſed ad promovendam utilitatem proximorum.

30. [ſ] *In quo*, Syr. Arab. *per quem*. Quem velut ſigillum vobis impreſſum accepiſtis, ſervandum uſque in diem reſurrectionis & retributionis, ſervis emptitiis, ſicut & mercibus, imprimebatur nota, qua diſcernerentur ab aliis, ſic cum empti ſimus ſanguine Chriſti, &c. hinc ſervi Dei in fronte ſignati Apoc. c. 7.

31. [t] *Blaſphemia*, maledicentia, convitium.

2. [u] *In odorem ſuavitatis*, inſtar victimæ ſuaviter olentis.

3. [x] *Avaritia*, vide v. 19. cap. præcedentis. *Sanctos*, profeſſione Chriſtianos.

4. [y] *Quæ ad rem non pertinet*, Gr. *non convenientia*, Æth. *quæ non conveniunt*, Arab. *quæ non proſunt*.

5. Hoc

Digitized by Google

5. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, [a] quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.

6. Nemo vos ſeducat [b] inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

7. Nolite ergo effici participes eorum.

8. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino: Ut filii lucis ambulate:

9. Fructus [c] enim lucis eſt in omni bonitate & juſtitia, & veritate:

10. [d] Probantes quid ſit beneplacitum Deo:

11. Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.

12. Quæ enim in occulto fiunt ab [e] ipſis, turpe eſt & dicere.

13. [f] Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur: omne enim, quod manifeſtatur, lumen eſt.

14. Propter quod [g] dicit: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

15. Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis: non quaſi inſipientes,

16. Sed ut ſapientes: [h] redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.

17. Propterea nolite fieri [i] imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.

18. Et nolite inebriari vino in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu ſancto,

19. Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes [k] in cordibus veſtris Domino.

20. Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.

Admonet mulieres viris ſubjectas eſſe, viros autem ut uxores ſuas diligant, idque argumentis petitis à Chriſto & Eccleſia.

21. Subjecti invicem in timore Chriſti.

22. Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut [l] Domino:

23. Quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe Salvator corporis [m] ejus.

24. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.

25. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea,

26. Ut illam ſanctificaret, mundans [n] lavacro aquæ in verbo vitæ,

27. Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.

28. Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit.

29. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam:

30. Quia membra ſumus corporis ejus, [o] de carne ejus & de oſſibus ejus.

31. [p] Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.

32. [q] Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.

33. Verumtamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: uxor autem [r] timeat virum ſuum.

CAPUT VI.

Docet filios & parentes, ſervos & dominos, quomodo erga ſe reciproce debeant ſe gerere.

1. Filii obedite parentibus veſtris [ſ] in Domino: hoc enim juſtum eſt.

2. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum [t] in promiſſione:

3. Ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.

4. Et vos patres nolite [u] ad iracundiam provocare filios veſtros; ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.

5. Servi obedite dominis carnalibus cum [x] timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto:

6. Non ad [y] oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo,

7. Cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino & non hominibus:

8. Scientes quoniam unuſquiſque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.

9. Et vos domini [z] eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum, & veſter

5. [a] *Quod eſt idolorum ſervitus*, Gr. *qui eſt idololatra.* Multæ ſunt expoſitiones faciles, ſi de avaritia proprie dicta ſit ſermo: ſed ſi agatur de illa de qua capite ſuperiore ſciendum, quòd Simoniani adverſarii quos tacitis nominibus agit Apoſtolus in hac Epiſtola, infandas libidines ita exercebant, ut eas referrent in Dei honorem, & offerrent Patri univerſorum.
6. [b] *Inanibus verbis*, philoſophi enim & Gnoſtici, quorum jam multi apud Epheſios, turpiora crimina etiam ad honorem Dei referebant. *Hæc*, peccata prædicta. *Diffidentiæ*, Syr. *immorigeros*, Æth. *prævaricantes.*
9. [c] *Enim*, autem.
10. [d] *Probantes*, exquirentes.
12. [e] *Ipſis*, filiis diffidentiæ, ſed potius diſcipulis Simonis.
13. [f] *Omnia quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur*, non poſſunt corripi opera tenebrarum, quin manifeſtentur à lumine, id eſt, in lucem proferantur. *Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt*, à lumine manifeſtatur lucidum, id eſt, publicum & patens fit.
14. [g] *Dicit*, ſcriptura, Iſaiæ c. 60. *Surge, illuminare Jeruſalem*, &c. quæ verba Paulus quibuſdam adjunctis ad propoſitum ſuum accommodat.
16. [h] *Redimentes tempus*, quovis pretio temporis opportunitate utentes, & illud facientes vobis liberum ad ſerviendum Deo.
17. [i] *Imprudentes*, & incauti converſatione veſtrâ.
19. [k] *In cordibus veſtris*, ex intimo cordis affectu.
22. [l] *Domino*, Chriſto, qui eſt caput & ſponſus Eccleſiæ.
23. [m] *Ejus*, ſui myſtici.
26. [n] *Lavacro aquæ*, baptiſmo. *Verbo*, doctrinæ Evangelicæ, quatenus fide ſuſcipitur, & his verbis, in nomine Patris, &c. *Vitæ*, vitam conferens.
30. [o] *De carne ejus & de oſſibus ejus*, in quantum ejuſdem cum illo humanæ naturæ participes, in qua ipſe caput eſt, nos membra, vel, ita per ejus corporis paſſionem formati, ut olim Æva de Adæ carne & oſſe.
31. [p] *Propter hoc*, quia mulier formata ex oſſibus & carne viri. *Erunt duo in carne una*, de duobus fiet una caro.
32. [q] *Sacramentum*, Syr. *arcanum*, Arab. *myſterium. Magnum eſt*, myſterium præcedentibus verbis explicatum, arctiſſima illa conjunctio viri & mulieris, magnæ alicujus ſacræ & arcanæ rei ſignum eſt. *Ego autem dico*, &c. hoc explico & intelligendum doceo de Chriſto & Eccleſia. *In Chriſto*, &c. Syr. *de Chriſto & de Eccleſia*, Arab. *ego autem ſignifico ſermone meo Chriſtum & Eccleſiam.*
33. [r] *Timeat*, Syr. Arab. *revereatur.*
1. [ſ] *In Domino*, propter Dominum, & quantum permittit lex ejus.
2. [t] *In promiſſione*, cui adjuncta ſit promiſſio.
4. [u] *Ad iracundiam provocare*, nimis dure cum illis agendo. *Diſciplina*, &c. ſed moderate caſtigando correctione Chriſtianæ fidei ac doctrinæ conſentanea.
5. [x] *Timore*, reverentiâ, obedientiâ. *Tremore*, ſollicitudine, metu ipſis diſplicendi.
6. [y] *Oculum*, in præſentia tantùm. *Placentes*, placere ſtudentes.
9. [z] *Eadem*, modo & proportione, non opere aut officio; tractantes humaniter ac benigne. *Minas*, Syr. *offenſas.*

Dominus eſt in cœlis ; & perſonarum acceptio non eſt apud eum.

Monet ut quam deſcribit accipiant armaturam militis Chriſtiani adverſus ſpiritus nequam.

10. De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia [a] virtutis ejus.

11. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſùs inſidias diaboli.

12. Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſùs [b] carnem & ſanguinem; ſed adverſùs principes & poteſtates, adverſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus.

13. Propterea accipite armaturam Dei ut poſſitis reſiſtere in die [c] malo, & in omnibus perfecti ſtare.

14. State ergo [d] ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ,

15. Et [e] calceati pedes in præparatione Evangelii pacis:

16. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.

17. [f] Et galeam ſalutis aſſumite; & gladium ſpiritus, (quod eſt verbum Dei.)

18. [g] Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis;

Rogat pro ſe orari.

19. [h] Et pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere myſterium Evangelii.

20. [i] Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam, prout oportet, me loqui.

Tychicum ad ipſos mittens, dona ſalutaria iis precatur.

21. Ut autem & vos ſciatis quæ circa me ſunt quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter in [k] Domino:

22. Quem miſi ad vos ad hoc ipſum, ut cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra.

23. Pax fratribus & charitas cum fide, à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto.

24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in [l] incorruptione. Amen. [m]

10. [a] *Virtutis*, Arab. *roboris*.

12. [b] *Carnem & ſanguinem*, homines ut nos. *Tenebrarum harum*, Syr. *mundi hujus tenebroſi*. Gr. Arab. *tenebrarum hujus ſæculi*. *Spiritualia nequitiæ*, Syr. *ſpiritus malos*. Arab. *ſpirituales*, improbi in cœleſtibus, Syr. *qui ſub cælo ſunt*, Arab. *in æthere*. Æth. *poteſtatibus tenebrarum*, dæmonibus malis qui infra cœlum.

13. [c] *Malo*, periculoſo, ſcilicet tempore tentationis.

14. [d] *Succincti*, velut baltheo militari, refrænantes cupiditates per ſanam doctrinam.

15. [e] *Calceati*, per obedientiam. *Evangelii*, parati ad annuntiandum, ad implendum & pugnandum pro Evangelio. *Pacis*, pacem afferentis.

17. [f] *Galeam ſalutis*, ſalutarem, ſpem ſcilicet, ut dicit, I. Epiſt. ad Theſſ. c. 5.

18. [g] Prædicta implete. *Per omnem*, &c. *In ipſo*, & ad hoc ipſum ut aſſiduè oretis.

19. [h] Æth. *Et pro me ut det mihi ſermonem, & aperiatur os meum, & ut loquar palam*, &c. Ut dum aperio os meum cauſâ Evangelii, detur mihi ſermo, quo liberè & intrepidè annuntiem, &c.

20. [i] Syr. *Cujus legatione fungor in catenis, ut cum fiducia loquar illud prout oportet me eloqui*. Pro quo Evangelio, & ejus promulgatione mihi delegata, hac catena vinctus ſum.

21. [k] *Domino*, Domini negotio.

24. [l] *Incorruptione*, ſincere & pure.

[m] Gr. additur, *Ad Epheſios ſcripta eſt à Roma per Tychicum.*

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

ROmæ ſcripta eſt tempore prioris captivitatis Apoſtoli, anno Chriſti ſexageſimo ſecundo ad Philippenſes, qui primi fuerunt è Macedoniæ provincia Pauli miniſterio ad fidem converſi.

Per Epaphroditum miſſa eſt, cum quo Philippenſes aliquid ſuæ ſubſtantiæ tranſmiſerunt Apoſtolo.

CAPUT I.

[a] *Poſt ſalutationem, gratias agit Deo pro fide Philippenſium, declarans ſuum erga eos affectum.*

1. PAULUS & [b] Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum epiſcopis, & diaconibus.

2. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. Gratias ago Deo meo [c] in omni memoria veſtri.

4. Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens,

5. [d] Super communicatione veſtra in Evangelio Chriſti à prima die uſque nunc.

6. Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in [e] diem Chriſti Jeſu:

7. Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis: [f] eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione & confirmatione Evangelii, ſocios gaudii mei omnes vos eſſe.

8. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo [g] cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.

9. Et hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet [h] in ſcientia, & in omni ſenſu:

10. Ut [i] probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti,

11. Repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei.

12. Scire autem vos volo fratres, quia [k] quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: Oſtendit vincula ſua facere ad profectum Evangelii.

13. Ita ut vincula mea [l] manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus;

14. Et plures è fratribus in Domino [m] confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent ſine timore verbum Dei loqui.

15. Quidam quidem & [n] propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant,

16. Quidam [o] ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Evangelii poſitus ſum.

17. Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincerè, exiſtimantes [p] preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.

18. Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus annuntietur; & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.

19. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſa- Quam utilitatem ſi

[a] Æth. Præfigitur; *Philippenſibus: & ſcripta fuit cùm eſſet in civitate Roma.*

1. [b] *Timotheus*, ſocius non ſcribendæ Epiſtolæ ſed ſalutationi duntaxat. *Epiſcopis*, quo verbo intelligi poſſunt qui in Eccleſiaſtica Hierarchia ſupremi ſunt: hæc enim Epiſtola non ad ſolos Philippenſes miſſa eſt, ſed ſic ad eos, ut vicinis civitatibus quæ ſuos habebant Epiſcopos communicari debuerit, quemadmodum & eam quæ ad Coloſſenſes communicari voluerit Apoſtolus Laodicenſibus.

3. [c] *In omni*, Syr. *ob aſſiduam.* Quoties veſtri recordor, quum in hoc verſu & ſic poſtea ſingulariter loquatur, manifeſtum eſt quòd ipſe ſolus ſcripſerit hanc Epiſtolam.

5. [d] *Super communicatione*, &c. Arab. *propter participationem veſtram*, Æth. *propter perſeverantiam veſtram.* Eſtius, Calmet, & alii interpretes propendere videntur in hunc ſenſum, ut quia in aliis Epiſtolis ſuis, Paulus nomine communicationis intelligat vitæ ſubſidium, ſic hoc loco laudet Philippenſes quòd ipſi vitæ neceſſaria ſubminiſtraverint à primo die converſionis eorum, uſque nunc.

6. [e] *Diem Chriſti*, ſic vocat diem adventus Chriſti ad judicium, quod unicuique erit in morte.

7. [f] *Eò quòd in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Evangelii habeam vos in corde*, vos, inquam, omnes qui eſtis ſocii ceu comparticipes gaudii & gratiæ meæ. *Gaudii*, Syr. Gr. Arab. Æth. *gratiæ*, conſolationis quam habeo in vinculis. Vel, quatenus ſimilia patiebantur, afflictiones & vincula ex Judæorum malitia, licèt in Actis non legatur. Vel, quia neceſſaria ſubminiſtrando, participes meritorum ejus efficiebantur.

8. [g] *Cupiam*, Syr. *amore vos complectar*, Æth. *diligam. Viſceribus*, Æth. *dilectione.*

9. [h] *In ſcientia & in omni ſenſu.* Syr. *in cognitione, omnique intellectu ſpirituali.*

10. [i] *Probetis*, & eligatis, & approbando ſequamini. *Sinceri*, Syr. *puri. Diem Chriſti*, diem adventus Chriſti per mortem.

12. [k] *Quæ circa me ſunt*, Arab. *res meas.* Quæ mihi acciderunt. *Magis ad*, ad majorem.

13. [l] *Manifeſta*, Arab. *celebria. Omni*, Syr. Gr. Arab. Æth. *toto.* Arab. *adeo ut vincula mea propter Chriſtum celebria ſiant in tota æde imperatoris, & apud cæteros homines.* Populum ſcilicet & alios homines urbis qui aulici non ſunt: ſicque per vincula mea nomen Chriſti clareſcit ubique, & eſt occaſio multis oblata inquirendi quod & quale eſſet hoc Evangelium.

14. [m] *Confidentes vinculis meis*, conſtantia in vinculis perferendis.

15. [n] *Propter invidiam*, contra Paulum, cui invidebant gloriam ipſius. *Contentionem*, contendentes mecum de gloria.

16. [o] *Ex charitate*, erga me. *Scientes*, &c. cùm hoc ſciant & videant me vinculis detineri, miniſterium meum ſupplent.

17. [p] *Preſſuram*, quaſi invidus gloriæ eorum, ut qui gloriam Evangelii promulgati, præſertim in urbe Roma, mihi eripere conentur.

non ſpectaret, omni diſſolvi cupere & eſſe cum Chriſto, ſe tamen in carne permanſurum propter ipſos dicit.

lutem, per veſtram orationem, & [a] ſubminiſtrationem Spiritus Jeſu Chriſti,

20. Secundùm expectationem & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.

21. [b] Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

22. [c] Quòd ſi vivere in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro.

23. Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, [d] multò magis meliùs:

24. Permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.

Philippenſes hortatur ad patientiam in certamine pro Chriſto.

25. Et hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, [e] & gaudium fidei:

26. [f] Ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto Jeſu in me, per meum adventum iterùm ad vos.

27. Tantùm dignè Evangelio Chriſti converſamini: ut ſive cùm venero, & videro vos, ſive abſens audiam de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii.

28. Et in nullo terreamini ab adverſariis [g] quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo.

29. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.

30. Idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.

CAPUT II.

Ad mutuam concordiam, humilitatem, & obedientiam hortatur eos exemplo Chriſti, qui humiliatione ſuâ exaltari meruit, &c.

1. [h] SI qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis:

2. Implete [i] gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes.

3. [k] Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes,

4. [l] Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.

5. Hoc enim [m] ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu:

6. Qui cùm in [n] forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:

7. Sed ſemetipſum exinanivit [o] formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

8. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.

9. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi [p] nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

10. [q] Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum;

11. Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Admonet ut cum timore ſalutem ſuam operentur.

12. [r] Itaque Chariſſimi mei, (ſicut ſemper obediſtis) non ut in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.

13. [ſ] Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.

Congratulando hortatur eos ut vitam ſanctam inter malos inſtituant.

14. Omnia autem facite ſine murmurationibus & [t] hæſitationibus:

15. Ut ſitis [u] ſine querela, & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ & perverſæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.

16. Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, [x] quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

17. Sed & ſi immolor [y] ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.

18. Idipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

Timotheū quem laudat promittit ſe ad eos citò miſſurum.

19. Spero autem in Domino Jeſu, Timotheum me citò mittere ad vos, ut & ego bono animo ſim, [z] cognitis quæ circa vos ſunt.

20. Neminem enim habeo [aa] tam unanimem, qui ſincerâ affectione pro vobis ſollicitus ſit.

21. [bb] Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti.

19. [a] *Subminiſtrationem*, Syr. *donationem.*
21. [b] *Mihi vivere Chriſtus eſt*, Æth. *ego ſi vixero Chriſto.* Vitam meam Chriſto conſecravi.
22. [c] *Quod ſi* permanere in hac vita, mihi ceſſurum ſit ad fructum operis, dum labore prædicationis multos ad Chriſtum adduco.
23. [d] *Multò magis meliùs*, Syr. *& hoc longè ſatius mihi fuerit.*
25. [e] *Gaudium fidei*, gaudium ex fide profectum, ſpirituale quod proprium eſt Chriſtianorum.
26. [f] Arab. *Ut augeatur per me gloriatio veſtra de Jeſu Chriſto, mea rurſus apud vos præſentia. Veſtra*, de veſtro profectu. *Per meum adventum*, quum ad vos reverſus fuero, ac videro quantum in Chriſto profeceritis.
28. [g] *Quæ*, Gr. *quod.* Quæ perterritio & moleſtia hoſtium, & hoc à Deo nempe quod patiamini pro Chriſto.
1. [h] Syr. *Itaque ſi habetis conſolationem in Chriſto.* Si mihi vincto & afflicto aliquam vultis afferre conſolationem in negotio Chriſti, ſi quod ſolatium ex charitate profectum a vobis expectari poteſt, &c.
2. [i] *Gaudium*, quod de veſtrâ converſione & profectu concepi.
3. [k] Syr. *Nihil faciatis*, Arab. *nihil fiat.*
4. [l] *Non*, non tantum. *Sed*, ſed etiam.
5. [m] *Sentite*, Gr. Arab. *ſentiatur.* Is enim affectus ſit in vobis qui fuit in Chriſto Jeſu. Syr. *quod & Jeſus Chriſtus.*
6. [n] *Forma*, hic ſumitur pro natura qui cum eſſet Deus, eamdemque cum Deo vitam ageret, non retinuit eam cum Deo æqualitatem tenaciter, ut faciunt rapaces, qui nihil ſibi detrahi patiuntur: ſed ſuâ ſponte factus eſt Deo minor, ſervilemque hominis formam ſumpſit. *Non rapinam, &c.* non uſurpavit rem alienam, aſſerendo ſe æqualem Deo. Vel, & non propter hoc ſe tantopere humiliavit, quaſi alienam gloriam poſſediſſet.
7. [o] *Formam ſervi*, naturam humanam, quæ reſpectu Dei totius creaturæ Domini ſervilis eſt. *In ſimilitudinem hominum factus*, cæteris hominibus ſimilis factus. *Similitudinem*, ſubſtantialem. *Habitu*, Arab. *in figura ſua.*
9. [p] *Nomen*, non nomen Jeſus multò antè illi datum, ſed Dei & filii Dei, quod Deus dicitur ei donaſſe, quando rem nominis fecit innoteſcere, poſt ejus Reſurrectionem & Aſcenſionem.
10. [q] *Ut*, ita ut. *Flectatur*, flectere genu apud Orientales ſignum erat adorationis, ſive venerationis populorum erga reges.
12. [r] Ratio timendi, quia non dependet noſtra ſalus à viribus noſtris.
13. [ſ] Sed à Deo, qui *operatur, &c. Voluntate* Dei.
14. [t] *Hæſitationibus*, Syr. *diſſidiis*, Gr. *diſceptationibus.*
15. [u] *Sine querela*, irreprehenſibiles apud homines.
16. [x] *Quia*, Syr. *quod.*
17. [y] *Supra*, ultra. *Obſequium*, Syr. Arab. *miniſterio.* Etiamſi me contingat immolari Deo per mortem pro Chriſto, inferendam a perſecutore, poſteaquam vos ac fidem veſtram, velut hoſtiam, Deo ſacrificans & miniſtrans, priùs obtulero; non id me contriſtat, ſed magis gaudeo ſpe tanti boni, & vobis congaudeo, qui per fidem efficimini ſacrificium Deo acceptum.
19. [z] *Cognitis*, Syr. *quum didicero*, Gr. *cognoſcens.*
20. [aa] *Tam unanimem.* Syr. *qui pari mecum animo prœditus.* In eo, ſcilicet, quod ſequitur.
21. [bb] *Omnes*, ferè omnes.

Digitized by Google

22. [a] Experimentum autem ejus cognoſcite, quia ſicut patri filius, mecum ſervivit in Evangelio.

23. Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox ut videro [b] quæ circa me ſunt.

24. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito.

Epaphroditum nunc mittit, quem commendat.

25. Neceſſarium autem exiſtimavi, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem [c] Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos.

26. Quoniam quidem [d] omnes vos deſiderabat: & mœſtus erat, propterea quòd audieratis illum infirmatum.

27. Nam & infirmatus eſt uſque ad mortem; ſed Deus miſertus eſt ejus: non ſolùm autem ejus, verùm etiam & mei: ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.

28. Feſtinantiùs ergo miſi illum, ut viſo eo iterùm gaudeatis, & ego ſine [e] triſtitia ſim.

29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & [f] ejuſmodi cum honore habetote.

30. Quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, [g] tradens animam ſuam ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium.

CAPUT III.

Oſtendit ſe gloriari poſſe in carne, ſed quæ fuerunt ei lucra propter Chriſtum arbitrari detrimenta, ut aſſequatur juſtitiam quæ ex fide eſt Chriſti.

1. De cætero fratres mei [h] gaudete in Domino. Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.

2. [i] Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.

3. Nos enim ſumus [k] circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes:

4. Quanquam ego [l] habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis,

5. Circumciſus octavo die, ex genere Iſraël, de tribu Benjamin, [m] Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus,

6. Secundùm [n] æmulationem, perſequens Eccleſiam Dei, ſecundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querela.

7. [o] Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.

8. [p] Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.

9. [q] Et inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.

Semper proficit ut tandem perfectionem aſſequatur.

10. [r] Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius; configuratus morti ejus:

11. [ſ] Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.

12. [t] Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quomodo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu.

13. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. [u] Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum.

14. Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.

Ad perfectionem & ſui imitationem hortatur.

15. Quicumque ergo [y] perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.

16. [z] Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.

17. Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, [aa] ſicut habetis formam noſtram.

22. [a] *Experimentum cognoſcite*, noſtis experientiâ. *Cognoſcite*, Syr. Arab. *noſtis*. *Quia ſicut patri filius*, Syr. *qui tanquam filius cum patre ſuo*.
23. [b] *Quæ circa me ſunt*, Arab. *quo ſe vertent res meæ ex præſenti ſtatu*.
25. [c] *Apoſtolum*, quia per eum Philippenſes miſerant Paulo ſubſidia neceſſaria in carceratione ſua. *Miniſtrum neceſſitatis meæ*, qui que mihi ſubminiſtrat in neceſſitate mea.
26. [d] *Omnes vos deſiderabat*, Syr. *percupiebat vos omnes inviſere*.
28. [e] *Triſtitia*, de triſtitia veſtra.
29. [f] *Ejuſmodi*, Syr. *qui ſunt hujuſmodi*, Æth. *tales*.
30. [g] *Tradens animam ſuam*, Arab. *non habitâ ratione animæ ſuæ, ut impleret*. Syr. Arab. Æth. *suppleret*. Ut quoniam vos abſentes non poteſtis mihi miniſterium præſentes exhibere, ipſe legatus veſter hunc defectum ſuppleret, mihi pro vobis miniſtrans. *Erga meum obſequium*, Syr. *in veſtro erga me miniſterio*.
1. [h] *Gaudete*, abjicite mœrorem de meis vinculis, ſive de periculo Epaphroditi, aut de veſtris afflictionibus.
2. [i] *Videte*, Syr. Arab. Æth. *cavete*. *Canes*, impuros & impudentes homines, contra veritatem latrantes. *Conciſionem*, Syr. additur: *carnis*, Arab. *homines circumciſos*.
3. [k] *Circumciſio vera*, interius circumciſi, & in quibus ſpiritualis ſignificatio circumciſionis impletur. *Carne*, carnalibus obſervantiis legis, & in rebus carnalibus, velut eſſe circumciſum, Iſraëlitam, & cætera quæ ſequuntur.
4. [l] *Habeam confidentiam*, Syr. *ſit mihi fiducia*. Habere poſſim confidentiæ materiam.
5. [m] *Hebræus ex Hebræis*, multi Judæorum in varias orbis partes diſperſi linguæ propriæ peritiam amiſerant, quam tamen alii retinuerant, ex quorum numero & Paulus & parentes ejus.
6. [n] *Æmulationem*, Gr. Syr. Arab. Æth. *zelum*. Judaiſmi ſcilicet.
7. [o] Sed quæ tunc meâ & aliorum opinione, erant utilia tanquam veræ juſtitiæ opera, ea propter Chriſtum, & ut illum lucrifaciam, damni & detrimenti loco duxi.
8. [p] *Verumtamen*, Syr. *enimverò*, Gr. *ſed profectò*, Arab. Æth. *quin etiam propter eminentem ſcientiam*, Syr. *præ dignitate ſcientiæ*.
9. [q] *Et inveniar*, &c. & ſim in Chriſto non habens juſtitiam quæ à meipſo ſit, nam minimam quæ ex ſola legis notitia habetur, ſed illam quæ eſt per fidem quâ in Chriſtum creditur, quæ à Deo autore eſt & fundatur in fide. Sic per Hyperbaton ordinari poſſunt verſus iſti. *Et inveniar in illo configuratus* [ſimilis] *morti ejus ſi quomodo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis*, (in die judicii) *non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide* [vera juſtitia quo fides tendit] *Ad cognoſcendum illum & virtutem reſurrectionis ejus*. Et (habendam) *ſocietatem paſſionum illius*, nempe, ut ſimilia patiamur.
10. [r] Syr. *Ut per eam cognoſcam Jeſum, & virtutem reſurrectionis ejus, ac particeps ſiam paſſionum ejus*, & conformis ſiam morti ipſius. Quâ afflictionum & paſſionum communicatione conformis efficior morti ejus.
11. [ſ] *Si quomodo occurram*, Syr. *ſi fortè poſſim pervenire*, Æth. *ſi ita fiat ut conſequar*. Agit de reſurrectione electorum.
12. [t] *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim*: referuntur hæc verba ad ſuperiora, quibus expoſuerat fructum quem ex abjecto Judaiſmo conſequebatur. Unde ſenſus eſt, hæc non commemoravi, quòd jam totum fructum, qui in hac vita haberi poteſt, acceperim, aut quod jam perfectus ſim vitâ & cognitione, ita ut ad præmium capiendum nil mihi deſit, nec ultra proficere debeam, ſed ad perfectionem totis viribus curro, ut illam, ſi queam apprehendam. *In quo*, &c. ſicut aliquando aberrans, comprehenſus ſum à Chriſto, per gratiam ejus prævenientem.
13. [u] *Unum autem*, Syr. *unum ſcio*, unum illud ago.
14. [x] *Deſtinatum*, Syr. *metam*, Gr. *ſcopum*. *Bravium*, Syr. *præmium*. *In Chriſto Jeſu*, Syr. Arab. Æth. *per Jeſum Chriſtum*.
15. [y] *Perfecti*, intelligentiâ rerum divinarum cæteris præſtamus, & perfecti putamur. *Sentiamus*, nos nondum apprehendiſſe perfectionem completam. *Hoc revelabit*, quod modo ſentiendum dixi.
16. [z] *Verumtamen*, &c. interim quantùm ad id quod de rebus divinis jam aſſecuti ſumus, hortor vos omnes, eâdem regulâ doctrinæ & fidei incedere, & idem ſapere, id eſt, concordes eſſe. Ratio eſt, quia qui permanet in eo quod accepit cum amore pacis & fraternitatis, meretur amplius illuſtrari.
17. [aa] *Sicut habetis formam noſtram*, Syr. *juxta ſimilitudinem quam in nobis videtis*, Æth. *ſicut vidiſtis nos*.

In judaizantes pſeudo-Apoſtolos acrius invehitur.

18. Mulri coim ambulaor, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) [a] inimicos crucis Chriſti.

19. Quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.

Ad cœleſtia ſperanda & ſapienda admonet Philippenſes.

20. Noſtra autem [b] converſatio in cœlis eſt: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,

21. Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, [c] configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem, quâ etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia.

CAPUT IV.

Quibuſdam verſ. 2. & 3. præmiſſis, hortatur eos ad perſeverantiam, modeſtiam, gaudium ſpirituale, & ea quæ ſunt pietatis ut aſſiduè cogitent.

1. ITaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea: ſic ſtate in Domino, chariſſimi.

2. Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, [d] idipſum ſapere in Domino.

3. Etiam rogo & te [e] Germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.

4. [f] Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete.

5. [g] Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus propè eſt.

6. Nihil ſolliciti ſitis: ſed in [h] omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

7. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras, [i] in Chriſto Jeſu.

8. De cætero fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque [k] amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.

9. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum.

Laudat eos quòd neceſſitati ſuæ ſubvenerint, quòd ipſis in fructum & lucrum ſpirituale ceſſurum eſt.

10. Gavisus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando [l] refloruiſtis pro me ſentire: ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis.

11. [m] Non quaſi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.

12. Scio & [n] humiliari, ſcio & abundare; (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.

13. [o] Omnia poſſum in eo, qui me confortat.

14. Verumtamen bene feciſtis [p] communicantes tribulationi meæ.

15. Scitis autem & vos Philippenſes, quòd [q] in principio Evangelii, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli.

16. Quia & Theſſalonicam ſemel & bis [r] in uſum mihi miſiſtis.

17. Non quia quæro datum, ſed requiro [ſ] fructum abundantem in ratione veſtra.

18. [t] Habeo autem omnia & abundo: repletus ſum acceptis ab Epaphrodito quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.

Bene iis precatur.

19. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundùm divitias ſuas, [u] in gloria, in Chriſto Jeſu.

20. Deo autem & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

21. Salutate omnem ſanctum in Chriſto Jeſu.

22. Salutant vos qui mecum ſunt, fratres. Salutant vos omnes ſancti, maximè autem qui de [x] Cæſaris domo ſunt.

23. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen. [y]

18. [a] *Inimicos crucis Chriſti*, pſeudo-Apoſtoli, qui juſtitiam ex lege quærendam prædicant.
20. [b] *Converſatio*, Æth. *civitas*. In qua ut cives converſamur.
21. [c] *Configuratum corpori*, Syr. *ut ſit in ſimilitudinem corporis. Claritatis ſuæ*, glorioſo. *Secundum operationem*, Syr. *pro magna virtute ſua. Quâ poſſit ſubjicere*, Syr. *quâ ſubjecit.*
2. [d] *Idipſum ſapere*, ut ſint concordes.
3. [e] *Germane compar*, Gr. Æth. *ſocie*, ſincere collega. *Illas*, jam dictas. *Quæ mecum laboraverunt*: in Græcia, feminæ clauſæ erant gynæceis: unde liber & facilis aditus ad eas viris non erat: atque ideo feminæ per feminas primâ Chriſtianiſmi cognitione imbui, & ſic ad Eccleſias pertrahi debebant. *Cum Clemente*, &c. vocat ſocios laboris Evangelici. *Libro vitæ*, ſic vocat Dei notitiam quâ firmiter in mente retinet quos ad prædeſtinationem vocavit.
4. [f] *Gaudete*, recolentes animo ineſtabile beneficium vocationis veſtræ, quod erit magnum ſolatium in perſecutionibus: poteſt etiam hoc exponi tanquam ſalutationem & ſupremum vale.
5. [g] *Modeſtia*. Syr. Arab. *manſuetudo. Dominus propè eſt*, citò veniet tempus retributionis in Domino.
6. [h] *Omni*, in Græco neutrum eſt, alia verò verba feminina: undè ſic debet reddi, in omni negotio.
7. [i] *In Chriſto*, per Chriſtum.
8. [k] *Amabilia*, talia per quæ ſitis hominibus amabiles. *Si qua virtus*, Arab *ſi quam*, &c. Quæ virtutis ſunt. *Laus diſciplinæ*, diſciplina morum laudabilis, Arab. *ſi quam habetis virtutem*, ſi quâ laude præditi eſtis.
10. [l] *Refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis*, Syr. *vos ſubiere ſollicitudo de me, quemadmodum & ſolliciti fuiſtis. Refloruiſtis*, vel ut, per ariditatem, aut poſt hiemem reviveſcentes, more arboris. *Pro me ſentire*, meæ inopiæ compati & ſuccurrere. *Occupati autem eratis*, Gr. *verum deerat opportunitas.*
11. [m] Syr. *Non quod penuriam paſſus ſim, id dico, didici enim ut ſufficiat mihi id quod habeo.*
12. [n] *Humiliari*, tenuiter agere, & rerum ad vitam neceſſariarum anguſtiam pati.
13. [o] *Omnia*, hæc.
14. [p] *Communicantes*, ſubvenientes, veſtra communicando.
15. [q] *In principio Evangelii*, cum primum Evangelium ſevi in Macedonia.
16. [r] *In uſum*, quod opus erat.
17. [ſ] *Fructum abundantem in ratione veſtra*, Syr. *ut fructus multiplicentur vobis*: non hæc dico tanquam requirens ut adhuc ſimilia mihi præſtetis, ſed requiro fructum accreſcentem rationibus veſtris: alludit enim ad rationes pecuniarias. Si enim quid a vobis accipio, hoc cedit in lucrum veſtrum ſpirituale apud Deum.
18. [t] *Habeo*, Syr. *recepi*, Gr. Arab Æth. *accepi.*
19. [u] *In gloria*, glorioſè. *In Chriſto*, Arab *per Chriſtum.* Deus meus ditiſſimus compenſabit beneficium, &c.
22. [x] *Cæſaris*, Neronis.
23. [y] Syr additur: *Epiſtola ad Philippenſes è Roma ſcripta, miſſa verò per Epaphroditum. Finis.*

Digitized by Google

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Coloſſenſes inſtituti fuerant in fide ab Epaphra, qui ſuperveniens cùm prædicaret Archipus, illorum Epiſcopus, & hujus prædicationem confirmans, pſeudo-Apoſtoli aſſerentes legalia ſimul cum Evangelio obſervanda, & Simoniani, ut credibile eſt, perſuadentes ipſis acceſſum habendum ad Deum non per Filium, ſed per angelos, ut per quos antiquitus omnia geſta legantur, Filium autem Dei majorem eſſe, quàm ut eo mediatore & interceſſore uti nobis liceat, dubitantibus Coloſſenſibus Paulus hanc Epiſtolam ſcripſit.

Scripta eſt non Epheſi ſed Romæ, circa annum Chriſti ſexageſimum ſecundum, cùm Paulus in primis vinculis eſſet, quorum in hac Epiſtola meminit. Miſſa verò per Tychicum diaconum & Oneſymum Acolytum, quem Romæ in vinculis Chriſto genuerat.

Coloſſis urbs erat in Phrygia, parte Aſiæ Minoris, ad quam urbem Paulus nunquam acceſſit.

CAPUT I.

a Præmiſſa ſalutatione, gratias agit Deo de Coloſſenſium fide, ſimul orans ut ejuſdem complementum accipiant.

1. PAULUS, Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater:

2. Eis, qui ſunt Coloſſis, ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Jeſu.

3. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. Gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, [b] ſemper pro vobis orantes:

4. Audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, [c] & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes,

5. [d] Propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cœlis: quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii:

6. Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex ea die quâ audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei [e] in veritate,

7. Sicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Jeſu,

8. Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram [f] in ſpiritu.

9. Ideò & nos ex qua die [g] audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu ſpiritali:

10. Ut ambuletis digne [h] Deo per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei:

11. [i] In omni virtute confortati ſecundùm potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio,

12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit [k] in partem ſortis ſanctorum in lumine:

13. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii [l] dilectionis ſuæ;

14. [m] In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum: Chriſti prædicat excellentiam & primatum ſuper omnia; & hoc contra Simonianos, qui angelos dicebant mediatores inter Deum & homines.

15. Qui eſt [n] imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ:

16. Quoniam [o] in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive prin-

a Æth. præfigitur: *Coloſſenſibus, & ſcripta fuit quum eſſet civitate Roma.*

3. [b] *Semper pro vobis*, referendum, *ad gratias agimus.*

4. [c] *Dilectionem*, non loquitur de ſolo dilectionis affectu, qui facilè pertingit ad omnes, ſed de effectu & opere, maxime quoad ſubventionem inopiæ.

5. [d] Caſtalio, propterea quæ vobis in cœlis repoſita ſperantur, quæ antè audiviſtis in vera Evangelii oratione.

6. [e] *In veritate*, vere & ex animo.

8. [f] *In ſpiritu*, ſpiritualem.

9. [g] *Audivimus*, hæc bona de vobis. *Orantes & poſtulantes*, Syr. *orare & petere. Ejus*, Syr. *Dei.*

10. [h] *Deo*, non regitur a verbo *placentes*, ut patet ex Græco, ſed à verbo *digne*, ut vivatis digne Domino ſicut decet Chriſti fideles, ita ut ipſi per omnia placeatis.

11. [i] Precor ut contra tentationes & impugnationes adverſariorum magnâ virtute corroborati, juxta potentiam glorioſam Dei.

12. [k] *In partem*, ad habendam participationem. *In lumine*, illuminando nos, per lumen fidei.

13. [l] *Dilectionis*, Syr. Arab. Æth. *dilecti.*

14. [m] *In quo*, Syr. *per quem.*

15. [n] *Imago*, non ad imaginem, eſt enim perfectiſſima Dei ſimilitudo. *Primogenitus*, ante omnem creaturam ab æterno genitus.

16. [o] *In ipſo*, Syr. *per quem*, Arab. Æth. *per eum omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*. Arab. *omnes creaturæ per eum conditæ ſunt, & ab eo pendent. Per ipſum*, propter ipſum. *In ipſo*, Gr. *in ipſum*. Oſtendere vult contra pſeudo-Apoſtolos, qui cultum angelorum ingebant, Chriſtum ſolum eſſe colendum, non angelos.

Digitized by Google

ciparus, ſive poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt;

17. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia [a] in ipſo conſtant.

18. [b] Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.

19. Quia in ipſo [c] complacuit, omnem plenitudinem inhabitare:

Chriſtus omnes homines, & Coloſſenſes etiam Petri reconciliavit.

20. Et per eum reconciliare omnia [d] in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.

21. Et vos cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici [e] ſenſu in operibus malis:

22. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis [f] ejus per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo:

23. Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles, & immobiles à [g] ſpe Evangelii, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ſum ego Paulus miniſter.

Se declarat Chriſti miniſtrum ad fidei myſterium palàm faciendum Gentibus.

24. Qui nunc gaudeo [h] in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia:

25. Cujus factus ſum ego miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi [i] in vos ut impleam verbum Dei.

26. [k] Myſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus,

27. Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ [l] ſacramenti hujus in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ,

28. Quem nos annuntiamus, [m] corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem, perfectum in Chriſto Jeſu.

29. [n] In quo & laboro, certando ſecundùm operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

CAPUT II.

Admonet Coloſſenſes ut ſibi caveant ab impoſturis Philoſophorum, aut perſuaſionibus legem inducere volentium, quibus abducerentur à Chriſti fide.

1. VOlo enim vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne.

2. [o] Ut conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterii Dei Patris & Chriſti Jeſu:

3. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.

4. Hoc autem dico ut nemo vos decipiat in [p] ſublimitate ſermonum.

5. Nam & ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & [q] firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.

6. Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate,

7. Radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in [r] illo in gratiarum actione.

8. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm [s] traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum:

9. Quia in ipſo inhabitat omnis [t] plenitudo divinitatis corporaliter:

Dicit Chriſtum in cruce, de ero peccato de diabolo triumphaſſe.

10. Et eſtis [u] in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis:

11. In quo & [x] circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti.

12. [y] Conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum a mortuis.

13. Et vos, cùm mortui eſſetis in delictis, & [z] præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta.

17. [a] *In ipſo*, Syr. Arab. *per eum.*

18. [b] Prius expoſuit ea quæ ad ſuperiorem Chriſti naturam pertinent, nunc proſequitur humanæ ejus naturæ dignitatem. *Principium*, quia *caput Eccleſiæ*, vel quia eſt primitiæ dormientium vide 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 15. *Primogenitus ex mortuis*, non quòd primus hominum reſurrexerit, nam, &c. ſed quia primus reſurrexit ad immortalitatem.

19. [c] *Complacuit*, Syr. *voluit ille.* Complacitum eſt Patri. *Omnem plenitudinem inhabitare*, Arab. *ut tota perfectio inhabitaret.*

20. [d] *In ipſum*, Syr. Arab. *ſibi.* Erga ſe. *Pacificans*, *&c.* quia peccatum, quod erat inimicitiæ cauſa inter angelos & homines, morte Chriſti deletum eſt, ſicque reconciliavit eos inter ſe, univendo eas tanquam unum corpus in uno capite Chriſto.

21. [e] *Senſu*, Gr. Arab. *mente*, Syr. *mentibus veſtris propter mala opera veſtra.*

22. [f] *Ejus*, Syr. Æth. *ſui.* *Exhibere*, Syr. *ut ſiſtat*, Arab. *ſiſteret*, exhiberet.

23. [g] *Spe Evangelii*, ſpe bonorum ab Evangelio promiſſorum. *In univerſa creatura*, longe lateque, non ſolis Judæis, ſed etiam Gentibus.

24. [h] *In paſſionibus pro vobis*, adeo vera eſt ſpes Evangelii hujus quod prædico, ut pro ea non dubitem pati quæ me adverſa propter veſtram & Gentium ſalutem. *Deſunt*, non quòd Chriſtus ſatis ſufficienterque non ſit paſſus ad redemptionem humani generis. Hoc enim dicere impium, ſed ſenſus eſt ac ſi diceret, Chriſtum qui ſemel paſſus eſt in ſeipſo, debere adhuc pati in membris ſuis, quarum paſſionum partem ſuam implet Paulus. multa enim adhuc facienda ſuperſunt, ut paſſionis Chriſti valor ſingulis ejus membris actu applicetur.

25. [i] *In vos*, Syr. *inter vos*, Arab. *propter vos.* Gentes. *Impleam verbum Dei*, omnia loca & homines, quibus plane illud annuntiem impleam verbo fidei.

26. [k] *Myſterium*, vocationis Gentium & diſpenſationis Chriſti.

27. [l] *Sacramenti*, Syr. *arcani*, myſterii. *In Gentibus*, Syr. Arab. *inter Gentes. In vobis ſpes gloriæ*, per quem ſperatis vos gloriam conſequuturos.

28 [m] *Corripientes*, Arab. *admonentes. In omni ſapientia*, in perfecta cognitione Dei, & myſteriorum ejus. *Exhibeamus*, Arab. *reddamus.*

29. [n] Caſtalio; in quod elaboro ejus vi certando, quæ fortiter in me viget.

2. [o] Syr. *Ut cum charitate accedant ad omnem opulentiam perſuaſionis, & ad intelligentiam cognitionis arcani Dei Patris & Chriſti. Plenitudinis intellectus*, plenæ & perfectæ cognitionis per fidem.

4. [p] *Sublimitate*, Gr. *ſuaſibilitate.*

5. [q] *Firmamentum*, Æth. *firmitatem*, ſoliditatem.

7. [r] *Illo*, Syr. Gr. *ea. In gratiarum*, Syr. Æth. *cum gratiarum.*

8 [s] *Traditionem*, *&c.* Syr. *doctrinam*, Arab. *monumentis humanam conſonam*, *elementis mundi congruentem non Chriſto conformem.* Adverſus Simonianos agit, qui de Deo, Chriſto, & aliis myſteriis diſſerebant, ſecundum naturalem ordinem.

9. [t] *Plenitudo divinitatis*, plena deitas. *Corporaliter*, per unionem divinitatis cum corporea ſubſtantia.

10. [u] *In illo*, per illum. *Repleti*, Arab. Æth. *perfecti.* Repleti ſcient à aliiſque donis ſpiritualibus, ideoque non debetis curioſam & noxiam philoſophorum ſcientiam ſectari.

11. [x] *Circumciſione Chriſti*, ſecundum Chriſti fidem, minuendo concupiſcentias. Agit nunc contra doctores Judaicos.

12. [y] Syr. *Et ſepulti eſtis cum eo per baptiſmum, in quo & ſimul cum eo reſurrexiſtis, qui credidiſtis in virtute Dei, qui excitavit eum a mortuis. In quo & reſurrexiſtis*, per quem baptiſmum novam vitam adepti eſtis. *Operationis*, potentiæ Dei quâ Chriſtum ſuſcitavit. Docet quæ ſit circumciſio Chriſtiana, quæ conſiſtit in renovatione hominis per baptiſmum & remiſſionem peccatorum.

13. [z] *Præputio carnis veſtræ*, per concupiſcentiam, & opera carnis præputio ſignificata.

14. [a] Delens

Digitized by Google

14. [a] Delens quod adverſùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.

15. Et expolians [b] principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo.

Avocat eos ab obſervationibus legalibus, & a falſa angelorum religione.

16. Nemo ergo vos [c] judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum:

17. Quæ ſunt [d] umbra futurorum: corpus autem Chriſti.

18. [e] Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.

19. Et [f] non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.

20. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo [g] decernitis?

21. Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque [h] contrectaveritis:

22. Quæ ſunt omnia in interitum [i] ipſo uſu, ſecundùm præcepta & doctrinas hominum:

23. [k] Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

CAPUT III.

Varia tradit præcepta moralia, quorum diviſio facilis eſt.

1. IGitur [l] ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens:

2. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.

3. [m] Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.

4. Cùm Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.

5. [n] Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus:

6. Propter quæ [o] venit ira Dei ſuper filios incredulitatis:

7. In [p] quibus & vos ambulaſtis aliquando, cùm viveretis in illis.

8. Nunc autem deponite & vos [q] omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.

9. Nolite mentiri invicem, [r] expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis,

10. [ſ] Et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum.

11. Ubi non eſt Gentilis, & Judæus, circumciſio, & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber: ſed [t] omnia & in omnibus Chriſtus.

12. Induite vos ergo ſicut electi [u] Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam:

13. Supportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſùs aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.

14. Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis,

15. Et pax Chriſti [y] exultet in cordibus veſtris: in qua & vocati eſtis in uno corpore: & grati eſtote.

16. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes, & commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in [z] gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.

17. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.

14. [a] Æth. *Et delevit pro nobis Scripturam debiti noſtri in decreto quod erat contra nos. Chirographum*, legem veterem intelligit. *Decreto*, legem novam virtute legis veteris. Judæi omnes mortis erant rei, quam per Evangelium abrogavit, ſecum illam affigens cruci.

15. [b] *Principatus & poteſtates*, adverſarias, hoc eſt, dæmones exutos ac ſpoliatos imperio quod habebant in homines, ſpectandos palam exhibuit in triumpho quem de iis egit, victoria ſuis viribus ſanguineque parta.

16. [c] *Judicet*, Syr. *moleſtiam exhibeat*, Arab. *damnet*. Quaſi culpæ reos tanquam de lege violata. *Parte*, Syr. *partitionibus*. Vicibus feſtorum neglectis.

17. [d] *Umbra*, obſcuræ ſignificationes rerum futurarum. *Corpus autem*, cujus illa ſunt umbra. *Chriſti* eſt, hoc eſt, veritas illorum ſignorum in Chriſto impletur.

18. [e] Syr. *Ne quis porrò velit cum humilitate mentis vos reos efficere ut ſiatis ſervi cultus angelorum, dum innititur iis quæ non vidit, & fruſtratur geſtit mente carnis ſuæ.* Cavete ne quis vos decipiat per affectatam humilitatem & religionem angelorum. Agit contra illos qui ex ethnica philoſophia, quæ de geniis ut minoribus ingenuis inanites multa contemplatur, cultum eorum introducere conabantur ſub nomine angelorum, docentes nos mediantibus angelis purgari oportere: horum igitur affectata & perverſa humilitas in eo erat quod cultu quodam religionis ſubmitterent ſe iis quibus & quomodo non deberent. *Quæ non vidit ambulans*, ſequens ſomnia ſua de rebus nunquam viſis. *Fruſtra inflatus*, &c. cum falſa ſit ſcientia quam jactat: hæc omnia quadrant optime in Simonianos & Æcatharinos.

19. [f] *Non tenens caput*, Chriſto non inhærens. *In augmentum Dei*, per Deum augeſcere facientem.

20. [g] *Decernitis*, Gr. *dogmatizamini*, Arab. *dogmata ipſius tenetis*, Æth. *operamini*. Quandoquidem mortui eſtis Chriſto per baptiſmum, ita ut ſicut ille ſecundum carnem mortuus eſt, ſic & vos non ſolùm peccatis, ſed etiam elementis mundi, id eſt, quibuſcumque carnalibus inſtitutis, quales ſunt ceremoniæ judaicæ mortui ſitis. Quid quaſi adhuc effetis obnoxii elementis mundi, more puerorum rudimentariorum, ſinitis vobis præcipi, &c.

21. [h] *Contrectaveritis*, Arab. *acceſſeris*, lege prohibitâ: hæc refert tanquam verba pſeudo-Apoſtolorum.

22. [i] *Ipſo uſu*, utentibus ſi credant ad ſalutem neceſſaria. *Secundùm præcepta*, &c. quia a Phariſæis, qui multa legi addiderant, ſervari jubentur, licet tunc à Chriſto abrogata.

23. [k] Syr. *Et videntur habere rationem ſapientiæ in ſpecie humilitatis & timoris Dei, neque parcunt corpori, non in eo quod honeſtum eſt, ſed in iis quæ uſus ſunt carnis.* Verba hæc de vitioſa religione & abſtinentia exponenda ſunt. Habent enim hæc præcepta apparentiam ſapientiæ, propter affectatum cultum & fictam humilitatem, non enim parcunt corpori, quin potiùs honorem, id eſt, ſuſtentationem debitam, &c. ipſi ſubtrahunt. Agit autem de illis obſervantiis prout a Phariſæis rigide exigebantur. Si verò ut arbitraria conſiderentur, poſſunt ſapienter exerceri. ſi per humilitatem & devotionem obſerventur, ad mortificationem corporis, modò in his exercitiis fides nimia non ponatur.

1. [l] *Si*, non dubitantis ſed aſſerentis particula, quandoquidem. *Conſurrexiſtis*, per baptiſmum mortui eſtis legi, igitur ſuſcitati eſtis cum Chriſto.

3. [m] *Mortui enim eſtis*, rebus mundanis ac vanis. *Et vita veſtra*, ſpiritualis quâ vivitis. *Cum Chriſto abſcondita eſt*, ab oculis & ſenſibus corporis apud Deum.

5. [n] Æth. *Mortificate corpora veſtra ſuper terram*, à *ſcortatione*, &c. *Servitus*, Arab. *cultus*.

6. [o] *Venit*, venire ſolet. *Incredulitatis*, Arab. *contumaces*.

7. [p] *Quibus*, vitiis.

8. [q] *Omnia*, Syr. Arab. *hæc omnia*. *Blaſphemiam*, Arab. *maledicentiam*. Magis reſpicit Apoſtolus ad eam quæ fit in homines, quam quæ in Deum.

9. [r] *Expoliantes*, Syr. *ſed exuite*.

10. [ſ] Syr. *Et induite novum qui renovatur per cognitionem & ſimilitudinem conditoris ſui. Agnitionem*, veritatis.

11. [t] *Omnia*, tum meritorie, tum efficienter.

12. [u] *Dei*, a Deo.

14. [x] *Vinculum perfectionis*, perfectiſſimum vinculum uniens omnes fideles, & in ſe colligens omnem virtutem.

15. [y] *Exultet*, prævaleat. *In qua*, Gr. *in quam*, Syr. Arab. *ad quam*. *Grati*, beneficiorum memores.

16. [z] *Gratia*, gratificante & a Spiritu ſancto donata.

18. Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino.

19. Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.

20. Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in [a] Domino.

21. Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non [b] puſillo animo fiant.

22. Servi obedite per omnia dominis carnalibus non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum.

23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus.

24. Scientes quòd à Domino accipietis retributionem [c] hæreditatis. Domino Chriſto ſervite.

25. Qui enim injuriam facit, recipiet [d] id quod iniquè geſſit: & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.

CAPUT IV.

Hortatur eos ut inſtent orationi, ac ſimul pro ſe orent.

1. Domini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate: ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo.

2. Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione:

3. Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus [e] aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod etiam vinctus ſum.)

4. Ut manifeſtem illud ita ut oportet me loqui.

Hortatur ut circumſpecte inter Gentes verſentur.

5. In ſapientia ambulate [f] ad eos qui foris ſunt, tempus redimentes.

6. Sermo veſter ſemper in gratia [g] ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.

Miſſos dicit qui manifeſtent quæ apud ipſum geruntur.

7. Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſervus [h] in Domino:

8. Quem miſi ad vos ad hoc ipſum, ut cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra,

9. Cum Oneſimo chariſſimo & fideli fratre, qui ex vobis eſt. Omnia quæ hic aguntur nota facient vobis.

Salutationibus claudit epiſtolam.

10. Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & [i] Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata: ſi venerit ad vos, excipite illum:

11. Et Jeſus, qui dicitur juſtus: qui ſunt ex circumciſione: hi [k] ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio.

12. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſollicitus pro vobis in orationibus, [l] ut ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.

13. Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habet multum [m] laborem pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.

14. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas.

15. Salutate fratres qui ſunt Laodiciæ, & [n] Nympham, & quæ in domo ejus eſt, Eccleſiam.

16. Et cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur: & eam, [o] quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.

17. Et [p] dicite Archippo, vide miniſterium quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.

18. [q] Salutatio mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum. Amen.

20. [a] *In Domino*, Syr. *coram Domino*, Æth. *apud Deum*.
21. [b] *Puſillo animo fiant*, Syr. *angoribus conficiantur*.
24. [c] *Hæreditatis*, nam merces & cœleſtis hæreditas. *Domino Chriſto ſervite*, Gr. *nam Domino Chriſto ſervitis*.
25. [d] *Id*, ſecundùm id. *Et non*, quia non. Hæc ad dominos dicta, ad ſervos dicuntur alii.
3. [e] *Aperiat oſtium*, auferat impedimentum.
5. [f] *Ad*, Syr. Arab. *erga*. *Eos qui foris ſunt*, Syr. *extraneos*. Infideles. *Redimentes*, &c. Vide verſ. 16. cap. 15. ad Epheſios. Quæ emuntur chara ſunt, ideoque damus operam ut ea diligenter ſervemus, neve iis abutamur, hoc eſt, toto tempore bene uti, &c.
6. [g] *Sale*, Syr. *tanquam ſale*. Sermo ſit gratus & prudens.
7. [h] *In Domino*, in rebus Domini.
10. [i] *Marcus*, dictus Joannes, Act. cap. 12. *Conſobrinus Barnabæ*, ut eum diſtinguat ab Evangeliſta. *Mandata*, Arab. *commendationes*. Litteras commendatitias ſeu teſtimoniales ab Eccleſia Romana.
11. [k] *Soli*, quoad Judæos converſos; vel, fere ſoli.
12. [l] *Ut ſtetis*, &c. ut perfectè ſtudeatis implere voluntatem Dei, atque in eo ſtudio perſeveretis.
13. [m] *Laborem*, Syr. Gr. Arab. *zelum*, Æth. *multum diligit vos*.
15. [n] *Nympham*, nomen viri. *Ejus*, enim quod ſequitur eſt in Græco generis maſculini. *In domo ejus*, *Eccleſiam*, fidelem familiam, vel, domum ſuam dederat in quam convenirent Fideles.
16. [o] *Quæ Laodicenſium eſt*, Syr. *quæ ſcripta eſt è Laodicea*. Loquitur Apoſtolus de Epiſtola ab ipſis Laodicenſibus ſcripta, quam legi vult apud Coloſſenſes ut per eam excitentur ad majorem fidei & charitatis fervorem ſicut tamen quidam interpretes qui illam a Paulo ſcriptam dicant. Quæ autem nunc in manibus eſt ſuppoſititia eſt aliena a ſpiritu & more ſcribendi Paulino.
17. [p] *Dicite*, meo nomine. *Archippo*, Archippus ille ab Epaphra diſcedente curam illius Eccleſiæ, cujus preſbyter erat, acceperat.
18. [q] *Salutatio mea manu Pauli*, vide finem I. ad Corinthios. Græce additur: *Ad Coloſſenſes ſcripta eſt à Roma per Tychicum & Oneſimum*.

Digitized by Google

IN PRIMAM EPISTOLAM
AD THESSALONICENSES.

PAulus Theſſalonicæ prædicavit anno Chriſti quinquageſimo primo, à qua diſcedere illi neceſſe fuit propter perſecutionem, ſed anno ſequente Theſſalonicenſibus ſcripſit è Corinthio.

Hanc primam eſſe inter Epiſtolas Pauli conſentiunt omnes.

CAPUT I.

[a] *Salutatione præmiſſâ, congratulatur Theſſalonicenſibus quòd ſuſceptam fidem ita ſervaverint, ut forma facti reliquis credentibus, ab iis in alias regiones ſermo Domini divulgaretur.*

1. PAULUS, & [b] Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium, in Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.

2. Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo ſemper [c] pro omnibus vobis, memoriam veſtrî facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione.

3. Memores [d] operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & patrem noſtrum.

4. Scientes fratres dilecti à Deo electionem veſtram.

5. Quia [e] Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos.

6. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum [f] in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti:

7. Ita ut [g] facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia.

8. A vobis enim [h] diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolùm in Macedonia, & in Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita ut non ſit nobis neceſſe quidquam loqui.

9. [i] Ipſi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo converſi eſtis ad Deum à ſimulacris, ſervire Deo vivo, & vero.

10. Et expectare filium ejus de cœlis (quem ſuſcitavit ex mortuis) Jeſum, qui [k] eripuit nos ab ira ventura.

CAPUT II.

Commemorat quàm ſincere illis prædicaverit Evangelium, nolens interim illis eſſe oneroſus, & ſanctè apud illos converſatus ſit.

1. NAm ipſi ſcitis fratres introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit:

2. [l] Sed antè paſſi, & contumeliis affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Evangelium Dei in multa ſollicitudine.

3. Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo.

4. Sed ſicut probati ſumus à Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.

5. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque [m] in occaſione avaritiæ: Deus teſtis eſt.

6. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.

7. Cùm poſſemus vobis [n] oneri eſſe ut Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos.

8. Ita [o] deſiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.

9. [p] Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.

10. Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & juſtè, & ſine querela, [q] vobis, qui credidiſtis, fuimus:

[a] Æth. præfigitur: *Et ſcripta fuit quum eſſet in civitate Athenarum.*

1. [b] *Sylvanus*, idem cum Sila. *In Deo Patre*, Syr. *qua eſt in Deo Patre*, Arab. *ad Eccleſiam addictam Deo Patri.*

2. [c] *Pro omnibus vobis*, pro beneficiis in vos collatis.

3. [d] *Operis fidei*, fidei operantis & efficacis. *Domini*, in Dominum.

5. [e] *Evangelium*, Evangelii prædicatio. *Virtute*, miraculis. *Spiritu ſancto*, Spiritus ſancti donis. *Plenitudine*, Syr. Arab. Æth. *perſuaſione*, certitudine rerum ad aſſenſum moventium. *In vobis*, Syr. Æth. *inter vos.*

6. [f] *In tribulatione multa*, Arab. *in tempore afflictionis multæ.*

7. [g] *Facti ſitis forma*, Syr. Æth. *fuiſtis exemplo.*

8. [h] *Diffamatus eſt ſermo*, Syr. *manavit fama ſermonis. Neceſſe quidquam loqui*, Syr. *neceſſe de vobis quicquam dicere.*

9. [i] *Ipſi*, quibus eramus de vobis locuturi. Vel, quibus nota eſt fides veſtra. *Qualem introitum*, quam felicem & efficacem. *Servire*, Syr. *ut coleretis.*

10. [k] *Eripuit*, Syr. *liberat.*

2. [l] Syr. Æth. Arab. *Exhortatio noſtra non fuit.*

5. [m] *In occaſione avaritiæ*, Arab. *opum acquirendarum cauſa.*

7. [n] *Oneri eſſe*, poteſtatem & jus haberemus onerandi vos ſumptu ſuſtentationis noſtræ. *Facti ſumus parvuli*, &c. eodem amore & charitate ac nutrix erga parvulos.

8. [o] *Deſiderantes vos*, Syr. *vos amore complectimur*, Gr. *cupidi veſtri. Animas*, vitam.

9. [p] *Memores*, meminiſſe poteſtis. *Operantes*, manibus noſtris. *Prædicavimus*, Arab. *dum prædicaremus.*

10. [q] *Vobis . . . . fuimus*, Arab. *fuerimus apud vos.*

11. Sicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrûm (ſicut pater filios ſuos,)

12. Deprecantes vos & conſolantes, teſtificati ſumus, ut ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.

Gratias agit Deo quod ſuſceptum Evangelium ſedulo ſervaverint, paſſi licet multa à contribulibus.

13 Ideò & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum [a] auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui crediditis.

14. Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa [b] in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Judæis:

15. Qui & Dominum occiderunt Jeſum, & prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & [c] omnibus hominibus adverſantur;

16. Prohibentes nos Gentibus loqui ut ſalvæ fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: pervenit enim ira Dei ſuper illos, [d] uſque in finem.

Declarat quam ardentem gerat erga eos affectum.

17. Nos autem fratres [e] deſolati à vobis ad tempus horæ, aſpectu non corde, abundantiùs feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio.

18. [f] Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel & iterùm, ſed impedivit nos ſatanas.

19. Quæ eſt enim noſtra [g] ſpes? aut gaudium aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus?

20. Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

CAPUT III.

Metuens ne propter afflictiones à fide moverentur, miſit ad eos Timotheum, qui ipſos roboraret.

1. PRopter quod [h] non ſuſtinentes ampliùs placuit nobis remanere Athenis, ſolis:

2. Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos [i] pro fide veſtra.

3. Ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis quòd [k] in hoc poſiti ſumus.

4. Nam & cùm apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis.

5. [l] Proptereà & ego ampliùs non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram: ne fortè tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter.

Timotheo reverso, gratias Deo agit quod in fide & charitate firmi permanſerint.

6. [m] Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem veſtram, & quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper, deſiderantes nos videre, ſicut & nos quoque vos.

7. Ideò, [n] conſolati ſumus fratres in vobis in omni neceſſitate & tribulatione noſtra per fidem veſtram,

8. Quoniam nunc [o] vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.

9. Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis, [p] in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum.

Magno ſe dicit teneri deſiderio inviſendi eos, ut in bono magis magiſque confirmentur.

10. Nocte ac die abundantiùs orantes, ut videamus faciem veſtram, & [q] compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ?

11. Ipſe autem Deus, & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dirigat viam noſtram ad vos.

12. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos [r] in vobis:

13. Ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate, ante Deum & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus. Amen.

CAPUT IV.

Hortatur eos ut tradita ſibi præcepta obſervent ad munditiam, & ſanctitatem vitæ.

1. DE cætero ergo fratres rogamus vos, & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, ut [ſ] abundetis magis.

2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis [t] per Dominum Jeſum.

3. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos à fornicatione,

4. Ut ſciat unuſquiſque veſtrûm [u] vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore;

5. Non in [x] paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum:

6. Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in [y] negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus.

7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam ſed in ſanctificationem.

8. Itaque qui hæc ſpernit non [z] hominem ſpernit ſed Deum; qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.

13. [a] *Auditus Dei*, prædicationis de Deo, quâ Deum diſcebatis.
14. [b] *In Chriſto Jeſu*, Arab. *in fide Jeſu Chriſti*.
15. [c] *Omnibus hominibus adverſantur*, omnium ſalutem per invidiam & malitiam impedire conantur.
16. [d] *Uſque in finem*, quod de reprobis Judæis intelligendum.
17. [e] *Deſolati*, Syr. Gr. Arab. *orbati*. *Ad tempus horæ*, ad ſpatium temporis. *Feſtinavimus*, Arab. *ſtuduimus*.
18. [f] *Quoniam*, Syr. Æth. Gr. Arab. *ideo*.
19 [g] *Spes*, materia ſpei, quia pro fructu quem apud vos feci, præmium e Domino accepturum me ſpero, quum advenerit Chriſtus redditurus unicuique ſecundum opera ſua.
1. [h] *Non ſuſtinentes ampliùs*, Arab. *ad deſiderium nequaquam ferentes*. Deſiderium veniendi ad vos, de quo verſu 18. cap. præcedentis. *Solis*, Syr. Gr. Arab. Æth. *ſoli*.
2. [i] *Pro fide veſtra*, ne quis propter adverſitates, quibus Evangelium paſſim exagitatur, deſpondeat animum.
3. [k] *In hoc poſiti ſumus*, decretum e Deo ut fidelis quiſque tribulationibus exerceatur.
5. [l] *Propterea & ego*, &c. Syr. *quamobrem & ego non amplius ſuſtinens, quum miſiſſem ſciſcitatum*, &c.
6. [m] *Nunc*, Syr. Gr. *nuper*. Hinc apparet Corinthi ſcriptam hanc epiſtolam non Athenis, Act. cap. 18. verſ. 5.
7. [n] *Conſolati ſumus*, Syr. Arab. Æth. *conſolationem accepimus*. *In vobis*, Syr. *per vos*, Arab. *ex vobis*.
8. [o] *Vivimus*, licèt mille mortes me circumſtant, tamen horum omnium oblitus, videor mihi vivere & ſalvus eſſe. *Domino*, Arab. *fide Domini*.
9. [p] *In omni*, Syr. Arab. *ſuper omni*, Æth. *pro*.
11. [q] *Compleamus*, &c. plenius inſtruendo in iis quæ ſunt fidei, & validioribus argumentis muniendo adverſus infideles.
12. [r] *In vobis*, Gr. *in vos*, Syr. *amore vos complectimur*, Arab. *creſcimus in dilectione veſtri*.
1. [ſ] *Abundetis magis*, in ſpiritualibus divitiis, & magis magiſque perficiatis.
2. [t] *Per Dominum Jeſum*, Chriſto præcipiente per me.
4. [u] *Vas*, corpus. *Honore*, honeſtate.
5. [x] *Paſſione deſiderii*, Syr. *paſſionibus concupiſcentiæ*.
6. [y] *Negotio*, eo potiſſimum de quo proximè, ut ejus thorum violet. *Prædiximus*, Syr. *ante hoc tempus diximus*.
8. [z] *Hominem*, à quo proponuntur. *Dedit Spiritum in nobis*, per ſpiritum nos fecit miniſtros verbi.

Hortatur ad mutuam dilectionem & laborem quo vitam quietè tranſigant.

9. De charitate autem [a] fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos à Deo didiciſtis ut diligatis invicem.

10. Etenim illud facitis in omnes fratres in univerſa Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut [b] abundetis magis,

11. Et operam detis ut quieti ſitis, & ut [c] veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: & ut honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis.

Conſolatur eos ſuper morientibus, quos reſurrecturos docet, ſimul reſurrectionis modum exponens.

12. Nolumus autem vos ignorare fratres de [d] dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.

13. Si enim credimus, quòd Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt [e] per Jeſum, adducet cum eo.

14. Hoc enim vobis dicimus [f] in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.

15. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.

16. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis [h] in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper & cum Domino erimus.

17. Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.

CAPUT V.

Docet diem Domini eſſe incertum.

1. DE [i] temporibus autem, & momentis, fratres non indigetis ut ſcribamus vobis.

2. Ipſi enim [k] diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.

3. Cùm enim [l] dixerint pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, & non effugient.

Monet unumquemque ut vigilet & verſetur in operibus bonis, &c.

4. Vos autem fratres non eſtis in [m] tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat:

5. Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum:

6. Igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed [n] vigilemus, & ſobrii ſimus.

7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt, [o] nocte ebrii ſunt.

8. [p] Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis:

9. Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,

10. Qui mortuus eſt pro nobis: ut ſive [q] vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus.

11. Propter quod conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis.

12. Rogamus autem vos fratres, ut [r] noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos. Commendat eos qui præſunt.

13. Ut [ſ] habeatis illos abundantiùs in charitate, propter opus illorum. pacem habete cum eis.

14. Rogamus autem vos fratres, [t] corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Tam illos quam reliquos fideles docet alia multa pietatis præcepta.

15. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicem, & in omnes.

16. [u] Semper gaudete.

17. Sine intermiſſione orate.

18. In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei [x] in Chriſto Jeſu, in omnibus vobis.

19. [y] Spiritum nolite extinguere.

20. [z] Prophetias nolite ſpernere.

21. [aa] Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete.

22. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.

23. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus [bb] ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.

24. Fidelis eſt, qui vocavit vos: [cc] qui etiam faciet.

25. Fratres orate pro nobis.

26. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto. Salutat omnibus & claudit epiſtolam.

27. [dd] Adjuro vos per Dominum, ut legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.

28. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen.

9. [a] *Fraternitatis*, Syr. Arab. Æth. *fraterna*.
10. [b] *Abundetis magis*, in charitate.
11. [c] *Veſtrum negotium agatis*, Syr. *ſitis occupati in operibus veſtris*.
12. [d] *Dormientibus*, Arab. *accumbentium*, de iis qui obdormierunt. *Spem*, reſurrectionis futuræ & vitæ æternæ.
13. [e] *Per Jeſum*, Arab. *in fide Jeſu*, in fide, ſpe, charitate, & operibus bonis. *Adducet*, ſuſcitans
14. [f] *In verbo Domini*, edocti à Domino. *Vivimus*, loquimur in perſona eorum qui tunc vivent. *Præveniemus*, priùs aſſumpti ad gloriam, vel priùs reſurgemus.
15. [g] *In juſſu*, Arab. *proprio imperio*. *Tuba*, vox archangeli ſic dicitur à claritate, & magnitudine ſoni. *Primi*, prius.
16. [h] *In nubibus*, per nubes hîc debet intelligi conſtitutio quædam aëris denſa & ſplendida, nubi candidæ ſimilis; tunc enim poſt ſui innovationem nulla mixta corpora, homine excepto, habitura eſt mundus.
1. [i] *Temporibus & momentis*, hujus reſurrectionis.
2. [k] *Diligenter*, Syr. *verè*, Arab. *certò*, Æth. *perſpicuè*.
3. [l] *Dixerint* homines. quod de improbis intelligi debet. *Dolor*, Syr. Arab. *dolor partus*, ex improviſo, & dum aliud agitur.
4. [m] *Tenebris*, infidelitatis & peccatorum.
6. [n] *Vigilemus*, in expectatione judicii veniuri. *Sobrii ſimus*, Arab. *reſipiſcamus*, Æth. *intelligamus*. ſemper juſtis ac temperatis actionibus intenti.
7. [o] *Nocte ebrii*, ſolebant veteres veſpertino tempore convivia celebrare.
8. [p] *Nos qui*, filii. *Diei ſumus*, ab iis actionibus quæ per ſomnum & ebrietatem ſignificantur, abſtineamus.
10. [q] *Vigilemus*, vivamus. *Dormiamus*, moriamur.
12. [r] *Noveritis*, per effectum noſſe demonſtretis, rationemque & reſpectum habeatis.
13. [ſ] *Habeatis illos*, &c. Arab. *æſtimetis eos in charitate ſupra quam addi poſſit*, *vehementer*, *propter opus*, Æth. *honorate eos abunde*, & *diligite eos propter*, &c. *Opus illorum*, quo laborant pro veſtra ſalute.
14. [t] *Corripite inquietos*, Syr. *erudite errantes*, Gr. *monete inordinatos*. *Suſcipite*, Æth. *ſublevate*. Nunc ad prælectos, & eos qui præſunt, loquitur.
16. [u] *Semper gaudete*, gaudio ſpirituali, quod in adverſis maximum eſt levamen.
18. [x] *In Chriſto Jeſu*, *in omnibus vobis*, Arab. *quam vult à vobis per Jeſum Chriſtum*.
19. [y] *Spiritum*, &c. hoc intelligendum eſt de donis Spiritus ſancti. Nolite prohibere ne quis loquatur linguis in conventibus fidelium, ſive eas interpretetur, ſive ſcripturas exponat: qui ſenſus patet ex ſequentibus. *Extinguere*, quia in modum ignis primum datus fidelibus.
20. [z] *Prophetias*, quid ſit prophetia alibi explicatum.
21. [aa] *Omnia*, quæ nondum probata ſunt. *Probate*, vos qui præeſtis Eccleſiis.
23. [bb] *Sine querela*, Gr. *inculpati*, Arab. *ſine culpa*.
24. [cc] *Qui etiam faciet*, Syr. *ut hoc faciat*, Arab. & *exequetur promiſſum ſuum*.
27. [dd] *Adjuro*, interpoſitâ Dei autoritate præcipio.

IN SECUNDAM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES.

Scripta eſt non diu poſt priorem, ut compenſaret defectum adventus ſui, quem ad eos in priore promiſerat, & ut errorem evelleret, qui ex verbis nonnullis prioris epiſtolæ oriri poterat, cùm dixiſſet, Dominum ex improviſo venturum, &c.

Scripta eſt Corinthi, ſed per quem miſſam incertum eſt.

CAPUT I.

Poſt ſalutationem præmiſſam, Deo gratias agit pro fide & tolerantia Theſſalonicenſium in perſecutionibus, propter quas dicit illos gloriam; adverſarios verò ultionem, in die judicii recepturos.

1. PAULUS, & [a] Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium, in Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

2. Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. Gratias agere debemus ſemper Deo [b] pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrûm in invicem:

4. Ita ut & nos ipſi [c] in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, pro patientia veſtra, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis:

5. [d] In exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.

6. [e] Si tamen juſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant:

7. Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu de cœlo cum angelis [f] virtutis ejus,

8. In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.

9. [g] Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus.

10. Cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: [h] quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo.

11. [i] In quo etiam oramus ſemper pro vobis: ut dignetur vos vocatione ſuâ Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute,

12. Ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Domini Jeſu Chriſti. *Orat ut digni habeantur eo quòd vocati ſunt à Deo.*

CAPUT II.

Docet non prius Chriſtum venturum ad judicium, quàm revelatus fuerit homo peccati, quem poſtquam ſi quis mendacibus multos ſeduxerit, Dominus interficiet.

1. ROgamus autem vos fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & [k] noſtræ congregationis in ipſum:

2. Ut non citò [l] moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.

3. Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit [m] diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,

4. Qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in [n] templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.

1. [a] *Silvanus*, idem ac Sylas. *In Deo Patre*, Syr. *qua eſt in Deo*, &c. Arab. *devotam Deo*, &c.
3. [b] *Pro vobis*, propter beneficia vobis à Deo præſtita.
4. [c] *In vobis*, Arab. *de vobis*.
5. [d] *In exemplum*, Syr. *ad demonſtrationem*. *Juſti judicii Dei*, qui ſi patitur tam injuſte affligi juſtos in hac vita, non ſinet illorum perſecutores impunitos in altera. Vel, ad pœnam etiam peccatorum à juſtis commiſſorum, quâ purificando illos in hac vita, dignos reddit, &c.
6. [e] *Si tamen*, Syr. Gr. *ſi quidem*, Æth. &c.
7. [f] *Virtutis*, Arab. Æth. *potentia*. Miniſtris potentiæ.
9. [g] Gr. *Qui pœnas luent exitium æternum, à facie Domini, & à gloria fortitudinis ejus*. Adeo ut ſola ejus præſentia, &c. ſufficiat ad perdendum impios.
10. [h] *Quia creditum*, &c. quia teſtimonium, id eſt, prædicatio noſtra fide ſuſcepta eſt à vobis, cum ſpe retributionis in illo die percipiendæ. vel, à vobis reſpicientibus ad illum diem adventus Domini.
11. [i] *In quo*, Syr. Æth. *propterea*. *Dignetur vos vocatione*, &c. Æth. *ut impertiat vobis illud ad quod vos vocavit*. *Voluntatem bonitatis*, Arab. *omne beneplacitum bonitatis ſuæ*. *Opus fidei*, patientiam in perſecutionibus, quia per hanc maxime relucet virtus fidei. *Virtute*, Arab. *per potentiam ſuam*.

1. [k] *Noſtræ congregationis in ipſum*, Syr. *noſtri aggregationem ad eum*.
2. [l] *Moveamini à veſtro ſenſu*, Æth. *cavete ne expaveſcat vobis cor veſtrum*. Ne citò dimoveamini à doctrina quam à nobis acceptam mente retinetis, de tempore adventus Domini. *Spiritum*, quaſi divinum & propheticum. *Sermonem*, rumoribus de nobis: ſtudet opinionem inſtantis diei Domini, fidelium mentibus eximere, ne hac opinione deluſi, putarent vanam & fabuloſam eſſe promiſſionem adventus Domini.
3. [m] *Diſceſſio*, Arab. *apoſtaſia*, Syr. *rebellio*, Æth. *quia primum venturus eſt conturbator*. Non adveniet Dominus, niſi venerit. *Diſceſſio*, generalis ab Eccleſia Romana. Vel, peccatum infidelitatis maximum, futurum ultimis temporibus, quidam hæc de caſu imperii Romani & hæreſibus diverſis exponunt.
4. [n] *Templo Dei*, Eccleſia. *Sedeat*, quia viribus & potentiâ eam invadet. *Oſtendens*, Syr. & *oſtentet*.

Digitized by Google

5. Non retinetis quòd cùm adhuc eſſem apud vos hæc dicebam vobis?

6. [a] Et nunc quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore.

7. Nam myſterium jam [b] operatur iniquitatis: tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet [c] ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum:

9. Cujus eſt adventus ſecundùm operationem ſatanæ, in omni [d] virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus,

10. Et in omni ſeductione [e] iniquitatis iis qui pereunt: eò quòd charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.

11. Ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.

Gratias agit de fide & electione Theſſalonicenſium, monens ut ſervent præcepta ab ipſo tradita.

12. Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quod elegerit vos Deus [f] primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis:

13. In qua & vocavit vos per [g] Evangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.

14. Itaque fratres ſtate: & tenete [h] traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.

Orat pro eorum confirmatione ac conſolatione.

15. Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem [i] æternam, & ſpem bonam in gratia.

16. [k] Exhortetur corda veſtra & confirmet in omni opere & ſermone bono.

CAPUT III.

Rogat ut pro ſe orent, confidens quòd ſervaturi ſint ipſius præcepta, beneque ipſis precatur.

1. DE cætero fratres orate pro nobis, ut ſermó Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos.

2. Et ut liberemur ab [l] importunis, & malis hominibus: non enim omnium eſt fides.

3. Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos & cuſtodiet à [m] malo.

4. Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.

5. Dominus autem dirigat corda veſtra [n] in charitate Dei, & patientia Chriſti.

Monet ut exemplo ſui, propriis manibus laborent, inordinatos, turbulentos, otioſe agentes, & contumaces vitent.

6. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.

7. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non [p] inquieti fuimus inter vos:

8. Neque gratis panem manducavimus ab [q] aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus.

9. Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.

10. Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, [r] nec manducet.

11. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare [ſ] inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes.

12. Iis autem, qui ejuſmodi ſunt [t] denuntiamus & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.

13. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.

14. Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro [u] per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur:

15. Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.

Pacem iis precatur.

16. Ipſe autem Dominus pacis, det vobis pacem ſempiternam in omni loco. Dominus ſit cum omnibus vobis.

17. [x] Salutatio, meâ manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtola, ita ſcribo.

18. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

6. [a] Æth. *Et nunc ſcitis quid prohibet eum apparere uſque dum veniat tempus ejus præſtitutum.* Sciebant quæ dixerat v. 3. de diſceſſione futura ante revelationem hominis peccati, &c.

7. [b] *Operatur*, paſſive accipiendum eſt: ſenſus eſt. & ſi nondum venerit anti-Chriſtus in perſona, jam tamen adeſt in emulatoribus ſuis: nam iniquitas ejus nunc occulte, velut in myſterio agitur per hæreticos, qui Chriſtum & ejus regnum totis viribus oppugnant, myſteriumque illud erupturum & aliquando in apertam apoſtaſiam; interim quicumque tenet Chriſtum & veram ejus religionem, firmiter retineat, donec de medio Eccleſiæ fiat apoſtaſia.

8. [c] *Spiritu oris*, ſolâ juſſione.

9. [d] *Virtute*, Syr. Arab. Æth. *potentiâ.*

10. [e] *Iniquitatis*, ad iniquitatem trahentis.

12. [f] *Primitias*, Gr. *ab initio.* Eò quòd primi fere inter Gentiles fidem Chriſti recepiſſent.

13. [g] *Evangelium noſtrum*, Arab. *annuntiationem noſtram.*

14. [h] *Traditiones*, Syr. *præcepta.*

15. [i] *Æternam*, æternis bonis innixam. *In gratia*, per gratiam.

16. [k] *Exhortetur*, Syr. Arab. Æth. *conſoletur. Sermone*, doctrinâ.

2. [l] *Importunis & malis hominibus*, Judæis qui Evangelii curſum impediebant cùm alii forent adhuc Judaiſmo dediti licèt fideles, alii aperte Evangelii hoſtes. *Non omnium eſt fides*, non omnes obediunt Evangelio, nec omnibus datur ut credant.

3. [m] *Malo*, Arab. *maligno.* Illo malo ſpiritu, diabolo: hic enim de perſona intelligendum.

5. [n] *In charitate*, ad charitatem. *Patientia*, Gr. Syr. *expectationem*, Æth. *ſpe.*

6. [o] *Denuntiamus*, Syr. Arab. Æth. *præcipimus. Traditionem*, Syr. *præcepta.*

7. [p] *Inquieti*, Gr. *inordinati.*

8. [q] *Ab aliquo*, Æth. *alterius.*

10. [r] *Nec manducet*, dignus non eſt qui manducet.

11. [ſ] *Inquiete*, Gr. *inordinate. Sed curioſe agentes*, Syr. *niſi vanitates.*

12. [t] *Denuntiamus*, Syr. Arab. Æth. *præcipimus. Silentio*, Syr. Gr. Arab. *quiete.*

14. [u] *Per epiſtolam*, Syr. *quæ epiſtolâ continentur.*

17. [x] Hic verſus ſignum eius de quo in ſuperioribus quo concludebat omnes ſuas epiſtolas, propter quoſdam impoſtores, qui falſis ipſius nomine ſcribebant.

Digitized by Google

IN PRIMAM EPISTOLAM AD TIMOTHEUM.

SCripta eſt poſt prima vincula Pauli, qui cùm perveniſſet Epheſum, Timotheum ibi reliquit Epiſcopum; Paulus verò luſtrans Græciæ provincias, è Macedonia quam primam inviſit, anno ſexageſimo ſexto æræ noſtræ, & poſt Chriſti mortem trigeſimo tertio, ſcripſit hanc Epiſtolam demandans Timotheo ut adversùs judaizantes, alioſque evangelicæ doctrinæ corruprores ſedulo vigilaret.

Non miſſa eſt è Laodicæa, cùm in Epiſt. ad Coloſſenſes longe poſterius ſcripta affirmet Apoſtolus, ſe Laodicenſibus viſum non fuiſſe.

CAPUT I.

Salutatione præmiſſâ, Timotheo præceptum tradit de retrahendis quibuſdam à perverſa doctrina, & tradenda ſana.

1. PAULUS Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundùm imperium[a] Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ,

a. Timotheo dilecto [b] filio in fide gratia, miſericordia, & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.

3. [c] Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam ne aliter docerent,

4. [d] Neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.

5. [e] Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

6. A quibus quidam aberrantes, conversi ſunt in vaniloquium,

7. Volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus [f] affirmant.

Legem dicit eſſe bonam, non tamen juſtis poſitam, ſed injuſtis.

8. Scimus autem quia bona, eſt lex ſi quis eâ [g] legitime utatur:

9. Sciens hoc quia [h] lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis,

10. Fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & [i] ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur,

11. Quæ eſt ſecundùm Evangelium [k] gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi.

12. Gratias ago ei, qui me confortavit, Chriſto Jeſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit, [l] ponens in miniſterio: Commemorat Dei erga ſe miſericordiã & vocationem ad Apoſtolatũ.

13. Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & [m] contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.

14. Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide, & dilectione, [n] quæ eſt in Chriſto Jeſu.

15. [o] Fidelis ſermo & omni acceptatione dignus: quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.

16. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum: ut in me [p] primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi, in vitam æternam.

17. Regi autem ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

18. [q] Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundùm præcedentes in te prophetias, [q] Timotheo commendat fidem & bonam conſcientiam.

1. [a] *Dei*, patris, qui eſt author ſalutis noſtræ per Filium ſuum.

2. [b] *Filio in fide*, non quod à Paulo converſus ad fidem, ſed quod ipſi ſicut Timotheus adoleſcens, tanquam filius patri, in Evangelio ſubſerviret: fortè etiam quod eum de fide plenius ac accuratius inſtituiſſet.

3. [c] *Sicut*, redundat, non Syr. vel. *ſicut rogavi te*, ſupplendum, *ita & nunc rogo*. *Denuntiares*, Syr. Arab. *præciperes*. *Aliter*, Syr. *doctrinas diverſas*, Arab. Æth. *aliam doctrinam*.

4. [d] Notat judaizantes qui fabulas quaſdam a majoribus confictas & traditas, pro Sacra Hiſtoria ingerebant, ut apud Gentiles Chriſtianos in pretio eſſent, & quæſtum facerent, & qui, ut legis & rerum judaicarum periti haberentur, & ut ſuam oſtentarent nobilitatem, origines ſuas altiſſime repetebant, uſque ad reges, prophetas & patriarchas, oſtentantes ſe Abrahæ genus eſſe. *Quæſtiones*, controverſias & rixas. *Ædificationem Dei, quæ eſt in fide*, Syr. *ædificationem in fide Dei*.

5. [e] *Finis*, impletio, id quod impletur. *Præcepti*, legis. *Puro*, à pravis cupiditatibus. *Bona*, nihil ſibi mali conſcia, vera enim juſtitia non in eo ſita eſt quod ſint ex Abraham orti.

7. [f] *Affirmant*. Syr. *diſſertant*. Quæ dictis ſuis aſtruere volunt.

8. [g] *Legitime utatur*, referens legem ad Chriſtum quem promittit, & quem adjutorem & mediatorem, cùm ipſa per ſe non juſtificet, probat.

9. [h] *Lex*, hic ſumenda eſt prout contra fidem & gratiam mediatoris diſtinguitur, atque adeo, prout minatur, terret, reum facit, pœnas infligit: juſtos enim non terret aut punit, ſed injuſtos, &c. *Non ſubditis*, Syr. *rebellibus*, inobſequentibus.

10. [i] *Si quid*, quidquid.

11. [k] *Gloriæ*, gloriam prædicans & promittens.

12. [l] *Ponens*, Syr. *meque conſtituens*, Arab. *collocans*.

13. [m] *Contumelioſus*, contumeliam inferens, violentus oppreſſor. *Ignorans*, nondum credens, & adhuc Jeſum eſſe Chriſtum neſciens: hoc dicit neque ad extenuationem, neque ad exaggerationem peccati, ſed ut ratio objecti maxime convenientis miſericordiæ divinæ; quale objectum miſeria eſt: qua magna erat miſeria mea, quòd talia facerem per ignorantiam, inſtar ægroti qui per inſaniam medicum cædit.

14. [n] *Quæ eſt*, habetur & ſuppeditatur. *In Chriſto Jeſu*, Arab. *per Jeſum Chriſtum*.

15. [o] *Fidelis*, certus, verax, & fideliter credendus. *Primus*, maximus.

16. [p] *Primo*, nomen, non adverbium, maximo. *Omnem*, perfectam.

18. [q] *Hoc præceptum*, de quo v. 5. *Iuxta*, Syr. *de te*. *Præcedentes* pro-

ut

ut milires in illis bonam militiam,

19. Habens fidem, & [a] bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt:

20. Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos [b] tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.

CAPUT II.

Vult pro omnibus hominibus preces fieri, cùm Deus velit ut omnes ſalventur.

1. OBſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, [•] poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus:

2. Pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & [c] caſtitate.

3. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo,

4. Qui omnes homines [d] vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Unum Deum eſſe dicit, unum mediatorem Jeſum, cujus conſtitutus eſt prædicator & Apoſtolus.

5. [e] Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo, Chriſtus Jeſus:

6. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, [f] teſtimonium temporibus ſuis.

7. [g] In quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus [veritatem dico, non mentior] doctor Gentium in fide & veritate.

Agit de virorum oratione item & mulierum, de quarum ornatu diſſerit.

8. Volo ergo viros orare in [h] omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione.

9. Similiter & mulieres in habitu [i] ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa:

10. [k] Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

Mulieres docere in Eccleſia prohibet, ſed diſcere debere in ſilentio dicit, & ſubjectas eſſe viris ſuis.

11. Mulier [l] in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione.

12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio.

13. Adam enim primus formatus eſt deinde Eva:

14. Et [m] Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.

15. Salvabitur autem per filiorum [n] generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.

CAPUT III.

Deſcribit conditiones in Epiſcopis, & Diaconis requiſitas.

1. [o] FIdelis ſermo: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.

2. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, [p] ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem,

3. Non vinolentum, non percuſſorem, ſed [q] modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed

4. [r] Suæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.

5. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei [ſ] diligentiam habebit?

6. Non neophytum; ne in ſuperbiam elatus, in [t] judicium incidat diaboli.

7. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui [u] foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

8. [x] Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes:

9. [y] Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.

10. Et hi autem probentur primum: & ſic miniſtrent [z] nullum crimen habentes.

11. [aa] Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus.

12. Diaconi ſint unius uxoris viri: qui filiis ſuis bene præſint, & ſuis domibus.

13. Qui enim bene miniſtraverint, [bb] gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

14. Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te venire cito.

15. Si autem tardavero, ut ſcias quomodo opor-

[*] Admonet Timotheum ut ſecundùm hæc præcepta convertetur in Eccleſia Dei quam ob incarnationis dominicæ myſterio commendat.

phetias, revelationes mihi factas te futurum bonum Chriſti miniſtrum, vel juxta priſcum, quæ ſcilicet eſt prophetarum diſciplinam & doctrinam. *In illis*, ſecundùm illa.

19. [a] *Bonam conſcientiam*, nullius mali conſenſus ſibi conſciam.

20. [b] *Tradidi ſatanæ*, excommunicavi, & ut corriperet corporaliter vexandos. *Blaſphemare*, de divinis rebus male loqui.

2. [c] *Caſtitate*, Syr. Æth. *puritate*, Gr. *honeſtate*.

4. [d] *Vult* Deus *omnes ſalvos fieri*, per nos & in quantum in nobis eſt, quapropter præcipit pro omnibus orandum, & ut omnium ſalutem deſideremus & quæramus, & hoc ipſum ſtudium & deſiderium in nobis operatur: qui ſenſus patet ex verbis: non enim dicit Apoſtolus, Deum velle omnes ſalvos facere, ſed ſalvos fieri.

5. [e] *Unus Deus*, omnium Gentium communis creator, Pater, Dominus, qui propterea creaturæ ſuæ bene cupit.

6. [f] *Teſtimonium*, quam ad rem ſuis temporibus teſtandam, &c. mors enim Chriſti teſtimonium maximum præbuit veritati doctrinæ ſuæ, & charitatis Dei erga omnes homines, divinæque voluntatis, quâ omnes ſervari volit. *Suis*, Gr. *propriis*.

7. [g] *In quo*, Syr. Arab. *cujus*, Gr. *in quod*. Ad cujus teſtimonii perhibitionem & prædicationem. *In fide & veritate*, doctor fidelis & verax: vel, ut Gentes fidem Chriſti recipiant & veritatem agnoſcant.

8. [h] *Omni loco*, non in ſolo templo Jeroſolymitano. *Puras manus*, per manus intelligit actiones externas, & puram conſcientiam. *Ira*, acceptæ injuriæ memoria. *Diſceptatione*, hæſitatione atque diffidentia.

9. [i] *Ornato*, decenti. *Sobrietate*, Syr. *pudicitia*, Gr. *modeſtia*, Arab. *cuſtodia*.

10. [k] Syr. *Sed in operibus bonis, ſicuti decet mulieres, quæ profitentur timorem Dei*.

11. [l] *In ſilentio*, in Eccleſia ſcilicet, quod idem dicendum de verſu ſequenti.

14. [m] *Adam non eſt ſeductus*, inordinato conjugis amore, unà cum titillatione ſuperbiæ & excellendi libidine, morem geſſit uxori ſuæ: non tamen credidit ut Eva ſe non peccaturum ſi ederet, ſed inexpertus divinæ ſeveritatis in eo falli potuit, ut venialè crederet eſſe commiſſum, ſi vitæ ſociam non deſereret etiam in ſocietate peccati. *Mulier ſeducta*, immediatè à ſerpente, quem credidit veradicem, & qui non acceſſit ad virum, quòd ſciret eum ratione ſui ſexus, deceptioni minus obnoxium: quod probat mulierem judicio ac vigore mentis minus pollere, & proinde viri imperio ac gubernationi ſubjici debere.

15. [n] *Generationem*, educationem, ſi liberos bene inſtituat, &c. *Sobrietate*, Syr. Arab. *caſtitate*, Gr. *modeſtia*.

1. [o] *Fidelis*, Arab. *verus*, indubitatus.

2. [p] *Ornatum*, bene moratum.

3. [q] *Modeſtum*, Syr. *ſed ſit manſuetus*, Arab. *mitem*. *Cupidum*, Gr. *cupidum argenti*.

4. [r] *Suæ domui bene præpoſitum*, Syr. *probe gubernans domum ſuam*. *Caſtitate*, Syr. *puritate*.

5. [ſ] *Diligentiam habebit*, Gr. *curam geret*.

6. [t] *Judicium*, Arab. *calumniam*. Ne ob ſuperbiam incidat in eamdem damnationis pœnam cum diabolo.

7. [u] *Foris*, Arab. *extra Eccleſiam*. *Laqueum diaboli*, impedientis ne ille ſuo miniſterio quicquam proficere poſſit: vel, quia vituperati & contempti per impatientiam peccant.

8. [x] *Diaconos*, oportet eſſe.

9. [y] *Habentes*, Æth. *qui cuſtodiunt*, tenentes. *Myſterium fidei*, *&c.* cum fide jungentes bonam conſcientiam.

10. [z] *Nullum crimen habentes*, Arab. *ſi ſint ſine crimine*.

11. [aa] *Mulieres*, oportet eſſe. De uxoribus Epiſcoporum & Diaconorum; alii de Diaconiſſis exponunt.

13. [bb] *Gradum bonum*, Æth. *majus miniſterium*. *Fiduciam*, Gr. *libertatem*, Æth. *gratiam*. Libertatem agendi in docendo corripiendo, &c. idque ſecundùm doctrinam fidei quæ eſt in Chriſto: vel, qui Diaconi munere bene functi ſunt ſi presbyteri fiant, liberius & cum majori fiducia aliis Evangelium prædicabunt.

eat te in domo Dei coovetſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & [a] firmamentum veritatis.

16. [b] Et maoifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.

CAPUT IV.

Prædicit exorituras hæreſes, potiſſimum de nuptiis ac cibis.

1. [c] SPiritus autem maoifeſte dicit, quia in oovilſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum,

2. In hypocriſi [d] loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam,

3. [e] Prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.

4. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum [f] quod cum gratiarum actione percipitur:

5. Sanctificatur enim [g] per verbum Dei, & orationem.

Multa tradit Timotheo circa pietatem ſectandam, & munus epiſcopale exequendum.

6. Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es.

7. Ineptas autem, & aniles [h] fabulas devita: exerce autem teipſum ad pietatem.

8. Nam [i] corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

9. [k] Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus.

10. [l] In hoc enim laboramus & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium.

11. [m] Præcipe hæc, & doce.

12. [n] Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidelium, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.

13. [o] Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.

14. Noli negligere [p] gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum preſbyterii.

15. Hæc meditare, in his eſto: ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.

16. Attende tibi, & doctrinæ: [q] inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.

CAPUT V.

Docet quomodo quamlibet ætatem admonere debeat.

1. SEniorem ne [r] increpaveris, ſed obſecra ut patrem, juvenes ut fratres;

2. Anus ut matres: juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate:

3. Viduas [ſ] hoooꝛa, quæ vere viduæ ſunt.

De viduis præcepta tradit.

4. Si qua autem vidua filios, aut [t] nepotes habet: diſcat primùm domum ſuam regere & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo.

5. Quæ autem vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die.

6. Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.

7. Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint.

8. Si quis autem [u] ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.

9. [x] Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,

10. In operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum [y] ſubſecuta eſt.

11. Adoleſcentiores autem viduas [z] devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt:

15. [a] *Firmamentum*, Syr. *fundamentum*, Arab. *baſis*. Æth. *fulcimen*, ſtabilimentum.

16. [b] Ipſam nunc veritatem, cujus Eccleſia eſt firmamentum, explicat, doctrinæ ſcilicet quæ eſt de myſterio Incarnationis. *Sacramentum*. Gr. Æth. *myſterium*. *Quod manifeſtatum eſt in carne*. Syr. Gr. *Deus manifeſtatus eſt*, &c. *Juſtificatum eſt in ſpiritu*, per ſpiritum probatus eſt verus Deus & Dei Filius, atque declaratus juſtus & verax in operibus & doctrina: quod per teſtimonia divinitus exhibita, & per miracula, &c.

1. [c] *Spiritus dicit*, revelat Spiritus ſanctus.

2. [d] *Loquentium*, Syr. *qui loquentur*. *Cauteriatam*, &c. Arab. *inuſti conſcientiâ ſua*. Sumpta metaphora à maleficis qui ferro candente notari ſolent, ſtigmatis cute impreſſis.

3. [e] *Prohibentium*, Syr. Arab. *prohibentes*. *Abſtinere*, Syr. *abſtinentes*. Jubentium abſtinere, hæc, ſicut & fabulas de quibus verſ. 7. ad Manem referuntur, & multos alios, ut Simonianos.

4. [f] *Quod*, Syr. *ſi*.

5. [g] *Per verbum Dei*, & ipſam fidem quâ creditur, verbo.

7. [h] Per *fabulas*, notantur impia dogmata Simonianorum.

8. [i] *Corporalis exercitatio*, de exercitatione athletica exponunt multi, alii de corporis afflictione per jejunia, &c. in quibus exercens fatigabat ſe Timotheus, miſericordiæ operibus fortè non ſatis intentus propter corporis infirmitatem. *Ad modicum*, Syr. *ad exiguum tempus*.

9. [k] *Fidelis*, Arab. *verus*.

10. [l] *In hoc*, propter hoc, ſpem vitæ futuræ, de qua verſ. 8. *Laboramus*, omnia corporis incommoda ſuſtinemus. *Maledicimur*, probra & contumelias patimur, *quia ſpem noſtram*, &c. *Omnium*, quia dat omnibus aliquam ſalutem.

11. [m] *Præcipe*, Gr. *annuntia*. *Hæc*, ſuprà dicta.

12. [n] *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*, effice ut nemo tuam juventutem deſpiciat. *Verbo*, colloquiis. *Caſtitate*, Syr. Arab. Æth. *puritate*.

13. [o] *Dum venio*, Syr. Arab. *uſque dum venero*. *Doctrinæ*, aliorum, quia docens ignorantes.

14. [p] *Gratiam*, munus Epiſcopale bene exequendi. *Prophetiam*, Dei te eligentis revelationem. *Preſbyterii*, cœtus & collegii preſbyterorum, quo nomine hic & alibi ſæpiſſime Epiſcopi intelliguntur.

16. [q] *Inſta*, Gr. *perſiſte*, Syr. *perdura*.

1. [r] *Increpaveris*, ſevius objurges.

3. [ſ] *Honora*, honorem hîc & opem intelligere oportet. *Vere viduæ*, ſolatio deſtitutæ.

4. [t] *Nepotes*, filios filiorum. *Mutuam vicem reddere*, &c. filios ac nepotes bene inſtituat, atque eo modo, beneficium educationis, quod à majoribus accepit, in minores refundat: ſed quia Syr. Gr. Arab. Æth. habetur, *diſcant* hoc de filiis intelligendum: illi namque diſcant domum ſuam colere, remunerare parentes, & ſufficienter eis tribuere, &c. præterea parentes viduarum illarum infideles & idololatræ fuerant: ſi prior ſenſus, dicendum, ut ipſæ a parentibus educatæ ſunt, ita conentur ipſæ liberos ſuos alere ſine Eccleſiæ onere.

8. [u] *Suorum*, propinquorum, domeſticorum qui manent in eadem domo. *Fidem negavit*, hoc dicitur peculiariter de iis criminibus, per quæ fit ut alii Deum blaſphement, aut a fide & religione ejus avertantur: tale erat ſi filii curam parentum egentium abjicerent, aut ſervi dominis obedientiam detrectarent, aut Chriſtiani tributum principibus negarent, &c. *Deterior*, quantùm ad aliquid & in hac parte.

9. [x] Arab. *Item ſi vidua eligatur diaconiſſa*. *Vidua*, quæ ſequuntur diaconiſſas ſpectare videntur.

10. [y] *Sub octava*, Æth. *octava*.

11. [z] *Devita*, ne admittas ad diaconatum perpetuum, adeoque ad perpetui cœlibatus promiſſionem; cùm enim ſaginatæ fuerint pane Eccleſiæ & in delicias carnales reſolutæ cœperint laſcivire, & proterve agere in Chriſtum quem ſponſum elegerant, &c.

12. Habentes damnationem, quia primam [a] fidem irritam fecerunt.

13. Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolùm otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet.

14. [b] Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratiâ.

15. Jam enim quædam converſæ ſunt [c] retro ſatanam.

16. Si quis fidelis [d] habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia: ut iis, quæ vere viduæ ſunt, ſufficiat.

De Preſbyteris.

17. Qui bene præſunt preſbyteri, [e] duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina.

18. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus eſt operarius mercede ſuâ.

19. Adversùs preſbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.

20. Peccantes [f] coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant.

21. [g] Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu, & electis angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Alia Timotheo tradit præcepta.

22. Manus cito nemini impoſueris, neque [h] communicaveris peccatis alienis. Teipſum caſtum cuſtodi.

23. Noli adhuc [i] aquam bibere, ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

24. Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, [k] præcedentia ad judicium: quoſdam autem & ſubſequuntur.

25. Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & [l] quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.

CAPUT VI.

1. Quicumque ſunt ſub jugo ſervi [m] dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.

2. Qui autem fideles habent dominos, [n] non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes ſunt. Hæc doce, & exhortare.

Fugiendos docet, qui his præceptis rebelles, vana docent.

3. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ.

4. Superbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, [o] blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ.

5. Conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, exiſtimantium [p] quæſtum eſſe pietatem.

In quo periculo verſentur qui divites fieri volunt.

6. Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum [q] ſufficientia.

7. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid poſſumus.

8. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimus.

9. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

10. Radix enim omnium malorum eſt [r] cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

Timotheum ad officia pietatis hortatur.

11. Tu autem ô homo Dei hæc fuge: ſectare verò juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.

12. [ſ] Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.

13. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, qui [t] teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem.

14. Ut ſerves [u] mandatum ſine macula, irreprehenſibile uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti;

15. [x] Quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, rex regum, & Dominus dominantium:

16. Qui [y] ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt; cui honor

12. [a] *Fidem*, votum continentiæ; quod tamen non erat ſolemne votum, quale nunc eſt virginum, &c. cura enim quâ tenebantur non conveniebat uxoribus in familia ſua occupatis.

14. [b] *Volo*, conſulentis eſt non præcipientis, & comparative ſumendum malo, nempe quam iſta fiant quæ dixi. *Nubere*, hinc apparet ſecundas nuptias non fuiſſe à Paulo damnatas. *Matres familias eſſe*, Syr. *gubernare ædes ſuas*, Gr. *domum adminiſtrare*. *Adverſario*, Chriſtianæ religionis inimico, ſive infideli, ſive Judæo. *Maledicti gratiâ*, ut habeat maledicendi cauſam.

15. [c] *Retro*, Syr. Arab. *poſt*.

16. [d] *Habet viduas*, ad ſe pertinentes propinquitate ſanguinis, &c.

17. [e] *Duplici*, ampla ac liberali. *Honore*, ſuſtentatione. *Verbo*, prædicando. *Doctrina*, inſtructione ignorantium.

20. [f] *Coram omnibus*, jungendum cum *argue*.

21. [g] *Teſtor*, Syr. Arab. Æth. *obteſtor te*. *Sine præjudicio*, Syr. *nulloque anticipatione præoccupetur mens tua*.

22. [h] *Communicaveris*, ordinando indignos. *Caſtum*, Arab. *purum*, Syr. *in puritate*.

23. [i] *Aquam bibere*, aquâ ſolâ uti.

24. [k] *Præcedentia ad judicium*, Arab. *præcedunt eos ad damnationem*. De judicio humano loquitur: ſunt quorumdam hominum peccata manifeſta, etiam antequam de iis examen fiat, & judicium inſtituatur quod referendum ad monitum de ordinandis.

25. [l] *Quæ aliter ſe habent*, &c. opera bona quæ teſta non ſtatim apparent, poſt diſcuſſionem & examen, bona ut revera ſunt patebunt.

1. [m] *Dominos*, etiam infideles.

2. [n] *Non contemnant*, ne ideo contemnant. *Qui beneficii participes ſunt*, ſi ad *dominos* refertur, ſenſus eſt, illos gratiæ Chriſti, &c. participes eſſe: ſi ad ſervos, quia domini facti Chriſtiani beneficentiam in ſervos augent.

4. [o] *Blaſphemia*, maledicentiæ ſive in Deum, ſive in proximum.

5. [p] *Quæſtum*, lucri occaſionem, & qui quæcunque pie & religioſe facere videntur, referant ad temporalem ſuam utilitatem.

6. [q] *Sufficientia*, Gr. *ſua ſortis probatione*, Arab. *animo ſuâ ſorte contento*.

10. [r] *Cupiditas*, Syr. Arab. *amor pecuniæ*, Æth. *divitiarum*, Gr. *pecuniæ cupiditas*. *Quam*, avaritiam: vel, cujus cupiditatis materiam.

12. [ſ] *Certa*, &c. ita certa in curſu miniſterii tui (qui vocatur fidei, vel, quia non niſi per fidem vincit qui in hoc certamine verſatur, vel, quia pro fide ſuſcipitur) ut apprehendas palmam vitæ æternæ ad quam vocatus es, & cujus gratiâ, multis præſentibus, hanc optimam feciſti profeſſionem, te fideliter ac ſtrenue executurum opus Epiſcopi. *In qua*, Syr. Gr. Æth. *in quam*. *Confeſſionem*, Syr. Arab. Æth. *profeſſus bonam profeſſionem*.

13. [t] *Teſtimonium*, non qualecumque ſed conſummatum & perductum uſque ad mortem: unde ſenſus eſt, qui veritatem teſtatam fecit id eſt martyrio complevit & conſignavit.

14. [u] *Mandatum*, munus ipſi demandatum à Deo. *Macula*, peccato. *Irreprehenſibile*, ſic ut non poſſis ab adverſario reprehendi. *Adventum*, &c. diem mortis, melius de ultimo exponendum, &c.

15. [x] *Quem*, adventum ut patet ex Græco.

16. [y] *Solus habet immortalitatem*, Syr. *ſolus eſt corruptionis expers*. *Immortalitatem*, omnimodam invariabilitatem. *Vidit*, in hac mortali vita.

Quid à Timotheo divitibus præcipiendum. & imperium ſempiternum. Amen.

17. Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo [qui præſtat nobis omnia abunde [a] ad fruendum,]

18. Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare,

19. Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant [b] veram vitam.

20. O Timothee, [c] depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, Ipſum monet ut doctrinam acceptam cuſtodiat.

21. Quam quidam [d] promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

IN SECUNDAM EPISTOLAM
AD TIMOTHEUM.

Romæ ſcripta eſt: cùm Paulus eſſet in poſterioribus vinculis, & morti proximus, & ſic omnium poſtrema.

A quo delata ſit ad Timotheum, incertum.

CAPUT I.

Præmiſſâ ſalutatione, laudat in Timotheo fidem non fictam.

1. PAULUS Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, [c] ſecundùm promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu:

2. Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.

3. Gratias ago Deo cui [f] ſervio à progenitoribus in conſcientia pura, quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die

4. Deſiderans te videre, memor [g] lachrymarum tuarum, ut gaudio implear,

5. Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ habitavit primùm in avia tua Loïde, & matre tua Eunice, [h] certus ſum autem quod & in te.

Monet ut gratiam Dei in ſe reſuſcitet, & confidenter evangelium

6. Propter quam [i] cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum,

7. Non enim dedit [k] nobis Deus ſpiritum timoris: ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. annuntiet, ſicut ab ipſo fuerat inſtitutus.

8. Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed [l] collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei:

9. Qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ [m] data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia.

10. Manifeſtata eſt autem nunc per [n] illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium: Agit de Chriſto, & de vocatione ſua ad Apoſtolatum.

11. [o] In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter Gentium.

12. Ob quam cauſam etiam hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui [p] credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.

13. [q] Formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti in fide, & in dilectione in Chriſto Jeſu. Rurſus agit de doctrina ut prius.

14. Bonum [r] depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.

15. [ſ] Scis hoc, quod averſi ſunt à me omnes qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes. Notat quoſdam qui à ſe defecerant.

17. [a] *Ad fruendum*, Syr. *ad requiem noſtram*, Gr. *ad refocillationem*. Cum lætitia & delectatione percipiendum.

19. [b] *Veram*, Gr. Arab. *æternam*.

20. [c] *Depoſitum*, doctrinam tibi creditam. *Oppoſitiones*, diſſidia. *Falſi nominis ſcientiæ*, falſo nominatæ ſcientiæ. *Oppoſitiones*, &c. objectiones quas contra fidei doctrinam afferunt quidam ſpecioſo, ſed falſo ſcientiæ titulo.

21. [d] *Promittentes*, Gr. *profitentes*, Arab. *ſibi pollicentes*.

1. [c] *Secundùm promiſſionem*, Apoſtolus ſcilicet ad prædicandum & annuntiandum vitam æternam, quæ promiſſa eſt & datur à Chriſto Jeſu.

3. [f] *Servio à progenitoribus*, quem à prima ætate uſque nunc colo, velut à majoribus acceptâ & transfuſâ religione, colui in quam cum pura conſcientia, quia quamvis aliquando perſecutus ſim Eccleſiam Dei, nunquam tamen aliud docui & feci quam conſcientia mihi dictaret. *In orationibus meis*, ſcilicet gratias ago & oro ut quod in te cœpit circa munus Evangelium perficiat.

4. [g] *Lachrymarum tuarum*, cum à te diſceſſi.

5. [h] *Certus*, Syr. Gr. Æth. *perſuaſus*.

6. [i] *Cauſam*, quia fide præditus es non fictâ. *Reſuſcites*, renovandas per bona opera, novumque fervorem concipias ad prædicationem Evangelii cui expoſitioni favet verſus ſequens, omnis enim timidus erat Timotheus, de gratia Spiritus ſancti ejuſque incrementos ſimpliciter exponunt alii.

7. [k] *Nobis*, Epiſcopis & Evangelii miniſtris. *Timoris*, Syr. Arab. *timiditatis*, Æth. *ſervitutis*. Timoris qui, efficit ut quis vereatur facere ea quæ ſui ſunt muneris. *Virtutis*, Syr. *potentiæ*, Arab. *roboris*. *Dilectionis*, quo non ſua quærit Eccleſiæ præfectus. *Sobrietatis*, moderationis in zelo.

8. [l] *Collabora Evangelio*, Syr. *perfer mala cum Evangelio*. Gr. *compatere afflictiones Evangelio*. Eſt fictio perſonæ in Evangelio, quod laborare dicitur, & perſecutionem pati, quando qui illud prædicant, hæc ejus causâ patiuntur. *Virtutem*, Arab. *potentiam*.

9. [m] *Data*, dari præordinata. *Ante tempora ſæcularia*, antequam eſſent tempus & ſæcula.

10. [n] *Illuminationem*, Syr. *manifeſtationem*. Gr. Arab. *apparitionem*, Æth. *in adventu*. *Illuminavit*, Syr. *patefecit*.

11. [o] *In quo*, Gr. *in quod*.

12. [p] *Credidi*, atque commiſi. *Depoſitum* meum ſervandum, depoſiti nomine intelligit beatitudinem paratam & apud Deum repoſitam, propter bona opera facta cum ſpe retributionis æternæ. *Illum diem*, judicii univerſalis.

13. [q] Syr. *Forma tibi ſint ſani ſermones, quos audiſti à me cum fide & dilectione erga Jeſum Chriſtum*. Doctrinam à me auditam retine, credendo & amando Chriſtum.

14. [r] *Depoſitum*, hic depoſiti nomine, doctrina à Paulo tradita verbo debet intelligi. *Nobis*, Eccleſiæ præfectis.

15. [ſ] *Scis*, ex iis quæ hinc ad vos deferuntur, ignorare non potes. *In Aſia*, Æth. *in Aſia*. Agit enim de Aſiaticis qui tunc Romæ erant.

Digitized by Google

Oneſiphorum, ejuſque familiam commendat.

16. Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui : quia ſæpè me refrigeravit, & catenam meam non erubuit :

17. Sed cùm Romam veniſſet, ſollicite me quæſivit, & invenit.

18. Det illi Dominus invenire [a] miſericordiam à Domino in illa die. Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu melius noſti.

CAPUT II.

Hortatur Timotheum ut diligenter laboret in Evangelio.

1. TU ergo fili mi confortare in gratia, quæ eſt [b] in Chriſto Jeſu.

2. Et quæ audiſti à me [c] per multos teſtes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

3. [d] Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.

4. Nemo militans [e] Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus : ut ei placeat, cui ſe probavit.

5. Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi [f] legitime certaverit.

6. Laborantem agricolam oportet [g] primum de fructibus percipere.

7. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Mentionem facit futuræ præmii & reſurrectionis Chriſti.

8. Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis [h] ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum,

9. [i] In quo laboro uſque ad vincula, quaſi male operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum.

10. [k] Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cœleſti.

11. [l] Fidelis ſermo : nam ſi commortui ſumus, & convivemus.

12. Si [m] ſuſtinebimus, & conregnabimus : ſi negaverimus, & ille negabit nos :

13. Si non credimus, ille [n] fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt.

Varia præcepta tradit de his quæ fugere debeat, & ſectari.

14. [o] Hæc commone teſtificans coram Domino. Noli contendere verbis : ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.

15. Sollicite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem recte tractantem verbum veritatis.

16. Profana autem, & vaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem.

17. Et ſermo [p] eorum ut cancer ſerpit : ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus,

18. Qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe [q] jam factam, & ſubverterunt quorumdam fidem.

19. Sed [r] firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc : cognovit Dominus qui ſunt ejus ; & diſcedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini.

20. In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia : & quædam quidem in honorem, quædam autem in [ſ] contumeliam.

21. Si quis ergo emundaverit ſe ab [t] iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

22. [u] Juvenilia autem deſideria fuge, ſectare verò juſtitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.

23. Stultas autem, & [x] ſine diſciplina quæſtiones devita : ſciens quia generant lites.

24 Servum autem Domini non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem,

25. Cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati : [y] nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem,

26. Et reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius [z] voluntatem.

CAPUT III.

Prædicit exorituros falſos & impios doctores, à quibus admonet cavendum.

1. HOc autem ſcito, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.

2. Erunt homines ſeipſos amantes, [aa] cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti,

3. Sine affectione, ſine pace, [bb] criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate,

4. Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei :

5. Habentes ſpeciem quidem pietatis, [cc] virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita :

18. [a] *Miſericordiam*, vitam æternam. *A Domino*, Syr. Æth. *apud Dominum*. *Illa die*, obitus ſui, & judicii.

1. [b] *In Chriſto*, Arab. *per Chriſtum*.

2. [c] *Per*, coram. *Multos teſtes*, prophetas, quorum teſtimoniis probavit Jeſum eſſe verum Meſſiam vel, Epiſcopos & preſbyteros, qui interfuerunt ordinationi Timothei.

3. [d] *Labora*. Syr. *ſuſtine mala*.

4. [e] *Deo*, non in Syr. Gr. Arab. Æth. Hæc enim ſententia aſſertur ſicut & duæ ſequentes, non ut præcepta ſed velut parabolæ ex quibus præcepta capiuntur. *Sæcularibus*, rebus mundi, ut mercatura, &c. quæ militiam impediunt. *Probavit*, Syr. *elegit*.

5. [f] *Legitime*, ſecundùm leges certaminis vincens.

6. [g] *Primum*, nomen eſt, debet eſſe primum in percipiendis ſuis fructibus : ſic & Epiſcopus ſi diligenter in cultura agri dominici laboraverit in præmio percipiendo primus ac præcipuus.

8. [h] *Ex ſemine David*, jungendum cum *Dominum Jeſum*. *Evangelium*, prædicationem. *Meum*, quod prædico. Fundamentum ſpei boni militis Chriſti Jeſu.

9. [i] *In quo*. Æth. *propter quem*. Evangelii prædicando. *Laboro*, Syr. *ſuſtineo mala*. *Verbum Dei non eſt alligatum*, quia etiam in carcere non deerat officio propagandi Evangelii.

10. [k] *Ideo*, ut Evangelium diſſeminetur. *In Chriſto Jeſu*, Arab. *per Jeſum Chriſtum*. *Cum gloria cœleſti*, junge *ad ſalutem*. *Ut ſalutem conſequantur*, non qualemcumque, ſed quæ conjuncta eſt cum cœleſti gloria.

11. [l] *Fidelis*, certus. *Si commortui ſumus*, Chriſto in hoc ſæculo, procul dubio cum illo etiam vivemus in futuro.

12. [m] *Suſtinebimus*, Gr. Arab. *toleramus*, Æth. *pares ſumus in patientia*.

13. [n] *Fidelis*, in promiſſis, & verax. *Negare ſe ipſum non poteſt*, non poteſt recedere ab eo quod ſtatuit aut promiſit.

14. [o] *Hæc commone teſtificans*, &c. Syr. *de iis vos admone, & conteſtare*, &c.

17. [p] *Eorum*, hereticorum, Gnoſticorum, vana loquentium, &c.

18. [q] *Jam factam*, per ſpiritualem reſurrectionem animarum à vitiis, quæ in baptiſmo facta eſt.

19. [r] *Firmum fundamentum ſtat*, Eccleſia ſcilicet in electis, illorumque fides. *Stat*, erga Deum propter decretum, &c. & erga unumquemque fidelem per hoc quod diſcebat, &c. *Habens ſignaculum hoc*, hoc quod ſubditur habens pro ſigillo : firmitatem cum ſtandi habet ex decreto prædeſtinationis, &c.

20. [ſ] *Contumeliam*, Syr. Gr. *dedecus*. Vile miniſterium : hoc dicit ne Timotheus conturbetur, ſi videat in Eccleſia non ſolùm bonos eſſe, ſed etiam malos, imo & nonnullos perverſa docentes.

21. [t] *Iſtis*, profanis hereticorum doctrinis.

22. [u] *Juvenilia deſideria*, quod non de deſideriis ad crimen impellentibus exponendum, hoc enim repugnat ſapientiæ Timothei, ſed de vanis occupationibus.

23. [x] *Sine diſciplina*, Syr. *abſque eruditione* Gr. *ineruditas*.

25. [y] *Nequando*, Syr. Arab. *ſi quando*.

26. [z] *Voluntatem*, vel diaboli, vel Dei, quamdiu Deus voluerit.

2. [aa] *Cupidi*, Syr. Arab. *amantes pecuniæ*. *Blaſphemi*, maledici. *Ingrati*, Syr. *negantes gratiam*.

3. [bb] *Criminatores*, Gr. *calumniatores*, Arab. *obtrectatores*.

5. [cc] *Virtutem*, Arab. *vim*. *Hos devita*, quomodo ? cum de noviſſimis temporibus agat, quæ non videbit Timotheus : ſed per noviſſima tempora, intelligit quæ poſt mortem ipſius Pauli futura ſunt, aut

Digitized by Google

6. Ex his enim [a] ſunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis:

7. [b] Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.

8. Quemadmodum autem [c] Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

9. Sed ultrà non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

Hortatur Timotheum, ut ſuo exemplo virtutes amplectatur, ac tolerantiam in perſecutionibus.

10. Tu autem [d] aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,

11. [e] Perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii, & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.

12. [f] Et omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.

13. Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus: errantes, & in errorem mittentes.

Quam ipſe doctrinam ei tradiderat: ſervet, & de ſacrarum utilitate litterarum agit.

14. Tu verò permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris.

15. [g] Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

16. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad [h] docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia:

17. Ut perfectus ſit [i] homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

CAPUT IV.

Timotheum hortatur ut adverſus falſos doctores, & eos qui tales ſibi coacervant, conſtanter & aſſidue prædicet, tolerando quæcumque infligentur adverſa.

1. [k] TEſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus:

2. Prædica verbum, inſta [l] opportune, importune: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.

3. Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros [m] prurientes auribus:

4. Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.

5. Tu verò vigila, in omnibus [n] labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Sobrius eſto.

Prædicit ſuam paſſionem, & futurum præmium.

6. Ego enim jam [o] delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.

7. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, [p] fidem ſervavi.

8. [q] In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus. Feſtina ad me venire cito.

Rogat Timotheum ut ad ſe veniat.

9. Demas enim me reliquit, [r] diligens hoc ſæculum & abiit Theſſalonicam:

10. Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.

11. Lucas eſt mecum ſolus. [f] Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in miniſterium.

12. Tychicum autem [s] miſi Ephesum.

13. [u] Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.

Ab Alexandro multa ſe perpeſſum dicit.

14. Alexander ærarius multa mala mihi [x] oſtendit: reddet illi Dominus ſecundùm opera ejus:

15. Quem & tu devita: valde enim reſtitit verbis noſtris.

In prima defenſione à multis ſe fuiſſe deſertum, ſed à Domino & liberatum & adhuc liberaturum dicit.

16. In [y] prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.

17. Dominus autem mihi aſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus ſum de ore [z] leonis.

18. [aa] Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & ſalvum faciet in regnum ſuum cœleſte, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Epiſtolam finit ſalutationibus, &c.

19. Saluta Priſcam, & [bb] Aquilam, & Oneſiphori domum.

20. [cc] Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum

in perſona Timothei, futuros Dei & Eccleſiæ miniſtros inſtruit.

6. [a] *Sunt*, eſſe incipiunt.

7. [b] Hoc de mulierculis exponendum: ut patet ex Græco.

8. [c] *Jannes & Mambres*, magi Pharaonis, cum Moſe miraculis certantes *Cinra*, Syr. *Aſide*.

10. [d] *Aſſecutus*, ſectatus: ita mihi fuiſti perpetuus comes, & actionum ſocius, ut omnia mea tibi perſpecta ſint: ac proinde in me habeas quod ſequaris & imitandum ſumas. *Inſtitutionem*, vivendi modum. *Propoſitum*, quid in munere Apoſtolico ſpectem. *Fidem*, animi conſtantiam ac fiduciam in rebus agendis.

11. [e] Syr. *Cæterum noſſe quæ pertulerim Antiochiæ & Piſidiæ*.

12. [f] *Et*, Syr. *enimvero*.

15. [g] *Et quia ab infantia*, &c. altera ratio cur Timotheo non ſit a doctrina ſemel accepta recedendum.

16. [h] *Docendum*, veritatem. *Ad arguendum, ad corripiendum*, Syr. Arab. *ad correctionem & ad directionem*. *Arguendum*, falſitatem. *Corripiendum*, malos. *Erudiendum*, omnes. In. dc.

17. [i] *Homo Dei*, qui Dei nomine populo præeſt in his quæ Dei ſunt, maxime ſi mores & actiones officio reſpondeant.

1. [k] *Teſtificor*, Syr. Arab. Æth. *obteſtor te*. *Per adventum*, &c. Syr. *in revelatione regni ſui*.

2. [l] *Opportune, importune*, proverbialis locutio, quâ ſignificatur aſſidue & inceſſanter incumbendum eſſe operi.

3. [m] *Prurientes*, in nominativo: illi qui volunt audire grata, magiſtros quærent, qui placentia loquendo, eis aures ſuaviter ſcalpant.

5. [n] *Labora*, Syr. *ſuſtine mala*. *Sobrius eſto*, non in Syr. Gr. Arab. Æth.

6. [o] *Delibor*, Syr. Arab. *immolor*, vino aſpergor, & præparor ad mortem, ut victimæ ſolent. *Reſolutionis meæ*, Syr. *quo diſſolvar*. Mortis.

7. [p] *Fidem* evangelicam, Chriſtianam, & fidelitatem in exequendo meo munere.

8. [q] *In reliquo*, Syr. *in poſterum*, Arab. *& poſthac*. Quod ſupereſt.

9. [r] *Diligens hoc ſæculum*, non quod a fide defecerit, ſed quod periculo territus, ſuæ ſecuritati ac quieti conſulere voluit: quidam tamen aliter exponunt.

11. [f] *Marcum*, non Evangeliſtam, ſed Joannem conſobrinum Barnabæ cui cognomen erat Marcus. *Miniſterium*, non privatum, ſed Evangelicum forte ob latinæ ſermonis conſuetudinem.

12. [s] *Miſi*, ut vices ſuppleat Timothei abſentis.

13. [u] *Penulam*, Syr. *thecam librorum*. Volumen Hebræum veteris Teſtamenti, de pallio ſimpliciter exponunt, Eſpencæus & Calmet. *Libros*, alios codices in chartis deſcriptos. *Membranas*, Syr. *involucrum voluminum*, ſchedas pelliceas, in quibus ut veriſimile eſt, Paulus quædam ſcitu digna annotaverat.

14. [x] *Oſtendit*, Syr. *exhibuit*. *Reddet*, hæc prophetico ſpiritu prænuntiavit, cum approbatione divinæ juſtitiæ.

16. [y] *Prima defenſione*, quando primum omnium ad tribunal Neronis cauſam dixit: vel, apud judicem inferiorem. *Non illis imputetur*, Arab. *ne imputetur id eis crimini*.

17. [z] *Leonis*, Neronis, quanquam hæc ſermonis figura poſſit non aliud ſignificare quam periculi magnitudo.

18. [aa] *Liberavit*, Syr. G. Arab. *eripiet*. *Opere malo*, quo ſcilicet à confeſſione nominis ejus recedam. *Salvum faciet*, Æth. *vivere me faciet*, &c.

19. [bb] *Aquilam* virum ipſius.

20. [cc] Paulus de Macedonia iit Corinthum, ubi Eraſtum reliquit: hinc Troadem, ubi apud Carpum manſit, de Troade Epheſum, ubi Timotheum inviſit, ex Epheſo Miletum, ubi Trophimum reliquit

Digitized by Google

autem reliqui infirmum Mileti.

21. Feſtina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus Jeſus Chriſtus [a] cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.

IN EPISTOLAM AD TITUM.

Quo tempore, quo loco ſcripta fuit hæc Epiſtola, & per quem miſſa, ſatis incertum eſt.

Ad Titum ſcripta, quem Paulus Cretæ inſulæ Epiſcopum ordinaverat, poſtquam ibi prædicaſſet, cùm in Orientem redierat poſt prima Romæ vincula.

CAPUT I.

[b] *Salutationem faciens, mentionem ingerit ſpei vitæ æternæ, quæ jam manifeſtata eſt.*

1. PAULUS ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti [c] ſecundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundùm pietatem eſt.

2. In ſpem vitæ æternæ [d] quam promiſit qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia:

3. Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum [e] in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundùm præceptum Salvatoris noſtri Dei:

4. Tito dilecto filio ſecundùm [f] communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro.

Oſtendit quales Titus debeat ordinare preſbyteros & epiſcopos.

5. Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea [g] quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.

6. Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione [h] luxuriæ, aut non ſubditos.

7. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum.

8. Sed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem,

9. Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, [i] fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Per quos redargui debeant errorum magiſtri judaicis fabulis dediti.

10. [k] Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & ſeductores: maximè qui de circumciſione ſunt:

11. Quos oportet redargui: qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.

12. Dixit [l] quidam ex illis: Proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

13. Teſtimonium hoc verum eſt, quam ob cauſam increpa illos durè, ut ſani ſint in fide.

14. Non intendentes judaïcis fabulis, & mandatis hominum, [m] averſantium ſe à veritate.

15. [n] Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.

16. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: cùm ſint abominati, & [o] incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

CAPUT II.

Docet quomodo ſenes, anus, juniores, ſervi inſtituendi ſint, & ipſe Titus ſe gerere debeat.

1. TU autem loquere quæ decent ſanam doctrinam:

2. Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia:

---

infirmum; Mileti navem conſcendit, & Romam navigavit.

21. [a] *Cum Spiritu*, Syr. Æth. *ſit cum ſpiritu*, Syr. additur. *Epiſtola ad Timotheum ſecunda, è Roma ſcripta.*

[b] Æth. præfigitur: *Ad Titum & ſcripta fuit quum eſſes in civitate Nicopolis.*

1. [c] *Secundùm fidem electorum Dei*, &c. in hoc miſſus, ut iis qui ſunt electi à Deo, fidem annuntiem, ita ut per me credant & agnoſcant veritatem, quæ circa pietatem veruùmque Dei cultum verſatur.

2. [d] *Quam promiſit ante tempora ſæcularia*, quam ab æterno promittere & dare decrevit.

3. [e] *In prædicatione*, Syr. Arab. *per prædicationem.*

4. [f] *Communem*, ſuam & Titi: alioqui commendatio nimis generalis eſſet.

5. [g] *Quæ deſunt*, Arab. *res vitioſas.* Emendes, & quod deeſt Eccleſiæ, perficias. *Preſbyteros*, quo nomine & Epiſcopi intelligendi. *Sicut*, tales, quales. *Diſpoſui*, Syr. Æth. *præcepi.*

6. [h] *Luxuria*, ἀσωτίας luxus.

9. [i] *Fidelem ſermonem*, Syr. *& qui curam habeat de doctrina ſermonis fidei.* Arab. *veri ſermonis*, Æth. *qui eruditus eſt in ſermone fidei.*

10. [k] *Sunt*, apud vos. *Qui de circumciſione ſunt*, Judæi.

12. [l] *Quidam*, Epimenides *Illis*, referendum *ad Cretenſes. Proprius ipſorum propheta*, quia de oraculis ſcripſit, & ab ipſiſmet Cretenſibus pro propheta eſt habitus. *Malæ beſtiæ*, quod ad nocendum prompti. *Ventres pigri*, quia gulæ & inertiæ otio dediti.

14. [m] *Averſantium*, avertentium.

15. [n] Hoc dicit quòd Judæi adhuc urgerent abſtinentiam à cibis lege prohibitis. *Omnia munda mundis*, in creaturis Dei nihil eſt ex ſe immundum, ſed omnia munda ſunt bene & ſanctè utentibus. *Coinquinatis*, &c. iis qui per immunditiam cordis, aut infidelitatem Dei creaturis abutuntur, vel, quaſi eſſent impuræ non utuntur.

16. [o] *Incredibiles*, Syr. *dicto non audientes*, Arab. *rebelles.*

3. Anus ſimiliter in [a] habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes, bene docentes:

4. Ut prudentiam doceant adoleſcentulas, [b] ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant,

5. Prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, ut non blaſphemetur verbum Dei.

6. Juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint.

7. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,

8. [c] Verbum ſanum, irreprehenſibile, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

9. [d] Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes,

10. Non fraudantes, ſed in omnibus [e] fidem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus.

Hæc omnia confirmat ex fine propter quem gratia & miſericordia nobis apparuit, &c.

11. [f] Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus,

12. Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, [g] ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo,

13. Expectantes [h] beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.

14. Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

15. Hæc loquere, & exhortare, & argue, cum omni imperio. [i] Nemo te contemnat.

CAPUT III.

Deſcribit virtutes quaſdam, ad quas Titus debeat adhortari Cretenſes, itemque vitia à quibus dehortari.

1. ADmone [k] illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe;

2. [l] Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.

3. Eramus enim aliquando & [m] nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.

A peccatis prioribus ſolâ Dei benignitate ſalvati ſumus per lavacrum regenerationis facti in ſpe hæredes vitæ æternæ.

4. [n] Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei;

5. Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per [o] lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti,

6. Quem effudit [p] in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum:

7. Ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus [q] ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

Monet ut hæc doceat, vanamque doctrinam deviter, ſimul & hæreticum.

8. [r] Fidelis ſermo eſt, & de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo: hæc ſunt bona & utilia hominibus.

9. Stultas autem quæſtiones, & [ſ] genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; ſunt enim inutiles & vanæ.

10. Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam [t] correptionem devita:

11. [u] Sciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.

Agit de quibuſdam rebus, & ſalutationibus epiſtolam concludit.

12. Cùm miſero ad te Artemam, aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: ibi enim ſtatui hiemare.

13. Zenam [x] legiſperitum, & Apollo ſollicitè præmitte, ut nihil illis deſit.

14. [y] Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi.

15. Salutant te qui mecum ſunt omnes: ſaluta eos, qui nos [z] amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

3. [a] *Habitu*, quod non de amictu tantùm exponendum, ſed de geſtu, inceſſu, vultu, &c. *Sancto*, qui religionem deceat. *Criminatrices*, Syr. Gr. *calumniatrices*. *Benè*, Syr. *bona*.
4. [b] *Ut viros, &c.* eruis doceant adoleſcentulas ut viros, &c.
8. [c] *Verbum*, ſupplendum eſt, *præbe*. *Is qui ex adverſo eſt*, non de diabolo exponendum, ſed de Judæis, paganis, & aliis Chriſtianæ fidei hoſtibus.
9. [d] *Servos*, hortare.
10. [e] *Fidem*, fidelitatem.
11. [f] *Apparuit*, per Evangelii illuminationem & fidei prædicationem *Salvatoris*, Syr. Gr. *ſalutifera*, Arab. *ſalvatrix*. *Omnibus hominibus*, omni hominum generi.
12. [g] *Sobriè*, quò quiſque benè ſit ordinatus erga ſeipſum. *Juſtè*, erga proximum. *Piè*, erga Deum.
13. [h] *Beatam ſpem*, ſperatam beatitudinem. *Gloriæ*, glorioſum.
15. [i] *Nemo te contemnat*, ſic te gere, ut nemo te contemnere poſſit, nec propter nimiam in objurgando humilitatem.
1. [k] *Illos*, aut Cretenſes, aut omnes omnino.
2. [l] *Neminem blaſphemare*, Syr. *& neminem maledictis inſectentur*.
3. [m] *Nos*, non tam ſe intelligit, quam eos qui ex Gentibus vocati erant. *Malitia*, malignitate quâ quis malum vult alteri. *Odibiles*, dicuntur qui morum improbitate aliorum odia adverſùm ſe provocant.
4. [n] *Cum*, ex quo. *Humanitas*, Syr. Æth. *miſericordia*. Erga homines amor.
5. [o] *Lavacrum regenerationis, &c.* quo renaſcimur & à Spiritu ſancto renovamur.
6. [p] *In nos abunde*, quod de corpore Eccleſiæ, non de ſingulis intelligendum. *Per Jeſum*, merito Chriſti.

7. [q] *Secundùm ſpem*, cum ſpe certiſſima hæreditatis conſequendæ.
8. [r] *Fidelis*, Arab. *verus*, indubitatus. *Sermo* quem dixi. *Et de his volo te confirmare, &c.* Syr. *de his itaque volo ut confirmes eos, ut illis cura ſit bona opera exequi qui crediderunt in Deum.* Ut ſermonem habeas, hæc affirmes, ut cum aſſeveratione doceas *Bonis operibus præeſſe*, primos eſſe in bonis operibus. *Hæc*, quæ dicta ſunt de juſtificatione & bonis operibus.
9. [ſ] *Genealogias*, vide I. ad Tim. cap. 1. verſ. 4. *Legis*, de lege.
10. [t] *Correptionem*, Gr. Arab. *admonitionem*.
11. [u] Syr. *Sciàs que ejuſmodi hominem perverſum eſſe, & ſceleratum, quique reum peragit ſeipſum.* *Subverſus*, abſque ulla ſpe correctionis. *Proprio judicio condemnatus*, propriâ electione & determinatione cauſam damnationis aſſumens, quia ſemetipſum ab Eccleſia ſeparat, & ſuum judicium ſequens, ſeipſum ita condemnat.
13. [x] *Legiſperitum*, doctum in lege Judæorum. *Ut*, ſicut. *Nihil illis deſit*, viaticum habeant.
14. [y] *Diſcant*, te hortante. *Noſtri*, Chriſtiani qui apud te ſunt rationem viatici procurandi oſtendit. *Bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios*. Syr. *operari bona opera in negotiis neceſſariis*. Ut prædicatoribus Evangelii neceſſaria præbeant. Vel, ut vacent alicui negotio & ſtudeant labori certo ne otioſi ſint & ventres pigri. *Non ſint infructuoſi*, ſine merito, non enim onus eſt ſed fructus, ſi bonis operibus, &c. ſtudioſè propter Deum incumbant.
15. [z] *Amant in fide*, amore perfecto & directo à fide.
Additur Gr. *Ad Titum Cretenſium Eccleſiæ primum Epiſcopum ordinatum, ſcripta eſt à Nicopoli Macedoniæ.* Syr. *Epiſtola ad Titum ex Nicopoli ſcripta, miſſa verò per manus Zenæ & Apollo. Finis.* Quod ex ſuperiori eorum commendatione quamdam habet probabilitatem.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Scripta eſt Romæ in primis vinculis Pauli, & miſſa per Oneſimum priùs ſervum Philemonis, quem cùm furatus eſſet fugit Oneſimus venitque Romam, ubi ab Apoſtolo converſus eſt. Sunt qui per Tychicum latam dicant.[a]

CAPUT I.

[a] *Salutatione præmiſſâ, laudat Philemonem de beneficentia in Chriſtianos.*

1. PAULUS [b] vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater: Philemoni dilecto, & adjutori noſtro.

2. Et [c] Appiæ ſorori chariſſimæ, Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt.

3. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

4. [d] Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tuî faciens in orationibus meis:

5. [e] Audiens charitatem tuam, & fidem quam habes in Domino Jeſu, & in omnes ſanctos:

6. [f] Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu.

7. Gaudium enim magnum habui, & conſolationem [g] in charitate tua: quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater.

8. [h] Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi quod ad rem pertinet:

Commendat ei Oneſimum ſervum, quem ipſe captivus Chriſto genuerat, ac rogat ut eum jam plane aliû in gratiam recipiat, &c.

9. [i] Propter charitatem magis obſecro, cùm ſis talis, ut Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti:

10. Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo,

11. Qui tibi aliquando [k] inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi utilis

12. Quem remiſi tibi. Tu autem illum ut mea viſcera, ſuſcipe:

13. Quem ego volueram mecum detinere, ut [l] pro te mihi miniſtraret, in vinculis Evangelii:

14. Sine [m] conſilio autem tuo nihil volui facere uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.

15. [n] Forſitan enim ideò diſceſſit ad horam à te ut æternum illum reciperes:

16. Jam non ut ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem, maximè mihi; quantò autem magis tibi, & in [o] carne, & in Domino.

17. Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me.

18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.

19. Ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam, [p] ut non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes.

20. [q] Ita frater, ego te fruar in Domino; refice viſcera mea in Domino.

21. Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & [r] ſuper id, quod dico, facies.

Monet illum de hoſpitio parando & finit epiſtolam ſalutationibus multorum commemoratis.

22. Simul autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras [ſ] donari me vobis.

23. Salutat te Epaphras concaptivus meus [t] in Chriſto Jeſu.

24. [u] Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei.

25. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen. [x]

---

[a] Æth. præfigitur: *Ad Philemonem, & ſcripta fuit quum eſſet in civitate Roma.*

1. [b] *Vinctus*, non quòd detineretur in ergaſtulo, ſed quò è ex more Romanorum militi foret concatenatus, Act. cap. 28. *Chriſti Jeſu*, pro Chriſto. *Adjutori*, quod rebus & opere quo poterat Evangelium Chriſti promoveret.

2. [c] *Appiæ*, uxori Philemonis, ut veriſimile eſt. *Archippo*, quis ſit, vide epiſt. ad Coloſſenſes, cap. 4. verſ. 17. *Tuo*, Philemonis, ad quem principaliter ſcribit.

4. [d] *Gratias ago*, ob ea quæ ſequuntur.

5. [e] Syr. *Fidem tuam & dilectionem quam habes, &c. Sanctos*, Chriſtianos.

6. [f] *Ut*, adeo ut. *Communicatio fidei tuæ*, illa tua in ſanctos beneficentia ex fide profecta. *Evidens fiat in agnitione omnis operis boni*, agnoſcentibus & prædicantibus opera tua bona, quæ plurima facis. *Quod eſt in vobis, &c.* quæ bona opera facis, & tua etiam recum Eccleſia ex beneficio gratiæ Chriſti.

7. [g] *In*, Syr *per*, Arab. *ob*, Æth. *ſuper*. *Requieverunt*, Syr. *refocillata ſunt.*

8. [h] Licèt ut Apoſtolus imperare poſſim, &c.

9. [i] Malo tamen te rogare per charitatem mutuam quâ devincti ſumus, ego qui talis ſum, cui ut ſeni, & vincto nihil denegare debes. Si loco verbi *ſis*, ponatur ut eſt, Syr. *ſum*, ſenſus eſt facilis. Hæc enim dicuntur à Paulo, ut magis moveat animum Philemonis.

11. [k] *Inutilis*, ut furti reus. *Tibi utilis*, talis nunc eſt ut utilitatem ab eo meritò expectes, tanquam à Chriſtiano, & proinde liberaliter ſerviturо. *Mihi*, per obſequium quod in carcere aſſiduè præſtat.

13. [l] *Pro te*, ut mihi præſtaret, quæ tu, ſi hîc eſſes, pro tua charitate mihi præſtiturus eſſes. *Evangelii*, Evangelii causâ.

14. [m] *Conſilio*, conſenſu. *Ut ne, &c.* Syr. *ne velut ex neceſſitate beneficium tuum eſſet, ſed ex voluntate tua.*

15. [n] Fortè Deus hunc diſceſſum permiſit, ut lumen Evangelii reciperet, & ſic tecum in Eccleſiam & in cœlum reciperetur. *Reciperes*, ut fratrem.

16. [o] *Carne*, temporalibus negotiis, & corporis ſervitio.

19. [p] *Ut non dicam*, omittens dicere. *Te ipſum*, ut potè à me converſum.

20. [q] *Ita*, ſi feceris quod rogo. *Fruar*, hunc fructum à te conſequar, Oneſimi reconciliationem.

21. [r] *Super id quod dico*, plus etiam quàm peto.

22. [ſ] *Donari*, Syr. *donatum iri*, Arab. *donandum.*

23. [t] *In Chriſto Jeſu*, Arab. *propter Jeſum Chriſtum.*

24. [u] Qui ſint illi, vide in fine Epiſtolæ ad Coloſſenſes.

25. [x] Additur Gr. *Ad Philemonem ſcripta eſt à Roma per Oneſimum ſervum.*

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

A Paulo ſcripta eſt, græcâ linguâ, ante deſtructionem templi Jeroſolymitani. In Italia, & fortè Romæ, cùm poſt duos prioris captivitatis annos liber factus eſt à vinculis, Nerone imperante, anno Chriſti ſexageſimo tertio.

Scripta eſt ut Hebræos ad fidem Chriſtianam converſos ſolaretur, eò quòd vexarentur ab aliis Judæis, & etiam quòd ipſi Judæi converſi æmulationem legis ſuæ habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam contendebant legalia ſimul cum Evangelio eſſe de neceſſitate ſervanda, ex quo Nazaræorum hæreſis emanavit, qui etiam quoſdam Gentilium converſos ad hunc inducebant errorem.

Quidam negarunt hanc eſſe Pauli, eò quòd & titulo careat, & in principio nomen ſuum tacuerit Apoſtolus: ſed inde probaretur nullius eſſe cùm nullius nomen præferat.

Multi volunt ſcriptam fuiſſe principaliter ad Judæos Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, qui enim in ea urbe remanſerant, peculiariter vocati ſunt Hebræi, & nondum libertatem à legis onere perceperant.

CAPUT I.

Volens Apoſtolus hac epiſtolâ probare excellentiam novi teſtamenti præ vetere, deſcribit primùm Chriſti dignitatem, quem hominibus locutum, & æqualem eſſe Patri oſtendit.

1. MULTIFARIAM, multiſque modis olim Deus
[a] loquens patribus in prophetis: noviſſimè,
2. Diebus iſtis locutus
eſt nobis [b] in Filio, quem
conſtituit heredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula.
3. Qui cùm ſit [c] ſplendor gloriæ, & figura
ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet
ad dexteram majeſtatis in excelſis:
4. Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. [d] Angelis longè excellentiorem teſtatur multis ſcripturæ locis.
5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego [e] hodie genui te? & rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium?
6. Et cùm [f] iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.
7. Et [g] ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.
8. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus, in ſæculum ſæculi: virga æquitatis, virga regni tui.
9. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem:
[h] propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.

1. [a] *Loquens*, Syr. Gr. Arab. Æth. *locutus*. *Patribus*, non tantùm Abraham & aliis patriarchis, ſed etiam Adam & aliis antiquioribus ipſo Abraham. *In prophetis*. Syr. Arab. Æth. *per prophetas*. Quo nomine etiam Adam, Henoch, Noë, & alii intelligi debent.

2. [b] *In Filio*, Syr. Arab. Æth. *per filium*. *Hæredem*, ſecundùm humanam naturam, & quia filius. *Per quem fecit*, ſecundùm divinam naturam. Operatur autem Pater per Filium tanquam per ideam, ſive exemplar in mente repoſitum. *Sæcula*, mundum, & res quaſcumque quæ tempore commenſurantur.

3. [c] *Splendor*, reſpectu Patris, confert illum radio qui oritur ex ſole, ut lumen de lumine. *Figura*. Syr. *imago*. *Subſtantiæ*, Arab. Æth. *perſonæ*, ſubſiſtentiæ, confert ſigillo impreſſo in cera. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, Syr. *complectitur virtute verbi ſui*. Arab. *omniaque ſuſtinens efficacia potentiæ ſuæ*, moderetur que omnia verbo potentiæ ſuæ. *Sedet*, etiam ut homo præcellit omnes creaturas.

4. [d] *Melior*, Syr. Gr. Arab. Æth. *præſtantior*. *Effectus*, tanquam major & excellentior præ angelis honoratus: reſpicit enim ad glorificationem quam Chriſtus paſſione ſuâ promeruit, quâ nimirum ut verus Dei filius ubique fuit agnitus, & prædicatus. *Differentius*, Syr. *excellentius*. *Nomen*, non nudum titulum denotat, ſed potentiam, dignitatem, excellentiam. *Hæreditavit*, phraſi ſcripturæ uſitata pro, jure obtinuit & poſſedit. Non enim hæreditavit quod ei natura merat, ſed hæreditavit rei nomen, id quo angelis & hominibus innotuit, ipſum eſſe Dei Filium.

5. [e] *Hodie*, æternaliter.

6. [f] *Iterùm*, alio ſcripturæ loco teſtatur ſe introducere.

7. *Ad angelos*, Syr. Æth. *de angelis*. *Qui facit*, &c. qui eos quorum natura ſpiritualis eſt & ignea, id eſt maximè activa; facit nuntios & miniſtros ſuos. Quod dicit ut probet angelos eſſe miniſtros. Chriſtum verò filium, &c. nihil enim magnum eſt in nomine Angelorum & miniſtrorum, cùm ea nomina in ſcripturis detur etiam vento & flammæ.

9. [h] *Propterea* quoniam dilexiſti juſtitiam, &c. *Unxit te Deus*, eâ unctione quâ jam ſtolâ gloriæ & immortalitatis indutus, ac regio diademate coronatus, in regni poſſeſſionem veniret. *Oleo exultationis*, propter fragrantiam: olei enim nomine unguentum odoratiſſimis aromatum generibus commixtum intelligitur. *Præ participibus tuis*, Arab. *plus quam conſortes tuos*, Æth. *præ tuis ſimilibus*. Fratribus ac filiis Dei, qui ad eamdem regni participationem vocantur.

10. Et: Tu in principio Domine terram [a] fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli.

11. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut veſtimentum veteraſcent.

12. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem ipſe es, & anni tui non deficient.

13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?

14. Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium [b] miſſi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis?

CAPUT II.

Cùm legis Moſaicæ transgreſſio dignam acceperit ultionem, multò majorem futuram dicit Apoſtolus contra transgreſſores præceptorum Chriſti.

1. [c] Propterea abundantiùs oportet obſervare nos ea quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.

2. Si enim qui [d] per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem:

3. Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus [e] ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt in nos, confirmata eſt,

4. Conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & [f] Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem.

Chriſto qui per paſſionem minoratus eſt ab angelis, propter ipſam tamen gloriâ & honore coronatum oſtendit, omniaque ei ſubjecta fuiſſe probat.

5. [g] Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.

6. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo quòd memor es ejus, aut filius hominis [h] quoniam viſitas eum?

7. [i] Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei.

9. Eum autem, qui [k] modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum, propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem.

Oſtendit Chriſtum, ut mortem deſtrueret, ſimilem hominibus non angelis effectum.

10. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam [l] adduxerat, autorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.

11. [m] Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens:

12. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.

13. [n] Et iterùm: Ego ero fidens in eum. Et iterùm: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.

14. [o] Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem: ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum:

15. Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam [p] obnoxii erant ſervituti:

16. Nuſquam enim [q] Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.

17. Unde debuit per [r] omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

18. [s] In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.

CAPUT III.

Longè excellentiorem Moyſe Chriſtum eſſe docet.

1. Unde fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, conſiderate [t] Apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum:

2. Qui [u] fidelis eſt ei, qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo ejus:

---

10. [a] *Fundaſti*, firmam ac ſtabilem reddidiſti.

14. [b] *Miſſi*. mitti ſoliti.

1. [c] *Propterea*, cum tanta ſit dignitas Chriſti legiſlatoris noſtri, & quod Deus per Filium locutus eſt. *Ne fortè pereffluamus*, Syr. *ne cadamus*, inſtar aquæ, quam ubi effluxerit, impoſſibile eſt colligere.

2. [d] *Per angelos dictus ſermo*, lex miniſterio Angelorum tradita Moyſi. *Factus eſt firmus*, Deo legem confirmante ſignis terribilibus, Dei pondus obtinuit, quia nullus impune legem contempſit. *Et omnis prævaricatio*, &c. Syr. *& quiſquis audiit, & transgreſſus eſt eum, accepit compenſationem in juſtitia.*

3. [e] *Salutem*, metonymicè, doctrinam ſalutarem. *Initium accepiſſet*, &c. Syr. *capiſſet*. Æth. *quæ primùm per Dominum enarrata eſt*. quæque audierunt, eam nobis confirmarunt. *Audierunt*, eam, ab ipſo Domino. *In nos*, de aliis loquitur in perſona ſua, in nos fideles. *Confirmata*, firmiter tradita.

4. [f] *Spiritus ſancti diſtributionibus*, gratiis gratis datis.

5. [g] *Non enim*, &c. redit ad argumentum ſuperioris capitis, quo probavit excellentiorem Chriſtum Angelis. *Orbem terræ futurum*. Eccleſia eſt Chriſtiana, vel ſtatus evangelicus, & regnum Meſſiæ inchoatum in primo ejus adventu, complendum in reditu ejus glorioſo.

6. [h] *Quoniam*, Syr. Æth. *quod*. Arab. *ut*. Supplendum, *at qui mundum Chriſto ſubjecit, id quod alicubi teſtatur quidam*, &c.

7. [i] Occupatio eſt ejus quod ab Hebræis objici poterat, Chriſtum mortalem inter homines egiſſe, imò male tractatum & fœdâ morte condemnatum: quæ omnia longè infra ſublimitatem dignitatis angelicæ eum conſtituunt. Sed hæc, inquit Apoſtolus, ad breve temporis ſpatium ei contigerunt, ita exigente negotio procurandæ ſalutis noſtræ.

9. [k] *Modico* tempore, paſſionis ſcilicet. *Ut gratia Dei*, &c. jungendum cum *paſſionem*. *Gratia Dei*, per gratuitam Dei patris bonitatem & beneficentiam. *Omnibus*, non de ſingulis, ſed de genere accipiendum eſt.

10. [l] *Adduxerat*, adducere decreverat per prædeſtinationem hoc exponendum de ſanctis tam veteris quam novi teſtamenti quia non ſolet Deus ad gloriam adducere, niſi per multas afflictiones. Si ergo Deus qui rerum omnium finis eſt & author, ideoque ſapientiſſimus judicavit hoc quam maximè ſe decere, ut poſtquam multos filios ſuos per multarum adverſitatum tolerantiam ad gloriam adduxerat, ſimiliter etiam authorem ſalutis illorum, id eſt, filium ſuum naturalem, per afflictiones ipſamque crucem, ad conſummatam gloriam perduceret. Non ergo minor cenſendus Chriſtus, quia ſe exinanivit.

11. [m] Chriſtus à Deo conſtitutus eſt pontifex, qui oblato ſacrificio ſanctificaret, id eſt, à peccatis emendaret genus humanum: atqui ſacerdos ſanctificans & populus ſanctificatus, ex uno ſunt, id eſt, ex eadem natura humana, ex eodem primo parente: nam ex eodem populo ſumi ſolent ſacerdotes: igitur & Chriſtus humanam carnem ſuſcipere debuit, eamque miſeriis & paſſionibus obnoxiam, qualem cæteri habent homines. *Confunditur*, Syr. Æth. *erubeſcit*, Arab. *dedignatur*.

13. [n] Chriſtus fidere non poteſt in Deum ſecundùm divinam naturam: ergo ſecundùm humanam quæ eadem eſt nobiſcum: & etiam probatur eadem natura ex eo quod filii illius ſimus.

14. [o] Jam cùm pueri carnem & ſanguinem habeant, ipſe ſimiliter iiſdem præditus fuit, &c.

15. [p] *Obnoxii ſervituti*, quia timore pœnarum, non amore juſtitiæ legem ſervabant.

16. [q] *Angelos*, angelicam naturam. *Apprehendit*, ut liberaret.

17. [r] *Omnia*, ad humanam naturam pertinentia. *Repropitiaret*, Syr. Arab. *expiaret*.

18. [s] *In eo enim in quo*, Syr. *ex eo enim quod*, ipſi contigit tentatum eſſe. *Tentatus*, labores, dolorem, malaque cætera perpeſſus.

1. [t] *Apoſtolum*, nuntium à Patre miſſum. *Pontificem*, quatenus ſacrificio ſui corporis Deum populo reddit propitium. *Confeſſionis noſtræ*, Æth. *quem confitemur*. fidei & doctrinæ quam profitemur.

2. [u] *Fidelis*, non à fide, ſed fidelitate in exequendo munere. *Facit*, Æth. *miſit*. *Omni domo*, ductu & gubernatione populi.

3. [a] Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.

4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus eſt.

5. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, [b] in teſtimonium eorum quæ dicenda erant:

6. Chriſtus verò tamquam Filius [c] in domo ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus.

Curandum ut Chriſto Hebræi in omnibus obtemperent, ne in modum patrum ipſorum increduli ab ejus requie repellantur.

7. Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis,

8. Nolite obdurare corda veſtra, ſicut [d] in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto,

9. [e] Ubi tentaverunt me patres veſtri; probaverunt, & viderunt opera mea

10. Quadraginta annis: Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas,

11. [f] Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

12. Videte, fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm [g] cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo vivo:

13. Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, [h] donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

14. [i] Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus.

15. [k] Dum dicitur: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illa exacerbatione.

16. Quidam enim audientes exacerbaverunt, ſed non univerſi qui [l] profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen.

17. Quibus autem infenſus eſt [m] quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto?

18. Quibus autem juravit non [n] introire in requiem ipſius, niſi illis, qui increduli fuerunt?

19. Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

CAPUT IV.

Toto hoc capite docet Chriſtum audiendum eſſe, ut per eum ingrediamur in æternam requiem.

Explicat quæ ſit requies per Davidem promiſſa, in quam, cùm Judæi propter incredulitatem non ſint ingreſſi, ipſaque non ſit requies ipſius Dei nec requies ſabbati, non poteſt eſſe niſi requies gloriæ cœleſtis & æternæ, quam adipiſcemur credentes verbo Dei.

1. [o] Timeamus ergo ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.

2. Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodum & illis: ſed non profuit illis ſermo [p] auditus, non admiſtus fidei, ex iis quæ audierunt.

3. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: [q] quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam; & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis.

4. [r] Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic: Et requievit Deus die ſeptimâ ab omnibus operibus ſuis.

5. Et in iſto rurſum: [f] Si introibunt in requiem meam.

6. Quoniam ergo [t] ſupereſt introire quoſdam in illam, & ii, quibus prioribus annuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem.

7. [u] Iterùm terminat diem quemdam: Hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſuprà dictum eſt: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.

8. Nam ſi eis [x] Jeſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur, poſthac, die.

9. [y] Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei.

10. Qui enim [z] ingreſſus eſt in requiem ejus:

3. [a] Syr. *Ut & longè amplior eſt honor ejus, qui ædificavit domum, quam ipſius ædificii.* Æth. *quemadmodum major tribuendus eſt honor domino domus qui conſtruxit eam, quàm ipſi domui.*

5. [b] *In teſtimonium*, &c. ad annuntiandum & exponendum. *Dicenda*, populo ex parte Dei.

6. [c] *In domo ſua*, Syr. Arab. *ſuper domum ſuam. Fiduciam*, fidem. *Gloriam ſpei*, ſpem glorificationis noſtræ, in qua gloriamur.

8. [d] *In exacerbatione*, Æth. *cùm exacerbaverunt eum*, Moyſen ſcilicet. *Secundùm diem*, Syr. Arab. Æth. *in die.*

9. [e] Supplendum, *ubi*, *inquit Dominus*, *tentaverunt me.*

11. [f] Syr. *Ita ut juraverim in ira mea illos non ingreſſuros in requiem meam. Si*, ſubaudiendam *neſim Deus*, ne ſim verax. Quod omittitur ob reverentiam jurantis. *Requiem meam*, requiem à me promiſſam.

12. [g] *Cor malum*, &c. Arab. *ſcelus infidelitatis, quo removeatur à Deo vero.* Æth. *cor malum & incredulum, quod recedere vos faciat à Deo vero.*

13. [h] *Donec hodie cognominatur*, quamdiu hodiernus dies hujus vitæ decurrit. Utitur enim voce *hodie* accommodans ſe teſtimonio pſalmi. *Cognominatur*, Syr. Arab. *vocatur*, Æth. *appellatur.*

14. [i] Syr. *Nam communicati ſumus Chriſto: ſi à principio & uſque ad finem in hoc ipſo vero fœdere perſeveraverimus. Initium ſubſtantiæ*, fidemque initium & fundamentum ſubſtantiæ quâ ſumus in Chriſto nova creatura.

15. [k] *Dum dicitur*, quamdiu dicitur.

16. [l] *Profecti*, Gr. th. *egreſſi.* Æ. *Per Moyſen*, Syr. Æth. *per manum Moyſi.* Verba Vulgatæ nullatenus favent ſenſui Apoſtoli, imò contrarium efficiunt, undè quidam interpretes putant mendum eſſe, & ex dictionibus & accentibus græcis ſic legendum *Quidam enim*, cùm audiſſent *exacerbaverunt*, nonne omnes qui egreſſi erant, &c.

17. [m] *Quadraginta annis*, ferè & circiter quadraginta, nam hæc pœnæ comminatio facta eſt ſecundo anno poſt exitum Hebræorum ex Ægypto.

18. [n] *Introire*, Syr. Arab. Æth. *ingreſſuros.*

1. [o] Syr. *Ne fortè ſi ante promiſſione ingrediendi in requiem ejus, inveniatur aliquis inter vos qui ingreſſu fruſtratus remaneat. Exiſtimetur*, videatur.

2. [p] *Auditus*, non participium eſt, ſed genitivi caſus pro auditionis, id eſt, de re audita, ut patet ex græco. *Ex iis quæ audierunt*, Arab. *ſermonem quem audierant. Ex iis*, de iis eorum.

3. [q] *Quemadmodum dixit*, ſcriptura; collectio eſt à contrariis. *Si introibunt*, Syr. *non ingreſſuros*, Æth. *quod non intrabunt. Et quidem operibus*, &c. ut explicet quæ nobis ſit requies promiſſa loquitur hîc & verſibus ſequentibus de triplici requie, quarum nulla nobis eſt expectanda. Itaque ſenſus eſt, Deum in memorato verſu pſalmi meminiſſe cujuſdam quietis, etiam poſt illam requiem quâ ipſe requievit ab opere creationis mundi ſex diebus abſoluto: quæ cùm ſit ipſa requies Dei ipſius, non eſt noſtra: ſed noſtræ exemplum. Alii aliter exponunt, & probant requiem fidelium eſſe ipſam requiem Dei, in quam ingreſſus eſt operibus perfectis, &c.

4. [r] *Dixit*, ſcriptura.

5. [f] *Si*, Syr. Arab. Æth. *non.*

6. [t] *Supereſt introire quoſdam in illam*, Arab. *ſuperſint quidam ingreſſuri in eam.*

7. [u] *Iterum*, &c. Arab. *rurſus quemdam præfinit diem, dicens. Per Davidem, hodie, poſt tantum temporis intervallum*, &c. Ergo cùm ii quibus loquebatur David, jam manerent in terra Chanaan, manifeſtum eſt quod agat cum iis de alia requie, quam de requie terræ promiſſionis. Quæ requies, *hodie*, id eſt, tempore hujus vitæ, patet per fidem & obedientiam promerenda.

8. [x] *Jeſus*, Syr. *Jeſus filius Nun. Loqueretur*, David.

9. [y] Quoniam requies à Davide promiſſa nondum eſt præſtita, reliquum eſt ut à *populo Dei* expectetur. *Sabbatiſmus*, id eſt, requies.

10. [z] *Ingreſſus eſt*, ingreſſus fuerit. *Requiem ejus*, cœleſtem quietem à Deo paratam. *Requievit*, requieſcet. *Operibus ſuis*, laborioſis actionibus hujus vitæ.

Digitized by Google

etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus.

11. [a] Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.

12. Vivus eſt enim [b] ſermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.

13. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, [c] ad quem nobis ſermo.

Agit de Chriſto pontifice noſtro per quem adire debemus thronum gratiæ, &c.

14. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos Jeſum filium Dei: [d] teneamus confeſſionem.

15. Non enim habemus pontificem, qui non poſſit compati [e] infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.

16. Adeamus ergo cum fiducia ad [f] thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

CAPUT V.

Deſcribit pontificis officium.

1. Omnis namque [g] pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.

2. Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt [h] infirmitate:

3. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.

4. Nec quiſquam ſumit ſibi [i] honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.

Oſtendit Chriſtum verum pontificem fuiſſe, & pro nobis interpellantem exaudiri.

5. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut pontifex fieret: [k] ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

6. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm [l] ordinem Melchiſedech.

7. Qui in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua [m] reverentia.

8. Et quidem [n] cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam:

9. Et [o] conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ,

10. [p] Appellatus à Deo pontifex juxta ordinem Melchiſedech.

11. [q] De quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Ruditatem carpit eorum ad quos ſcribit.

12. Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe [r] propter tempus: rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.

13. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, [s] expers eſt ſermonis juſtitiæ: parvulus enim eſt.

14. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem [t] boni ac mali.

CAPUT VI.

Hortatur ad perfectam doctrinam, cùm ipſe non intendat de primis fidei initiis tractare.

1. Quapropter intermittentes [u] inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum,

2. [x] Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni.

3. Et [y] hoc faciemus, ſi quidem permiſerit Deus.

11. a *Feſtinemus*, Syr. *demus operam*, Gr. Arab. *ſtudeamus*. *Ut non* in Syr. Arab. Æth.

12. b *Sermo Dei*, quem Deus ad homines loquitur, ſive promittendo, ſive exhortando, ſive minando. & hic eſt ſenſus: Studeamus ingredi in illam requiem, & credamus verbo Dei nobis annuntiato, ne pereamus cum incredulis. Non enim verbum Dei nunc minoris eſt virtutis quam fuit olim; ſed ſicut tunc omnis prævaricatio & inobedientia juſtam accepit retributionem, ita & nunc nobis accidet ſi tantam neglexerimus ſalutem. *Sermo Dei vivus eſt*, id eſt, non otioſus, aut actionis expers. *Et efficax*, id eſt, non fruſtratur ſuo effectu. *Penetrabilior omni gladio ancipiti*, quia Deus qui nobis loquitur oculis ſuæ cognitionis omnia penetrat. & quia tranſgreſſiones omnes quantumvis occultas acerrime puniet. *Pertingens uſque ad diviſionem*, pertingens uſque ad intima hominis penetranda quodammodo dividitur, id quaſi penetratur, ut interiora appareant. *Anima & ſpiritus*, idem duobus verbis. Vel, *anima* partis ſenſitivæ, *ſpiritus*, partis intellectualis. *Compagum ac medullarum*, ita docet nihil in animis noſtris occultum & abditum eſſe quod non penetret ſermo Dei. *Diſcretor*, Syr. *dijudicat*. Diſcernens quid probum aut reprobum, &c.

13. c *Ad quem nobis ſermo*, Syr. *cui reddunt rationem*, Arab. *apud quem futura eſt excuſatio noſtra*. *Ad quem*, de quo.

14. d *Teneamus confeſſionem*, Syr. *perſiſtamus in profeſſione ejus*, Æth. *ſimus confirmati in fide quæ in eo*. *Confeſſionem*, fidem quam ſumus profeſſi. Hortatus erat eos, ut ingrederentur in requiem, ne autem diffiderent ſe eam conſequi poſſe, monet ſe pontificem habere quem prius Apoſtolum dixerat.

15. e *Infirmitatibus* pronitati peccandi. *Tentatum per omnia*, omne genus malorum pœnalium hujus vitæ expertum. *Autem*, Syr. Arab. *ſed pro ſimilitudine abſque peccato*, Syr. Arab. *ſicut & nos*, *excepto peccato*. *Abſque peccato*, præter ſenſum qui per ſe patet, alius eſt germanus & ipſe. Ita tamen ut nihil eorum quæ paſſus eſt, & quibus tentatus, eum induxerit in peccatum.

16. f *Thronum gratiæ*, de Patre exponendum, non de Filio. Thronus enim ad regnum Chriſti pertinet, non ad ſacerdotium de quo hic *gratiæ*, Syr. *gratiæ ipſius*. *In auxilio opportuno*, Gr. *ad auxilium opportunum*.

1. g *Pontifex*, legalis & leviticus. *Dona*, res inanimatas. Vel, quod integrum manebat. *Sacrificia*, res animatas, aut quod conſumebatur, ſive totum ſive ex parte.

2. h *Infirmitate*, peccati.

4. i *Honorem*, pontificatus. Per legem nemini licebat ſe ingerere in id munus. Sed hic loquitur de erectione novi ſacerdotii, quale illud erat Chriſti: quæ talem certa vocationem exegit.

5. k *Sed*, ſupple, *illum clarificavit*.

6. l *Ordinem*, Syr. *ſimilitudinem*.

7. m *Reverentia*, active, quâ Patrem eſt proſecutus. Mens Apoſtoli non eſt, Chriſtum oraſſe Patrem ut ſervaretur à morte, ne eam ſubiret: alioqui quomodo exauditus eſt? ſed ut celerrime eriperetur à morte, quam erat paſſurus. Quod factum eſt quando à morte ad vitam immortalem reſurrexit tertio die.

8. n *Cùm*, Syr. Gr. Arab. *quamvis*. *Didicit*, experientiâ. Quamvis filius eſſet, eoque ſolo nomine dignus quem Pater exaudiret, tamen ut miſericors fieret pontifex nobis ad Deum, per eaque ex voluntate Patris paſſus eſt, obedientiam oſtendit & exercuit, quaſi obedientiæ diſcipulus.

9. o *Conſummatus*, per paſſiones ad gloriam adductus: ſacrificio peracto.

10. p *Appellatus*, declaratus. *A Deo*, cujus dicere ſeu nominare facere eſt. *Melchiſedech*, per ſacrificium panis & vini.

11. q *De quo*, Melchiſedech, vel, Chriſto, vel pontificatu. *Imbecilles*, &c. quia nimirum affixi erant legi Moſaicæ, atque adeo myſteriorum novæ legis explicationem ægrè & tardè capiebant. *Audiendum*, intelligendum.

12. r *Propter tempus*, Syr. *propter tempus quod impendiſtis doctrinæ*, vel quam jam dudum ſitis ſub diſciplina. *Quæ ſint elementa*, quæ prima divinorum oraculorum elementa ſint. *Dei*, de Deo.

13. s *Expers eſt ſermonis juſtitiæ*. Arab. *non habet experientiam in ſermonibus juſtitiæ*, Æth. *ignorat ſermonem juſtitiæ*. *Expers*, incapax. *Sermonis juſtitiæ*, hac voce *juſtitiæ*, comprehendit quidquid in doctrina Chriſtiana eſt ejuſmodi ut ſolis perfectis congruat. Vel, incapax eſt notitiæ myſteriorum, quale eſt ſacerdotium Chriſti.

14. t *Boni ac mali*, potiſſimum bonæ ac malæ doctrinæ.

1. u *Inchoationis Chriſti ſermonem*, doctrinam quæ tradi ſolet iis qui Chriſto initiantur.

2. x *Baptiſmatum doctrinæ*, doctrinam circa diverſa baptiſmata. *Impoſitionis manuum*, confirmationis.

3. y *Hoc faciemus*, ad majora pergemus relictis rudimentis. *Si quidem*, Syr. Arab. Æth. *ſi*.

Digitized by Google

Cùm baptizari nequeant qui poſt ſuſceptum baptiſmum rurſum in peccata relabuntur, imò timenda ſit illis æterna maledictio.

4. [a] Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti,

5. Guſtaverunt [b] nihilominùs bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi,

6. Et prolapſi ſunt: [c] rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.

7. Terra enim ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur; [d] accipit benedictionem à Deo.

8. Proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt, & maledicto proxima: cujus [e] conſummatio in combuſtionem.

Excitat Hebræos ad pœnitentiam ſpe præmii.

9. Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur.

10. Non enim injuſtus Deus ut obliviſcatur [f] operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.

11. Cupimus autem unumquemque veſtrûm eamdem [g] oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem.

12. Ut non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide & patientiâ [h] hæreditabunt promiſſiones.

Docet indubie præſtiturum Deum, quod interpoſito juramento Abrahæ promiſit.

13. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum,

14. Dicens: [i] Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.

15. [k] Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem.

16. [l] Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt juramentum.

17. [m] In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit juſjurandum:

18. Ut per [n] duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.

19. Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & [o] incedentem uſque ad interiora velaminis:

20. Ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus [p] ſecundùm ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.

CAPUT VII.

Toto hoc capite, ex ſacerdotio Melchiſedech docet Chriſti ſacerdotium præcellere leviticum. Id probat ex eo quod Melchiſedech decimas ab Abraham, atque in ipſo à Levi acceperit, qui Abraham etiam benedixit.

1. Hic enim [q] Melchiſedech, rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde regum, & benedixit ei:

2. Cui & decimas omnium diviſit Abraham: [r] primùm quidem qui interpretatur rex juſtitiæ: deinde autem & rex Salem, quod eſt, rex pacis,

3. [ſ] Sine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum.

4. [a] *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati*, Syr. *ſed non poſſunt ii qui ſemel ad baptiſmum deſcenderunt*. Æth. *pera non poteſt poſtquam baptizati ſunt*. Per *illuminatos* intelligit baptizatos; per *donum cæleſte*, remiſſionem peccatorum. Jungitur hæc pars cum præcedentibus hoc modo: ad perfectionem feremur, nec rurſum jaciemus fundamentum pœnitentiæ, fidei, baptiſmatis, ac cæterorum, ne videamur velle vos iterum catechiſare, & ad baptiſmum inſtituere, nam impoſſibile eſt ſemel baptizatos qui *guſtaverunt donum*, id eſt, acceperunt remiſſionem peccatorum, qualis accipitur in baptiſmo, nullum poſt ſe relinquentem pœnæ reatum, *participes factis*, chariſmatum *Spiritus ſancti*, quorum plerique tunc in baptiſmo fiebant participes.

5. [b] *Nihilominus*, non in Syr. Gr. Arab. Æth. *guſtaverunt bonum Dei verbum*, doctrinam cœleſtia bona promittentem cum ſuavitate & gaudio perceperunt. *Virtutes ſæculi venturi*, immortalitatem & gloriam electis promiſſam, &c.

6. [c] *Rurſus renovari ad pœnitentiam*, Arab. *per pœnitentiam*. Iteratâ actâ pœnitentiâ, talem conſequi novitatem quam in baptiſmo acceperant. *Rurſum crucifigentes*, &c. per baptiſmum commorimur Chriſto, & ipſe in nobis commoritur, atque baptiſmi cæremoniâ configuramur Chriſto crucifixo, &c. *Oſtentui habentes*, Syr. *ignominiâ afficere*, ludibrio exponentes, quia baptiſmus eſt repræſentatio crucis, in qua Filius Dei fuit oſtentui habitus. Agit forſan de iteratione baptiſmi ne Judæi ad quos ſcribebat ſentirent de illo ſicut de lotionibus legalibus, quæ frequentes erant, &c. vel, melius, non tam agit de baptiſmo, quàm de effectu illius. Effectum dico, non characterem, ſed eum qui peccando amittitur, id eſt, gratiam regenerationis, ac renovationis: non quòd ſemel amiſſâ gratiâ recuperari non poſſit, ſed quia Deus nullum inſtituit remedium, quo tam facile gratia recuperetur amiſſa ſicut per modum renovationis in baptiſmo, in quo ſarcina peccatorum, abſque pœnæ reatu, deponitur ab eo qui gratiam nunquam habuit. Licèt autem hic locus videatur exponendus de baptiſmo, tamen poteſt etiam intelligi de Apoſtaſia, aut aliis gravibus peccatis, de quo rationes afferuntur à multis interpretibus.

Hæc etiam de Judæis ad fidem converſis, & poſteà ad Judaiſmum redeuntibus, qui rurſum crucifigunt, quantum in ipſis eſt, Filium Dei.

7. [d] *Accipit benedictionem*, dum præſtatur à Deo, ut herba quam produxit, ad ſegetis maturitatem & fœcunditatem perveniat.

8. [e] *Conſummatio*, Syr. Gr. Arab. Æth. *finis*. Quòd hæc ſimilitudo referatur ad hominem nulla eſt difficultas, ſed maxima eſt quomodo referatur ad proximè dicta, ſi intelligatur de baptiſmo non iterando. Sicque explicari poteſt, ſicut terra bene culta & cœlitus irrigata, ſi non gignat herbam utilem, ſed ſpinas & tribulos, deputatur incendio: ſic qui baptizatus eſt ac donorum cœleſtium particeps factus, ſi fructum bonorem operum non ferat, ſed in gravia peccata prolapſus fuerit, vix eſt ut renovari ac reſtitui queat, ſed magnum ei periculum eſt, ne tam prava ſua operibus in ignem mittatur æternum, &c. Si de Judæis Apoſtatis exponatur, nulla eſt difficultas.

10. [f] *Operis veſtri*, firmitatem in fide Evangelii. *In nomine ipſius*, propter ipſum ejuſque amorem & gloriam.

11. [g] *Oſtentare*, Syr. Arab. *ut oſtendat*, Æth. *oſtendatis*. *Expletionem ſpei*, rei ſperatæ, & etiam perfectionem ſpei, quæ cum pietate in nobis creſcit. ſic enim explebitur & certior reddetur ſpes veſtra. *Uſque in finem*, refertur ad *oſtentare*. *Uſque in finem*, vitæ.

12. [h] *Hæreditabunt*, Syr. Arab. Æth. in præterito, Gr. in præſenti.

14. [i] *Niſi*. Gr. *certe*, Arab. *juravi ergo revera, quòd*. Juramentum execratorium eſt, cujus execratio ſupprimitur propter reverentiam. Non mihi deinceps credatur, niſi benedixero tibi.

15. [k] Licèt re promiſſa poſt mortem Abrahæ completa fuerit, dicitur tamen quod illam adeptus ſit, quia res promiſſa adepta eſt.

16. Syr. *Ac de omni contentione, quæ accidit inter eos vera ſolutio ſit per juſjurandum*. *Confirmationem*, veritatis.

17. [m] *In quo*, Syr. *quapropter*. *Abundantius*, jungendum cum *oſtendere*. *Pollicitationis hæredibus*, intelligendum in quorum numero vos eſtis.

18. [n] *Duas res*, promiſſionem & juramentum. *Quibus*, Syr. Gr. *in quibus*. *Qui confugimus*, &c. Syr. *qui confugimus ad eum, ut prehendamus ſpem illam quæ promiſſa eſt nobis*. confugimus à Judaiſmo ad Evangelium. *Spem*, rem ſperatam.

19. [o] *Incedentem*, ſpes illa velut anchora incedit ac penetrat *Interiora velaminis*, ſanctum ſanctorum: allegoricè agit de bonis cœleſtibus, &c.

20. [p] *Secundùm ordinem Melchiſedech*, ſine ſucceſſione atque adeo in æternum, ad differentiam ſacerdotii legalis, in quo ſacerdotes ſucceſſivè, &c. *Ordinem*, Syr. *ſimilitudinem*.

1. [q] *Melchiſedech*. Non Sem primogenitus Noë, ut quidam dicunt, fuit enim Melchiſedech rex Salem in terra Chanaan, at Sem regnum non in unius tantum civitatis anguſtia, & inter Chananæos alieni generis homines, id eſt, poſteros Cham, accipere potuit, vel etiam debuit.

2. [r] *Primùm quidem*, &c. Syr. *exponitur autem nomen illius, rex juſtitiæ*, &c. Primùm hoc dico de Melchiſedech: incipit enim quæ de Melchiſedech dicit, ad Chriſtum accommodare, cujus gratia hæc dicerat.

3. [ſ] Syr. *Cujus neque pater, neque mater ſcribuntur in generationibus, nec initium dierum ejus, neque finis vitæ ipſius, ſed in ſimilitudinem filii Dei permanet pontificatus ejus in æternum*. *Sine patre*, &c. quod de his omnibus altum ſilentium ſit in ſcriptura, at-

Digitized by Google

4. Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit [a] de præcipuis Abraham patriarcha.

5. Et quidem de filiis Levi ſacerdotium accipientes, [b] mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, id eſt, à fratribus ſuis; quanquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ.

6. Cujus autem generatio non annumeratur [c] in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſiones, benedixit.

7. Sine ulla autem contradictione, quod minus eſt, à [d] meliore benedicitur.

8. Et [e] hic quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit.

9. Et [[f] ut ita dictum ſit] per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus eſt:

10. Adhuc enim in lumbis patris [g] erat, quando obviavit ei Melchiſedech.

Probat ex eo quod ſacerdotium leviticum perfectam juſtitiam non conferret.

11. Si ergo [h] conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici?

12. Tranſlato enim ſacerdotio neceſſe eſt ut & [i] legis tranſlatio fiat.

13. [k] In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit.

14. Manifeſtum eſt enim quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de [l] ſacerdotibus Moyſes locutus eſt.

Probat ex æternitate ſacerdotii Chriſti.

15. [m] Et ampliùs adhuc manifeſtum eſt: ſi ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos.

16. Qui non ſecundùm [n] legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis.

17. [o] Conteſtatur enim: Quoniam tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.

18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.

19. Nihil enim ad [q] perfectum adduxit lex: introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.

Probat quod ipſum ſuit juramento Dei firmatum.

20. [r] Et quantum eſt non ſine jurejurando (alii quidem ſine jurejurando ſacerdotes facti ſunt;

21. Hic autem cum jurejurando, per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum.)

22. [ſ] In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.

23. Et [t] alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere.

24. Hic autem eo quod maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium.

Dignitatem explicat & vim ſacerdotii Chriſti propter ſanctitatem mediationemque ipſius.

25. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro [u] nobis.

26. Talis enim decebat ut nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, [x] ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus:

27. Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum [y] ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populis: hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo.

28. Lex enim homines conſtituit ſacerdotes [z] infirmitatem habentes: ſermo autem jurisjurandi, qui poſt legem eſt, Filium in æternum perfectum.

CAPUT VIII.

Oſtendit Chriſtum eſſe verum non typicum pontificem, & Novi teſtamenti mediatorem.

1. [aa] CApitulum autem ſuper ea quæ dicuntur: talem habemus pontificem, qui

que adeo hæc inſerviant ad æternitatem ſignificandam; in quo Melchiſedech aſſimilatur Chriſto quantum ad ſacerdotium.

4. [a] *De præcipuis*. Gr. *ex manubiis ſpoliis*. Quemadmodum Melchiſedech major eſt Abraham, à quo decimas accepit, & quem benedixit, atque adeo major etiam filiis Aaron ſacerdotibus & Levitis; qui ſunt progenies Abrahæ: ſic etiam Chriſtus major eſt Abraham & ſacerdotibus Leviticis, auctor item benedictionis Abrahæ & omnium fidelium, qui ſunt veri filii Abrahæ.

5. [b] *Mandatum*, ſumitur generaliter pro conſtitutione legis ſive præcipientis, ſive concedentis, ſive permittentis. *Mandatum habent*, jus habent.

7. [c] *In eis*, Arab. *inter illos*. *Habebat*, Syr. *acceperat*, cui factæ erant promiſſiones.

7. [d] *Meliore*. Gr. Syr. Arab. *præſtantiore*, Quod de benedictione ſolemni intelligi debet.

8. [e] *Hic*, in ſacerdotio Levitico. *Morientes*, mortales. *Ibi autem conteſtatur*, &c. Syr. *illic autem is de quo teſtata eſt ſcriptura ipſum vivere*. *Ibi*, in ipſo Melchiſedech. *Vivit*, quia nihil dicit de morte ejus. Quod fit in figura Chriſti ſacerdotis in æternum.

9. [f] *Ut ita dictum ſit*, ut ita dicam, emolliendo ſermonem, quia minus propriè is qui non eſt decimatur ab alio. *Per Abraham*, &c. Arab. *quod Levi qui decimas accipiebat, in Abraham decimatus eſt*.

10. [g] *Erat*, Levi. *Ei*, Abrahæ.

11. [h] *Conſummatio*, Arab. *perfectio*. Hoc nomine vocat juſtificationem, ſeu peccatorum remiſſionem. *Ordinem*, Syr. *ſimilitudinem*. Si perfectio hominum Deum colentium, id eſt, juſtificatio contingebat per ſacerdotium Leviticum, ſub quo, & cum quo populus legem accepit, quid præterea fuit opus alium ac diverſum exoriri ſacerdotem, qui non ſecundùm ordinem Aaron diceretur, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech? ſed non poteſt dici fruſtra à Deo per Davidem promiſſum ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech: ergo ceſſare debuit ſacerdotium leviticum, & cedere ſacerdotio perfectiori, etiam cum lege ſibi connexa, ut ſequitur.

12. [i] *Legis tranſlatio*, ſed quomodo Chriſtus. *Non veni legem ſolvere*, &c. reſponſio. Aut loquitur Apoſtolus de lege ſacerdotali, ut ipſe innuere videtur his verbis præcipuè verſu 28. *Lex enim homines conſtituit ſacerdotes*, &c. & præcedentibus verbis hujus capitis, vel per legem intelligendum eſt Apoſtolus loqui de teſtamento, ut innuere videntur verba cap. 8. verſ. 6. *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium*, &c.

13. [k] Syr. *Is enim de quo hæc dicuntur de alia tribu natus eſt, de qua nemo unquam miniſtravit altari*. *In quo*, &c. alius ille ſacerdos de quo hæc dicuntur, Chriſtus ſcilicet, &c.

14. [l] *Sacerdotibus*. Gr. Arab. *ſacerdotio*.

15. [m] Arab. *Idque multo etiam evidentius eſt ex eo quod alius adinſtar Melchiſedech ſurrexerit adhuc ſacerdos*. *Manifeſtum*, legem transferendam. Vel, ſacerdotium leviticum.

16. [n] *Legem mandati carnalis*, intellige carnalem ſucceſſionem, qui juxta præſcriptum legis alligatum erat ſacerdotium vetus: ſenſus eſt, quia Chriſtus non ita factus eſt ſacerdos, ut vel ipſe priori ſuccederet, vel alium poſt ſe relinqueret, ſed ex virtute divina, quæ vitam ei præſtat inſolubilem, id eſt, immortalem, ut ſucceſſori non ſit locus. *Virtutem*, Syr. *potentiam*.

17. [o] Syr. *Atteſtatur enim de eo*. *Conteſtatur*, Deus per Davidem. *Ordinem*, Syr. *ſimilitudinem*.

18. [p] *Reprobatio*, Syr. *mutatio*, Gr. *abrogatio*. *Infirmitatem & inutilitatem*, non ſimpliciter quidem, ſed quia nec per præcepta nec per ſacrificia poterat homines reddere juſtos.

19. [q] *Perfectum*, veram juſtitiam. *Spei*, hic non pro objecto, ſed pro cauſa: loco præcedentis mandati introducitur aliquid multo melius nempe lex & ſacerdotium Chriſti, ſpem nobis certiſſimam faciens appropinquandi ad Deum per veram juſtitiam: reſumenda argumentatio Apoſtoli, ut ſenſus ſit clarior. ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgit alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis: ergo reprobatio fit præcedentis mandati, introductio verò melioris ſpei: reliqua per Parentheſim dicuntur.

20. [r] Syr. *Et eam confirmavit nobis jurejurando*. Et in quantum non ſine jurejurando factus eſt ſacerdos.

22. [ſ] *In tantum*, quantum majora & præclariora ſunt quæ commemoravimus. *Sponſor*, mediator.

23. [t] *Alii*, Syr. Gr. *illi*.

25. [u] *Nobis*. Syr. Gr. Arab. Æth. *eis*.

26. [x] *Segregatus*, vitæ & morum puritate. *Peccatoribus*, Æth. *peccato*.

27. [y] *Sacerdotes*, Syr. *ſummo ſacerdoti*.

28. [z] *Infirmitatem habentes*, peccatis obnoxios. *Sermo jurisjurandi*, decretum Dei ſignificatum illo verſu Pſalmi, *Juravit Dominus*.

1. [aa] *Capitulum autem ſuper ea, quæ dicuntur*, Syr. *caput autem omnium*, Arab. *cæterum ſumma eorum quæ dicta ſunt*, *eſt*. *Magnitudinis*, Syr. Arab. *majeſtatis*.

Digitized by Google

conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis,

2. [a] Sanctorum miniſter & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo.

3. Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur: unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat:

4. [b] Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos: cùm eſſent qui offerrent ſecundùm legem munera,

5. Qui exemplari & umbræ deſerviunt cœleſtium. Sicut reſponſum eſt Moyſi, cùm [c] conſummaret tabernaculum: vide [inquit] omnia facito ſecundùm exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte.

6. [d] Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.

Novi Teſtamenti neceſſitatem probat ex imperfectione veteris, & ex promiſſione Dei.

7. Nam ſi illud prius [e] culpâ vacaſſet: non utique ſecundi locus inquireretur.

8. Vituperans enim eos, dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda, teſtamentum novum;

9. Non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum, in [f] die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.

10. Quia hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſraël [g] poſt dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum:

11. [h] Et non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me à minore uſque ad majorem eorum:

12. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.

13. Dicendo autem novum [i] veteravit prius, quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.

CAPUT IX.

Confert ritus ſacerdotii veteris cum novo, oſtendens ex imperfectione hoſtiarum veteris Teſtamenti, perfectionem novi.

1. [k] HAbuit quidem & prius juſtificationes culturæ, & ſanctum ſæculare.

2. Tabernaculum enim factum eſt [l] primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur ſancta.

3. Poſt velamentum autem [m] ſecundum, tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum:

4. [n] Aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.

5. Superque eam erant cherubim [o] gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non eſt modò dicendum per ſingula.

6. His verò ita compoſitis; in priori quidem tabernaculo [p] ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes:

7. In ſecundo autem [q] ſemel in anno, ſolus pontifex non ſine ſanguine, quem offert pro ſua & populi ignorantia:

8. Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe [r] ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.

9. [s] Quæ parabola eſt temporis inſtantis: juxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis, & in potibus,

10. Et variis [t] baptiſmatibus, & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis.

2. [a] *Sanctorum*, Syr. *ſanctuarii. Tabernaculi*, cœli, in quo Jeſus miniſtri facit officium, interpellando pro nobis. *Veri*, verum hic non opponitur falſo, ſed figurativo & umbratico.

4. [b] *Si ergo eſſet ſuper terram*, &c. ſi in terris tantum obeundum ei fuiſſet miniſterium, nihil opus erat eum fieri ſacerdotem, quod in Pſalmo prædicitur, cùm ſteriſſet adhuc ſacerdotium leviticum, & duo ſacerdotia non poſſunt de jure ſimul eſſe, &c. vel, ſi id quod offerat, eſſet ſuper terram, id eſt, de iis quæ ſunt ſuper terram, &c. unde tacite colligitur dignitas hoſtiæ offerendæ. *Cùm eſſent*, &c. quando quidem ſacerdotes qui ſecundum legem hoſtias offerrent, jam erant à lege conſtituti, ut ad eas offerendas alio ſacerdote opus non eſſet eo præſertim, quem lex ab altari repelleret, utpote extraneo à genere ſacerdotali.

5. [c] *Conſummaret*, conſummaturus eſſet: ratio cur ſacerdotium leviticum adhuc durare non poſſit, quia umbra eſt futurarum rerum, & tantiſper manſurum, donec veritas cœleſtis terreſtres typos abrogaret.

6. [d] *Nunc*, in lege gratiæ, cùm non ſit ſuper terram, &c.

7. [e] *Culpa*, defectu.

9. [f] *In die, quâ apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Ægypti*, quo tempore eos velut apprehensâ manu eduxi ex Ægypto.

10. [g] *Poſt dies illos*, poſt aliquantum temporis ſpatium.

11. [h] Inter vos quibus ferram Teſtamentum novum, filios ſcilicet promiſſionis, nullus erit qui proximum ſeu fratrem ſuum, videlicet ejuſdem Teſtamenti conſortem, doceat notitiam, amorem, & obſervantiam mei: omnes enim illi cognoſcent, amabunt, obſervabunt me, quia legem meam habebunt inditam & inſcriptam in cordibus ſuis. *Non docebit*, non multo labore opus erit, quia pauca præcepta, &c. Hoc intelligendum comparate cum vetere Teſtamento, quando notitia Dei ad unam Gentem erat adſtricta, & exigua erat, præcipuique ſacerdotes etiam minus intelligerent myſterium Chriſti, quam nunc unus puerulus bene inſtitutus.

13. [i] *Veteravit*, Syr. Arab. Æth. *antiquavit*.

1. [k] Syr. *In primo autem erant præcepta miniſterii, & ædes ſancta mundana*, Arab. *igitur in priore fœdere continebantur ſtatuta miniſterii, ſanctitas mundana. Juſtificationes culturæ*, mandata ad Dei cultum pertinentia qui aſuo modo juſtificabant. *Sanctum ſæculare*, tabernaculum, quod ſæculare vocat ad differentiam cœleſtis.

2. [l] *Primum*, prima pars tabernaculi. *Candelabra*, candelabrum unum erat, ſed habebat ſeptem brachia, totidemque lucernas. *Quæ dicitur ſancta*, hæc verba referuntur ad *tabernaculum*, quod in Græco eſt fœminini generis.

3. [m] *Secundum*, quia velamen prius ad primum ingreſſum tabernaculi, Exod. c. 26.

4. [n] *Aureum habens thuribulum*, &c. de vero thuribulo exponit Calmet, in quo pontifex incenſum offerebat in die expiationis, & quod relinquebat in ſancta ſanctorum: ſed cùm ſcriptura nuſquam hæc dicat, alii permulti exponunt de altari thymiamatis, quod habere dicebatur ſanctum ſanctorum propter ſuffitum quem faciebat pontifex ſemel in anno ingrediens ſanctum ſanctorum, cujus fumus è proximo ſanctum locum occupans obnubilaret: ſic etiam de virga Aaron, & urna aurea ſentiendum dicunt, de quarum etiam in arca collocatione ſcriptura tacet, & quæ non poterant eſſe in arca duorum & ſemis cubitorum longitudinis, præſertim virga Aaron quæ debuit eſſe oblonga, ut ſolent eſſe virgæ paſtorales, ſi quidem ad oves ſuas ſuas paſcendas in Madian, Moyſes eâ primùm uſus fuerat unde vox illa, *in* debet exponi per juxta, prope, quod multis exemplis è ſcriptura petitis probari poteſt.

5. [o] *Gloriæ*, teſtes præſentiæ Dei, & inter quos majeſtas Dei ſe oſtendebat. *Dicendum*, quantum ad ea quæ figurabant.

6. [p] *Semper*, quotidie. *Sacrificiorum officia*, Syr. *miniſterium ſuum*, Gr. *ſacrorum ritus*, Arab. *officia ſua ſanctitatis*, Æth. *oblationes eorum*.

7. [q] *Semel*, uno tantùm die, quo pluribus vicibus intrabat, &c. *Ignorantia*, peccatis in genere.

8. [r] *Sanctorum*, in neutro: cœli per ſancta ſanctorum ſignificari, vel, gratiæ novi Teſtamenti per quam nobis eſt aditus ad cœlum. *Priore tabernaculo*, lege veteri.

9. [s] Syr. *Erat autem hoc exemplar pro tempore illo, in quo oblationes & victimæ offerebantur quæ non poterant perficere conſcientiam illius qui offerebat eas, ſed in cibo & potu tantum parabola*, figuralis ſimilitudo. *Inſtantis*, reſpectu tabernaculi, non verò reſpectu temporis quo Paulus ſcribebat, ut patet ex Syr. & Gr. *juxta quam*, parabolam. *Servientem*, ſummum illum pontificem & alios ſacerdotes. *Solummodo*, &c. non refertur ad *perfectum facere*, ſed ad *ſervientem*, agit enim de iis quæ ſacerdos munera vel hoſtias offerens obſervare debebat, vel ante ſacrificium vel poſt.

10. [t] *Baptiſmatibus*, Syr. *lotionibus, ſuſſitibus*, Arab. *ritibus. Juſtificationibus*, carnis quia ritus illi valebant tantùm ad munditiam corporalem & externam, quam lex exigebat ut quis aptus eſſet ſacrificiis offerendis. *Tempus correctionis*, tempus Chriſti & Evangelicæ

11. Chriſtus

11. Chriſtus autem [a] aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis,

12. Neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introivit [b] ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.

13. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis:

14. Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?

Mirum non eſſe dicit ea ſacrificia fuiſſe iterata, Chriſtum autem, quem mori neceſſe fuit ſemel duntaxat oblatum deleviſſe peccata.

15. Et ideo novi teſtamenti mediator eſt; [c] ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis.

16. Ubi enim teſtamentum eſt: mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.

17. Teſtamentum enim [d] in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt.

18. Unde nec primum quidem ſine ſanguine [e] dedicatum eſt.

19. Lecto enim omni mandato legis à Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum [f] aqua, & lana coccinea & hyſſopo, ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit,

20. [g] Dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.

22. Etiam tabernaculum, & [h] omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit.

22. Et omnia pœnè in ſanguine ſecundùm legem mundantur; & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.

23. Neceſſe eſt ergo [i] exemplaria quidem cœleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis.

24. Non enim in manufacta [k] ſancta Jeſus introivit, exemplaria verorum: ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

25. Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in [l] ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno.

26. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel [m] in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit.

27. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium:

28. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata, ſecundò [n] ſine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem.

CAPUT X.

Propter imperfectionem legis & ſacrificiorum veteris Teſtamenti, docet neceſſarium fuiſſe novum induci, cujus unica hoſtia auferrentur univerſa peccata.

1. [o] UMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum: per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis quas offerunt indeſinenter, numquam poteſt accedentes perfectos facere.

2. Alioquin ceſſaſſent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati.

3. Sed in [p] ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit.

4. [q] Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

5. Ideo ingrediens mundum dicit: [r] Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi:

6. Holocautomata [ſ] pro peccato non tibi placuerunt.

7. [t] Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

8. Superiùs dicens: Quia hoſtias & oblationes & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur,

9. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam; aufert [u] primum, ut ſequens ſtatuat.

legis, quo lex corrigenda & antiquanda erat: non quòd eſſet mala, ſed imperfecta.

11. [a] *Aſſiſtens*, Gr. *adveniens*, Arab. *cùm adveniſſet*, eſt enim antiſtes. *Amplius*, Gr. Æth. *majus*. *Tabernaculum*, corpus ſuum ſcilicet. *Non hujus creationis*, Syr. *nec ex hiſce creaturis*, Æth. *neque quod fuit ex hoc mundo*, non humano opificio aut arte elaboratum.

12. [b] *Semel*, non in anno, ſed in omni ævo ad ejus finem. *Sancta*, cœlum. *Æterna redemptione inventa*, perfectæ & æternæ juſtificationis author effectus.

15. [c] *Ut morte intercedente*, &c. Syr. *ut per mortem ſuam fieret redemptio iis, qui tranſgreſſi fuerunt primum, ut illi promiſſionem conſequantur, qui vocati ſunt ad hereditatem æternam*. Arab. *accipiant vocati promiſſionem æternæ hereditatis*.

17. [d] *In mortuis*, teſtatoris morte. *Confirmatum*, Gr. Æth. *ratum*. *Nondum valet*, vim & efficaciam non habet.

18. [e] *Dedicatum*, Syr. *confirmatum*, Exod. c. 24.

19. [f] *Aqua* & quidem copioſâ, ut ſanguis liquidior & copioſior eſſet ad aſperſionem, & ne illo cuncta fœdarentur.

20. [g] Hic eſt ſanguis quo dedicatur & confirmatur fœdus, quod Deus ſuo mandato & meo miniſterio, nunc vobiſcum pepigit: unde Chriſtus his verbis uti voluit in cœna, quia ſicut ſanguis ille veteris erat, non ſignum ſanguinis, ſic & ſanguis novi Teſtamenti confirmativus, non ſignum ſanguinis eſt, ſed verus.

21. [h] *Omnia vaſa*, nomine vaſorum intelligit id omne quod ſive miniſtris, ſive ad miniſterium ſerviebat. Id autem non fecit niſi longo tempore poſtquam librum aſperſit, ſcilicet poſt conſtructionem tabernaculi, &c. aliud autem præſtitum fuit illâ cæremoniâ, quæ deſcribitur 8. cap. Levit. cùm Moyſes aſperſit ſuper Aaron & filios ejus & veſtimenta eorum, quod enim in parte expreſſum eſt a Moyſe, Paulus intelleæit ad totum poſſe referri.

23. [i] *Exemplaria cœleſtium*, ſic appellat res omnes veteris Teſtamenti, quæ figura erant rerum omnium novi Teſtamenti; unde intelligenda ſunt per *cœleſtia*, Arab. *cœleſtia novi Teſtamenti*, illa omnia quæ ad illud pertinent, ut Eccleſia Chriſtiana. *Melioribus hoſtiis*, enallage numeri, una Chriſti hoſtia.

24. [k] *Sancta* ſanctuarium.

25. [l] *Sancta* ſanctorum.

26. [m] *In conſummatione ſæculorum*, ultimâ mundi ætate poſt quam non expectatur alia. *Ad deſtructionem peccati*, Syr. Æth. *ut aboleret peccatum*.

28. [n] *Sine peccato*, ſine ſimilitudine peccati, id eſt, non in carne paſſibili, nec portans peccatum, quemadmodum quando ſe obtulit in cruce.

1. [o] *Umbram habens*, &c. lex erat umbra; Evangelium, imago, cœlum & bona futura & æterna, res ipſa. *Non ipſam imaginem*, imago hic ſumitur pro re ipſa exhibita ac repræſentata. *Per ſingulos annos*, &c. Syr. *idcirco & ſi quolibet anno illa ipſa ſacrificia offerrentur, numquam potuerunt perficere eos qui ipſa offerebant*.

3. [p] *Ipſis*, ſacrificiis diei expiationis.

4. [q] *Impoſſibile*, &c. quia per ablutionem exteriorem, anima quæ ſedes eſt peccatorum, non poteſt purgari.

5. [r] *Hoſtiam*, de rebus animatis. *Oblationem*, de inanimatis. *Noluiſti*, quia per ea, quatenus ad legem pertinent, nec placatur Deus, nec quicquam veræ ſanctitatis nobis impertitur. *Corpus*, quod tibi offerrem.

6. [ſ] *Pro peccato*, Gr. *& pro peccato*, Syr. *quæ fiunt pro peccatis*, Arab. *quæ pro peccatis offeruntur*.

7. [t] *Tunc*, quando & quia vidi legis ſacrificiis te placari non poſſe: ideo meipſum, aſſumpto corpore quod mihi aptaſti, paratum obtuli ad faciendam tuam voluntatem. *Capite*, volumine, de libro & quomodo hæc prius referantur ad Davidem, videatur Eſtius.

8. [u] *Primum*, ſacrificia veteris Teſtamenti. *Sequens*, ſacrificium Chriſti, cui locus eſſe non poterat, niſi prius illa tollerentur.

10.[a] In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.

11.[b] Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata:

12. Hic autem unam pro peccatis[c] offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei,

13.[d] De cætero expectans donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus.

14. Unâ enim oblatione, conſummavit[e] in ſempiternum ſanctificatos.

15. Conteſtatur autem[f] nos & Spiritus ſanctus. Poſtquam enim dixit:

16 Hoc autem teſtamentum, quod[g] teſtabor ad illos poſt dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum & in mentibus eorum ſuperſcribam eas;

17. Et peccatorum & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.

18. Ubi autem horum remiſſio:[h] jam non eſt oblatio pro peccato.

Niſi fide, ſpe, charitate, ac bonis operibus Chriſto adhæſerimus, acerbius puniemur quàm veteris Teſtamenti tranſgreſſores.

19. Habentes itaque fratres fiduciam[i] in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti,

20.[k] Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam,

21.[l] Et ſacerdotem magnum ſuper domum Dei.

22. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala & [m] abluti corpus aquâ mundâ,

23. Teneamus[n] ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt qui repromiſit.)

24.[o] Et conſideremus invicem in provocationem charitatis & bonorum operum:

25. Non deſerentes[p] collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes & tantò magis quantò videritis appropinquantem diem.

26.[q] Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia,

27. Terribilis[r] autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.

28.[s] Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur:

29. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, &[t] ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?

30.[u] Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam, & iterum: Quia judicabit Dominus populum ſuum.

31. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.

Laudatis Hebræis de patientia præterita, ad ipſam illos denuo cohortatur.

32. Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus[x] illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum;

33.[y] Et in altero quidem, opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem, ſocii taliter converſantium effecti.

34. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio[z] ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.

35. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram,[aa] quæ magnam habet remunerationem.

36.[bb] Patientia enim vobis neceſſaria eſt: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.

37. Adhuc enim[cc] modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.

38. Juſtus autem[dd] meus ex fide vivit: quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.

39. Nos autem non ſumus[ee] ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

CAPUT XI.

Toto hoc capite fidei vim & efficaciam declarat variis antiquorum exemplis, qui per fidem mira operati ſunt & ſuſtinuerunt, nec repromiſſiones ſiae nobis ſunt conſecuti.

1.[ff] EST autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

10. [a] Syr. *Per quod nos ex ipſius voluntate ſumus ſanctificati, &c.*

11.[b] Syr. *Omnis enim ſummus ſacerdos quum aſſiſteret & miniſtraret quotidie, eadem ſacrificia offerebat quæ nunquam poterant purgare peccata.* Loquitur in iſtis capitulis Apoſtolus de præterito per modum præſentis. *Eaſdem*, ſpecie.

12. [c] *Offerens*, ubi obtuliſſet.

13. [d] *De cætero*, in poſterum.

14. [e] *In ſempiternum*, jungendum cum *conſummavit*.

15. [f] *Nos*, Syr. Gr. Arab. Æth. *nobis*.

16. [g] *Teſtabor*, Syr. *daturus ſum*. Gr. Arab. *fœdus quod paciſcar.*

18. [h] *Jam non eſt oblatio pro peccato*, Syr. *non opus eſt oblatione quæ fiat pro peccatis.*

19. [i] *In introitu*, Gr. *in introitum*, Arab. *ingrediendi libertatem*, Æth. *gratiam adeundi. Sanctorum in ſanguine Chriſti*. Syr. Arab. Æth. *ad ſancta per ſanguinem Jeſu*, additur Syr. *& viam novam.*

20. [k] Arab. *Quæ viam nobis innovavit recentem, patentem, ac vivam, per velum, hoc eſt carnem ſuam. Novam*, quia ipſe primus aperuit & per eam ingreſſus eſt. *Viventem*, quia ducit ad vitam æternam & ſemper permanet atque aperta eſt.

21. [l] Syr. *Et habemus. Sacerdotem*, adhuc agentem ea quæ ſacerdotis ſunt, id eſt, carnem ſuam in qua paſſus eſt, adhuc offerentem patri. *Domum Dei*, Eccleſiam militantem ac triumphantem.

22. [m] *Abluti*, cùm baptizati fuimus. *Munda*, mundante.

23. [n] *Spei*, rerum quas ſperamus obtinere. *Confeſſionem*, profeſſionem.

24. [o] Et videamus ut alii alios ad charitatem & recte facta provocemus.

25. [p] *Collectionem*, ſocietatem fidelium per apoſtaſiam. *Diem judicii* univerſalis, quæ magis ac magis accedit, etiamſi fortè procul abſit. *Conſolantes*, Gr. *adhortantes*

26. [q] *Voluntarie peccantibus*, &c. hoc peccatum de peccato apoſtaſiæ & deſertione à collectione intelligendum; quod tunc eò gravius erat, quo non niſi in ætate adulta, & poſt longam inſtructionem homines baptizarentur. *Hoſtia*, nova & legalis poſt mortem Chriſti, nec eſt quod tales expectent hoſtiam Chriſti pro ſuis peccatis iterandam, id eſt, ut iterum crucifigatur filius Dei.

27. [r] *Autem*, Syr. *ſed. Expectatio judicii*, judicium expectandum: nomine judicii damnatio & punitio videtur intelligenda. *Æmulatio*, vehementia.

28. [s] Comparat hominem abjicientem legem Moſaicam cum eo qui deſerit legem Chriſti. Irritam enim facit legem Moyſis, qui ad deos alienos declinat, talis autem ex cap. 17. Deut. *Lapidibus obruendus erat.*

29. [t] *Sanguinem teſtamenti*, confirmativum. *Pollutum*, Æth. *profanum. In quo*, Arab. Æth. *per quem. Spiritui gratiæ*, authori & datori: vides hic etiam eos qui Spiritum acceperant, qui niſi juſtificatis non dabatur, defectores fieri poſſe.

30. [u] *Qui dixit*, Gr. Arab. *dicentem. Mihi vindicta*, meum eſt ulciſci.

32. [x] *Illuminati*, Syr. Æth. *baptizati*, docti myſteria religionis Chriſtianæ. *Paſſionum*, afflictionum.

33. [y] *In altero*, Arab. *partim. Spectaculum facti*, per contumelias & calamitates oſtentui fuiſtis.

34. [z] *Suſcepiſtis*, Syr. *ſuſtinuiſtis. Subſtantiam*, Syr. Gr. *ſubſtantiam in cœlis.*

35. [aa] *Quæ magnam habet remunerationem*, Æth. *per quod adipiſcemini vobis multam & magnam mercedem.*

36. [bb] *Patientia*, cum expectatione & ſpe præmii.

37. [cc] *Modicum aliquantulum*, Arab. *poſt tantillum. Non tardabit*, non differet adventum ſuum ultra tempus conſtitutum.

38. [dd] *Meus ex fide*, Syr. *ex fide mei ipſius*, fiducia promiſſionum Dei. *Subtraxerit* per apoſtaſiam.

39. [ee] *Subtractionis* qui nos ſubtrahamus. *Fidei*, qui fidamus.

1. [ff] Syr. *Eſt autem fides certitudo de iis rebus quæ ſunt in ſpe, ac ſi*

2. [a] In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes.

3. [b] Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei; ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.

4. Fide [c] plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur.

5. Fide Henoch translatus eſt ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus: ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.

6. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet [d] accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.

7. Fide [e] Noë, reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum: & juſtitiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.

8. Fide [f] qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, neſciens quò iret.

9. Fide demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando, [g] cum Iſaac & Jacob coheredibus repromiſſionis ejuſdem.

10. Expectabat enim [h] fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus.

11. Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat.

12. Propter quod & ab uno [i] orti ſunt (& hoc è mortuo) tanquam ſydera cœli in multitudinem, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris innumerabilis.

13. [k] Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.

14. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere.

15. Et ſi quidem ipſius [l] meminiſſent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi.

16. Nunc autem meliorem [m] appetunt, id eſt cœleſtem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.

17. Fide obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur, & [n] unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones;

18. [o] Ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen:

19. Arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus: unde eum [p] & in parabolam accepit.

20. Fide & [q] de futuris benedixit Iſaac Jacob, & Eſaü.

21. Fide Jacob moriens, ſingulos filiorum Joſeph benedixit: [r] & adoravit faſtigium virgæ ejus.

22. Fide Joſeph moriens, de profectione filiorum Iſraël memoratus eſt, & [ſ] de oſſibus ſuis mandavit.

23. [t] Fide Moyſes natus, occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eò quòd vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.

24. [u] Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis,

25. Magis eligens [x] affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.

26. Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium [y] Chriſti: aſpiciebat enim

jam exiſterent actu, & revelatio rerum quæ non videntur. Fides hîc abſolute conſideratur. *Subſtantia*, quia rerum ſpectandarum exiſtentiam in nobis quodam modo fides efficit ac gignit. *Argumentum*, convictio, quia eas tam certò oculis noſtræ mentis exhibet, ac ſi reipſa coram poſitæ eſſent.

2. [a] *In hac*, Æth. *per hanc.* *Teſtimonium*, quod Deo placerent & juſti eſſent. *Teſtimonium conſecuti ſunt ſenes*, Syr. *extat teſtimonium de ſenioribus*, Arab. *atteſtatum eſt ſenioribus.* *Senes*, antiqui patres.

3. [b] *Fide*, Syr. Arab. Æth. *per fidem.* Et ſic deinceps, Syr. *per fidem enim intelligimus ordinata fuiſſe ſæcula verbo Dei: & quæ videntur extitiſſe ex iis quæ non videntur.* *Sæcula*, Æth. *mundum.* Totum hoc univerſum, quod ſæculis, id eſt, temporum revolutionibus menſuratur. *Verbo*, imperio, ut patet ex Græco. *Inviſibilibus*, materiâ informi, quæ erat inviſibilis, de qua 1. cap. Gen.

4. [c] *Plurimam*, Syr. *longe præſtantiorem*, id eſt, de melioribus. *Per quam*, fidem ſcilicet. *Adhuc loquitur*, reſpicit enim ad illud, Gen. cap. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me*, &c. *Adhuc*, enim non ad Pauli tempora refertur, ſed ſumit tempus præteritum tanquam præſens.

6. [d] *Accedentem*, cultu vero & condigno.

7. [e] *Noë reſponſo accepto*, Gr. *fide, divinitus monitus Noë per fidem admonitus oraculo Noë, ea quæ nondum videbantur, veritus.* *Metuens*, Syr. *timuit.* Quod melius eſt ad Deum referendum. *Damnavit mundum*, exitio dignum arguit, quod credendo & pœnitentiam agendo præcavere noluit. *Hæres*, poſſeſſor.

8. [f] *Qui vocatur*, Syr. *quum vocatus eſt.* *Accepturus*, in ſemine ſuo. *Neſciens*, in quam terræ Chanaan partem iret, & quo tandem loco vellet ipſum figere ſedem.

9. [g] *Cum Iſaac & Jacob*, quemadmodum fecerunt poſteà Iſaac & Jacob 75. annis cum Iſaac, & 15. cum Jacob.

10. [h] *Fundamenta habentem*, ut nam oppoitur tabernaculis, &c.

12. [i] *Orti ſunt*, poſteri. *Et hoc emortuo*, Syr. *qui per ſenectutem defecerat.* Eoque jam annis effœto.

13. [k] *Juxta fidem*, Syr. Arab. *in fide.* *Non acceptis repromiſſionibus*, de terra Chanaan. *A longe*, &c. conteniti eas in poſteris ſuis implendas à longe proſpexiſſe & ſalutaſſe: quamvis enim in terra promiſſa habitaverint, non tamen ut in ſua, ſed ut in aliena. propter quod quidam malunt de patria cœleſti explicare.

15. [l] *Meminiſſent*, cum amore ac deſiderio illius.

16. [m] *Appetunt*, Syr. *certum eſt eos deſideraſſe.*

17. [n] *Unigenitum*, quia jam Iſmaël abdicatus erat è familia Abrahæ. *Qui*, Abraham. *Suſceperat repromiſſiones*, in Iſaac & ejus ſemine complendas.

18. [o] *Ad quem*, Arab. Æth. *de quo.* *In Iſaac*, &c. ſola poſteritas ex Iſaac propaganda vocabitur ſemen tuum.

19. [p] *Et in parabolam accepit*, Syr. *& ideo in ſimilitudine datus eſt ei.* *Parabolam*, Chriſti immolandi & reſurrecturi: parabola hîc debet intelligi figura ſeu typus myſterii cujuſdam ſignificativus.

20. [q] *De futuris*, promittendo bona quædam quæ non impleta ſunt in illis duobus, ſed in filiis eorum, nec enim ſervivit Jacob, &c.

21. [r] *Et adoravit*, &c. hæc pars ſeparanda ab ea quæ præcedit, ut quaſi novo initio dicatur: *Fide Jacob . . . adoravit*, &c. hæc enim non leguntur eodem capite Geneſis, ſed præcedenti, quando Jacob accepit juſjurandum à Joſeph quod ſepulturus eſſet ipſum in ſepulchro patrum ſuorum: omiſſa autem differentia textus Hebraici à textu Septuaginta interpretum, is ſenſus poteſt eſſe talis, ut hæc diverſitas ex directione Spiritus ſancti ſerviret myſterio, ut Jacob adoraverit virgam ſeu ſceptrum quod Joſeph geſtaret poteſtatis inſigne, id eſt, poteſtatem ejus honoravit: adeo ut in Joſeph filio ſuo Chriſtum ſignificatum proſpexerit, in virga Joſeph regiam Chriſti poteſtatem agnoverit, ejus virgæ caput ſeu faſtigium adoraverit, quia caput Chriſti Deus: ut is verſus concordet cum 31. cap. 47. Gen. dicendum quod Jacob in lecto decumbens, & volens adorare Deum atque adeo ſurgere è lecto, baculum acceperit ut facilius ſurgeret, quod omnino exequi non valens, adoraverit ad lectuli caput.

22. [ſ] *De oſſibus*, Arab. *de aſportandis oſſibus ſuis.*

23. [t] *Fide*, divinæ promiſſioni de populo ſervando, educendo ex Ægypto, & introducendo in terram promiſſam, nihil obſtante Pharaonis edicto: oraculum autem prius acceperant ex ipſis orturum, qui populo libertatis author eſſet, Joſeph. ant. lib. II. cap. 5.

24. [u] Fides effecit ut Moyſes vir factus adoptionem filiæ Pharaonis ac regiam cognationem contemneret, malletque palam vocari Hebræus quam filius reginæ: non legitur eam adoptionem reſpuiſſe verbis, ſed facto reſpuit, quando relicta aula ad fratres ſuos Hebræos in afflictione viſitandos egreſſus eſt, & etiam occidendo Ægyptium.

25. [x] *Affligi*, exul factus & paſtor ovium apud Madianitas. *Temporalis peccati habere jucunditatem*, Gr. *temporarium habere peccati emolumentum*: peccaſſet enim ſi voluptates & opes Ægyptias prætuliſſet ſaluti & liberationi ſuæ gentis.

26. [y] *Chriſti*, tribulationem figurativam paſſionis Chriſti: veriſimile eſt ſcriptum fuiſſe λῃστοῦ non Χριστοῦ, id eſt, latronis non Chriſ-

in remunerationem.

27. Fide [a] reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem regis: inviſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit.

28. Fide celebravit paſcha, & [b] ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiva, tangeret eos.

29. Fide tranſierunt mare Rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, [c] devorati ſunt.

30. [d] Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem.

31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis excipiens exploratores cum pace.

32. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuël, & Prophetis:

33. Qui per fidem vicerunt regna, [e] operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum,

34. [f] Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum:

35. Acceperunt [g] mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alii autem diſtenti ſunt non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem.

36. Alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres.

37. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: [h] circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti:

38. [i] Quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ.

39. Et hi omnes teſtimonio fidei [k] probati, non acceperunt repromiſſionem,

40. Deo pro [l] nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.

CAPUT XII.

Exemplo veterum juſtorum imò Chriſti hortatur Hebræos ad tolerantiam afflictionum, docens à Deo filios ſuos afflictionibus exerceri.

1. [m] IDeoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.

2. Aſpicientes in [n] authorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ atque in dextera ſedis Dei ſedet.

3. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adversùm ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes.

4. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, [o] adversùs peccatum repugnantes.

5. Et obliti eſtis [p] conſolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris.

6. Quem enim diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem [q] filium, quem recipit.

7. [r] In diſciplina perſeverate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?

8. Quod ſi [s] extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergo adulteri & non filii eſtis.

9. Deinde patres quidem carnis noſtræ, [t] eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?

10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundùm voluntatem ſuam [u] erudiebant nos; hic autem ad id, quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus.

ei quod cùm dure ſonaret, mutatum fuit in vocabulum ſono vicinum, ſeoſus autem eſt Moyſeo qui Ægyptum occiderat, infamiam ſicarii & latronis, quam ſuſtinebat cauſâ populi Dei, pluris feciſſe quàm omnes theſauros Ægypti.

27. [a] *Reliquit Ægyptum*, cùm divertit in terram Madian, melius, cùm eduxit populum. *Inviſibilem enim*, &c. Syr. *ſed ſpem habuit perinde ac ſi vidiſſet Deum inviſibilem*, Arab. *conſtans fuit ac ſi videret*, &c. *Suſtinuit*, expectavit adjutorem ac remuneratorem.

28. [b] *Sanguinis effuſionem*, linivit poſtes ſanguine agni paſchalis. *Primitiva*, Syr. Gr. Æth. *primogenita*.

29. [c] *Devorati*, Syr. Gr. Æth. *abſorpti*, Arab. *ſubmerſi*.

30. [d] *Fide*, Joſue & Judæorum. *Dierum ſeptem*, Gr. Æth. *per ſeptem dies*.

33. [e] *Operati ſunt juſtitiam*, juſta exercuerunt judicia. *Obturaverunt*, quod de Samſone, Davide, Daniele, debet potiſſimum intelligi.

34. [f] *Extinxerunt impetum ignis*, Moyſes & Aaron precibus ſuis extinxerunt ignem immiſſum in caſtris Hebræorum, propter murmur populi: tres ſocii Danielis liberati, &c. *Effugerunt aciem gladii*, David à lancea Saül: Elias & Michæas mortem intentatam ab Achab, Elizeus à Joram: Jeremias, Eſther, Mardochæus, &c. *Convaluerunt de infirmitate*, Ezechias, Job, Tobias, David, &c. *Fortes facti ſunt in bello*, Gedeon, Jonathas, Machabæi, &c.

35. [g] *Mulieres*, &c. Sareptana vidua, & Sunamitis, quarum illa ab Elia, hæc ab Eliſæo filios ſuos mortuos receperunt vivos. *Non ſuſcipientes redemptionem*, Syr. *neque ſperaverunt ſe liberatum iri*, Arab. *nec admiſerunt redemptionem*.

37. [h] *Circuierunt*, Syr. Arab. Æth. *oberrarunt Melotis*, Syr. Gr. *pellibus ovilis*, hoc eſt, pellis corpore detracta unà cum lana.

38. [i] *Quibus dignus non erat mundus*, qui tot malis undique preſſi & omnibus exoſi, ſic vagabantur ut inter homines locum vix invenirent, videri poterant à Deo deſerti, & hâc communi luce indigni: ſed Apoſtolus id retorquet cùm dicit mundum non fuiſſe dignum qui eos haberet.

39. [k] *Probati*, & quamvis hi omnes promeriti ſint teſtimonium juſtitiæ per fidem. *Non acceperunt repromiſſionem*, ſtatim poſt mortem: ergo moleſtum vobis eſſe non debet, ſi modicum adhuc expectetis.

40. [l] *Nobis*, quod de fidelibus in genere, non de ſingulis in particulari intelligendum, id eſt, uſque ad tempus Aſcenſionis Chriſti, tum ad glorificationem Chriſtianorum. *Conſummarentur*, conſummatam ac totam quæ promiſſa eſt non ſolùm animæ, ſed etiam corporis acciperent remunerationem: agit enim de conſummatione quæ per reſurrectionem fieri debeat: ſuperius enim dixit, *Ut meliorem invenirent reſurrectionem*.

1. [m] Syr. *Quamobrem quum & nobis illi omnes ſint teſtes, qui nubium in morem undique ſepiunt nos*. *Pondus*, tradit circa ſidem: loquitur figurate tanquam ad currentes in ſtadio, qui deponebant veſtimenta, & omne impedimentum curſus. *Circumſtans peccatum*, apoſtaſiam aliorum Judæorum à fide: veriſimile eſt Judæos illos nuper converſos quibus loquitur fuiſſe de ſecta Sadducæorum qui negabant immortalitatem animarum & reſurrectionem.

2. [n] *Autorem fidei & conſummatorem*, Syr. *principium fidei & perfector*. *Propoſito ſibi gaudio*, &c. Syr. Gr. Æth. addit particula *pro*, Arab. *vice*, id eſt, qui quum poſſet omni eximere ſe moleſtiâ, & frui gaudiis vitæ temporalis, &c. *Confuſione*, ignominiâ crucis.

4. [o] *Adverſus peccatum repugnantes*, Syr. *in certamine quod fit adverſus peccatum*.

5. [p] *Conſolationis*, Syr. *doctrina*, Gr. Arab. *exhortationis*. *Deficiatis*, Syr. Æth. *correptionem ſuſtineres*, Syr. *contemneres*, deficias: vult enim ut non ſolùm non diſpliceat nobis increpatio, verum etiam grato animo accipiatur.

6. [q] *Filium quem recipit*, Syr. *filios quibus benevult*.

7. [r] *In diſciplina perſeverate*, Syr. *ſuſtinete igitur correptionem*, Arab. *patientes eſtote in caſtigatione*. *Tanquam filiis offert ſe*, Syr. *tanquam apud filios agit apud vos*.

8. [s] *Extra diſciplinam*, Syr. Arab. *abſque caſtigatione*. *Adulteri*, Gr. *nothi*, Arab. *ſpurii*.

9. [t] *Eruditores*, Gr. *caſtigatores*. *Et vivemus*, Syr. *et vivamus*, vitâ gratiæ, ſanctificationis, juſtitiæ, & vitâ æternâ.

10. [u] *Erudiebant nos*, Gr. Æth. *caſtigabant*. *In recipiendo*, Gr. *ad percipiendum*, Syr. *ut participes efficiamur*.

Digitized by Google

11. Omnis autem [a] diſciplina, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.

12. Propter quod, remiſſas manus, & [b] ſoluta genua erigite,

13. Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.

Ad virtutes eos invitat, & terret a peccatis exemplo Eſaü.

14. Pacem ſequimini cum omnibus, & [c] ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.

15. [d] Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

16. Ne quis fornicator aut [e] profanus ut Eſaü: qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua.

17. [f] Scitote enim quoniam & poſteà cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrimis inquiſiſſet eam.

Ex novi Teſtamenti ſuper vetus excellentia quã figurate per montem Sinai, & per Sion & Jeruſalem oſtendit, deterret ab inobedientia ne majora quam priores Judæi pœnas cogantur ſupplicia.

18. Non enim acceſſiſtis ad [g] tractabilem montem, & acceſſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,

19. Et turbæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt [h] excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum.

20. Non enim [i] portabant quod dicebatur: & ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur,

21. [k] Et ita terribile erat quod videbatur, Moyſes dixit: Exterritus ſum & tremebundus.

22. [l] Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam.

23. Et Eccleſiam [m] primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum,

24. Et teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel

25. Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non [n] effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur: multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus.

26. [o] Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel: & ego movebo non ſolùm terram, ſed & cœlum.

27. Quod autem, Adhuc ſemel, dicit: declarat [p] mobilium tranſlationem tanquam factorum, ut maneant ea quæ ſunt immobilia.

28. Itaque [q] regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam: per quam ſerviamus placentes Deo cum metu & reverentia:

29. Etenim Deus noſter [r] ignis conſumens eſt.

CAPUT XIII.

Hortatur illos ad hoſpitalitatem, caſtitatem, moderantiam, obedientiam, & ut fugiant ab extranea doctrina.

1. CHaritas [ſ] fraternitatis maneat in vobis.

2. Et hoſpitalitatem nolite oblviſci, per hanc enim latuerunt quidam, angelis hoſpitio receptis.

3. [u] Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti; & laborantium, tanquam & ipſi in corpore morantes.

4. Honorabile connubium [x] in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.

5. Sint mores ſine avaritia, [y] contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam.

6. Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

7. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes [z] exitum converſationis, imitamini fidem.

11. [a] *Diſciplina*, Syr. Gr. Arab. Æth. *caſtigatio. Reddet*, afferet. *Fructum ... juſtitia*, fructum qui eſt juſtitia, locutio eſt tranſlativa.
12. [b] *Soluta*, Syr. *nutantia.*
14. [c] *Sanctimoniam*, cordis munditiam & puritatem.
15. [d] *Contemplantes*, Syr. *& cavete*, Arab. Æth. *proſpicientes*, Curam agentes. *Ne quis deſit*, Syr. *ne quis reperiatur inter vos expers*, Gr. *ne quis deficiat a gratia*. Per gratiam Dei intelligi debet beneficentia Dei, quâ per Apoſtolorum prædicationem eos vocaverat ad ſalutem quæ eſt in Chriſto. *Impediat*, Arab. *qua noceat*, gratiam & ſalutem.
16. [e] *Profanus*, irreligioſos, ſeu divinorum contemptor: erat enim illo ſæculo primogenitura ſingulare Dei donum, cum ob alia, tum maxime propter prærogativam benedictionis paternæ: deinde ad primogenituram filiorum Iſaac pertinebat jus futuræ paternitatis Meſſiæ. *Primitiva*, Syr. Æth. Gr. *jus primogenitæ*, Arab. *primogenita.*
17. [f] *Scitote*, Syr. Gr. Arab. *ſcitis. Hæreditare*, hæreditario jure aſſequi. *Reprobatus*, a patre. *Pœnitentiæ locum*, ut pater pœniteret, & mutaret datam Jacob benedictionem: alii de Eſaü intelligunt: Hebræis enim dicitur pœnitentiæ locum invenire, qui id conſequitur, aut conſequi poteſt, quo tendit pœnitentia, nam tamen benedictus a patre Gen. cap 27. ſed non benedictione quæ ad primogenitum pertinebat, cum fratri ſubjectus fuerit.
18. [g] *Tractabilem*, tangibilem, id eſt, terrenum. *Acceſſibilem*, Gr. *incenſum*. Reddit rationem exhortationis præcedentis, ſumptam ex comparatione veteris ac novi Teſtamenti, quia lex evangelica multo eſt veteri præſtantior; idque a loco ubi utraque lata eſt.
19. [h] *Excuſaverunt ſe*, &c. Syr. *obſecrarunt ne adderet ipſis alloqui*, id eſt, ne Dominus pergeret loqui ad ipſos, ſed quæ addere vellet: per Moyſen ipſis traderet.
20. *Portabant*, Syr. *poterant ſuſtinere. Quod dicebatur*, Syr. *quod injunctum fuerat*. Gr. *imperatum*, Æth. *quod edicebatur*. Sic enim colligebant: ſi etiam brutum & innoxium animal ob ſolum montis contactum morte plectitur, quid nobis futurum, ſi legis aliquod mandatum fuerimus tranſgreſſi.
21 a Syr. *Et adeo terribilis erat viſio, ut Moſes*, &c. *Moyſes dixit*, &c. hoc verum eſt de viſione rubi, de alia non extat ſcriptum.

22. [l] Sion & Jeruſalem opponit monti Sina, de quo ſuprà, &c. quibus intelligere vult Eccleſiam tum militantem, tum triumphantem. *Acceſſiſtis*, per charitatem & ſpem, per imitationem vitæ & communionem cum illis per Spiritum.
23. [m] *Primitivorum*, Syr. Gr. Arab. Æth. *primogenitorum*, hoc de omnibus electis intelligendum, qui primogeniti ſunt reſpectu aliorum hominum. *Judicem omnium Deum*, Patrem, a quo omnes judicaturæ poteſtas. *Spiritus*, animas. *Perfectorum*, qui gloria cœleſti fruuntur.
25. [n] *Effugerunt*, commeritas pœnas *Eum qui ſuper terram*, angelum cujus miniſterio lex data fuit in monte Sinai. *Avertimus*, ſi averterimus.
26. [o] *Cujus*, Chriſti, quia lex lata fuit ab angelo Chriſti perſonam repræſentante. *Dicens*, per Aggæum. *Adhuc ſemel*, &c. in ſecundo adventu.
27. p *Mobilium*, corruptibilium. *Tranſlationem*, mutationem in ſtatum meliorem. *Tanquam factorum*, ut non maneant ſemper. *Ut maneant*, hæc eadem. *Immobilia*, ſic in melius tranſmutata.
28 [q] *Regnum immobile*, regnum Chriſti futurum; participationem autem ſtatum Evangelicum.
29. [r] *Ignis conſumens*, ſimilis igni devoranti.
1. [ſ] *Fraternitatis*, Syr. Arab. *fraterna.*
2. [t] *Per hanc*, &c. Syr. *per hanc enim digni fuerunt quidam quamvis non ſentientes, qui exciperent angelos.*
3. [u] Syr. *Memores eſtote eorum qui vincti ſunt perinde ac ſi cum eis vincti eſſetis*: mementote eorum qui afflicti ſunt, tanquam homines qui carne induti eſtis *Laborantium*, quod de morbis & aliis malis corporalibus intelligendum *Tanquam & ipſi*, &c. gerentes corpus mortale iiſdem morbis obnoxium: poſſunt etiam hæc verba exponi de pauperibus & infimis, & de corpore iiſdem infirmitatibus & miſeriis obnoxio.
4. [x] *In omnibus*, præcipio vobis conjugatis, ut omnes ſervetis honorem conjugii, & thorum ſine macula: hoc enim probatur ex eo quod ſequitur. *Judicabit*, Arab. *damnabit.*
5. [y] *Contenti præſentibus*. Syr *ſed ſufficiat vobis id quod habetis. Ipſe enim dixit*, &c. hæc dicit Apoſtolus per extenſionem ſenſus ſcripturæ.
7. [z] *Exitum converſationis*, Æth. *poſtremam vivendi rationem in exitu de mundo.*

Digitized by Google

8. Jeſus Chriſtus heri, & hodie:[a] ipſe & in ſæcula.

Memoriam faciens altaris & hoſtiarum novi Teſtamenti monet ſub inde ut offerant Deo hoſtiam laudis.

9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. [b] Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

10. Habemus[c] altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt.

11. Quorum enim [d] animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.

12. [e] Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.

13. [f] Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.

14. Non enim habemus [g] hic manentem civitatem ſed futuram inquirimus.

15. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

Agit de eleemoſyna & obedientia erga præpoſitos.

16. Beneficentiæ autem, & [h] communionis nolite oblivifci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.

17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant [i] quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

Orat ut pro ſe precentur.

18. Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus [k] in omnibus bene volentes converſari.

Idem viciſſim pro illis faciens.

19. [l] Amplius autem deprecor vos hoc facere, quò celerius reſtituar vobis.

20. Deus autem pacis, qui [m] eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium, in ſanguine Teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

21. [n] Aptet vos in omni bono ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum: qui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Epiſtolam concludit.

22. Rogo autem vos fratres, ut [o] ſufferatis verbum ſolatii, etenim perpaucis ſcripſi vobis.

23. [p] Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo [ſi celerius venerit] videbo vos.

24. Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes ſanctos. Salutant vos de Italia fratres.

25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

8. [a] *Ipſe*, Syr. *etiam idem eſt.* Fides veſtra eſt in Jeſum Chriſtum, ficut & fuit veſtrorum præpoſitorum; atqui Jeſus Chriſtus ſemper idem eſt, ideoque neceſſe eſt ut fidem illorum imitemini: hæc explicatio convenit cum eo quod ſequitur.

9. [b] *Optimum*, &c. a genere deſcendit ad certam ſpeciem ex variis doctrinis quas ſeminabant errorum magiſtri, multò melius ſi cordibus ſtabilimentum quærant in gratia Dei, quam novi Teſtamenti mediator Chriſtus attulit, quam in obſervantia ciborum, quam tradidit Moyſes, & quæ veram ſanctitatem non dedit. *Ambulantibus*, Syr. Arab. *qui verſati ſunt.*

10. [c] *Altare*, crucem Chriſti. *Edere*, fructum paſſionis ejus percipere. *Qui tabernaculo deſerviunt*, qui legi veteri ſunt addicti: caveamus ab iſta diſcretione ciborum legalium communicare: & enim debemus carni Chriſti, in ſacrificium oblatæ ſuper altare crucis cujus participes eſſe non poſſunt qui adhuc Judaico cultui addicti ſunt.

11. [d] *Animalium*, hirci & vituli in die expiationis. *Sancta*, ſancta ſanctorum: noſtrum altare ac ſacrificium crucis potiſſimum fuit ſignificatum per ea animalia quorum ſanguis inferebatur in ſancta per pontificem in die expiationis, neque ex his pontifex veteris legis non edebat, quia eorum carnes cremabantur totæ extra caſtra: ergo qui adhuc veteri legi deſerviunt, non habent poteſtatem edendi, &c. ex noſtro ſacrificio.

12. [e] *Propter quod*, ut impleretur illa figura.

13. [f] Vitæ ac morum imitatione faciamus quod ille fecit. *Extra caſtra*, extra ſynagogam & Judaiſmum: etiam extra corpora, ea ſpiritualiter mortificando. *Improperium ejus*, &c. ſimul cum eo, & ſicut illa renuntiemus obſervationibus Judaicis, ſubſannationes Judæorum ſufferentes.

14. [g] *Hic*, in ſæculo, vel in corpore hoc mortali.

16. [h] *Communionis*, Æth. *communicationis*, Syr. *communicationis in pauperes. Talibus*, laudis & beneficentiæ, Syr. *per has hoſtias. Promeretur Deus*, Syr. *homo gratus eſt Deo.* Nos promeremur Deum, vel, pro præmio acquiritur Deus, vel, meretur homo apud Deum.

17. [i] *Quaſi*, Syr. *quippe qui. Hoc faciant*, pro vobis pervigilent. *Non gementes*, ſub onere, ſed levius illud ferant, dum vident ſe non inaniter in vobis laborare. *Hoc expedit*, in hac obedientia veſtra ſalus conſiſtit.

18. [k] *In omnibus*, &c. Syr. *quia in omnibus volumus bene converſari.*

19. [l] *Amplius*, magis atque impenſius.

20. [m] *Eduxit de mortuis paſtorem ovium*, quos fecerat tales per meritum effuſionis ſanguinis Chriſti, quo ſanguine etiam redemerat. *In ſanguine*, Syr. Gr. Arab. Æth. *per ſanguinem*, quod verbum referendum ad *eduxit*, quia Chriſtus à morte reſuſcitatus eſt, virtute ac merito ſanguinis ſui in morte effuſi, quo confirmatum eſt teſtamentum æternum; meruit enim per illum ſibi & nobis gloriam reſurrectionis. *Æterni*, æternum vocat, quia poſt illud aliud non ſuccedit: vel, quia continet promiſſionem hæreditatis æternæ.

21. [n] *Aptet*, Syr. *perfectos reddat*, Arab. Æth. *confirmet. In omni bono*, Syr. Gr. Arab. *in omni opere bono*, Æth. *ad operandum omne opus bonum.*

22. [o] *Sufferatis verbum ſolatii*, Caſtalio *boni conſulite hunc exhortatorium ſermonem. Perpaucis*, reſpectu myſteriorum de quibus in hac epiſtola agitur.

23. [p] *Cognoſcite*, Æth. *ſcitis. Dimiſſum*, Syr. *qui ſolutus eſt*, è vinculis.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM JACOBI.

Scripta eſt à Jacobo Alphæi filio, qui minor dicitur & filius erat Mariæ ſororis Beatæ Virginis, id eſt cognatæ; filia enim erat Cleophæ, & uxor Alphæi. Jacobus fratres habuit Joſe aut Joſeph, ſanctum Judam, & fortè etiam ſanctum Simonem. Jeroſolymorum fuit Epiſcopus.

Quòd à Jacobo fratre Joannis non ſcripta fuerit probatur, quòd hæc epiſtola ſicut & aliæ canonicæ (quæ ſic vocantur, quia non uni Eccleſiæ, civitati, regioni, aut homini deſtinatæ ſunt, ſed in plures locos miſſæ) agat contra opinionem eorum qui ex locis epiſtolarum Pauli malè intellectis, fidem ſine operibus ſibi putabant ad ſalutem ſufficere. At vivente Jacobo majore fratre Joannis Paulus nondum prædicare Gentibus cœperat, nedum epiſtolas ſcribere.

Probatur etiam ex eo quod priùs interfectus Jacobus Zebedæi, quum ſe multum extra Judæam promoveret Evangelium; hæc autem epiſtola ſcripta eſt quum illud longè lateque propagatum eſſet, & ex Judæis inter nationes diſperſis, collectæ eſſent Eccleſiæ.

Ex verſu ſexto capitis quarti conjici poteſt ſcriptam fuiſſe primam epiſtolam Petri paulò antè mortem Jacobi, quæ contigit anno Chriſti ſexageſimo ſecundo, Neronis octavo aut nono.

Veriſimile eſt ſcriptam fuiſſe Græcè. Verſio latina quâ utimur opus eſt ſancti Hieronymi.

CAPUT I.

Firmat animas fidelium adverſùs ingruentia mala.

1. [a] JACOBUS Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.

2. [b] Omne gaudium exiſtimare fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis:

3. Scientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur.

4. [c] Patientia autem opus perfectum habet: ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

Sapientiam a Deo poſ- 5. Si quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & [d] non improperat: & dabitur ei. tulandam, & qualiter ſit orandũ docet.

6. Poſtulet autem [e] in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, quia vento movetur & circumfertur.

7. Non ergo eſtimet [f] homo ille quod accipiat aliquid à Domino.

8. Vir [g] duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.

9. [h] Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; Agit de miſeria pauperibuſque perſonis & de divitibus.

10. [i] Dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit.

11. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit [k] fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultûs ejus deperiit, ita & dives in itineribus ſuis marceſſet.

12. Beatus vir, [l] qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coro- Suo quemque vitio peccare affirmat.

1. a *Jacobus*, minor dictus, non ſanctitate, ſed vocatione ad Apoſtolatum. *Quæ ſunt in diſperſione*, Syr. *quæ diſperſa ſunt inter Gentes.* Quod intelligendum de diſperſione populi Iſraëlitici olim facta in varias nationes, ſcilicet ea eo tempore quo in Aſſyriam, Babyloniam, Ægyptum, inque alia regna per clades & bella, vel abducti, vel ſponte profugi Iſraëlitæ diſceſſerunt. Ex quibus jam multi Chriſtianiſmum profeſſi fuerant. Sunt qui hæc verba allegoricè exponunt de omnibus Chriſti fidelibus ubique de Gentibus, & in omni ſæculo viventibus quod probant ex verbis & propoſitionibus epiſtolæ.

2. b *Omne gaudium exiſtimate*, pro ſummo gaudio ducite *Tentationes*, afflictiones, perſecutiones.

4. c *Patientia opus perfectum habet*, patientia veſtra ne deficiat ſed opus ſuum perducat uſque ad finem. Vel opus perfectum patientiæ, perſeverantia vero perficit opus ſalutis noſtræ *Habet*, Syr. Gr. Arab. Æth. *habeat.*

5. d *Non improperat*, hoc docet ne quis Deum ſæpius adire vereatur.

6. e *In fide*, Syr. Arab. *cum fide.* Fiducia quâ aſſentimur verbo Dei promittentis.

7. f *Homo ille*, hæſitans, & non ex fide orans.

8. g *Duplex*, duplicem animo vocat eum qui nihil certi fixum habet in animo quod ſequatur, modo credens, modò diffidens.

9. h *Glorietur*, lætetur. *Humilis*, pauper, abjectus, oppreſſus. *Exaltatione*, apud Deum: fide ſcilicet quæ facit illum circa bona æterna diviti parem, & ſpe ſuæ futuræ felicitatis.

10. i *Dives in humilitate ſua*, fide quæ illum pauperi aſſociat. Vel antiphraſis eſt, dives confundatur, pudefiat ac diſpliceat ſibi; cogitans quid de ſe futurum, ac rerum in quibus confidit inconſtantiam, & deſinet gloriari.

11. k *Fœnum*, Syr. Æth. Arab. *herba. Vultus*, Syr. Æth. *aſpectus.*

12. l *Qui ſuffert tentationem*, qui afflictionibus premitur.

11. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus eſt tranſgreſſor legis.

12. Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per [a] legem libertatis incipientes judicari.

Ad miſericordiæ opera invitat.

13. Judicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam: [b] ſuperexaltat autem miſericordia judicium.

14. Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?

15. Si autem frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano,

16. Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?

Probat ratione & ſcripturæ teſtimonio fidem abſque operibus mortuam eſſe.

17. Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt [c] in ſemetipſa.

18. Sed dicet quis: Tu [d] fidem habes, & ego opera habeo, oſtende mihi fidem tuam ſine operibus: & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.

19. Tu credis quoniam unus eſt Deus: Benè facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.

20. Vis autem ſcire, ô homo [e] inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt?

21. Abraham pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?

22. Vides quoniam fides [f] cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides conſummata eſt?

23. Et [g] ſuppleta eſt Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.

24. Videtis quoniam ex operibus [h] juſtificatur homo, & non ex fide tantùm?

25. Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus [i] juſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via ejiciens?

26. Sicut enim corpus ſine [k] ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.

CAPUT III.

Adversùs malos doctores maximè, & mala illorum doctrina, in linguæ vitia graviter invehitur, ſimul oſtendens quàm difficile ſit illam rectè gubernare.

1. [l] NOlite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis.

2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir, poteſt etiam [m] fræno circumducere totum corpus.

3. Si autem equis fræna in ora mittimus [n] ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.

4. Ecce & naves, cùm magnæ ſint, & à ventis validis [o] minentur, circumferuntur à modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit.

5. Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & [p] magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam ſilvam incendit!

6. Et lingua ignis eſt, [q] univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam nativitatis noſtræ, inflammata à gehenna.

7. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana:

8. Linguam autem [r] nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero.

9. [s] In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.

10. Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

11. Numquid fons de eodem foramine [t] emanat dulcem, & amaram aquam?

12. Numquid poteſt, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? [u] Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam.

13. Quis ſapiens & [x] diſciplinatus inter vos? — Avocans ab invidia & contentione.

12. [a] *Legem libertatis*, Evangelium. *Incipientes judicari*. Syr. Gr. Arab. Æth. *judicandi eſtis.*

13. [b] *Superexaltat, &c.* Æth. *& gloriabitur tantùm ille in die judicii qui fecit miſericordiam.* ſupplendum, *ſe*, id eſt, ſuperexaltat ſe miſericordia ſupra judicium. Miſericordia quam quis fecerit erga proximum opponet ſe juſto Dei judicio, quia gratiam velut extorquebit.

17. [c] *In ſemetipſa*, Syr. *ſola*, id eſt, ab operibus ſejuncta: eſt enim alluſio ad corpus, quod mortuum eſt ſi ſit ſolum, id eſt, actionibus vitæ deſtitutum, & ab anima deſertum.

18. [d] *Fidem habes*, ſine operibus. *Opera habeo*, cum fide. *Oſtende mihi, &c.* hoc oſtendere non poteris, quia fides eſt intra animam.

20. [e] *Inanis*, vacue bonis operibus.

22. [f] *Cooperabatur*, efficax fuit per opera.

23. [g] *Suppleta*. Syr. *impleta*. tunc quando filium obtulit. ſuppleta, vel impleta eſt ſcriptura, quia tunc declaratum eſt, ad juſtitiam hominis non ſolùm requiri opus fidei quâ Deo creditur, verùm etiam operâ aliarum virtutum, ut obedientiæ, religionis, &c. *Appellatus*, Hebræis, vocari pro eſſe.

24. [h] *Juſtificatur*, apud Deum juſtus habetur, opera juſta & virtuoſa exercendo, atque in gratia virtutibuſque creſcendo. Sed quomodo Jacobus non pugnat cum Paulo, &c. Paulus contendens cum iis qui merita ſua jactabant, diſputat de ratione & cauſa juſtificationis adverſùs falſas illius cauſas quas ipſi ſubſtituerant, docetque non ſolâ fide juſtificari, & nec Gentes nec Judæos per opera moralia aut legalia ad veram juſtitiam pervenire poſſe, ſed unicam ad illam eſſe viam fidem Chriſti: ideoque totus in fidei commendationem incumbit. Jacobus verò adverſùs eos diſſerit qui fidem crepabant dum ſceleribus ſcaterent, & non operum modò juſtificationem, ſed ipſa etiam opera tollebant, & proinde ut contraria prorſus erat controverſia, ita contrario ordine diſputat, de juſtificationis effectis operibus ſcilicet, à quibus aſcendit ad cauſam, ut Paulus contra à cauſis ad effectus aſcendit ex quibus effectibus fides & juſtificatio cognoſci poſſunt.

25. [i] *Juſtificata*, non mendacio, ſed hoſpitio; quo opere juſtitia ejus declarata fuit, argumentumque & perfectionem accepit. Non enim Apoſtolus de prima juſtitia loqui intendit.

26. [k] *Spiritu*, anima.

1. [l] Syr. *Ne multi doctores ſint inter vos fratres mei, &c.* *Plures*, Gr. Arab. Æth. *multi*. Varia docendo; unde ſchiſmata naſcuntur. Ambitionem etiam cohibet docere volentium. *Judicium*, condemnationem, pœnas, præſertim ſi ſuo officio non fungantur.

2. [m] *Fræno*, circumducere, Syr. *ſubjicere*.

3. [n] *Ad conſentiendum nobis*, Syr. *ut ſubjiciantur nobis*. Arab. *ut ſubjecti obediant nobis*.

4. [o] *Minentur*, Syr. *agantur*, Arab. *propulſatas*, Æth. *circumvertuntur. & agitantur. Ubi*, Syr. Arab. *quocumque*.

5. [p] *Magna exaltat*, Syr. *ſed extollit ſe*, Arab. *tamen effert ſe jactabunda*, magna jactat. *Quantus*, Syr. Gr. Arab. Æth. *exiguus*, Syr. *minimus*.

6. [q] *Univerſitas*, Syr. Gr. Arab. Æth. *mundus*. *Rotam nativitatis*, totam vitæ noſtræ curſum, quo à die nativitatis noſtræ uſque ad mortem, velut ſemper currente rota, continuò volvimur. Vel, totum orbem, circulum ac curſum actionum noſtrarum. *Gehenna*, diabolo, qui gehenna vocatur metonymicè, quo locus pro locato ſumitur.

8. [r] *Nullus*, pauci, fere nemo. *Inquietum*, Syr. Gr. *incoercibile*.

9. [s] *In ipſa*, Syr. Æth. *per ipſam*.

11. [t] *Emanat*, emittit.

12. [u] *Sic neque ſalſa, &c.* Gr. *ſic nullus fons ſalſam & dulcem facere aquam*, ſed melius, Æth. *ſimiliter igitur nova ſapida etiam non fiet amara*, neque etiam aqua amara fiet ſapida.

13. [x] *Diſciplinatus*, Syr. *conditus*. *Vos*, doctores ſchiſmaticos. *Operationem*, Syr. Gr. Arab. Æth. *opera*.

nibus, ſubdit differentiam inter ſapientiam terrenam & cœleſtem.

Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.

14. Quòd ſi [a] zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adversùs veritatem.

15. Non eſt enim iſta [b] ſapientia deſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica.

16. Ubi enim [c] zelus & contentio: ibi inconſtantia, & omne opus pravum.

17. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, [d] ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus bonis, non judicans ſine ſimulatione.

18. Fructus autem juſtitiæ, in pace ſeminatur, facientibus pacem.

CAPUT IV.

Agit adversùs concupiſcentias, monens ut caveant ab amicitia ſæculi.

1. UNde bella & lites [e] in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?

2. Concupiſcitis, & non habetis: [f] occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis.

3. Petitis & non accipitis: eò quòd malè petatis: ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.

4. [g] Adulteri, neſcitis quia amicitia hujus mundi, inimica eſt Dei? quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.

5. [h] An putatis quia inaniter ſcriptura dicat: Ad invidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis?

i Humilitati & pœnitentiæ operibus ſtudeant.

6. [i] Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

7. Subditi ergo eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.

8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.

9. [k] Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.

10. Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.

11. Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, [l] detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, ſed judex.

Detractionem vitent.

12. Unus eſt legiſlator, & judex, qui poteſt perdere, & liberare.

13. [m] Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.

14. Qui ignoratis quid erit in craſtino.

15. Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps [n] exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; &: Si vixerimus faciemus hoc, aut illud.

Facturi aliquid, de vitæ ſuæ inſtabilitate cogitent & divinæ providentiæ ſe committant.

16. Nunc autem [o] exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis, maligna eſt.

17. Scienti igitur [p] bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.

CAPUT V.

Invehitur in divites pauperum oppreſſores quibus gravem comminatur ultionem.

1. [q] AGite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis.

2. [r] Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.

3. Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & [ſ] manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſauriſaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.

4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt [t] regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini ſabaoth introivit.

5. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis [u] enutriſtis corda veſtra, in die occiſionis.

6. [x] Addixiſtis, & occidiſtis juſtum, & non reſtitit vobis.

14. [a] *Zelum amarum habetis*, Syr. *livor amarulentus ſit inter vos. Nolite gloriari*, nolite vos jactare, & dicere eſſe ſapientes. Id enim eſſet gloriari & mentiri adversùs veritatem.

15. [b] *Sapientia*, ſcientia magiſtrorum ſuperbientium. *Terrena*, quia ſervit avaritiæ. *Animalis*, Syr. *à cogitationibus animæ*, prout anima diſtinguitur à ſpiritu. Quia voluptatibus carnis, ambitioni & ſuperbiæ ſervit.

16. [c] *Zelus*, Syr. Arab. Æth. *invidia*.

18. [d] *Suadibilis*, Syr. *obediens*, Arab. *celer ad ſe ſubjiciendum*.

1. [e] *In vobis*, Syr. Arab. *inter vos*.

2. [f] *Occiditis*, odio habetis alius alium, omnis enim qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. *Zelatis*, Arab. *invidetis. Propter quod non poſtulatis*, quia non petitis à Deo ut par eſt.

4. [g] *Adulteri*, quia mente à Deo aveſtis, & alteri adhærentes. *Amicitia.... inimicus*, in ſenſu activo. Zelum ſuſtinens Dei.

5. [h] *An putatis inaniter*, ſcripturam dicere, *Petite & dabitur vobis*? Non. *Sed ad invidiam concupiſcit ſpiritus*, ideo non datur quod petitis, id eſt, Spiritus qui in vobis ſedem habet, ad ea concupiſcenda vos incitat, pro quibus conſequendis invicem invidetis. Ratiocinatur à ſimili, quemadmodum idololatria Iſraëlitarum provocavit, ut refert textus Exodi, *cap.* 32. *verſ.* 11. & 26 iram Dei adversùs illos, ſic adulterium aut omnis alius amor creaturarum, ad quem vos impellit ſpiritus ille qui habitat in vobis, zelum & furorem Dei adversum vos excitabit.

6. [i] *Majorem autem dat gratiam*, Syr. *gratiam verò præſtantiorem dedit nobis Dominus noſter*. Si Deus bene rogetur atque ex humili corde, beneficia tribuet petitis majora, gratiamque antea datam augebit, &c. propter quod ſignificandum, &c. *Dicit*, ſecundum Script. Proverbiorum cap. tertii verſ. 34. I. Petri cap. 5. verſ. 5.

9. [k] *Miſeri eſtote*, Gr. Arab. *affligimini*, Syr. *humiles efficimini*. Opera pœnalia pro peccatis veſtris ſubite.

11. [l] *Detrahit legi*, perinde agit ac ſi legi detraheret quaſi non rectè prohibenti. *Judicat legem*, reprobat, condemnat, contemnit.

13. [m] *Tu autem quis es qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis*, Syr. *quid porrò dicemus de iis qui dicunt. Faciemus*, Arab. *morabimur*. Æth. *manebimus*.

15. [n] *Exterminabitur*, Syr. Gr. Arab. Æth. *evaneſcit*. *Pro eo ut dicatis*, Syr. *pro eo quod dicere debueritis*.

16. [o] *Exultatis*, Gr. Arab. Æth. *gloriamini*. *Superbiis*, in his quæ ſuperbe facitis & dicitis.

17. [p] *Bonum*, ad faciendum tenetur.

1. [q] *Agite*, Syr. *ô*, Gr. *age Divites*, avari & divitiis corde affixi, quod ad divites Chriſtianos refertur. *In*, Syr. *ab*, Arab. *de*, Æth. *ſuper*. *Miſeriis*, non temporalibus, ſed æternis, niſi pœnitentiam agant.

2. [r] *Divitiæ veſtræ*, naturales, puta, frumenta, vina, &c. *Putrefactæ ſunt*, ex diuturna & avara retentione, quoniam eas non communicaſtis egenis.

3. [ſ] *Manducabit*, figuratus eſt ſermo, quo ærugo fingitur teſtis & carnifex. *Vobis iram*, Syr. *contra vos*, Æth. *adverſum vos*. Arab. *velut ignis quem condidiſtis in dies poſtremos*, cauſa erit infernalis incendii.

4. [t] *Regiones*, Syr. Æth. *terras*, Arab. *agros*.

5. [u] *Enutriſtis corda*, vobis indulgendo in cibo & potu quantum cor expetit. *In die occiſionis*, Arab. *tanquam ſagimata ad diem mactationis*. *Occiſionis*, ſacrificii & feſtivitatis.

6. [x] *Addixiſtis*, Syr. Gr. *condemnaſtis*, pauperem mori feciſtis legum jure abutentes, ut ejus hæreditatem occuparetis. *Juſtum*: emphaticus eſt ſermo, quo ſignificatur unuſquiſque pauper juſtus, nec enim ſermo eſt hic de Chriſto.

Digitized by Google

Hortatur pauperes ad patientiam & longanimitatem.

7. [a] Patientes igitur eſtote fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum.

8. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam adventus Domini [b] appropinquavit.

9. Nolite [c] ingemiſcere fratres in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam aſſiſtit.

10. [d] Exemplum accipite, Fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ: Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini.

11. Ecce [e] beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.

Prohibet juramentum.

12. Ante omnia autem fratres mei [f] nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt; Non, non: ut non ſub judicio decidatis.

Docet quid fidelis quiſque in triſtitia & lætitia agere debeat.

13. [g] Triſtatur aliquis veſtrûm? oret: æquo animo eſt? pſallat.

* Præcipit infirmos oleo ungi à presbyteris.

* 14. [h] Infirmatur quis in vobis? Inducat preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:

15. Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & [i] ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

Efficaciam mutuæ orationis oſtendit.

16. [k] Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini: multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.

17. Elias homo erat ſimilis nobis [l] paſſibilis: & oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.

18. Et rurſum oravit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.

Quantùm boni præſtet qui fratrem errantem ab errore avertit.

19. Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum:

20. Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam [m] ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

7. [a] *Patientes eſtote*, quod ad pauperes afflictos, & à divitibus oppreſſos, refertur. *Pretioſum*, ſibi utilem. *Ecce*, Syr. Æth. *ſicut*. *Temporaneum*, pluviam tempore ſementis in autumno. *Serotinum*, pluviam tempore veris, Syr. Gr. *pluviam tempeſtivam & ſerotinam*.

8. [b] *Appropinquavit*, quod de everſione urbis & templi, & de die mortis exponi poteſt.

9. [c] *Ingemiſcere, &c.* Hæc ad pauperes dicta ſunt, ut non ingemiſcant de oppreſſione divitum, ſed eorum injurias patienter ferant, & ut non deſiderent illorum divitias, quarum vanitas & brevitas apparet ex propinquo adventu judicis, apud quem inutiles, & nocivæ ſæpius. *Judicemini*, Arab *damnemini*.

10. [d] Syr. *Exemplum accipite vobis prophetas, fratres mei, ad longanimitatem in afflictionibus veſtris, qui quidem locuti ſunt in nomine Domini*.

11. [e] *Beatificamus eos*. Æth. *beatos prædicamus*. *Finem Domini*, Syr. *finem quem præſtitit ei Dominus*.

12. [f] *Nolite jurare*. hoc præceptum intelligi debet de juramento inutili, levi & temerario. *Neque per cælum, &c.* cum juramus per creaturas, ipſis vel judicandi poteſtatem, vel teſtimonii probandi authoritatem deferimus, quæ corruptela eſt idololatriæ affinis. *Ut non ſub judicio decidatis*. Æth. *ne condemnemini, neque veniatis in judicium*.

13. [g] *Triſtatur aliquis veſtrûm*, Syr. *quod ſi quis ex vobis fuerit in oppreſſione*, Arab. *in afflictione & calamitate*. *Æquo animo*, Syr. *lætatur*.

14. [h] *Infirmatur*. quod de gravi morbo intelligendum ex vi vocis Græcæ. *Inducat*, Syr. *vocet*, Arab Æth. *accerſat*.

15. [i] Particula *Si*, non tam incertæ rei conditionem ſignificat, quam non ceſſionem rei certæ & indubitatæ. Quod frequentiſſimum in ſcripturis.

16. [k] *Confitemini alterutrum*. Hoc poteſt intelligi de ea peccatorum confeſſione, quâ fideles veniam petunt ab iis quos aliquâ injuriâ affecerunt. Vel, quâ peccata teteguntur fratribus petendi conſilii, vel auxilii causâ. Vel confitemini homines hominibus, iis ſcilicet, quibus poteſtas data eſt remittendi peccata.

17. [l] *Paſſibilis*, Syr. *paſſionibus obnoxius*, quidam hoc de paſſionibus corporis exponunt. *Oratione oravit*, Hebraiſmus, ardenter oravit. *Terram*, decem tribuum.

20. [m] *Ejus*, non in Gr. Arab. *Salvabit animam ejus à morte*, Æth. *ſeipſum liberaverit à morte*. *Peccatorum*, addidit Syr. Arab. *ſuorum*.

IN DUAS EPISTOLAS PETRI.

DUæ ſcriptæ fuerunt à Petro epiſtolæ, quæ in canonem ſcripturæ ſacræ, jam inde ab initio, receptæ fuerunt ab Eccleſia. De priore nulla fuit unquam controverſia quin Petri eſſet. De ſecunda verò, ob ſtili diverſitatem fuit aliquandiu quibuſdam dubitatum. Sed hæc diverſitas rejicienda eſt in diverſos interpretes quibus uſus eſt Petrus in ſcribendis græcè epiſtolis, quum linguâ Græcâ non ſatis expedite uteretur.

Ad Judæos in variis regionibus diſperſos ſcriptæ ſunt præcipuè, ſed etiam ad fideles Gentiles qui ſimul cum Judæis unam Eccleſiam faciebant.

Prima Romæ ſcripta eſt, quam typicè intelligit nomine Babylonis, propter confuſionem idololatriæ, quæ tunc Romæ vigebat, quo anno & tempore, incertum. Niſi quod ſcriptam eſſe certum eſt, poſtquàm diſcipuli incœperunt nominari Chriſtiani, Act. cap. 11. quod nono circiter anno poſt mortem Chriſti factum. Non multò ante poſteriorem ſcripta videtur. Scripta autem, quia multi dubitabant, an Petrus eadem cum Paulo & Sila doceret.

Secunda Romæ ſcripta eſt, iiſdem quibus prima, ultimis vitæ Petri temporibus maximè adversùs carnalem & ſpurcam familiam Simonis magi, & ſectam Nicolaïtarum.

PRIMA PETRI EPISTOLA.

CAPUT I.

Poſt inſcriptionem epiſtolæ, Deo gratiam agit, quòd eos, quibus ſcribit, vocaverit ad æterna bona à prophetis prænuntiata, quæ tamen non acquiruntur niſi per multas tribulationes.

1. PETRUS Apoſtolus Jeſu Chriſti, [a] electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ,

2. [b] Secundùm præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti: gratia vobis, & pax multiplicetur.

3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem [c] vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis,

4. In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, [d] conſervatam in cœlis in vobis,

5. Qui [e] in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam revelari in tempore noviſſimo.

6. [f] In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus:

7. Ut [g] probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Jeſu Chriſti:

8. Quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes [h] creditis: credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili, & glorificatâ:

9. [i] Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.

10. De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt:

11. [k] Scrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti: prænuntians

1. [a] *Electis*, quod de omnibus fidelibus tam Judæis quàm paganis intelligendum. *Advenis*, incolis peregrinis. Vel recenter in Eccleſia Chriſti inductis, quod probant quidam interpretes, ex verſ. 11. cap. 2. *De perſionis Ponti*, &c. Syr. *qui ſparſi ſunt in Ponto*, &c. *Aſiæ* Minoris, cujus Epheſus erat metropolis.

2. [b] Syr. *Iis qui electi ſunt per præſcientiam Dei Patris, per ſanctificationem Spiritus, ut ſint in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis*, &c. *Præſcientiam*, præfinitionem, prædilectionem. *Secundùm præſcientiam*, &c. Quæ ſequuntur debent referri ad verbum, *electis*, in ſanctificationem Spiritus. Ut ſanctificentur Spiritu. *In obedientiam*, ut obediant fidei & Chriſto.

3. [c] *Vivam*, Syr. *vita*. *Per reſurrectionem*, per fidem ac manifeſtationem reſurrectionis. Hoc debet referri ad verbum *regeneravit*.

4. [d] *Conſervatam*, &c. Syr. *quæ parata eſt vobis in cœlis*. *In vobis*. Gr. *in nos*, Arab. *vobis*, Æth. *nobis*, vobiſque.

5. [e] *In virtute*. Æth. *per virtut*. *In*, non eſt Syr. Gr. Arab. *revelari*, Syr. Æth. *ut reveletur*.

6. [f] Syr. *In quibus lætabimini in æternum, & ſi hoc tempore pauliſum in anguſtiam redacti ſitis per varias tentationes quæ tranſeunt ſuper nos*. Tentationum nomine afflictiones intelligit.

7. [g] *Probatio fidei*. fides probata. *In laudem*, &c. digna laude, &c. *Revelatione*, die judicii.

8. [h] *Creditis*, non eſt Syr. Gr. *Lætitia glorificata*. Arab. Æth. *gaudio glorioſo*.

9. [i] *Reportantes finem*, Syr. *ut recipiatis retributionem*.

11. [k] Syr. *Et ſcrutati ſunt, quo tempore demonſtraturus eſſet, ac teſtimonium redditurus ſpiritus ille Chriſti, qui habitabat in ipſis*.

eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias:

12. [a] Quibus revelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.

Hortatur eos ad vitæ munditiam & charitatem fraternam, eo quòd Chriſti ſanguine redempti ſint & per verbum Dei renati ſpiritualiter.

13. Propter quod [b] ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti,

14. Quaſi filii [c] obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis.

15. Sed [d] ſecundùm eum, qui vocavit vos, ſanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis:

16. Quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.

17. Et ſi patrem invocatis eum qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundùm uniuſcujuſque opus, in timore incolatus veſtri tempore converſamini.

18 Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione [e] paternæ traditionis:

19. Sed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati:

20. [f] Præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos,

21. Qui per ipſum [g] fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo:

22. Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite [h] attentiùs:

23. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi & permanentis in æternum.

24. Quia omnis caro ut [i] fœnum: & omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit.

25. Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc eſt autem verbum, quod evangelizatum eſt in vos.

CAPUT II.

Monet ut excluſa omni fictione, propius accedant ad Chriſtum, lapidem electum & angularem, tanquam peculiaris populus Dei.

1. DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones,

2. [k] Sicut modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite: ut in eo creſcatis in ſalutem:

3. [l] Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.

4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum:

5. Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, [m] domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.

6 Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, [n] non confundetur.

7. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli:

8. Et lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui offendunt verbo, nec credunt [o] in quo & poſiti ſunt.

9. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut [p] virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.

10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti [q] miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.

11. Chariſſimi, obſecro vos tanquam advenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adversùs animam,

Hortatur ut ab omnibus mundanis abſtineant, ſanctèque inter Gentes converſentur, principibus & ſuperioribus pareant.

12. Converſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in [r] die viſitationis.

13. Subjecti igitur eſtote [ſ] omni humanæ

de futuris paſſionibus Chriſti, & gloria ejus poſteà. Scrutantes, quo tempore futuram eſſe hanc ſalutem. *Significaret Spiritus* ſanctus quo prædicti erant, cùm Chriſti mortem & gloriam illis prænuntiabat. *In eis*, qui in eis. *Sunt*, futuræ eſſent.

12. [a] Arab. *Gloriam in quam deſiderant. &c.* quas intrà diſcupere fecit angelos. Ut reſpiciant. Syr. *Revelatum fuerant illis quæcumque ſcrutabantur, quòd ſibimetipſis perquirebant, ſed noſtra nobis vaticinabantur, ea nempe, quæ nunc revelata ſunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, &c. Non ſibimetipſis, &c.* ſcilicet, quantùm ad uſum revelationum propheticarum. *Vobis autem*, ſed vobis. *Miniſtrabant*, annuntiantes ea futura quæ nunc nobis annuntiata ſunt eſſe completa. *In quem deſiderant*, quem Spiritum ſanctum cum Patre & Filio unum Deum Angeli ſumma cum voluptate intuentur, deſiderio videndi nunquam ceſſaturo. Sed melius græca verſio, in quæ myſteria ſcilicet Chriſti, &c.

13. [b] *Succincti lumbos mentis*, mente refrenata ac reſtricta ab omni cupiditate, quæ impedimur ne libere Deo ſerviat. *Sobrii*, Syr. *excitamini*, Arab. *vigilantes. Sobrii*, quod non de ſola intemperantia cibi & potûs intelligendum, ſed de omni immoderato rerum delectabilium uſu.

14. [c] *Obedientiæ*, Syr. Æth. *obedientes. Non configurati*, Syr. *neque communicaveritis amplius*, Æth. *ut regrediamini ad priſtinos veſtros errores, & concupiſcentias, &c.*

15. [d] *Secundùm eum, qui vos vocavit, ſanctum*, quemadmodum, qui vos vocavit, ſanctus eſt.

18. [e] *Paternæ traditionis*, Arab. *quam monumento reliquerunt vobis patres veſtri.* Quod de traditionibus à majoribus acceptis, in quibus plurimùm erroris & ſuperſtitionis irrepſerat.

20. [f] *Præcogniti*. Syr. *qui prædeſtinatus fuerat ad hoc.*

21. [g] *Fideles eſtis in Deo*, Syr. Arab. *credidiſtis in Deum.*

22. [h] *Attentius*, Gr. ἐκτενῶς, intenſius, & perſeveranter.

24. [i] *Fœnum*, Syr. *herba*, Æth. *gramen.*

2. [k] Syr. *Et eſtote ſicuti infantes ſimplices, & appetite verbum illud tanquam lac purum & ſpirituale, ut per illud adoleſcatis ad ſalutem.*

3. [l] *Si tamen*, quandoquidem. *Guſtaſtis*, in baptiſmo. *Quoniam*, Syr. Æth. *quam. Dulcis*, Syr. Arab. *bonus*, Gr. *benignus.*

5. [m] *Domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum offerre, &c.* in domum ſpiritualem, & ſacerdotes ſanctos, ad offerendum, &c.

6. [n] *Non confundetur*, minùs dicit. Ut magis adſtruat, honore & gloriâ donabitur.

8. [o] *In quo & poſiti ſunt*, in id ad quod & inſtituti fuerant. *In quo*, refertur ad non credendum & ad offendendum: qui ut offendant in verbum & non credant poſiti ſunt, & ordinati à Deo, ſic permittente propter eorum peccata præcedentia.

9. [p] *Virtutes*, Syr. *laudes*, Æth. *beneficia.*

10. [q] *Miſericordiam*, quia adducti ad lumen fidei, facti eſtis membra Chriſti.

12. [r] *Die viſitationis*, die iræ Dei per Romanos. Aut in die examinis religionis Chriſtianæ per principes & magiſtratus. Vel, cùm Deus per ſuam gratiam obtrectatores illos viſitare dignabitur convertens eorum corda.

13. [ſ] *Omni humanæ creaturæ*, quia aut humanâ conſuetudine aut humanis ſuffragiis creantur. *Propter Deum*, cujus vicarii ſunt, ac à quo poteſtatem habent qui regunt populos. *Quaſi præcellenti*, Syr. *propter imperium*, Arab. *poteſtatem ipſius*, Æth. *quia omnia ei ſunt.*

creaturæ propter Deum: ſive regi, quaſi præcellenti;

14. Sive [a] ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

15. Quia ſic eſt [b] voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:

16. [c] Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.

17. [d] Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: regem honorificate.

Servos monet ut dominis obtemperent, & exemplo Christi injurias patienter ferant.

18. Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & [e] modeſtis, ſed etiam dyſcolis.

19. [f] Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſtè.

20. Quæ enim eſt [g] gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benè facientes patienter ſuſtinetis; hæc eſt gratia apud Deum.

21. In hoc enim vocati eſtis: Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.

22. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus:

23. Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: [h] tradebat autem judicanti ſe injuſtè:

24. Qui [i] peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis.

25. Eratis enim ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem & [k] Epiſcopum animarum veſtrarum.

CAPUT III.

Agit de mutua inter conjuges converſatione, & de mulierum ornatu.

1. Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt [l] verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant.

2. [m] Conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtràm.

3. [n] Quarum non ſit extrinſecus capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus:

4. [o] Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.

5. Sic enim aliquando, & ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe, [p] ſubjectæ propriis viris.

6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: [q] cujus eſtis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.

7. [r] Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.

8. [s] In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles: Hortatur ad varias virtutes.

9. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, [t] ut benedictionem hæreditate poſſideatis.

10. Qui enim vult vitam [u] diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam ſuam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum.

11. Declinet à malo & faciat bonum: inquirat pacem, & [x] ſequatur eam:

12. Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: [y] vultus autem Domini ſuper facientes mala.

13. Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni [z] æmulatores fueritis?

14. Sed ſi quid patimini propter juſtitiam, beati: [aa] timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Ut Christi exemplo patienter ferant adverſa.

15. Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, [bb] parati ſemper ad ſatisfactio-

14. [a] *Ducibus*, Syr. Æth. *judicibus*, Gr. *præſidibus*. *Ab eo*, à Deo.

15. [b] *Voluntas Dei*, non ad antecedentia refertur, ſed ad id quod ſequitur, ſcilicet, voluntas Dei eſt vos benefaciendo cohibere maledicentiam infidelium. *Ut benefacientes*, &c. Syr. *ut per bona opera veſtra obturetis os ſtultorum illorum qui non noverunt Deum*.

16. [c] Syr. *Tanquam filii liberi, & non tanquam homines quibus facta ſit ſua libertas velamen malitiæ ipſorum, ſed tanquam ſervi Dei*. *Quaſi liberi*, &c. referendum ad hæc verba, *ſubditi eſtote*, & ſenſus eſt ſubjecti eſtote tanquam liberi, id eſt, non ſerviliter, legibus principum, & tanquam à peccatis per Chriſtum liberati neque libertatem veſtram tanquam velum prætexentes malitiæ & inobedientiæ veſtræ, ſi quæ hominibus obediendo propter Deum, non hominibus ſed Deo vos ut ſervos ſubjicitis.

17. [d] *Omnes*, honorandos. *Fraternitatem*, Syr. *fratres veſtros*.

18. [e] *Modeſtis*, Syr. Arab. *manſuetis*. *Dyſcolis*, duris & aſperis.

19. [f] Syr. *Illi enim gratiam habent coram Deo, qui propter bonam conſcientiam ſufferunt moleſtias quæ ſibi obveniunt ab iniquis*. *Conſcientiam*, Arab. *cognitionem*. *Dei conſcientiam*, ut Deo placeat quem animo gerit, & coram eo bonam conſcientiam habendam.

20. [g] *Gloria* apud Deum.

23. [h] *Tradebat autem judicanti ſe injuſtè*, Syr. *ſed tradebat judicium ſuum judici juſtitiæ*. Gr. *tradidit vindictam ei, qui judicat juſte*.

24. [i] *Peccata*, pœnas peccatorum.

25. [k] *Epiſcopum*, Syr. *curatorem*.

1. [l] *Verbo* Evangelicæ prædicationis. *Converſationem*, Syr. *bonis moribus*, Arab. *ob rectam rationem vivendi*. *Lucrifiant*, converſione inchoatâ & imperfectâ. Non enim poteſt perfecta eſſe niſi ex fide quæ per verbum.

2. [m] Syr. *Quum viderint in timore, & caſtitate vos converſari*.

3. [n] Syr. *Neque ornemini ornatu externo, ut contextus capillorum veſtrorum aut additamentis auri, aut excellentibus veſtimentis*. Æth. *non ut oculo hominum complacentes, in concinnatione capillorum veſtrorum, neque in ornamentis auri & argenti, neque in grandis pretii veſtimentis*. Hæc ad immoderatum cultum referunt interpretes.

4. [o] Syr. *Sed ornemini in homine abſcondito cordis, in ſpiritu manſueto, incorruptibili, ornatu excellentiori coram Deo*, Arab. *ſed homo cordis occultus ornet ſe ſe incorruptibilitate ſpiritus manſueti, ac tranquilli, qui eſt coram Deo eximia præſtantia*.

5. [p] *Subjectæ*, in ſubjectione. Reputabant ſe pulchre ornatas, ſi viris ſuis ſubditas ſe exhiberent.

6. [q] *Cujus*, Saræ. *Benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem*, Syr. *in bonis operibus, non conturbatæ ulla timore*. Nulla erunt jurgia in domibus veſtris ſi vos pacificé geratis. Nec metuatis quidquam mali, velut ne maritis veſtris diſpliceatis, ſi minus compti incedatis, aut ne ſerviliter vos tractent, ſi faciles ad obſequium vos præbeatis.

7. [r] Æth. *Et ſimiliter vos viri habitantes cum uxoribus veſtris, ne deſpectui habeatis uxores veſtras, eo quòd infirmior eſt natura compoſita*, &c. *Scientiam*, prudentiam. *Honorem*, honeſte & caſte utendo. *Impediantur*, &c. Arab. *interrumpantur*, Syr. *ſuſpenſi ſitis in*, Gr. *ad non intercidi orationes veſtras*, Æth. *ne ſitis impingentes in orationibus veſtris*. *Impediantur*, per jurgia, contentiones, libidines.

8. [s] *In fine*, Syr. *finis porro hic eſt, ut ſitis*. Arab. *ſumma demum præcepti eſt*. *Fraternitatis*, Arab. *fratrum*.

9. [t] *Ut benedictionem*, &c. ut poſſideatis hereditatem benedictionis Domini.

10. [u] *Diligere*, non eſt Syr. Arab. Æth.

11. [x] *Sequatur*, Syr. *curr ut contendat*, Arab. *curræt*.

12. [y] *Vultus*, aſpectus iratus.

13. [z] *Æmulatores*, Syr. *zelatores*, Æth. *zelati fueritis de bene agendo*.

14. [aa] *Timorem autem eorum*, &c. Syr. *neque reformidabitis eos qui terrorem vobis incutiunt*. *Eorum*, qui vobis minantur & affligunt vos.

15. [bb] *Parati ſemper*, ſpem veſtram, ſeu fidem gloriæ ſperatæ rationabilem oſtendere, &c. quod tamen non ita intelligendum, ac ſi unuſquiſque fidelis debeat eſſe theologus, ſed ut de iis quæ fidei ſunt, juxta ſuum quiſque modum reſpondere poſſit. *Omni poſcenti*, modò fructus inde ſperetur.

Digitized by Google

nem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.

16. [a] Sed cum modeſtia, & timore, conſcientiam habentes bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem.

17. Melius eſt enim benefacientes [ſi voluntas Dei velit] pati, quàm malefacientes.

18. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos [b] offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu.

19. [c] In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit:

20. Qui [d] increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.

21. [e] Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti.

Docet quòd per baptiſmum ſalvamur in ſimilitudinem eorum qui in arca Noë ſalvati ſunt.

22. Qui eſt in dextera Dei, [f] deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, ſubjectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.

CAPUT IV.

Monet ut pergant præterita devitare peccata, Chriſti paſſionem in memoriam revocans, atque ut in capite ſuperiore de ſalute mortuorum agens.

1. [g] Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis:

2. Ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, [h] quod reliquum eſt in carne vivat temporis,

3. [i] Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.

4. [k] In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes.

5. Qui reddent rationem ei, qui [l] paratus eſt judicare vivos & mortuos.

6. Propter hoc enim & mortuis evangelizatum eſt: ut [m] judicentur quidem ſecundùm homines in carne, vivant autem ſecundùm Deum in Spiritu.

7. Omnium autem finis appropinquavit. [n] Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.

Charitati ſtudeant, ac dona à Deo data diſpenſent ad utilitatem Eccleſiæ.

8. Ante omnia autem, mutuam [o] in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

9. Hoſpitales invicem [p] ſine murmuratione.

10. Unuſquiſque, ſicut accepit [q] gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.

11. Si quis loquitur [r] quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum: cui eſt gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum: Amen.

12. [ſ] Chariſſimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat:

Non doleant, ſed potius gaudeant ob afflictiones pro Chriſto.

13. Sed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

14. Si exprobramini [t] in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus ſuper vos requieſcit.

15. Nemo autem veſtrûm patiatur ut homici-

16. [a] Æth. *Et cum manſuetudine veſtra Domini, pulchros reddite mores veſtros. Timore*, hominum, id eſt, reverentiâ. *Calumniantur*, vitam quam agitis juxta Chriſti doctrinam calumniantes ut maleficam & fucatam.

18. [b] *Offerret Deo*, Arab. *ad Deum introduceret*. Æth. *adduceret. Mortificatus*, Syr. Arab. *mortuus. Vivificatus*, Syr. Arab. *vixit. Spiritu*, anima: quia factus in ſpiritum vivificantem, quando à morte ſurrexit, tuncque vi divinitatis vivere cœpit vitâ immortali.

19. [c] *In quo*, ſpiritu, anima. *Carcere*, inferni.

20. [d] *Increduli*, Syr. *inobedientes.* Spiritus humani, animæ mortuorum. *Quando expectabant Dei patientiam*. Syr. *quum longanimitas Dei præcepit ut fieret arca*, Gr. *quando expectabat illa Dei longanimitas*. Æth. *quum expectabat eos patientia Dei. Animæ*, pars pro toto. *Per aquam*. Æth. *ex aquis*. Eo quod aquæ diluvii arcam elevaverunt. ſenſus totius loci. Chriſtus qui homo hominibus in carne evangelizavit, idem carne mortuus ſecundùm animam profectus ad inferos, lætum attulit nuntium animabus, quæ apud inferos in carcere, velut pœnarum loco, concluſæ detinebantur: qui ſpiritus olim carne induti, increduli fuerant, quando Deus patienter eos expectabat ad pœnitentiam, quo tempore Noë juſſu divino fabricabat arcam, &c. hi enim increduli converſi ſunt ad Deum, ſed patientiâ imperfectâ: quod & intelligendum de omnibus ſpiritibus ſalutis capacibus in inferno poſitis, quando Chriſtus illuc advenit: ſed loquitur ſpeciatim de ſpiritibus qui diluvio perierunt, quia viam ſibi facere volebat Apoſtolus ad digreſſionem quam mox ſubjungit de Sacramento Baptiſmi.

21. [e] Syr. *Quo quidem exemplo & nos ſervamini per baptiſmum, non abluentes corpus à ſordibus, ſed gratias agentes Deo cum pura conſcientia, & per reſurrectionem Jeſu Chriſti*, Arab. *cujus rei typus nunc eſt baptiſma ſalvans nos, non amovendo ſordes carnis tantùm, ſed exhilarando conſcientiam bonam erga Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti. Quod*, ſuppla, *ideo quia baptiſmi comparis modi cum aquis diluvii*, &c. *Conſcientia bona interrogatio*, reſpicit ad interrogationem quæ fit in ceremoniis baptiſmi, dum interrogatur baptizandus an credat in Chriſtum, & bona conſcientia, id eſt, ſerio & ex animo reſpondeat ſe credere. *Per reſurrectionem*, &c. quod cohæret cum verbis illis, *ſalvos nos* facit baptiſma.

22. [f] *Deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur*, non Syr. Gr. Arab. Æth.

1. [g] Syr. *Si ergo Chriſtus paſſus eſt pro nobis in carne, vos quoque eâdem mente armemini: quiſquis enim mortuus eſt in corpore ſuo deſiſtit ab omnibus peccatis.*

2. [h] *Quod reliquum eſt*, &c. Æth. *ſed ut quod reliquum eſt temporis veſtri, quantum reſtat vobis in carne veſtra, ſecundùm voluntatem Dei vivatis.*

3. [i] Syr. *Sufficit enim quòd tranſacto tempore operati ſimus voluntatem ethnicorum in crapula*, &c.

4. [k] Syr. *Et ecce nunc admirantur, vóſque maledictis proſcindunt, eò quod non laſcivitis cum eis in illa priore intemperantia.*

5. [l] *Paratus judicare*, quod quidem interpretes exponunt non de judicio finali, ſed de fame ab Agabo prædicta Act. 11. 28. & quæ contingit ſeptimo Claudii anno: ſecundùm quem ſenſum explicant v. 6. & 7. *Vivos*, fideles. *Mortuos*, infideles.

6. [m] *Judicentur ſecundùm homines in carne*, puniantur morte corporali, aut aliis afflictionibus, & ſic purgati vivant, &c. vel, *judicentur*, quamvis judicati & puniti. *Secundùm homines*, publice & in hominum notitia. *In carne*, & corpore, per aquas diluvii: de his enim mortuis agere videtur, quod etiam ad alios extendi poteſt. *Vivant*, tamen feliciter & beate per Chriſti redemptionem. *Secundùm Deum*, coram Deo. *Spiritu*, anima.

7. [n] *Eſtote prudentes*, Æth. *purificate corda veſtra. Vigilate in orationibus*, Syr. *invigilate orationi.*

8. [o] *In vobiſmetipſis*, Syr. *inter vos* Gr. Arab. *in vos ipſos. Peccatorum*, cùm enim aliquem amamus, facilè illius culpas erga nos commiſſas condonamus, poteſt etiam & de peccatis erga Deum exponi.

9. [p] *Sine murmuratione*, Æth. *non gravati.*

10. [q] *Gratiam*, Syr. Arab. *donum*, Æth. *portionem.*

11. [r] *Quaſi ſermones Dei*, Syr. Arab. *ut eloquium Dei loquatur. Miniſtrat*, Arab. *ſuppeditat*, Æth. *quicumque autem inſtruunt, verbum Dei edoceant, & qui miniſtrat, miniſtret ſecundùm virtutem quam dederit ei Deus.*

12. [ſ] Æth. *Fratres mei, ne peregrina videantur quæ vobis ſuperventura ſunt tentationes, ad probandum vos, ac ſi inſuetum aliquid nobis accideret. Peregrinari*, admirari, expaveſcere, ſicut peregrini ad inſolita expaveſcunt: non enim novum eſt pios tentari ac malis vexari. *Fervore*, Gr. *ignitione. Tentationem*, Gr. *experimentum.*

14. [t] *In nomine*, Syr. Æth. *pro nomine*, Arab. *ob nomen*, addunt Gr. *ſecundùm quidem eos blaſphematur, ſecundùm autem vos glorificatur. Honoris, gloria*, honor eſt pati pro Chriſto. *Virtutis*, Arab. *fortitudinis*, quia Deus tegit eos ſcuto bonæ voluntatis.

Digitized by Google

da, aut fur, aut [a] maledicus, aut alienorum appetitor.

16. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.

17. [b] Quoniam tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primum à nobis; quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?

18. [c] Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

19. Itaque & hi, qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in [d] benefactis.

CAPUT V.

Præpoſitos inſtruit quomodo paſcere debeant gregem ſibi commiſſum.

1. [e] SEniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator:

2. Paſcite [f] qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucris gratiâ, ſed voluntariè:

3. Neque ut [g] dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

Hortatus omnes ad humilitatem & ut divinæ curæ totos ſe tradant.

4. Et cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.

5. Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes autem invicem humilitatem [h] inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

6. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in [i] tempore viſitationis:

7. Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.

Monet ut vigilent adverſus inſidias diaboli, cui per fidem reſiſtere debent, a Chriſto inter modicas afflictiones facti perfecti & confirmati.

8. [k] Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:

9. Cui reſiſtite fortes in fide: [l] ſcientes eandem paſſionem eis, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri,

10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam [m] in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.

11. Ipſi gloria, & [n] imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Gratiam Dei illis precatur, adjectis ſalutationibus.

12. Per [o] Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter ſcripſi: obſecrans & conteſtans, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis.

13. Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in [p] Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.

14. Salutate invicem in oſculo [q] ſancto: gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Jeſu. Amen.

15. [a] *Maledicus*, G: Arab. *maleficus*, Facinoroſus.

17. [b] Nova ratio cur patienter ferre debeant afflictiones. *Judicium*, juſta punitio & vindicta. *Domo Dei*, Eccleſia, ne quis quærat ſe injuſte pati, ſciat Deum exercere judicium, quamvis per malos homines, etiam in bonos domeſticos & amicos ſuos. ſi autem Deus primum filios & domeſticos ſuos flagellat, quid tandem futurum eſt alienis, incredulis & inimicis.

18. [c] Si juſtus & electus Dei, vix, id eſt, nonniſi per ſeverum Dei judicium caſtigantes ejus peccata ad ſalutem perveniet: quomodo impius peccator ſtare poterit in Dei judicio, ut non condemnetur & æternis addicatur ſuppliciis? Quidam hoc exponunt de ſalute à tribulationibus.

19. [d] *Benefactis*, Syr. Arab. *bonis operibus*.

1. [e] *Seniores*, Syr. Gr. Arab. *presbyteros*. *In vobis*, Syr. Gr. Arab. *inter vos*. *Conſenior*, Syr. *ego presbyter ſocius veſter*, Arab. *ego presbyter æque ac ipſi*. *Communicator*, Syr. *particeps*, Arab. *conſors*. Speculator illius magnitudinis, ut II Epiſt. cap. 1. v. 16. *Seniores*, hoc nomine intelligendi ſunt Epiſcopi. *Teſtes*, non ſolùm quia vidit, ſed etiam quia ſimilia paſſus. *Communicator*, particeps ac ſocius futurus.

2. [f] *Qui in vobis eſt*, Syr. *qui traditus eſt vobis*. *Secundùm Deum*, ſpiritualiter. *Voluntarie*, ex toto corde veſtro, Gr. Arab. *prompte*, propenſo animo.

3. [g] *Dominantes in cleris*, Syr. *domini gregis*. Hic enim non agitur de clericis, ſed de portione dominica gregis. quæ ſingulis Epiſcopis velut ſortito obtigit. *Ex animo*, non eſt Syr. Gr. Arab. Æth.

5. [h] *Inſinuate*, Arab. *amplectimini*.

6. [i] *Tempore viſitationis*, tempore quo Deus punit mala, & remunerat bona.

8. [k] *Sobrii eſtote*, Arab. *expergiſcimini*, Æth. *prudentes eſtote*. Sobrietas de qua hic agitur, non eſt tantùm circa cibum & potum, ſed etiam circa omnia alia corporalia, & temporalia. *Rugiens*, præ fame.

9. [l] *Scientes*, &c. fratres veſtros per mundum diſperſos multa ſimilia pati, Deo ſic volente, qualia vos patimini. *Eandem paſſionem*, eaſdem afflictiones.

10. [m] *In Chriſto Jeſu*, Syr. Arab. Æth. *per Chriſtum Jeſum*.

11. [n] *Imperium*, Syr. Arab. Æth. *poteſtas*.

12. [o] *Silvanum*, qui eſt Silas. *Ut arbitror*, hæc verba, quæ ſunt verba dubitationis, reſpiciunt ſolummodo miſſionem Silvani. *Breviter ſcripſi*. Syr. *pauca hæc*. *Obſecrans & conteſtans*. Syr. *& perſuaſum habeo ut teſtificor*. *Ut arbitror, breviter ſcripſi*, hæc enim verba, *ut arbitror*, referenda ſunt ad, *breviter*, non ad *fidelem*. *Hanc eſſe veram gratiam*, &c. fidem in qua ſtatis, veram eſſe gratiam.

13. [p] *Babylone*, quod de Roma intelligendum propter confuſionem idololatriæ. *Collecta*, veſtræ conſors electionis. *Marcus*, Evangeliſta. *Filius*, propter ſedulam in Evangelio cooperationem ſingulariter charus, & quia ab eo Chriſto acquiſitus.

14. [q] *Sancto*, Gr. Æth. *charitatis*. *Eſtis in Chriſto*, Arab. *in charitate Jeſu Chriſti*, id eſt, Chriſtiani.

Digitized by Google

SECUNDA EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI.

CAPUT I.

Gratiam & pacem precatur.

1. SIMON Petrus, ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, [a] iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in juſtitia Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.

2. Gratia vobis & pax [b] adimpleatur in cognitione Dei & Chriſti Jeſu Domini noſtri:

Hortatur immemores maximo eum quæ à Deo acceperunt donorum, per varias, quas enumerat, ſcandant virtutes ut ſic introitus in regnum Domini illis miniſtretur.

3. [c] Quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus qui vocavit nos propriâ gloriâ & virtute.

4. Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.

5. [d] Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam,

6. In ſcientia autem [e] abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem,

7. In pietate autem amorem [f] fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

8. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & [g] ſuperent; non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.

9. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & [h] manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.

10. Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera [i] certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

11. Sic enim abundanter [k] miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti,

Doctrinæ ſuæ monet ut ſint memores, etiam poſt ſuum obitum brevi futurum.

12. Propter quod [l] incipiam vos ſemper commonere de his: & quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate.

13. Juſtum autem arbitror quandiu ſum in hoc [m] tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione:

14. Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.

15. [n] Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

Hanc doctrinam ipſe à Domino ſpectator gloriæ ejus accepit.

16. Non enim [o] doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.

17. [p] Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſâ ad eum hujuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.

18. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, [q] cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.

Hortatur in ſcripos prophetarum attendant quæ divinitus illis inſpirata eſſe declarat.

19. Et [r] habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris:

20. Hoc primum intelligentes, quòd omnis [ſ] prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.

1. [a] *Iis qui coæqualem*, &c. quod ad Judæos fideles maxime reſtringendum. *In juſtitia*, Syr. Arab. *per juſtitiam*, cum juſtitia, quia per fidem juſtificamur.

2. [b] *Adimpleatur*, Syr. Arab. Æth. *multiplicetur*. *In cognitione* Syr. Arab. *per agnitionem*, per fidem quâ cognoviſtis.

3. [c] Sicut ejus divina virtus omnia nobis largita eſt, quæ ad vitam & pietatem pertinent per agnitionem ejus qui vocavit nos per gloriam & virtutem. quando quidem per ipſam cognitionem, omnia, quæ ad vitam & pietatem ſpectant, a divina potentia conceſſa ſunt *Quomodo*, referendum eſt, & pendet hujus partis ſententia uſque ad initium quinti verſûs.

5. [d] Quomodo Deus, &c. v. 3. ſic omni ſtudio &c. *Miniſtrate*, &c. Syr. *adjicite autem fidem veſtram*, &c. Æth. *procedite ad benignitatem per fidem veſtram*, & *a benignitate*, &c. *In fide*, &c. Arab *cum fide*. *Virtutem*, opera virtutum. *Scientiam*, prudentiam; ne aliis operibus ſit plus aut minus.

6. [e] *Abſtinentiam*. Gr. Arab. Syr. *temperantiam*.

7. [f] *Fraternitatis*, Arab. *fratrum*. *Charitatem*, amorem Dei.

8. [g] *Superent*, Syr. *exuberent*. *Cognitione*, Gr. *cognitionem*. Fidem.

9. [h] *Manu tentans*, &c. manu viam tentans, oblitus ſeſe à veteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatum.

10. [i] *Certam*, ſuo modo, id eſt in genere ſignorum bene probabilium. *Electionem*, ad Chriſtianiſmum. *Peccabitis*, excidetis ab eo quod vocati eſtis.

11. [k] *Miniſtrabitur*, Arab. *patefiet*.

12. [l] *Incipiam*, Gr. *non negligam*. Syr. *non deſiſtam*. *Et quidem*; Gr. *quamvis*, Syr. *tametſi*.

13. [m] *Tabernaculo*, Syr. Æth. *corpore*. *Suſcitare*, Syr. Arab. Æth. *excitare*. *In commonitione*, Arab. *per commonitionem*, Æth. *per recordationem ejus*.

15. [n] Studebo ut poſt obitum meum poſſitis frequenter horum memoriam facere. Arab. *Ut ſit apud unumquemque veſtrum memoria horum colloquiorum*. Ut facilius regni Chriſti memoriam teneant, adducit hiſtoriam transfigurationis, &c.

16. [o] *Doctas*, Syr. *arte compoſitas*. *Præſentiam*, Syr. Arab. *adventum*. *Magnitudinis*, Syr. Arab. *majeſtatis*.

17. [p] *Accipiens*, Syr. Arab. Æth. *accepit*, accipiens fuit. *Ipſum audite*, non in Gr. Syr. Arab. Æth.

18. [q] *Cùm eſſemus cum ipſo*, in transfiguratione.

19. [r] *Habemus firmiorem propheticum ſermonem*. Syr. *habemus præterea quod verum ſit verbum prophetiæ*. *Firmiorem*, non quòd in ſe firmior foret ſermo prophetarum ſermone Apoſtolorum, ſed firmior erat reſpectu Judæorum quibus ſcribebat. *Propheticum ſermonem*, exponi poteſt de verbo Dei revelato hominibus, quale erat teſtimonium patris in transfiguratione Filii. *Cui benefacitis*, &c. cui ſum attenditis, ſeu lucernæ apparenti in obſcuro loco, rectè facitis.

20. [ſ] *Prophetia ſcripturæ*, prophetica ſcripturæ: vel, omnis ſcripturarum interpretatio: ſic enim multis in locis familiare in ſcripturis nomen prophetiæ. *Propria interpretatione non fit*, Æth. *nulla prophetia à voluntate hominum*, & *à libidine hominis exponenda eſt*.

21. Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.

CAPUT II.

Prædicit exorituros magiſtros mendaces, quorum, mores, ingenia, & futura quæ illos maneant ſupplicia deſcribit.

1. Fuerunt verò & pſeudo-prophetæ in populo, ſicut in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & [b] eum qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem.

2. Et multi ſequentur eorum luxurias, [c] per quos via veritatis blaſphemabitur:

3. Et [d] in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non ceſſat; & perditio eorum non dormitat.

4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, [e] ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.

5. Et [f] originali mundo non pepercit, ſed octavum Noë juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum inducens.

6. Et civitates Sodumorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens.

7. Et juſtum Lot oppreſſum à nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit:

8. Aſpectu enim & auditu juſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.

9. Novit Dominus pios de [g] tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reſervare cruciandos:

10. Magis autem eos, qui [h] poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes:

11. [i] Ubi angeli fortitudine & virtute cùm ſint majores, non portant adversùm ſe execrabile judicium.

12. [k] Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt,

13. [l] Percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum.

14. Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, [m] maledictionis filii:

15. Derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam [n] ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit:

16. Correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ: ſubjugale mutum animal hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam.

17. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, [o] quibus caligo tenebrarum reſervatur.

18. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis [p] luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur:

19. Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.

20. Si enim refugientes coinquinationes mundi [q] in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.

Oſtendit quàm periculoſum ſit, poſt agnitam veritatem, ad priſtinam vitam redire.

21. [r] Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.

22. Contigit enim eis illud [ſ] veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum; &, Sus lota in volutabro luti.

21. [a] *Prophetia*, ſcriptura prophetica, vel potius, uſus & functio prophetandi.

1. [b] *Eum, qui emit eos, negant*: hæc contra Simonianos, qui miniſterio Angelorum tribuebant reconciliationem hominum cum Deo, & illis hanc ob cauſam honores ſoli Chriſto debitos tribuebant.

2. [c] *Per quos*, ſequentes. *Eorum luxurias*, *via veritatis blaſphemabitur*, quorum cauſa Chriſtianiſmus male audiet apud infideles.

3. [d] *In avaritia*, impellente eos avaritiâ, ad ſuum quæſtum vobis abutentur, idque hypocriſi & artificioſo ſermone. Arab. *Et deſcendi cupiditate lucrabuntur vos vanis ſermonibus*. *Quibus judicium*, hi quorum damnatio. *Jam olim*, Gr. ex olim, Æth. *à creatione mundi*. *Ceſſat*, tardat.

4. [e] *Sed rudentibus inferni*, &c. Arab. *ſed nexibus tenebrarum deturbavit eos, & reliquit illos carcere detentos ad damnationem*. Sed Deus poſt peccatum illorum in barathrum illud tartareum eos præcipitavit, & vinculis caliginoſis, id eſt infernalibus, ubi perpetuæ ſunt tenebræ, eos tradidit ſervandos ad judicium magni illius diei, &c.

5. [f] *Originali*, Syr. *priſtino*. Arab. *priſco*, Æth. *primo*. *Originali mundo*, hominibus ante diluvium. *Sed octavum Noe juſtitiæ præconem cuſtodivit*, Æth. *ſed ſupereſſe fecit ſeptem animas cum Noe quem ſervavit pro juſtitia, ut eſſet præco in juſtitia*. *Octavum*, non ab Adam, decimus enim erat, ſed ab Enos qui primus invocare cœpit nomen Domini, & melius, quia octo tantum homines ſervati ſunt à diluvio. *Juſtitia*, quidam de lege naturali exponunt.

9. [g] *Tentatione*, angustiis & perſecutionibus. *Cruciandos*, ſecundùm corpus & animam: ſermonem pendentem abſolvit. Si Deus angelis & hominibus olim peccantibus non pepercit, ſed graviter punivit, & ſi juſtos Noë & Loth è malis eripuit, igitur novit Dominus, &c.

10. [h] *Poſt carnem*, carnem ſequentes. *Dominationem* univerſalem Dei, quâ ſpretâ, mendaces illi magiſtri, de quibus agit Petrus, dederunt ſe in omnem carnalem impudicitiam. *Audaces*, &c. in nominativo. *Sectas non metuunt introducere blaſphemantes*, ſcil. *qui gloriâ præcellentes non verentur convitiis inceſſere*.

11. [i] *Ubi*, Arab. *quum*. *Virtute*, potentiâ eſt. *Adversùm ſe*, ſe ipſos, aut in alios hæreſiarcharum valde gravia & intolerabilia aiunt tormenta, cum nec angeli prævaricatores, qui naturâ præſtantiores ſunt & fortiores hominibus, Dei adversùm ſe judicium ferre poſſunt, ſed ut importabile execrentur: ſed ſecundum ſenſum græcæ verſionis hujus verſus & ſuperioris, per *dignitates* intelligendo angelos, ſenſus erit: iſti Simonis diſcipuli non verentur cœleſtibus virtutibus, id eſt, angelis glorioſis maledicere, irreverenter & fabuloſè tractantes illos, cùm ipſi angeli, robore ac majeſtate ac virtute, non inferant ſibi mutuo, boni malis judicium blaſphemum, nec ingerant verba maledica, vide epiſtolam Judæ verſ. 8 & 9.

12. [k] Arab. *Iſti quaſi animantia rationis experta, ex natura ſua præda atque corruptioni deſtinata, ea quæ ignorant blaſphemant. & ſua ipſorum corruptela corrumpuntur*. *Hi*, magiſtri errorum. *Naturaliter*, ſupple, *genita*. *In corruptione ſua peribunt*, dum in totos voluptatibus ſenſuum, etiam contra naturam, tradunt & immergunt, atque per hoc naturam ſuam corrumpunt, tandem in æternam corruptionem, id eſt, perditionem & interitum præcipitandos eſſe.

13. [l] Syr. *Quum abeat, in quibus iniquitas facta eſt merces iniquitatis, voluptas reputentur deliciæ quæ interdiu contingunt: fœdati maculis quæ plena, qui dum ſunt oblectantur otio*. *Laſciviunt*. *Voluptatem exiſtimantes*, &c. Arab. *delicias diurnas voluptatem ducunt: ſordidi atque probroſi delectantur fallaciis ſuis dum congregantur vobiſcum in conviviis*. Pro voluptate ducentes, ſi in diem deliciis fruantur carnis & ſanguinis, &c. *Coinquinationes & maculæ*, in nominativo, quia toti & animo & corpore polluti, deliciis ac luxu diffluunt in conviviis.

14. [m] *Maledictionis filii*, maledictione digni.

15. [n] *Ex Boſor*, Syr. Arab. Æth. *filii Boſor*. *Mercedem iniquitatis*, mercedem deſideratam & expectatam pro opere injuſto & impio.

17. [o] *Quibus*, hominibus.

18. [p] *Luxuriæ*, ad laſciviam pronæ, cui permittunt quidquid libet. *Paululum*, imperfectè ea ſatis firma fide vel, non multò antè, ſed nuper admodum converſi ad Chriſtum. *Effugiunt*, effugerant ac receſſerant ab eis, qui in errore converſantur, ſcilicet infidelitatis & vitæ carnalis. Hæc maxime ad Gnoſticos pertinent.

20. [q] *In cognitione*, Syr. Arab. *per cognitionem*.

21. [r] *Melius*, minus malum.

22. [ſ] *Veri proverbii*, quod vero proverbio dici ſolet. *Canis reverſus ad ſuum vomitum*, canis reſumit quod evomerat. *Sus lota*, &c. Æth. *ſus quum lota fuerit, reverſa eſt ſuper cœnum*.

Digitized by Google

CAPUT III.

Propter quoſdam negantes ſecundum Domini adventum, aſtruit futuram mundi renovationem, monetque ut in adventum Domini ſe preparent.

1. HAnc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam,[a] in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem:

2. [b] Ut memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum à ſanctis prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & Salvatoris.

3. Hoc primum ſcientes, quòd venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes,

4. [c] Dicentes: Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.

5. Latet enim eos hoc volentes, quòd [d] cœli erant prius, & terra, de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo:

6. Per [e] quæ, ille tunc mundus aqua inundatus periit:

7. Cœli autem qui nunc ſunt, & terra, [f] eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.

8. Unum verò hoc [g] non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus.

9. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens [h] aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.

10. Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu [i] tranſient, elementa vero calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur.

11. Cùm igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & [k] pietatibus,

12. Expectantes & [l] properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent?

13. Novos verò cœlos, & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia [m] habitat.

14. Propter quod chariſſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati & inviolati [n] ei inveniri in pace.

15. Et Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini: ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi [o] ſapientiam ſcripſit vobis, — *Pauli Apoſtoli doctrinam commendat.*

16. Sicut & in [p] omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.

17. Vos igitur fratres [q] præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate. — *Hortatur ut errorem fugientes proficiant in gratia Dei.*

18. Creſcite verò in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

---

1. [a] *In quibus, &c.* Arab. *cujus verbis & exhortatione ad ſinceram mentem vos excito.* *Quibus*, prima & ſecunda: ad rem enim non ad vocem attendit.

2. [b] Æth. *Memores ſitis ſermonis quem prænuntiavimus vobis, quem locuti ſunt ſancti prophetæ, & præceptorum Apoſtolorum Domini Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri.*

4. [c] Æth. *Dicentes, ubi eſt ſermo dicens quod oportet eum venire? Ecce ex quo primi patres noſtri mortui ſunt, ſic eſt ſicut fuit à creatione mundi.* *Adventus*, ad judicium. *Ejus*, Domini & Salvatoris.

5. [d] *Cœli*, Syr. *cœlum*, ſcilicet aëreum. *Prius*, olim & ab initio. *De aqua*, ex aqua extans & veluti emergens. *Per aquam conſiſtens*, compacta & ſolidata, ne diffluat in pulverem. *Verbo*, imperio & voluntate.

6. [e] *Quæ*, cœlum dans imbres, & terram evomentem aquas. *Mundus*, genus humanum. Cùm conſtet poſt mille & ſexcentos annos genus humanum aquis ſuffocatum interiiſſe; non incredibile videri debet, ſi dicatur, etiam poſt multa ſæcula ejus qui nunc eſt mundi decurrentia, aliquando futuram mutationem.

7. [f] *Eodem*, Gr. Syr. Arab. Æth. *ipſius*.

8. [g] *Non lateat*, quamvis lateat tempus adventûs Domini, hoc tamen latere vos non debet. *Dominum*, Chriſtum ſicut ex verſu ſequente.

9. [h] *Aliquos*, Gr. *ullos*.

10. [i] *Tranſient*, alterabuntur & deficient à ſtatu quem nunc habent, &c.

11. [k] *Pietatibus*, Syr. *timore Dei.*

12. [l] *Properantes*, feſtinantes bonis operibus. *Quem*, adventum. *Cœli* aërei. *Elementa*, terra & aqua.

13. [m] *Habitat*, habitabit.

14. [n] *Ei*, ab illo. *In pace*, pacem habentes cum ipſo.

15. [o] *Sapientiam*, ſublimem divinorum myſteriorum notitiam. *Scripſit*, in Epiſtola ad Romanos cap. 2. v. 4. & præcipue in epiſtola ad Hebræos, cujus ſcopus ut Hebræorum languentes animi excitentur ad fidei perſeverantiam, certamque expectationem bonorum quæ per Chriſtum promiſſa ſunt. *Vobis*, genti veſtræ.

16. [p] *Omnibus*, ferè omnibus.

17. [q] *Præſcientes*, Gr. *[illegible]*, & poſtea quàm præmoniti eſtis. *Cuſtodite*, Arab. Syr. Æth. *[illegible]*.

IN TRES EPISTOLAS BEATI JOANNIS APOSTOLI.

Tres ſunt epiſtolæ Joannis, & tres canonicæ, quo loco, tempore, & ad quos ſcriptæ ſint non ſatis certum.

Quin prima foret Joannis Apoſtoli, nunquam dubitatum eſt.

Secunda ſcripta eſt adverſùs Baſilidis & ſectatorum ejus impietatem, qui tunc temporis docebant Chriſtum non verum hominem, ſed phantaſma fuiſſe: græcè ſcriptam dicit Faber Stapulenſis.

PRIMA EPISTOLA BEATI JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT I.

Docet & teſtificatur Filium Dei æternum in tempore apparuiſſe.

1.[a] QUOD fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ:

2. [b] Et vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:

3. Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto.

4. Et hæc ſcribimus vobis [c] ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.

Deum lucem eſſe: docet, & nos ſocietate cum eo conjungi, ſi in luce ambulemus.

5. Et hæc eſt annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: quoniam Deus [d] lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.

6. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in [e] tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.

7. Si autem in [f] luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.

8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Dicit neminem eſſe ſine peccato, & per Chriſtum peccata remitti.

9. Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt, & [g] juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.

10. Si dixerimus quoniam [h] non peccavimus: mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis.

CAPUT II.

Docet Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis.

1. Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum:

2. Et ipſe eſt [i] propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.

3. Et in hoc ſcimus quoniam [k] cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus. Hortatur ad obſervationem mandati de mutua dilectione.

4. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.

5. Qui autem ſervat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei [l] perfecta eſt, & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.

1. [a] Syr. *Evangelizamus vobis illum qui, &c.* Ipſum verbum vitæ, quod fuit a principio, quodque carne indutum audivimus, & vidimus, & contrectavimus, annuntiantes vobis.
2. [b] Hæc ſunt per parentheſin dicta.
4. [c] *Ut gaudeatis*, de bonis in illa ſocietate acceptis & accipiendis, utque gaudium illud veſtrum perſeveret ac perficiatur.
5. [d] *Lux & tenebræ*, metaphorice ſumendæ ſunt.
6. [e] *Tenebris*, peccatorum.
7. [f] *Luce*, juſtitiæ & charitatis.
9. [g] *Juſtus*, quia ſervate fidem promiſſorum, pars quædam eſt juſtitiæ.
10. [h] *Non peccavimus*, ante donum fidei & baptiſmum. *Mendacem facimus eum*, contradicimus ei. *Verbum ejus non eſt in nobis*, Evangelio Dei per nos annuntiato, quod eſt de Chriſto redemptore, non credetis.
2. [i] *Propitiatio*, Æ h. *propitiator.* Propitiatio efficax. *Noſtris*, Judæis. *Totius mundi*, Gentilium electorum per totum orbem diſperſorum.
3. [k] *Cognovimus*, quod de notitia ſalutari, ac Deo nos probatos reddente, quæ complectitur actum intellectus & voluntatis, intelligendum ut & in ſequentibus.
5. [l] *Perfecta*, non qualis erit in gloria, ſed perfecta quantum ad ſigna amoris.

Digitized by Google

6. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.

7. Chariſſimi, non mandatum novum ſcribo vobis, ſed [a] mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio mandatum vetus, eſt verbum quod audiſtis.

8. Iterum [b] mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt, & in ipſo, & in vobis: quia tenebræ tranſierunt & verum lumen jam lucet.

9. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.

10. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & [c] ſcandalum in eo non eſt.

11. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

Omnem ætatem conſolatur.

12. Scribo vobis, [d] filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.

13. Scribo vobis [e] patres, quoniam cognoviſtis eum, qui ab initio eſt: ſcribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum.

14. Scribo vobis infantes, quoniam cognoviſtis [f] Patrem. Scribo vobis juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum.

Monet vitandam mundi dilectionem, fugiendos hæreticos, ac permanendum in veritate ſemel acceptâ.

15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas [g] Patris in eo:

16. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & [h] ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.

17. Et mundus tranſit, & [i] concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

18. Filioli, [k] noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia antichriſtus venit, & nunc antichriſti multi facti ſunt: unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.

19. Ex nobis prodierunt, ſed [l] non erant ex nobis, nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti ſint quoniam non ſunt omnes ex nobis.

20. Sed vos [m] unctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia.

21. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam: [n] & quoniam omne mendacium ex veritate non eſt.

22. Quis eſt mendax, niſi is qui negat quoniam Jeſus eſt Chriſtus? hic eſt antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.

23. Omnis qui negat Filium, nec [o] Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.

24. Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: ſi in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.

25. [p] Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.

26. Hæc ſcripſi vobis [q] de his, qui ſeducunt vos.

27. [r] Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos: manete in eo.

28. Et nunc filioli manete [ſ] in eo, ut cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.

29. [t] Si ſcitis quoniam juſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt.

CAPUT III.

Agit de Dei erga nos charitate, & docet quomodo diſtinguantur qui ex Deo ſunt & qui ex diabolo.

1. Videte [u] qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum.

2. [x] Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

3. [y] Et omnis qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.

4. Omnis qui facit peccatum, & [z] iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.

5. Et ſcitis quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt.

6. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non [aa] vidit eum, nec cognovit eum.

7. [a] *Mandatum vetus*, de quo loquor eſt ſermo quem nobis prædicantibus audiſtis. *Initio*, prædicati vel, ſuſcepti Evangelii.
8. [b] *Mandatum novum, &c.* mandatum vetus quod accepiſtis ab initio, nunc ego vobis renovo per hanc epiſtolam. *Verum*, res vera. *In ipſo*, in Chriſto, qui novam legem attulit. *In vobis*, novæ legis primitiis, in quibus mandatum illud obſervatione publicâ cœpit impleri: tenebræ ignorantiæ & peccatorum. *Verum lumen* Evangelii.
10. [c] *Scandalum*, Syr. Arab Æth. *offendiculum*. Non offenditur apud eratus. vel, ideo non offendit, impingit.
12. [d] *Filioli*, parvuli in Chriſto recèns regenerati. *Remittuntur*, remiſſa ſunt in baptiſmo peccata, virtute ac merito Chriſti.
13. [e] *Patres*, ſeniores præſertim in Chriſtianiſmo provecti. *Eum qui ab initio eſt*, poteſt & de Patre, & de Verbo ejus Jeſu Chriſto Filio Dei exponi. *Adoleſcentes*, qui jam velut juvenes, aut viri in Chriſto roborati eſtis, & incrementa perfectionis ſuſcipere poteſtis.
14. [f] *Patrem*, de Chriſto etiam quidam exponunt, quia per fidem ex eo renati.
15. [g] *Patris*, in Patrem Deum.
16. [h] *Superbia vitæ*, Syr. *faſtus mundi*. *Non eſt*, Syr. *non ſunt*. *Ex mundo*, ex peccato primi hominis in genus humanum transfuſæ.
17. [i] *Concupiſcentia ejus*, quod concupiſcere facit.
18. [k] *Noviſſima*, extrema quia poſt illud tempus, nullum amplius. *Hora*, tempus. *Sicut audiſtis*, ſicut traditum eſt vobis, quòd venturus eſt antichriſtus, ita tenete.
19. [l] *Non erant ex nobis, &c.* de numero electorum, qui ſoli ſunt membra Eccleſiæ ſemper manſura. *Sed ut manifeſti ſint, &c.* Syr. *ut egreſſi ſunt à nobis, ut innoteſcat eos ex nobis non fuiſſe.*
20. [m] *Unctionem*, ſancti Spiritus à quo edocti. *Sancto*, Chriſto. Non ſum neſcius vos à Chriſto per ejus gratiam ac cœleſte magiſterium ſufficienter edoctos eſſe ſic ut noveritis omnia quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt: quod non de unoquoque fideli, ſed de tota eorum ad quos ſcribit Eccleſia intelligendum.
21. [n] *Et quoniam*, & ſcientibus quoniam.
23. [o] *Patrem habet*, Syr. *credit*: *Et Patrem habet*, Syr. *confitetur*, Arab. *quicumque Filium negat apud ipſum ne Pater quidem eſt.*
25. [p] *Et*, quia *Repromiſſio* res promiſſa.
26. [q] *De his*, Syr Arab Æth. *propter eos.*
27. [r] Arab. *At ſi unctio quam accepiſtis ab eo maneat in vobis, non eſt vobis opus ut quiſquam doceat vos: ſed quatenus eſt ipſius unctio, docet vos omni de re: & quidem vera eſt, & non mendax: itaque prout docuit vos ut maneretis in eo.* *Verum*, Syr. Gr. *verax*, vide dicta verſ. 20.
28. [ſ] *In eo*, quod doctum fuerat.
29. [t] *Si ſcitis*, cùm ſciatis.
1. [u] *Qualem charitatem dedit nobis Pater*, Syr. *quanta ſit charitas Patris erga nos*, Æth. *quanta ſit charitas ejus quam dedit nobis Pater.* *Non novit*, non habet gratos.
2. [x] Qua ratione beati futuri ſumus. *Cùm apparuerit* Chriſtus in gloria, tunc apparebit id quod nos erimus, corpore ſimiliter glorioſi, immortales, inviſibiles. *Videbimus enim*, Chriſtum. *Sicuti eſt*, in utraque natura.
3. [y] Quicumque ſpem hujus rei habet in Chriſto, quòd, cùm apparuerit, ſimilis illi in gloria futurus ſit, & viſurus eum ſicuti eſt, prius in hac vita purificare ſe debet atque emundare ab omni ſorde peccati, & digna converſatione reddere ſe ei ſimilem, id eſt ſanctum, ſicut ille per omnia ſanctus eſt.
4. [z] *Iniquitatem*, Gr. *tranſgreſſionem legis*, Arab. *contra legem*. *Et peccatum*, quia peccatum, &c. fruſtra qui in peccatis hæret, licèt fecerit alia bona opera, ſibi ſimilitudinem gloriæ promittit cum capite Chriſto; reus enim eſt & violat legem Dei, atque damnabitur niſi pœnitentiam egerit.
6. [aa] *Vidit*, cognovit, quod intelligendum de viſione & cognitione affectiva.

7. Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt: ſicut & [a] ille juſtus eſt.

8. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam [b] ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.

9. Omnis qui natus eſt ex Deo, [c] peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.

De dilectione & odio fratrum.

10. In hoc [d] manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum:

11. Quoniam hæc eſt [e] annuntiatio quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum.

12. [f] Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus, juſta.

13. Nolite mirari fratres, ſi [g] odit vos mundus.

14. Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, [h] quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.

15. Omnis qui odit fratrem ſuum, [i] homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.

16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus [k] animas ponere.

17. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit [l] viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo.

Ad dilectionem hortatur & divinorum obſervantiam mandatorum.

18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.

19. [m] In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.

20. [n] Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum: major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.

21. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus [o] ad Deum.

22. Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.

23. Et hoc eſt mandatum ejus: ut credamus [p] in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.

24. Et qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis [q] de Spiritu, quem dedit nobis.

CAPUT IV.

Docet qui ſpiritus ex Deo ſint, & qui non.

1. CHariſſimi, nolite [r] omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudo-prophetæ exierunt in mundum.

2. [ſ] In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt:

3. Et omnis ſpiritus, qui [t] ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.

4. Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis [u] eum, quoniam major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.

5. Ipſi [x] de mundo ſunt: ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

6. Nos ex Deo ſumus: qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: [y] in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris.

7. Chariſſimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum.

Multa de charitate Dei & proximi docet quam cum timore conſiſtere non poſſe aſſerit.

8. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas eſt.

9. In hoc apparuit charitas Dei [z] in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

10. In hoc eſt charitas: non [aa] quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.

11. Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.

12. Deum nemo vidit unquam. [bb] Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt.

13. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam [cc] de Spiritu ſuo dedit nobis.

14. Et nos vidimus: & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum [dd] Salvatorem mundi.

7. [a] *Ille*, Syr. *ipſe Chriſtus.*
8. [b] *Ab initio*, ſtatim à mundi creatione.
9. [c] *Peccatum*, mortale. *Non facit*, dum talis eſt, per regenerationem & gratiam adoptionis factus Filius Dei. *Semen*, nativitas illa ſpiritalis quâ ex Deo renati ſumus & charitas quæ in peccatis omnibus lethalibus contraria eſt, ut non poſſit cum ullo peccato conſiſtere; quod de aliis virtutibus dici non poteſt. *Non poteſt*, quamdiu manet Filius.
10. [d] *Manifeſti ſunt*, Syr. *diſtinguuntur*. *Omnis*, quod quiſquis.
11. [e] *Annuntiatio*, Syr. *præceptum*, Æth. *mandatum.*
12. [f] *Non ſicut Cain*, non agentes ſicut Cain.
13. [g] *Odit vos*, ſicut Cain fratrem, quia opera diſſimilia.
14. [h] *Quoniam*, cauſalitas hæc referenda eſt ad cognitionem, tali ſenſu. Quoniam diligimus fratres, ſcimus, &c.
15. [i] *Homicida*, quia odium fraternum diſpoſitio eſt ad homicidium, & quia completum & perfectum odium periiſſe cupit quem odit. *Non habet*, vitam, jus ad vitam.
16. [k] *Animas ponere*, voluntariè mortem ſubire, & hoc pro ſalute æterna fratribus procuranda.
17. [l] *Viſcera*, Arab. Æth. *miſericordiam.*
19. [m] *In hoc*, ſi diligamus opere. *Veritate*, non agitur hîc de vera religione, ſed de gratia. *Suadebimus corda noſtra*, conſcientiam noſtram coram Deo tranquillam atque pacatam, reddemus, quod eum verè diligamus.
20. [n] Syr. *Quod ſi cor noſtrum reprehendat nos, quantò magis Deus, qui major eſt corde noſtro. Si cor*, id eſt, conſcientia nos accuſat ut diligentes linguâ non opere: non poterimus coram Deo fidere, quoniam major eſt Deus & novit omnia.
21. [o] *Ad Deum*, Syr. *coram Deo.*
23. [p] *In nomine Filii*, Gr. *nomine Filii*, Æth. *in Filio.*
24. [q] *De Spiritu*, &c. illam manſionem cognoſcimus per condonationem & infuſionem Spiritus, quo donati mandata ejus ſervamus.
1. [r] *Omni ſpiritui*, per ſpiritum intelligi debet, vel doctrina ab homine allata, vel homo ipſe aſſerens doctrinam.
2. [ſ] *In hoc*, Syr. Arab. Æth. *per hoc. Ex Deo eſt*, ex ea parte quâ hoc docet.
3. [t] *Solvit Jeſum*, Syr. Arab. Gr. *non confitetur Jeſum veniſſe in carne.* Divinam aut humanam naturam detrahit. *Antichriſtus*, Syr. *ab ipſe pſeudo-Chriſto*, Gr. *Spiritus adverſarii Chriſti. Quoniam venit*, Syr. Arab. *venturum.*
4. [u] *Eum*, Syr. Arab. Gr. *eos*, Æth. *malum.*
5. [x] *De mundo loquuntur*, quod non eſt intelligendum, quaſi loquantur tantùm de concupiſcentiis mundanis: ſed quia quæ loquuntur, non ex Deo ſunt, ſed ex mundo & diabolo principe mundi.
6. [y] *In hoc*, ſi nos audiat, aut non audiat.
9. [z] *In nobis*, Syr. Arab. *erga nos.*
10. [aa] *Quaſi*, Syr. Gr. Arab. *quod.*
12. [bb] *Si*, Syr. *ſed ſi*. Arab. *quod ſi.* Inſinuat Deum qui in ſeipſo videri non poteſt, ideoque nec dignè dil gi, diligendum eſſe in fratribus quos videmus, & ſic charitatem perfectam eſſe, cum charitas ad Deum & proximum dirigetur.
13. [cc] *De Spiritu ſuo*, varia Spiritus ſui chariſmata, & præcipuè Spiritum charitatis.
14. [dd] *Salvatorem*, ut eſſet Salvator.

Digitized by Google

15. [a] Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Jeſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.

16. Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam [b] habet Deus in nobis. Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

17. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia ſicut [c] ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.

18. [d] Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.

19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

20. Si quis dixerit quoniam diligit Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?

21. Et hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

CAPUT V.

Agit de natis ex Deo, veraque in ipſum charitate, & de victoria fidei.

1. Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo.

2. In hoc cognoſcimus quoniam [e] diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata ejus faciamus.

3. Hæc eſt enim charitas [f] Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt.

4. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & [g] hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.

5. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui [h] credit, quoniam Jeſus eſt Filius Dei?

De teſtimonis divinitatis & humanitatis Chriſti.

6. [i] Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.

7. Quoniam tres ſunt, qui [k] teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.

8. Et tres ſunt, qui [l] teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.

9. [m] Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.

10. Qui credit in Filium Dei, [n] habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.

Credentes in Chriſtum habere vitam æternam aſſerit.

11. Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita [o] in Filio ejus eſt.

12. [p] Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.

13. Hæc ſcribo vobis: ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis [q] in nomine Filii Dei.

A Chriſto exaudiuntur, qui orant cum fiducia, quod pro peccato ad mortem vix faciendum.

14. Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos.

15. [r] Et ſcimus quia audit nos quidquid petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo.

16. Qui ſcit fratrem ſuum peccare [ſ] peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.

17. Omnis iniquitas, peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem.

Docet quid nobis contulerit adventus Filii Dei.

18. Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, [t] non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum & malignus non tangit eum.

19. Scimus quoniam ex Deo ſumus: & [u] mundus totus in maligno poſitus eſt.

20. Et ſcimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis [x] ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.

21. Filioli, cuſtodite vos à ſimulachris. Amen.

---

15. [a] *Quiſquis igitur, &c.* hæc illetivè dicuntur.
16. [b] *Habet Deus in nobis*, Syr. *erga nos*, Arab. *in nos profundit*.
17. [c] *Ille eſt*, nos diligens. *Sumus*, fratrum amatores.
18. [d] *Timor*, ſervilis, quo quis ſibi malè conſcius timet condemnari in judicio divino, non conſiſtit cum charitate. *Timor pœnam habet*, pœna quam commeruit ſemper in animo verſat. *Qui autem timet*, pœnam è Deo judice irrogandam.
2. [e] *Diligimus natos Dei*, Arab. *nos eſſe Dei Filios*, Æth. *diligimus Deum*.
3. [f] *Dei*, Arab. *in Deum*.
4. [g] *Hæc eſt victoria*, hæc victoria quâ mundus vincitur, per fidem obtinetur. *Fides*, Jeſu Chriſti.
5. [h] *Credit*, fide non otioſâ, ſed obediente & operoſâ.
6. [i] Probat Jeſum eſſe mediatorem. *Aquam & ſanguinem*, ex ejus latere profluentes. *Aquam*, in Sacramento baptiſmi. *Sanguinem*, per quem vivificat animas. *Aqua*, at Joannes ſtepeiſta *Et Spiritus eſt*, &c. Arab. *& Spiritus eſt teſtis, quia Spiritus eſt veritas. Spiritus*, in ipſum deſcendens, ab illo promiſſus & miſſus. *Veritas*, per omnia verax in verbo & doctrina quam tradidit.
7. [k] *Teſtimonium*, divinitatis Chriſti. *Pater*, tribus vicibus vocis ſenſibilis miniſterio. *Verbum*, Filius ſibi multoties reddidit. *Spiritus ſanctus*, ſuper Jordanem in ſpecie columbæ, & in die Pentecoſtes.
8. [l] *Teſtimonium*, quod Jeſus Chriſtus ſit etiam verus homo. *Spiritus*, anima rationalis Chriſti. *Aqua*, quâ à Joanne ut unus hominum baptizatus eſt, & lacrymæ quas totâ vitâ fudit. *Aqua & ſanguis*, quæ fluxerunt de ejus latere. *Unum*, teſtificatione, quia unum & idem teſtantur.
9. [m] Syr. *Si teſtimonium hominum accipimus, quantò majus eſt teſtimonium Dei? Et hoc eſt teſtimonium Dei, quo teſtificatus eſt de Filio ſuo. Quoniam*, non indicat confirmationem, ſed expoſitioni inſervit.
10. [n] *Habet teſtimonium Dei in ſe*, veritatem à Deo teſtatam. Vel teſtimonium de Jeſu datum firmo aſſenſu recipit. *Credit Filio*, Syr. Gr. *Deo*. *Eum*, Arab. *Deum*.
11. [o] *In Filio*, per fidem & gratiam Filii Dei acquiritur, quia ille verus Deus & homo, unicus eſt redemptor & Salvator humani generis.
12. [p] *Qui habet Filium*, is in quo Filius per fidem & gratiam habitat, cui & obedit.
13. [q] *In nomine Filii*, in Filium.
15. [r] Syr. *Quod ſi perſuaſum habemus quòd audit nos, quidquid petierimus ab eo: confidimus nos jam recepiſſe petitiones noſtras quas poſtulavimus ab eo.*
16. [ſ] *Peccatum non ad mortem*, mortale quidem, ſed cujus agitur pœnitentia. *Peccatum ad mortem*, cui impœnitentia & finalis & temporalis conjuncta eſt. Cùm peccatur ex contemptu præcepti & terroris divini. Apoſtaſia univerſalis quâ quis ſciens & volens veritatem agnitam oppugnat. *Non pro illo dico ut roget quis*, non quòd orare prohibeat, ſed quia non audet hortari, ut pro tali oret cum ea impetrandi fiducia, de qua egit verſ. 14. cùm difficulter impetretur hujus peccati veniæ.
18. [t] *Non peccat*, ad mortem. *Generatio Dei conſervat eum*, Syr. *qui natus eſt ex Deo, cuſtodit ſeipſum. Malignus*, diabolus *Tangit*, ad conſentiendum: non agitur hîc de omnimoda impeccabilitate, ſed talis eſt ſenſus. Sicut qui paganus eſt, verſatur in ſtatu peccati, ſic fidelis ex Deo natus, non verſatur amplius in ſtatu peccati.
19. [u] *Mundus*, infideles, hæretici, falſi prophetæ, ii qui Chriſtum & ejus divinitatem negant, in quo mundus opponitur filiis Dei. *In maligno*, in diaboli poteſtate.
20. [x] *Senſum*, Syr. Gr. Arab. *mentem*.

Digitized by Google

SECUNDA EPISTOLA BEATI JOANNIS APOSTOLI.

Hortatur electam ad quam ſcribit ejuſque filios, ut in fide & charitate perſeverent, caveantque ab hæreticis ſeductoribus, maximè Baſilidianis.

1. [a] SENIOR Electæ dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognoverunt veritatem,

2. Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum.

3. Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & à Chriſto Jeſu Filio Patris, in veritate & charitate.

4. Gaviſus ſum valdè, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in [b] veritate, ſicut mandatum accepimus à Patre.

5. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum novum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.

6. Et hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundùm mandata ejus. Hoc eſt enim mandatum, ut quemadmodum audiſtis ab [c] initio, in eo ambuletis.

7. Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: [d] hic eſt ſeductor, & antichriſtus.

8. [e] Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis: ſed ut mercedem plenam accipiatis.

9. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti: Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.

10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis.

11. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis.

12. Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium veſtrum plenum ſit.

13. Salutant te filii ſororis tuæ [f] Electæ.

1. [a] *Senior*, Epiſcopus, preſbyter. Sic per excellentiam, tacito proprio nomine, dicebatur Joannes Apoſtolus in Aſia, quia Eccleſiarum illius regionis fundator erat. Subaudiendum, *ſalutem dat*, vel *ſcribit*. *Electa*, proprium nomen. Ad peculiarem Eccleſiam multi tamen putant hanc epiſtolam ſcriptam eſſe.

4. [b] *Veritate*, fidei & morum.

6. [c] *Initio*, cùm Evangelium accepiſtis.

7. [d] *Hic eſt ſeductor*, Syr. *hujuſmodi, eſt ſeductor*, Arab. *qui enim hoc dicit ſeductor eſt.*

8. [e] *Videte voſmetipſos*, Syr. Arab. Æth. *cavete vobis.*

13. [f] *Electa*, adhuc nomen eſt, quo utitur Joannes, ſicut & Paulus Chriſtianos vocat ſanctos.

TERTIA

TERTIA EPISTOLA BEATI JOANNIS APOSTOLI.

Gaium laudat, quòd in veritate ambulet & peregrinos humanè excipiat, ſubditque de Diotrephis calumniis & inhumanitate, ac de Demetrii bona fama.

1. [a] SENIOR Gaio chariſſimo, quem ego diligo in veritate.

2. [b] Chariſſime, de omnibus orationem facio proſperè te ingredi; & valere, ſicut proſperè agit anima tua.

3. Gaviſus ſum valdè venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.

4. [c] Majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.

5. Chariſſime, [d] fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,

6 Qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ: [e] quos benefaciens, deduces digne Deo.

7. Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes à Gentibus.

8. Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis.

9. [f] Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ: ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

10. Propter hoc [g] ſi venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant: neque ipſe ſuſcipit fratres; & eos qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia ejicit.

11. Chariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui bene facit, ex Deo eſt: qui male facit, non [h] vidit Deum.

12. Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, & [i] ab ipſa veritate, ſed & nos teſtimonium perhibemus: & noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.

13. Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi.

14. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

1. [a] *Senior*, vide verſ. 1. Epiſt. II. *Gaio*, quis ille Gaius aut Caius non ſatis conſtat. Derbenſem multi putant, de quo Act. c. 20.

2. [b] Arab. *O chariſſime, ego pro te oro ut plana ſint via tua in omnibus rebus, & benè valeas, quemadmodum animæ tuæ viæ ſunt jam complanata.*

4. [c] *Majorem horum non habeo gratiam*, Syr. Æth. *majus hoc gaudium non habeo.*

5. [d] *Fideliter facis*, rem fideli & Chriſtiano dignam. *Hoc*, Syr. *præſertim.*

6. [e] *Quos benefaciens deduces digne Deo*, quos ſi digne Deo deduxeris, id eſt, ſubminiſtraveris ſumptus profectioni neceſſarios, rem bonam feceris, & tuâ pietate dignam.

9. [f] *Scripſiſſem*, Gr. Arab. Æth. *ſcripſi.* Utraque lectio ſic conciliatur. ſcripſi alias Eccleſiæ veſtræ, ſed fruſtra: quoniam Diotrephes, qui illi præeſt, nobis adverſatur: qua de cauſa nunc non ſcribo, ſcripturus aut loqui forſitan.

10. [g] *Si venero*, Arab. *quum venero. Commonebo ejus opera*, Arab. *monebo enim de facinoribus ſuis*, publicè reprehendam.

11. [h] *Vidit*, Æth. *videbit*, novit per charitatem.

12. [i] *Ab ipſa veritate*, per ipſam rei evidentiam. *Perhibemus*, ut experti beneficentiam ipſius.

IN EPISTOLAM BEATI JUDÆ APOSTOLI.

SCripta eſt à Juda Apoſtolo ad Judæos noviter converſos, & in Oriente diſperſos, ſpecialiter contra Nicolaïtas, Simonianos, & Gnoſticos, quo tempore incertum, ſaltem poſt annum Chriſti ſexageſimum ſextum & fortè poſt excidium Jeruſalem. Hebraïcè, id eſt, Syro-chaldaicè ſcripta.

Ut canonica jam olim recepta eſt, licèt de hoc à quibuſdam dubitatum fuerit.

Salutatio & initium epiſtolæ. Tota verò epiſtola monet fideles ad quos ſcribit ut firmi ſint in tradita ſemel fide adversùs inſurgentes hæreticos.

1. JUDAS Jeſu Chriſti ſervus, frater autem [a] Jacobi, his qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis.

2. Miſericordia vobis, & pax, & charitas [b] adimpleatur.

3. [c] Chariſſimi, omnem ſollicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.

Agit de hæreticorum ſupplicio.

4. Subintroierunt enim quidam homines qui (olim [d] præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.

5. [e] Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit:

6. [f] Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.

7. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates [g] ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes.

8. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant. [h]

Per ſcripturas figurales, & ſimilitudines naturales, mores hæreticorum depingit.

9. Cùm [i] Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit: Imperet tibi Dominus.

10. Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem [k] naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

1. [a] *Jacobi* minoris. *Chriſto*, per Chriſtum. *Conſervatis & vocatis*, ſ. ribus Judas vocatis, id eſt fidelibus quo in Deo Patre ſanctificati ſunt, & a Jeſu Chriſto ſervati & cuſtoditi.

2. [b] *Adimpleatur*. Syr. Arab. Æth. *multiplicetur*.

3. [c] *Chariſſimi, &c.* Arab. *a dilectiſſimi, omni ſtudio adhibita ut ſcriberem vobis de ſalute perfecta univerſali atque communi, coactus ſum ſcribere vobis, &c.* Cùm pro vobis eſſem valdè ſollicitus, non ſolum ſummum ſtudium fuit ſcribendi ad vos de communi ſalute, verùm etiam neceſſitas ſcribendi fuit, propter ea quæ ſequuntur. *Deprecans ſupercertari, &c.* Syr. *rogans ut certamen ſubeatis pro fide qua ſemel tradita eſt ſanctis. Supercertari*, utitur ut deponente.

4. [d] *Præſcripti in hoc judicium*, de quibus in Scripturis ſanctis prænuntiatum eſt, quod venturi eſſent in damnationem, de qua ſtatim locuturus ſum; cùm punitiones impiorum quæ leguntur in veteri teſtamento figuræ fuerint æternæ damnationis. *Judicium*, Syr. Arab. Æth. *damnationem. Transferentes in luxuriam*, quaſi libertas Evangelica per Chriſtum parta, ſit licentia quidquid libitum eſt agendi.

5. [e] Syr. *Commonere autem vos volo, quum ſciatis omnes quòd Deus quum unâ vice populum ex Ægypto liberaſſet, alterâ eos qui non crediderunt perdidit. Scientes omnia*, quamvis hoc ipſum non ignoratis. *Semel*, jam dudum legendo ſcripturas. *Omnia*, Gr. *hoc*, Arab. *hunc ſenſum. Jeſus*, Arab. *Dominus*, non ut homo repræſentatus per Angelum liberatorem populi.

6. [f] *Angelos*, Angelorum nomine, Core & ſocios intelligi debere ſicunt quidam interpretes. *Principatum*, ſtatum & dignitatem in qua à principio conditi. *Caligine*, verè caliginoſo.

7. [g] *Simili modo*, Æth. *quæ ad exemplum earum*, Gr. *ſimilem his modum. Carnem alteram*, carnem maſculam, cùm duo mares una caro eſſe non poſſint. *Ignis æterni*, quia irreparabilis. Hæc enim loca occupat mare mortuum. Sed melius, ut verba *ignis æterni* referantur ad *exemplum*. *Facta ſunt exemplum*, perennis ſupplicium in igne æterno. Hæc dicit Apoſtolus, quia Simoniani contra quos egit, hac nefanda libidine ſe polluebant.

8. [h] Supplendum, *Et proinde ſicut illi igne cœli ut omnino puniti ſunt, ſimiliter hi igne æterno punientur*. Hi Simoniani, & Nicolaitæ, Gnoſticorum parentes. *Dominationem*, univerſalem dominationem Dei, quâ mundum gubernat & inſtruit, quam ſeductores illi fabulis ſuis in contemptum adducebant. *Majeſtatem*, Gr. *dignitates*. Multi ex verſu ſequente de Angelis exponunt, qui ſunt principes & rectores Eccleſiarum & regnorum, de quibus abſurda multa veteres illi hæretici confingebant. Sed cùm nullus ſcriptor vetuſtus Gnoſticis imputet contemptum Angelorum, quin contra, Æones qui Angelos denotant, magnam partem theologiæ eorum conſtituant, melius hæc de Chriſto intelligenda ſunt cujus divinitatem impugnabant.

9. [i] *Michael, &c.* præ reverentia erga Deum noluit diabolo maledicere: Simoniani verò majeſtatem Chriſti blaſphemant. *Archangelus*, non unus ex ordine Archangelorum, ſed omnium Angelorum princeps. *Diſputans*, certans. *De Moyſi corpore*, cujus ſepulturam ignotam, diabolus volebat reddere publicam, ut ſic Iſraelitæ facilius in idololatriam induceret. *Non eſt auſus*, noluit. *Judicium*, Arab. *ſententiam*, Æth. *verbum. Imperet tibi*, Gr. Syr. Arab. *increpet te*. Deus te coërceat & conatum tuum prohibeat. Sic ea comparatione ar[illegible] quod fecit Michaël, arguit enormem audaciam eorum, qui Angelos aut Chriſtum, glorias ſeu majeſtates appellatos, blaſphemabant.

10. [k] *Naturaliter*, ſumendum prout opponitur rationi & judicio. *Muta*, Gr. *irrationalia*.

Digitized by Google

11. Væ illis, quia in [a] via Caïn abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.

12. Hi ſunt [b] in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ,

13. Fluctus [c] feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.

14. [d] Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis

15. Facere judicium contra [e] omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.

16. Hi ſunt [f] murmuratores, queruloſi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtûs causâ.

17. [g] Vos autem chariſſimi, memores eſtote, verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti,

18. Qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus.

19. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos animales, [h] Spiritum non habentes.

20. Vos autem chariſſimi [i] ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes,

21. Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam.

22. Et [k] hos quidem arguite judicatos:

23. [l] Illos verò ſalvate, de igne rapientes: aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.

24. Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos [m] in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Epiſtolam doxologiâ concludit.*

25. Soli Deo Salvatori noſtro, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria & magnificentia, & imperium, & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

11. [a] *Via Cain*, ut ille fratrem occidit, iſti venenoſis dogmatibus animas occidunt, & peccant fratrum invidiâ. *Errore Balaam mercede effuſi ſunt*, avaritiâ decepti exemplo Balaam, ſe le affundunt in omne facinus. *Contradictione Core*, ob imitationem contradictionis & murmurationis Cora, &c. & peccant ambitione. *Perierunt*, peribunt.

12. [b] *In epulis ſuis maculæ*, Syr. *qui in otiis ſuis fœdati*, *laſciviunt*. *Suis*. Gr. *veſtris*. Qui convivia commaculant ſua ſpurcitie, crapulæ libidinique indulgendo. Quod de epulis liturgicis poteſt capere, cum his Gnoſtici turpitudines ſine fronte & modo exercerent. *Semetipſos paſcentes*, carnaliter ac delicate ſe paſcunt impenſis quas a ſuis auditoribus excipiunt, quos non verbo Dei nutriunt, ſed necant venenoſo pabulo. *Nubes ſine aqua*, quæ pluviam promittunt & non dant. *Quæ à ventis circumferuntur*, propter levitatem, & inconſtantiam doctrinæ. *Infructuoſæ*, quia fructum non ferunt, aut ſi ferunt, inutilis eſt, cùm ad maturitatem pervenire non poſſit. *Bis mortuæ*, penitùs emortuæ. Eradicatæ, ita ut fructus in poſterum nullus ſpectari poſſit.

13. [c] *Feri*, in non imitura. *Deſpumantes ſuas confuſiones*, confuſibiles ſuos errores per modum ſpumæ diffundentes & multiplicantes. Vel, inſtar undarum maris perpetuo fluctuant in ſuis doctrinis. Vel, ſuas promunt ac deſpumant turpitudines. *Quibus*, falſis doctoribus. *Procella tenebrarum*, quod de tenebris errorum, aut de pœna ignis æterni exponendum.

14. [d] *Prophetavit Enoch*, nullum librum fuiſſe ſcriptum ab Enoch dicit Simon Hiſt. criticæ libr. III. cap. 20. ſed ejus verba extare ab Apoſtolo Juda ex traditione temporis ipſius Apoſtoli. dixerat tamen lib. I. cap. 7. veriſimile eſſe librum hunc fuiſſe ſcriptum ab aliquo Judæo poſt reditum è captivitate. *In ſanctis*. Syr. Æth. *cum ſanctis*.

15. [e] *Omnes*, quod de peccatoribus intelligendum, nam judicium non erit adverſus electos, ſed pro eis.

16. [f] *Murmuratores*, adverſus Eccleſiarum prælatos, quorum gubernationi clam & ſe retrò detrahunt. *Queruloſi*, moroſi, difficiles, & amatores criminis ſortium adverſus præpoſitos. *Mirantes*, Syr. *commendant*. Æth. *placere ſtudent*.

17. [g] Reſpicit ad ea quæ dicta ſunt. Act. cap. 20. II. Epiſt. Petri cap. 2. & 3. I. ad Tim. cap. 4. & II. cap. 3. & 4.

19. [h] *Spiritum* ſanctum.

20. [i] *Superædificantes*, bonis operibus.

22. [k] *Hos*, hæreticos. *Arguite*, eorum oſtendo errorem, ne decipiant alios. *Judicatos*, qui e jam non credit jam judicatus eſt. Obſtinatos & condemnatos, poſtquam cognoveritis tales eſſe. Tria ſunt membra. *Hos*, id eſt, hos ab errore reducite. *Judicatos*, id eſt, veſtris rationibus convictos.

23. [l] *Illos*, allectos & inductos, ſed nondum judicatos & obſtinatos. *Salvate*, &c. ſi recipiunt in uſſo timore, ad viam ſalutis reducite, tanquam ex ignis incendio rapientes. *Aliis miſeremini*, quos convertere non poteſtis. *In timore*, non præſumentes de vobis ipſis, ſed metuentes de proprio periculo. *Odientes & eam quæ*, &c. odientes & eam, quæ à carne maculata eſt, tunicam, id eſt, non obtemperantes deſideriis carnis praviſque moribus corporis. Quod inculcat propter nefandas libidines hæreticorum illius temporis.

24. [m] *In exultatione*, cum exultatione.

IN APOCALYPSIM.

CUm in Patmos inſulam Joannes Apoſtolus exul eſſet relegatus, anno Chriſti nonageſimo quarto, imperante Domitiano, cognovit per Spiritum, quanta mala in Eccleſiis Aſiæ pullularent, ſuper quo cùm doleret ac Dominum deprecaretur, mente raptus fuit, & non ſolùm quæ fiebant in Aſia, ſed quæ toto orbe in Eccleſiis tunc contingebant, & principalia uſque ad finem mundi ventura univerſali Eccleſiæ, Angelo revelante, cognovit. Et ſuper his librum iſtum compoſuit, inter annum nonageſimum quartum Chriſti, & nonageſimum ſextum quo, mortuo Domitiano, ab exilio revocatus fuit.

Primis quatuor Eccleſiæ ſæculis dubitarum eſt à paucis an liber iſte canonicus eſſet, ſed à quarto ſæculo ab omnibus ut canonicus habitus eſt. Græcâ linguâ ſcriptus eſt.

A primo capite ad quartum de ſeptem Aſiæ Eccleſiis, quarum Joannes curam gerebat. A quarto ad vigeſimum de perſecutionibus Eccleſiæ, & de vindicta Dei adversùs perſecutores illius. A vigeſimo de victoria Filii Dei, beatitudine juſtorum, ultimo judicio, & reſurrectione mortuorum.

CAPUT I.

Titulus Libri, & ad quos ſcriptus ſit & directus, quibus ſalutem precatur à Deo & à Chriſto, &c.

[a] 1. APOCALYPSIS Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis, quæ oportet fieri citò: & ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni,

2. [b] Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti, quæcumque vidit.

3. Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ hujus: & ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt: [c] tempus enim propè eſt.

4. Joannes [d] ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia. Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt: & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt;

5. Et à Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis [e] fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo,

6 Et fecit nos [f] regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo: ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum: Amen.

7. Ecce [g] venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen.

8. Ego ſum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.

9. Ego Joannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & [h] regno, & patientia in Chriſto Jeſu; fui in inſula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu: *Deſcribitur apparitio Chriſti facta ipſi Joanni, cui jubet ut ſcribat quæ viderit, mittatque ſeptem Aſiæ Eccleſiis.*

10. [i] Fui in ſpiritu in Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ,

11. Dicentis: Quod vides, ſcribe in libro: & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

1. [a] Syr. *Revelatio Jeſu Chriſti, ut indicaret ſervis ſuis quæ oportet fieri cito: & notam fecit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni.* *Jeſu Chriſti*, à Jeſu Chriſto facta, & qui a illius revelationis eſt author. *Dedit*, non quod prius illam neſciret, ſed dedit ut revelaret. *Citò*, quia brevi debebant incipere Eccleſiæ perſecutiones.

2. [b] Arab. *Qui teſtimonium reddidit de verbo Dei, & teſtimonio Jeſu Chriſti: & eis quæ vidit oculatim, quæcumque ſunt in mundo, & quæ futura ſunt poſteà.*

3. [c] *Tempus* quo eventa prædicta incipient fieri, & quo eccleſiæ præmunire ſe debent contra tentationes & perſecutiones imminentes.

4. [d] *Septem*, utitur jam numero ſeptenario, ut præparet ad numerum myſticum ſeptem ætatum eccleſiæ. *A ſeptem ſpiritibus*, Angelis ſc., qui ſeptem Aſiæ Eccleſiis præſident, à quibus non ut authoribus datur gratia & pax, ſed ut operatoribus & miniſtris. Vel ſeptem præcipuis Angelis, quibus Deus maximè utitur ad gubernationem Eccleſiæ, expreſſis poſteà per ſeptem lampades ardentes, &c. præferuntur hî. Chriſto, vel propter naturam aſſumptam, vel, quod melius, propter contextum ſermonis.

5. [e] *Fidelis*, verax. *Primogenitus mortuorum*, Æth. *primogenitus qui ex mortuis reſurrexit.* Primus reſuſcitatus ad vitam immortalem; vel more loquendi ſcripturæ, quo primogenitus ſumitur pro illuſtriore, excellentiore.

6. [f] *Regnum*, Gr. *reges.* Quia regnat in nobis, & nos reges ſpirituales efficit, concupiſcentiam debellando. *Sacerdotes*, hoſtias ſpirituales offerendo.

7. [g] *Venit*, Arab. *venturus eſt.* Quod intelligendum de ſecundo adventu. *Qui eum pupugerunt*, Judæi & Romani. *Plangent ſe ſuper eum*, non Gr. Syr. Æth. *Plangent ſe ſuper eum*, Arab. *flebunt plangentque ob eum.* Quod alii de reprobis, alii de Judæis induratis & idololatris exponunt. *Etiam: Amen*, repetitio confirmativa. Certè, ſic erit.

9. [h] *Regno & patientia*, in *Chriſto Jeſu*, invitet & Chriſtum nobiſcum affligi, & nos cum ipſo regnaturos.

10. [i] *Fui*, Gr. *factus ſum*, Æth. *venit ſuper me Spiritus. Spiritu*, mentis extaſi, raptu. *Dominica*, ſic dicta ob ejus reſurrectionem Domini, vel quod fideles primâ die poſt ſabbatum participarent corpus & ſanguinem dominicum. *Poſt me*, quia revelatio ſe habet eorum rerum quæ poſt Joannem futuræ erant, uſque ad judicium ultimum, cujus tuba ſignum erit.



Apoc. I. 12.

Ὄρασις τῶν ἑπτὰ λυχνειῶν.
The vision of the ſeven Candlesticks.
Das Geſicht von den ſieben Leuchtern.

VISIO SEPTEM CANDELABRORUM.
La Viſion des ſept Chandeliers.
't Gezicht van de zeven Kandelaren.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

12. Et converſus ſum, ut viderem [a] vocem quæ loquebatur mecum. Et converſus vidi ſeptem candelabra aurea:

13. Et in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem Filio hominis, [b] veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ:

14. [c] Caput autem ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi ejus tanquam flamma ignis.

15. Et [d] pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum:

16. Et habebat in dextera ſua [e] ſtellas ſeptem: & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat: & facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſua.

17. Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens: Noli timere: ego ſum primus, & noviſſimus;

18. Et vivus, & fui mortuus: & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.

19. Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc.

20. [f] Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea: ſeptem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.

CAPUT II.

Deus jubet Joanni ut ſcribat Eccleſiis Epheſi, Smyrnæ, Pergami, & Thyatiræ, quæ laudanda vel vituperanda ſint in Eccleſiis.

1. [g] ANgelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum:

2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos: & [h] tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt: & inveniſti eos mendaces:

3. Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter [i] nomen meum, & non defeciſti.

4. Sed habeo adversùm te, quod [k] charitatem tuam primam reliquiſti.

5. Memor eſto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac, ſin autem, venio tibi, & [l] movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.

6. Sed [m] hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo [n] edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.

8. Et [o] Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus, & noviſſimus, qui fuit mortuus & vivit.

9. Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed [p] dives es: & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga ſatanæ.

10. Nihil horum timeas quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut [q] tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis: Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.

12. Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui habet romphæam utrâque parte acutam:

13. Scio ubi habitas: ubi [r] ſedes eſt ſatanæ: & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Et in diebus illis Antipas teſtis [s] meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, ubi ſatanas habitat

14. Sed habeo adversùs te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, [t] edere & fornicari:

15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

16. [v] Similiter pœnitentiam age: ſi quominùs veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo manna [u] abſconditum, & dabo illi calculum candidum: & in

12. [a] *Vocem*, eum qui loquebatur. *Septem candelabra aurea*, ſeptem Eccleſias, quæ complectuntur omnes alias, a quibus futurum lumen fidei doctrinæ & morum.

13. [b] *Veſtitum podere*, figura humanitatis, quam in ſacrificium obtulit Chriſtus habitans uſque ad finem ſæculorum in Eccleſia, cujus eſt ſummus Pontifex. *Zona aurea*, chorus eſt ſanctorum qui tanquam aurum probati circumdant Chriſtum.

14. [c] *Caput & capilli tanquam lana alba & nix*, inſinuant ejus æternitatem. *Oculi tanquam flamma ignis*, judicia adverſus impios & providentiam erga Eccleſiam.

15. [d] *Pedes ſimiles aurichalco*, indicant ultimum adventum per ignem. *Aurichalco*, Syr. *Æri libano*. *Vox illius tanquam vox aquarum multarum*, congregationem populorum omnium ad ultimum judicium.

16. [e] *Stellæ ſeptem* denotant ſeptem Aſiæ Eccleſias. Septem Angeli præpoſiti gubernationi totius orbis, ſeptem ſigilla, ſeptem tubæ de quibus poſtea, denotant ſeptem ætates Eccleſiæ. *In dextera*, id eſt, ſubditas diſpoſitioni Chriſti. *Gladius utrâque parte acutus*, verbum Dei penetrans intima cordis. Vel, ultio divina.

20. [f] *Sacramentum*. Gr. Syr. Arab. *myſterium*, Æth. *expoſitio*. *Angeli*, ſic vocat Epiſcopos Eccleſiarum illarum.

1. [g] *Angelo*, Epiſcopo Timotheo diſcipulo Joannis putant multi interpretes, quod tamen multi negant, & de alio exponunt. *Angelo*, quia nuntius eſt divinæ voluntatis, & ſi infra *Epheſi*, Gr. Æth. *Epheſina*. *Scribe* non quòd omnia quæ dicturus eſt & enumeraturus, ſint vitia Epiſcopi, ſed Eccleſiæ quæ per Epiſcopum deſignatur, in quo continetur & de cujus vitiis rationem redditurus eſt.

2. [h] *Tentaſti*, Arab. *exploraveris*.

3. [i] *Nomen meum*, me.

4. [k] *Charitatem tuam primam*, priſtinum Chriſti fervorem.

5. [l] *Movebo candelabrum tuum de loco ſuo*, Eccleſiam divellam auferamque ab ea lumen Evangelii.

6. [m] *Hoc habes*, boni. *Quia*, Syr. Arab. *quod*.

7. [n] *Edere de ligno*, &c. alludit ad lignum vitæ quod erat in paradiſo terreſtri, Chriſtumque repræſentabat, per lignum, Chriſtum in cruce pendentem. Per fructum, panem noſtrum ſpiritualem in Sacramento; omnino æternam noſtram beatitudinem.

8. [o] *Angelo Smyrnæ*, Polycarpo.

9. [p] *Dives*, in Chriſto & virtutibus. *Blaſphemaris*, contemneris, mala habens. *Non ſunt*, verè Judæi, ſecundum etymologiam confitentes, Deum confitentes, Chriſtum ſcilicet Dei Filium negantes.

10. [q] *Tentemini*, Syr. *probemini*, Arab. *ut adducamini in experimentum*.

13. [r] *Sedes eſt ſatanæ*, propter idololatriam. *Nomen meum* fidem in me, vel doctrinam meam. *Et in diebus*, & redundat. *Teſtis*, martyrium ſuſtinendo.

14. [t] *Edere*, Gr. *idolothyta*. Æth. *ut ederent immolatum diis*. Quibus olim Balaam docuit Balach corrumpere Iſraelitas ad nunc exequuntur Nicolaitæ, qui ſacrificiis & epulis Gentium communicare docebant, &c.

16. [v] *Similiter*, ſicut Epiſcopo Epheſi juſſi, ſic tibi jubeo. *Si quominus*. Syr. *alioquin*. *In gladio oris*, alludit ad hiſtoriam Num. cap. 25. & 31.

17. [u] *Abſconditum*, quia ſoli notum eſt qui accipit. *Calculum candidum*, in judiciis calculo candido abſolutio contribuebatur. Solebant etiam veteres in electionibus magiſtratus inſcribere ſuper calculum candidum nomen illius quem diligebant. Victores etiam ſolebant in ludis publicis accipere tesseras, ut præmiorum loco acciperent a granariis publicis certum quid frumenti. *Nomen novum ſcriptum*, ut Filii Dei nominemur, & ſimus. *Quod nemo ſcit*, hoc non ea videtur niſi is qui non accipit, quia ſoli & omnes electi accipiant.

calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.

18. Et Angelo [a] Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco:

19. Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua noviſſima plura prioribus,

20. Sed habeo adversùs te pauca: quia permittis mulierem [b] Jezabel, quæ ſe dicit prophetem, docere, & ſeducere ſervos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.

21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione ſua.

22. Ecce mittam eam [c] in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.

23. Et [d] filios ejus interficiam in morte, & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda: & dabo unicuique veſtrûm ſecundùm opera ſua. Vobis autem dico,

24. Et cæteris qui Thyatiræ eſtis: Quicumque non habent [e] doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudines ſatanæ, quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus:

25. Tamen [f] id, quod habetis, tenete donec veniam.

26. Et qui vicerit, & cuſtodierit uſque in finem [g] opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes,

27. Et reget eas in virga [h] ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.

28. Sicut & ego [i] accepi à Patre meo: & dabo illi ſtellam matutinam.

29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

CAPUT III.

Pergit Joannes, ex juſſu Dei ſcribere Epiſcopis Eccleſiarum Sardis, Philadelphiæ, & Laodiciæ, quæ laudanda vel vituperanda forent apud eos, &c.

1. ET Angelo Eccleſiæ Sardis ſcribe: Hæc dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & [k] mortuus es.

2. Eſto vigilans, & [l] confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

3. In mente ergo habe qualiter [m] acceperis, & audieris, & ſerva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, Veniam ad te tanquam fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te.

4. Sed habes pauca [n] nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.

5. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, &, [o] non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram angelis ejus.

6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

7. Et angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit ſanctus & verus, [p] qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit:

8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te [q] oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere: quia modicam habes virtutem, & ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum.

9. [r] Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos: & ſcient quia ego dilexi te.

10. Quoniam ſervaſti [ſ] verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terra.

11. Ecce venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12. Qui vicerit, faciam illum [t] columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jeruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum novum.

13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

14. Et angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe:

18. [a] *Thyatira*, nondum ex Gentibus erat Eccleſia Thyatiræ, ſed ex Judæis. *Aurichalco*, Syr. *æri Libanano*.

20. [b] *Jezabel*. Sub nomine Jezabel uxoris Achab, deſignatur quædam femina præſtans, quæ fovebat Nicolaitas, ſicut antiqua Jezabel adjutrix erat adoratorum Baal.

22. [c] *In lectum*, morbo premam. Quod & de inferno intelligi poteſt.

23. [d] *Filios*, imitatores, ſectatores, diſcipulos.

24. [e] *Doctrinam hanc*, impiiſſimæ Jezabel. *Cognoverunt*, approbaverunt, receperunt. *Altitudines*, Gr. *profunda*, Syr. *profunditatem*, Arab. *profunditatem aſtus*, profunditates errorum & vitiorum. *Super vos*, ſuper eos. *Pondus*, Syr. Arab. Æth. *onus*. *Aliud pondus*, aliam afflictionem, contentus iſta quæ ferts malos Magiſtrum enim erit, in fraudem & hypocriſim malorum vincere potentius.

25. [f] *Id quod habetis*, Evangelica documenta. Vel bonum de quo verſ. 19. *Veniam*, uſque ad mortem.

26. [g] *Opera*, quæ fieri jubeo. *Poteſtatem*, ſancti enim de hoc mundo judicabunt.

27. [h] *Ferrea*, in rigore juſtitiæ, inflexibili ad malum & rectiſſima validaque ad ſupplicium & dura. *Confringentur*, Arab. Æth. *conteret*.

28. [i] *Accepi*, Æth. *accepi poteſtatem*. *Stellam matutinam*, cœleſtem lineam et futura vita orientem, & velut diem gloriæ incipientem, in qua nulla erit nox.

1. [k] *Mortuus es*, quia licèt præclara opera egeres, quibus apud homines benè audiebas, tamen propter inanem gloriam aut defectum charitatis, erat apud Deum velut mortuus. Vel hoc exponendum de majori parte membrorum hujus Eccleſiæ, cujus multi adhuc ſani erant in fide, licèt debiles, &c.

2. [l] *Confirma cætera, quæ moritura erant*, Syr. *ſerva reliquos illos qui morituri erant*, Æth. *confirma eos, qui cito morituri ſunt*.

3. [m] *Acceperis*, inſtitutus ſis.

4. [n] *Nomina*, homines. *Inquinaverunt veſtimenta*, puritatem animæ conſervaverunt. *Ambulabunt in albis*, albedo ſanctitatem, gloriam æternam & triumphum deſignat.

5. [o] *Non delebo*, perpetuo mecum vivet. *De libro vitæ*, quod de præſenti juſtitia intelligendum eſt, quam quilibet homo amittere poteſt.

7. [p] *Qui habet clavem*, ſignificatur poteſtas gubernationis ſuper Eccleſiam. *David*, quia talis poteſtas fuit David, ſeu familiæ Davidicæ promiſſa, & in Chriſto completa, juxta Gabrielis promiſſum ad virginem.

8. [q] *Oſtium apertum*, abſtuli impedimenta, & complanavi viam ad benefaciendum. *Virtutem*, vires: times quia modica tibi talenta ſunt, ſed bono ſis animo, quod ex tua parte deeſt, ex mea ſupplebo, faciamque ut eos ſuperes & convertas.

9. [r] Æth. *Ecce inter congregationem ſatanæ ponam dicentes de ſe ipſis quod ſint Judæi*, *& non ſunt tales*, &c. *Mentiuntur*, quia licèt fortè ſecundùm carnem Judæi ſint, tamen reverà non erant verè confitentes; alludit enim ad nomen Judæ non Abrahæ filii ex operibus. *Faciam ut veniant*, &c. tales carnales Judæi convertentur ad fidem Chriſti, & inviti agnoſcent populum Chriſtianum electum à Deo & dilectum.

10. [ſ] *Verbum patientiæ meæ*, documentum patientiæ à me præceptæ: vel, verbum Evangelii propter quod paſſus ſum. *Horæ tentationis*, jam inſtabat perſecutio Trajani. hæc non ad ſolum Epiſcopum, ſed ad alios Philadelphiæ fideles referri poſſunt.

12. [t] *Columnam*, per ſtabilitatem. *In templo Dei mei*, in Eccleſia. *Foras*, non egredietur: perſeverabit in fide. *Scribam*, veteres inſcribebant columnis nomina victorum. *Super eum nomen*, vocabo nomine. *Dei mei*, quia tales filii Dei ſunt per adoptionem. *Civitatis Dei*, Eccleſiæ. *Nomen meum novum* Chriſtianus à Chriſto dicetur: hæc omnia ſignificant intrepidam & perſeverantem Evangelii confeſſionem.

Digitized by Google

Hæc dicit: [a] Amen, teſtis fidelis, & verus qui eſt principium creaturæ Dei:

15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque [b] calidus: utinam frigidus eſſes, aut calidus:

16. Sed quia [c] tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

17. [d] Quia dicis: Quod diverſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

18. Suadeo tibi emere à me [e] aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

19. Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age.

20. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.

21. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.

22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

CAPUT IV.

Deſcribitur viſio Dei ſedentis in throno, viginti quatuor ſeniorum & quatuor animalium.

1. [f] POſt hæc vidi, & ecce oſtium apertum in cœlo: & vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc.

2. Et ſtatim [g] fui in ſpiritu: & ecce ſedes poſita erat in cœlo & ſupra ſedem ſedens.

3. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis jaſpidis & ſardinis: & [h] iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.

4. Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor: & ſuper thronos [i] viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis & in capitibus eorum coronæ aureæ.

5. Et de throno procedebant fulgura, & [k] voces, & tonitrua, & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.

6. Et in conſpectu ſedis tanquam [l] mare vitreum ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis antè & retrò.

7. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.

8. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas: & [m] in circuitu & intus plena ſunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Cantica referuntur animalium & ſeniorum.

9. Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & [n] benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum,

10. Procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & [o] mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes:

11. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & [p] virtutem: quia tu creaſti omnia, propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

CAPUT V.

Videt librum ſignatum ſeptem ſigillis, quem cùm nullus poſſet aperire, agnus primùm occiſus aperuit.

1. ET vidi [q] in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.

2. Et vidi angelum fortem, [r] prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum & ſolvere ſignacula ejus?

3. Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque [s] ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum.

4. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum,

5. [t] Et unus de ſenioribus dixit mihi. Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.

6. Et vidi: & ecce [u] in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum

14. [a] *Amen*. Ille qui eſt veritas. *Teſtis*. fidelis, explicatio eſt. *Qui eſt principium creaturæ Dei*, Æth. *& fuit ante omnia quæ creavit Deus Principium*. author, ut homo aſſumptus, creatura præſtantiſſima & omni creaturâ major.

15. [b] *Calidus*, Arab. Æth *fervidus*.

16. [c] *Tepidus* eſt qui Evangelium cum ſæculo conciliare contendit. *Calidus*, Arab. Æth *fervidus*. *Incipiam te evomere*. Gr. *futurus ſum te evomere*, Syr. *evomiturus ſum*, evomam, inchoatio actus ponitur pro actu ipſo.

17. [d] Hæc ſpiritualiter intelligenda de tepidis.

18. [e] *Aurum ignitum &c.* Syr. *aurum probatum ab igne, ut ditesſcas: & veſtem albam ut tegaris. Aurum ignitum*, charitatem. ſapientiam cœleſtem. *Veſtimentis albis*. innocentiâ, juſtitiâ, humilitate, modeſtiâ, patientiâ, &c. *Collyrio inunge*. pœnitentiâ, &c.

1. *Poſt hæc*, alio tempore *Audivi*, audiveram.

2. [g] *Fui*, factus ſum in extaſi mentis. Arab. *abii*.

3. [h] *Iris in circuitu ſedis*, Iris in Gen. c. 9. ſignum reconciliationis Dei cum hominibus; ſignificat hîc Jeſum Chriſtum hominem factum ad reconciliationem generis humani.

4. [i] *Viginti quatuor ſeniores*, hîc deſignatur univerſalitas ſanctorum, per duodecim Patriarchas veteris legis, & duodecim Apoſtolos repræſentata *Veſtimentis albis*. quod ſignificat innocentiam. *Corona aurea*. gloriam poſt victorias & conſortium regni cum Jeſu Chriſto.

5. [k] *Voces & tonitrua* ſignificant terrorem judiciorum & majeſtatis divinæ. *Septem ſpiritibus*, ſeptem angeli miniſtri & executores mandatorum Dei, de quibus cap. 1. & 8.

6. [l] *Mare vitreum*, globus cœli & terræ. *Simile cryſtallo*, quia in eo nihil effugit lumen oculorum Dei. *In medio, & in circuitu*, erant in circuitu ſed unumquodque ita diſpoſitum erat, ut eſſet ante medium cujuſcumque lateris. *Quatuor animalia*, quod non de Evangeliſtis exponendum cum Joannes qui hæc ſcribebat, unus eſſet ex illis. dicunturque infra cum ipſo locuta: ſed de quatuor ſpiritibus cœleſtibus, quibus Deus utitur præcipuè in gubernatione orbis & Eccleſiæ. *Plena oculis*. quod cognitionem & ſcientiam eorum, atque generationem ſpiritus deſignat.

8. [m] *In circuitu*. Gr. Syr. referrus ad *alas Intus*, intra illas.

9. [n] *Benedictionem*, Syr. Gr. Arab. Æth *gratiarum actionem*.

10. [o] *Mittebant*. Arab *deponebant*. Sancti quidquid habent honoris & gloriæ Deo acceptum referunt.

11. [p] *Virtutem*, Syr. Arab. *potentiam*. *Propter*, Arab. Æth. *per. Erant*, Gr. *ſunt*.

1. [q] *In dextera ſedentis*, quia à Deo ſolo quidquid futurum eſt hominibus. *Librum*, ipſa memoria Dei quidquid futurum eſt continet vel. providentia divina, continens & ordinans. *Intus*, quæ in Eccleſia uſque ad finem mundi, *foris*. quæ ante Eccleſiam & Chriſtum. *Scriptum intus & foris*, tum propter multitudinem eventuum. tum quia ex illis quædam manifeſta, multò plura occulta ſunt *Signatum ſigillis ſeptem*, optimè ſignatum erant myſteria quæ continet impervia ſint intellectui humano. in hoc libro per ſeptenarium numerum ſupra & infra univerſitas deſignatur

2. [r] *Prædicantem*, Arab Æth *clamantem*.

3. [s] *Subtus terram*. mortuorum.

5. [t] Arab. *Ecce leo qui eſt de tribu Juda ex ſtirpe Davidis, vicit: ipſeque aperiet librum & ſeptem ejus ſigilla. Leo* dicitur propter potentiam, quâ diabolum principem terræ debellavit.

6. [u] *In medio throni*, quia æqualis Patri & mediator inter Deum & Eccleſiam. *Stantem tanquam occiſum*, quia vivus interpellat, pla-

Digitized by Google

ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.

7. Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum.

Libro aperto quatuor animalia, viginti quatuor ſeniores, cum innumera Angelorum multitudine omnique creatura agnum maxime glorificant.

8. Et cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli [a] citharas, & phialas aureas plenas adoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum:

9. Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum & aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione:

10. Et feciſti nos Deo noſtro [b] regnum & ſacerdotes: & regnabimus ſuper terram.

11. Et vidi & audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni; & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium,

12. Dicentium voce magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, [c] accipere virtutem & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.

14. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas: & adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum.

CAPUT VI.

Refertur apertio ſex ſigillorum, & deſcribitur quid viſum fuerit à Joanne ad apertionem cujuſque ſigilli.

1. ET vidi quod aperuiſſet Agnus unum de ſeptem ſigillis, & audivi unum de quatuor animalibus, dicens tanquam vocem tonitrui: Veni & vide.

2. Et vidi: & ecce [d] equus albus: & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.

3. Et cùm aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal, dicens: Veni, & vide.

4. Et exivit alius [e] equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei ut ſumeret pacem de terra, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.

5. Et cùm aperuiſſet ſigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, & vide. Et ecce [f] equus niger, & qui ſedebat ſuper illum, habebat ſtateram in manu ſua.

6 Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium [g] dicentium: Bilibris tritici denario & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne læſeris.

7. Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide.

8. Et ecce [h] equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ: interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.

9. Et cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi [i] ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant,

10. [k] Et clamabant voce magnâ, dicentes: Uſquequo Domine (ſanctus & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?

11. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis ut [l] requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.

12. [m] Et vidi cùm aperuiſſet ſigillum ſextum: & ecce terræ motus magnus factus eſt, & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt ſicut ſanguis:

13. Et ſtellæ de cœlo [n] ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos cùm à vento magno movetur,

14. Et cœlum receſſit ſicut [o] liber involutus: & omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt:

15. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium.

16. Et [p] dicunt montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.

17. Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare?

gia in paſſione acceptis inſignitus. *Cornua ſeptem*, ſigna potentiæ. *Oculos ſeptem*, ſigna prudentiæ. *Septem ſpiritus*, inſtrumenta potentiæ. *Septem*, numerus univerſalitatis: poteſt etiam de ſeptem perſecutionibus in ſeptem ætatibus Eccleſiæ exponi.

8. [a] *Citharas*, quibus utebantur in templo Hieroſolymitano ad laudes Dei: multa enim hic dicuntur per alluſionem ad ea quæ ſiebant in templo. *Phialas aureas*. Tales erant in templo ante altare thymiamatum.

10. [b] *Regnum*, Gr. Syr. Æth. *reges*, vide c. 1. v. 6

12. [c] *Accipere*, à laudantibus, id eſt prædicari & palam fieri. *Virtutem*, Syr. *robur*, Arab. *fortitudinem Divinitatem*, Gr. Syr. Arab. Æth. *divitias* Id eſt, dona Spiritus ſancti, quorum diſtribuendorum poteſtatem accepit Chriſtus homo merito ſuæ paſſionis.

2. [d] *Equus albus*, equis albis inſidebant victores. *Qui ſedebat* Chriſtus Jeſus. *Arcum*, quia de longe attingit *Exivit vincens ut vinceret*, Arab. *ac tum quidem prodiit ad vincendum*, *& vicit.* Exiens jam tum vincebat, ac in poſterum victurus erat hoſtes ſuos.

4. [e] *Equus rufus* bellum deſignat. *Ut ſumeret*, Syr. *auferret*, Arab. *ut tolleret. Invicem ſe interficiant*, Arab. *ut hominum alii alios trucident.*

5. [f] *Equus niger*, fames deſignatur.

6. [g] *Dicentium* Gr. Syr. Arab. *dicentem*.

8 [h] *Equus pallidus*. peſtis deſignatur. *Infernus*, in genere locus mortuorum. *Illi*, victori, de quo verſ. 2. Gr. *illis*, id eſt, ſenioribus. *Quatuor partes*, Gr. Syr. Arab. Æth. *quartam partem*. *Beſtiis*, ferocibus.

9. [i] *Subtus altare*, quia adhuc ſunt infra conditionem glorioſi corporis Chriſti, nondum enim per reſurrectionem corpora reſumpſerunt: poſt reſurrectionem extollentur ſuper altare, quia tunc corpore ſuo, inſtar corporis Chriſti, glorificato, ad nutum imperabunt. *Altare*, Chriſtus eſt, ſi è tamen in viſione apparuerit altare *Verbum*, confeſſionem verbi. *Propter teſtimonium*, Syr. Arab. *propter teſtimonium agni. Teſtimonium agni*, Æth. *& quia cuſtodiiſſent legem ejus. Habebant*, reddebant.

10 [k] Sic orant ex deſiderio adventus perfecti, & conſummati regni Dei.

11. [l] *Requieſcerent*, expectarent in pace. *Compleantur conſervi*, numerus confeſſorum compleatur

12 [m] Hic generatim deſignatur vindicta divina.

13. [n] *Ceciderunt*, quod non litteraliter intelligendum, ſunt enim ſtellæ terrâ majores: ſed dicuntur cadere cum non videntur amplius. *Emittit*, Syr. *abjicit*, Arab. *tanquam ficus quæ labuntur.*

14. [o] *Liber involutus*, quemadmodum nihil videtur in libro involuto, ſic cùm ſol, nec luna, nec ſtellæ ampliùs in cœlo apparent, tunc nihil in cœlo videndum. *Mons & inſula*, &c. locutio hyperbolica, quod de maxima rerum confuſione intelligendum.

16. [p] *Dicunt*, Arab. *dicebant*, Æth. *dixerunt*.

CAPUT

CAPUT VII.

Suſpenditur executio vindictæ Dei, &c.

1.[a] POſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.

2. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem [b] ſignum Dei vivi: & clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari,

3. [c] Dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.

Deſcribuntur Gentes in fronte ſignum tam ex Judæis quàm ex Gentibus.

4. Et audivi numerum ſignatorum [d] centum quadraginta quatuor millia ſignati: ex omni tribu, filiorum Iſraël.

5. Ex tribu Juda duodecim millia ſignati: Ex tribu Ruben duodecim millia ſignati: Ex tribu Gad duodecim millia ſignati:

6. Ex tribu Aſer duodecim millia ſignati: Ex tribu Nepthali duodecim millia ſignati: Ex tribu Manaſſe duodecim millia ſignati:

7. Ex tribu Simeon duodecim millia ſignati: Ex tribu Levi duodecim millia ſignati: Ex tribu Iſſachar duodecim millia ſignati:

8. Ex tribu Zabulon duodecim millia ſignati: Ex tribu [e] Joſeph duodecim millia ſignati: Ex tribu Benjamin duodecim millia ſignati.

9. Poſt hæc vidi turbam magnam, [f] quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis: & palmæ in manibus eorum:

Cantica Sanctorum & Angelorum.

10. Et [g] clamabant voce magnâ dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.

11. Et omnes angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum,

12. Dicentes, [h] Amen. Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum: amen.

Deſcribitur felicitas beatorum.

13. Et [i] reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & unde venerunt?

14. Et dixi illi: Domine mi, tu ſcis: & dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & [k] laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.

15. Ideo ſunt ante thronum Dei & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui ſedet in throno, [l] habitabit ſuper illos.

16. Non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus.

17. Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt reget illos, & deducet eos ad [m] vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

CAPUT VIII.

Aperto ſeptimo ſigillo, ſeptem angeli cum tubis oſtenduntur.

1. ET cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo quaſi media hora.

2. [n] Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.

3. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, ut [o] daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.

Offeruntur ante thronum ab alio Angelo preces Sanctorum.

4. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.

5. Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud [p] de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.

Effuſo in terram igne ab illo Angelo, fiunt variæ tempeſtates.

6. Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparaverunt ſe ut tubâ canerent.

7. Et primus Angelus tubâ cecinit, & facta eſt [q] grando, & ignis, miſta in ſanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt.

Similiter quatuor Angelis tuba canentibus, producuntur variæ plagæ adverſus homines.

8. Et ſecundus Angelus tubâ cecinit: & tanquam [r] mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis.

1. [a] Hic redditur ratio dilationi vindictæ ab animabus ſanctis expetitæ cap. præcedenti: ventorum emiſſio deſignat agitationem & commotionem rerum humanarum: quatuor Angeli impedientes ventos refrigerare terram, indicant excidium mundi ſæviſſimis caloribus, quos mitigare ſolent venti, eſſe inducendum. *Angulos*, extremitates, id eſt, Orientem, &c. *Tenentes, &c.* his verbis deſignari tranquillitatem, qualis fuit in Eccleſia temporibus Conſtantini poſt devictos hoſtes & Eccleſiæ imperatores paganos, putat Calmet.

2. [b] *Signum*, Syr. *ſigillum*, Arab. *annulum*. *Datum eſt nocere*, Arab. *præceptum fuerat vaſtare*. Permiſſum, data poteſtas.

3. [c] Hæc in frontibus obſignatio, profeſſio eſt evangelicæ legis in finem uſque, bonis operibus confirmata, alluſio ad ſervos emptitios, quibus nota aliqua imprimebatur, ut ab aliis diſcernerentur.

4. [d] *Centum quadraginta quatuor millia*, numerus finitus pro indefinito. *Ex omni tribu*, omittitur tamen tribus Dan, fortè quia ex illa futurus antichriſtus, dicunt quidam interpretes: neque inde colligendum quod nullus ſalvandus ſit ex illa tribu, ſed illi confunduntur cum aliis, ſicut in aliis ſcripturæ locis, quando fit mentio duodecim tribuum totus populus intelligitur, licèt tribus Levi non numeretur; ita licèt hic omittatur tribus Dan, omnis tamen populus, & omnes ex eo ſalvandi intelliguntur: alii dicunt quia jam à temporibus Eſdræ, pauci ſupererant ex illa tribu. *Duodecim millia*, non debet ſtrictè accipi talis numerus.

8. [e] *Joſeph*, Ephraim.

9. [f] *Quam dinumerare nemo poterat*, quod non eſt ad litteram intelligendum, ſed ſignificatur immenſa multitudo credentium ex Gentibus. *Stolis*, veſtes ſunt talares. *Palmæ* creduntur hi omnes propter palmas martyres eſſe, qui interficiendi in toto imperio Romano, & præcipue in variis perſecutionibus, quas deſcripturus eſt author poſteà.

10. [g] *Clamabant*, clamor ille ſervos. *Salus*, accepta referatur.

12. [h] *Amen*, ita eſt. *Benedictio, &c.* detur, tribuatur. *Claritas*: Gr. Syr. Arab. Æth. *gloria*. *Virtus*, Syr. *robur*.

13. [i] *Reſpondit*, Æth. *dixit*.

14. [k] *Laverunt ſtolas*, quod puritatem morum, ſive per martyrium (laverunt enim in ſanguine Chriſti) ſive per innocentiam exprimit.

15. [l] *Habitabit ſuper illos*, velut tabernaculum operiet.

17. [m] *Vitæ*, vivos.

2. [n] Deſcripturus excidium Judæorum, alludit ad ſeptem tubas inſtrumenta excidii Jericho.

3. [o] *Daret*, Syr. *offerret*. Offeruntur orationes ſuper altare, quod Chriſtus eſt, quia non niſi per Chriſtum: exaudiuntur orationes noſtræ.

5. [p] *De igne altaris*, poſt preces ſanctorum in terra gementium, carbones ignis iræ divinæ accenduntur, & in homines deſæviunt.

7. [q] *Grando & ignis*, deſolationem denotant, ſed non talem, quod indicant hæ voces *tertia pars terræ*. *Miſta in ſanguine*, Gr. Syr. Arab. *miſta ſanguine*. *Miſſum*, Gr. *miſſa*, Syr. *projecta*. *Fœnum*, Syr. *gramen*, Æth. *herbam*. *Fœnum viride*, juvenes qui primi perire ſolent in bellis: plagam hanc ad Judæos pertinere dicunt quidam interpretes, quæ crudelis fuit imperante Trajano: alii exponunt de perſecutionibus tyrannorum contra Eccleſiam, in ejus ætate prima.

8. [r] *Mons magnus*, ex more loquendi Scripturæ, montes ſumuntur ad deſignandum maximas poteſtates: unde denotat hic imperium Romanum imperante Adriano. *Tertia pars maris*, alludit ad caput decimum tertium Zachariæ: non enim omnes omninò Judæi perierunt: alii exponunt de ſecunda ætate Eccleſiæ, & perſecutione hæreſeum; alii adhuc mons eſt arx Antonia, & milites qui in ea, effuſi in populum Jeroſolymitanum Joſeph ant. lib. XX. c. 40. & belli Jud. lib. II. c. 11. vel, magna illa multitudo ſeditioſorum in Galilæa, quos Veſpaſianus à Nerone miſſus ſubjugavit.

Digitized by Google

9. Et mortua eſt tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars [a] navium interiit.

10. Et tertius Angelus tubâ cecinit: & cecidit de cœlo [b] ſtella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum:

11. Et [c] nomen ſtellæ dicitur abſinthium, & facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium: & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.

12. [d] Et quartus Angelus tubâ cecinit: & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita ut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.

Majora mala adhuc prænuntiantur.

13. Et vidi & audivi [e] vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magnâ: Væ, væ, væ habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tubâ caniturі.

CAPUT IX.

Quinto Angelo tubâ canente, ſtella cadit, & aperto puteo abyſſi locuſtæ, quarum formæ deſcribuntur, è puteo egrediuntur, homines non ſignatos devoraturæ.

1. ET quintus Angelus tubâ cecinit: & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt [f] ei clavis putei abyſſi,

2. Et aperuit puteum abyſſi: & aſcendit [g] fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei:

3. Et de fumo putei exierunt [h] locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ:

4. Et præceptum eſt illis ne læderent [i] fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: niſi tantùm homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis:

5. Et [k] datum eſt illis ne occiderent eos: ſed ut cruciarent menſibus quinque: & cruciatus eorum, ut cruciatus ſcorpii cùm percutit hominem.

6. Et in diebus illis [l] quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

7. Et ſimilitudines locuſtarum, ſimiles [m] equis paratis in prælium: & ſuper capita earum tanquam coronæ ſimiles auro: & facies earum, tanquam facies hominum.

8. Et habebant capillos [n] ſicut capillos mulierum, & dentes earum, ſicut dentes leonum erant:

9. Et habebant loricas ſicut loricas ferreas, & [o] vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum:

10. Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum: & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque: & habebant ſuper ſe

11. Regem angelum abyſſi, cui nomen hebraicè Abaddon, græcè autem Apollyon, [p] latinè habens nomen Exterminans.

12. [q] Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc.

13. Et ſextus Angelus tubâ cecinit: & audivi [r] vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei,

14. Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: Solve [s] quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

15. Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant [t] in horam, & diem, & menſem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.

Similiter ſexto Angelo clangente tubâ ſolvuntur quatuor Angeli prius ligati, qui ingenti equeſtri exercitu innumeram hominum multitudinem occidunt.

16. Et numerus [u] equeſtris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum.

17. Et [x] ita vidi equos in viſione: & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, &

9. [a] *Navium*, creaturarum quæ erant in navibus: vel, fidelium in Eccleſia Catholica degentium, & Eccleſiarum quæ à fide naufragaverunt.

10. [b] *Stella magna*, de falſo Meſſia Barchocheba exponunt. *Ardens tanquam facula*, propter bella cujus ipſe cauſa fuit; flumina & fontes populus ab illo deceptus, alii exponunt de tertia ætate Eccleſiæ, & irruptione diverſarum Gentium barbararum, Hunnorum, Gothorum, &c. *Fontes*, Judæa, ubi origo populi. *Fluminum*, provinciarum quarum rebellio minor.

11. [c] *Nomen ſtellæ abſinthium*, quia omnia amaro dolore replevit.

12. [d] His deſignatur falſa interpretatio prophetiarum, & corruptio ſacri textus, facta maximè ab Akyba ſub ſidere etiam temporibus compilatio Talmud, in quo, quæ de Chriſto, ſole, de Eccleſia luna; de Apoſtolis, ſtellis, & prædicatione apoſtolica, obſcurata ſunt maximè, licèt non omnino; quod ultimum deſignatur per has voces, *tertia pars*, vel, ſignificantur Galilææ & aliarum partium oppida capta à Veſpaſiano cum plurimorum Judæorum interitu, quæ tertia fermè Judææ pars; alii adhuc exponunt de quarta ætate Eccleſiæ, & Mahometiſmo, majorem Eccleſiæ partem obtenebrante; alii etiam exponunt de defectione prælatorum & doctorum. *Et dies non luceret pars tertia & noctis ſimiliter*, Arab. *& dies erat ſimilis nocti*.

13. [e] *Vocem unius aquilæ*, Gr. Arab. *unum angelum*. *De cæteris vocibus*, Syr. *à voce*. Per aquilam volantem, finem imperii Romani in expugnatione Conſtantinopolis, quidam intelligunt.

1. [f] *Ei*, ad angelum poſtquam tubâ cecinißet: vel ad ſtellam cujus nomine falſus doctor, iſque Theodorus Byzantinus intelligi poteſt, qui varias hæreſes adverſus Chriſtum ejuſque divinitatem ex Judæis ortas aſſeruit. *Clavis*, poteſtas. alii hæc exponunt de quinta ætate Eccleſiæ & apoſtaſia Lutheri, & per clavim, audaciam ejus in doctrina & miniſterio interpretatur, quæ clavis nonniſi infernum aperit.

2. [g] Per fumum, hæreſes & hæretici intelliguntur: quidam exponunt de hæreticis primorum ſæculorum.

3. [h] Idem dicendum eſt de locuſtis

4. [i] *Fœnum*. Arab. Æth. *herbam*. Omne quod fructificat & innocenter vivit. Nonniſi reprobos ſeducit hæreſis.

5. [k] *Datum eſt*, Æth. *datum eſt mandatum*. *Ne occiderent*, propter ſpem reditus ad Eccleſiam & veram fidem. *Quinque*, aliquanto tempore. *Cruciatus ſcorpii*, ſcorpionibus aſſimilantur, quia ſicut ſcorpio non lædit niſi caudâ, in qua venenum; ſic hæreſes primâ fronte ſæpiſſimè nihil mali habere videntur, &c.

6. [l] *Quærent mortem*, per illam naturæ appetentiam, tempus durum & grave ſignificatur.

7. [m] *Equis paratis in prælium*, armatis, & hoc propter ſpiritum rebellionis; tanquam coronæ, quia multi principes & reges defecerunt à vera religione, & quia gloriantur hæretici tanquam de devicta Eccleſia. *Tanquam facies hominum*, propter affectatam humanitatem, & mores quos prius videbantur reformare.

8. [n] *Sicut capillos mulierum*, quod mollitiem hæreticorum & relaxationem diſciplinæ ſignificat. *Sicut dentes leonum*, interficientes animas hominum, Eccl. c. 2. v. 5.

9. [o] *Vox*, ſtridor, ſonitus, hæc duritiam cordis, inflexibilitatem, & animum ſeditionis & rebellionis ſignificant.

11. [p] *Latinè*, &c. hoc additum ab interprete, hæretici humani ſunt in ſpeciem, tanquam homines; imò blandi inſtar mulierum, ſed cauda ſunt venenata, quia ſub blanditiis ſermonis tegunt peſtilentem & perniciolam doctrinam.

12. [q] Arab. *Væ primum jam completum eſt*. Æth. &, in hos abiit una afflictio, & remanſerunt duæ afflictiones. *Unum*, ex tribus quibus c. 8.

13. [r] *Vocem unam*, procedentem ex quatuor, &c. *Altaris aurei*, altare aureum ſignificat Jeſum glorioſum, per quem preces ſanctorum ex quatuor terræ partibus Deo offeruntur: hæc de ſexta ætate Eccleſiæ exponunt quidam interpretes

14. [s] *Quatuor angelos*, qui c. 7. prohibiti erant nocere. *Euphrate*, hæc exponunt multi per ordinem ad Perſas qui uſque ad finem primi væ, id eſt, ad tempus quo Paulus Samoſatenus Eccleſiam vexabat, nondum Euphratem ſuum poterant ſecurè tranſgredi, ſed tunc imperante Valeriano, Romanum imperium depopulari & excurrere cœperunt, unde quæ prius dicta ſunt, intelligenda de Judæorum ruina, quæ poſterius de Romanorum excidio.

15. [t] *In horam*, quæcumque tempora illis permitteretur. *Tertiam partem*, his loquendi figura datur intelligi non omnes omninò interficiendos.

16. [u] *Equeſtris exercitus*, Perſarum exercitus præcipuè in equitatu. *Vicies millies*, &c. quod ſignificat numerum ingentem. *Audivi*, id intellexi docente alio, non enim numerare poteram.

17. [x] *Ita* [illegible] non dicam. *Igneas*, coloris ignis: *Hyacinthinas*, hyacinthus, color eſt ferri politi; Perſæ enim & equi eorum à capite

Digitized by Google

hyacinthinas, & ſulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.

18. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.

19. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in [a] caudis eorum: nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita: & in his nocent.

Reliqua hominum pars his plagis non occiſa, in impœnitentia perdurat.

20. [b] Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, ut non adorarent dæmonia, & ſimulachra aurea, & argentea, & æream, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt neque audire, neque ambulare:

21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis.

CAPUT X.

Videt Joannes alium Angelum, quem hîc depingit, ad cujus clamorem, fit clamor ſeptem tonitruum, quorum voces Joannes prohibetur deſcribere.

1. ET vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo amictum nube, & iris in capite, & facies ejus erat ut ſol, & pedes ejus tanquam columnæ ignis:

2. Et habebat in manu ſua [c] libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dexterum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram:

3. Et clamavit voce magnâ, quemadmodum [d] cùm leo rugit. Et cùm clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

4. Et cùm locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram: & audivi vocem de cœlo dicentem mihi: [e] Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.

Jurat ille Angelus tempus non futurum amplius ſed ad vocem ſeptimi Angeli myſterium Dei conſummandum.

5. Et Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, levavit manum ſuam ad cœlum:

6. Et juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit cœlum, & ea quæ in eo ſunt; & terram, & ea quæ in ea ſunt; & mare, & ea quæ in eo ſunt: Quia [f] tempus non erit ampliùs:

7. Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli cùm cœperit tuba canere, conſummabitur [g] myſterium Dei, ſicut evangelizavit per ſervos ſuos prophetas.

Petit Joannes ab Angelo librum quem ille tenebat, qui datur Joanni devorandus.

8. Et audivi vocem de cœlo iterùm loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram.

9. Et abii ad Angelum dicens ei: Ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & [h] devora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

10. Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum: & erat [i] in ore meo tanquam mel dulce: & cùm devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.

11. Et dixit mihi: Oportet te iterùm prophetare [k] Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

CAPUT XI.

Joannes templum metiens, &c. audit prædicaturos duos teſtes quos beſtia de abyſſo aſcendens occidet, quod erit gaudium magnum habitantibus terram.

1. [l] ET datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

2. Atrium autem, quod eſt foris templum, [m] ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum eſt Gentibus, & civitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus:

3. Et [n] dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.

4. [o] Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes.

5. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet [p] de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi.

6. Hi [q] habent poteſtatem claudendi cœlum,

ad talos ferro armati. *Lorica ignea capita leonum, ignis, & fumus, & ſulphur, &c.* vim & animum illius exercitus ſignificant.

19. [a] *Per caudas, &c.* Parthæ intelligi, qui prius à Perſis debellati, nunc in eodem imperio viventes, cum ipſis pugnabant; illi verò à fronte & a tergo pugnare ſoliti, quin etiam fugiendo.

20. [b] Et is eſt ſenſus. *Neque pœnitentiam egerunt*, Syr. *haud pœnituit.*

2. [c] *Libellum apertum*, inſtabat nempe tempus ultionis divinæ; cujus ſententia in hoc libello. *Super mare*, utriuſque Dominus eſt, denotat imperium Romanum terrâ marique vaſtandum.

3. [d] *Cùm leo rugit*, quod iram & ultionem ſignificat. *Septem*, multa. *Tonitrua*, quia qui loquebantur, tanto cum ſtrepitu loquebantur, ut tonitrua viderentur.

4. [e] *Signa*, abſconde; ne reveles, & claude ea mente tuâ.

6. [f] *Tempus non erit*, inſtat enim ultio, nec diutius per tempora verbum malum differetur.

7. [g] *Myſterium Dei*, exponunt alii de gloria Eccleſiæ, & fine perſecutionum per ſupplicia perſecutorum; alii de fine mundi.

9. [h] *Devora*, avide in mente reconde. *Faciet amaricari* non poteris iſta cogitare, ut non miſeratione quâdam movearis ſuper interitu, &c. *In ore erit dulce*, cogeris fateri nihil eis eveniſſe quod non mererentur; jubetur Joanni devorare librum, quia debet mala ultionis divinæ nuntiare; ſed amaricatus venter viſis malis Eccleſiæ ab impiis oppreſſæ & patientis.

10. [i] *In ore... dulce*, quia poteſtas Dei agens in impios, ſolatium eſt viris bonis. *Amaricatus eſt venter*, quia dolor eſt cordi piorum tot homines perdi. Amaricatur etiam quia cogit ſe eructari, id eſt facit ſe aliis prædicari.

11. [k] *Gentibus & populis*, Syr. *de populis.*

1. [l] Deſignat hæc menſuratio liberationem Eccleſiæ, ſicut Ezechielis menſuratio templi præſignificavit liberationem Judæorum è Babylone.

2. [m] *Ejice foras*, Æth. *omitte.* Deſignantur hîc perſecutiones Eccleſiæ, quæ tamen ſemper in electis firma permanebit, poniturque numerus menſium determinatus [qui tamen non eſt ſtrictè accipiendus] ad ſignificandum tempus illarum fixum & limitatum eſſe à Deo; de perſecutione à Diocletiano facta exponit Calmet, ab anno trecenteſimo tertio, vigeſima tertia Februarii, uſque ad vigeſimam quintam Julii anni trecenteſimi ſexti regnante Conſtantino.

3. [n] *Dabo*, Æth. *dabo in mandatis. Duobus teſtibus*, alii exponunt de Enoch & Elia, alii de Moyſe & Elia; alii dicunt non de duobus hominibus præcisè hæc intelligenda, ſed de duobus generibus martyrum & conſolatorum populi fidelis, de clero & populo, figuratis per Jeſum filium Joſedech & Zorobabel: vel, de Judæis Chriſtianis factis & Gentilibus Chriſtianis. Judæi facti Chriſtiani opponebant ſe aliorum Judæorum vitiis, ideo Moyſi comparantur, vocati ex Gentibus idololatriam oppugnabant, ideo Eliæ comparantur; & ſic utraque dicuntur prophetare. *Et prophetabunt*, Æth. *ut prophetent. Diebus mille ducentis ſexaginta*, hic numerus quadrat ferme cum alio menſium quadraginta duorum, qui conficiunt tres annos cum dimidio; ſed omnia hæc innuunt tempus perſecutionum Eccleſiæ limitatum eſſe apud Deum: utitur autem hoc numero ratione temporis perſecutionis populi Judaici ab Antiocho, quæ figura erat perſecutionum Eccleſiæ.

4. [o] Hæc apud Zachariam c. 4. de Jeſu & Zorobabel dicuntur.

5. [p] *De ore eorum*, ad eorum preces & imperium. Verbum Dei exiens ex ore teſtium qui conſolantur fideles & ſanguinem fundunt pro illo, confundet adverſarios, damnandoſque oſtendent. *Sic*, igne devorante. Reſpicit ad Eliæ imprecationem.

6. [q] *Habent poteſtatem*, dicuntur habere poteſtatem, quia propter illos fiunt quæ ſequuntur. *Claudendi cœlum*, tempore perſe-

ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ quotieſcumque voluerint.

7. Et [a] cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

8. [b] Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.

9. [c] Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.

10. Et inhabitantes terram, gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ [d] cruciaverunt eos, qui habitabant ſuper terram.

Teſtes illi reſurgentes, in cœlum aſcendunt. fitque magna ſtrages eorum qui oderant illos.

11. Et [e] poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.

12. [f] Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis: Aſcendite huc, & aſcenderunt in cœlum in nube: & viderunt illos inimici eorum.

13. Et in illa hora factus eſt [g] terræ motus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia: & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cœli.

14. [h] Væ ſecundum abiit: & ecce væ tertium veniet cito.

Ad ſonitum ſeptimi Angeli, viginti quatuor ſeniores gratias agunt Chriſto, ob ejus judicatum in improbos.

15. [i] Et ſeptimus angelus tubâ cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri & Chriſti ejus, & regnabit in ſæcula ſæculorum, Amen.

16. Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes:

17. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti [k] virtutem tuam magnam, & regnaſti.

18. Et [l] iratæ ſunt Gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem ſervis tuis prophetis, & ſanctis, & timentibus nomen tuum puſillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.

19. Et [m] apertum eſt templum Dei in cœlo: & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus, & facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

CAPUT XII.

Mulier, quæ deſcribitur in partu, & draco, qui etiam deſcribitur furens in mulierem.

1. ET ſignum magnum apparuit in cœlo: [n] mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.

2. Et in utero habens, clamabat parturiens, & [o] cruciabatur ut pariat.

3. Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo, & ecce [p] draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem: & in capitibus ejus diademata ſeptem:

4. Et [q] cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram: & draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperiſſet, filium ejus devoraret.

Parit mulier, filius ejus rapitur in Cœlum, & mulier à dracone fugit in ſolitudinem.

5. Et peperit [r] filium maſculum, qui recturus

---

cutionum, prædicatio Evangelii minus libera. *Convertendi eas in ſanguinem*, cum bella oriuntur perſecutoribus Eccleſiæ. Virtus faciendi miracula, in genere hîc.

7. [a] *Cum finierint teſtimonium*, poſtquam multa paſſi erunt. *Beſtia*, deſcribetur cap. 13. & 17. *Vincet... occidet*, prævalebit adverſus eos corporaliter, comprehendendo eos & interficiendo; ſed quomodo teſtes qui hoſtes percuſſiſſe dicuntur v. 5. & 6. hîc vinci dicuntur? vincent bonitate cauſæ, & ſpirituali poteſtate, quia doctrina Evangelii perrumpet omnia, vincentur verò armis ſæcularibus.

8. [b] Civitas magna, Babylon eſt myſtica, id eſt civitas diaboli; alii ipſa urbs Jeruſalem; & hæc litteraliter, & de tempore antichriſti exponunt; alii verò, Roma & Romanum imperium, in quo Chriſtus crucifixus eſt, & in quo idem in ſervis ſuis crucifixus. *Sodoma*, per laſciviam. *Ægyptus*, per tyrannidem & ſuperſtitionem.

9. [c] Numerus ille dierum, hoc eſt dimidium ſeptimanæ dierum, ſicut dies perſecutionis, qui efficiunt dimidium ſeptimanæ annorum, innuit tempus breve nec completum; hæc autem exponunt de conſilio perſecutorum Eccleſiæ, qui omnes omnino Chriſtianos volebant interimere, quod & Diocletianus ſe feciſſe gloriabatur.

10. [d] *Cruciaverunt*, moleſta impiis prædicatio Evangelii.

11. [e] *Poſt tres dies & dimidium*, modicum temporis gaviſi ſunt Gentiles de extincta Eccleſia: poſt tres annos & dimidium anni pax reddita fuit Eccleſiæ a Conſtantino, teſtes reſurgere dicuntur, quia teſtimonium eorum reviviſcit, dum ſuccedunt alii qui majore numero & illuſtriori profeſſione, teſtimonium prius reſumpſerunt. *Intravit*, utuntur prophetæ temporibus indifferenter.

12. [f] Hæc exponuntur de gloria Eccleſiæ imperante Conſtantino.

13. [g] *Terræ motus magnus*, ſignificat poſt pacem Eccleſiæ regnante Conſtantino, bella imperatorum adverſus ſe invicem. *Decima pars civitatis decidit*, magnæ vaſtationes per totum imperium contigerunt. *Nomina hominum*, homines. *Septem millia*, per iſtum numerum determinatum exprimitur innumera multitudo, & in numero perfecto deſignatur perfecta Conſtantini victoria adverſus Maxentium. *Reliqui*, &c. quum viderunt trophæum crucis erectum a Conſtantino, cujus crucis protectione victor evaſerat. *Dederunt gloriam*, quod de converſionibus ſequentibus: vel, etiam de acclamationibus Gentilium intelligendum.

14. [h] *Væ ſecundum*, ſexta perſecutio: vel, perſecutiones Gentilium contra Eccleſiam, & præcipue à Diocletiano. *Væ tertium*, deſtructio imperii: vel, ultima perſecutio in fine mundi.

15. [i] Hic eſt ſenſus, regnum hujus mundi factum eſt regnum Domini noſtri, quod de Eccleſia intelligunt, alii & alii de ſeptima ætate & fine mundi.

17. [k] *Virtutem*, Syr. Arab. robur.

18. [l] *Iratæ ſunt Gentes*, fremuit gentilitas ad gloriam Eccleſiæ. *Advenit ira*, tempus perdendi Romam: jungit deinde quæ ad futurum ultimum judicium pertinent; atque exemplo Chriſti & ea more ſcripturæ, quæ agens de ſuppliciis aliquot publicis a Deo ſumendis de impiis, miſcet ſemper quædam de judicio finali. *Judicari*, Syr. Arab. ut, Æth. in quo judicentur. *Reddere*, Syr. Arab. Æth. des, reddas.

19. [m] *Apertum templum in cœlo*, de gloria Eccleſiæ poſt perſecutiones exponendum. *Templum*, quod templum repræſentabat. *Viſa arca*, quod de revelatione myſteriorum & ſenſibili præſentia Dei intelligendum, aut de reditu Judæorum ad fidem Chriſti. *Facta fulgura*, de punitione viſibili perſecutorum Eccleſiæ.

1. [n] *Mulier*, &c. hæc de Eccleſia exponuntur.

2. [o] *Cruciabatur ut pariat*, quia Eccleſia non parit niſi patiendo, & per ſanguinem martyrum fœcundatur.

3. [p] *Draco*, diabolus, vel Romanum imperium. *Rufus*, ſanguine martyrum. *Capita ſeptem*, ſicut dantur Deo ſeptem Angeli, qui ejus juſſa compleant: ita dantur diabolo ſeptem alii ſpiritus nequam contrarii donis Spiritus ſancti. *Septem*, Diocletianus, Maximianus, Hercules, Galerius, Maximinus, Severus, Maxentius, & Licinius eodem tempore imperantes & Eccleſiæ perſecutores. *Cornua decem*, quia Romana ditio fuit ab Auguſto Cæſare diviſa in decem provincias, ex Strabone libro ultimo. Vel, decem præcipue perſecutiones in Senatu decretæ, imperantibus Nerone, Domitiano, Trajano, Antonino, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, & Diocletiano. *In capitibus*, non in cornibus, quia ſuprema majeſtas reſidebat Romæ cui faſces ſubmittebant reliquæ omnes provinciæ. *Diademata ſeptem*, ſeptem Cæſares qui incipiunt à Claudio, qui primus Chriſtianis moleſtus eſſe cœpit. *Capita & diademata ſeptem*, ſeptem imperatores perſecutores Eccleſiæ, Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Julianus. Sic variè exponunt interpretes.

4. [q] *Cauda*, nocere dicitur; quia aſtu agit per inſidias & cuniculos, & blanditias. *Tertiam partem*, maximam. *Stellarum cœli*, Angelos quos ſeduxit, fideles quos in perſecutionibus dejecit, doctores quos errare fecit. *Stetit ante mulierem*, &c. quia ex prophetis, aut aliundè intellexit Chriſtum tandem, ſe neglecto, adorandum fore. Hâc deſcriptione infantiæ Eccleſiæ alluditur ad Chriſtum naſcentem qui puer natus ex muliere, ab Herode obſervatus, & fugere coactus eſt, &c. *Devoret*, tum in perſona, tum in membris.

5. [r] *Filium maſculum*, fortem, robuſtum, per quem electi intelliguntur. *Recturus erat*, hæc de Chriſto dicta Pſ. 2. & hîc de electis cum illo in Eccleſia regnantibus, & maximè quia finitis perſecutionibus Eccleſiæ, jam jam erat ſub Conſtantino regnatura. *Raptus ad Deum*, ſub Dei tutela & protectione poſitus.

rus erat omnes Gentes in virga ferrea & raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus:

6. [a] Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.

Prælium in cœlo contra draconem, qui projicitur & vincitur.

7. Et factum eſt prælium magnum in cœlo: Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone & draco pugnabat, & angeli ejus:

8. Et non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs [b] in cœlo.

9. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & angeli ejus cum illo miſſi ſunt.

10. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & [c] virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.

11. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & [d] propter verbum teſtimonii ſui, & & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.

12. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quòd [e] modicum tempus habet.

Refert novos impetus draconis & novam fugam mulieris.

13. [f] Et poſtquam vidit draco quòd projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum:

14. Et datæ ſunt mulieri [g] alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie ſerpentis.

15. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, [h] aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.

16. [i] Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum; & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo.

17. Et iratus eſt draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent [k] teſtimonium Jeſu Chriſti.

Deſcribitur tertius impetus draconis.

18. [l] Et ſtetit ſupra arenam maris.

CAPUT XIII.

Videt Joannes beſtiam de mari aſcendentem, ſeptem capitum, decem cornuum, decemque diadematum, quæ accipit veluti plagam lethalem, quæ curatur tamen, beſtia verò Deum blaſphemat & ſanctos debellat.

1. Et vidi [m] de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ.

2. Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat [n] pardo, & pedes ejus ſicut pedes urſi, & os ejus ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.

3. Et vidi [o] unum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis ejus curata eſt. Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam.

4. Et [p] adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adoraverunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? Et quis poterit pugnare cum ea?

5. Et datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias: & [q] data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.

6. [a] Deſignatur ibi perſecutio Eccleſiæ, numerumque certum dierum, ſicut & fugam in ſolitudine, quia alludit ad perſecutionem Judæorum ab Antiocho, &c. *Mulier fugit in ſolitudinem*, fideles primorum ſæculorum loca deſerta petebant. *Paſcant eam*, alludit ad fugam Eliæ à Jezabel, nutriti à vidua annis tribus & dimidio. *Mille ducentis ſex. græca*, perſecutionum eccleſiæ unaquæque non per tres annos cum dimidio. Licèt enim per decem annos ſævierit Diocletianus tamen per tria intervalla ſtetit perſecutio. Videndus verſus 2. cap. 11.

8. [b] *In cœlo*, non quod tunc diabolus & Angeli ejus forent in cœlo, ſed hæc in imaginaria viſione geruntur & aliud ſignificatur quàm verba ſonent. Finis enim idololatriæ deſignatur, dirutis altaribus & everſis templis, maximè ſub Conſtantino.

10. [c] *Virtus*, Syr. Arab. *potentia*. *Accuſator fratrum*, hæc ſtricte ad litteram de Job intelligenda, quia ſatanas calumniando effecit ut Job ſibi à Deo permitteretur: & ſic diceret dæmon Deo, non magni facienda eſt fides Chriſtianorum, levia tormenta ſuperant, ſed metu mortis ſuccumbent. *Accuſabat die ac nocte*, propellendo ad peccata, quæ accuſare poſſit.

11. [d] *Propter*, Arab. *per*. *Non dilexerunt animas ſuas*, &c. vitam temporalem, etiam uſque ad mortem perferendam pro Chriſto, vilem habuerunt.

12. [e] *Modicum tempus*, ad nocendum, propter futurum Conſtantini regnum.

13. [f] Hæc de Maximino atrocius quàm anteà perſequente Eccleſiam ab anno trecenteſimo octavo uſque ad trecenteſimum undecimum, quo coactus ceſſare à perſecutionibus, propter edictum Maximiani Galerii affixum & publicatum Nicomediæ.

14. [g] *Alæ duæ Aquilæ*, quod celeritatem deſignat. *Aquilæ*, dictus potius quàm columbæ, propter ſtabilimentum Eccleſiæ in imperio Romano regnante Conſtantino magno. *Tempus*, annum. *Tempora*, duos annos dimidium temporis, dimidium anni ratio hujus numeri per alluſionem ad tempus perſecutionis Antiochi. Vide ſupra. *A facie ſerpentis*, jungendum cum *volaret*.

15. [h] *Aquam tanquam flumen*, impetum perſecutionum. Cùm Maximinus non poſſet amplius ferro & igne torquere Chriſtianos dolis uſus eſt, &c.

16. [i] Per metaphoram ſignificat in nihilum rediiſſe diaboli perſecutionem. *Adjuvit terra mulierem*, poteſtas temporalis auxiliatrix Eccleſiæ, Conſtantinus enim opitulatur Chriſtianis. *Aperuit terra*, &c. agente Conſtantino, Maximinus modum ponit furoribus ſuis, & ceſſat per ſpatium temporis à perſecutione, quam innovans poſtea devicitur à Conſtantino & Licinio.

17. [k] *Teſtimonium*, fidem, confeſſionem, ad hunc verſum referenda prælia Maxentii, Maximini, & tandem Licinii, qui & ipſe devictus eſt à Conſtantino, à quo poſtea pax Eccleſiis ubique conceditur.

18. [l] Licinius ad Boſphorum claſſem inſtruit, ſed à vento vexatæ centum triginta naves ad littus alliduntur, paucisque diebus interjectis, bello terreſtri devincitur, amiſſis centum millibus hominum ex centum triginta millibus, qui omnes ſupra arenam trucidati ſunt. Hæc omnia fuſius videnda apud Euſebium.

1. [m] *De mari*, de mundo, & hoc ſæculo quod propter agitationes mari ſimile eſt. *Beſtiam*, Romanum imperium. *Capita ſeptem*, ſeptem imperatores incipiendus Diocletiano, vel ſeptem ſimul cum Diocletiano imperium moderantes & Eccleſiam affligentes, ſcilicet Diocletianus, Maximianus, Herculeus Conſtantius Chlorus (alii Severum ponunt) Maximianus Galerus, Maxentius, Maximinus, & Licinius. *Cornua decem*, *& ſuper cornua diademata decem*, reges ſunt de quibus poſtea c. 17. qui poſtquam vocati ſunt in auxilium imperii Romani ad vexandam Eccleſiam & præliandum contra agnum, tandem & ipſi Romanum imperium devaſtarunt & deſtruxerunt. Ut Perſæ & Saraceni in Aſia, Vandali in Africa, Gothi in Hiſpania, Longobardi in Italia, Franci & Burgundiones in Galiis, Hunni in Pannonia, &c. *Super capita*, autem non ſunt amplius coronæ, quia in omnes imperatores in cap. præcedenti jam viſi ſunt debellati, ſed loco coronarum, habent *nomina blaſphemiæ*, propter edicta lethalia & blaſphema contra Eccleſiam Chriſtianam & propter idola quibus ſeptem colles urbis Romæ erant conſecrata, & nomina deorum quibus imperatores inſigniebantur.

2. [n] Per Pardum, Urſum & Leonem, ſævitia datur intelligi. Viderat Daniel Propheta ſub figuris Leonis, Urſi & Pardi, imperia Babyloniorum, Perſarum, & Græcorum. Nunc verò imperium Romanum figuratur per unam beſtiam factam ex illis tribus, cum imperium Romanum hæc tria imperia ſubjugaverit. *Dedit illi draco*, &c. diabolus fuit Romano imperio & præſertim imperatore Juliano, in idololatriam denuò ſuſcitat. *Virtutem*, Syr. *potentiam*, Arab. *robur*.

3. [o] *Unum de capitibus quaſi occiſum*, caput illud ſextum erat ut patet ex cap. 17. *Occiſum*, in Maximino. *In mortem*, vulnus capitis illius mortem inferens beſtiæ, quod de Conſtantino poſt devictum Maximinum, & idololatriam deſtructam exponendum *Plaga mortis*, Syr. *lethalis*. *Curata*, in Juliano Apoſtata quo regnante reviviſcit idololatria.

4. [p] *Adoraverunt draconem*, ſub Juliano idololatria repullulare cœpit. In quibus imaginibus mixtæ erant imagines idolorum, ut ſic honor diis & imperatoribus redderetur. *Quis ſimilis beſtiæ*, dum Gentiliſmus denuò reſtauraretur, fidelibus Chriſtianis Gentiles inſultabant.

5. [q] *Data eſt ei poteſtas*, à Deo, hæc de Juliano exponuntur. *Poteſtas facere menſes*, Arab. *poteſtas pugnandi menſib.*, Æth. *poteſtas facere ſigna quæcumque voluerit*. *Menſes quadraginta duos*, alludit ſemper ad tempus Antiochi. Sed hic numerus non eſt ſtricte accipiendus.

Digitized by Google

6. Et aperuit os ſuum, in blaſphemias ad Deum, blaſphemare oomen ejus, & [a] taberoaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant.

7. [b] Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem:

8. Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: [c] quorum non ſunt ſcripta oomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.

9. Si quis habet aurem, audiat.

10. [d] Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit opottet eum gladio occidi. Hic eſt patientia, & fides Sanctorum.

Videt aliam beſtiam duorum cornuum aſcendentem de terra, quæ priori beſtiæ maxime favet, facit ſigna & prodigia, cogitque fieri & adorari imaginem prioris beſtiæ, habereque characterem nominis ejus.

11. Et vidi aliam [e] beſtiam aſcendeotem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco.

12. [f] Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis.

13. [g] Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.

14. Et ſeduxit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant [h] imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.

15. Et datum eſt illi ut [i] daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ: & faciat ut quicumque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur.

16. Et faciet omnes puſillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos [k] habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.

17. [l] Et ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut oumerum nominis ejus.

Exponitur numerus beſtiæ.

18. [m] Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.

CAPUT XIV.

Videt Agnum ſupra montem Sion, qui à ſanctis ipſum comitantibus laudatur.

1. ET vidi: & ecce Agnus ſtabat ſupra [n] montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.

2. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.

3. Et cantabant quaſi canticum novum, ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui [o] empti ſunt de terra.

4. Hi ſunt, qui [p] cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.

5. Et in ore eorum [q] non eſt inventum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.

Videt alterum Angelum annuntiantem Evangelium æternum & alium prædicantem Babylonis lapſum.

6. Et vidi [r] alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum:

7. Dicens magnâ voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum.

8. Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: [f] Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potavit omnes gentes.

Videt tertium Angelum annuntiantem cruciatum eorum qui beſtiam adoraverunt.

9. Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magnâ: Si quis adoraverit beſtiam, & ima-

6. [a] *Tabernaculum*, Eccleſiam. *Eos qui in cœlo habitant*, ſanctos & præcipuè martyres.

7. [b] Verba hujus verſus innuere videntur aliquid majus perſecutione Juliani.

8. [c] *Quorum non ſunt*, &c. quorum nomina non ſunt ſcripta ab origine mundi, in libro vitæ Agni qui occiſus eſt. Hæc expoſitio melior eſt ut patet ex loco ſimili cap. 17.

10. [d] Senſus eſt nullam injuriam ſanctis illatam ab impiis & reprobis hominibus fore impunitam. *Hic*, in hac rebus. *Eſt patientia, & fides*, hac ſpe ſancti patiantur & credant. *Patientia*, debet hoc loco ſumi pro ſpe præmii, quâ permanemus in malis, & nos ad meliora ſervamus.

11. [e] *Beſtiam*, de Porphyrio, Hierocle, & Maximo philoſopho Juliani corruptore poteſt exponi. Poſt illum, Maximus philoſophus Julianum & ſuperſtitionem idololatricam à Juliano reſtauratam adorari prædicabat. *Aſcendentem de terra*, qui ſapientia illa terrena, animalis, diabolica. *Similia agni*, Arab. *quaſi cornua arietis*, Æth. *& videbatur ſicut agnus*. Quia Julianus primum ſimulat humanitatem, & in Paganiſmo diſciplinam Eccleſiaſticæ ſimilem introducere conatur.

12. [f] Arab. *Et habebat poteſtatem faciendi omnia opera prioris illius beſtiæ, in conſpectu ipſius*, &c. *Fecit terram*, &c. Diocletianus primus ex imperatoribus ſe ut Deum, aliosque imperatores ut deos adorare juſſit.

13. [g] Maximus magus & præſtigiis ſuis facem extinctam in ara deæ Hecates & aliorum idolorum lucere fecit, Sozomenus, lib. II. cap. 5. Zoſimus lib. VI.

14. [h] *Imaginem beſtiæ ... beſtiæ*, in dativo, id eſt, imperatoribus idololatris, & maximè Juliano, cujus imago ſacta eſt inter figuras Jovis, Martis, Mercurii, quam adorare Chriſtiani cogebantur.

15. [i] *Daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ*, his figuratis locutionibus innuitur quod fallacibus perſuaſionibus philoſophorum inducebantur homines ad credendum quod ineſſet aliqua divinitas in ſtatuis idolorum, & ad inſerviendum cultui eorum. Simulachra etiam & oracula dæmonum priùs muta, imperante Juliano, loqui cœperunt & maximè ſimulachrum Apollinis in ſuburbio Antiochiæ daphnitico.

16. [k] *Habere characterem*, idololatriam profiteri, ejuſque opera exercere.

17. [l] Imperante Diocletiano multa fuerunt Chriſtianis interdicta, niſi poſtquam ſacrificaſſent idolis, quod idem ſeris temporibus Juliani. *Numerum*, quem faciunt litteræ nominis.

18. [m] *Hic ſapientia eſt*, ad hoc quod de numero dicimus aſſequendum, opus eſt ſapientiâ & intellectu. *Numerus hominis*, numerus nominis hominis. Oportet ut ille homo ſit illa prima beſtia, ſine cujus charactere prohibitum erat emere, & vendere, &c. quod maximè competit Diocletiano, qui ante imperium vocabatur Diocles in iſtis autem nominibus Diocles AUGUSTUS efficitur numerus, *ſexcenti ſexaginta ſex*, ex litteris numeralibus Latinorum.

1. [n] *Montem Sion*, qui ſignificat Eccleſiam Catholicam. *Centum quadraginta quatuor millia*, de hoc numero ſupra cap. 7. *Ejus*, Agni.

3. [o] *Empti*, peculiariter acquiſiti ac redempti.

4. [p] *Cum mulieribus non ſunt coinquinati*, per coinquinationem corporalem. figurato ſermone intelligitur omnis coinquinatio mentis, & ea maximè quæ per idololatriam, &c. *Sequuntur agnum quocumque ierit*, Chriſto ſecundùm humanam naturam ſemper & ubique adſunt tanquam familiares & intimi ejus amici. Quod à ſanctis omnibus, & præcipuè martyribus intelligendum. *Hi empti ſunt* &c. Arab. *idemque ſunt qui per Jeſum ex hominibus à principio empti ſunt Deo & Agno.*

5. [q] *Non eſt inventum mendacium*, quod de confeſſione martyrum potiſſimum exponi debet.

6. [r] *Alterum Angelum*, Angelus ille deſignat Apoſtolos & alios prædicatores. *Æternum*, perpetuæ veritatis, ad æternam vitam ducente, & immutabile, ad differentiam legis Moſaicæ.

8. [f] *Cecidit*, loquitur more prophetico, & utitur tempore præterito pro præſente: vident enim prophetæ futura ac ſi jam facta eſſent. *Babylon*, Roma, ejuſque idololatria. *Vino iræ*, ita & ſupplicio digna. *Omnes Gentes*, illi ſubjectas.

Google

ginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua:

10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni.

11. Et [a] fumus tormentorum eorum aſcendit in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus; & ſi quis acceperit characterem nominis ejus.

12. [b] Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Jeſu.

Audit quædam de morte ſanctorum.

13. Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: [c] opera enim illorum ſequuntur illos.

Sedente Filio hominis ſuper nubem jubentur duo Angeli habentes falces, hic meſſem, ille vineam terræ demetere.

14. Et vidi, & ecce nubem candidam: & ſuper nubem [d] ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.

15. Et alius Angelus exivit de [e] templo, clamans voce magnâ ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit meſſis terræ.

16. Et miſit, qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt [f] terra.

17. Et alius Angelus exivit de templo, quod eſt in cœlo, habens & ipſe falcem acutam.

18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat [g] poteſtatem ſupra ignem: & clamavit voce magnâ ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt uvæ ejus.

19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & miſit in [h] lacum iræ Dei magnum:

20. Et [i] calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu uſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

CAPUT XV.

Victores beſtiæ Deum glorificant.

1. ET vidi aliud ſignum in cœlo magnum & mirabile, Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem [k] noviſſimas: quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.

2. Et vidi tanquam [l] mare vitreum, miſtum igne, & eos qui vicerunt beſtiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, ſtantes ſuper mare vitreum, habentes citharas Dei:

3. Et cantantes canticum [m] Moyſi ſervi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum.

4. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es, quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt.

5. Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt [n] templum tabernaculi teſtimonii in cœlo:

A Cœlo exeunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas, ſeptemque phialas iræ Dei plenas.

6. Et exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas de templo, veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

7. Et unum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in ſæcula ſæculorum.

8. Et impletum eſt templum [o] fumo à majeſtate Dei, & de virtute ejus; & nemo poterat introire in templum donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

CAPUT XVI.

Referuntur ſeptem phialæ à ſeptem Angelis emiſſæ in terram, ſeptemque plagæ, &c.

1. ET audivi vocem magnam de templo, dicentem ſeptem Angelis: Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.

2. [p] Et abiit primus, & effudit phialam ſuam in terram: & factum eſt vulnus ſævum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos qui adoraverunt imaginem ejus.

3. Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis [q] tanquam mor-

11. [a] *Fumus*, tormentorum, quaſi ſacrificium æternum juſtitiæ divinæ.

12. [b] *Hic patientia*, &c. hanc vindictam, ſimul & ſuam temperationem, patienter expectant ſancti. Vel, in hac damnationis pravorum conſideratione ſancti patientiam ſuam in hac vita fundant.

13. [c] *Opera*, merces operibus debita.

14. [d] *Sedentem ſimilem Filio hominis*, Chriſtum ipſum. *Falcem* per quam deſignatur judiciaria poteſtas, & quia paratus ad ultionem, &c.

15. [e] *Templo*, cœlo, cujus templum figura. *Clamans*, ardenti affectu petens. *Aruit*, maturuit.

16. [f] *Terra*. Attila vaſtat Europam & præcipuè campos Catalaunicos, Alaricus Orientem ſive Græciam, Athanaricus Septentrionem, Genſericus Meridiem, Theodoricus Occidentem. Sed maximè, de deſtructione urbis Romæ Romanique imperii per Alaricum capiendum poteſt.

18. [g] *Poteſtatem ſupra ignem*, quia ſuſcitat bella & prælia, & præpoſitus eſt, &c.

19. [h] *Lacum*, Syr. Æth. *torcular*.

20. [i] *Calcatus eſt lacus extra civitatem*, direpta Roma ſub Alarico, vaſtatæ ſunt ab Attila quadraginta annis poſteà in medio quinti ſæculi, univerſæ provinciæ Romani imperii in Occidente. *Extra civitatem*, quia Attila non intravit Romam. *Exivit ſanguis uſque ad frænos equorum*, quod deſignat ingentem ſanguinis effuſionem ſub Attila, quâ flumina pleno ſanguinem verſa, maximè in campis Catalaunicis. Temporibus prioribus, Julianus occiſus ferro, Valens vivus crematus, Maximus, & Eugenius debellati & occiſi. Fluit ex omni parte ſanguis Romanus. *Stadia mille ſexcenta*, quod ex Italia, cap. 1. verſ. 8.

1. [k] *Noviſſimas*, Syr. *ultimas*. Hoc de fine & deſtructione imperii Romani intelligendum.

2. [l] *Mare*, exponunt de aqua baptiſmali. *Vitreum*, propter puritatem. *Miſtum igne*, propter Spiritum ſanctum. Alii de gloria martyrum, & de populo ſancto, qui purus eſt & fervens charitate. *Citharas Dei*, quales erant in templo Jeruſalem.

3. [m] *Moyſi & Agni*, veteris & novi teſtamenti: ex uno & altero Deum laudantes. *Moyſi*, poſt tranſitum maris Rubri quod martyribus maximè conveniens eſt. *Agni*, in laudem Agni. Cantici Moyſi fit mentio propter victoriam quam de Maxentio Conſtantinus habuit ad ripam Tiberis.

5. [n] *Templum tabernaculi teſtimonii*, figura templi, id eſt, ſanctuarii in quo erat arca.

8. [o] *Fumo*, fumus in templo deſignat arcana providentiæ eſſe occulta. *Nemo poterat introire in templum*, figurata locutio ſignificans terrorem impreſſum omnibus ex ultione divinâ ſe manifeſtante. *Donec conſummarentur* quæ decreverat Deus de deſtructione imperii Romani non manifeſta fuerunt, niſi poſtquam concuſſum & everſum imperium fuit. Hæc autem allegoricè dicuntur, qui intrabat olim populus in tabernaculum ut Deum conſuleret.

2. [p] Hæc variè exponuntur. Alii qui hæc omnia exponunt de vaſtatione imperii Romani, idololatriæ ſedis præcipuæ. Per vulnus illud intelligunt peſtem ſævam quæ graſſata eſt, maximè imperantibus Valeriano & filio ejus Gallieno. Alii exponunt de Juliani morte, item Procopii & Marcelli ſucceſſoribus ejus, atque de nece & ſupplicio philoſophorum Paganorum, & præcipuè Maximi qui Julianum ſeduxerat, & aliorum magorum, idque juſſu Valentiniani. De Bellis Gothorum in Romanos adhuc exponunt alii.

3. [q] *Tanquam mortui*, niger & denſus. Hoc verſu deſignantur

tui: & omnis anima vivens mortua eſt in mari.

4. [a] Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis.

5. Et audivi [b] Angelum aquarum dicentem: Juſtus es, Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc judicaſti:

6. Quia ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enim ſunt.

7. Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & juſta judicia tua.

8. [c] Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem; & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni:

9. Et æſtuaverunt homines æſtu magno, & [d] blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam.

10. Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper [e] ſedem beſtiæ: & factum eſt regnum ejus tenebroſum, & commanducaverunt linguas ſuas præ dolore.

11. Et [f] blaſphemaverunt Deum cœli, præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

12. Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum [g] Euphraten: & ſiccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu ſolis.

13. [h] Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudo-prophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum.

14. Sunt enim [i] ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

15. [k] Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.

16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè [l] Armageddon.

17. [m] Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem, & exivit vox magna de templo à throno, dicens: Factum eſt.

18. [n] Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram: talis terræ motus, ſic magnus.

19. Et facta eſt [o] civitas magna in tres partes: & civitates Gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

20. Et omnis [p] inſula fugit, & montes non ſunt inventi.

21. Et [q] grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo in homines: & blaſphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta eſt vehementer.

CAPUT XVII.

Oſtenditur Joanni ab Angelo mulier fornicaria variis induta ornamentis, & ebria martyrum ſanguine, ſedens ſuper beſtiam ſeptem capitum & decem cornuum.

1. ET venit unus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens: Veni oſtendam tibi damnationem [r] meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas,

2. [ſ] Cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis ejus.

3. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum. Et vidi [t] mulierem ſedentem ſuper beſtiam cocci-

bella per totum imperium, quibus omnia ſanguine maduerunt. Dicitur autem *tanquam mortui*, quia corpus imperii authoritate & viribus deſtitutum, imaginem cadaveris repræſentabat. Poteſt etiam verè de mari intelligi; quando Romanorum vires maritimæ, Maximo tyranno, duce Andragalo, adversus Theodoſium pugnantis, ita debellatæ fuerunt, ut poſtea reſtaurari nullatenus potuerint.

4. [a] Hic deſignantur civilia bella imperante Gallieno. Poſſunt etiam per flumina & aquas intelligi provinciæ ſeptentrionales, quarum dominium Romanis ereptum.

5. [b] *Angelum aquarum*, qui præeſt aquis.

8. [c] Deſignantur calores ſummi, ſiccitates & fames, de quibus legendus Dionyſius Alexandrinus, ſicut & Cyprianus, &c. exponunt alii de provinciis Meridionalibus, Africa, Hiſpania, &c. a Vandalis, & aliis, debellatis & vaſtatis.

9. [d] *Blaſphemaverunt nomen Dei*, quidquid adverſi Romano contingebat imperio, hoc idololatræ in Chriſtianam religionem refundebant.

10. [e] *Sedem beſtiæ*, Romanum imperium, Italiam præcipuè, urbemque Romam a Gothis Alarico duce captam & everſam. *Tenebroſum*, poſt devictum a Perſis Valerianum, & propter mollitiem filii ipſius Gallieni. *Commanducaverunt linguas*, quod famem durantibus obſidionibus & vaſtationibus exprimit.

11. [f] *Blaſphemaverunt*, ſupra verſu nono.

12. [g] *Euphraten*, erat limes imperii Romani. *Siccavit aquam*, facilem tranſitum dedit Perſis.

13. [h] *Et vidi*, Æth. *& tunc prodierunt*. *Pſeudo-propheta*, exponunt de magis tempore Juliani in pretio habitis, Maximi, Simonidis, & aliis temporibus Valentis morte affectis. *In modum ranarum*, lutulentos & loquaces. Hæc & ſuperiora quidam exponunt de Mahumetanis, circa Heraclii & ſucceſſorum tempora Romanos debellantibus.

14. [i] *Spiritus Dæmoniorum*, dæmones qui ſpiritus ſunt. Magi & incantatores qui præſtigiis ſuis principes adverſus Chriſtianos incitabant. Et hæc tribus temporibus diverſis. Sub Valeriano, ut refertur a Dionyſio Alexandrino, ſub Diocletiano, ab illo Tages de quo Lactantius. Sub Maximino in eadem perſecutione, à Theotecno, & ſub Juliano, a Maximo, &c. *Congregare*, Syr. *ad congregandum*. *Ad diem magnum*, de quo mox loquetur.

15. [k] *Ecce venio ſicut fur*, hæc in perſona Chriſti, quæ veritas non ſolùm de morte, ſed de omnibus calamitatibus quæ ferè ſemper ex improviſo adveniunt, intelligenda eſt. *Ne nudus ambulet*, olim comburebantur veſtimenta militum quos dormientes inveniebant, ſi ad vigilias noctis eſſent deſtinati.

16. [l] *Armageddon*, mons Mageddon, id eſt locus excidii, ſi quidem in Mageddon Ochoſias & Joſias devicti: vult itaque innuere, quod magi imperatorum implicabunt illos bellis, in quibus peribunt, quod impletum à Perſis contra Valerianum, unde origo caſus imperii Romani & ab iiſdem contra Julianum, poſt cujus cladem fractum & debilitatum fuit imperium Romanum.

17. [m] Hoc exponunt de irruptione Barbarorum, Valeriano capto, aut de peſte quæ præceſſit obſidionem ab Alarico.

18. [n] Hæc omnia ſignificant afflictiones magnas futuras, tempore ruinæ imperii Romani. Durante obſidione Alarici, ignis de cœlo ſæpiſſimè decidit in urbem Romam.

19. [o] *Civitas magna in tres partes*, quidam de Jeruſalem exponunt, quæ tempore excidii erat in tres factiones diviſa, Zelotas, Idumæos, Libertinos. Alii ſic exponunt, imperium Occidentis diviſum, Honorio imperante Ravennæ, Attalo Romæ, Conſtantino in Galliis. Alii, ſic Roma deprædata à tribus regibus Barbaris, Alarico, Ataulpho, & Genſerico. Alii adhuc ſic: Totila dividit urbem in tres partes: pars civium gladio perit in obſidione, partem aliam ſecum ducit, tertiam relegat in Campaniam. *Civitates gentium*, Gothis provincias imperii diripientibus. Vel civitates idolis conſecratæ, ut Delphos Dodona, &c. *Babylon magna*, Roma in qua ſæva bella tempore Jeroſolymitani excidii exarſerunt. Vel Roma capta ab Alarico. *Dare*, Syr. *ut daret*.

20. [p] *Inſula*, oppida maritima. *Fugit*, eſſe deſiit. His bellorum temporibus mundus quaſi videbatur. *Montes*, arces in mediis terris.

21. [q] *Grando magna*, poſt exilium ſancti Chryſoſtomi cecidit Conſtantinopoli anno quadringenteſimo quarto. *Sicut talentum*, Syr. *quaſi talenti pondo*.

1. [r] *Meretricis magnæ*, &c. Romæ, quæ Gentibus multis dominatur.

2. [ſ] Denotatur idololatria, maximè quia Romam ipſam ejuſque imperatores adoraverunt.

3. [t] *Mulierem*, Romam. *Beſtiam*, Romanum imperium. *Coccineam*, propter fuſum ſanguinem martyrum. *Plenam*, refertus ad *beſtiam*, ut patet ex Gr. Syr. Arab. Æth. *nominibus blaſphemiæ*, edicta ſunt adversus Chriſtianos. *Capita ſeptem*, ſeptem imperatores perſecutores Eccleſiæ, Diocletianum, Maximianum, Galerium, Maximinum, Severum aut Conſtantium Chlorum, Maxentium, Licinium. *Cornua decem*, qui imperarunt tempore perſecutionum, Diocletianum, Maximianum, Galerium, Maximinum,

neam

Digitized by Google

neam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.

4. Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, [a] habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus.

5. Et [b] in fronte ejus nomen ſcriptum: Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.

6. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine [c] martyrum Jeſu, & miratus ſum cùm vidiſſem illam admiratione magnâ.

Hæc omnia ab Angelo explicantur.

7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego [d] dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.

8. [e] Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram [quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi] videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.

9. Et [f] hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt.

10. [g] Quinque ceciderunt, unus eſt, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.

11. Et beſtia quæ erat, & non eſt: & ipſa [h] octava eſt: & de ſeptem eſt, & in interitum vadit.

12. Et [i] decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt: qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges unâ horâ accipient poſt beſtiam.

13. Hi [k] unum conſilium habent, & virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.

14. Hi [l] cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex regum, & qui cum illo ſunt, vocati, electi, & fideles.

15. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidiſti ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & Gentes, & linguæ.

16. Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia: hi [m] odient fornicariam, & deſolatam facient illam: & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipſam igni concremabunt.

17. Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum eſt illi: [n] ut dent regnum ſuum beſtiæ donec conſummentur verba Dei.

18. Et mulier, quam vidiſti, eſt [o] civitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.

CAPUT XVIII.

Mire deſcribitur Babylonis lapſus, ſuperbia, faſtus, luxus, judicium, ultio de criminibus, propter quæ omnia, ipſi adhærentes lugent, univerſaque terra miratur; ſancti verò ad lætitiam invitantur.

1. ET poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloria ejus.

2. Et exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit, [p] cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis:

3. Quia de [q] vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati ſunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti ſunt.

4. Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem: Exite de illa populus meus: ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

5. Quoniam pervenerunt peccata ejus uſque ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum ejus.

Severum, Maxentium, Licinium, Conſtantium Chlorum, Conſtantinum, Eugenium. Alii exponunt, decem reges Romæ vaſtatores. Vide cap. 13.

4. [a] *Habens poculum*, alludit ad morem meretricum, quæ in calice aureo philtra amatoribus ſuis propinare ſolebant.

5. [b] *In fronte nomen*, meretrices publicæ & famoſæ nomen ſuum ſcriptum habebant in foribus cellæ, & etiam in fronte, teſte Seneca controv. libri 1. Juvenal. ſat. 6. Martial. *Myſterium*, non quod hoc vocabulum eſſet ſcriptum in fronte mulieris, ſed quia verba quæ ibi ſcripta erant. *Babylon magna*, &c. continerent myſterium. Romam enim ſignificabant, quæ benè Babylon vocatur, quia utraque multis Gentibus imperans, utraque idolis & divinationibus plena, utraque perſecutrix ſanctorum.

6. [c] *Martyrum*, Syr. *teſtium*.

7. [d] *Dicam* quid hæc obſcura viſio ſignificet. *Sacramentum*, Gr. Syr. Arab. Æth. *myſterium*.

8. [e] *Beſtia*, Roma ejuſque idololatria. *Fuit & non eſt*, citò deficiet. *Erat & non eſt*, deſiit. Hæc ad tempora vaſtationis extendenda.

9. [f] *Hic*, hoc in re. *Senſus*, intellectus qui habet ſapientiam. Verus, vel, qui ſapiens eſt advertat. *Sunt*, ſignificant.

10. [g] *Quinque ceciderunt*, Caius, Claudius, Domitius, Veſpaſianus, Titus: hi omnes mortui cùm Joannes hæc ſcriberet. *Unus eſt*, Domitianus, qui eſt ſextus. *Alius nondum venit*, Nerva. *Breve tempus manere*, ſedecim menſibus imperavit. Sed ſi hæc referantur ad ea quæ dicta ſunt cap. 13. quinque ſunt Diocletianus, Maximinus, Conſtantius Chlorus aut Severus, Galerius Maximianus & Maxentius. *Unus eſt*, Maximianus. *Alius nondum*, Licinius, tunc Chriſtianis favens & nondum perſecutor. Hæc anno trecenteſimo duodecimo. *Breve tempus*, reſpectu magnæ perſecutionis prioris, quæ per decem annos; Licinii vero perſecutio tantùm per quatuor. Alii adhuc aliter exponunt. *Quinque ceciderunt*, Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Aurelianus. *Unus eſt*, Diocletianus. *Alius nondum venit*, Julianus.

11. [h] *Octava*, Gr. Syr. *octavus*, ſcilicet rex Trajanus Nervæ ſucceſſor, & ab eo adoptatus, unde octavus dicitur, & etiam de ſeptem, quia cum eo imperavit. Alii Maximianus Herculius unus de ſeptem perſecutoribus imperium reliquit cum Diocletiano, ſed poſtea reſumpſit illud, unde octavus dicitur. Beſtia autem appellatur, quia pardus qui erat corpus beſtiæ. Maximianum repræſentabat propter inconſtantiam & crudelitatem. De Juliano exponunt alii. *In interitum vadit*, qui non imperavit niſi anno uno & paulo plus dimidio.

12. [i] *Decem*, non multum tribuendum eſt hoc verbo. Per *decem cornua, & decem reges*, deſignantur populi vaſtatores imperii Romani ſeculo quinto. Vandali, Hunni, Franci, Burgundi, Suevi, Alani, Heruli, & Lombardi, Alemanni, Saxones, & præcipuè Gothi. *Nondum*, vel, quo tempore Joannes ſcribebat, vel, tempore Conſtantini anno trecenteſimo duodecimo. Alii de tempore Diocletiani, exponunt. *Una hora*, Arab. *eorum poteſtas erit horâ unica*, Æth. *pro una hora*, quaſi eodem tempore. *Poſt beſtiam*, Gr. Syr. Arab. *cum beſtia*. Æth. *& migrabunt cum beſtia*.

13. [k] *Unum conſilium*, diripiendi imperium Romanum. *Virtutem*, Arab. *robur*. *Poteſtatem beſtiæ tradent*, exercitus eorum erunt etiam ſub ſtipendio Romanorum; adeo enim Romani infirmi erunt viribus ut cum ipſis inimicis ſocietatem & fœdus inire cogantur.

14. [l] *Cum Agno pugnabunt*, omnes illi populi primò idololatræ, & ſæpiſſimè, ut Gothi, Chriſtianorum perſecutores. *Agnus vincet illos*, quia ad fidem Chriſti convertentur.

16. [m] *Odient*, imperio rebelles. *Fornicariam*, quia etiam poſt Conſtantinum Roma adhuc erat amatrix idolorum.

17. [n] *Ut dent regnum ſuum beſtiæ*, Deus id noluit, ut Romani vincerentur imperio dilacerato: tamen & beſtia maneret uſque ad tempus præfinitum, ut penitus periret. Vel, primis inſerviant imperio Romano, donec, &c. Alii ſic exponunt: Alaricus coëgit Romanos parere Attalo quem imperio præfecit, qui & ipſe Attalus favebat beſtiæ, Paganos benè habendo.

18. [o] *Civitas magna*, Roma.

2. [p] *Cecidit*: ruina imperii & Romæ Gallieno imperatore incepit aperto, aucta eſt cùm Conſtantinus ſedem imperii Roma tranſtulit, Honorio imperatore completa eſt prorſus, cùm Roma à Gothis capta nunquam deinde potuit reſurgere. Alii de Roma deſtructa ab Alarico exponunt. *Habitatio dæmoniorum*, &c. more ſcripturæ loca deſerta dicuntur habitari a ſpectris & lemuribus. *Cuſtodia*, locus.

3. [q] *Vino iræ fornicationis*, Hebraiſmus, vino proſtitutionis digno irâ Dei. *Mercatores*, &c. punita eſt non tantùm propter idololatriam ſed etiam propter luxum & ſuperbiam. *De virtute deliciarum ejus*, Syr. *ex potentia luxus ejus*.

Digitized by Google

6. [a] Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundùm opera ejus: in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.

7. Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina: & [b] vidua non ſum: & luctum non videbo.

8. Ideò in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis eſt Deus, qui [c] judicabit illam.

9. Et flebunt, & plangent [d] ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendii ejus:

10. [e] Longè ſtantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam una hora venit judicium tuum.

11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam: quoniam merces eorum nemo emet ampliùs:

12. Merces auri, & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci (& omne lignum [f] thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore,

13. Et cinnamomum) & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum [g] hominum.

14. Et poma deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & ampliùs illa jam non invenient.

15. Mercatores horum, qui divites facti ſunt, ab ea longè ſtabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes.

16. Et dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpurâ, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis.

17. Quoniam una hora [h] deſtitutæ ſunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, & omnis qui in lacum navigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt,

18. Et clamaverunt videntes [i] locum incendii ejus, dicentes: Quæ ſimilis civitati huic magnæ?

19. Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti ſunt omnes, qui habebant naves in mari, de [k] pretiis ejus: quoniam una hora deſolata eſt.

20. [l] Exulta ſuper eam cœlum, & ſancti Apoſtoli, & prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illa.

21. Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens: [m] Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultrà jam non invenietur.

22. Et vox citharœdorum, & muſicorum, & tibiâ canentium, & tuba non audietur in te ampliùs: & omnis artifex omnis artis non invenietur in te ampliùs: & vox molæ non audietur in te ampliùs:

23. Et lux [n] lucernæ non lucebit in te amplius: & vox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes Gentes.

24. Et in ea ſanguis prophetarum & ſanctorum inventus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.

CAPUT XIX.

Sancti de judicio meretricis Deum glorificant, paranturque nuptiæ agni.

1. POſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia: ſalus & gloria, & [o] virtus Deo noſtro eſt:

2. Quia vera & juſta judicia ſunt ejus, qui [p] judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus.

3. Et iterum dixerunt: Alleluia, & [q] fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum.

4. Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen: Alleluia.

5. Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus, & qui timetis eum, puſilli & magni.

6. Et audivi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia: quoniam [r] regnavit Dominus Deus noſter omnipotens.

7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt [s] nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe.

8. Et datum eſt [t] illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinum enim, juſtificationes ſunt Sanctorum.

6. [a] Hæc poſſunt accipi figurato ſermone, quaſi ad aliquem dicerentur, & nihil aliud ſunt quàm prædictio cafus maximi, &c. *Duplicate . . . duplum*, multum ſub Claudio ſecundo trecenta viginti millia Gothorum interfecta ſunt. Roma ſuperba erga alias nationes, male habuerat milites Alarici, &c.

7. [b] *Vidua*, imperio. *Luctum*, triſte quidquam Roma enim ſibi vindicabat nomen civitatis æternæ.

8. [c] *Judicabit*, Arab. *damnavit*, Æth. *vindictam ſumet de ea*.

9. [d] *Se*, redundat, nec eſt in Gr. Syr. Arab. Æth. Plangentibus Orientalibus populis, & maximis civitatibus in remotiſſimis terris publicum luctum mœroreque ducentibus. S. Aug. lib. 1. de civit. Dei cap. 33.

10. [e] *Longè ſtantes*. Beliſarius veniens in auxilium urbis Romæ, ut Totilam expelleret, ſiſtit ipſe gradum non longè à Roma plus quàm tribus aut quatuor leucis, cùm vaſtationem illius audiſſet. *Judicium*, condemnatio.

12. [f] *Thyinum*, ex arbore thya, de qua Plinius, lib. XIII. c. 16. vide III. Regum cap. 10.

13. [g] *Hominum*, alii de hominibus liberis exponunt, qui ſe ad proſtibula & certamina vendebant. Alii de ſervis.

17. [h] *Deſtituta*, Syr. *vaſtata*. *Et omnis gubernator*, &c. Arab. *& omnes gubernatores, quique maria ſulcant, & nautæ, quique mercaturam exercent in mari, procul ſtabunt. Gubernator*, nauclerus.

18. [i] *Locum*, Gr. Syr. Arab. *fumum*.

19. [k] *Pretiis*, Syr. *pretioſitate*. Arab. *ſuſtu*.

20. [l] *Exulta*, Syr. *oblectamini*. *Judicavit*, &c. Æth. *vindictam ſumpſit Deus ultionis veſtræ*. *Judicium*, cauſam. ultus eſt factas vobis injurias. *De illa*. Arab. *in eam*.

21. [m] *Hoc*. potiſſimum de Roma idololatra intelligi debet.

23. [n] *Lucerna*, nuptialis. *Quia in veneficiis tuis*, &c. Syr. *quia incantatione tua ſeducta ſunt omnes Gentes*.

1. [o] *Virtus*. Syr. *potentia*, Arab. *robur*.

2. [p] *Judicavit*, Arab. Æth. *damnavit*. *Proſtitutione*. falsâ doctrinâ & idololatriâ. Quod de Roma idololatra.

3. [q] *Fumus*, incendii ejus. *In ſæcula ſæculorum*. perpetuò. Non reſurget ampliùs.

6. [r] *Regnavit*, ruina imperii Romani: factum ut Chriſtus & Eccleſia regnarent.

7. [s] *Nuptiæ Agni*, idololatria ablata in ſede ſua præcipua, Chriſti cultus in Eccleſia jam publicè viget.

8. [t] *Illi*, ſponſæ Agni.

9. Et dixit mihi : Scribe : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt, & dicit mihi : [a] Hæc verba Dei vera ſunt.

Angelus à Joanne adorari recuſat.

10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide ne feceris, [b] conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora. Teſtimonium enim Jeſu, eſt ſpiritus prophetiæ.

Apparet verbum Dei ſub ſpecie inſidentis equo albo, ſanctis ipſum comitantibus.

11. [c] Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum juſtitia judicat, & pugnat.

12. Oculi autem ejus [d] ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe.

13. Et veſtitus erat veſte aſperſa [e] ſanguine : & vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

14. Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.

15. Et [f] de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus : ut in ipſo percutiat Gentes. Et ipſe reget eas in virga ferrea, & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

16. Et habet in veſtimento, & in [g] femore ſuo ſcriptum : Rex regum, & Dominus dominantium.

Cum beſtia pugnat ſedens in equo, & victor, punit inimicos clade magnâ, vocatis prius ab Angelo avibus cœli, ut manducent carnes interfectorum.

17. [h] Et vidi unum Angelum ſtantem in ſole, & clamavit voce magnâ, dicens omnibus avibus, quæ volebant per medium cœli : Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei :

18. Ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſervorum, & puſillorum, & magnorum.

19. Et vidi beſtiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu ejus.

20. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudo-propheta : qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi miſſi ſunt hi duo in [i] ſtagnum ignis ardentis in ſulphure :

21. Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum qui procedit de ore ipſius : & omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum.

CAPUT XX.

Ligatum diabolum mittit Angelus in abyſſum ad mille annos.

1. ET vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem [k] clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua.

2. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & [l] ligavit eum per annos mille :

3. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, [m] ut non ſeducat amplius Gentes, donec conſummentur mille anni : & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.

His mille annis animæ martyrum regnabunt cum Christo in reſurrectione prima.

4. Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & [n] judicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.

5. [o] Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.

6. Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima : in his ſecunda mors non habet poteſtatem : ſed erunt [p] ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

Poſt mille annos ſolutus ſatanas excitabit innumeras acies adverſus Eccleſiam, ſed igne cœleſti devorabuntur.

7. Et [q] cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet Gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.

8. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt [r] caſtra ſanctorum, & civitatem dilectam.

9. Et deſcendit ignis à Deo de cœlo, & devoravit eos, & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia

10. Et pſeudo-propheta cruciabuntur [ſ] die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

A ſedente ſuper thronum judi-

11. Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu [t] fugit

9. [a] *Hæc verba Dei vera ſunt*, Syr. *hæc verba mea vera*, *Dei ſunt.*
10. [b] *Conſervus tuus ſum*, *& fratrum tuorum*. Arab. *ſervus ſum ſicut tu*, *& ſicut fratres tui qui habent*. *&c. Teſtimonium*, confeſſionem. *Enim*, autem. *Spiritus prophetiæ*, id quod prophetæ prædixerunt. Vel, ſpiritus prophetiæ qui in te reſidet, teſtatur te miniſtrum ejus eſſe Jeſu ſicut & ego.
11. [c] Hac ſeſſione Chriſti ſuper agnum album, ſignificatur triumphus ejus, & victoria perfecta de inimicis.
12. [d] *Sicut flamma ignis*, ob iracundiam in malo. *Diademata multa*, poteſtas in omnia regna. *Nemo novit*, ſoli Chriſto convenit, qui ſolus cognoſcat dignitatem nominis ſui. Fortè reſpicit ad mores Orientalium, apud quos, & homines, & urbes, & dii nomina ſecreta habebant, quæ à vulgo ignorabantur.
13. [e] *Sanguine*, hoſtium quos expugnavit, Romanorum. *Vocatur*, vocari pro *eſſe*.
15. [f] *De ore ejus*, juſſu punit. *Calcat torcular*, exercet vindictam.
16. [g] *Femore*, ora veſtimenti quæ ad femur pendebat, aut capulo & pila. *Rex regum*, etiam ut homo rex eſt.
17. [h] Hic magna clades inimicorum Dei.
20. [i] *Stagnum*, ut piſces in ſtagna aquis ambiuntur, ſic iſti igne. *Sulphure*, ignem reddit ſulphur inextinguibilem. Cruciatum notat horrendum & æternum : ſub figura deſtructionis imperii Romani & idololatriæ, poteſt agere de antichriſto.
1. [k] *Clavem abyſſi*, poteſtatem in infernum. Hæc quæ ſequuntur magis ſpectant ad fines ſæculorum.
2. [l] *Ligavit*, ligatus eſt diabolus morte Chriſti, & profligata idololatria à Conſtantino, &c. Quæ ſunt hîc prophetice dicta de captivitate, & ligatione diaboli, ejuſque in finem ſolutione de carcere, figurate intelligenda ſunt, præparanteque ad finem mundi & regnum perfectum Chriſti, &c. *Mille*, multos, & multo plures quam tempora perſecutionum.
3. [m] *Ut non ſeducat*, non quòd ſeductio amplius nulla ſit, ſed quia non tam potens, tam periculoſa, tamque univerſalis. *Mille anni*, totum ſpatium uſque ad finem ſæculi. *Oportet illum ſolvi*, *&c.* in fine ſæculorum erit perſecutio graviſſima, & maxima ſeductio ab antichriſto.
4. [n] *Judicium datum*, *&c.* datum eſt ut vindicarentur. *Illis*, animabus, de quibus mox. *Mille*, numerus certus pro incerto : omni tempore nunc currente uſque ad reſurrectionem futuram.
5. [o] *Cæteri mortuorum*, ad numerum electorum, ſocietatemque martyrum non pertinentes. *Vixerunt*, Arab. *ſuſcitabuntur*, revixerunt. *Donec*, *&c.* non tunc victori reſurrectione primâ, ſed more ſcripturæ, donec denotat certum temporis, ad quod uſque aliud futurum non ſit, nec ſignificat quid futurum poſtea. *Reſurrectione prima*, inchoatur hîc in juſtificatione, & perficitur cùm anima egreſſa eſt de corpore : de martyribus exponunt quidam, quorum mors eſt ſine dilatatione ad uſque ingreſſus.
6. [p] *Sacerdotes*, quia in patria ſe ipſos perfectiſſime offerunt Deo, & tunc omnia ſanctarum animarum opera erunt ſacrificia Deo undequaque placentia. *Mille annis*, uſque ad fines ſæculorum & generalem reſurrectionem.
7. [q] *Cùm conſummati fuerint mille anni*, citra finem temporis quod currit à principio evangelicæ legis uſque ad terminum ejus. *Gog & Magog*, alludit ad caput 38. Ezechielis : his verbis vult innuere Gentes ſeducentes & ſeductas, quibus ſatan in fine ſæculi utetur adverſus Eccleſiam.
8. [r] *Caſtra ſanctorum & civitatem dilectam*, Eccleſiam.
10. [ſ] *Die ac nocte*, ſine intermiſſione non quòd antea cruciati, ſed quia tunc nihil amplius illis remanebit.
11. [t] *Fugit*, à ſtatu ſuo, per renovationem.

Digitized by Google

cantur apertis libris omnes mortui, ſecundùm opera ipſorum.

terra & cœlum, & locus non eſt inventus eis.

12. Et vidi mortuos, [a] magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.

13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: & [b] mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant, & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum.

14. Et [c] infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.

15. Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum.

CAPUT XXI.

Cœlo ac terrâ renovatis, nova civitas Jeruſalem in Agni ſponſam à Deo parata oſtenditur, juſtis glorificatis, impiiſque in ſtagnum ipſis detruſis.

1. ET vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima terra [d] abiit, & mare jam non eſt.

2. Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam [e] deſcendentem de cœlo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus:

4. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque [f] clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt.

5. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera.

6. Et dixit mihi: [g] Factum eſt, ego ſum α & ω: initium, & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vivæ, gratis.

7. Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, ut ille erit mihi filius.

8. [h] Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure: quod eſt mors ſecunda.

Hujus civitatis fit deſcriptio per partes.

9. Et venit unus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis noviſſimis, & locutus eſt mecum, dicens: Veni & [i] oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni.

10. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de cœlo à Deo,

11. Habentem [k] claritatem Dei, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo tanquam lapidi jaſpidis, ſicut cryſtallum.

12. Et habebat [l] murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.

13. [m] Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres.

14. Et murus civitatis habens [n] fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

15. Et qui loquebatur mecum habebat menſuram [o] arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum.

16. Et civitas [p] in quadro poſita eſt, & longitudo ejus tanta eſt quanta & latitudo: & menſus eſt civitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo ejus, æqualia ſunt.

17. Et menſus eſt [q] murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt angeli.

18. Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas, aurum mundum ſimile vitro mundo.

19. Et [r] fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, jaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, ſmaragdus:

20. Quintum, ſardonyx: ſextum, ſardius: ſeptimum, chryſolithus: octavum, beryllus: nonum topazius: decimum, chryſopraſus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethyſtus.

21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum:

22. Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus.

23. Et civitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.

24. Et ambulabunt [ſ] Gentes in lumine ejus;

12. [a] *Magnos & puſillos*, non ſtaturâ, ſed dignitate quam habuerunt in ſæculo. *Libri*, conſcientiarum. *Liber . . . vitæ*, prædeſtinationis, quia tunc patebit ad oculum, quiſnam ſit ſcriptus, & qui non. *Secundum opera*, Arab. *pro ratione operum*. Idem v. 13.

13. [b] *Mors*, quando eos non amplius detinuit, ut pote ab ea ereptos per reſurrectionem ad vitam. *Infernus*, ſepulchrum.

14. [c] *Infernus*, damnati. *Mors*, diabolus: vel, inferno & morte æternâ digni. *Miſſi ſunt, &c.* poſt judicium & triumphum electorum neque mortis, neque inferni mentio erit ultrà.

1. [d] *Abiit*, in meliorem formam. *Mare non eſt*, ut prius tempeſtatibus & agitationibus plenum, quia renovatum.

2. [e] *Deſcendentem de cœlo à Deo*, quod de Eccleſia triumphante dictum, non quod in Deo non maneat, ſed quia ex Deo originem habet. *Viro ſuo*, ut recipiatur à ſponſo, & cauſa illius.

4. [f] *Clamor*, oppreſſorum & afflictorum. *Prima*, ſtatus hujus vitæ.

6. [g] *Factum eſt*, opus Dei completum eſt, omnia innovata, & mors ipſa deſtructa.

8. [h] *Timidis*, ignavis, & qui metu tyrannorum defecerunt. *Execratis*, Gr. *abominandis*, Æth. *& polluentes ſe ipſos*. *Quod*, hanc pœnam pati.

9. [i] *Oſtendam*, jam illam viderat v. 2. ſed eminus; nunc ad contemplationem propinquiorem invitatur.

11. [k] *Claritatem*, Gr. Syr. Arab. Æth. *gloriam*. *Sicut cryſtallum*; Gr. *cryſtallizanti*. Syr. *ſimilem cryſtallo*.

12. [l] *Murum magnum & altum*, deſignatur inexplicabilis Dei protectio ac ſecuriſſima cuſtodia. *Portas duodecim*, quia cunctis Gentibus patet introitus ad ipſam. *Duodecim tribuum*, per has tribus intelliguntur omnes veri Iſraëlitæ.

13. [m] Ab omni parte patet aditus expeditiſſimus & æqualis.

14. [n] *Fundamenta duodecim*, duodecim lapides qui primi in fundamentis jaciuntur cum ſuis ſigillis, &c. *Fundamenta* verò ratione doctrinæ quæ manet in æternum, non ratione gubernationis quæ ad tempus durat.

15. [o] *Arundineam*, arundini ſimilem.

16. [p] *In quadro poſita*, Gr. Syr. Arab. *quadrangularis*. Quod ſtabilitatem & firmitatem deſignat. *De*, Gr. Syr. Arab. redundat, Æth. *cum*.

17. [q] *Murum*, in ſpiſſitate, quod ſoliditatem ſignificat. *Menſura hominis, quæ eſt Angeli*, menſura quâ utebatur Angelus, juxta illud, erunt æquales Angelis, Mat. 22. v. 30.

19. [r] *Fundamenta*, lapides duodecim qui in fundamentis poſiti ſunt primi. *Omni lapide pretioſo*, quibus deſignantur electorum dona diverſa.

24. [ſ] *Gentes*, Gr. Syr. *Gentes quæ ſervatæ fuerunt*.

Digitized by Google

& reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam.

25. Et portæ ejus non claudentur [a] per diem: nox enim non erit illic.

26. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, [b] niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

CAPUT XXII.

Pergit deſcribere civitatem ſanctam.

1. ET oſtendit mihi [c] fluvium aquæ vitæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.

2. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis [d] lignum vitæ: afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.

3. Et omne [e] maledictum non erit ampliùs: ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus ſervient illi.

4. Et videbunt faciem ejus: & [f] nomen ejus in frontibus eorum.

5. Et nox ultrà non erit: & non egebunt lumine lucernæ neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.

Loquitur Angelus Joanni de veritate & utilitate hujus prophetiæ.

6. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, & vera. Et [g] Dominus Deus ſpirituum prophetarum miſit angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis quæ oportet fieri cito.

7. Et ecce venio velociter. Beatus qui [h] cuſtodit verba prophetiæ libri hujus.

Angelus recuſat adorari à Joanne.

8. Et ego Joannes, qui audivi, & vidi hæc. Et poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc oſtendebat.

Et dixit mihi: Vide ne feceris [i]: conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui ſervant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora.

Hæc mox futura aſſeruntur.

10. Et dicit mihi: Ne [k] ſignaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim prope eſt.

11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſanctus, ſanctificetur adhuc.

12. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.

Qui ſint in civitatem intromittendi & qui ab ea excludendi.

13. Ego ſum α, & ω: primus & noviſſimus, principium & finis.

14. Beati, qui [m] lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni: ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.

15. Foris [n] canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

Agitur de Chriſto ejuſque regno, quod quælibet anima ſancta capeut.

16. Ego Jeſus miſi Angelum meum, teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum [o] radix & genus David, ſtella ſplendida & matutina.

17. Et [p] ſpiritus & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Conteſtatur Joannes de non addendo aut minuendo ad hac prophetia.

18. Conteſtor [q] enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.

19. Et ſi quis [r] diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

Ipſe Jeſus Chriſtus auctor libri concludit Joannes optando gratiam.

20. Dicit, [ſ] qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio citò: Amen. Veni Domine Jeſu.

21. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

25. [a] *Per diem*, Æth. *die & nocte*. nunquam.
27. [b] *Niſi*, ſed tantum.
1. [c] *Fluvium aquæ vitæ*, felicitas eſt æterna.
2. [d] *Lignum vitæ*, immortalitas. *Fructus duodecim*, omni tempore, ſeque non duodecim fructus diverſos, ſed duodecies.
3. [e] *Maledictum*, dictum maledictione.
4. [f] *Nomen*, Syr. Arab. *nomen erit*. *Ejus*, Dei & Agni ut patet ex initio cap 14.
6. [g] *Dominus Deus Spirituum*, &c. Arab. *Dominus enim Deus miſit Angelum ſuum, in ſpiritus prophetarum. ut revelaret*, &c. *Citò*, quod de perſecutionibus mox futuris poſt Joannem.
7. [h] *Cuſtodit*, Syr. Arab. *ſervat*. Fortè verba Chriſti, ſaltem ab Angelo in ejus perſona dicta.
9. [i] *Conſervus*, &c. Arab. *ſervus enim ſum ſicut tu, & ſicut fratres tui prophetæ*, & 11. &c.
10. [k] *Signaveris*. claudimus enim & ſignamus quæ in longum tempus ſervari volumus. *Tempus*, quo iſta implenda ſunt.
11. [l] *Juſtificetur*, Syr. *juſtitiam faciat*, Arab. *exerceat*. Hæc ſunt neque permiſſivè neque præceptivè dicta, ſed prædictivè: Deus autem malum adhuc patitur, ſed tunc nullum amplius erit, ſed conſummatio omnis boni.
13. [m] *Lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, Gr. *facientes*. Syr. Arab. *qui ſervant mandata ejus*. *Ligno*, Arab *arborem*.
14. [n] *Canes*, more canum ad vomitum redeuntes.
16. [o] *Radix & genus David*, in Chriſto, & per Chriſtum implentur promiſſiones omnes à Deo patribus factæ. *Stella*, &c. Oriens nomen ejus, Zach. c. 6.
17. [p] *Spiritus* ſanctus orans in nos. *Sponſa*, Eccleſia. *Dicunt*, ſi non verbis, certè votis ac deſideriis ardentiſſimis. *Vult*, appetit.
18. [q] *Enim*. autem. *Appoſuerit*, aliquid addiderit ſcripturæ tanquam partem ejus: vel, falſificando, primi enim hæretici licentiores in addendo, vel minuendo, vel corrumpendo libros ſacros.
19. [r] *Diminuerit*, autoritatem elevando, aut textum corrumpendo, aut malè interpretando.
20. [ſ] *Qui teſtimonium perhibet*. Chriſtus eſt qui miſit Angelum ſuum. *Venio citò*, ſatisfaciens deſiderio ſpiritûs & ſponſæ. *Veni*, &c. anima fidelis non ceſſat adventum Chriſti præſtolari.

IN LIBRUM III. ESDRÆ

PRÆFATIO.

Liber hic III. Eſdræ cognomen obtinuit, ex eo quod, præter caput primum verba ipſa exprimens quæ caput 35. & 21. primi verſus capitis 36. II. Paralipomenon libri, eadem contineat facta, paucis immutatis, quæ in I. Eſdræ volumine, atque in 15. primis verſibus 8. capitis II. iſtius nominis libri: Nihilominus huncce librum extra ſacrorum librorum Canonem omnes fere Antiqui Patres abduxerunt, quòd fictitiam planè & commentitiam arbitrati fuerint hiſtoriam in 3. & 4. capitibus relatam, occaſione ex captivitate reditûs Judæorum, libertatiſque à Dario conceſſæ Templum ac urbem Jeruſalem reſtaurandi; licet hæc eadem hiſtoria à Joſepho narretur, *lib. 2. Antiquit. cap. 4. p. 362. edit. Græc. & Latin. Genev. an.* 1533. quòd non ſatis eſſet his verbis conſentanea quæ ipſemet Libri Autor ex I. Eſdræ deprompſerat volumine: præterea iidem Patres tot ac tantos & quidem adeò rudiores in his quæ ab iſto Autore excerpta ſunt ex libro Eſdræ Canonico, tam de hiſtoriæ fide & veritate, quàm de propriis eorum nominibus qui Jeroſolymam reverſi fuerant, quorum ſeriem texere tentat, errores reperetunt, ut facilè eos aſcripſerint vel vitiato quo uſus fuerat Autor exemplari, vel Librariorum ac Scribarum inſcitiæ, vel denique Linguæ Græcæ Interpretibus, cùm non poſſent aliter ſentire, relictâ tantùm tunc temporis, ut revera nunc quoque ſtat, unicâ verſione Græcâ, paucíſque Latinis. Laudatur tamen Liber hic Eſdræ III. à quibuſdam Antiquorum Patrum, videlicet à S. Athanaſio in ſua ad Conſtantinum Apologia, ubi primâ fronte ea commemorat quæ *cap.* 4. III. *hujus libri Eſdræ* à Zorobabel de veritatis dotibus proferuntur: à S. Auguſtino, *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 38. *tom.* 7. *p.* 519. à S. Cypriano, ſive ab Autore *ſingularitatis. Clericor. p.* 380. *edit. de Rigaut*: à S. Ambroſio & quibuſdam aliis. In 4. tom. Polygloton hicce liber Græcè conſcriptus reperitur, unà cum duabus Latinis ac unâ Syriacâ ex Græca verſione interpretationibus: proſtat hîc una ex his interpretationibus Latinis, veluti communis & vulgata, ſed multùm à Græca differt verſione, cùm ſit Librariorum erroribus ac prætermiſſionibus refertiſſima: at verò Syriaca & emendatior & multò accuratior, vel etiam iis quæ in Paralipomenon libris ac in I. & II. Eſdræ volumine referuntur magis conſentanea. S. Hieronymus in ſua ſuper Libros Eſdræ Canonicos Præfatione, *tom.* 1. *p.* 1106. *novæ edit.* maximum ſentit diſcrimen primos Eſdræ libros inter, & III. & IV. non ſolùm enim ultimos ponit inter Apocryphos, ſed etiam inter commentitios & fabulis plenos collocat.

IN LIBRUM IV. ESDRÆ

PRÆFATIO.

Liber hic Hebraicè primò conſcriptus in Linguam poſtea Græcam tranſlatus eſt; ex his verò interpretationibus unica ad nos pervenit Latina Verſio, ſed mendoſa planè & Librariorum negligentiâ erroribus paſſim obnoxia. Hujus Libri Autor Judæus eſt qui ſub Eſdræ nomine fratres ſuos in extremis poſitos ob bella à Romanis illata, Tito & Veſpaſiano Imperantibus, conſolari aggreſſus eſt. Nullum pror-

ſus dubium eſt quin revera hocce opus ſcripſerit Judæus Hebræus, 1°. ob frequentes paſſim hebraïſmos & elocutiones Hebraicæ Linguæ peculiares & proprias: 2°. quia ipſa Prophetarum verba Autor frequentiùs uſurpat, necnon ſimilitudines quibus utitur, Hebræorum ſtylo ingenioque congruentes: 3°. denique quia fictiones & commenta quibus narrationem ſuam adornare ſatagit, Talmudiſtarum propiùs Rabinorumque recentiorum æmulantur orationem: quales, v. g. Angelorum Uriel & Jeremiel apparitiones aſſiduæ: qualis tranſitus miraculo plenus Euphratis fluminis; ſuppoſitio quoque hominum creationis eodem tempore editæ; ſupponit præterea ſeptimam ſolùm Terræ partem aquis occupari; quod etiam de Behemoth & Leviathan enarrat; de trigenta annis Judæorum ante templi à Salomone conſtructionem abſque ſacrificiis; de annorum mundi diſtributione in duodecim diverſas ætates, quarum decem primæ cum dimidio ſui tunc temporis jam fuerant elapſæ: denique quod de ſtupenda ſupponit & miranda admodum ſcripturæ ſacræ librorum, iis omnino deperditis, recuperatione.

Nec etiam quis dubitet quin hujus voluminis ſcriptor Chriſtianus fuerit, quandoquidem clarè & apertè de Jeſu Chriſto loquitur, cum agnoſcit filium Dei, adventum ejus & crucem prædicat, Gentium converſionem, Apoſtolorum duodecim prædicationem, Eccleſiæque ſtabilimentum annuntiat; agnoſcit præterea Adami poſteritatem peccato corruptam & contaminatam, admittitque gratiæ divinæ neceſſitatem; de puſillo Electorum ac de magno reprobatorum numero, de reſurrectione mortuorum & de ultimo judicio facit in hoc opere mentionem: ipſiſſimis denique Evangeliſtarum, Pauli Apoſtoli, præcipuè verò S. Joannis juxta ſuam Apocalypſim utitur ſermonibus: unde poteſt inferri circa finem primi, aut ſaltem initio ſecundi Eccleſiæ ſæculi vixiſſe hujus libri ſcriptorem; immo ſuſpicantur quidam vel ad Domitiani Imperium vitam traxiſſe, de cujus Imperatoris regno & prædeceſſorum apertè dixit *cap. 12. v. 14. & ſequent.* ut quidam ſentiunt Interpretes. Et certè à temporibus S. Irenæi, S. Clementis Alexandrini & Tertulliani hujus autoris librum tunc jam quandam obtinuiſſe autoritatem liquet, cum procul dubio hujus libri fide & autoritate nixi arbitrati fuerint primævi Eccleſiæ Patres à vero Eſdra libros ſcripturæ ſacræ recuperatos, quos incenſos & penè extinctos in incendio urbis Jeroſolymitanæ ſub regno Nabuchodonoſor contendebant.

Quamvis hujus Autor operis, ut ex ſupradictis patet, non ſit verus Eſdras, quamvis nomen uſurpaverit alienum, quamvis ex induſtria diem ſuo appoſuerit libro ex anno trigeſimo Babilonicæ captivitatis, & quamvis denique nomen Prophetæ fuerit mutuatus, non inde tamen ut falſarius reputandus eſt: ſi enim ingenium attendas, Judææque nationis caracterem, imprimis verò labentibus ſæculis, (neminem enim latet hancce nationem ſtylo prophetico jam dudum fuiſſe aſſuefactam, propheticiiſque ſupplendis ac populo edocendo revelationum autoritate deditiſſimam) non erit mirum cur exemplum illud Autor ipſe fuerit imitatus, fratrum ſuorum, quorum converſionis deſiderio flagrabat, animos ſibi conciliare deſiderans, ingenioque eorum ſeſe accommodaverit ut ipſius admonitiones inde fierent & efficaciores & utiliores, faciliuſque eos hortaretur ad fidem Jeſu Chriſti amplectendam; ſic enim eos per bona opera ac per patientiam in tribulationibus accinctos reddebat ut quæ ob oculos ponebat documenta libentiùs exciperent, & ſic iram Dei omnipotentis in extremo judicio effugerent. Et eſt quidem totius operis propoſitum, quod ſanè non ſolùm vim magnam ſermonis habet, ſed & egregia complectitur documenta: unde à fidelibus non omnino ut opus fictitium & fabuloſum rejiciendum, ſed in fine Bibliorum, & quidem cum diverſo caractere, inferendum judicarunt, ut diſcerent Chriſtiani quid diſcriminis ſit ſcripturas inter divinitùs revelatas & cæteras quæ non eâdem certiſſimè pollent autoritate.

Digitized by Google

MANASSÆ ORATIO.

ORATIO Manaſſæ, nec non libri duo, qui ſub libri tertii & quarti Eſdræ nomine circumferuntur, hoc in loco, extra ſcilicet ſeriem Canonicorum Librorum quos ſancta Tridentina Synodus ſuſcepit, & pro Canonicis ſuſcipiendos decrevit, ſepoſiti ſunt, ne prorſus interirent, quippe qui à nonnullis ſanctis Patribus interdum citantur, & in aliquibus Bibliis Latinis tam manuſcriptis quàm impreſſis reperiuntur.

ORATIO MANASSÆ
REGIS JUDA,
CUM CAPTUS TENERETUR IN BABYLONE.

DOMINE omnipotens, Deus patrum noſtrorum, Abraham, & Iſaac, & Jacob, & ſeminis eorum juſti, qui feciſti cœlum & terram cum omni ornatu eorum, qui ligaſti mare verbo præcepti tui, qui concluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam terribili & laudabili nomine tuo: quem omnia pavent, & tremunt à vultu virtutis tuæ, quia importabilis eſt magnificentia gloriæ tuæ. & inſuſtentabilis ira comminationis tuæ ſuper peccatores: immenſa verò & inveſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ, quoniam tu es Dominus, altiſſimus, benignus, longanimis, & multùm miſericors, & pœnitens ſuper malitias hominum. Tu Domine, ſecundùm multitudinem bonitatis tuæ, promiſiſti pœnitentiam & remiſſionem iis, qui peccaverunt tibi, & multitudine miſerationum tuarum decreviſti pœnitentiam peccatoribus, in ſalutem. Tu igitur Domine Deus juſtorum, non poſuiſti pœnitentiam juſtis, Abraham, & Iſaac, & Jacob, iis qui tibi non peccaverunt: ſed poſuiſti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccavi ſuper numerum arenæ maris: multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, Domine, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum. Incurvatus ſum multo vinculo ferreo, ut non poſſim attollere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi: quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci: non feci voluntatem tuam & mandata tua non cuſtodivi: ſtatui abominationes, & multiplicavi offenſiones. Et nunc flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, & iniquitates meas agnoſco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum, iratus, reſerves mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca: quia tu es Deus, Deus inquam pœnitentium: & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, quia indignum ſalvabis me ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, & tibi eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS ESDRÆ.

CAPUT I.

Magnificum Phaſe, quod Joſias immolavit, celebrando ſeptem diebus feſtum Azymorum: cui ſucceſſerunt, in regno Judæ Jechonias, Joacim, Joachin, & Sedecias: eorumque ac populi captivitas propter ſua ſcelera, urbiſque ſubverſio deſcribuntur.

1. ET fecit Joſias Paſcha in Je-
roſolymis Domino, & immolavit Phaſe quartâ decimâ lunâ primi menſis:
2. Statuens Sacerdotes per
vices dierum ſtolis amictos in
templo Domini.
3. Et dixit Levitis ſacris
ſervis Iſraël, ut ſanctificarent
ſe Domino in poſitione ſanctæ arcæ Domini, in domo,
quam ædificavit Salomon filius David rex.
4. Non erit vobis tollere ſuper humeros eam. Et
nunc deſervite Domino veſtro, & curam agite gen-
tis illius Iſraël ex parte ſecundùm pagos & tribus veſ-
tras.
5. Secundùm ſcripturam David regis Iſraël, & ſe-
cundùm magnificentiam Salomonis filii ejus, omnes in
templo, & ſecundùm particulam principatus paternam
veſtram, eorum qui ſtant in conſpectu fratrum filiorum
Iſraël.
6. Immolate Paſcha, & ſacrificia parate fratribus ve-
ſtris, & facite ſecundùm præceptum Domini, quod da-
tum eſt Moyſi.
7. Et donavit Joſias in plebem quæ inventa eſt, ovium,
agnorum, & hœdorum, & caprarum triginta millia,
vitulos tria millia.
8. Hæc de regalibus data ſunt ſecundùm promiſſionem
populo: & ſacerdotibus in Paſcha, oves numero duo
millia, ac vituli centum.
9. Et Jechonias, & Semeïas, & Nathanaël fratres,

Digitized by Google

& Haſabias, & Oziel, & Coraba, 10 Phaſe, oves quinque millia, vitulos quingentos.

10. Et hæc cùm fierent eleganter, ſteterunt ſacerdotes & Levitæ habentes azyma per tribus.

11. Et ſecundùm partes principatus patrum, in conſpectu populi offerebant Domino, ſecundùm ea quæ in libro Moyſi ſcripta ſunt:

12. Et aſſaverunt Phaſe igni prout oportebat: & hoſtias coxerunt in æneis, & in ollis cum benevolentia:

13. Et attulerunt omnibus qui erant ex plebe: & poſt hæc paraverunt ſibi & ſacerdotibus:

14. Sacerdotes enim offerebant adipes, uſque dum finita eſſet hora: & Levitæ paraverunt ſibi, & fratribus ſuis filiis Aaron.

15. Et ſacri cantores filii Aſaph erant per ordinem, ſecundùm præceptum David, & Aſaph, & Zacharias, & Jeddinus, qui erat à rege.

16. Et oſtiarii per ſingulas januas, ita ut non prævaricaretur unuſquiſque ſuam: fratres enim illorum paraverunt illis.

17. Et conſummata ſunt quæ pertinebant ad ſacrificium Domini.

18. In illa die egerunt Phaſe, & offerebant hoſtias ſuper Domini ſacrificium, ſecundùm præceptum regis Joſiæ.

19. Et egerunt filii Iſraël, qui inventi ſunt in tempore illo Phaſe: & diem feſtum azymorum per dies ſeptem:

20. Et non eſt celebratum Phaſe tale in Iſraël, à temporibus Samuëlis Prophetæ:

21. Et omnes reges Iſraël non celebraverunt tale Paſcha quale egit Joſias, & Sacerdotes, & Levitæ, & Judæi, & omnis Iſraël, qui inventi ſunt in commoratione Jeroſolymis.

22. Octavo decimo anno, regnante Joſiâ celebratum eſt Phaſe.

23. Et directa ſunt opera Joſiæ in conſpectu Domini ſui in corde pleno metuentis:

24. Et quæ circa illum quidem conſcripta ſunt, in priſtinis temporibus, de eis qui peccaverunt, quique irreligioſi fuerunt in Dominum præ omni gente, & qui non quæſierunt verba Domini ſuper Iſraël.

25. Et poſt omnem actum hunc Joſiæ, aſcendit Pharao rex Ægypti, veniens in Carchamis ab itinere ſuper Euphratem, & exiit obviam illi Joſias.

26. Et miſit rex Ægypti ad Joſiam, dicens: Quid mihi & tibi eſt rex Judæ?

27. Non ſum miſſus à Domino ut pugnem contra te: ſuper Euphratem enim bellum meum eſt, feſtinans deſcende,

28. Et non eſt reverſus Joſias ſuper currum: ſed expugnare eum conabatur, non attendens verbum prophetæ ex ore Domini:

29. Sed conſtituit ad eum bellum in campo Mageddo. Et deſcenderunt principes ad regem Joſiam.

30. Et dixit rex pueris ſuis, Amovete me à prælio, infirmatus ſum enim valdè. Et ſtatim amoverunt eum pueri ipſius de acie.

31. Et aſcendit ſuper currum ſecundarium ſuum: & perveniens Jeroſolymam, vitâ functus eſt, & ſepultus eſt in paterno ſepulchro.

32. Et in tota Judæa lugebant Joſiam: & qui præſidebant, cum uxoribus lamentabant eum, uſque in hunc diem. Et datum eſt hoc fieri ſemper in omne genus Iſraël.

33. Hæc autem præſcripta ſunt in libro hiſtoriarum regum Judæ: & ſingula geſta actus Joſiæ & ejus gloria & intellectus ejus in lege Domini: quæque geſta ſunt ab eo, & quæ non ſcripta ſunt in libro regum Iſraël & Judæ.

34. Et aſſumentes, qui erant ex gente, Jechoniam filium Joſiæ, conſtituerunt regem pro Joſia patre ſuo, cùm eſſet annorum triginta trium.

35. Et regnavit ſuper Iſraël menſibus tribus. Et amovit eum rex Ægypti, ne regnaret in Jeroſolymis:

36. Et mulctavit gentem argenti talenta centum, & auri talentum unum.

37. Et conſtituit rex Ægypti Joacim fratrem ipſius, regem Judæ & Jeruſalem:

38. Et alligavit magiſtratus Joacim, & Zaracelem fratrem ſuum, & apprehendens reduxit in Ægyptum.

39. Annorum erat Joacim viginti quinque, cùm regnare cœpiſſet in terra Juda & Jeruſalem: & fecit malum in conſpectu Domini.

40. Poſt hunc autem aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & alligans eum in æreo vinculo, perduxit in Babyloniam:

41. Et ſacra vaſa Domini accepit Nabuchodonoſor, & tulit & conſecravit in templo ſuo in Babylonia.

42. Nam de immunditia illius & irreligioſitate ſcriptum eſt in libro temporum regum.

43. Et regnavit Joachin filius ejus pro eo. Cùm autem conſtitutus eſſet rex, erat annorum decem & octo.

44. Regnavit autem menſes tres & dies decem in Jeruſalem, & fecit malum in conſpectu Domini,

45. Et poſt annum mittens Nabuchodonoſor, tranſmigravit eum in Babyloniam ſimul cum ſacris vaſis Domini.

46. Et conſtituit Sedeciam regem Juda & Jeruſalem, cùm eſſet annorum viginti unius, regnavit autem annis undecim.

47. Et fecit malum in conſpectu Domini, & non eſt veritus, à verbis quæ dicta ſunt ab Jeremia propheta ex ore Domini:

48. Et adjuratus à rege Nabuchodonoſor, perjurans diſceſſit: & indurata cervice ſua, & corde ſuo, tranſgreſſus eſt legitima Domini Dei Iſraël.

49. Et duces populi Domini multa iniquè geſſerunt & impiè egerunt ſuper omnes immunditias gentium: & polluerunt templum Domini quod ſanctum erat in Jeroſolymis.

50. Et miſit Deus patrum ipſorum per angelum ſuum revocare eos, propter quod parceret illis, & tabernaculo ſuo.

51. Ipſi verò ſubſannabant in angelis ſuis: & quâ die locutus eſt Dominus, erant illudentes prophetis ejus.

52. Qui uſque ad iracundiam concitatus eſt ſuper gentem ſuam, propter irreligioſitatem ſuam, & præcepit aſcendere Reges Chaldæorum.

53. Hi occiderunt juvenes eorum in gladio, in circuitu ſancti templi eorum, & non pepercerunt juveni, & ſeni, & virgini, & adoleſcenti;

54. Sed omnes traditi ſunt in manus ipſorum: & omnia ſacra vaſa Domini, & regales apothecas reſumentes, tulerunt in Babyloniam,

55. Et incenderunt domum Domini, & demolierunt muros Jeruſalem: & turres ejus incenderunt igne,

56. Et conſummaverunt omnia honorifica ejus, & ad nihilum redegerunt: & reliquos à gladio duxerunt in Babylonem.

57. Et erant ſervi illius uſque dum regnarent Perſæ, in repletione verbi Domini in ore Jeremiæ.

58. Quouſque benignè ageret terra ſabbata ſua, omni tempore deſertionis ſuæ ſabbatizavit, in applicatione annorum ſeptuaginta.

CAPUT II.

Cyrus rex Perſarum Judæos in regno ſuo captivos remittit in terram ſuam: qui cùm reſtaurarent Jeruſalem, prohibiti ſunt ab Artaxerxe propter quorumdam delationem.

1. REgnante Cyro rege Perſarum, in conſummatione verbi Domini in ore Jeremiæ,

2. Suſcitavit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum, & prædicavit in toto regno ſuo ſimul per ſcripturam,

3. Dicens: Hæc dicit Cyrus rex Perſarum: Me conſtituit regem orbi terrarum Dominus Iſraël, Dominus excelſus,

4. Et ſignificavit mihi ædificare domum ſibi in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa.

5. Si quis eſt ex genere veſtro, dominus ipſius aſcendat cum eo in Jeruſalem.

6. Quotquot ergo circa loca habitant, adjuvent eos qui ſunt in loco ipſo, in auro & argento,

7. In dationibus, cum equis & jumentis, cumque aliis, quæ ſecundùm vota apponuntur in ædem Domini quæ eſt in Jeruſalem.

8. Et ſtantes principes tribuum, pagorum, & Judææ, ex tribu Benjamin, & Sacerdotes & Levitæ, quos excitavit Dominus aſcendere & ædificare domum Domini quæ eſt in Jeruſalem, & qui erant in circuitu eorum,

9. Adjuverunt in omni auro & argento ejus, & jumentis, & votis compluribus multi quorum ſenſus excitatus eſt.

10. Et Cyrus rex protulit vaſa ſacra Domini, quæ tranſtulit Nabuchodonoſor rex Babylonis ex Jeruſalem, & conſecravit ea idolo ſuo,

11. Et proferens ea Cyrus rex Perſarum, tradidit Mithridato, qui erat ſuper theſauros ipſius.

12. Per hunc autem tradita ſunt Salmanaſaro præſidi Judææ.

13. Horum autem hic numerus. Libatoria argentea duo millia quadringenta: thiſcæ argenteæ triginta: phialæ aureæ triginta, item argenteæ duo millia quadringentæ: & alia vaſa mille.

14. Omnia autem vaſa aurea & argentea, quinque millia octingenta ſexaginta.

15. Et enumerata ſunt Salmanaſaro ſimul cum his qui ex captivitate Babyloniæ venerant in Jeroſolymam.

16. In Artaxerxis autem regis Perſarum temporibus ſcripſerunt ei de his qui habitabant in Judæa & Jeruſalem, Balſamus, & Mithridatus, & Sabellius, & Rathimus, Balthemus, Samellus ſcriba, & reliqui habitantes in Samaria, & cæteris locis, ſubjectam epiſtolam regi Artaxerxi.

17. DOMINE, pueri tui Rathimus ab accidentibus, & Sabellius ſcriba, & reliqui curiæ tuæ judices in Cœleſyria & Phœnice.

18. Et nunc notum ſit domino regi, quoniam Judæi qui aſcenderunt à vobis ad nos, venientes in Jeruſalem civitatem refugam & peſſimam, ædificant furnos ejus, & ſtatuunt muros, & templum ſuſcitant.

19. Quòd ſi civitas iſta & muri conſummati fuerint, non tantùm tributa non ſuſtinebunt pendere, ſed etiam regibus reſiſtent.

20. Et quia id agitur circa templum, rectè habere arbitrati ſumus non deſpicere hoc ipſum:

21. Sed notum facere domino regi, ut ſi videbitur, rex, quæratur in libris patrum tuorum.

22. Et invenies in admonitionibus ſcripta de his, & ſcies quoniam civitas iſta fuit refuga, & reges, & civitates concutiens,

23. Et Judæi refugæ, & prælia committentes in ea ab æterno, ob quam cauſam civitas iſta deſerta eſt.

24. Nunc ergo notum facimus, domine rex, quoniam ſi civitas hæc ædificata fuerit, & hujus muri erecti fuerint, deſcenſus tibi non erit in Cœleſyriam & Phœnicen:

25. Tunc ſcripſit rex Rathimo qui ſcribebat accidentia, & Balthemo, & Sabellio Scribæ, & cæteris conſtitutis, & habitantibus in Syria & Phœnice, ea quæ ſubjecta ſunt.

26. Legi epiſtolam quam miſiſtis mihi. Præcepi ergo inquiri, & inventum eſt, quoniam civitas illa eſt ab ævo regibus reſiſtens,

27. Et homines refugæ, & prælia in ea efficientes, & reges fortiſſimi erant in Jeruſalem dominantes, & tributa exigentes à Cœleſyria & Phœnice.

28. Nunc ergo præcepi prohibere homines illos ædificare civitatem, & prohibere ne quid ultra hæc fiat:

29. Sed nec procedant in plurimum ea quæ ſunt malitiæ, ita ut regibus moleſtia inferretur.

30. Tunc recitatis his quæ à rege Artaxerxe ſcripta fuerant, Rathimus, & Sabellius ſcriba, & qui cum his conſtituti erant, jungentes feſtinanter venerunt in Jeruſalem cum equitatu, & turba, & agmine;

31. Cœperuntque ædificantes prohibere, & vacabant ab ædificatione templi in Jeruſalem, uſque ſecundo anno Darii regis Perſarum.

CAPUT III.

Dario post ſplendidam cœnam omnibus ſuis præfectis factam, dormiente, tres corporis ejus cuſtodes problema moverunt, Num vinum, rex, mulier, an veritas præſtent: & primùm de vino probatur.

1. REX Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis ſuis, & omnibus magiſtratibus Mediæ & Perſidis.

2. Et omnibus purpuratis, & prætoribus, & conſulibus, & præfectis ſub illo, ab India uſque ad Æthiopiam, centum viginti ſeptem provinciis.

3. Et cùm manducaſſent, & bibiſſent, & ſatiati reverterentur, tunc Darius rex aſcendit in cubiculum ſuum, & dormivit, & expergefactus eſt.

4. Tunc illi tres juvenes corporis cuſtodes, qui cuſtodiebant corpus regis, dixerunt alter alteri:

5. Dicamus unuſquiſque noſtrûm ſermonem qui præcellat: & cujuſcumque apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi rex Darius dona magna,

6. Purpura cooperiri, & in auro bibere, & ſuper aurum dormire, & currum aureo fræno, & cydarim byſſinam, & torquem circa collum:

7. Et ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapientiam ſuam, & cognatus Darii vocabitur.

8. Tunc ſcribentes ſinguli ſuum verbum ſignaverunt, & poſuerunt ſubtus cervical Darii regis,

9. Et dixerunt, Cùm ſurrexerit rex, dabimus illi ſcripta noſtra: & quodcumque judicaverit rex è tribus, & magiſtratus Perſidis, quoniam verbum ejus ſapientius eſt, ipſi dabitur victoria ſicut ſcriptum eſt.

10. Unus ſcripſit, Forte eſt vinum.

11. Alius ſcripſit, Fortior eſt rex.

12. Tertius ſcripſit, Fortiores ſunt mulieres: ſuper omnia autem vincit veritas.

13. Et cùm ſurrexiſſet rex, acceperunt ſcripta ſua, & dederunt illi, & legit.

14. Et mittens vocavit omnes magiſtratus Perſarum, & Medos, & purpuratos, & prætores, & præfectos:

15. Et ſederunt in concilio; & lecta ſunt ſcripta coram ipſis.

16. Et dixit: Vocate adoleſcentes, & ipſi indicabunt verba ſua. Et vocati ſunt, & introierunt.

17. Et dixit illis, Indicate nobis de his quæ ſcripta ſunt. Et cœpit prior, qui dixerat de fortitudine vini.

18. Et dixit, Viri, quàm prævalet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud, ſeducit mentem.

19. Itemque regis & orphani facit mentem vanam. Item ſervi ac liberi, pauperis ac divitis.

20. Et omnem mentem convertit in ſecuritatem & jucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam & debitum,

21. Et omnia præcordia facit honeſta, & non meminit regem nec magiſtratum, & omnia per talenta loqui facit.

22. Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiam, nec fraternitatem: ſed non multùm pòſt ſumunt gladios.

23. Et cùm à vino merſerint & ſurrexerint, non meminerunt quæ geſſerunt.

24. O viri, num præcellit vinum? quis ſic cogitat facere? Et tacuit hoc dicto.

CAPUT

CAPUT IV.

Probatur excellens fortitudo regis, mulieris, & veritatis, ſed data veritati palma. Darius ad petitionem Zorobabel reddit ſacra vaſa, ſcribens ut Judæis detur libertas, & impenſa ad extructionem Jeruſalem.

1. ET inchoavit ſequens dicere, qui dixit de fortitudine regis.

2. O viri, num præcellunt homines, qui terram & mare obtinent, & omnia quæ in eis ſunt?

3. Rex autem ſuper omnia præcellit, & dominatur eorum: & omne quodcumque dixerit illis, faciunt.

4. Et ſi miſerit illos ad bellatores, vadunt, & demoliuntur montes, & muros, & turres.

5. Jugolantur & jugulant, & regis verba non prætereunt, nam ſi vicerint, afferunt regi omnia quæcumque prædati fuerint.

6. Similiter & alii omnes, & quotquot non militant, nec pugnant, ſed colunt terram: turſum cùm fuerint metentes, afferunt tributa regi.

7. Et ipſe unus ſolus ſi dixerit occidite, occidunt: dixerit remittite, remittunt:

8. Dixerit percutite, percutiunt: dixerit exterminate, exterminant: dixerit ædificate, ædificant:

9. Dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant:

10. Et omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt, & ſuper hoc ipſe recumbit, & bibit, & dormit.

11. Hi autem cuſtodiunt in circuitu eum, & non poſſunt ire ſinguli, & facere opera ſua, ſed in dicto obaudientes ſunt ei.

12. Viri, quomodo non præcellit rex qui ſic diffamatur? Et tacuit.

13. Tertius qui dixerat de mulieribus & veritate, hic eſt Zorobabel, cœpit loqui.

14. Viri, non magnus rex, & multi homines, nec vinum præcellit. Quis eſt ergo qui dominator eorum.

15. Nonne mulieres genuerunt regem, & omnem populum, qui dominatur mari & terræ.

16. Et ex illis nati ſunt, & ipſæ educaverunt eos qui plantaverunt vineas ex quibus vinum fit?

17. Et ipſæ faciunt ſtolas omnium hominum, & ipſæ faciunt gloriam hominibus, & non poſſunt homines ſeparari à mulieribus.

18. Si congregaverint aurum & argentum, & omnem rem ſpecioſam, & viderint mulierem unam bono habitu & bonâ ſpecie,

19. Omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & aperto ore conſpiciunt, & eam alliciunt magis quàm aurum & argentum, & omnem rem precioſam.

20. Homo patrem ſuum relinquit qui enutriit illum, & ſuam regionem, & ad mulierem ſe conjungit.

21. Et cum muliere remittit animam: & neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem,

22. Et hinc oportet vos ſcire: quoniam mulieres dominantur veſtri. Nonne doletis?

23. Et accipit homo gladium ſuum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare navigare & flumina,

24. Et leonem videt, & in tenebris ingreditur: & cùm furtum fecerit, & fraudes, & rapinas, amabili ſuæ affert.

25. Et iterùm diligit homo uxorem ſuam magis quàm patrem aut matrem.

26. Et multi dementes facti ſunt propter uxores ſuas, & ſervi facti ſunt propter illas:

27. Et multi perierunt & jugulati ſunt, & peccaverunt propter mulieres.

28. Et nunc credite mihi, quia magnus eſt rex in poteſtate ſua: quoniam omnes regiones verentur tangere eum.

29. Videbam tamen Apemen filiam Bezacis, mirifici concubinam regis, ſedentem juxta regem ad dexteram,

30. Et auferentem diadema de capite ejus, & imponentem ſibi, & palmis cædebat regem de ſiniſtra manu.

31. Et ſuper hæc aperto ore intuebatur eam: & ſi arriſerit ei, ridet, nam ſi indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.

32. O viri, cur non ſunt fortiores mulieres? Magna eſt terra, & excelſum eſt cœlum: quis iſta agit?

33. Et tunc rex, & purpurati intuebantur in alterutrum, & inchoavit loqui de veritate.

34. O viri, nonne fortes ſunt mulieres? Magna eſt terra, & excelſum eſt cœlum: & velox curſus ſolis convertit in gyro cœlum in locum ſuum in una die.

35. Nonne magnificus eſt qui hæc facit, & veritas magna, & fortior præ omnibus?

36. Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipſam benedicit. & omnia opera moventur, & tremunt eam, & non eſt cum ea quidquam iniquum.

37. Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filii hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non eſt in ipſis veritas, & in ſua iniquitate peribunt,

38. Et veritas manet & invaleſcit in æternum, & vivit & obtinet in ſæcula ſæculorum.

39. Nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias: ſed quæ juſta ſunt facit omnibus, injuſtis ac malignis, & omnes benignantur in operibus ejus.

40. Et non eſt in judicio ejus iniquum, ſed fortitudo, & regnum, & poteſtas, & majeſtas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis.

41. Et deſiit loquendo. Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt, Magna eſt veritas, & prævalet.

42. Tunc rex ait illi, Pete ſi quid vis amplius, quàm quæ ſcripta ſunt, & dabo tibi, ſecundùm quod inventus es ſapientior proximis; & proximus mihi ſedebis, & cognatus meus vocaberis.

43. Tunc ait regi, Memor eſto voti tui, quod voviſti, ædificare Jeruſalem, in die quâ regnum accepiſti:

44. Et omnia vaſa quæ accepta ſunt ex Jeruſalem, remittere, quæ ſeparavit Cyrus, quando mactavit Babyloniam, & voluit remittere ea ibi.

45. Et tu voviſti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata eſt Judæa à Chaldæis.

46. Et nunc hoc eſt quod poſtulo, Domine, & quod peto, hoc eſt majeſtas quod à te poſtulo, ut facias votum quod voviſti regi cœli ex ore tuo.

47. Tunc ſurgens Darius rex, oſculatus eſt illum & ſcripſit epiſtolas ad omnes diſpenſatores, & præfectos, & purpuratos, ut deducerent eum, & eos qui cum illo erant, omnes aſcendentes ædificare Jeruſalem.

48. Et omnibus præfectis, qui erant in Syria & Phœnice, & Libano, ſcripſit epiſtolas, ut traherent ligna cedrina à Libano in Jeruſalem, ut ædificarent cum eis civitatem.

49. Et ſcripſit omnibus Judæis qui aſcendebant à regno in Judæam pro libertate, omnem potentem, & magiſtratum, & præfectum non ſupervenire ad januas ipſorum,

50. Et omnem regionem, quam obtinuerant immunem eſſe eis, & Idumæi relinquant caſtella quæ obtinent Judæorum,

51. Et in ſtructuram templi dare per ſingulos annos talenta viginti, uſque dum perædificaretur:

52. Et ſuper ſacrarium holocautomata uſtulare quotidie, ſicut habent præceptum: alia talenta decem offerre per ſingulos annos,

53. Et omnibus qui procedunt à Babylonia condere civitatem: ut eſſet libertas tam ipſis quàm filiis eorum, & omnibus ſacerdotibus qui præcedunt:

54. Scripſit autem & quantitatem, & ſacram ſtolam juſſit dari, in qua deſerviant;

55. Et Levitis ſcripſit dare præcepta, uſque in diem quâ conſummabitur domus, & Jeruſalem extruetur,

56. Et omnibus cuſtodientibus civitatem ſcripſit dari eis ſortes & ſtipendia.

Digitized by Google

57. Et dimiſit omnia vaſa quæcumque ſeparaverat Cyrus à Babylonia, & omnia quæcumque dixit Cyrus, & ipſe præcepit fieri, & mitti Jeruſalem.

58. Et cùm proceſſiſſet ille adoleſcens, elevans faciem in Jeruſalem, benedixit regem cœli,

59. Et dixit, Abs te eſt victoria, & abs te eſt ſapientia & claritas. Et ego ſervus tuus ſum.

60. Benedictus es qui dediſti mihi ſapientiam, & tibi confitebor, Domine Deus patrum noſtrorum.

61. Et accepit epiſtolas, & profectus eſt in Babyloniam. Et venit, & nuntiavit fratribus ſuis omnibus qui fuerunt in Babylonia:

62. Et benedixerunt Deum patrum ſuorum, quoniam dedit illis remiſſionem, & refrigerium,

63. Ut aſcenderent & ædificarent Jeruſalem, & templum ubi nominatum eſt nomen ejus in ipſo, & exultaverunt eum muſicis & lætitia diebus ſeptem.

CAPUT V.

Redeuntes à Babylonica captivitate in Jeruſalem & Judæam recenſentur, & reſtituunt Dei cultum, ſed tandem à cœpto opere ad tempus impediuntur.

1. POſt hæc autem electi ſunt, ut aſcenderent principes pagorum per domos & tribus ſuas, & uxores illorum & filii & filiæ eorum, & ſervi & ancillæ ipſorum, & pecora eorum.

2. Et Darius rex miſit unà cum eis equites mille, donec deducerent eos in Jeruſalem cum pace, & cum muſicis & cum tympanis & tibiis.

3. Et omnes fratres erant ludentes, & fecit eos aſcendere ſimul cum eis.

4. Et hæc ſunt nomina virorum, qui aſcenderunt per pagos ſuos in tribus, & in partem principatus ipſorum.

5. Sacerdotes: Filii Phinees, filii Aaron, Jeſus filius Joſedec, Joacim filius Zorobabel filii Salathiel de domo David, ex progenie Phares, de tribu Juda,

6. Qui locutus eſt ſub Dario rege Perſarum ſermones mirificos in ſecundo anno regni ipſius, menſe Niſan primo.

7. Sunt autem hi, qui aſcenderunt ex Judæa de captivitate transmigrationis, quos transmigravit Nabuchodonoſor rex Babyloniæ in Babylonem, & reverſus eſt in Jeruſalem.

8. Et requiſivit partem Judææ unuſquiſque in civitatem ſuam, qui venerunt cum Zorobabel & Jeſu, Nehemias, Areores, Elimeo, Emmanio, Mardocheo, Beelſuto, Mechpſatochot, Olioro, Emonia unus de principibus eorum.

9. Et numerus à gentilibus eorum, ex præpoſitis eorum, filii Phares, duo millia centum ſeptuaginta duo:

10. Filii Ares, tria millia centum quinquaginta ſeptem:

11. Filii Phœmo, centum quadraginta duo: in filiis Jeſu & Joabes mille trecenti duo:

12. Filii Demu, duo millia quadringenti ſeptuaginta: filii Choraba, ducenti quinque: filii Banica, centum ſexaginta octo:

13. Filii Bebech, quadringenti tres: filii Archad, quadringenti viginti ſeptem:

14. Filii Cham, triginta ſeptem: filii Zoroar, duo millia ſexaginta ſeptem: filii Adin, quadringenti ſexaginta unus:

15. Filii Aderectis, centum octo: filii Ciaſo & Zelas, centum ſeptem: filii Azoroc, quadringenti triginta novem:

16. Filii Jedarbone, centum triginta duo: filii Ananiæ, centum triginta: filii Aſoni, nonaginta:

17. Filii Marſar, quadringenti vigintiduo: filii Zabarus, nonaginta quinque: filii Sepolemon, centum viginti tres:

18. Filii Nepopas quinquaginta quinque: filii Nechamarus, centum quinquaginta octo: filii Cebethamus, centum triginta duo:

19. Filii Cetarpatros, qui Enocadies, & Modiæ, quadringenti viginti tres: qui ex Gramas & Gabea, centum viginti unus:

20. Qui ex Beſſelon & Ceagge, ſexaginta quinque: qui ex Baſtaro, centum viginti duo:

21. Qui ex Bechenobes, quinquaginta quinque: filii Liptis, centum quinquaginta quinque: filii Labonni, trecenti quinquaginta ſeptem:

22. Filii Sichem, trecenti ſeptuaginta: filii Suadon & Cliomus, trecenti ſeptuaginta octo:

23. Filii Ericus, duo millia centum quadraginta quinque: filii Anaas, trecenti ſeptuaginta. Sacerdotes:

24. Filii Jeddus, filii Euther, filii Eliaſib, trecenti ſeptuaginta duo: filii Emerus, ducenti quinquaginta duo:

25. Filii Phaſurii, trecenti quinquaginta ſeptem: filii Caree, ducenti viginti ſeptem.

26. Levitæ: Filii Jeſu in Cadobel & Bamis, & Serebias, & Edias, ſeptuaginta quatuor: omnis numerus à duodecimo anno, triginta millia quadringenti ſexaginta duo,

27. Filii, & filiæ, & uxores, omnis computatio, quadraginta millia ducenti quadraginta duo.

28. Filii ſacerdotum, qui pſallebant in templo: filii Aſaph, centum viginti octo.

29. Oſtiarii verò: filii Eſmenni, filii Aſer, filii Amon, filii Accuba, Topa filii Tobi, omnes centum triginta novem.

30. Sacerdotes ſervientes in templo: filii Sel, filii Gaſpha, filii Tobloch, filii Cariæ, filii Su, filii Hellu, filii Labana, filii Armacha, filii Accub, filii Utha, filii Cetha, filii Aggab, filii Obaï, filii Anani, filii Canna, filii Geddu,

31. Filii An, filii Radin, filii Deſanon, filii Nachoba, filii Caſeha, filii Gaſe, filii Ozui, filii Simone, filii Attre, filii Haſten, filii Aſiana, filii Manei, filii Naſiſſim, filii Accuſu, filii Agiſta, filii Azui, filii Favon, filii Phaſaloo,

32. Filii Meedda, filii Phuſa, filii Care, filii Barcus, filii Sarree, filii Coëſi, filii Naſit, filii Agiſti, filii Iedon,

33. Salomon filii ejus, filii Aſopbot, filii Phaſida, filii Celi, filii Dedon, filii Gaddahel, filii Sephegi,

34. Filii Aggia, filii Sachareth, filii Sabathen, filii Caroneth, filii Malſith, filii Amæ, filii Salus, filii Addus, filii Suba, filii Eura, filii Rahotis, filii Phaſphar, filii Malmon.

35. Omnes ſacro ſervientes, & pueri Salomonis, quadringenti octoginta duo.

36. Hi ſunt filii qui aſcenderunt à Thelmela, Thelharſa, principes eorum Carmellam, & Careth:

37. Et non poterant edicere civitates ſuas, & progenies ſuas, quemadmodum ſint ex Iſraël. Filii Dalari, filii Tubal, filii Nechodaici.

38. Ex Sacerdotibus, qui fungebantur Sacerdotio: & non ſunt inventi filii Obia, filii Achiſos, filii Addiu, qui accepit uxorem ex filiabus Phargeleo:

39. Et vocati ſunt nomine ejus, & horum quæſita eſt generis ſcriptura in prædatura, & non eſt inventa, & prohibiti ſunt Sacerdotio fungi.

40. Et dixit illis Nehemias & Aſtharas, Ne participentur ſancta, donec exurgat Pontifex doctus in oſtenſionem & veritatem.

41. Omnis autem Iſraël erat, exceptis ſervis & ancillis, quadraginta duo millia trecenti quadraginta.

42. Servi horum & ancillæ, ſeptem millia trecenti triginta ſeptem. Cantores & cantatrices, ducenti ſexaginta quinque.

43. Cameli quadringenti triginta quinque: equi ſeptem millia triginta ſex: muli, ducenta millia quadraginta quinque. Subjugalia, quinque millia viginti quinque.

44. Et de præpoſitis ipſis per pagos, dum venirent in templum Dei, quod erat in Jeruſalem, voverunt ſuſcitare templum in loco ſuo, ſecundùm ſuam virtutem:

45. Et dare in templum theſaurum operum ſacrum auri mnas duodecim millia, & mnas argenti quinque

millia, & ſtolas ſacerdotales centum.

46. Et habitaverunt ſacerdotes & Levitæ, & qui exierant de plebe, in Jeruſalem & in regione, & ſacri cantores, & oſtiarii, & omnis Iſraël in regionibus ſuis.

47. Inſtante autem ſeptimo menſe, cùmque eſſent filii Iſraël unuſquiſque in ſuis rebus, convenerunt unanimes in atrium, quod erat ante januam Orientalem.

48. Et ſtantes Jeſus filius Joſedec & fratres ejus ſacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel & hujus fratres, paraverunt altare,

49. Ut offerrent ſuper illud holocautomata, ſecundùm quæ in libro Moyſi hominis Dei ſcripta ſunt.

50. Et convenerunt ibi ex aliis nationibus terræ, & erexerunt ſacrarium in loco ſuo omnes gentes terræ, & offerebant hoſtias, & holocautomata Domino matutina.

51. Et egerunt ſcenopegiam, & diem ſolemnem, ſicut præceptum eſt in lege: & ſacrificia quotidie, ſicut oportebat:

52. Et poſt hæc oblationes inſtitutas, & hoſtias ſabbatorum, & neomeniarum, & dierum ſolemnium omnium ſanctificatorum.

53. Et quotquot vovebant Domino à neomenia ſeptimi menſis, cœperunt hoſtias offerre Deo, & templum Domini nondum erat ædificatum.

54. Et dederunt pecuniam lapidariis & fabris, & potum & pabula, cum gaudio.

55. Et dederunt carra Sidoniis & Tyriis, ut tranſveherent illis de Libano trabes cedrinas, & facerent rates in Joppe portu, ſecundùm decretum quod ſcriptum erat eis à Cyro rege Perſarum.

56. Et in ſecundo anno venientes in templum Dei in Jeruſalem, menſe ſecundo, inchoavit Zorobabel filius Salathiel & Joſue filius Joſedec, & fratres ipſorum, & ſacerdotes, & Levitæ, & omnes qui venerant de captivitate in Jeruſalem:

57. Et fundaverunt templum Dei, novilunio ſecundi menſis ſecundi anni cùm veniſſent in Judæam & Jeruſalem.

58. Et ſtatuerunt Levitas à viginti annis, ſuper opera Domini: & ſtetit Jeſus & filius ejus, & fratres omnes Levitæ conſpirantes, & executores legis, facientes opera in domo Domini.

59. Et ſteterunt ſacerdotes habentes ſtolas cum tubis: & Levitæ filii Aſaph, habentes cymbala,

60. Collaudantes Dominum, & benedicentes ſecundùm David regem Iſraël.

61. Et cantabant canticum Domino, quoniam dulcedo ejus, & honor in ſæcula ſuper omnem Iſraël.

62. Et omnis populus tubâ cecinerunt, & proclamaverunt voce magnâ, collaudantes Dominum in ſuſcitatione domus Domini.

63. Et venerunt ex ſacerdotibus & Levitis, & præſidentibus ſecundùm pagos ſenioribus, qui viderant priſtinam domum;

64. Et ad hujus ædificationem cum clamore & planctu magno, & multi cum tubis & gaudio magno:

65. In tantum ut populus non audiret tubas propter planctum populi. Turba enim erat tubis canens magnificè, ita ut longè audiretur.

66. Et audierunt inimici tribus Judæ, & Benjamin, & venerunt ſcire quæ eſſet vox tubarum.

67. Et cognoverunt quoniam qui erant ex captivitate, ædificabant templum Domino Deo Iſraël.

68. Et accedentes ad Zorobabel & Jeſum, præpoſitos pagorum, dixerunt eis: Ædificabimus unà vobiſcum:

69. Similiter enim audivimus Dominum veſtrum, & ipſi pariter incedimus à diebus Aſbazareth regis Aſſyriorum, qui tranſmigravit nos huc.

70. Et dixit illis Zorobabel, & Jeſus, & principes pagorum Iſraël,

71. Non eſt nobis & vobis ædificare domum Dei noſtri, nos enim ſoli ædificabimus Domino Iſraël, ſecundùm ea quæ præcepit nobis Cyrus rex Perſarum.

72. Gentes autem terræ incumbentes his qui ſunt in Judæa, & levantes opus ædificationis & inſidias, & populos adducentes prohibebant eos ædificare,

73. Et aggreſſuras exercentes, impedierunt, ne conſummaretur ædificium omni tempore vitæ Cyri regis, & protraxerunt ſtructuram per biennium uſque ad Darii regnum.

CAPUT VI.

Judæi annuente Dario, templum Dei extruunt in Jeruſalem.

1. IN ſecundo autem anno regni Darii prophetavit Aggæus & Zacharias filius Addin Prophetæ apud Judæam & Jeruſalem in nomine Dei Iſraël ſuper eos.

2. Tunc ſtans Zorobabel filius Salathiel, & Jeſus filius Joſedec, inchoaverunt ædificare domum Domini, quæ eſt in Jeruſalem:

3. Cùm adeſſent eis Prophetæ Domini, & adjuvarent eos. In ipſo tempore venit ad illos Siſennes ſubregulus Syriæ, & Phœnicis, & Sattabuzanes, & ſodales ejus,

4. Et dixerunt eis, Quo præcipiente vobis domum hanc ædificatis, & tectum iſtud, & alia omnia perficitis? & qui ſunt ſtructores qui hæc ædificant?

5. Et habuerunt gratiam viſitatione facta ſuper eos, qui erant ex captivitate à Domino ſeniores Judæorum.

6. Et non ſunt impediti ædificare, donec ſignificaretur Dario de omnibus iſtis, & reſponſum acciperetur.

7. Exemplum epiſtolæ, quam miſerunt Dario. SISENNES ſubregulus Syriæ & Phœnicis, & Sattabuzanes, & ſodales ejus, in Syria & Phœnice præſides, regi Dario ſalutem.

8. Omnia nota ſint domino regi, quòd cùm veniſſemus in regionem Judææ, & introiſſemus in Jeruſalem, invenimus ædificantes domum Dei magnam:

9. Et templum ex lapidibus politis, & magnis & pretioſis materiis in parietibus,

10. Et opera illa inſtanter fieri, & ſuffragare, & proſperare in manibus eorum, & in omni gloria quàm diligentiſſimè perfici.

11. Tunc interrogavimus ſeniores, dicentes: Quo permittente vobis ædificatis domum iſtam, & opera hæc fundatis?

12. Ideò autem interrogavimus eos, ut notum faceremus tibi homines & præpoſitos, & nominum ſcripturam præpoſitorum poſtulavimus illos.

13. At illi reſponderunt nobis, dicentes: Nos ſumus ſervi Domini qui fecit cœlum & terram,

14. Et ædificabatur hæc domus ante annos iſtos multos à rege Iſraël magno & fortiſſimo, & conſummata eſt.

15. Et quoniam patres noſtri exacerbantes erant & peccaverunt in Deum Iſraël, tradidit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babyloniæ, regis Chaldæorum,

16. Et domum iſtam demolientes incenderunt, & populum captivum duxerunt in Babylonem.

17. In primo anno regnante Cyro rege Babyloniæ, ſcripſit Cyrus rex domum hanc ædificare,

18. Et illa ſacra vaſa aurea & argentea quæ extulerat Nabuchodonoſor de domo quæ eſt in Jeruſalem, & conſecraverat ea in ſuo templo, rurſus protulit ea Cyrus rex de templo quod erat in Babylonia, & tradita ſunt Zorobabel & Salmanaſaro ſubregulo:

19. Et præceptum eſt eis ut offerrent hæc vaſa, & reponerent in templo quod erat in Jeruſalem, & ipſum templum Dei ædificare in loco ſuo.

20. Tunc Salmanaſarus ſubjecit fundamenta domus Domini, quæ eſt in Jeruſalem: & exinde uſque nunc ædificatur, & non accepit conſummationem.

21. Nunc ergo ſi judicatur à te ô rex, perquiratur in regalibus Bibliothecis Cyri regis, quæ ſunt in Babylonia.

22. Et ſi inventum fuerit conſilio Cyri regis cœptam eſſe ſtructuram domus Domini, quæ eſt in Jeruſalem, & judicatur à domino rege noſtro, ſcribat de his nobis.

23. Tunc Darius rex præcepit inquiri in Bibliothecis: & inventus eſt in Ecbatanis oppido, quòd eſt in media regione locus unus, in quo ſcripta erant iſta.

24. Anno primo regnante Cyro, rex Cyrus præcepit domum Domini quæ eſt in Jeruſalem ædificare, ubi incendebant igni aſſiduo,

25. Cujus altitudo ſit cubitorum decem, & latitudo cubitorum ſexaginta, quadratum lapidibus politis tribus, & meniano ligneo ejuſdem regionis, & meniano uno novo, & impendia dari de domo Cyri regis:

26. Et ſacra vaſa domus Domini tam aurea quàm argentea, quæ extulit Nabuchodonoſor in domum Domini, quæ eſt in Jeruſalem, ubi erant poſita, ut ponantur illic.

27. Et præcepit curam agere Siſennem ſubregulum Syriæ & Phœnicis, & Sarrabuzanem, & ſodales ejus, & qui ordinati erant in Syria & Phœnice præſides, ut abſtinerent ſe ab eodem loco.

28. Et ego quoque præcepi in totum ædificare: & proſpexi, ut adjuvent eos qui ſunt ex captivitate Judæorum, donec conſummetur templum ædis Domini.

29. Et à vexatione tributorum Cœleſyriæ & Phœnicis, diligenter quantitatem dari his hominibus ad ſacrificium Domini, Zorobabel præfecto, ad tauros, & arietes, & agnos,

30. Similiter autem & frumentum, & ſal, & vinum, & oleum inſtanter per ſingulos annos, prout ſacerdotes qui ſunt in Jeruſalem, dictaverunt conſumi quotidie, ſine ulla dilatione,

31. Ut offerantur libationes ſummo Deo pro rege & pueris ejus, & orent pro ipſorum vita:

32. Et denuntietur, ut quicumque tranſgreſſi fuerint aliquid ex his quæ ſcripta ſunt, aut ſpreverint, accipiatur lignum de ſuis propriis, & ſuſpendantur, & bona ipſorum regi aſcribantur.

33. Propter eà & Dominus, cujus nomen invocatum eſt, ibi exterminet omnem regem & gentem, qui manum ſuam extenderit prohibere, aut malè tractare domum Domini illam quæ eſt in Jeruſalem.

34. Ego Darius rex decrevi quàm diligentiſſimè ſecundùm hæc fieri.

CAPUT VII.

Domus Dei exſtructa dedicatur & conſecratur, in eaque feſtum Azymorum celebratur.

1. TUnc Siſennes ſubregulus Cœleſyriæ & Phœnicis, & Sarrabuzanes, & ſodales, obſecuti his quæ à Dario rege erant decreta,

2. Inſiſtebant ſacroſanctis operibus diligentiſſimè cooperantes cum ſenioribus Judæorum principibus Syriæ.

3. Et proſperata ſunt ſacroſancta opera prophetantibus Aggæo & Zachariâ prophetis.

4. Et conſummaverunt omnia per præceptum Domini Dei Iſraël, & ex conſilio Cyri, & Darii, & Artaxerxis regis Perſarum.

5. Et conſummata eſt domus noſtra uſque ad tertiam & vigeſimam diem menſis Adar, ſexto anno Darii regis.

6. Et fecerunt filii Iſraël & ſacerdotes & Levitæ, & cæteri qui erant ex captivitate, qui appoſiti ſunt ſecundùm ea quæ ſcripta ſunt in libro Moyſi.

7. Et obtulerunt in dedicationem templi Domini, tauros centum, arietes ducentos, agnos quadringentos,

8. Et hœdos pro peccatis univerſi Iſraël, duodecim, ſecundùm numerum tribuum Iſraël.

9. Et ſteterunt ſacerdotes & Levitæ amicti ſtolis per tribus ſuper omnia opera Domini Dei Iſraël, ſecundùm librum Moyſi, & oſtiarii per ſingulas januas.

10. Et egerunt filii Iſraël cum his qui erant ex captivitate, illud Phaſe quartadecima luna menſis primi, quando ſanctificati ſunt ſacerdotes & Levitæ.

11. Omnes filii captivitatis non ſunt ſimul ſanctificati, quia Levitæ omnes ſimul ſanctificati ſunt.

12. Et immolaverunt Phaſe univerſi filii captivitatis, & fratribus ſuis Sacerdotibus, & ſibimetipſis.

13. Et manducaverunt filii Iſraël, qui erant ex captivitate, omnes qui remanſerant ab omnibus execrationibus gentium terræ quærentes Dominum,

14. Et celebraverunt diem feſtum azymorum, ſeptem diebus epulantes in conſpectu Domini.

15. Quoniam convertit conſilium regis Aſſyriorum in eos, confortare manus eorum ad opera Domini Dei Iſraël.

CAPUT VIII.

Aſcendenti Eſdra à Babylonia Jeroſolymam traduntur Artaxerxis litteræ, quæ beneficia Judæis præſtita continent: recenſentur qui ſimul aſcenderunt, & auro ac argento ſacerdotibus commiſſo, Eſdras, factâ oratione, commovet populum ad pœnitentiam quòd ab alienigenis ſe non ſeparaſſent.

1. ET poſt hunc regnante Artaxerxe Perſarum rege, acceſſit Eſdras filius Azariæ, filii Helciæ, filii Sodome,

2. Filii Sadoc, filii Achitob, filii Ameri, filii Azahel, filii Bocci, filii Abiſue, filii Phinees, filii Eleazari, filii Aaron primi ſacerdotis;

3. Hic Eſdras aſcendit de Babylonia, cùm eſſet ſcriba & ingenioſus in lege Moyſi, quæ data eſt à Domino Deo Iſraël docere & facere.

4. Et dedit ei rex gloriam, quòd inveniſſet gratiam in omni dignitate & deſiderio in conſpectu ejus.

5. Et aſcenderunt ſimul cum ipſo ex filiis Iſraël, & ſacerdotibus & Levitis, & ſacris cantoribus templi, & oſtiariis, & ſervis templi in Jeruſalem.

6. Anno ſeptimo regnante Artaxerxe, in quinto menſe, hic annus ſeptimus eſt regni, exeuntes de Babylonia novilunio quinti menſis.

7. Venerunt Jeroſolymam juxta præceptum illius, ſecundùm proſperitatem itineris à Domino ipſorum datam eis.

8. In his enim Eſdras magnam diſciplinam obtinebat, ne prætermitteret quidquam eorum, quæ eſſent ex lege Domini & præceptis, & docendo univerſum Iſraël omnem juſtitiam & judicium.

9. Accedentes autem qui ſcribebant ſcripta Artaxerxis regis, tradiderunt ſcriptum quod obvenerat ab Artaxerxe rege ad Eſdram ſacerdotem, & lectorem legis Domini, cujus exemplum ſubjectum eſt.

10. Rex Artaxerxes Eſdræ ſacerdoti, & lectori legis Domini ſalutem.

11. Humanior ego judicans in beneficiis, præcepi eis qui deſiderant ex gente Judæorum, ſua ſponte, & ex ſacerdotibus & Levitis, qui ſunt in regno meo, comitari tecum in Jeruſalem.

12. Si qui ergo cupiunt ire tecum, conveniant, & proficiſcantur, ſicut placuit mihi & ſeptem amicis meis conſiliariis,

13. Ut viſitent ea quæ aguntur ſecundùm Judæam, & Jeruſalem, obſervantes ſicut habes in lege Domini,

14. Et ferant munera Domino Deo Iſraël, quæ vovi ego & amici Jeruſalem, & omne aurum & argentum, quod inventum fuerit in regione Babyloniæ Domino in Jeruſalem cum illo,

15. Quod eſt donatum pro ipſa gente in templum Domini eorum quod eſt in Jeruſalem: ut colligatur hoc aurum & argentum ad tauros, & arietes, & agnos, & hœdos, & quæ his ſunt congruentia,

16. Ut offerant hoſtias Domino ſuper altare Domini ipſorum quod eſt in Jeruſalem.

17. Et omnia quæcumque volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice pro voluntate tua ſecundùm præceptum Domini Dei tui:

18. Et ſacroſancta vaſa, quæ data ſunt tibi ad opera domus Domini Dei tui, quæ eſt in Jeruſalem:

19. Et cætera quæcumque tibi ſubvenerint ad opera templi Dei tui, dabis de regali gazophylacio:

20. Cùm volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice ſecundùm voluntatem Domini.

21. Et ego quidem rex Artaxerxes præcepi cuſtodibus theſaurorum Syriæ & Phœnicis, ut quæcumque

Digitized by Google

ſcripſerit Eſdras ſacerdos, & lector legis Domini, diligenter detur ei uſque ad argenti talenta centum, ſimiliter & auri:

22. Et uſque ad frumenti modios centum, & vini amphoras centum, & alia quæcumque abundant ſine taxatione.

23. Omnia ſecundùm legem Dei fiant Deo altiſſimo, ne fortè exurgat ira in regno regis, & filii, & filiorum ejus.

24. Vobis autem dicitur, ut omnibus ſacerdotibus & Levitis, & ſacris cantoribus, & ſervis templi, & ſcribis templi hujus,

25. Nullum tributum, neque ulla alia indictio irrogetur, nec habeat quiſquam poteſtatem objicere eis quidquam.

26. Tu autem Eſdra, ſecundùm ſapientiam Dei, conſtitue judices & arbitros in tota Syria & Phœnice: & omnes qui legem Dei tui non noverunt, doce:

27. Ut quotquot tranſgreſſi fuerint legem, diligenter plectantur, ſive morte, ſive cruciatu, ſive etiam pecuniæ mulctatione vel abductione.

28. Et dixit Eſdras ſcriba: Benedictus Deus patrum noſtrorum, qui dedit hanc voluntatem in cor regis, clarificare domum ſuam quæ eſt in Jeruſalem,

29. Et me honorificavit in conſpectu regis & conſiliariorum, & amicorum, & purpuratorum ejus.

30. Et ego conſtans animo factus ſum ſecundùm opitulationem Domini Dei mei, & congregavi ex Iſraël viros, ut ſimul aſcenderent mecum.

31. Et hi ſunt præpoſiti ſecundùm ſuas patrias, & principatus portionales, eorum qui mecum aſcenderunt de Babylonia in regno Artaxerxis.

32. Et ex filiis Phares, Gerſomus: ex filiis Siematith, Ameuus: filiorum David, Acchus filius Secciliæ:

33. Ex filiis Phares, Zacharias, & cum eo reverſi ſunt viri centum quinquaginta:

34. Ex filiis ductoris Moabilionis Zaræi, & cum ipſo viri ducenti quinquaginta:

35. Ex filiis Zachues, Jechonias Zecholei, & cum ipſo viri ducenti quinquaginta:

36. Ex filiis Sala, Maaſias Gotholiæ, & cum ipſo viri ſeptuaginta:

37. Ex filiis Saphatiæ, Zarias Micheli, & cum ipſo viri octoginta:

38. Ex filiis Job, Abdias Jebeli, & cum ipſo viri ducenti duodecim:

39. Ex filiis Baniæ, Salimoth, filius Joſaphiæ, & cum ipſo viri centum ſexaginta:

40. Ex filiis Beer, Zacharias Bebei, & cum ipſo viri ducenti octo:

41. Ex filiis Ezead, Joannes Eccetan, & cum ipſo viri centum decem:

42. Ex filiis Adonicam ipſis poſtremis, & hæc ſunt nomina eorum, Eliphalam filius Gebel, & Semeïas, & cum ipſo viri ſeptuaginta.

43. Et congregavi eos ad fluvium qui dicitur Thia, & metati fuimus illic triduo, & recognovi eos.

44. Et ex filiis ſacerdotum & Levitarum non inveni illic.

45. Et miſi ad Eleazarum, & Eccelon, & Maſman, & Molaban, & Enaatban, & Samea, & Joribum, Nathan, Enuagam, Zachariam, & Moſolamum, ipſos ductores & peritos:

46. Et dixi eis ut venirent ad Loddeum, qui erat apud locum gazophylacii.

47. Et mandavi eis ut dicerent Loddeo, & fratribus ejus, & illis qui erant in gazophylacio, ut mitterent nobis eos qui ſacerdotio fungerentur in domo Domini Dei noſtri:

48. Et adduxerunt nobis ſecundùm manum validam Domini Dei noſtri viros peritos: ex filiis Moholi, filii Levi, filii Iſraël, Sebebian, & filios & fratres, qui erant decem & octo:

49. Aſbiam, & Amio ex filiis filiorum Chananæi, & filii eorum viri viginti.

50. Et ex his qui templo ſerviebant, quos dedit David, & ipſi principes ad operationem Levitis templo ſervientium ducenti viginti. Omnia nomina ſignificata ſunt in ſcripturis.

51. Et vovi illic jejunium juvenibus in conſpectu Dei, ut quærerem ab eo bonum iter nobis, & qui nobiſcum erant, & filiis, & pecoribus, propter inſidias.

52. Erubui enim petere à rege pedites & equites in comitatu, tutelæ gratiâ, contra adverſarios noſtros.

53. Diximus enim regi, quoniam virtus Domini erit cum eis qui inquirunt eum in omni affectu.

54. Et iterùm deprecati ſumus Dominum Deum noſtrum ſecundùm hæc, quem & propitium habuimus, & compotes facti ſumus Deo noſtro.

55. Et ſeparavi ex plebis præpoſitis, & ſacerdotibus templi, viros duodecim, & Sedebiam, & Aſannam, & cum eis ex fratribus eorum viros decem.

56. Et appendi eis aurum & argentum & vaſa ſacerdotalia domus Dei noſtri, quæ donaverat rex, & conſiliarii ejus, & principes, & omnis Iſraël.

57. Et cùm appendiſſem, tradidi argenti talenta centum quinquaginta, & vaſa argentea talentorum centum, & auri talenta centum,

58. Et vaſorum aureorum ſepties viginti, & vaſa ærea de bono æramento ſplendentia, duodecim, auri ſpeciem reddentia.

59. Et dixi eis: Et vos ſancti eſtis Domino, & vaſa ſunt ſancta, & aurum, & argentum votum eſt Domino Deo patrum noſtrorum.

60. Vigilate & cuſtodite, donec tradatis ex plebis præpoſitis, & ſacerdotibus & Levitis, & principibus civitatum Iſraël, in Jeruſalem, in paſtophorio domus Dei noſtri.

61. Et hi qui ſuſceperunt Sacerdotes & Levitæ aurum & argentum & vaſa, intulerunt in Jeruſalem in templum Domini.

62. Et promovimus à fluvio Thia die duodecimâ menſis primi, uſquequò introïvimus in Jeruſalem.

63. Et cùm factus fuiſſet tertius dies, quartâ autem die ponderatum aurum, & argentum traditum eſt in domo Domini Dei noſtri, Marimoth filio Jori ſacerdoti:

64. Et cum ipſo erat Eleazar filius Phinees: & erant cum ipſis Joſadus filius Jeſu, & Medias, & Banni filius Levitæ: ad numerum, & ad pondus univerſa.

65. Et ſcriptum eſt pondus ipſorum eadem hora.

66. Qui autem venerunt ex captivitate, obtulerunt ſacrificium Domino Deo Iſraël, tauros duodecim pro omni Iſraël, arietes octoginta ſex,

67. Agnos ſeptuaginta duos, hircos pro peccato duodecim, & pro ſalute vaccas duodecim, omnia in ſacrificium Domini.

68. Et relegerunt præcepta regis regalibus diſpenſatoribus, * & ſubregulis Cœleſyriæ & Phœnicis: & honorificaverunt gentem, & templum Domini.

69. Et conſummatis his, acceſſerunt ad me præpoſiti, dicentes: Non ſegregaverunt genus Iſraël, & principes, & ſacerdotes, & Levitæ,

70. Et alienigenæ gentes & nationes terræ, immunditias ſuas à Chananæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Jebuſæis, & Moabitis, & Ægyptiis, & Idumæis.

71. Conjuncti enim ſunt filiabus eorum & ipſi, & filii eorum, & miſtum eſt ſemen ſanctum alienigenis gentibus terræ: & participes erant præpoſiti, & magiſtratus, iniquitatis ejus ab initio ipſius regni.

72. Et mox ut audivi iſta, conſcidi veſtimenta & ſacram tunicam: & lacerans capillos capitis, & barbam, ſedi dolens & mœſtus.

73. Et convenerunt quotquot tunc movebantur in verbo Domini Dei Iſraël, ad me lugentem ſuper iniquitatem iſtam, & ſedebam triſtis uſque ad ſacrificium veſpertinum.

74. Et conſurgens à jejunio, conſciſſa habens veſtimenta & ſacram tunicam, ingeniculans, & extendens manus ad Dominum,

75. Dicebam: Domine, confuſus ſum, & reveritus ſum ante faciem tuam.

76. Peccata enim noſtra multiplicata ſunt ſuper capita noſtra, & iniquitates noſtræ exaltatæ ſunt uſque ad cœlum.

77. Quoniam à temporibus patrum noſtrorum ſumus in magno peccato uſque ad diem hunc.

78. Et propter peccata noſtra, & patrum noſtrorum, ſumus traditi cum fratribus noſtris, & cum ſacerdotibus noſtris, regibus terræ in gladium & captivitatem & deprædationem, cum confuſione uſque in hodiernum diem.

79. Et nunc quantum eſt hoc quod contigit nobis miſericordia abs te Domine Deus, & relinque nobis radicem & nomen in locum ſanctificationis tuæ,

80. Detegere luminare noſtrum in domo Domini Dei noſtri, dare nobis cibum in omni tempore ſervitutis noſtræ.

81. Et cùm ſerviremus, non fuimus derelicti à Domino Deo noſtro; ſed conſtituit nos in gratia, ponens nobis reges Perſarum dare cibum,

82. Et clarificare templum Domini Dei noſtri, & ædificare deſerta Sion, dare nobis ſtabilitatem in Judæa & Jeruſalem.

83. Et nunc quid dicimus, Domine, habentes hæc? Transgreſſi enim ſumus præcepta tua, quæ dediſti in manus puerorum tuorum prophetarum,

84. Dicens: Quoniam terra, in quam introïſtis poſſidere hereditatem ejus, terra polluta eſt coinquinationibus alienigenarum terræ, & immunditiæ illorum repleverunt eam totam immunditiâ ſuâ.

85. Et nunc filias veſtras non conjungetis filiis eorum, & filias eorum non accipietis filiis veſtris,

86. Et non inquiretis pacem habere cum illis omni tempore, ut invaleſcentes manducetis optima terræ, & hereditatem diſtribuatis filiis veſtris uſque in ævum.

87. Et quæ contingunt nobis, omnia fiunt propter opera noſtra maligna, & magna peccata noſtra.

88. Et dediſti nobis talem radicem; & rurſum reverſi ſumus transgredi legitima tua, uti commiſceremur immunditiæ alienigenarum gentium terræ hujus.

89. Nonne iraſceris nobis perdere nos, quoadusque non relinquatur radix & nomen noſtrum?

90. Domine Deus Iſraël verax es. Derelicta eſt enim radix uſque in hodiernum diem.

91. Ecce nunc ſumus in conſpectu tuo in iniquitatibus noſtris. Non eſt enim adhuc ſtare ante te in his.

92. Et cùm adorando confiteretur Eſdras, flens, humi proſtratus ante templum, congregati ſunt ante eum ex Jeruſalem turma magna valde, viri, & mulieres, & juvenes, & juvenculæ. Fletus enim erat magnus in ipſa multitudine.

93. Et cùm clamaſſet Jechonias Jeheli ex filiis Iſraël, dixit Eſdræ: Nos in Dominum peccavimus, quòd collocavimus nobis in matrimonium mulieres alienigenas ex gentibus terræ.

94. Et nunc es ſuper omnem Iſraël. In his ergo ſit jusjurandum à Domino, expellere omnes uxores noſtras quæ ex alienigenis ſunt cum filiis earum.

95. Sicut tibi decretum eſt à majoribus ſecundùm legem Domini exurgens explica.

96. Ad te enim ſpectat negotium, & nos tecum ſumus: viriliter fac.

97. Et exurgens Eſdras adjuravit principes ſacerdotum & Levitas, & omnem Iſraël, facere ſecundùm hæc; & juraverunt.

CAPUT IX.

Jubentur abjicere uxores alienigenas cum filiis; & recenſentur qui ex ſacerdotibus ac Levitis juncti illis erant. Eſdras legit legem Domini coram populo: quibus peractis, jubentur ut ad propria digreſſi, lætum diem agant.

1. ET exurgens Eſdras ab ante atrium templi, abiit in paſtophorium Jonathæ filii Naſabi.

2. Et hoſpitatus illic non guſtavit panem, nec aquam bibit ſuper iniquitatem multitudinis.

3. Et facta eſt prædicatio in omni Judæa, & in Jeruſalem omnibus qui erant ex captivitate in Jeruſalem congregari.

4. Ut quicumque non occurrerit biduo vel triduo diei, ſecundùm judicium aſſidentium ſeniorum, tollerentur facultates ſuæ, & ipſe alienus judicaretur à multitudine captivitatis.

5. Et congregati ſunt omnes qui erant ex tribu Juda, & Benjamin in tribus diebus in Jeruſalem. Hic menſis eſt nonus, dies menſis vigeſimus.

6. Et ſedit omnis multitudo in area templi trementes, propter hyemem præſentem.

7. Et exurgens Eſdras, dixit illis: Vos iniquè feciſtis collocantes vobis in matrimonium uxores alienigenas, ut adderetis ad peccata Iſraël.

8. Et nunc date confeſſionem, & magnificentiam Domino Deo patrum noſtrorum.

9 Et perficite voluntatem ipſius, & diſcedite à gentibus terræ, & ab uxoribus alienigenis.

10. Et clamavit omnis multitudo, & dixerunt voce magnâ: ſicut dixiſti, faciemus.

11. Sed quoniam multitudo magna eſt, & tempus hybernum, & non poſſumus inſubſidiati ſtare: & hoc opus non eſt nobis unius diei, neque bidui: multum enim in his peccavimus:

12. Stent præpoſiti multitudinis, & omnes qui nobiſcum inhabitant, & quotquot habent uxores apud ſe alienigenas,

13. Et aſſiſtant accepto tempore ex omni loco presbyteri, & judices, uſquequò ſolvant iram Domini negotii ejus.

14. Jonathas autem filius Ezeli, & Ozias Thecam ſuſceperunt ſecundùm hæc: & Boſoramus, & Levia, & Sabbathæus ſimul cooperati ſunt cum illis.

15 Et ſteterunt ſecundùm hæc omnia univerſi qui erant ex captivitate.

16. Et elegit ſibi viros Eſdras ſacerdos, principes magnos de patribus eorum ſecundùm nomina, & conſederunt novilunio menſis decimi examinare negotium iſtud.

17. Et determinatum eſt de viris qui habebant uxores alienigenas uſque ad Neomeniam primi menſis.

18. Et inventi ſunt ex ſacerdotibus permiſti, qui habebant alienigenas uxores.

19. Ex filiis Jeſu filii Joſedec, & fratribus ejus: Maſeas, & Elioſerus, & Joribus, & Joadæus,

20. Et injecerunt manus ut expellerent uxores ſuas: & ad litandum in exorationem, arietem pro ignorantia ſua.

21. Et ex filiis Semmeri: Maſeas & Eſſes & Jeclecb, Azarias.

22. Et ex filiis Foſere: Limoſiaa, Hiſmaënis, & Nathance, Juſſio, Reddus, & Thalſas.

23. Et ex Levitis: Jorabdus, & Semeis, & Colnis, & Calitas, & Facteas, & Colvas, & Elionas.

24. Et ex ſacris cantoribus, Eliaſib, Zaccarus.

25. Et ex oſtiariis: Salumus, & Tolbanes.

26. Et ex Iſraël: ex filiis Foro, Ozi, & Remias, & Geddias, & Melchias, & Michelus, Eleazarus, & Jammebias, & Bannas.

27. Et ex filiis Jolaman: Chamas, & Zacharias; & Jerrelus, & Joddius, & Erimoth, & Helias.

28. Et ex filiis Zaroïm: Eliadas, & Liaſumus, Zochias, & Larimoth, & Zabdis, & Thebedias.

29. Et ex filiis Zebes: Joannes, & Amanias, & Zabdias, & Emeua

30. Et ex filiis Banni: Olamus, & Maluchus, & Jeddeus, & Jaſub, & Azabus, & Jerimoth.

31. Et ex filiis Addin: Naathus, & Mooſias, & Caleus, & Raanas, & Maaſeas, Mathathias, & Beſeël, & Bonnus, & Manaſſes.

32. Et ex filiis Nuaë: Noneas, & Aſeas, & Melchias, & Sameas, & Simon, Benjamin, & Malebus, & Marras.

33. Et ex filiis Aſom: Carianeus, Mathathias, & Bannus, & Eliphalach, & Manaſſes, & Semeï.

34. Et ex filiis Banni: Jeremias, & Moadias, & Abramus, & Johel, & Baneas, & Belias, & Jonas, & Marimoth, & Eliaſib, & Mathaneus, & Eliaſis, & Ori-

Digitized by Google

zas, & Dielus, & Semedius, & Zambris, & Joſephus.

35. Et ex filiis Nobel: Idelus & Mathathias, & Sabadus, & Zecheda, Sedmi, & Jeſſei, Baneas,

36. Omnes iſti conjunxerunt ſibi uxores alienigenas, & dimiſerunt eas cum filiis.

37. Et inhabitaverunt ſacerdotes & Levitæ, & qui erant ex Iſraël, in Jeruſalem, & in tota una regione, novilunio menſis ſeptimi. Et erant filii Iſraël in commorationibus ſuis.

38. Et congregata eſt omnis multitudo ſimul in aream, quæ eſt ab oriente portæ ſacræ:

39. Et dixerunt Eſdræ pontifici & lectori, ut afferret legem Moyſi, quæ tradita eſt à Domino Deo Iſraël.

40. Et attulit Eſdras Pontifex legem omni multitudini eorum, à viro uſque ad mulierem, & omnibus ſacerdotibus, audire legem novilunio menſis ſeptimi.

41. Et legebat in area, quæ eſt ante ſacram portam templi, à prima luce uſque ad veſperam, coram viris, & mulieribus. Et dederunt omnes ſenſum ad legem.

42. Et ſtetit Eſdras ſacerdos, & lector legis, ſuper ligneum tribunal quod fabricatum erat.

43. Et ſteterunt ad eum Math thias, & Samus, Ananias, Azarias, Urias, Ezechias, & Balſamus ad dexteram:

44. Et ad ſiniſtram Faldeus, Miſaël, Malachias, Abuſthas, Sabus, Nabadias, & Zacharias.

45. Et aſſumpſit Eſdras librum coram omni multitudine: præſidebat enim in gloria in conſpectu omnium.

46. Et cùm abſolviſſet legem, omnes erecti ſteterunt: & benedixit Eſdras Dominum Deum altiſſimum, Deum ſabaoth omnipotentem.

47. Et reſpondit omnis populus, Amen. Et elevatis ſurſum manibus procidentes in terram, adoraverunt Dominum.

48. Jeſus, & Banæus, & Sarebias, & Jaddinus, & Accubus, & Sabbathæus, & Calithes, & Azarias, & Joradus, & Ananias, & Philias Levitæ.

49. Qui docebant legem Domini, & in multitudine legebant legem Domini, & præferebant ſinguli eos, qui intelligebant lectionem.

50. Et dixit Atharathes Eſdræ pontifici & lectori, & Levitis qui docebant multitudinem,

51. Dicens, Dies hic ſanctus eſt Domino. Et omnes flebant, cùm audiſſent legem.

52. Et dixit Eſdras, Digreſſi ergo manducate pinguiſſima quæque, & bibite dulciſſima quæque, & mittite munera his qui non habent.

53. Sanctus enim eſt hic dies Domini, & nolite mœſti eſſe. Dominus enim clarificabit vos.

54. Et Levitæ denuntiabant in publico omnibus, dicentes, Dies hic ſanctus eſt, nolite mœſti eſſe.

55. Et abierunt omnes manducare, & bibere, & epulari, & dare munera his qui non habebant, ut epularentur. Magnificè enim ſunt exaltati verbis quibus edocti ſunt.

56. Et congregati ſunt univerſi in Jeruſalem celebrare lætitiam, ſecundùm teſtamentum Domini Dei Iſraël.

LIBER ESDRÆ QUARTUS.

CAPUT I.

Mittitur Eſdras à Domino multa ingratis Judæis exhibita beneficia exprobraturus.

1. LIBER Eſdræ prophetæ ſecundus, filii Sarei, filii Azarei, filii Helciæ, filii Sadaniæ, filii Sadoch, filii Achitob,

2. Filii Achiæ, filii Phinees, filii Heli, filii Ameriæ, filii Aziel, filii Marimoth, filii Arna, filii Oziæ, filii Borith, filii Abiſei, filii Phinees, filii Eleazar,

3. Filii Aaron ex tribu Levi, qui fuit captivus in regione Medorum, in regno Artaxerxis regis Perſarum.

4. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens,

5. Vade & nuntia populo meo facinora ipſorum, & filiis eorum iniquitates, quas in me admiſerunt, ut nuntient filiis filiorum:

6. Quia peccata parentum ipſorum in illis creverunt. Obliti enim mei ſacrificaverunt diis alienis.

7. Nonne ego eduxi eos de terra Ægypti de domo ſervitutis? Ipſi autem irritaverunt me, & conſilia mea ſpreverunt.

8. Tu autem excute comam capitis tui, & projice omnia mala ſuper illos: quoniam non obedierunt legi meæ. Populus autem eſt indiſciplinatus.

9. Uſquequò eos ſuſtinebo, quibus tanta beneficia contuli?

10. Reges multos propter eos ſubverti, Pharaonem cum pueris ſuis, & omnem exercitum ejus percuſſi.

11. Omnes gentes à facie eorum perdidi, & in Oriente provinciarum duarum populos Tyri & Sidonis diſſipavi, & omnes adverſarios eorum interfeci.

12. Tu verò loquere ad eos, dicens: Hæc dicit Dominus:

13. Nempe ego vos per mare tranſmeavi, & plateas vobis initio munitas exhibui, ducem vobis dedi Moyſen & Aaron ſacerdotem:

14. Lucem vobis per columnam ignis præſtiti, & magna mirabilia feci in vobis. vos autem mei obliti eſtis, dicit Dominus.

15. Hæc dicit Dominus omnipotens: Coturnix vobis in ſigno fuit, caſtra vobis ad tutelam dedi, & illic murmuraſtis:

16. Et non triumphaſtis in nomine meo de perditione inimicorum veſtrorum, ſed adhuc nunc uſque murmuraſtis.

17. Ubi ſunt beneficia, quæ præſtiti vobis? Nonne in deſerto cùm eſurirents, proclamaſtis ad me,

18. Dicentes, Ut quid nos in deſertum iſtud adduxiſti interficere nos? Melius nobis fuerat ſervire Ægyptiis, quàm mori in deſerto hoc,

19. Ego dolui gemitus veſtros, & dedi vobis manna in eſcam. Panem angelorum manducaſtis.

20. Nonne cùm ſitiretis, petram excidi, & fluxerunt aquæ in ſaturitate? Propter æſtus foliis arborum vos texi.

21. Diviſi vobis terras pingues: Chananæos, & Pherezæos, & Philiſthæos à facie veſtra projeci: quid faciam vobis adhuc, dicit Dominus?

22. Hæc dicit Dominus omnipotens: In deſerto cùm eſſetis in flumine Amorrhæo ſitientes, & blaſphemantes nomen meum,

23. Non ignem vobis pro blaſphemiis dedi, ſed mittens lignum in aquam, dulce feci flumen.

24. Quid tibi faciam Jacob? Noluiſti obedire Juda. Transferam me ad alias gentes, & dabo eis nomen meum, ut cuſtodiant legitima mea.

25. Quoniam me dereliquiſtis, & ego vos derelin-

Digitized by Google

quam. Petentibus vobis à me miſericordiam, non miſerebor.

26. Quando invocabitis me, ego non exaudiam vos. Maculaſtis enim manus veſtras ſanguine, & pedes veſtri impigri ſunt ad committenda homicidia.

27. Non quaſi me dereliquiſtis, ſed vos ipſos, dicit Dominus.

28. Hæc dicit Dominus omnipotens, Nonne ego vos rogavi, ut pater filios, & ut mater, filias, & ut nutrix parvulos ſuos,

29. Ut eſſetis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem?

30. Ita vos collegi, ut gallina pullos ſuos ſub alas ſuas. Modò autem quid faciam vobis? Projiciam vos à facie mea.

31. Oblationem cùm mihi attuleritis, avertam faciem meam à vobis. Dies enim feſtos veſtros, & neomenias & circumciſiones repudiavi.

32. Ego miſi pueros meos prophetas ad vos, quos acceptos interfeciſtis, & laniaſtis corpora eorum, quorum ſanguinem exquiram, dicit Dominus,

33. Hæc dicit Dominus omnipotens, Domus veſtra deſerta eſt: Projiciam vos ſicut ventus ſtipulam,

34. Et filii procreationem non facient: quoniam mandatum meum neglexerunt, & quod malum eſt coram me fecerunt.

35. Tradam domos veſtras populo venienti, qui me non audientes credunt: quibus ſigna non oſtendi, facient quæ præcepi.

36. Prophetas non viderunt, & memorabuntur iniquitatum eorum.

37. Teſtor populi venientis gratiam, cujus parvuli exultant cum lætitia, me non videntes oculis carnalibus, ſed ſpiritu credentes quæ dixi.

38. Et nunc frater aſpice, quæ gloria: & vide populum venientem ab Oriente,

39. Quibus dabo ducatum Abraham, Iſaac, & Jacob, & Oſee, & Amos, & Michææ, & Joël, & Abdiæ & Jonæ,

40. Et Nahum, & Habacuc, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, qui & Angelus Domini vocatus eſt.

CAPUT II.

Synagoga ſub figura matris revocatur à malis ſuis ad vitam reliorem.

1. HÆc dicit Dominus: Ego eduxi populum iſtum de ſervitute, quibus mandata dedi per pueros meos prophetas, quos audire noluerunt, ſed irrita fecerunt mea conſilia:

2. Mater quæ eos generavit, dicit illis, Ite filii, quia ego vidua ſum & derelicta.

3. Educavi vos cum lætitia, & amiſi vos cum luctu & triſtitia, quoniam peccaſtis coram Domino Deo veſtro, & quod malum eſt coram eo feciſtis.

4. Modò autem quid faciam vobis? Ego vidua ſum & derelicta: ite filii, & petite à Domino miſericordiam.

5. Ego autem te pater teſtem invoco ſuper matrem filiorum, qui noluerunt teſtamentum meum ſervare,

6. Ut des eis confuſionem, & matrem eorum in direptionem, ne generatio eorum fiat.

7. Diſpergantur in gentes nomina eorum, deleantur à terra: quoniam ſpreverunt ſacramentum meum.

8. Væ tibi Aſſur, qui abſcondis iniquos penes te. Gens mala, memorare quid fecerim Sodomæ & Gomorrhæ.

9. Quorum terra jacet in piceis glebis & aggeribus cinerum; ſic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens.

10. Hæc dicit Dominus ad Eſdram, Nuntia populo meo, quoniam dabo eis regnum Jeruſalem, quod daturus eram Iſraël.

11. Et ſumam mihi gloriam illorum, & dabo eis tabernacula æterna, quæ præparaveram illis.

12. Lignum vitæ erit illis in odore unguenti, & non laborabunt, neque fatigabuntur.

13. Ite & accipietis. Rogate vobis dies paucos, ut immorentur. Jam paratum eſt vobis regnum: vigilate.

14. Teſtare cœlum & terram. Contrivi enim malum, & creavi bonum, quia vivo ego, dicit Dominus.

15. Mater amplectere filios tuos, educa illos cum lætitia. Sicut columba confirma pedes eorum, quoniam te elegi, dicit Dominus.

16. Et reſuſcitabo mortuos de locis ſuis, & de monumentis educam illos, quoniam cognovi nomen meum in Iſraël.

17. Noli timere mater filiorum: quoniam te elegi, dicit Dominus.

18. Mittam tibi adjutorium pueros meos Iſaïam & Jeremiam, ad quorum conſilium ſanctificavi & paravi tibi arbores duodecim gravatas variis fructibus,

19. Et totidem fontes fluentes lac & mel, & montes immenſos ſeptem, habentem roſam & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.

20. Viduam juſtifica, pupillo judica, egenti da, orphanum tuere, nudum veſti,

21. Confractum & debilem cura, claudum irridere noli, tutare mancum, & cæcum ad viſionem claritatis meæ admitte:

22. Senem & juvenem intra muros tuos ſerva:

23. Mortuos ubi inveneris, ſignans commenda ſepulchro, & dabo tibi primam ſeſſionem in reſurrectione mea.

24. Pauſa & quieſce populus meus, quia veniet requies tua.

25. Nutrix bona nutri filios tuos, confirma pedes eorum,

26. Servos quos tibi dedi, nemo ex eis interiet: eos ego enim requiram de numero tuo.

27. Noli fatigari. Cùm enim venerit dies preſſuræ & anguſtiæ alii plorabunt, & triſtes erunt: tu autem hilaris, & copioſa eris.

28. Zelabunt gentes, & nil adversùs te poterunt, dicit Dominus.

29. Manus meæ tegent te, ne filii tui gehennam videant.

30. Jucundare mater cum filiis tuis, quia ego te eripiam, dicit Dominus.

31. Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego eos educam de lateribus terræ, & miſericordiam cum illis faciam: quoniam miſericors ſum, dicit Dominus omnipotens.

32. Amplectere natos tuos uſque dum venio, & præſtem illis miſericordiam: quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.

33. Ego Eſdras præceptum accepi à Domino in monte Oreb, ut irem ad Iſraël: ad quos cùm venirem, reprobaverunt me, & reſpuerunt mandatum Domini:

34. Ideòque vobis dico gentes, quæ auditis, & intelligitis, Expectate paſtorem veſtrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo eſt ille qui in fine ſæculi adveniet,

35. Parati eſtote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis.

36. Fugite umbram ſæculi hujus: accipite jucunditatem gloriæ veſtræ. Ego teſtor palàm ſalvatorem meum.

37. Commendatum donum accipite & jucundamini, gratias agentes ei qui vos ad cœleſtia regna vocavit.

38. Surgite & ſtate & videte numerum ſignatorum in convivio Domini.

39. Qui ſe de umbra ſæculi tranſtulerunt, ſplendidas tunicas à Domino acceperunt.

40. Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos qui legem Domini compleverunt,

41. Filiorum tuorum, quos optabas, plenus eſt numerus. Roga imperium Domini, ut ſanctificetur populus tuus qui vocatus eſt ab initio.

42. Ego Eſdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum.

43. Et in medio eorum erat juvenis ſtatura celſus, eminentior omnibus illis, & ſingulis eorum capitibus

imponebat

Digitized by Google

imponebat coronas, & magis exaltabatur: Ego autem miraculo tenebar.

44. Tunc interrogavi angelum, & dixi: Qui ſunt hi, Domine?

45. Qui reſpondens dixit mihi: Hi ſunt qui mortalem tunicam depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, & confeſſi ſunt nomen Dei: Modò coronantur, & accipiunt palmas.

46. Et dixi Angelo: Ille juvenis quis eſt, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit?

47. Et reſpondens dixit mihi: Ipſe eſt Filius Dei, quem in ſæculo confeſſi ſunt: ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini ſteterunt.

48. Tunc dixit mihi Angelus: Vade, annuntia populo meo, qualia & quanta mirabilia Domini Dei vidiſti.

CAPUT III.

In omnibus Adæ poſteris, & maximè in Gentibus infidelibus, abundat malitia.

1. ANno trigeſimo ruinæ civitatis, eram in Babylone, & conturbatus ſum ſuper cubiculo meo recumbens, & cogitationes meæ aſcendebant ſuper cor meum.

2. Quoniam vidi deſertionem Sion, & abundantiam eorum qui habitabant in Babylone.

3. Et ventilatus eſt ſpiritus meus valdè, & cœpi loqui ad Altiſſimum verba timorata.

4. Et dixi: O dominator Domine: tu dixiſti ab initio, quando plantaſti terram, & hoc ſolus & imperaſti populo,

5. Et dediſti Adam corpus mortuum: ſed & ipſum figmentum manuum tuarum erat, & inſufflaſti in eum ſpiritum vitæ, & factus eſt vivens coram te:

6. Et induxiſti eum in paradiſo, quem plantaverat dextera tua, antequam terra adventaret.

7. Et huic mandaſti diligere viam tuam, & præterivit eam, & ſtatim inſtituiſti in eo mortem, & in nationibus ejus, & natæ ſunt gentes, & tribus, & populi, & cognationes, quarum non eſt numerus.

8. Et ambulavit unaquæque gens in voluntate ſua, & mira agebant coram te, & ſpernebant præcepta tua.

9. Iterùm autem in tempore induxiſti diluvium ſuper inhabitantes ſæculum, & perdidiſti eos.

10. Et factum eſt in unoquoque eorum, ſicut Adæ mori, ſic his diluvium.

11. Dereliquiſti autem unum ex his Noë cum domo ſua, & ex eo juſti omnes.

12. Et factum eſt cùm cœpiſſent multiplicari, qui habitabant ſuper terram, & multiplicaverunt filios & populos & gentes multas: & cœperunt iteratò impietatem facere plus quàm priores.

13. Et factum eſt cùm iniquitatem facerent coram te, elegiſti tibi virum ex his, cui nomen erat Abraham.

14. Et dilexiſti eum, & demonſtraſti ei ſoli voluntatem tuam:

15. Et diſpoſuiſti ei teſtamentum æternum, & dixiſti ei ut non unquam derelinqueres ſemen ejus. Et dediſti ei Iſaac, & Iſaac dediſti Jacob & Eſaü.

16. Et ſegregaſti tibi Jacob, Eſaü autem ſeparaſti. Et factus eſt Jacob in multitudine magna.

17. Et factum eſt cùm educeres ſemen ejus ex Ægypto, adduxiſti ſuper montem Sina.

18. Et inclinaſti cœlos, & ſtatuiſti terram, & commoviſti orbem, & tremere feciſti abyſſos, & conturbaſti ſæculum.

19. Et tranſiit gloria tua portas quatuor, ignis terræ motus, & ſpiritus, & gelu, ut dares ſemini Jacob legem, & generationi Iſraël diligentiam.

20. Non abſtuliſti ab eis cor malignum, ut faceret lex tua in eis fructum.

21. Cor enim malignum bajulans primus Adam, tranſgreſſus & victus eſt, ſed & omnes qui de eo nati ſunt.

22. Et facta eſt permanens infirmitas, & lex cum corde populi, cum malignitate radicis: & diſceſſit quod bonum eſt, & manſit malignum.

23. Et tranſierunt tempora, & finiti ſunt anni, & ſuſcitaſti tibi ſervum nomine David,

24. Et dixiſti ei ædificare civitatem nominis tui, & offerre tibi in eadem thus & oblationes.

25. Et factum eſt hoc annis multis, & deliquerunt qui habitabant civitatem,

26. In omnibus facientes ſicut fecit Adam, & omnes generationes ejus, utebantur enim & ipſi corde maligno.

27. Et tradidiſti civitatem tuam in manibus inimicorum tuorum.

28. Numquid meliora faciunt, qui habitant Babylonem? Et propter hoc dominabitur Sion?

29. Factum eſt cùm veniſſem huc, & vidiſſem impietates, quarum non eſt numerus: & delinquentes multos vidit anima mea hoc trigeſimo anno, & exceſſit cor meum:

30. Quoniam vidi quomodo ſuſtines eos peccantes, & pepeceriſti impiè agentibus, & perdidiſti populum tuum, & conſervaſti inimicos tuos, & non ſignificaſti.

31. Nihil memini quomodo debeat derelinqui via hæc. Numquid meliora facit Babylon quàm Sion?

32. Aut alia gens cognovit te præter Iſraël? Aut quæ tribus crediderunt teſtamentis tuis, ſicut Jacob?

33. Quarum merces non comparuit, neque labor fructificavit. Pertranſiens enim pertranſivi in gentibus, & vidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum.

34. Nunc ergo pondera in ſtatera noſtras iniquitates, & eorum qui habitant in ſæculo: & non invenietur nomen tuum, niſi in Iſraël.

35. Aut quando non peccaverunt in conſpectu tuo, qui habitant terram? aut quæ gens ſic obſervavit mandata tua?

36. Hos quidem per nomina invenies ſervaſſe mandata tua, gentes autem non invenies.

CAPUT IV.

Retunditur curioſi ſcrutatoris præſumptio, adductis variis ſimilitudinibus.

1. ET reſpondit ad me angelus, qui miſſus eſt ad me, cui nomen Uriel,

2. Et dixit mihi: Excedens exceſſit cor tuum in ſæculo hoc, & comprehendere cogitas viam Altiſſimi.

3. Et dixi: Ita Domine meus. Et reſpondit mihi, & dixit: Tres vias miſſus ſum oſtendere tibi, & tres ſimilitudines proponere coram te.

4. De quibus mihi ſi nuntiaveris unam ex his, & ego tibi demonſtrabo viam, quam deſideras videre, & docebo te, unde ſit cor malignum,

5. Et dixi: Loquere Domine meus. Et dixit ad me: Vade pondera mihi ignis pondus, aut menſura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præteriit.

6. Et reſpondi, & dixi: Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his.

7. Et dixit ad me: Si eſſem interrogans te, dicens: Quantæ habitationes ſunt in corde maris, aut quantæ venæ ſunt in principio abyſſi, aut quantæ venæ ſunt ſuper firmamentum, aut qui ſunt exitus paradiſi:

8. Diceres mihi fortaſſis, in abyſſum non deſcendi, neque in infernum adhuc, neque in cœlum unquam aſcendi.

9. Nunc autem non interrogavi te, niſi de igne, & vento, & die, per quem tranſiſti, & à quibus ſeparati non potes: & non reſpondiſti mihi de eis.

10. Et dixit mihi: Tu quæ tua ſunt tecum coadoleſcentia, non potes cognoſcere:

11. Et quomodo poterit vas tuum capere Altiſſimi viam, & jam exterius corrupto ſæculo intelligere corruptionem evidentem in facie mea?

12. Et dixi illi: Melius erat nos non eſſe quàm adhuc viventes vivere in impietatibus, & pati, & non intelligere de qua re.

13. Et reſpondit ad me, & dixit: Proficiſcens profectus ſum ad ſilvam lignorum campi, & cogitaverunt cogitationem.

14. Et dixerunt: Venite & eamus, & faciamus ad mare bellum, ut recedat coram nobis, & faciamus nobis alias ſilvas.

15. Et ſimiliter fluctus maris, & ipſi cogitaverunt cogitationem, & dixerunt: Venite aſcendeotea debellemus ſilvas campi, ut & ibi conſummemus nobiſmetipſis aliam regionem.

16. Et factus eſt cogitatua ſilvæ in vanum: venit enim ignis, & conſumpſit eam.

17. Similiter & cogitatua fluctuum maris: ſtetit enim arena, & prohibuit eos.

18. Si enim eſſes judex horum, quem inciperes juſtificare, aut quem condemnare?

19. Et reſpondi, & dixi: Utique vanam cogitationem cogitaverunt, terra enim data eſt ſilvæ, & mari locus portare fluctus ſuos.

20. Et reſpondit ad me, & dixit: Benè tu judicaſti & quare non judicaſti tibimetipſi?

21. Quemadmodum enim terra ſilvæ data eſt, & mare fluctibus ſuis: ſic qui ſuper terram inhabitant, quæ ſunt ſuper terram intelligere ſolummodò poſſunt: & qui ſupes cœlos, quæ ſuper altitudinem cœlorum.

22. Et reſpondi, & dixi: Deprecor te Domine, ut mihi detur ſenſus intelligendi.

23. Non enim volui interrogare de ſuperioribus tuis, ſed de his quæ pertranſeunt pes nos quotidie, propter quid Iſraël datus in opprobrium gentibus? quem dilexiſti populum, datus eſt tribubus impiis, & lex patrum noſtrorum in interitum deducta eſt, & diſpoſitiones ſcriptæ nuſquam ſunt:

24. Et pertranſivimus de ſæculo, ut locuſtæ, & vita noſtra ſtupor & pavor, & nec digni ſumus miſericordiam conſequi.

25. Sed quid faciet nomini ſuo quod invocatum eſt ſuper nos? Et de his interrogavi.

26. Et reſpondit ad me, & dixit: Si fueris plurimùm ſcrutatua, frequenter miraberis: quoniam feſtinans feſtinat ſæculum pertranſire,

27. Et non capit portare quæ in futuris temporibus juſtis repromiſſa ſunt: quoniam plenum injuſtitia eſt ſæculum hoc & infirmitatibus.

28. De quibus autem interrogas, dicam: Seminatum enim eſt malum, & needum venit deſtructio ipſius.

29. Si ergo non inverſum fuerit quod ſeminatum eſt, & diſceſſerit locus ubi ſeminatum eſt malum, non veniet ubi ſeminatum eſt bonum.

30. Quoniam gramen ſeminis mali ſeminatum eſt io corde Adam ab initio: & quantùm impietatis generavit uſque nunc, & generat uſque cùm veniat area?

31. Æſtima autem apud te grameo mali ſeminis, quantum fructum impietatis generavit:

32. Quando ſecatæ fuerint ſpicæ quarum non eſt numerus, quàm magnam aream incipient facere?

33. Et reſpondi, & dixi: Quomodo, & quando hæc? Quare modici & mali anni noſtri?

34. Et reſpondit ad me, & dixit mihi: Non feſtines tu ſuper Altiſſimum. Tu enim feſtinas inaniter eſſe ſuper ipſum. Nam exceſſus tuus multus.

35. Nonne de his interrogaverunt animæ juſtorum in promptuariis ſuis, dicentes, Uſquequò ſpero ſic? Et quando veniet fructus areæ mercedis noſtræ?

36. Et reſpondit ad ea Jeremiel Archangelus, & dixit: Quando impletus fuerit numerus ſeminum in vobis, quoniam in ſtatera ponderavit ſæculum.

37. Et menſura menſuravit tempora, & numero numeravit tempora, & non commovit nec excitavit uſquedum impleatur prædicta menſura.

38. Et reſpondi, & dixi: O dominator Domine, ſed & nos omnes pleni ſumus impietate.

39. Et ne fortè propter nos non impleantur juſtorum areæ, propter peccata inhabitantium ſuper terram.

40. Et reſpondit ad me, & dixit: Vade, & interroga prægnantem, ſi quando impleverit novem menſes ſuos, adhuc poterit matrix ejus retinere partum in ſemetipſa? Et dixi:

41. Non poteſt, Domine. Et dixit ad me, In inferno promptuaria animarum matrici aſſimilata ſunt.

42. Quemadmodum enim illa feſtinat quæ parit effugere neceſſitatem partus: ſic & hæc feſtinat reddere ea quæ commendata ſunt.

43. Ab initio tibi demonſtrabitur de his quæ concupiſcis videre.

44. Et reſpondi, & dixi: Si inveni gratiam ante oculos tuos, & ſi poſſibile eſt, & ſi idoneus ſum;

45. Demonſtra mihi, ſi plus quàm præteritum ſit, habet venire, aut plura pertranſierunt ſuprà quàm futurum eſt.

46. Quid pertranſivit ſcio: quid autem futurum ſit ignoro.

47. Et dixit ad me: Sta ſuper dexteram partem, & demonſtrabo tibi interpretationem ſimilitudinis.

48. Et ſteti, & vidi: & ecce fornax ardens tranſiit coram me, & factum eſt, cùm tranſiret flamma, vidi, & ecce ſuperavit fumus.

49. Poſt hæc tranſiit coram me nubes plena aquæ, & immiſit pluviam impetu multam, & cùm tranſiiſſet impetus pluviæ, ſuperaverunt in ea guttæ.

50. Et dixit ad me: Cogita tibi: ſicut creſcit pluvia ampliùs quàm guttæ, & ignis quàm fumus: ſic ſuperabundavit quæ tranſivit menſura. Superaverunt autem guttæ, & fumus!

51. Et oravi, & dixi, Putas vivo uſque in diebus illis? Vel quid erit in diebus illis?

52. Reſpondit ad me, & dixit, De ſignis, de quibus me interrogas ex parte poſſum tibi dicere: de vita autem tua non ſum miſſus dicere tibi, ſed neſcio.

CAPUT V.

Varia ſigna de futuris rebus Eſdræ per Angelum oſtenduntur pro captivorum ſpe ac conſolatione.

1. De ſignis autem: ecce dies venient, in quibus apprehendentur qui inhabitant terram in cenſu multo: & abſcondetur veritatis via, & ſterilis erit à fide regio:

2. Et multiplicabitur injuſtitia ſuper hanc quam ipſe tu vides, & ſuper quam audiſti olim:

3. Et erit impoſito veſtigio quam nunc vides regnare regionem, & videbunt eam deſertam.

4. Si autem tibi dederit Altiſſimus vivere, videbis poſt tertiam tubam, & reluceſcet ſubitò ſol noctu, & luna ter in die,

5. Et de ligno ſanguis ſtillabit, & lapis dabit vocem ſuam, & populi commovebuntur.

6. Et regnabit, quem non ſperant qui inhabitant ſuper terram, & volatilia commigrationem facient:

7. Et mare Sodomiticum piſces rejiciet, & dabit vocem noctu, quam non noverant multi, omnes autem audient vocem ejus,

8. Et chaos fiet per loca multa, & ignis frequenter remittetur, & beſtiæ agreſtes tranſmigrabunt, & mulieres menſtruatæ parient monſtra,

9. Et in dulcibus aquis ſalſæ invenientur, & amici omnes ſemetipſos expugnabunt: & abſcondetur tunc ſenſus, & intellectus ſeparabitur in promptuarium ſuum:

10. Et quæretur à multis, & non invenietur: & multiplicabitur injuſtitia, & incontinentia ſuper terram.

11. Et interrogabit regio proximam ſuam, & dicet, Numquid per te pertranſiit juſtitia juſtum faciens? Et hoc negabit,

12. Et erit in illo tempore, & ſperabunt homines, & non impetrabunt: laborabunt, & non dirigentur viæ eorum.

13. Hæc ſigna dicere tibi permiſſum eſt mihi: & ſi oraveris iterùm & ploraveris, ſicut & nunc, & jejunaveris ſeptem diebus, audies iteratò horum majora.

14. Et evigilavi, & corpus meum horruit valdè: & anima mea laboravit, ut deficeret!

15. Et tenuit me qui venit angelus, qui loquebatur in me, & confortavit me, & ſtatuit me ſuper pedes.

16. Et factum eſt in nocte ſecunda, & venit ad me Salathiel dux populi, & dixit mihi, Ubi eras? Et quare vultus tuus triſtis?

17. An neſcis, quoniam tibi creditus eſt Iſraël in regione tranſmigrationis eorum?

18. Exurge ergo, & guſta panem, & non derelinquas nos ſicut paſtor gregem ſuum in manibus luporum malignorum.

Digitized by Google

19. Et dixi ei, Vade à me, & non appropies ad me. Et audivit, ut dixi: & receſſit à me.

20. Et ego jejunavi diebus ſeptem ululans & plorans, ſicut mihi mandavit Uriel Angelus.

21. Et factum eſt poſt dies ſeptem, & iterùm cogitationes cordis mei moleſtæ erant mihi valdè,

22. Et reſumpſit anima mea ſpiritum intellectus: & iterùm cœpi loqui coram Altiſſimo ſermones,

23. Et dixi, Dominator Domine, ex omni ſilva terræ, & omnibus arboribus ejus, elegiſti vineam unicam:

24. Et ex omni terra orbis, elegiſti tibi foveam unam: & ex omnibus floribus orbis, elegiſti tibi lilium unum:

25. Et ex omnibus abyſſis maris, repleſti tibi rivum unum: & ex omnibus ædificatis civitatibus, ſanctificaſti tibimetipſi Sion:

26. Et ex omnibus creatis volatilibus, nominaſti tibi columbam unam: & ex omnibus plaſmatis pecoribus, providiſti tibi ovem unam:

27. Et ex omnibus multiplicatis populis, acquiſiviſti tibi populum unum: & ab omnibus probatam legem, donaſti huic quem deſideraſti populo.

28. Et nunc Domine, ut quid tradidiſti unum pluribus? Et præparaſti ſuper unam radicem alias, & diſperdidiſti unicum tuum in multis:

29. Et conculcaverunt eum, qui contradicebant ſponſionibus tuis, quique tuis teſtamentis non credebant.

30. Et ſi odiens odiſti populum tuum, tuis manibus debet caſtigari.

31. Et factum eſt cùm locutus eſſem ſermones, & miſſus eſt angelus ad me, qui antè venerat ad me præterita nocte,

32. Et dixit mihi, Audi me, & inſtruam te: & intende mihi, & adjiciam coram te.

33. Et dixi, Loquere Domine meus. Et dixit ad me, Valde tu in exceſſu mentis factus es pro Iſraël: an plus dilexiſti eum, quàm qui eum fecit?

34. Et dixi ad eum, Non Domine, ſed dolens locutus ſum. Torquent enim me renes mei per omnem horam quærentem apprehendere ſemitam Altiſſimi, & inveſtigare partem judicii ejus.

35. Et dixit ad me, Non potes. Et dixi, Quare Domine? Ad quid naſcebar, aut quare non fiebat matrix matris meæ mihi ſepulchrum, ut non viderem laborem Jacob, & defatigationem generis Iſraël?

36. Et dixit ad me, Numera mihi quæ necdum venerant, & collige mihi diſperſas guttas, & revirida mihi aridos flores,

37. Et aperi mihi clauſa promptuaria, & produc mihi incluſos in eis flatus; demonſtra mihi vocis imaginem: & tunc oſtendam tibi laborem quem rogas videre.

38. Et dixi, Dominator Domine, quis enim eſt qui poteſt hæc ſcire, niſi qui cum hominibus habitationem non habet?

39. Ego autem inſipiens: & quomodo potero dicere de his quibus me interrogaſti?

40. Et dixit ad me, Quomodo non potes facere unum de his quæ dicta ſunt: ſic non poteris invenire judicium meum, aut in fine charitatem quam populo promiſi?

41. Et dixi, Sed ecce, Domine tu propè es his qui in finem ſunt: & quid facient qui ante me fuerunt, aut nos, aut hi qui poſt nos?

42. Et dixit ad me, Coronæ aſſimilabo judicium meum. Sicut non noviſſimorum tarditas, ſic nec priorum velocitas.

43. Et reſpondi, & dixi, Nec poteras facere eos qui facti ſunt, & qui ſunt, & qui futuri ſunt, in unum ut celeriùs judicium tuum oſtendas?

44. Et reſpondit ad me, & dixit, Non poteſt feſtinare creatura ſuper creatorem, nec ſuſtinere ſæculum eos qui in eo creandi ſunt, in unum.

45. Et dixi, Quomodo dixiſti ſervo tuo? quoniam vivificans vivificaſti à te creatam creaturam in unum, & ſuſtinebat creatura, poterit & nunc portare præſentes in unum.

46. Et dixit ad me, Interroga matricem mulieris, & dices ad eam, Et ſi paris, quare per tempus? Roga ergo eam, ut det decem in unum.

47. Et dixi, Non utique poterit: ſed ſecundùm tempus.

48. Et dixit ad me, & ego dedi matricem terræ his qui ſeminati ſunt ſuper eam per tempus.

49. Quemadmodum enim infans non parit ea, quæ ſenum ſunt: ſic ego diſpoſui à me creatum ſæculum.

50. Et interrogavi & dixi, Cùm jam dederis mihi viam, loquar coram te: nam mater noſtra, de qua dixiſti mihi, adhuc juvenis eſt: jam ſenectuti appropinquat.

51. Et reſpondit ad me, & dixit, Interroga eam quæ parit, & dicet tibi.

52. Dices enim ei, Quare quos peperiſti, nunc non ſunt ſimiles his qui antè, ſed minores ſtaturâ?

53. Et dicet tibi & ipſa, Alii ſunt qui in juventute virtutis nati ſunt: & alii qui ſub tempore ſenectutis deficiente matrice ſunt nati.

54. Conſidera ergo & tu quoniam minori ſtaturâ eſtis præ his qui ante vos:

55. Et qui poſt vos, minori quàm nos, quaſi jam ſeneſcentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætereuntes. Et dixi, Rogo Domine, ſi inveni gratiam ante oculos tuos, demonſtra ſervo tuo, per quem viſites creaturam tuam.

CAPUT VI.

Deus omnia novit antequam fiant, & omnia creavit propter hominem, omniumque fines conſiderat.

1. ET dixit ad me, Initio terreni orbis & antequam ſtarent exitus ſæculi, & antequam ſpirarent conventiones ventorum,

2. Et antequam ſonarent voces tonitruum, & antequam ſplenderent nitores coruſcationum, & antequam confirmarentur fundamenta paradiſi,

3. Et antequam viderentur decori flores, & antequam confirmarentur motæ virtutes, & antequam colligerentur innumerabiles militiæ angelorum.

4. Et antequam extollerentur altitudines aëris, & antequam nominarentur menſuræ firmamentorum, & antequam æſtuarent camini in Sion,

5. Et antequam inveſtigarentur præſentes anni, & antequam abalienarentur eorum qui nunc peccant adinventiones, & conſignati eſſent qui fidem theſauriza verunt:

6. Tunc cogitavi, & facta ſunt per me ſolum, & non per alium: & finis per me, & non per alium.

7. Et reſpondi, & dixi, Quæ erit ſeparatio temporum? Aut quando prioris finis, & ſequentis initium?

8. Et dixit ad me, Ab Abraham uſque ad Iſaac, quando nati ſunt ab eo Jacob & Eſaü, manus Jacob tenebat ab initio calcaneum Eſaü:

9. Finis enim hujus ſæculi Eſaü & principium ſequentis Jacob.

10. Hominis manus inter calcaneum & manum. Aliud noli quærere Eſdra.

11. Et reſpondi, & dixi, O Dominator Domine, ſi inveni gratiam ante oculos tuos,

12. Oro ut demonſtres ſervo tuo finem ſignorum tuorum, quorum partem mihi demonſtraſti nocte præcedenti.

13. Et reſpondit, & dixit ad me, Surge ſuper pedes tuos, & audi vocem pleniſſimam ſonitus.

14. Et erit ſicut commotio, nec commovebitur locus, in quo ſtes ſuper eum.

15. Ideò cùm loquitur, tu non expaveas, quoniam de fine verbum & fundamentum terræ intelligitur,

16. Quoniam de ipſis ſermo tremiſcit & commovetur, ſcit enim quoniam finem eorum oportet commutari.

17. Et factum eſt, cùm audiſſem, ſurrexi ſuper pedes meos, & audivi: & ecce vox loquens, & ſonus ejus ſicut ſonus aquarum multarum,

18. Et dixit, Ecce dies veniunt, & erit quando appropinquare incipiam, ut viſitem habitantes in terra:

19. Et quando inquirere incipiam ab eis qui injuſtè nocuerunt injuſtitia ſua, & quando ſuppleta fuerit humilitas Sion.

20. Et cùm ſuperſignabitur ſæculum quod incipient pertranſire, hæc ſigna faciam, Libri aperientur ante faciem firmamenti, & omnes videbunt ſimul,

21. Et anniculi infantes loquentur vocibus ſuis, & prægnantes immaturos parient infantes trium & quatuor menſium, & vivent, & ſuſcitabuntur.

22. Et ſubitò apparebunt ſeminata loca & non ſeminata, & plena promptuaria ſubitò invenientur vacua:

23. Et tuba canet cum ſono, quam cùm omnes audierint, ſubitò expaveſcent.

24. Et erit in illo tempore, debellabunt amici amicos ut inimici, & expaveſcet terra cum his:& venæ fontium ſtabunt, & non decurrent in horis tribus:

25. Et erit, omnis qui derelictus fuerit ex omnibus iſtis quibus prædixi tibi, ipſe ſalvabitur, & videbit ſalutare meum, & finem ſæculi veſtri.

26. Et videbunt qui recepti ſunt homines, qui mortem non guſtaverunt à nativitate ſua, & mutabitur cor inhabitantium, & convertetur in ſenſum alium.

27. Delebitur enim malum, & extinguetur dolus.

28. Florebit autem fides, & vincetur corruptela, & oſtendetur veritas quæ ſine fructu fuit diebus tantis.

29. Et factum eſt, cùm loqueretur mihi & ecce paulatim intuebar ſuper eum ante quem ſtabam,

30. Et dixit ad me hæc, Veni tibi oſtendere tempus venturæ noctis.

31. Si ergo iterum rogaveris, & iterùm jejunaveris ſeptem diebus, iterùm tibi renuntiabo horum majora per diem quàm audivi.

32. Audita eſt enim vox tua apud Altiſſimum. Vidit enim fortis directionem tuam, & providit pudicitiam, quam à juventute tua habuiſti:

33. Et propter hoc miſit me demonſtrare tibi hæc omnia, dicere tibi, Confide, & noli timere,

34. Et noli feſtinare cum prioribus temporibus cogitare vana: & non properes à noviſſimis temporibus.

35. Et factum eſt poſt hæc, & flevi iterùm: & ſimiliter jejunavi ſeptem diebus, ut ſuppleam tres hebdomadas, quæ dictæ ſunt mihi.

36. Et factum eſt in octava nocte, & cor meum turbabatur iteratò in me, & cœpi loqui coram Altiſſimo.

37. Inflammabatur enim ſpiritus meus valdè, & anima mea anxiabatur.

38. Et dixi, O Domine, loquens locutus es ab initio creaturæ, in primo die dicens, Fiat cœlum & terra: & tuum verbum opus perfectum.

39. Et erat tunc ſpiritus, & tenebræ circumferebantur, & ſilentium; ſonus vocis hominis nondum erat abs te.

40. Tunc dixiſti de theſauris tuis proferri lumen luminoſum, quo appareret opus tuum.

41. Et die ſecundo creaſti ſpiritum firmamenti, & imperaſti ei ut divideret & diviſionem faceret inter aquas, ut pars quædam ſurſum recederet, pars verò deorſum maneret.

42. Et tertiâ die imperaſti aquis congregari in ſeptima parte terræ: ſex verò partes ſiccaſti & conſervaſti, ut ex his ſint coram te miniſtrantia ſeminata à Deo, & culta.

43. Verbum enim tuum proceſſit, & opus ſtatim fiebat.

44. Proceſſit enim ſubitò fructus multitudinis immenſus, & concupiſcentiæ guſtus multiformes, & flores colore immutabili, & odores odoramenti inveſtigabilis, & die tertiâ hæc facta ſunt.

45. Quartâ autem die imperaſti fieri ſolis ſplendorem, lunæ lumen, ſtellarum diſpoſitionem:

46. Et imperaſti eis, ut deſervirent futuro plaſmato homini.

47. Quinto autem die dixiſti ſeptimæ parti, Ubi erat aqua congregata, ut procrearet animalia, & volatilia, & piſces: & ita fiebat.

48. Aqua muta, & ſine anima quæ Dei nutu jubebantur, animalia faciebat, ut ex hoc mirabilia tua nationes enarrent.

49. Et tunc conſervaſti duas animas: nomen uni vocaſti Henoch, & nomen ſecundæ vocaſti Leviathan.

50. Et ſeparaſti ea ab alterutro. Non enim poterat ſeptima pars, ubi erat aqua congregata, capere ea.

51. Et dediſti Henoch unam partem, quæ ſiccata eſt tertio die, ut habitet in ea ubi ſunt montes mille.

52. Leviathan autem dediſti ſeptimam partem humidam, & ſervaſti eam, ut fiat in devorationem quibus vis, & quando vis.

53. Sexto autem die imperaſti terræ, ut crearet coram te, jumenta, & beſtias, & reptilia:

54. Et ſuper his Adam, quem conſtituiſti ducem ſuper omnibus factis quæ feciſti, & ex eo educimur nos omnes, quemque elegiſti populum.

55. Hæc autem omnia dixi coram te Domine, quia propter nos creaſti ſæculum.

56. Reſiduas autem gentes ab Adam natas dixiſti eas nihil eſſe, & quoniam ſalivæ aſſimulatæ ſunt, & quaſi ſtillicidium de vaſe ſimulaſti abundantiam eorum.

57. Et nunc Domine, ecce iſtæ gentes quæ in nihilum deputatæ ſunt, cœperunt dominari noſtri, & devorare,

58. Nos autem populus tuus, quem vocaſti primogenitum unigenitum æmulatorem tuum, traditi ſumus in manibus eorum:

59. Et ſi propter nos creatum eſt ſæculum, quare non hereditatem poſſidemus cum ſæculo? Uſquequò hæc?

CAPUT VII.

Abſque tribulationibus non pervenitur ad immortalem vitam: & nunc quidem proſunt orationes juſtorum; poſt extremum autem judicium nihil immutabitur. Variis vitiis ſubjiciunt ſe homines, ſed Dominus eſt miſericors.

1. ET factum eſt, cùm finiſſem loqui verba hæc, miſſus eſt ad me angelus, qui miſſus fuerat ad me primis noctibus,

2. Et dixit ad me, Surge Eſdra, & audi ſermones quos veni loqui ad te.

3. Et dixi, Loquere Deus meus. Et dixit ad me, Mare poſitum eſt in ſpatioſo loco, ut eſſet altum & immenſum:

4. Erit autem ei introïtus in anguſto loco poſitus, ut eſſet ſimilis fluminibus.

5. Quis enim volens voluerit ingredi mare, & videre eum, vel dominari ejus: ſi non tranſierit anguſtum, in latitudinem quomodo venire poterit?

6. Item aliud, Civitas eſt ædificata, & poſita in loco campeſtri: eſt autem plena omnium bonorum,

7. Introïtus ejus anguſtus & in præcipiti poſitus, ut eſſet à dextris quidem ignis, à ſiniſtris aqua alta:

8. Semita autem eſt una ſola inter eos poſita, hoc eſt, inter ignem & aquam, ut non capiat ſemita, niſi ſolummodò veſtigium hominis.

9. Si autem dabitur civitas homini in hereditatem, ſi nunquam antepoſitum periculum pertranſierit, quomodo accipiet hereditatem ſuam?

10. Et dixi, Sic Domine. Et dixit ad me, Sic eſt & Iſraël pars.

11. Propter eos enim feci ſæculum, & quando tranſgreſſus eſt Adam conſtitutiones meas, judicatum eſt quod factum eſt.

12. Et facti ſunt introïtus hujus ſæculi anguſti, & dolentes, & laborioſi: pauci autem & mali, & periculorum pleni: & labore magnopere fulti.

13. Nam majoris ſæculi introïtus ſpatioſi & ſecuri, & facientes immortalitatis fructum.

14. Si ergo ingredientes non fuerint ingreſſi qui vivunt anguſta & vana hæc: non poterunt recipere quæ ſunt repoſita.

15. Nunc ergo quare tu conturbaris, cùm ſis corruptibilis? & quid moveris tu, cùm ſis mortalis?

16. Et quare non accepiſti in corde tuo quod eſt futurum, ſed quod in præſenti?

17. Reſpondi & dixi, Dominator Domine, ecce diſpoſuiſti lege tuâ, quoniam juſti hereditabunt hæc, impii autem peribunt.

18. Juſti autem ferent anguſta, ſperantes ſpatioſa,

Digitized by Google

qui enim impiè geſſerunt, & anguſta paſſi ſunt, & ſpatioſa non videbunt.

19. Et dixit ad me, Non eſt judex ſuper Deum, neque intelligens ſuper Altiſſimum.

20. Pereunt enim multi præſentes, quia negligitur quæ antepoſita eſt Dei lex.

21. Mandans enim mandavit Deus venientibus, quando venerunt, quid facientes viverent, & quid obſervantes non punirentur.

22. Hi autem non ſunt perſuaſi, & contradixerunt ei, & conſtituerunt ſibi cogitamen vanitatis.

23. Et propoſuerunt ſibi circumventiones delictorum, & ſuperdixerunt Altiſſimo non eſſe, & vias ejus non cognoverunt,

24. Et legem ejus ſpreverunt, & ſponſiones ejus abnegaverunt, & in legitimis ejus fidem non habuerunt, & opera ejus non perfecerunt.

25. Propter hoc Eſdra vacua vacuis, & plena plenis.

26. Ecce tempus veniet, & erit quando venient ſigna quæ prædixi tibi, & apparebit ſponſa, & appareſcens oſtendetur quæ nunc ſubducitur terra:

27. Et omnis qui liberatus eſt de prædictis malis, ipſe videbit mirabilia mea.

28. Revelabitur enim filius meus Jesus cum his qui cum eo ſunt, & jucundabuntur qui relicti ſunt in annis quadringentis.

29. Et erit poſt annos hos, & morietur filius meus Christus, & omnes qui ſpiramentum habent homines.

30. Et convertetur ſæculum in antiquum ſilentium diebus ſeptem, ſicut in prioribus judiciis, ita ut nemo derelinquatur.

31. Et erit poſt dies ſeptem, & excitabitur quod nondum vigilat ſæculum, & morietur corruptum:

32. Et terra reddet quæ in ea dormiunt, & pulvis qui in eo ſilentio habitant, & promptuaria reddent quæ eis commendatæ ſunt animæ.

33. Et revelabitur Altiſſimus ſuper ſedem judicii, & pertranſibunt miſeriæ, & longanimitas congregabitur.

34. Judicium autem ſolum remanebit, veritas ſtabit, & fides convaleſcet,

35. Et opus ſubſequetur, & merces oſtendetur, & juſtitiæ vigilabunt, & injuſtitiæ non dominabuntur.

36. Et dixi, Primus Abraham propter Sodomitas oravit, & Moyſes pro patribus qui in deſerto peccaverunt,

37. Et qui poſt eum pro Iſraël in diebus Achaz & Samuelis,

38. David pro confractione, & Salomon pro eis qui venerunt in ſanctificationem,

39. Et Elias pro his qui pluviam acceperunt, & pro mortuo ut viveret,

40. Et Ezechias pro populo in diebus Sennacherib, & multi pro multis.

41. Si ergo modò quando corruptibile increvit, & injuſtitia multiplicata eſt, & oraverunt juſti pro impiis: quare & nunc ſic non erit?

42. Et reſpondit ad me, & dixit: Præſens ſæculum non eſt finis, gloria in eo frequens manet: propter hoc oraverunt pro invalidis.

43. Dies enim judicii erit finis temporis hujus, & initium temporis futuræ immortalitatis, in quo tranſivit corruptela:

44. Soluta eſt intemperantia, abſciſſa eſt incredulitas: crevit autem juſtitia, orta eſt veritas.

45. Tunc enim nemo poterit ſalvare eum, qui periit, neque demergere qui vicit. Et reſpondi,

46. Et dixi, Hic eſt ſermo meus primus & noviſſimus, quoniam melius erat non dare terram Adam, vel cùm jam dediſſet, coërcere eum ut non peccaret.

47. Quid enim prodeſt hominibus, in præſenti vivere in triſtitia, & mortuos ſperare punitionem?

48. O tu quid feciſti Adam? Si enim tu peccaſti, non eſt factus ſolius tuus caſus, ſed & noſter qui ex te advenimus.

49. Quid enim prodeſt nobis, ſi promiſſum eſt nobis immortale tempus; nos autem mortalia opera egimus?

50. Et quoniam prædicta eſt nobis perennis ſpes, nos verò peſſimi vani facti ſumus.

51. Et quoniam repoſita ſunt nobis habitacula ſanitatis & ſecuritatis: nos verò malè converſati ſumus.

52. Et quoniam repoſita eſt gloria Altiſſimi, protegere eos qui tardè converſati ſunt: nos autem peſſimis viis ambulavimus.

53. Et quoniam oſtendetur paradiſus, cujus fructus incorruptus perſeverat, in quo eſt ſecuritas & medela:

54. Nos verò non ingredimur, in ingratis enim locis converſati ſumus.

55. Et quoniam ſuper ſtellas fulgebunt facies eorum qui abſtinentiam habuerunt: noſtræ autem facies ſuper tenebras nigræ.

56. Non enim cogitavimus viventes, quando iniquitatem faciebamus, quòd incipiemus poſt mortem pati.

57. Et reſpondit, & dixit, Hoc eſt cogitamentum certaminis quod certabit qui ſuper terram natus eſt homo,

58. Ut ſi victus fuerit, patiatur quod dixiſti: ſi autem vicerit, recipiet quod dico:

59. Quoniam hæc eſt vita quam Moyſes dixit cùm viveret, ad populum, dicens, Elige tibi vitam, ut vivas.

60. Non crediderunt autem ei, ſed nec poſt eum prophetis: ſed nec mihi qui locutus ſum ad eos.

61. Quoniam non eſſet triſtitia in perditionem eorum, ſicut futurum eſt gaudium ſuper eos, quibus perſuaſa eſt ſalus.

62. Et reſpondi, & dixi, Scio Domine, quoniam vocatus eſt Altiſſimus miſericors in eo, quòd miſereatur his qui nondum in ſæculum advenerunt,

63. Et quòd miſeretur illis qui converſionem faciunt in lege ejus:

64. Et longanimis eſt, quoniam longanimitatem præſtat his qui peccaverunt quaſi ſuis operibus:

65. Et munificus eſt, quoniam quidem donare vult pro exigentiis:

66. Et multæ miſericordiæ, quoniam multiplicat magis miſericordias his qui præſentes ſunt, & qui præterierunt, & qui futuri ſunt.

67. Si enim non multiplicaverit miſericordias ſuas, non vivificabitur ſæculum cum his qui inhereditabunt in eo.

68. Et donat: quoniam ſi non donaverit de bonitate ſua, ut alleventur hi qui iniquitatem fecerunt, de ſuis iniquitatibus non poterit decies milleſima pars vivificari hominum,

69. Et judex ſi non ignoverit his qui curati ſunt verbo ejus, & deleverit multitudinem contentionum: non fortaſſis derelinquerentur in innumerabili multitudine, niſi pauci valdè.

CAPUT VIII.

Deus in hoc ſæculo miſericors agnoſcitur propter peccatores; plurimi tamen damnantur: at juſtis præmia ſunt repoſita.

1. ET reſpondit ad me, & dixit: Hoc ſæculum fecit Altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos.

2. Dicam autem coram te ſimilitudinem Eſdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis unde fiat fictile, parvum autem pulverem unde aurum fit: ſic & actus præſentis ſæculi.

3. Multi quidem creati ſunt, pauci autem ſalvabuntur.

4. Et reſpondi, & dixi: Abſorbe ergo anima ſenſum, & devora quod ſapit.

5. Conveniſti enim obaudire, & prophetare volens. Nec enim tibi datum eſt ſpatium, niſi ſolummodò vivere.

6. O Domine, ſi non permittes ſervo tuo, ut oremus coram te, & des nobis ſemen cordi, & ſenſui culturam, unde fructus fiat, unde vivere poſſit omnis corruptus, qui portabit locum hominis?

7. Solus enim es, & una plaſmatio nos ſumus manuum tuarum, ſicut locutus es:

8. Et quomodo nunc in matrice plaſmatum eſt corpus: & præſtas membra: conſervatur in igne & aqua tua creatio: & novem menſibus patitur tua plaſmatio tuam creaturam quæ in ea creata eſt:

9. Ipſum autem quod ſervat, & quod ſervatur, utraque ſervabuntur: ſervataque quandoque iterùm reddit matrix, quæ in ea creverunt.

10. Imperaſti enim ex ipſis membris, hoc eſt mamillis præbere lac fructui mamillarum,

11. Ut nutriatur id quod plaſmatum eſt uſque in tempus aliquod, & poſteà diſponas eum tuæ miſericordiæ.

12. Enutriſti eum tua juſtitia, & erudiſti eum in lege tua, & corripuiſti eum tuo intellectu:

13. Et mortificabis eum, ut tuam creaturam: & vivificabis eum, ut opus tuum.

14. Si ergo perdideris eum qui tantis laboribus plaſmatus eſt: tuo juſſu facile eſt ordinari, ut & id quod fiebat ſervaretur.

15. Et nunc Domine dicam, de omni homine tu magis ſcis: de populo autem tuo, ob quem doleo:

16. Et de hereditate tua, propter quam lugeo: & propter Iſraël, propter quem triſtis ſum: & de Jacob propter quem doleo:

17. Ideò incipiam orare coram te pro me, & pro eis: quoniam video lapſus noſtros, qui inhabitamus terram.

18. Sed audivi celeritatem judicis qui futurus eſt.

19. Ideò audi vocem meam & intellige ſermonem meum, & loquar coram te.

20. Initium verborum Eſdræ priuſquam aſſumeretur, & dixi, Domine, qui inhabitas ſæculum, cujus oculi elevati in ſuperna & aëre:

21. Et cujus thronus inæſtimabilis, & gloria incomprehenſibilis: cui aſtat exercitus angelorum cum tremore,

22. Quorum ſervatio in vento & igni convertitur: cujus verbum verum, & dicta perſeverantia:

23. Cujus juſſio fortis, & diſpoſitio terribilis: cujus aſpectus areſacit abyſſos: & indignatio tabeſcere facit montes, & veritas teſtificatur:

24. Exaudi orationem ſervi tui, & auribus percipe precationem figmenti tui,

25. Dum enim vivo, loquar: & dum ſapio, reſpondebo,

26. Nec reſpicias populi tui delicta, ſed qui tibi in veritate ſerviunt.

27. Nec intendas imp[illegible]gentium ſtudia, ſed qui tua teſtimonia cum doloribus cuſtodierunt.

28. Nec cogites qui in conſpectu tuo falsè converſati ſunt: ſed memorare qui ex voluntate tua timorem cognoverunt.

29. Neque volueris perdere, qui pecudum mores habuerunt: ſed reſpicias eos qui legem tuam ſplendidè docuerunt.

30. Nec indigneris eis qui beſtiis pejores judicati ſunt, ſed diligas eos qui ſemper in tua juſtitia confidunt, & gloria.

31. Quoniam nos & patres noſtri talibus morbis languemus: tu autem propter nos peccatores miſericors vocaberis.

32. Si enim deſideraveris ut noſtri miſerearis, tunc miſericors vocaberis, nobis autem non habentibus opera juſtitiæ.

33. Juſti enim, quibus ſunt opera multa repoſita, ex propriis operibus recipient mercedem.

34. Quid eſt enim homo, ut ei indigneris: aut genus corruptibile, ut ita amarus ſis de ipſo?

35. In veritate enim, nemo de genitis eſt, qui non impiè geſſit; & de confitentibus, qui non deliquit.

36. In hoc enim annuntiabitur juſtitia tua, & bonitas tua Domine, cùm miſertus fueris eis qui non habent ſubſtantiam bonorum operum.

37. Et reſpondit ad me, & dixit: Rectè locutus eſt aliqua: & juxta ſermones tuos, ſic & fiet.

38. Quoniam non verè cogitabo ſuper plaſma eorum qui peccaverunt ante mortem, ante judicium, ante perditionem:

39. Sed jucundabor ſuper juſtorum figmentum & memorabor peregrinationis quoque & ſalvationis, & mercedis receptionis.

40. Quomodo ergo locutus ſum, ſic & eſt.

41. Sicut enim agricola ſerit ſuper terram ſemina multa, & plantationes multitudinis plantat, ſed non in tempore omnia quæ ſeminata ſunt, ſalvantur, ſed nec omnia quæ plantata ſunt, radicabunt, ſic & qui in ſæculo ſeminati ſunt, non omnes ſalvabuntur.

42. Et reſpondi, & dixi: Si inveni gratiam, loquar.

43. Quomodo ſemen agricolæ ſi non aſcenderit aut non acceperit pluviam tuam in tempore, aut ſi corruptum fuerit multitudine pluviæ,

44. Sic perit: & ſimiliter homo qui manibus tuis plaſmatus eſt, & tu ei imago nominatus: quoniam ſimilatus es ei, propter quem omnia plaſmaſti, & ſeminaſti ſemini agricolæ.

45. Non iraſcaris ſuper nos, ſed parce populo tuo, & miſerere hereditati tuæ. Tu autem creaturæ tuæ miſereris.

46. Et reſpondit ad me, & dixit: Quæ ſunt præſentia præſentibus, & quæ futura futuris.

47. Multum enim tibi reſtat, ut poſſis diligere meam creaturam ſuper me: tibi autem frequenter & ipſi proximavi, injuſtis autem numquam.

48. Sed & in hoc mirabilis es coram Altiſſimo.

49. Quoniam humiliaſti te ſicut decet te: & non judicaſti te, ut inter juſtos plurimum glorificeris.

50. Propter quod miſeriæ multæ & miſerabiles efficientur eis qui habitant ſæculum in noviſſimis: quia in multa ſuperbia ambulaverunt.

51. Tu autem pro te intellige, & de ſimilibus tuis inquire gloriam.

52. Vobis enim apertus eſt paradiſus, plantata eſt arbor vitæ, præparatum eſt futurum tempus, præparata eſt abundantia, ædificata eſt civitas, probata eſt requies, perfecta eſt bonitas & perfecta ſapientia.

53. Radix mali ſignata eſt à vobis: infirmitas, & tinea à vobis abſconſa eſt: & infernum fugit corruptio in oblivione.

54. Tranſierunt dolores, & oſtenſus eſt in fine theſaurus immortalitatis.

55. Noli ergo adjicere inquirendo de multitudine eorum qui pereunt.

56. Nam & ipſi accipientes libertatem, ſpreverunt Altiſſimum, & legem ejus contempſerunt, & vias ejus dereliquerunt.

57. Adhuc autem juſtos ejus conculcaverunt,

58. Et dixerunt in corde ſuo non eſſe Deum, & quidem ſcientes quoniam moriuntur.

59. Sicut enim vos ſuſcipient quæ prædicta ſunt: ſic eos ſitis, & cruciatus, quæ præparata ſunt, non enim voluit hominem diſperdi.

60. Sed & ipſi qui creati ſunt, coinquinaverunt nomen ejus qui fecit eos: & ingrati fuerunt ei qui præparavit eis vitam.

61. Quapropter judicium meum modò appropinquat.

62. Quæ non omnibus demonſtravi, niſi tibi, & tibi ſimilibus paucis. Et reſpondi, & dixi:

63. Ecce nunc Domine demonſtraſti mihi multitudinem ſignorum, quæ incipies facere in noviſſimis, ſed non demonſtraſti mihi quo tempore.

CAPUT IX.

Judicia Dei, ſicut & alia ejus opera egregia, præcedunt aliqua ſigna.

1. ET reſpondit ad me, & dixit, Metiens metire tempus in ſemetipſo: & erit cùm videris, quando tranſierit pars quædam ſignorum quæ prædicta ſunt,

2. Tunc intelliges quoniam ipſum eſt tempus, in quo incipiet Altiſſimus viſitare ſæculum quod ab eo factum eſt.

3. Et quando videbitur in ſæculo motio locorum & populorum turbatio,

Digitized by Google

4. Tunc intelliges quoniam de his erat Altiſſimus locutus à diebus qui fuerunt ante te ab initio.

5. Sicut enim omne quod factum eſt in ſæculo, initium habet: pariter & conſummationem, & conſummatio eſt manifeſta:

6. Sic & Altiſſimi tempora initia habent manifeſta in prodigiis & virtutibus, & conſummationes in actu & in ſignis.

7. Et erit, omnis qui ſalvus factus fuerit, & qui poterit effugere per opera ſua, & per fidem in qua credidiſtis,

8. Relinquetur de prædictis periculis, & videbit ſalutare meum in terra mea, & in finibus meis, quoniam ſanctificavi me à ſæculo.

9. Et tunc miſerebuntur qui nunc abuſi ſunt vias meas: & in tormentis commorabuntur hi qui eas projecerunt in contemptu.

10. Qui enim non cognoverunt me, viventes beneficia conſecuti:

11. Et qui faſtidierunt legem meam, cùm adhuc erat habentes libertatem?

12. Et cùm adhuc eſſet eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, ſed ſpreverunt: hos oportet poſt mortem in cruciamento cognoſcere.

13. Tu ergo noli adhuc curioſus eſſe, quomodo impii cruciabuntur: ſed inquire quomodo juſti ſalvabuntur, & quorum ſæculum, & propter quos ſæculum & quando.

14. Et reſpondi, & dixi:

15. Olim locutus ſum, & nunc dico, & poſteà dicam: quoniam plures ſunt qui pereunt, quàm qui ſalvabuntur:

16. Sicut multiplicatur fluctus ſuper guttam. Et reſpondit ad me, & dixit,

17. Qualis ager, talia & ſemina: & quales flores, tales & tincturæ: & qualis operator, talis & creatio: & qualis agricola, talis cultura: quoniam tempus erat ſæculi.

18. Et nunc cùm eſſem parans eis, his qui nunc ſunt antequam fieret ſæculum, in quo habitarent: & nemo mihi contradixit.

19. Tunc enim quiſque, & nunc creator in mundo hoc parato, & meſſe indeficienti, & lege inveſtigabili corrupti ſunt mores eorum.

20. Et conſideravi ſæculum, & ecce erat periculum propter cogitationes quæ in eo advenerunt,

21. Et vidi & peperci ei valde: & ſervavi mihi acinum de botro, & plantationem de tribu multa.

22. Pereat ergo multitudo quæ ſine cauſa nata eſt, & ſervetur acinus meus, & plantatio mea: quia eum multo labore perfeci.

23. Tu autem ſi adhuc intromittas ſeptem dies alios, ſed non jejunabis in eis:

24. Ibis in campum florum, ubi domus non eſt ædificata: & manducabis ſolummodò de floribus campi, & carnem non guſtabis, & vinum non bibes, ſed ſolummodò flores:

25. Deprecare Altiſſimum ſine intermiſſione, & veniam, & loquar tecum.

26. Et profectus ſum, ſicut dixit mihi in campum, qui vocatur Ardath, & ſedi ibi in floribus. Et de herbis agri manducavi, & facta eſt eſca earum mihi in ſaturitatem.

27. Et factum eſt poſt dies ſeptem, & ego diſcumbebam ſupra fœnum, & cor meum iterùm turbabatur ſicut antè.

28. Et apertum eſt os meum, & incboavi dicere coram Altiſſimo, & dixi,

29. O Domine, te nobis oſtendens, oſtenſus eſt patribus noſtris in deſerto, quod non calcatur, & infructuoſo, quando erant exeuntes de Ægypto, & dicens dixiſti,

30. Tu Iſraël audi me, & ſemen Jacob intende ſermonibus meis.

31. Ecce enim ego ſemino in vobis legem meam, & faciet in vobis fructum, & glorificabimini in eo per ſæculum.

32. Nam patres noſtri accipientes legem, non ſervaverunt, & legitima mea non cuſtodierunt, & factus eſt fructus legis non parens: nec enim poterat, quoniam tuus erat.

33. Nam qui acceperunt, perierunt, non cuſtodientes quod in eis ſeminatum fuerat.

34. Et ecce, conſuetudo eſt, ut, cùm acceperit terra ſemen, vel navem mare, vel vas aliquod eſcam vel potum: cùm fuerit exterminatum id, in quo ſeminatum eſt, vel in quod miſſum eſt:

35. Simul id quod ſeminatum, vel miſſum eſt, vel quæ ſuſcepta ſunt, exterminantur, & ſuſcepta jam non manent apud nos: ſed nobis ſic non factum eſt.

36. Nos quidem qui legem accepimus peccantes periimus, & cor noſtrum quod ſuſcepit eam:

37. Nam lex non periit, ſed permanſit in ſuo labore.

38. Et cùm loquerer hæc in corde meo, reſpexi oculis meis, & vidi mulierem in dextera parte, & ecce hæc lugebat & plorabat cum voce magna, & animo dolebat valdè, & veſtimenta ejus diſciſſa, & cinis ſuper caput ejus.

39. Et dimiſi cogitatus, in quibus eram cogitans, & converſus ſum ad eam, & dixi ei,

40. Ut quid fles? Et quid doles animo? Et dixit ad me,

41. Dimitte me Domine meus ut defleam me, & adjiciam dolorem: quoniam valdè amaro ſum animo, & humiliata ſum valdè.

42. Et dixi ei, Quid paſſa es? Dic mihi. Et dixit ad me,

43. Sterilis fui ego famula tua, & non peperi, habens maritum annis triginta.

44. Ego enim per ſingulas horas, & per ſingulos dies, & annos hos triginta deprecor Altiſſimum nocte ac die.

45. Et factum eſt, poſt triginta annos exaudivit me Deus ancillam tuam, & vidit humilitatem meam, & attendidit tribulationi meæ, & dedit mihi filium: & jucundata ſum ſuper eum valdè ego, & vir meus, & omnes cives mei, & honorificabamus valdè Fortem.

46. Et nutrivi eum cum labore multo.

47. Et factum eſt cùm creviſſet, & veniſſet accipere uxorem, feci diem epuli.

CAPUT X.

Per mulierem flentem, rurſuſque refulgentem, oſtenditur figurari Jeruſalem.

1. ET factum eſt, cùm introïſſet filius meus in thalamo ſuo, cecidit, & mortuus eſt:

2. Et evertimus omnes lumina, & ſurrexerunt omnes cives mei ad conſolandum me, & quievi uſque in alium diem uſque nocte.

3. Et factum eſt, cùm omnes quieviſſent ut me conſolarentur ut quieſcerem: & ſurrexi nocte, & fugi: & veni ſicut vides in hoc campo:

4. Et cogito jam non reverti in civitatem, ſed hic conſiſtere: & neque manducare, neque bibere, ſed ſine intermiſſione lugere, & jejunare uſquedum moriar.

5. Et dereliqui ſermones in quibus eram, & reſpondi cum iracundia ad eam, & dixi,

6. Stulta ſuper omnes mulieres, non vides luctum noſtrum, & quæ nobis contingunt?

7. Quoniam Sion mater noſtra omni triſtitiâ contriſtatur, & humilitate humiliata eſt, & luget validiſſimè.

8. Et nunc quoniam omnes lugemus, & triſtes ſumus: quoniam omnes contriſtati ſumus, tu autem contriſtaris in uno filio?

9. Interroga enim terram, & dicet tibi: quoniam hæc eſt quæ debeat lugere caſum tantorum ſuper eam germinantium.

10. Et ex ipſa ab initio omnes nati & alii venient: & & ecce, pænè omnes in perditionem ambulant, & exterminium fit multitudo eorum.

11. Et quis ergo debet lugere magis, niſi hæc quæ

tam magnam multitudinem perdidit, quàm tu quæ pro uno doles? Si autem dicis mihi,

12. Quoniam non eſt planctus meus ſimilis terræ: quoniam fructum ventris mei perdidi, quem cum mœroribus peperi, & cum doloribus genui:

13 Terra autem ſecundùm viam terræ, abiitque in ea multitudo præſens, quomodo evenit: & ego tibi dico,

14. Sicut tu cum labore peperiſti, ſic & terra dat fructum ſuum homini ab initio ei qui fecit eam.

15. Nunc ergo retine apud temetipſam dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt caſus.

16. Si enim juſtificaveris terminum Dei, & conſilium ſuum recipies in tempore, & in talibus collaudaberis.

17. Ingredere ergo in civitatem ad virum tuum. Et dixit ad me,

18. Non faciam, neque ingrediar civitatem, ſed hic moriar.

19. Et appoſui adhuc loqui ad eam, & dixi,

20. Noli facere hunc ſermonem, ſed conſenti perſuadenti. Quot enim caſus Sion? Conſolare propter dolorem Jeruſalem.

21. Vides enim quoniam ſanctificatio noſtra deſerta effecta eſt, & altare noſtrum demolitum eſt, & templum noſtrum deſtructum eſt,

22. Et pſalterium noſtrum humiliatum eſt, & hymnus conticuit, & exultatio noſtra diſſoluta eſt, & lumen candelabri noſtri extinctum eſt, & arca teſtamenti noſtri direpta eſt, & ſancta noſtra contaminata ſunt, & nomen quod invocatum eſt ſuper nos: penè profanatum eſt: & liberi noſtri contumeliam paſſi ſunt, & ſacerdotes noſtri ſuccenſi ſunt, & Levitæ noſtri in captivitatem abierunt, & virgines noſtræ coinquinatæ ſunt, & mulieres noſtræ vim paſſæ ſunt, & juſti noſtri rapti ſunt, & parvuli noſtri perditi ſunt, & juvenes noſtri ſervierunt, & fortes noſtri invalidi facti ſunt:

23. Et quod omnium majus, ſignaculum Sion, quoniam reſignata eſt de gloria ſua, nam & tradita eſt in manibus eorum qui nos oderunt.

24. Tu ergo excute tuam triſtitiam multam, & depone abs te multitudinem dolorum, ut tibi repropitietur Fortis, & requiem faciet tibi Altiſſimus, requietionem laborum.

25. Et factum eſt, cùm loquebar ad eam, facies ejus fulgebat ſubitò & ſpecies, coruſcus fiebat viſus ejus, ut eſſem pavens valdè ad eam, & cogitarem quid eſſet hoc.

26. Et ecce, ſubitò emiſit ſonitum vocis magnum timore plenum, ut commoveretur terra à mulieris ſono, & vidi:

27. Et ecce, ampliùs mulier non comparebat mihi, ſed civitas ædificabatur, & locus demonſtrabatur de fundamentis magnis: & timui, & clamavi voce magnâ, & dixi,

28. Ubi eſt Uriel angelus, qui à principio venit ad me? Quoniam ipſe me fecit venire in multitudine, in exceſſu mentis hujus, & factus eſt finis meus in corruptionem, & oratio mea in improperium.

29. Et cùm eſſem loquens ego hæc, ecce venit ad me, & vidit me.

30. Et ecce eram poſitus ut mortuus, & intellectus meus alienatus erat, & tenuit dexteram meam, & confortavit me, & ſtatuit me ſuper pedes meos, & dixit mihi,

31. Quid tibi eſt? Et quare conturbatus eſt intellectus tuus, & ſenſus cordis tui? Et quare conturbaris? Et dixi,

32. Quoniam dereliquiſti me, & ego quidem feci ſecundùm ſermones tuos, & exivi in campum: & ecce vidi, & video quod non poſſum enarrare. Et dixit ad me,

33. Sta ut vir, & commonebo te.

34. Et dixi, Loquere Domine meus tu in me, noli me derelinquere, ut non fruſtrà moriar:

35. Quoniam vidi quæ non ſciebam, & audio quæ non ſcio.

36. Aut numquid ſenſus meus fallitur, & anima mea ſomniat?

37. Nunc ergo deprecor te, ut demonſtres ſervo tuo de exceſſu hoc. Et reſpondit ad me, & dixit,

38. Audi me & doceam te, & dicam tibi de quibus times: quoniam Altiſſimus revelavit tibi myſteria multa.

39. Vidit rectam viam tuam, quoniam ſine intermiſſione contriſtabaris pro populo tuo, & valdè lugebas propter Sion.

40. Hic ergo intellectus viſionis quæ tibi apparuit ante paululum.

41. Quam vidiſti lugentem, inchoaſti conſolari eam.

42. Nunc autem jam ſpeciem mulieris non vides, ſed apparuit tibi civitas ædificari:

43. Et quoniam enarrabat tibi de caſu filii ſui, hæc abſolutio eſt.

44. Hæc mulier quam vidiſti, hæc eſt Sion; & quoniam dixit tibi, quam & nunc conſpicies, ut civitatem ædificatam.

45. Et quoniam dixit tibi, quia ſterilis fuit triginta annis: propter quod erant anni ſcilicet triginta, quando non erat in ea adhuc oblatio oblata.

46. Et factum eſt poſt annos triginta, ædificavit Salomon civitatem, & obtulit oblationes: tunc fuit quando peperit ſterilis filium.

47. Et quod tibi dixit, quoniam nutrivit eum cum labore, hoc erat, habitatio in Jeruſalem.

48. Et quoniam dixit tibi, quòd filius meus veniens in ſuo thalamo mortuus eſſet, & contigiſſet ei caſus, hoc erat, quæ facta eſt ruina Jeruſalem.

49. Et ecce, vidiſti ſimilitudinem ejus: & quoniam filium lugeret, inchoaſti conſolari eam: & de his quæ contigerunt, hæc erant tibi aperienda.

50. Et nunc videt Altiſſimus, quoniam ex animo contriſtatus es, & quoniam ex toto corde pateris pro ea, oſtendit tibi claritatem gloriæ ejus, & pulchritudinem decoris ejus.

51. Propterea enim dixi tibi, ut maneres in campo ubi domus non eſt ædificata.

52. Sciebam enim ego, quoniam Altiſſimus incipiebat tibi oſtendere hæc:

53. Propterea dixi tibi ut venires in agrum ubi non eſt fundamentum ædificii.

54. Nec enim poterat opus ædificii hominis ſuſtineri in loco, ubi incipiebatur Altiſſimi civitas oſtendi.

55. Tu ergo noli timere, neque expaveſcat cor tuum: ſed ingredere, & vide ſplendorem & magnitudinem ædificii, quantum capax eſt tibi viſus oculorum videre:

56. Et poſt hæc audies quantum capit auditus aurium tuarum audire,

57. Tu enim beatus es præ multis, & vocatus es apud Altiſſimum ſicut & pauci.

58. Nocte autem quæ in craſtinum futura eſt, manebis hic:

59. Et oſtendet tibi Altiſſimus eas viſiones ſupremorum, quæ faciet Altiſſimus his qui habitant ſuper terram à noviſſimis diebus.

60. Et dormivi illam noctem & aliam, ſicut dixerat mihi.

CAPUT XI.

Apparet Eſdræ in viſione aquila principatum univerſi uſurpans.

1. ET vidi ſomnium, & ecce aſcendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum & capita tria.

2. Et vidi, & ecce expandebat alas ſuas in omnem terram, & omnes venti cœli inſufflabant in eam, & colligebantur.

3. Et vidi, & de pennis ejus naſcebantur contrariæ pennæ, & ipſæ fiebant in pennaculis minutis & modicis.

4. Nam capita ejus erant quieſcentia, & dimidium caput erat majus aliorum capitum, ſed ipſa quieſcebat cum eis.

5. Et

5. Et vidi, & ecce aquila volavit in pennis ſuis, & regnavit ſuper terram & ſuper eos qui habitant in ea:

6. Et vidi, quoniam ſubjecta erant ei omnia ſub cœlo, & nemo illi contradicebat, neque unus de creatura quæ eſt ſuper terram.

7. Et vidi, & ecce ſurrexit aquila ſuper ungues ſuos, & miſit vocem pennis ſuis, dicens:

8. Nolite omnes ſimul vigilare, dormite unuſquiſque in loco ſuo, & per tempus vigilate.

9. Capita autem in noviſſimo ſerventur.

10. Et vidi, & ecce vox non exibat de capitibus ejus, ſed de medietate corporis ejus.

11. Et numeravi contrarias pennas ejus, & ecce ipſæ erant octo.

12. Et vidi: & ecce à dextera parte ſurrexit una penna, & regnavit ſuper omnem terram.

13. Et factum eſt cùm regnaret, venit ei finis, & non apparuit locus ejus: & ſequens exurrexit, & regnabat: ipſa multum tenuit tempus.

14. Et factum eſt cùm regnaret, & veniebat finis ejus, ut non appareret ſicut prior.

15. Et ecce, vox emiſſa eſt illi, dicens:

16. Audi tu quæ tanto tempore tenuiſti terram: hæc annuntio tibi antequam incipias non apparere.

17. Nemo poſt te tenebit tempus tuum, ſed nec dimidium ejus.

18. Et levavit ſe tertia, & tenuit principatum ſicut & priores: & non apparuit & ipſa.

19. Et ſic contingebat omnibus aliis ſingulatim principatum gerere, & iterùm nuſquam comparere.

20. Et vidi, & ecce in tempore ſequentes pennæ erigebantur à dextera parte, ut tenerent & ipſæ principatum; & ex his erant quæ tenebant, ſed tamen ſtatim non comparebant.

21. Nam & aliquæ ex eis erigebantur, ſed non tenebant principatum.

22. Et vidi poſt hæc, & ecce non comparuerunt duodecim pennæ, & duo pennacula:

23. Et nihil ſupererat in corpore aquilæ, niſi duo capita quieſcentia & ſex pennacula.

24. Et vidi, & ecce ſex pennaculis diviſæ ſunt duæ, & manſerunt ſub capite quod eſt ad dexteram partem. Nam quatuor manſerunt in loco ſuo.

25. Et vidi, & ecce ſubalares cogitabant ſe erigere, & tenere principatus.

26. Et vidi, & ecce una erecta eſt, ſed ſtatim non comparuit.

27. Et ſecundæ velociùs quàm priores, non comparuerunt.

28. Et vidi, & ecce duæ quæ ſuperaverunt, apud ſemetipſas cogitabant & ipſæ regnare.

29. Et in eo cùm cogitarent, ecce unum quieſcentium capitum quod erat medium, evigilabat; hoc enim erat duorum capitum majus.

30. Et vidi quoniam complexa ſunt duo capita ſecum:

31. Et ecce converſum eſt caput cum his qui cum eo erant, & comedit duas ſubalares quæ cogitabant regnare.

32. Hoc autem caput perconterruit omnem terram, & dominabatur in ea his qui habitant terram cum labore multo, & potentatum tenuit orbis terrarum ſuper omnes alas quæ fuerunt.

33. Et vidi poſt hæc, & ecce medium caput ſubitò non comparuit, &[illegible]c ſicut alæ.

34. Superaverunt autem duo capita, quæ & ipſa ſimiliter regnaverunt ſuper terram, & ſuper eos qui habitant in ea.

35. Et vidi, & ecce devoravit caput à dextera parte illud quod à læva.

36. Et audivi vocem dicentem mihi, Conſpice contra te, & conſidera quod vides.

37. Et vidi, & ecce ſicut leo concitatus de ſilva rugiens, & vidi quoniam emittebat vocem hominis ad aquilam. Et dixit, dicens:

38. Audi tu, & loquar ad te, & dicet Altiſſimus tibi:

39. Nonne tu es qui ſuperaſti de quatuor animalibus, quæ feceram regnare in ſæculo meo, & ut per eos veniret finis temporum eorum.

40. Et quartus veniens devicit omnia animalia quæ tranſierunt, & potentatu tenuit ſæculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore peſſimo, & inhabitavit tot temporibus orbem terrarum cum dolo.

41. Et judicaſti terram non cum veritate.

42. Tribulaſti enim manſuetos, & læſiſti quieſcentes, & dilexiſti mendaces, & deſtruxiſti habitationes eorum qui fructificabant, & humiliaſti muros eorum qui te non nocuerunt.

43. Et aſcendit contumelia tua uſque ad Altiſſimum; & ſuperbia tua ad fortem.

44. Et reſpexit Altiſſimus ſuperba tempora, & ecce finita ſunt, & ſcelera ejus completa ſunt.

45. Propterea non appareas tu aquila, & alæ tuæ horribiles, & pennacula tua peſſima, & capita tua maligna, & ungues tui peſſimi, & omne corpus tuum vanum:

45. Ut refrigeretur omnis terra, & revertatur liberata de tua vi, & ſperet judicium & miſericordiam ejus qui fecit eam.

CAPUT XII.

Ad Eſdræ orationem hujus viſionis datur explicatio cum membris ipſius.

1. ET factum eſt dum loqueretur leo verba hæc ad aquilam: & vidi,

2. Et ecce quod ſuperaverat caput, & non comparuerunt quatuor alæ illæ quæ ad eum tranſierunt, & erectæ ſunt ut regnarent: & erat regnum eorum exile, & tumultu plenum.

3. Et vidi, & ecce ipſa non apparebant, & omne corpus aquilæ incendebatur, & expaveſcebat terra valdè, & ego à tumultu & exceſſu mentis, & à magno timore vigilavi, & dixi ſpiritui meo,

4. Ecce tu præſtitiſti mihi hoc in eo, quod ſcrutaris vias Altiſſimi.

5. Ecce adhuc fatigatus ſum animo, & ſpiritu meo invalidus ſum valdè, & nec modica eſt in me virtus à multo timore, quam expavi nocte hac.

6. Nunc ergo orabo Altiſſimum, ut me confortet uſque in finem.

7. Et dixi, Dominator Domine, ſi inveni gratiam ante oculos tuos, & ſi juſtificatus ſum apud te præ multis, & ſi certè aſcendit deprecatio mea ante faciem tuam,

8. Conforta me, & oſtende ſervo tuo mihi interpretationem & diſtinctionem viſus horribilis hujus, ut pleniſſimè conſoleris animam meam.

9. Dignum enim me habuiſti oſtendere mihi temporum noviſſima. Et dixit ad me,

10. Hæc eſt interpretatio viſionis hujus.

11. Aquilam quam vidiſti aſcendentem de mari, hoc eſt regnum quod viſum eſt in viſione Danieli fratri tuo.

12. Sed non eſt illi interpretatum, quoniam ego nunc tibi interpretor.

13. Ecce dies veniunt, & exurget regnum ſuper terram, & erit timor acrior omnium regnorum quæ fuerunt ante eum.

14. Regnabunt autem in ea reges duodecim, unus poſt unum.

15. Nam ſecundus incipiet regnare, & ipſe tenebit amplius tempus præ duodecim.

16. Hæc eſt interpretatio duodecim alarum quas vidiſti.

17. Et quam audiſti vocem quæ locuta eſt, non de capitibus ejus exeuntem, ſed de medio corporis ejus.

18. Hæc eſt interpretatio, quoniam poſt tempus regni illius naſcentur contentiones non modicæ, & periclitabitur ut cadat: & non cadet tunc, ſed iterùm conſtituetur in ſuum initium.

19. Et quoniam vidiſti ſubalares octo cohærentes alis ejus,

20. Hæc eſt interpretatio, exurgent in ipſo octo reges, quorum erunt tempora levia, & anni citati, & duo quidem ex ipſis peribunt.

21. Appropinquante autem tempore medio, quatuor ſervabuntur in tempore, cùm incipiet appropinquare tempus ejus ut finiatur: duo verò in finem ſervabuntur.

22. Et quoniam vidiſti tria capita quieſcentia,

23. Hæc eſt interpretatio: in noviſſimis ejus ſuſcitabit Altiſſimus tria regna, & revocabit in ea multa, & dominabuntur terram,

24. Et qui habitant in ea, cum labore multo ſuper omnes qui fuerunt ante hos, propter hoc ipſi vocati ſunt capita aquilæ.

25. Iſti enim erunt qui recapitulabunt impietates ejus, & qui perficient noviſſima ejus.

26. Et quoniam vidiſti caput majus non apparens, hæc eſt interpretatio ejus, quoniam unus ex eis ſuper lectum ſuum morietur, & tamen cum tormentis.

27. Nam duo qui perſeveraverint, gladius eos comedet.

28. Unius enim gladius comedet qui cum eo: ſed tamen hic gladio in noviſſimis cadet.

29. Et quoniam vidiſti duas ſubalares tranſjicientes ſuper caput quod eſt in dextera parte.

30. Hæc eſt interpretatio: hi ſunt quos conſervavit Altiſſimus in finem ſuum, hoc eſt regnum exile & turbationis plenum.

31. Sicut vidiſti & leonem, quem vidiſti de ſilva evigilantem, & rugientem, & loquentem ad aquilam, & & arguentem eam, & injuſtitias ipſius, per omnes ſermones ejus ſicut audiſti:

32. Hic eſt ventus quem ſervavit Altiſſimus in finem ad eos, & impietates ipſorum: & arguet illos, & incutiet coram ipſis diſcerptiones eorum.

33. Statuet enim eos in judicio vivos: & erit, cùm arguerit eos, tunc corripiet eos.

34. Nam reſiduum populum meum liberabit cum miſeria, qui ſalvati ſunt ſuper fines meos, & jucundabit eos quoad uſque veniet finis, dies judicii de quo locutus ſum tibi ab initio.

35. Hoc ſomnium quod vidiſti, & hæ interpretationes.

36. Tu ergo ſolus dignus fuiſti ſcire Altiſſimi ſecretum hoc.

37. Scribe ergo omnia iſta in libro quæ vidiſti, & pone ea in loco abſcondito:

38. Et docebis ea ſapientes de populo tuo, quorum corda ſcis poſſe capere, & ſervare ſecreta hæc.

39. Tu autem adhuc ſuſtine hìc alios dies ſeptem, ut tibi oſtendatur, quidquid viſum fuerit Altiſſimo oſtendere tibi.

40. Et profectus eſt à me. Et factum eſt, cùm audiſſet omnis populus quoniam pertranſierunt ſeptem dies, & ego non fuiſſem reverſus in civitatem, & congregavit ſe omnis à minimo uſque ad maximum: & venit ad me, & dixerunt mihi dicentes;

41. Quid peccavimus tibi, & quid injuſtè egimus in te, quoniam derelinquens nos ſediſti in loco hoc?

42. Tu enim nobis ſuperes ſolus ex omnibus populis, ſicut botrus de vinea, & ſicut lucerna in loco obſcuro, & ſicut portus & navis ſalvata à tempeſtate.

43. Aut non ſufficiunt nobis mala quæ contingunt?

44. Si ergo tu nos dereliqueris, quantò nobis erat melius ſi eſſemus ſuccenſi & nos cum incendio Sion?

45. Nec enim nos ſumus meliores eorum, qui ibi mortui ſunt. Et ploraverunt voce magnâ. Et reſpondi ad eos, & dixi:

46. Confide Iſraël, & noli triſtari tu domus Jacob.

47. Eſt enim memoria veſtri coram Altiſſimo, & fortis non eſt oblitus veſtri in tentatione.

48. Ego enim non dereliqui vos, neque exceſſi à vobis: ſed veni in hunc locum ut deprecarer pro deſolatione Sion, ut quærerem miſericordiam pro humilitate ſanctificationis veſtræ.

49. Et nunc ite unuſquiſque veſtrûm in domum ſuam, & ego veniam ad vos poſt dies iſtos.

50. Et profectus eſt populus, ſicut dixi ei, in civitatem:

51. Ego autem ſedi in campo ſeptem diebus, ſicut mihi mandavit: & manducabam de floribus ſolummodò agri, de herbis facta eſt eſca mihi in diebus illis.

CAPUT XIII.

Altera viſio Eſdræ oſtenditur cum ipſius interpretatione.

1. ET factum eſt poſt dies ſeptem, & ſomniavi ſomnium nocte.

2. Et ecce de mari ventus exurgebat, ut conturbaret omnes fluctus ejus.

3. Et vidi, & ecce convaleſcebat ille homo cum millibus cœli: & ubi vultum ſuum vertebat ut conſideraret, tremebant omnia quæ ſub eo videbantur.

4. Et ubicumque exibat vox de ore ejus, ardeſcebant omnes qui audiebant voces ejus, ſicut quieſcit terra quando ſenſerit ignem.

5. Et vidi poſt hæc, & ecce congregabatur multitudo hominum, quorum non erat numerus de quatuor ventis cœli, ut debellarent hominem qui aſcenderat de mari.

6. Et vidi, & ecce ſibimetipſi ſculpſerat montem magnum, & volavit ſuper eum.

7. Ego autem quæſivi videre regionem vel locum unde ſculptus eſſet mons, & non potui,

8. Et poſt hæc vidi, & ecce omnes qui congregati ſunt ad eum, ut expugnarent eum, timebant, valdè tamen audebant pugnare.

9. Et ecce, ut vidit impetum multitudinis venientis, non levavit manum ſuam, neque frameam tenebat, neque aliquod vas bellicoſum, niſi ſolummodò ut vidi,

10. Quoniam emiſit de ore ſuo ſicut flatum ignis, & de labiis ejus ſpiritus flammæ, & de lingua ejus emittebat ſcintillas & tempeſtates, & commiſta ſunt omnia ſimul, hic flatus ignis, & ſpiritus flammæ, & multitudo tempeſtatis:

11. Et concidit ſuper multitudinem in impetu, quæ præparata erat pugnare, & ſuccendit omnes, ut ſubitò nihil videretur de innumerabili multitudine, niſi ſolummodò pulvis, & fumi odor: & vidi, & extimui.

12. Et poſt hæc vidi ipſum hominem deſcendentem de monte, & vocantem ad ſe multitudinem aliam pacificam,

13. Et accedebat ad eum vultus hominum multorum, quorumdam gaudentium, quorumdam triſtantium: aliqui verò alligati, aliqui adducentes ex eis qui offerebantur: & ægrotavi à multitudine pavoris, & expergefactus ſum, & dixi,

14. Tu ab initio demonſtraſti ſervo tuo mirabilia hæc, & dignum me habuiſti ut ſuſciperes deprecationem meam:

15. Et nunc demonſtra mihi adhuc interpretationem ſomnii hujus.

16. Sicut enim exiſtimo in ſenſu meo, væ qui derelicti fuerunt in diebus illis: & multò plus væ his qui non ſunt derelicti.

17. Qui enim non ſunt derelicti, triſtes erant.

18. Intelligo nunc quæ ſunt repoſita in noviſſimis diebus, & occurrent eis, ſed & his qui derelicti ſunt.

19. Propter hoc venerunt enim in pericula magna, & neceſſitates multas, ſicut oſtendunt ſomnia hæc.

20. Attamen facilius eſt periclitantem venire in hunc, quàm pertranſire, ſicut nubem à ſæculo, & nunc videre quæ contingunt in noviſſimo. Et reſpondit ad me, & dixit:

21. Et viſionis interpretationem dicam tibi: & de quibus locutus es adaperiam tibi.

22. Quoniam de his dixiſti qui derelicti ſunt: hæc eſt interpretatio.

23. Qui auferet periculum illo tempore, hic ſe cuſtodivit, qui in periculo inciderunt, hi ſunt qui habent opera & fidem ad Fortiſſimum.

Digitized by Google

24. Scito ergo quoniam magis beatificati ſunt qui derelicti, ſuper eos qui mortui ſunt.

25. Hæ interpretationes viſionis, quia vidiſti virum aſcendentem de corde maris,

26. Ipſe eſt quem conſervat Altiſſimus multis temporibus, qui per ſemetipſum liberabit creaturam ſuam: & ipſe diſponet, qui derelicti ſunt.

27. Et quoniam vidiſti de ore ejus exire, ut ſpiritum, & ignem, & tempeſtatem:

28. Et quoniam non tenebat frameam, neque vas bellicoſum: corrupit enim impetus ejus multitudinem, quæ venerat expugnare eum: hæc eſt interpretatio.

29. Ecce dies veniunt, quando incipiet Altiſſimus liberare eos qui ſuper terram ſunt:

30. Et veniet in exceſſu mentis ſuper eos qui inhabitant terram.

31. Et alii alios cogitabunt debellare; civitas civitatem, & locus locum, & gens adversùs gentem, & regnum adversùs regnum.

32. Et erit, cùm fient hæc, & contingent ſigna quæ antè oſtendi tibi: & tunc revelabitur filius meus, quem vidiſti, ut virum aſcendentem.

33. Et erit quando audierint omnes gentes vocem ejus, & derelinquet unuſquiſque in regione ſua bellum ſuum, quod habent ad alterutrum:

34. Et colligetur in unum multitudo innumerabilis, ſicut volentes venire, & expugnare eum.

35. Ipſe autem ſtabit ſuper cacumen montis Sion.

36. Sion autem veniet, & oſtendetur omnibus parata & ædificata, ſicut vidiſti montem ſculpi ſine manibus.

37. Ipſe autem filius meus arguet quæ adinvenerunt Gentes, impietates eorum has quæ tempeſtati appropinquaverunt propter mala cogitamenta eorum, & cruciamenta quibus incipient cruciari:

38. Quæ aſſimilatæ ſunt flammæ, & perdet eos ſine labore per legem quæ igni aſſimilata eſt.

39. Et quoniam vidiſti eum colligentem ad ſe aliam multitudinem pacificam,

40. Hæ ſunt decem tribus, quæ captivæ factæ ſunt de terra ſua in diebus Oſee regis, quem captivum duxit Salmanaſar rex Aſſyriorum: & tranſtulit eos trans flumen, & tranſlati ſunt in terram aliam.

41. Ipſi autem ſibi dederunt conſilium hoc, ut derelinquerent multitudinem gentium, & proficiſcerentur in ulteriorem regionem, ubi numquam inhabitavit genus humanum:

42. Vel ibi obſervare legitima ſua, quæ non fuerant ſervantes in regione ſua.

43. Per introitus autem anguſtos fluminis, Euphratem introïerunt.

44. Fecit enim eis tunc Altiſſimus ſigna, & ſtatuit venas fluminis: uſquequò tranſirent.

45. Per eam enim regionem erat via multa itineris, anni unius & dimidii: nam regio illa vocatur Arſareth.

46. Tunc inhabitaverunt ibi uſque in noviſſimo tempore: & nunc iterùm cùm cœperint venire,

47. Iterùm Altiſſimus ſtatuet venas fluminis, ut poſſint tranſire: propter hæc vidiſti multitudinem cum pace.

48. Sed & qui derelicti ſunt de populo tuo, hi ſunt qui inveniuntur intra terminum meum.

49. Factum erit ergo, quando incipiet perdere multitudinem earum, quæ collectæ ſunt gentes, proteget eos qui ſuperaverunt populum:

50. Et tunc oſtendet eis multa plurima portenta.

51. Et dixi ego, Dominator Domine, hoc mihi oſtende, propter quod vidi virum aſcendentem de corde maris. Et dixit mihi,

52. Sicut non potes hæc vel ſcrutari, vel ſcire quæ ſunt in profundo maris: ſic non poterit quiſque ſuper terram videre filium meum, vel eos qui cum eo ſunt, niſi in tempore diei.

53. Hæc eſt interpretatio ſomnii quod vidiſti, & propter quod illuminatus es hîc ſolus.

54. Dereliquiſti enim tuam, & circa meam vacaſti legem, & quæſiſti.

55. Vitam enim tuam diſpoſuiſti in ſapientia, & ſenſum tuum vocaſti matrem:

56. Et propter hoc oſtendi tibi merces apud Altiſſimum, erit enim poſt alios tres dies, ad te alia loquar, & exponam tibi gravia & mirabilia.

57. Et profectus ſum, & tranſii in campum, multùm glorificans & laudans Altiſſimum, de mirabilibus quæ per tempus faciebat:

58. Et quoniam gubernat ipſum, & quæ ſunt in temporibus illata: & ſedi ibi tribus diebus.

CAPUT XIV.

Apparet Dominus Eſdræ in rubo, & futura quædam arcana revelat.

1. ET factum eſt tertio die, & ego ſedebam ſub quercu.

2. Et ecce, vox exivit contra me de rubo, & dixit: Eſdra Eſdra. Et dixi: Ecce ego Domine, & ſurrexi ſuper pedes meos. Et dixit ad me:

3. Revelans revelatus ſum ſuper rubum, & locutus ſum Moyſi, quando populus meus ſerviebat in Ægypto,

4. Et miſi eum, & eduxi populum meum de Ægypto, & adduxi eum ſuper montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis.

5. Et enarravi ei mirabilia multa; & oſtendi ei temporum ſecreta & finem, & præcepi ei, dicens:

6. Hæc in palam facies verba, & hæc abſcondes.

7. Et nunc tibi dico:

8. Signa quæ demonſtravi, & ſomnia quæ vidiſti; & interpretationes quas tu vidiſti, in corde tuo repone ea:

9. Tu enim recipieris ab omnibus, converteris reſiduus cum conſilio meo & cum ſimilibus tuis, uſquequò finiantur tempora.

10. Quoniam ſæculum perdidit juventutem ſuam, & tempora appropinquant ſeneſcere.

11. Duodecim enim partibus diviſum eſt ſæculum, & tranſierunt ejus decima & dimidium decimæ partis.

12. Superſunt autem ejus poſt medium decimæ partis.

13. Nunc ergo diſpone domum tuam, & corripe populum tuum, & conſolare humiles eorum, & renuntia jam corruptelæ,

14. Et dimitte abs te mortales cogitationes, & projice abs te pondera humana, & exue te jam infirmam naturam, & repone in unam partem moleſtiſſima tibi cogitamenta, & feſtina tranſmigrare à temporibus his:

15. Quæ enim vidiſti nunc contigiſſe mala: iterùm horum deteriora facient:

16. Quantum enim invalidum fiet ſæculum à ſenectute, tantum multiplicabuntur ſuper inhabitantes mala.

17. Prolongavit enim ſe magis veritas, & appropinquavit mendacium. Jam enim feſtinat venire, quam vidiſti viſionem.

18. Et reſpondi, & dixi coram te, Domine:

19. Ecce enim ego abibo, ſicut præcepiſti mihi, & corripiam præſentem populum. Qui autem iterùm nati fuerint, quis commonebit?

20. Poſitum eſt ergo ſæculum in tenebris, & qui inhabitant in eo ſine lumine.

21. Quoniam lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit quæ à te facta ſunt, vel quæ incipient opera.

22. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum ſanctum: & ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ab initio, quæ erant in lege tua ſcripta: ut poſſint homines invenire ſemitam, & qui voluerit vivere in noviſſimis, vivant.

23. Et reſpondit ad me, & dixit: Vadens congrega populum, & dices ad eos, ut non quærant te diebus quadraginta.

24. Tu autem præpara tibi buxos multos, & accipe tecum Saream, Dabriam, Selemiam, Echanum, & Aſiel, quinque hos qui parati ſunt ad ſcribendum velociter.

25. Et venias huc, & ego accendam in corde tuo

lucernam intellectus, quæ non extinguetur quoad uſque finiantur quæ incipies ſcribere.

26. Et tunc perfectis quædam palàm facies, quædam ſapientibus abſconsè trades, in craſtinum enim hac hora incipies ſcribere.

27. Et profectus ſum, ſicut mihi præcepit, & congregavi omnem populum, & dixi:

28. Audi Iſraël verba hæc:

29. Peregrinati ſunt patres noſtri ab initio in Ægypto, & liberati ſunt inde:

30. Et acceperunt legem vitæ quam non cuſtodierunt, quam & vos poſt eos tranſgreſſi eſtis:

31. Et data eſt vobis terra in ſortem, & terra Sion, & patres veſtri, & vos iniquitatem feciſtis, & non ſervaſtis vias quas præcepit vobis Altiſſimus:

32. Et juſtus judex cùm ſit, abſtulit à vobis in tempore quod donaverat.

33. Et nunc vos hic eſtis, & fratres veſtri introrſum veſtrûm ſunt.

34. Si ergo imperaveritis ſenſui veſtro, & erudieritis cor veſtrum, vivi conſervati eritis, & poſt mortem miſericordiam conſequimini.

35. Judicium enim poſt mortem veniet, quando iterùm reviviſcemus: & tunc juſtorum nomina parebunt, & impiorum facta oſtendentur.

36. Ad me igitur nemo accedat nunc, neque requirat me uſque dies quadraginta.

37. Et accepi quinque viros ſicut mandavit mihi, & profecti ſumus in campum, & manſimus ibi.

38. Et factus ſum in craſtinum, & ecce vox vocavit me dicens: Eſdra aperi os tuum, & bibe quo te potavero.

39. Et aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi. Hoc erat plenum ſicut aqua: color autem ejus ut igni ſimilis.

40. Et accepi, & bibi: & in eo cùm bibiſſem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia. Nam ſpiritus meus conſervabatur memoria.

41. Et apertum eſt os meum, & non eſt clauſum ampliùs.

42. Altiſſimus dedit intellectum quinque viris, & ſcripſerunt quæ dicebantur exceſſiones noctis, quas non ſciebant.

43. Nocte autem manducabant panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam.

44. Scripti ſunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor.

45. Et factum eſt cùm compleviſſent quadraginta dies, locutus eſt Altiſſimus dicens: Priora quæ ſcripſiſti, in palàm pone, & legant digni & indigni:

46. Noviſſimos autem ſeptuaginta conſervabis, ut tradas eos ſapientibus de populo tuo.

47. In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen. Et feci ſic,

CAPUT XV.

Prædicuntur multæ calamitates ſæculo ſuperventuræ.

1. ECce loquere in aures plebis meæ ſermones prophetiæ, quos immiſero in os tuum, dicit Dominus:

2. Et fac ut in charta ſcribantur, quoniam fideles & veri ſunt.

3 Ne timeas à cogitationibus adversùm te, nec turbent te incredulitates dicentium:

4. Quoniam omnis incredulus in incredulitate ſua morietur.

5. Ecce ego induco, dicit Dominus, ſuper orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem & interitum;

6. Propter quod ſuperpolluit iniquitas omnem terram, & adimpleta ſunt opera nociva illorum.

7. Propterea dicit Dominus:

8. Jam non ſilebo de impietatibus eorum quæ irreligiosè agunt, nec ſuſtinebo in his quæ iniquè exercent, ecce ſanguis innoxius & juſtus clamat ad me, & animæ juſtorum clamant perſeverantes,

9. Vindicans vindicabo illos, dicit Dominus, & accipiam omnem ſanguinem innoxium ex illis ad me.

10. Ecce populus meus quaſi grex ad occiſionem ducitur, jam non patiar illum habitare in terra Ægypti:

11. Sed educam eum in manu potenti & brachio excelſo, & percutiam plaga ſicut priùs, & corrumpam omnem terram ejus.

12. Lugebit Ægyptus, & fundamenta ejus plaga verberata, & caſtigatione quas inducet ei Deus.

13. Lugebunt cultores operantes terram, quoniam deficient ſemina eorum ab urędine, & grandine, & à ſidere terribili.

14. Væ ſæculo, & qui habitant in eo:

15. Quia appropinquavit gladius & contritio eorum, & exurget gens contra gentem ad pugnam, & romphæa in manibus eorum.

16. Erit enim inconſtabilitio hominibus, & alii aliis invaleſcentes non curabunt regem ſuum, & principes viæ geſtorum ſuorum in potentia ſua.

17. Concupiſcet enim homo in civitatem ire, & non poterit.

18. Propter ſuperbiam enim eorum civitates turbabuntur, domus exterentur, homines metuent.

19. Non miſerebitur homo proximum ſuum, ad irritum faciendum domos eorum in gladium, ad diripiendas ſubſtantias eorum, propter famem panis & tribulationem multam:

20. Ecce, ego convoco, dicit Deus, omnes reges terræ ad me verendum, qui ſunt ab Oriente, & ab Auſtro, & ab Euro, & à Libano, ad convertendos in ſe, & reddere quæ dederunt illis:

21. Sicut faciunt uſque hodie electis meis, ſic faciam & reddam in ſinu eorum. Hæc dicit Dominus Deus.

22. Non parcet dextera mea ſuper peccatores, nec ceſſabit romphæa ſuper effundentes ſanguinem innoxium ſuper terram.

23. Exiit ignis ab ira ejus & devoravit fundamenta terræ, & peccatores quaſi ſtramen incenſum.

24. Væ eis qui peccant, & non obſervant mandata mea, dicit Dominus,

25. Non parcam illis. Diſcedite filii à poteſtate. Nolite contaminare ſanctificationem meam,

26. Quoniam novit Dominus omnes qui delinquunt in illum; propterea tradidit eos in mortem, & in occiſionem.

27. Jam enim venerunt ſuper orbem terrarum mala; & manebitis in illis: non enim liberabit vos Deus propter quòd peccaſtis in eum.

28 Ecce viſio horribilis, & facies illius ab Oriente.

29. Et exient nationes draconum Arabum in curribus multis, & ſicut flatus, eorum numerus feretur ſuper terram, ut jam timeant & trepident omnes qui illos audient,

30. Carmonii inſanientes in ira, & exient ut apri de ſilva, & advenient in virtute magna, & conſtabunt in pugnam cum illis, & vaſtabunt portionem terræ Aſſyriorum.

31. Et poſt hæc ſupervaleſcent dracones nativitatis ſuæ memores, & convertent ſe conſpirantes in virtute magna ad perſequendos eos.

32. Iſti turbabuntur, & ſilebunt in virtute illorum, & convertent pedes ſuos in fugam,

33. Et à territorio Aſſyriorum ſubſeſſor obſidebit eos, & conſumet unum ex illis, & erit timor & tremor in exercitu illorum, & contentio in reges ipſorum.

34. Ecce nubes ab oriente & ſeptentrione uſque ad meridianum, & facies earum horrida valdè, plena iræ & procellæ,

35. Et collident ſe invicem, & collident ſidus copioſum ſuper terram, & ſidus illorum, & erit ſanguis à gladio uſque ad ventrem,

36. Et fimus hominis uſque ad ſubſtramen cameli, & erit timor & tremor multus ſuper terram,

37. Et horrebunt qui videbunt iram illam, & tremor apprehendet illos: & poſt hæc movebunt nimbi copioſi

Digitized by Google

38. A meridiano & ſeptemtrione, & portio alia ab occidente :

39 Et ſuperinvaleſcent venti ab oriente, & recludent eam, & nubem quam ſuſcitavi in ira, & ſidus ad faciendam exterritationem ad orientalem ventum : & occidentem violabitur :

40. Et exaltabuntur nubes magnæ & validæ plenæ iræ, & ſidus, ut exterreant omnem terram, & inhabitantes eam, & infundent ſuper omnem locum altum & eminentem ſidus terribile,

41. Ignem & grandinem, & romphæas volantes, & aquas multas, ut etiam impleantur omnes campi, & omnes rivi plenitudine aquarum multarum.

42. Et demolientur civitates, & muros, & montes, & colles, & ligna ſilvarum, & fœnum pratorum, & frumenta eorum.

43. Et tranſibunt conſtantes uſque ad Babylonem, & exterrent eam :

44. Convenient ad ipſam, & circuibunt eam, & effundent ſidus, & omnem iram ſuper eam, & ſubibit pulvis & fumus uſque in cœlum, & omnes in circuitu lugebunt eam :

45. Et qui ſub ea remanſerint, ſervient his qui exterruerunt.

46. Et tu Aſia concors : in ſpem Babylonis, & gloria perſonæ ejus,

47. Væ tibi miſera propter quod aſſimilaſti ei, & ornaſti filias tuas in fornicatione, ad placendum & glorianduin amatoribus tuis, qui tecum cupierunt ſemper fornicari.

48. Odibilem imitata es in omnibus operibus ejus, & in adinventionibus ejus : propterea dicit Deus,

49. Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, & famem, & gladium, & peſtem, ad devaſtandas domos tuas à violatione, & morte, & gloria virtutis tuæ.

50. Sicut flos ſiccabitur, cùm exurget ardor qui emiſſus eſt ſuper te,

51. Infirmaberis ut paupercula plagata & caſtigata à mulieribus, ut non poſſint te ſuſcipere potentes & amatores.

52. Numquid ego ſic zelabor te, dicit Dominus,

53. Niſi occideres electos meos in omni tempore, exaltans percuſſionem manuum, & dicens ſuper mortem eorum, cùm inebriata eſſes,

54. Exorna ſpeciem vultus tui ?

55. Merces fornicationis tuæ in ſinu tuo, propter hoc redditionem accipies.

56. Sicut facies electis meis, dicit Dominus, ſic faciet tibi Deus, & tradet te in malum.

57. Et nati tui fame interient : & tu romphæa cades, & civitates tuæ contererentur, & omnes tui in campo gladio cadent.

58. Et qui ſunt in montibus, fame peribunt, & manducabunt carnes ſuas, & ſanguinem bibent, à fame panis & ſiti aquæ.

59. Infelix per maria venies, & rurſum accipies mala.

60. Et in tranſitu allident civitatem occiſam, & exterent aliquam portionem terræ tuæ, & partem gloriæ tuæ exterminabunt, rurſum revertentes ad Babylonem ſubverſam.

61. Et demolita eris illis pro ſtipula, & ipſi erunt tibi ignis :

62. Et devorabunt te, & civitates tuas, terram tuam, & montes tuos, omnes ſilvas tuas & lignum fructiferum igni comburent.

63. Filios tuos captivos ducent, & cenſum tuum in prædam habebunt, & gloriam faciei tuæ exterminabunt.

CAPUT XVI.

Horrenda univerſo orbi deſolatio in fine futura.

1. VÆ tibi Babylon & Aſia, væ tibi Ægypte & Syria.

2. Præcingite vos ſaccis & ciliciis, & plangite filios veſtros, & dolete : quoniam appropinquavit contritio veſtra.

3. Immiſſus eſt vobis gladius, & quis eſt qui avertat illum ?

4. Immiſſus eſt in vobis ignis, & quis eſt qui extinguat illum ?

5. Immiſſa ſunt vobis mala, & quis eſt qui repellat ea ?

6. Numquid repellet aliquis leonem eſurientem in ſilva, aut extinguet ignem in ſtipula, mox quando cœperit ardere ?

7. Numquid repellet aliquis ſagittam à ſagittario forti miſſam ?

8. Dominus fortis immittit mala, & quis eſt qui repellat ea ?

9. Exiit ignis ex iracundia ejus, & quis eſt qui extinguat eum ?

10. Coruſcabit, & quis non timebit ? Tonabit, & quis non pavebit ?

11. Dominus comminabitur, & quis non funditus conteretur à facie ipſius ?

12. Terra tremuit & fundamenta ejus, mare fluctuat de profundo, & fluctus ejus diſturbabuntur, & piſces ejus à facie Domini, & à gloria virtutis ejus :

13. Quoniam fortis dextera ejus quæ arcum tendit ; ſagittæ ejus acutæ quæ ab ipſo mittuntur, non deficient, cùm cœperint mitti in fines terræ,

14. Ecce mittuntur mala, & non revertentur, donec veniant ſuper terram.

15. Ignis ſuccenditur, & non extinguetur, donec conſumat fundamenta terræ.

16. Quemadmodum non redit ſagitta miſſa à valido ſagittario ; ſic non revertentur mala quæ miſſa fuerint in terram.

17. Væ mihi, væ mihi : quis me liberabit in illis diebus ?

18. Initium dolorum & multi gemitus, initium famis & multi interitus, initium bellorum & formidabunt poteſtates, initium malorum & trepidabunt omnes.

19. In his quid faciam, cùm venerint mala ?

20. Ecce fames & plaga, & tribulatio & anguſtia, miſſa ſunt flagella in emendatione,

21. Et in his omnibus ſe non convertent ab iniquitatibus ſuis, neque flagellorum memores erunt ſemper.

22. Ecce, erit annonæ vilitas ſuper terram, ſic ut putent ſibi eſſe directam pacem, & tunc germinabunt mala ſuper terram, gladius fames, & magna confuſio.

23. A fame enim plurimi qui inhabitant terram interient, & gladius perdet cæteros qui ſuperaverint à fame,

24. Et mortui ſicut ſtercora projicientur, & non erit qui conſoletur eos : Derelinquetur enim terra deſerta, & civitates ejus dejicientur.

25. Non derelinquetur qui colat terram, & qui ſeminet eam.

26. Ligna dabunt fructus, & quis vindemiabit illa ?

27. Uva matura fiet, & quis calcabit illam ? Erit enim locis magna deſertio.

28. Cupiet enim homo hominem videre, vel vocem ejus audire,

29. Relinquentur enim de civitate decem, & duo de agro, qui abſconderint ſe in denſis nemoribus, & ſciſſuris petrarum :

30. Quemadmodum derelinquuntur in oliveto & ſingulis arboribus tres aut quatuor olivæ.

31. Aut ſicut in vinea vindemiata racemi relinquuntur ab his qui diligenter vineam ſcrutantur :

32. Sic relinquentur in diebus illis tres aut quatuor ab ſcrutantibus domos eorum in romphæa.

33. Et relinquetur terra deſerta, & agri ejus inveterabunt, & viæ ejus, & omnes ſemitæ ejus germinabunt ſpinas, eò quòd non tranſient homines per eam.

34. Lugebunt virgines non habentes ſponſos, lugebunt mulieres non habentes viros, lugebunt filiæ earum non habentes adjutorium :

35. Sponſi earum in bello conſumentur, & viri earum in fame exterentur.

36. Audite verò iſta, & cognoſcite ea ſervi Domini.

37. Ecce verbum Domini, excipite illud: ne diis credatis de quibus dicit Dominus.

38. Ecce appropinquant mala, & non tardant.

39. Quemadmodum prægnans cùm parit in nono menſe filium ſuum, appropinquante hora partus ejus, ante horas duas vel tres, dolores circumeunt ventrem ejus, & prodeunte infante de ventre, non tardabunt uno puncto.

40. Sic non morabuntur mala ad prodeundum ſuper terram, & ſæculum gemet: & dolores circumtenebunt illud.

41. Audite verbum plebs mea: parate vos in pugnam, & in malis ſic eſtote, quaſi advenæ terræ.

42. Qui vendit, quaſi qui fugiat: & qui emit, quaſi qui perditurus.

43. Qui mercatur, quaſi qui fructum non capiat: & qui ædificat, quaſi non habitaturus.

44. Qui ſeminat quaſi qui non metet: ſic & qui vineam putat, quaſi non vindemiaturus.

45. Qui nubunt, ſic quaſi filios non facturi: & qui non nubunt, ſic quaſi vidui.

46. Propter quod qui laborant, ſine cauſa laborant:

47. Fructus enim illorum alienigenæ metent, & ſubſtantiam illorum rapient, & domos evertent, & filios eorum captivabunt, quia in captivitate & fame generant natos ſuos.

48. Et qui negotiantur in rapina, quantum diù exornant civitates & domos ſuas, & poſſeſſiones, & perſonas ſuas.

49. Tantò magis adzelabor eos ſuper peccata ſua, dicit Dominus.

50. Quomodo zelatur fornicaria mulierem idoneam & bonam valdè,

51. Sic zelabitur juſtitia iniquitatem cùm exornat ſe, & accuſat eam in facie, cùm venerit qui defendat exquirentem omne peccatum ſuper terram.

52. Propterea nolite ſimilari ei, nec operibus ejus:

53. Quoniam adhuc puſillum, & tolletur iniquitas à terra, & juſtitia regnabit in vos.

54. Non dicat peccator ſe non peccaſſe, quoniam carbones ignis comburet ſuper caput ejus, qui dicit: Non peccavi coram Domino Deo & gloria ipſius.

55. Ecce Dominus cognoſcet omnia opera hominum, & adinventiones illorum, & cogitationes illorum, & corda illorum.

56. Dixit enim: Fiat terra, & facta eſt: fiat cœlum, & factum eſt.

57. Et in verbo illius ſtellæ fundatæ ſunt, & novit numerum ſtellarum.

58. Qui ſcrutatur abyſſum, & theſauros illarum: qui menſus eſt mare, & conceptum ejus.

59. Qui concluſit mare in medio aquarum, & ſuſpendit terram ſuper aquas verbo ſuo.

60. Qui extendit cœlum quaſi cameram, ſuper aquas fundavit eum,

61. Qui poſuit in deſerto fontes aquarum, & ſuper verticem montium lacus ad emittendum flumina ab eminenti petra, ut potaret terram.

62. Qui finxit hominem, & poſuit cor ſuum in medio corporis, & miſit ei ſpiritum, vitam, & intellectum.

63. Et ſpiramen Dei omnipotentis qui fecit omnia, & ſcrutinat omnia abſconſa in abſconſis terræ.

64. Hic novit adinventionem veſtram, & quæ cogitatis in cordibus veſtris, peccantes & volentes occultare peccata veſtra.

65. Propter quod Dominus ſcrutinando ſcrutinavit omnia opera veſtra, & traducet vos omnes.

66. Et vos confuſi eritis cùm proceſſerint peccata veſtra coram hominibus, & iniquitates erunt, quæ accuſatores ſtabunt in die illo.

67. Quid facietis? Aut quomodo abſcondetis peccata veſtra coram Deo & angelis ejus?

68. Ecce judex Deus, timete eum. Deſinite à peccatis veſtris, & obliviſcamini iniquitates veſtras jam agere eas in ſempiterno, & Deus educet vos, & liberabit de omni tribulatione.

69. Ecce enim incenditur ardor ſuper vos turbæ copioſæ, & rapient quoſdam ex vobis, & cibabunt idolis occiſos:

70. Et qui conſenſerint eis, erunt illis in deriſum, & in improperium, & in conculcationem.

71. Erit enim locis locus, & in vicinas civitates exurrectio multa ſuper timentes Dominum.

72. Erunt quaſi inſani nemini parcentes, ad diripiendum & devaſtandum adhuc timentes Dominum.

73. Quia devaſtabunt & diripient ſubſtantias; & de domibus ſuis eos ejicient.

74. Tunc parebit probatio electorum meorum, ut aurum quod probatur ab igne.

75. Audite dilecti mei, dicit Dominus: Ecce adſunt dies tribulationis, & de his liberabo vos.

76. Ne timeatis, nec hæſitetis, quoniam Deus dux veſter eſt.

77. Et qui ſervat mandata & præcepta mea, dicit Dominus Deus, ne præponderent vos peccata veſtra, ne ſuperelevent ſe iniquitates veſtræ.

78. Væ qui conſtringuntur à peccatis ſuis, & obteguntur ab iniquitatibus ſuis, quemadmodum ager conſtringitur à ſilva, & ſpinis tegitur ſemita ejus per quam non tranſit homo, & excluditur, & mittitur ad devorationem ignis.

PSALMUS CLI.

David, quamvis fratrum Minimus, in regem tamen Juda & Iſraël à Samuële ungitur, percuſſoque Goliath, integram de Philiſthæis victoriam reportat.

1 MINIMUS eram inter fratres meos: & minimos in domo Patris mei, paſcebam paternas oves.

2. Manus meæ fecerunt organum: & digiti mei aptarunt pſalterium.

3. Ecquis annuntiabit Domino? ipſe Dominus, ipſe exaudit.

4. Ipſe Angelum ſuum miſit, & me è Patris mei ovibus abduxit: meque unctionis ſuæ oleo inunxit.

5. Fratres mei pulchri quidem & magni: at non in eis ſibi placuit Dominus.

6. Egreſſus ſum in occurſum alienigenæ: qui me per ſua idola execratus eſt.

7. Ego autem extracto ipſius enſe, caput ei abſcidi: & probrum è filiis Iſraël abſtuli.

Digitized by Google

IN LIBRUM III MACHABÆORUM

PRÆFATIO.

IGnoratur planè Libri hujus Autor, nec III. Libri Machabæorum titulus huic operi commodatus convenire poteſt, ſiquidem in eo ne ulla quidem fit mentio de Illuſtriſſimis his Fortiſſimiſque legum divinarum & patriarum Defenſoribus; inſuper quæ leguntur facinora ipſorum ætatibus minime ſunt conſentanea, at ſolummodo mirabilem hunc Judæorum ſpectant ex captivitate reditum ſub uno è Ptolemæis. De veritate verò hiſtoriæ hujus in iſto volumine contentæ nullus dubitat, quandoquidem eam fusè refert Joſephus *lib. 2. contra Appionem p.* 1064. *in folio Græco & Latino*; ſed diversè; nam hujus libri ſcriptor quæ omnia narrat, ſub Ptolemeo Philometore, vel juxta Syriacam verſionem, Philopatore, eveniſſe contendit; ſcilicet poſtquam, reportatâ de Antiocho Syriæ Rege victoriâ, Jeroſolymam petiit templum inviſurus & urbem, ſed ſanctuarii aditu denegato in omnes Judæos ditioni ſuæ mancipatos deſæviit, injuriamque hanc ulciſcendi conſilium cepit: Joſephus è contra id patratum aſſerit Ptolemeo Phiſcone regnante, mortuo fratre Ptolemeo Philometore, & id quidem ob bellum huic Principi à ſummo ſacerdote Onia illatum Cleopatræ occaſione, quam cum natis ejus è ſolio deturbaram volebat. In his, ſicut in quibuſdam aliis, hi duo diſſentiunt Autores; de miraculo tamen Judæorum liberationis idem omnino ſentiunt: hinc ultimus probandi anſam arripuit contra Appionem Judæos in iſto adverſus Phiſconem bello fidem Principibus fœderatis debitam nullatenus violaſſe, ſiquidem Deo pro eis pugnante inculpatos miraculo demonſtrabat.

Liber hic à Judæo Helleniſta concinnè ſatis ac eleganter Græcè conſctiptus eſt: in pluribus editionibus typis excuſus reperitur, præcipuè verò in Polyglottis, cui Syriaca verſio & quidem fideliſſima accedit. Cùm autem opus iſtud nihil ſane contineat quod ad fidelium ædificationem non conducat, inſertum etiam à 84. vel ultimo Canonum, qui vulgo Apoſtolici nuncupantur, inter libros Canonicos reperiatur, & ab Autore Synopſis, ſeu ſcripturarum compendii S. Athanaſio attributi comprehendatur inter veteris Teſtamenti libros de quorum dubium eſt autoritate, hìc in lucem edi cum cæteris quos Apocryphos appellamus judicatum eſt.

De hujus Hiſtoriæ Chronologia diſſentiunt inter ſe Interpretes & hiſtorici; Alii enim ſub Ptolemeo Phiſcone qui dicitur Evergetes, alii ſub fratre ejus Ptolemeo Philometore reponunt: dubitatur enim utrum Judæorum captivitas quâ fuerunt miraculo liberati, belli anſa fuerit ab Onia ſummo ſacerdote ſuſcepti Cleopatræ occaſione, an propter ſanctuarii huic Ptolemeo ingreſſum denegatum, eùm poſtquam victoriam ex Antiocho retuliſſet, urbem Jeroſolymam videre cupiebat & Templum: quod Autor ſub Simone Oniæ filio tunc ſummo ſacerdote geſtum commemorat, *cap.* 3. ℣. 1 & conſequenter circa Mundi annum 3860. & 144. ann. ante Chriſtum natum. Alii multò ſuperiùs, id eſt, circa an. 3768. eandem referunt hiſtoriam, quo quidem tempore, juxta Polybum, Antiochus propè Raphiam à Ptolemeo fuſus eſt.

IN LIBRUM IV MACHABÆORUM

PRÆFATIO.

HIc Liber nomen præcipuè Machabæorum uſurpavit, quòd Illuſtriſſimorum horum libertatis legumque Patriæ Defenſorum complectatur hiſtoriam. Et revera liber hic IV. ſaltem quoad primam partem, mera eſt repetitio, ſeu excerptum prio-

rum hujus nominis librorum: idcirco libri iſtius editionum Autores monitum ſequens in modum Præfationis huic præponendum judicarunt: *Prima pars libri hujus à 1. capite ad 17. incluſivè (dicendum erat uſque 20. excluſivè) II. Machabæorum Liber, ex Hebræa lingua tranſlatus, inſcribitur: ſecunda autem pars à 17. vel 20. capite liber Machabæorum ſimpliciter inſcriptus eſt, intactis nihilominus & numeris ac notis capitum: Ut enim prima pars verſioni Syriacæ, quæ magnâ apud Orientales floret exiſtimatione, non ſatis conſonat, nec Græcæ, nec etiam priorum Canonicorum Vulgatæ, licet eam contineant omnia Orientalium exemplaria; non à ſecunda parte ſeponenda, ſed inter Apocryphos codices unaquæque repudianda judicata eſt, ne inter priores Canonicos promiſcuè fierent, ne etiam fideles earum lectione aliunde utiliſſimâ & ad perfectionem Judæorum Hiſtoriæ uſque Herodis Regnum & Pilati Præfecturam, ſeu potius ad Chriſti Adventum aptiſſimâ privarentur.* Et certè in eo ſita eſt ſola earum utilitas.

Illæ autem ambæ partes Geſtorum Judææ Gentis memorabilium hiſtoriam ſummatim per annos fere ducentos comprehendunt, nempe ab anno Mundi circiter 3817. ad annum 3999. id eſt, à Machabæorum temporibus uſque deſcriptionem totius populi Romano ſubdiri Imperio, quæ paulò ante Chriſtum natum in Judæa facta eſt. Hujus libri Autor penitus ignoratur, nec quo tempore fuerit conſcriptus: ſi enim hujus limites attendamus, circa Imperii Auguſti annum quadrageſimum fuiſſe compoſitum perſpicuum erit, quo ſuppoſito, Joſepho eſſet anterior, qui quidem Joſephus ad Domitiani Imperium perſeveravit hiſtoriam: At verò, ut ipſemet Autor fatetur *cap. 9. v. 5.* vero Dei cultu à Juda Machabæo reſtituto, quem quaſi Antiochus aboleverat, altarique erecto, ignis ex eo egreſſus quas Judæi Domino obtulerant conſumpſit victimas, iſque deinceps uſque ad tertiam captivitatem, *uſque ad tertiam tranſmigrationem* inextinctus permanſit; illa autem captivitas ſub Tito & Veſpaſiano Imperatoribus procul dubio contigit. Conſtat evidenter Autorem noſtrum eâ circiter ætate quâ Joſephus vitam egiſſe, idcirco fieri facilè poſſet ut illius fuerit Plagiarius, quem fortaſſe Autor noſter abſque nomine *cap.* 25. citat his verbis: *Nec meminit Autor libri*, hiſque aliis cap. 55. v. 21. *Refert autem Autor libri.* Sixtus Siennenſis ipſius ſtylum contendit Joſephi narrationi ſatis eſſe congruum, exceptis, ut ait, hebraicis quibuſdam Idiotiſmis: Æquum tamende iis judicium ferre difficile foret, ſiquidem illius Autoris deeſt nobis textus originalis, tantùmque ſuperſit Arabica interpretatio. Sæpiſſimè tamen narrationis Joſephi ſeriem æmulatur, paucis aliquando vel additis vel imminutis, videturque excerpta ſolum prodere, nec ſemper propterea idem cum eo ſentit; non enim, verbi gratiâ, cum eo convenit de ſummis quibus Antipatrum effert laudibus: Sadducæis multoperè ac Eſſeniis, parum verò favet Phariſæis: à Joſepho etiam & Ariſthæo de numero Græcorum Scripturæ ſacræ Interpretum, de eorum cellulis ac Scribis diſſentit; quapropter Originalis Autor, ſaltem quoad ſecundam partem, haberi poſſet, nihilque impedit quominus veluti ipſemet Joſephus eam compoſuiſſe credarut, ſcripta ſecutus Herodis, Nicolai Damaſceni, Strabonis, Titi Livii, & aliorum quos frequentiùs laudat ipſe Joſephus, imprimis verò *lib. 14. Antiq. c. 8. lib. 15. c. 9. lib. 16. c. 11. p. 563.*

Quod autem ad primam hujus operis partem ſpectat, eumdem eſſe librum quidam ſenſerunt qui in I. Machabæorum laudatus eſt, *c. 16. v. 24.* qui idem eſt, juxta Interpretes, ac ille qui inſcribitur *Hircani facta*, ſed non eſt veriſimile.

Citatur autem ab Autore Synopſis, ſeu compendii Scripturæ ſacræ S. Athanaſio attributi, in cujus fine in eorum numerum refert de quibus dubitatur: *De iis qui ex veteri inſtrumento ſunt quibus contradicitur, ſunt ſapientia Salomonis, &c. iſtis connumerantur Machabæorum libri quatuor:* Itaque IV. iſtum ſicut tres alios, necnon ſapientiam Salomonis, &c. ab aliis diſcriminat qui revera omniumque conſenſu repelluntur, & inter Apocryphos collocantur: De eo forſitan loquitur S. Clemens Alexandrinus, *lib. 5. ſtrom. p. 596.* quem ſub nomine Epitomes ſeu Geſtorum ſub Machabæis compendii citat, ubi dicit de Ariſtobulo factam fuiſſe mentionem, qui quidem Ariſtobulus eâdem quâ Ptolemæus Philadelphus, vel juxta Euſebium in Chron. 151. Olympiade ſub Ptolemeo Philometore ætate vivebat.

LIBER TERTIUS MACHABÆORUM.

CAPUT I.

1. PHILOPATOR autem, ab iis qui retulerant, cognitâ locorum à ſe poſſeſſorum abſtractione factâ ab Antiocho, denuntians omnibus exercitibus ſuis & pedeſtribus & equeſtribus.

2. Et ſororem Arſinoëm ſecum aſſumens, proceſſit uſque ad ea quæ ſunt ad Raphiam, loca: ubi caſtrametati erant qui circa Antiochum.

3. Theodotus autem quidam complere inſidias cogitans, aſſumens ex commiſſis ſuæ cuſtodiæ armis Ptolemaïcis optima, contulit ſe noctu ad Ptolemæi tabernaculum, tamquam ſolus interfecturus eum, & in hoc diſſoluturus bellum.

4. Hunc autem deducens quidam, qui Doſitheus Drimylî dicebatur, genere Judæus, poſteà autem abjiciens legitima, & à patriis ſanctionibus alienatus, ignobilem quemdam decumbere fecerat in tabernaculo quem contigit ferre illius ſupplicium.

5. Facto autem ingenti prælio, & rebus meliùs ſuccedentibus Antiocho, vehementer Arſinoë obambulans exercitus hortabatur cum ejulatione, & lachrymis, crinibus ſolutis, ut auxiliarentur ſibiipſis, & filiis, & uxoribus, audacter promittens daturam ſe vincentibus, cuique duas minas auri.

6. Et ita contigit adverſarios in conſerendis manibus perire, multos verò etiam captivos fieri.

7. Compos autem factus propoſiti, ſtatuit propinquas civitates adiens conſolari. Quod cùm feciſſet, & delubris dona tribuiſſet, bono eſſe animo ſubditos fecit.

8. Cùm autem Judæi miſiſſent ad eum ex ſenatu, & ſenioribus, ſalutaturos eum & muneta portaturos, & pro his quæ geſta erant, congratulaturos; factum eſt ut magis ille cuperet quàm citiſſime ad eos venire.

9. Cùm autem perveniſſet Jeroſolymam, & ſacrificaſſet maximo Deo, & gratias reddidiſſet, & eorum, quæ ordine ſequebantur, aliquid ipſi loco feciſſet,

10. Et jam per veniſſet ad locum, & ſedulitate, & decore ſtupefactus eſſet, admiratus etiam ſacræ ædis bonam diſpoſitionem cogitavit conſilium capere introëundi in templum.

11. His autem dicentibus non licere hoc fieri, quia neque his qui ex gente, liceret ingredi, neque omnibus tuſi ſacerdoti, & hoc in anno ſemel; ille verò nequaquam acquieſcebat,

12. Spretâque lege non ceſſabat provehere ſe, intrandum omninò dicens; & ſi illi privati ſunt hoc honore; me non oportet. Et interrogabat, quam ob cauſam, intrantem ipſum in quodcumque phanum, nemo eorum qui aderant, probibuiſſet.

13. Et quidam imprudenter dixit malè hoc ipſum prodigioſum eſſe. Factum autem hoc fuerit, inquit, quavis de cauſa, nonne omninò ſe intraturum, & volentibus ipſis, & nolentibus?

14. Cùm autem ſacerdotes cum omnibus veſtibus procidiſſent, & orarent maximum Deum auxilium ferre imminenti neceſſitati, & impetum malè irruentis reprimere, clamoreque cum lachrymis Templum implerent; qui in civitate remanſerant, turbati exilierunt, occultum quid eſſe, quod fiebat, exiſtimantes:

15. Et incluſæ virgines in thalamis, cum genitricibus prorupetunt, & cinere & pulvere aſperſis capitibus, gemitibus & ſuſpiriis plateas implebant.

16. Et aliæ verò, nuper aſtrictæ, thalamos ad occurſum aſſignatos, & congruum pudorem relinquentes, curſum inordinatum in civitate faciebant.

17. Infantes autem filii, & cum his matres, & nutrices defatigatæ aliter & aliter, hæ quidem per domos, hæ verò per vias irrevocabiliter ad eminentiſſimum Templum congregabantur.

18. Varia autem erat eorum, qui in illud conveniebant, oratio, pro his quæ ab illo injuſtè tentabantur.

19. Cum his autem nonnulli ex civibus audaces facti non ferebant illum omninò inſtantem, & propoſitum ſuum implere ſtatuentem. Clamantes autem ſe ruituros ad arma, & audacter pro patria lege obituros, magnam fecerunt in loco aſperitatem,

20. Vixque à ſenibus & Preſbyteris cohibiti, ad eamdem orationis ſteterunt ſtationem.

21. Et turba quidem, ut anteà, in his verſabatur orans. Seniores autem, qui erant circa regem, multis modis conabantur ſuperbam ejus mentem à ſuſcepto conſilio removere.

22. Induratus autem, & omnia abjiciens, jam & impetum faciebat, finem putans ſe impoſiturum rei prædictæ.

23. Hæc igitur, & qui circa illum erant, ſpectantes, eò ſe converterunt, ut cum noſtris invocarent eum qui omnem poteſtatem habet, ut his qui aderant, auxilium ferret, non deſpiciens iniquum & ſuperbum facinus.

24. Ex denſiſſima autem & laborioſa turbarum collecta vociferatione: incomparabilis quidam erat clamor.

25. Exiſtimare enim licebat, non modò homines, ſed etiam muros, & totum ſolum reſonare, quaſi jam omnibus tunc mortem obeuntibus pro loci contaminatione.

CAPUT II.

1. ATqui ſummus ſacerdos Simon, ex adverſo Templi, flectens genua, & manus extendens honeſtè, talem orationem habebat:

2. Domine, Domine Rex cœlorum, & dominator omnis creaturæ, ſancte in ſanctis, monarcha, omnipotens, intende nobis oppreſſis ab impio, & prophano, qui præ audacia & robore intumuit;

3. Tu enim qui creaſti omnia, & omnia imperio tenes, Dominus juſtus es: & eos qui contumeliâ & ſuperbiâ in agendo utuntur, judicas.

4. Tu illos, qui olim iniquitatem fecerunt, inter quos & gigantes fuerunt, robore & audaciâ freti, perdidiſti ſuperinducens eis immenſam aquam.

5. Tu ſuperbiam operantes Sodomitas, conſpicuos iniquitatibus factos, igne & ſulphure combuſſiſti, exemplum poſteris conſtituens.

6. Tu confidentem illum Pharaonem, qui ſervitute oppreſſerat populum tuum ſanctum Iſraël, cum variis & multis ſuppliciis examinaſſes, notam feciſti potentiam tuam:

7. In quibus declaraſti magnitudinem fortitudinis tuæ: & cùm ille perſequeretur cum curribus, & turbarum multitudine, obruiſti profundo mari: eos autem qui ſe tibi crediderant, qui omni creaturæ dominaris, ſalvos traduxiſti. Qui etiam cognoſcentes opera manûs tuæ, laudaverunt te omnipotentem.

8. Tu rex, qui creaſti interminatam immenſamque terram, elegiſti civitatem hanc, & ſanctificaſti locum hunc ad nomen tibi, nullius rei egenti; & mirum in modum glorificaſti apparitione magnificâ commendationem faciens ejus ad gloriam magni & honorati nominis tui.

9. Et diligens domum Iſraël, pollicitus utique es, ſi accedat nobis adverſitas, & apprehendat nos anguſtia, & venientes hunc ad locum oremus, exauditurum te orationem noſtram.

10. Et quidem fidelis es & verax. Quoniam autem ſæpe afflictis patribus noſtris, auxilium tuliſti eis in humilitate, & eruiſti eos de magnis periculis.

11. Ecce nunc ſancte Rex, propter multa & magna peccata noſtra opprimimur, & ſubjecti ſumus inimicis noſtris, & collabimur in infirmitatibus.

12. In noſtra autem calamitate audax hic & prophanus conatur afficere injuriâ locum hunc ſanctum ſuper terram erectum nomini gloriæ tuæ.

13. Nam habitaculum quidem tuum, cœlum cœli eſt, incomprehenſibile hominibus: ſed quoniam elegiſti gloriam tuam, in populo tuo Iſraël, ſanctificaſti locum hunc.

14. Non ulciſcaris nos in horum immunditia, neque ponas nos in contaminatione, ne glorientur iniqui in furore ſuo, neque exultent in ſuperbia linguæ ſuæ, dicentes: Nos conculcavimus domum ſanctificationis, ſicut conculcantur domus abominationum.

15. Dele peccata noſtra, & diſſipa errata noſtra, & oſtende miſericordiam in tempore hoc. Citò præoccupent nos miſerationes tuæ: & da laudationes in ore proſtratorum, & contritorum animis, faciens nobis pacem.

16. Hic omnium inſpector Deus, & ante omnes ſanctus in ſanctis, exauditâ ſanctâ ſupplicatione, eumque contumeliâ & audaciâ valdè elatus erat, flagellavit; hinc & indè vibrans eum ut arundinem à vento, ita ut in ſolo jam inutilis, & membris reſolutus, neque loqui poſſet, juſto implicatus judicio.

17. Quamobrem amici, & corporis ejus cuſtodes, cùm celerem & acutam viderent eum apprehendiſſe pœnam, timentes ne & vitâ deficeret, citò illum extraxerunt, ingenti perculſi timore.

18 Sequenti autem tempore, cùm ſe collegiſſet nequaquam ad pœnitentiam venit, caſtigatus: ſed cum amara comminatione diſceſſit.

19. Reverſus autem in Ægyptum, & malitiam adaugens, per compotores, & ſodales jam indicatos, ab omni juſtitia ſemotos, non ſolùm in innumerabilibus libidinibus perſeveravit, ſed etiam eò temeritatis proceſſit, ut infanda in locis conſtitueret, & multi ex amicis intendentes in regis propoſitum etiam ipſi ſequerentur illius voluntatem.

20. Propoſuit autem publicè contra gentem diſſeminaſe vituperationem: & in turri, quæ erat ad aulam, erigens columnam, inſculpſit ſcripturam, neminem eorum qui non ſacrificarent, ad ſacra eorum ingredi; omnes autem Judæos in vulgi deſcriptionem & ſervilem conditionem abduci; qui autem contradicerent, vi ablatos, vitâ privari:

21. Hos autem deſcriptos ſignari etiam per ignem inſigni liberi, hederæ folio, ac ſecedere ob jam coërcitam libertatem.

22. Verùm ne omnibus infenſus videretur, ſubſcripſit: ſin autem ex eis aliqui elegerint verſari cum iis qui ſecundùm Teletas initiati ſunt, hus æquo jure cives cum Alexandrinis eſſe.

23. Igitur nonnulli quidem in civitate civilis religionis grados honorantes facilè ſeipſos dederunt, tamquam magnæ cujuſdam gloriæ participes futuri ex ea quæ futura eſſet cum rege converſatione.

24. Pleriſque autem generoſo animo ſeipſos confirmaverunt, & à pietate non receſſerunt: & pecunias pro vita commutantes, intrepidè conabantur ſeipſos liberare à deſcriptionibus, bonâ autem ſpe freti perſtabant, auxilium ſe conſecuturos;

25. Et ſuos illos, qui receſſerant, abominabantur, & tamquam hoſtes gentis judicabant, & communi conſuetudine & utilitate privabant.

CAPUT III.

1. Quæ cùm comperiſſet impius; adeò iratus eſt, ut non ſolùm iis qui ad Alexandriam, ſuccenſeret, ſed etiam iis qui in regione, graviùs adverſaretur, & juberet feſtinantes congregare omnes ſimul, & peſſimâ nece vitam ipſis adimere.

2. His autem conſtitutis, fama inimica pervulgabatur contra ipſum genus, hominibus conſentientibus ad maleficium, occaſione datâ ad conſtitutionem, tamquam eos à legitimis prohiberent.

3. At Judæi erga reges quidem benevolentiam & fidem immutabilem conſervabant; venerantes autem Deum, & ex ipſius lege rempublicam gerentes, ſeceſſionem in aliquibus faciebant, & mutationes: quam ob cauſam aliquibus odioſi videbantur. Sed juſtarum actionum functione converſationem ornantes, omnibus hominibus probati extiterunt.

4. Igitur ipſam quidem de genere in omnibus pervulgatam rectè agendi rationem alienigenæ nequaquam recenſuerunt: verùm de adorationibus & cibis diſcrimen pervulgabant, dicentes: Neque regi, neque exercitibus fœderatos eſſe homines, ſed eſſe odioſos, & majorem in modum negotiis adverſari: & non mediocrem excitarunt vituperationem.

5. Græci autem, qui erant in civitate, nullis injuriis affecti tumultum inexpectatum circa homines videntes, & concurſus improviſos fieri; auxiliari quidem non poterant: tyrannica enim erat conſtitutio:

6. Sed conſolabantur, & graviter ferebant, mutatum hæc iri putabant: non enim ſic contemnet talem conſtitutionem, qui nihil ignoraverit.

7. Jam verò & quidam vicini, & amici, qui ſimul negotiabantur: ſecretò quoſdam accerſentes, fidem dabant contegendi, & omnem diligentiam ad defenſionem.

8. Igitur ille quidem præſenti proſperitate exultans, & non conſiderans maximi Dei poteſtatem, putans autem perpetuò in eodem perſeverare conſilio, ſcripſit contra eos epiſtolam hanc:

9 Rex Ptolomæus Philopator iis qui per Ægyptum, & per loca, ducibus, & militibus, gaudere, & valere. Valeo autem & ego ipſe, & res noſtræ.

10. Poſt factam nobis in Aſiam expeditionem, quam ipſi etiam ſcitis, quæ Deorum erga nos improviſo conſilio: & fortitudine etiam noſtrâ ſecundùm rationem ad optimum finem perducta eſt, putavimus non violentiâ lanceæ, ſed æquitate, & multâ humanitate indulgenter tractare gentes, quæ habitant Cœleſyriam, ac Phœnicem, ac libenter benefacere.

11. Et cùm templis, quæ ſunt per civitates, tribuiſſemus reditus multos; venimus etiam Jeroſolymam; aſcendentes honorare templum ſceleſtorum iſtorum, & numquam deſiſtentium ab amentia.

12. Illi autem verbo quidem noſtram ſuſcipientes præſentiam, re autem falsò, volentibus nobis introire in templum eorum, & decentibus ac pulcherrimis donis honorare, tumoribus antiquioribus agitati prohibuerunt nos ab ingreſſu.

13. (Cùm inferiores eſſent noſtris viribus) ob eam quam erga omnes homines habemus humanitatem. Suam autem erga nos malevolentiam manifeſtam facientes, quippe ſoli prorſus gentium contra reges & beneficos ſuos cervicem erigentes, nihil legitimum ferre volunt.

14. Nos autem cum horum amentia converſati, & cum victoria reverſi, & in Ægypto omnibus nationibus humaniter occurrentes, prout decebat, fecimus.

15. In his autem erga gentiles eorum oblivionem injuriarum

Digitized by Google

ſtrum omnibus notam facientes, propter ſocietatem, & commiſſa eis antiquitùs cum ſimplicitate ſescenta negotia aggreſſi mutate, voluimus Alexandrinorum etiam republicâ eos dignari, & particeps ſemper Sacerdotum conſtituere.

16. Illi autem in contrariam partem accipientes, & inſitâ improbitate honeſtum repellentes, perpetuò auſem ad malum proni, non ſolùm cum ignominia repudiſtunt jus civitatis; ſed etiam abominantur, & verbo & ſilentio paucos quoſdam ex eis erga nos legitimè affectos, ſemper ſuſpicantes, ob infamem vitæ rationem citò nos everſuros rectè facta.

17. Quamobtem argumentis etiam probè perſuaſi, hos omnibus modis contra nos malè ſentire, & providentes ne fortè repentinâ poſt hac turbatione nobis imminente hos à tergo proditores, & barbaros habeamus hoſtes.

18. Juſſimus, ſimul atque allata fuerit epiſtola, hæc, eâdem horâ eos qui habitant cum uxoribus & filiis, cum contomeliis & vexationibus mittere ad nos vinculis ferreis undique concluſos, ad certam & infamem inimicis convenientem cædem.

19. His enim ſimul punitis, putavimus in reliquum tempus perfectè nobis res in bono ſtatu & optima diſpoſitione conſtitutum iri.

20. Quicumque autem quempiam Judæorum texerit à ſene uſque ad infantem, uſque ad lactentes, turpiſſimis tormentis occidetur cum tota domo.

21. Qui etiam indicare potuerit, eo ipſo ſubſtantiam ejus qui incidit in pœnam accipiet, & de regali argento drachmas bis mille, & libertatem adipiſcetur, & coronabitur.

22. Omnis autem locus, ubicumque deprehenſus fuerit omninò tectus Judæus, invius, & igne combuſſus fiat, & omni mortali naturæ ad omnia inutilis exter in ſempiternum tempus. Et formula quidem Epiſtolæ ſic ſcripta eſt.

CAPUT IV.

1. UBicumque autem promulgatum fuit hoc edictum; populare convivium conſtitutum eſt gentibus cum jubilationibus, & gaudio tamquam jam antiquitùs induratâ in eorum mente, audacter ſimul ſe prodente inimicitiâ.

2. Judæis autem inſanabilis luctus erat, & prorſus lugubris cum lachrymis clamor gemibus, undique inflammato ipſorum corde, gementibus improviſam repentè ſibi conſtitutam perniciem.

3. Quæ præfectura, aut civitas, aut quia omninò habitatus locus, vel quæ viæ planctu & gemitibus ſuper his non complebantur?

4. Sic enim acerbo & immiti animo à ducibus qui per civitates unanimiter ejiciebantur; ut ad eximia ſupplicia quidam etiam ex inimicis ante oculos ſibi ponentes commuoem miſericordiam, & conſiderantes incertam vitæ mutationem, flerent miſerrimam eorum expulſionem.

5. Agebatur enim ſenum multitudo canitie coopertorum, ob tarditatem quæ es ætate, pedibus incurvis, impetu violentæ ejectionis, abſque ullo pudore abutentibus ad citam itionem.

6. Quæ autem nuper ad vitæ communionem conjugalem ſubierant thalamum adoleſcentulæ, pro delectatione tranſlatæ ad gemitus, & pulvere unguentatam conſperſæ comam, apertè autem ductæ lamentationem pro hymenæis unanimiter incipiebant, tamquam laceratæ vexationibus alienigenis. Vinctæ autem populares uſque ad aſcenſum in navim trahebantur cum violentia.

7. Ipſiqoe horum conjuges laqueis pro coronis implicati cervices cum florida & juvenili ætate, pro convivio, & jovenili negligentiâ reliquos nuptiarum dias in lamentis agebant, ad pedes jam infeſnum videntes poſitum.

8. Abducebantur autem ferarum more tracti ferreorum vinculorum neceſſitatibus: hi quidem tranſtris navium affixi collis, illi autem conſtricti pedes inſolubilibus compedibus, præterea verò deſoper denſâ tabulâ diſpoſitâ à lumine excluſi, ut undique obtenebratis oculis, vitam inſidiatorum in tota navigatione degerent.

9. His autem ſuper dictam ratem ductis, & navigatione confectâ, ſicut erat ſancitum à rege, juſſit eos in Hippodromo, qui eſt ante civitatem, caſtrametari; cujus ingens erat ſpatium, quique ad manifeſtum opprobrium valdè erat opportunus, propoſitua omnibus quâ pergebant in civitatem, & qui ex his in regionem proficiſcebantur peregrè: ut neque exercitibus ejus communicarent, neque muris omninò dignarentur.

10. Poſtquàm verò id factum eſt, cum vidiſſet eos qui in civitate ejuſdem gentis eſſent, clàm egredientes frequentiùs lugere ignominioſam fratrum miſeriam; iratus juſſit & his ſimul eodem modo diligenter fieri, atque illis, nihil minus ullo modo habentibus illorum ſupplicio: deſcribi autem omne genus ex nomine.

11. Ad paulò ante demonſtratam operum laborioſam ſervitutem, torros autem denuntiatis tormentis demùm deleri ſub unius diei tempos.

12. Facta igitur eſt horum deſcriptio cum acerbo ſtudio & ambitioſâ aſſeſſione, à ſolis ortu uſque ad occaſum, nondum accipiens finem ad dies quadraginta.

13. Magnificè autem & aſſiduè rex gaudio impletus convivia ad omnia idola celebrans, errante procul à veritate mente, & prophano ore, muta quidem, & quæ non poſſunt ipſis loqui, neque auxiliari, laudans, in ſummum autem Deum, quæ non decebant, loquens.

14. Poſt prædictum autem temporis intervallum nuntiaverunt ſcribæ regi, non poſſe ulteriùs Judæorum deſcriptionem fieri propter immenſam eorum multitudinem; quippe cùm adhuc plores eſſent per regionem, hi quidem adhuc domi conſiſtentes, illi verò & per loca, ita ut minimè id præſtari poſſet ab omnibus, qui ſuper Ægyptum, ducibus.

15. Cùm autem duriùs illis minatus eſſet, tamquam qui muneribus corrupti eſſent ad machinationem fugæ, contigit ei manifeſtò de hac re fidem fieri, dicentibus illis cum demonſtratione, & chartam jam, & ſcriptorios calamos, quibus utebantur, defeciſſe.

16. Hoc autem erat opus invictæ è cœlo auxiliantis Judæis providentiæ.

CAPUT V.

1. TUnc vocans Hermonem præpoſitum elephantorum curæ, gravi plenus irâ & bile, omninò immutabilis, juſſit, in ſequenti die, largis pugillis thuris, & vino multo puro omnes potare elephantos, qui erant numero quingenti; & efferatos copioſâ potionis præbitione immittere in occurſum mortis Judæorum.

2. Ille quidem hæc præcipiens vertit ſe ad convivium, congregans eos maximè ex amicis & exercitu, qui infenſi erant Judæis. Præpoſitus autem elephantorum Hermon, quod præceptum erat aptè perficiebat.

3. Ac præterea miniſtri ad veſperam exeuntes, miſerorum manus ligabant, & reliquam ſibi moliebantur circa ipſos cautionem, crepuſculo matutino exiſtimantes ſimul accepturam gentem terminum mortis.

4. Qui autem omni protectione deſtituti videbantur à gentibus Judæi, eò quòd undique premeret eos cum vinculis neceſſitas, omnipotentem Dominum, & omnipotentiæ dominantem miſericordem Deum ſuum, & patrem, inceſſabili clamore omnes cum lachrymis invocabant, orantes ut removeret impium quod contra ſe conſilium, & ipſos liberaret cum magnifica præſentiâ, ex ea quæ ad pedes erat in promptu morte.

5. Ergo horum quidem ſupplicatio aſſiduè aſcendebat in cœlum: Hermon autem, cum immites elephantos potaſſet, repletos multâ præbitione vini, & thuro ſaturatos, diluculo ad aulam aſſuit, ut hæc nuntiaret regi.

6. Hanc autem ab æterno tempore creaturam bonam in nocte & die conceſſam ab eo qui gratificatur omni-

bus quibuſcumque ipſe voluerit, ſomni partem miſit ad regem:

7. Et jucundiſſimâ & profundâ detentus operatione Domini, injuſto quidem propoſito valdè fraudatus, & ab irrevocabili cogitatione magnificè deceptus.

8. Judæi autem præſignatam horam fugientes ſanctum laudabant Deum ſuum: & iterùm rogabant eum qui facilè reconciliatur, ut demonſtraret robuſtiſſimæ ſuæ manûs potentiam gentibus ſuperbis.

9. Cùm autem media jam fere eſſet decima hora, qui ad vocationes erat ordinatus, confertos videns vocatos, pupugit accedens regem. Et cùm vix excitaſſet, oſtendit compotationis tempus jam præterire, eam quæ de his rebus ſolet, rationem faciens. Quam rex reputans, & verſus ad convivium juſſit eos qui venerant ad compotationem, accumbere coram ſe.

10. Quod etiam cùm factum eſſet, hortabatur, ut epulis ſeſe dantes præſentem compotationis partem multùm celebrantes in lætitia inſumerent.

11. Longiùs autem procedente convivio, Hermonem accerſens rex, cum acerbis minis interrogabat, quam ob cauſam permiſſi eſſent Judæi præſentem diem ſuperſtites agere.

12. Illo autem oſtendente, noctu quod præceptum erat, ſe ad finem perduxiſſe, & amicis ei teſtimonium dantibus: ille deteriorem Phalaride crudelitatem habens, dixit: Hodierno ſomno gratiam habeant illi.

13. Sine dilatione autem in advenientem diem ſimiliter para elephantos ad ſceleſtorum Judæorum perditionem.

14. Cùm dixiſſet autem rex; ultrò omnes qui aderant cum gaudio ſimul collaudantes, in propriam domum unuſquiſque reverſus eſt. Neque tam in ſomno inſumſerunt tempus noctis, quàm in excogitandis omnis generis ludibriis in eos qui miſeri videbantur.

15. Nuper autem gallus cantaverat matutinus, & beſtias cùm armaſſet Hermon, in magno porticu concitabat. Turbæ autem quæ in civitate convenerant ad maximè miſerabile ſpectaculum, expectantes auroram eum aviditate.

16. Judæi autem ad inviſibile tempus animo ſuſpenſi lachrymoſâ ſupplicatione in canticis luctuoſis, tendentes manus in cœlum orabant ſummum Deum, ut rurſus ipſis auxiliaretur brevi.

17. Nondum autem ſolis radii diſſeminabantur, & rege amicos admittente, Hermon adſtans vocabat ad exitum, oſtendens propoſitum regis in promptu eſſe.

18. Ille autem, cùm percepiſſet, & obſtupuiſſet ſuper iniquo exitu, ignoratione protsùs detentus interrogabat, quodnam negotium eſſet, pro quo id ei cum feſtinatione confectum eſſet. Hoc autem erat opus omnium dominantis Dei, eorum quæ antea ipſi excogitata erant, oblivionem in mentem immittentis.

19. Hermon autem ſuggeſſit, & omnes amici, beſtias & exercitus paratos eſſe, ô rex, juxta tuum inſtans propoſitum.

20. Ille autem ſuper his quæ dicta erant, repletus bile, eò quod omnis ejus de his cogitatio per Dei providentiam diſſipata eſſet; intuens cum minis dixit;

21. Si tibi parentes eſſent, aut filiorum fœtus: hunc beſtiis ferocibus apparaſſem copioſum cibum pro inculpatis, & qui majoribus meis perpetuam firmam fidem eximiè præſtiterunt, Judæis; atqui, niſi intercederet communis educationis amor, & utilitatis ratio; vitâ pro his privatus eſſes.

22. Ita Hermon improviſam & periculoſam ſubiit comminationem, & aſpectu & vultu demiſſus fuit. Unuſquiſque autem amicorum mœſtè tabeſcens, eos qui congregati erant, dimiſerunt unumquemque ad proprium negotium.

23. At Judæi, cùm audiſſent ea quæ à rege, præſentem Deum, & regem regum laudabant, hoc etiam ipſius auxilium aſſecuti.

24. Verùm ſecundùm has ipſas leges rex iterum conſtituens convivium, hortabatur ad lætitiam ſe converterent. Accerſito autem Hermone cùm minis dixit; quoties tibi de his ipſis præcipiendum eſt infeliciſſime? Elephantos adhuc etiam nunc arma in craſtinum ad Judæorum perditionem.

25. Cognati autem, qui ſimul diſcumbebant, inconſtantem illius mentem admirantes, proferebant hæc: Rex, uſquequò nos tamquam ſtolidos pertentas, præcipiens jam tertiò illos deleri, & iterùm in rebus ipſis mutatione diſſolvens ea quæ tibi decreta ſunt?

26. Quamobrem civitas propter expectationem tumultuatur, & plena concionum, jam etiam periclitatur ſæpe diripi.

27. Quocirca rex in omnibus hilaris impletus ſtoliditate, & factas in ſe ad viſitationem Judæorum mutationes animi pro nihilo ducens,

28. Impium confirmavit juramentum, ſtatuens hos quidem ſine dilatione mittere in infernum, genibus & pedibus ferarum cruciatos: exercitu autem ducto contra Judæam, ſolo illam æquaturum igne & haſtâ velociter, & invium illorum nobis Templum igne citò proſtraturum, & ab illic ſacrificantibus vacuum facturum.

29. Tunc læti diſcedentes amici & cognati, cum fide diſpoſuerunt exercitus opportuniſſimis locis civitatis ad cuſtodiam.

30. Elephantorum autem præpoſitus, cùm feras quaſi, ut ita dicam, ad inſanam habitudinem adduxiſſet, odoratiſſimis potionibus vini cum thure miſti horribilibus præparationibus præparatas, circa auroram, civitate jam turbis innumerabilibus ad Hyppodromum refertâ, ingreſſus aulam, ad id quod propoſitum erat, incitavit regem.

31. Ille autem gravi irâ impletus impium cor, omni mole cum feris exiliit, volens immiti corde, etiam pupillis oculorum ſpectare ærumnoſam & miſeram eorum qui jam dicti ſunt, ſubverſionem.

32. Ut autem elephantorum exeuntium circa portam, & ſubſequentis armati exercitûs, & multitudinis euntis pulverem viderunt, & graviſonum tumultum audierunt Judæi, ultimum illud vitæ momentum finem ſibi eſſe putantes.

33. Miſerrimæ expectationis, ad miſerationem & gemitus converſi, oſculabantur ſe invicem complicatis cognatis, ſuper colla procidentes, parentes pueris, & matres puellis;

34. Aliæ autem nuper genitos ad ubera habentes infantes ultimum ſugentes lac,

35. Verumtamen & quæ ſibi anteà præbita eſſent de cœlo auxilia, conſcii, pronos unanimiter ſe projicientes, & ſeparatis infantibus ab uberibus,

36. Exclamaverunt voce magnâ valdè, omnis potentiæ Dominum ſuppliciter orantes, ut ipſorum eum præſentia miſeraretur, qui jam ad portas inferni eſſent.

CAPUT VI.

1. ELeazarus autem quidam, vir inſignis, ex iis, qui de regione, Sacerdotibus, in ſenio jam ætatem ſortitus, & omni virtute ad vitam pertinente ornatus, eos qui circa ſe cohibens Preſbyteros ab invocando ſancto Deo, precatus eſt hæc.

2. Rex magnipotens, altiſſime, omnipotens Dee, qui creaturam omnem in miſerationibus gubernas, reſpice in ſemen Abraham, in filios ſanctificati Jacob, ſanctificatæ portionis tuæ populum in peregrina terra peregrinum injuſtè pereuntem, Pater.

3. Tu Pharaonem abundantem curribus, olim hujus Ægypti Dominum elatum iniquâ audaciâ, & linguâ magniloquâ cum ſuperbo exercitu demerſos ponto perdidiſti, oſtenſo lumine miſericordiæ generi Iſraël.

4. Tu innumerabilibus exercitibus exultantem Sennacherim gravem Aſſyriorum regem, qui haſtâ univerſam jam ſubjugarat terram, & elatus ſuper ſanctam civitatem tuam gravia loquebatur faſtu, & audaciâ, Domine, fregiſti, manifeſtò oſtendens gentibus multis potentiam tuam.

5. Tu tres illos, qui in Babylonia, ſocios, qui ſponte animam igni dederant, ne ſervirent vanis, ignitum irrorans caminum liberaſti uſque ad capillum illæſos, flammâ immiſsâ in omnes adverſarios.

6. Tu calumniis invidiæ per terram leonibus projectum feris cibum Danielem in lucem revocaſti incolumem. Et in ventre ceti in mari educati durè liqueſcentem Jonam, illæſum omnibus familiaribus oſtendiſti, Pater.

7. Et nunc oſor contumeliæ, multùm miſericors, univerſorum protector, citò appareas his qui de genere Iſraël, qui contumeliis afficiuntur ab abominatis iniquis gentibus.

8. Quòd ſi impietatibus per ipſam peregrinationem vita noſtra conſtricta eſt; cùm erueris nos de manu inimicorum, prout elegeris, Domine, perde nos morte.

9. Non vanis vana ſapientes benedicant ſuper dilectorum tuorum perditione, dicentes; Neque Deus eorum liberavit eos.

10. Tu autem qui omne robur, & potentiam omnem habes, æterne, nunc reſpice.

11. Miſerere noſtri, qui per injuſtam inimicorum injuriam, è vita, more inſidiatorum, ſubmovemur.

12. Admirentur autem gentes invictam tuam potentiam hodiè, honorate, qui poteſtatem habes ad ſalutem generis Jacob. Supplicat tibi univerſa multitudo parvulorum, & horum parentes cum lachrymis.

13. Pateat omnibus gentibus, quòd nobiſcum es, Domine, & non avertiſti faciem tuam à nobis:

14. Sed, ſicut dixiſti, neque cùm eſſent in terra inimicorum ſuorum, ipſos deſpecturum, ſic perfice, Domine.

15. Eleazaro autem finem jam faciente orationis, rex cum feris & toto exercitu fremitus ad Hippodromum accedebat.

16. Et aſpicientes Judæi, vehementer exclamarunt in cœlum, ita ut adjacentes etiam convalles ſimul ſonantes, continuum fletum facerent univerſo exercitui.

17. Tunc magnificè glorioſus, omnipotens, & verax Deus, oſtendens ſanctam faciem ſuam, aperuit cœleſtes portas: è quibus inclyti duo terribiles Angeli deſcenderunt, manifeſti omnibus, præterquàm Judæis.

18. Et ex adverſo ſteterunt, & exercitum adverſariorum impleverunt turbatione, & formidine, & immobilibus ligaverunt compedibus. Atque regis etiam corpus factum eſt horrens, & oblivio gravem ejus audaciam occupavit.

19. Et converterunt ſe beſtiæ ſuper ſubſequentes armatos exercitus, & conculcabant eos, & exterminabant.

20. Et verſa eſt regis ira in miſericordiam & lachrymas pro his quæ anteà molitus fuerat.

21. Audiens enim vociferationem, & videns præcipites omnes ad perditionem, illachrymatus, cum ira amicis minabatur, dicens:

22. Regios tranſgredimini mores, & tyrannos ſuperaſtis crudelitate: & me benefactorem veſtrum aggredimini à principatu jam & ſpiritu removere, clàm machinantes quæ non conferunt regno.

23. Quis eos qui obtinent noſtras in fide munitiones, è domo removens ſtultè congregavit huc?

24. Quis eos qui ab initio benevolentiâ erga nos omnibus in rebus ſuperant omnes gentes, & deterrima ſæpe hominum ſuſceperunt pericula, ſic iniquis implicuit ſuppliciis?

25. Solvite, diſſolvite injuſta vincula: ad propria cum pace dimittite, quæ antè facta ſunt, deprecari. Dimittite filios omnipotentis cœleſtis Dei viventis, qui à noſtris majoribus hucuſque nunc incolumem cum gloria bonum ſtatum præbet rebus noſtris.

26. Ergo ille quidem hæc dixit. Hi autem indiviſibili tempore ſoluti ſanctum Salvatorem Deum ſuum benedicebant, nuper à morte evadentes.

27. Deinde rex in civitatem reverſus, præfectum redituum acceſſens, juſſit & vina & cætera ad convivium neceſſaria præbere Judæis ad dies ſeptem, ſtatuens eos quo in loco perniciem ſubire putabant, in hoc cum omni lætitia ſalutaria celebrare.

28. Tunc qui anteà ignominioſi, & prope infernum erant, quinimò in eum deſcenderant; pro acerba & lugubri morte convivium ſalutare inſtruentes, paratum ipſis ad ruinam & ſepulturam locum tentoriis convivalibus diviſerunt pleni gaudio.

29. Ac deſinentes gemebundum lamentationis canticum, reſumſerunt cantum patrium, ſalvatorem, & prodigiorum factorem laudantes Deum: fletumque omnem & planctum removentes, choros conſtituerunt pacificæ lætitiæ ſignum.

30. Eodem autem modo & rex pro his magno congregato ſympoſio, ſine intermiſſione erga cœlum confitebatur magnificè pro inopinata, quæ ſibi obvenerat ſalute.

31. Quique anteà in perniciem & avium eſcam eos futuros putabant, & cum gaudio deſcripſerant, gemuerunt confuſione in ſeipſis induti, & ignivomâ audaciâ ingloriè extinctâ:

32. Judæi autem, ſicut prædiximus, conſtituto prædicto choro, cum epulis, in confeſſionibus hilaribus, & pſalmis, degebant:

33. Et communi de his latâ lege ad omnem habitationem ſuam in generationes, prædictos dies agendos decreverunt lætus, non potationis causâ, & edacitatis, ſed ſalutis ſibi per Deum datæ.

34. Adierunt autem regem, dimiſſionem ſuam ad propria poſtulantes.

35. Deſcribunt autem eos à vigeſima quinta menſis Pachon uſque ad quartam menſis Epiphi, ad dies quadraginta: ſtatuunt autem eorum perditionem à quinta Epiphi uſque ad ſeptimam diebus tribus, in quibus etiam magna cum gloria patefaciens miſericordiam ſuam omnium Dominus, incolumes eos liberavit ſimul.

36. Epulabantur autem omnibus à rege præbitis uſque ad quartam decimam: in qua etiam adierunt pro dimiſſione tua.

37. Collaudans autem eos rex, ſcripſit eis ſubjectam epiſtolam ad duces, qui per civitates; quæ magnam animi intentionem præ ſe ferebat.

CAPUT VII.

1. REx Ptolemæus Philopator ducibus per Ægyptum, & omnibus negotiorum præfectis, gaudere, & valere. Valemus autem & ipſi, & filii noſtri proſperè dirigente nobis res magno Deo, ſicut volumus.

2. Ex amicis quidam morum improbitate, frequentiùs nobis aſſiſtentes, perſuaſerunt nobis, ut Judæi, qui ſub regno noſtro ſunt, quod conjurationem congregaſſent, punirentur novis rebellium ſuppliciis.

3. Prætendentes numquam bono in ſtatu collocatum iri res noſtras, propter odium quod hi haberent erga omnes gentes, quoadusque hoc perficiatur.

4. Qui & vinctos adducentes eos cum vexationibus tamquam mancipia, potiùs autem tamquam inſidiatores ſine ullo judicio, & inquiſitione aggreſſi ſunt interficere, lege Scytharum ferociorem induti crudelitatem.

5. Nos autem ſuper his duriùs comminati, pro ea quam habemus erga omnes homines æquitate, vix vitam eis condonantes, & cœleſtem Deum agnoſcentes, qui totò protexerat Judæos, tamquam pater pro filiis aſſiduè propugnans, & amicitiæ quam habent erga nos & majores noſtros, ſtabilem benevolentiam recolentes, juſtè dimiſimus quolibet cujuſque cauſæ modo:

6. Et præcepimus cuique, ut omnes ad propria reverterentur, nemine uſquam ipſos prorſus lædente, neque exprobrarent de iis quæ præter rationem geſta eſſent.

7. Scitote enim ſi quid contra hos machinemur mali, vel omninò eos contriſtemur; non hominem, ſed omnis potentiæ Dominum Deum Altiſſimum adverſarium nobis ad ultionem rerum uſquequaque inevitabiliter perpetuò nos habituros. Valete.

8. Acceptâ autem epiſtolâ hac, non ſtatim urſerunt abitionem, ſed regem obſecrarunt, qui ex Judæorum genere ſanctum Deum ſponte deſeruiſſent, & ejus legem; ii per ipſos debitam pœnam reportarent;

9. Proponentes, qui ventris causâ tranſgreſſi eſſent

divinas leges, ne in regis quidem rebus unquàm benè ſenſuros.

10. Ille autem verè eos dicere confeſſus, & collaudans, dedit eis omnium poteſtatem, ut eos qui tranſgreſſi erant Dei legem, diſperderent per omnem, qui in regno ipſius, locum fidenter, ſine ulla regali auctoritate aut ſcientia.

11. Tunc bene precantes ei, ſicut par erat, qui ex his erant Sacerdotes, & omnis multitudo acclamantes Alleluia, cum gaudio abierunt.

12. Tunc occurrentem ex contaminatis concivem per viam puniebant, & exempla edentes interficiebant.

13. Illâ autem die ſuſtulerunt ſupra trecentos viros, & egerunt lætitiam cum gaudio prophanis interfectis.

14. Illâ autem ipſi, qui uſque ad mortem Deum retinuerant, integrâ ſalutis fruitione perceptâ, profecti ſunt è civitate cujuſque optimi odoris floribus coronati, cum lætitia & clamore, in laudibus & ſuaviſſimis hymnis gratias agentes Deo patrum ſuorum æterno ſalvatori Iſraël.

15. Cùm veniſſent autem Ptolemaïdam, quæ propter loci proprietatem nominatur Roſifera, in qua expectaverat eos claſſis ex communi ipſorum conſilio dies ſeptem.

16. Ibi fecerunt convivium ſalutare, rege præbente eis bono animo, quæ ad diſceſſum, omnia unicuique uſque ad propriam domum.

17. Delati autem cum pace in confeſſionibus decentibus, ſimiliter & ibi ſtatuerunt hos agere dies ad tempus ſui incolatûs lætius.

18. Quos etiam conſecrantes in columna ad convivii locum, confirmantes votum, abierunt illæſi, liberi, gaudio delibuti, & per terram, & mare, & flumen, incolumes, regis juſſione, unuſquiſque ad propriam ſedem; & majorem quàm anteà, in inimicos poteſtatem adepti cum gloria & timore, prorsùs à nemine dimoti de ſubſtantia.

19. Et omnia ſua omnes reportarunt ex deſcriptione, ita ut, qui aliquid habebant, maximo cum timore eis redderent, cùm magnalia ſummus Deus feciſſet perfectè ad ſalutem ipſorum.

20. Benedictus liberator Iſraël in ſempiterna tempora. Amen.

LIBER QUARTUS MACHABÆORUM.

CAPUT I.

1. IN decretis fuit Græcorum Ethnicorum regibus, ſingulis annis mittere in ſanctam civitatem pecuniam plurimam tradendam Sacerdotibus, ut eam theſauro domûs Dei apponerent, in pecuniam eleemoſynarum pupillis, & viduis.

2. Erat autem Rex Seleucus in Macedonia, habebatque amicum, qui dicebatur Heliodorus, ex ducibus ſuis. Hic deſtinatus eſt ad expilandum theſaurum, accipiendumque quidquid in eo erat pecuniarum.

3. Quod quidem cum divulgatum eſſet, magnum attulit mœrorem civibus, timueruntque ne ab hoc procederet Heliodorus ad alia, viribus nequaquam ſibi ſuffragantibus eum prohibere à decretis.

4. Quamobrem ad Deum confugiunt omnes, & jejunium cunctis decreverunt, & ſupplices oraverunt cum humilitate, ſubmiſſione, planctuque magno, induentes cilicia, & ſeſe cinere volutantes cum Onia Sacerdote magno, ac reliquis principibus, & ſenioribus, uſque ad plebem & mulieres, atque pueros.

5. Cumque altera eſſet dies, venit Heliodorus in domum Dei cum apparatu, & ingreſſus eſt cum peditibus domum equo inſidens ipſe, ac theſaurum appetens;

6. Cui immiſit Deus optimus maximus vocem magnam terribilem: viditque perſonam bellicis inſtructam inſtrumentis, inſidentem ingenti equo, illum impetentem;

7. Quare timore ac tremore auctus eſt, adſtititque ei perſona illa, & avulſit illum è ſagmate ipſius, atque in terram percuſſit. Quare mente perculſus maximopere, atque alienatus obmutuit.

8. Cum autem vidiſſent ſui, quod ei acciderat, & neminem conſpexiſſent, qui hæc ipſi intuliſſet, feſtinantes detulerunt eum in domicilium illius: manſitque dies aliquos, neque loquens, neque ſumens alimentum;

9. Quare convenientes principes amicorum illius, profecti ſunt ad Oniam Sacerdotem, rogantes eum ut propitiaretur ei, ac Deum optimum maximum deprecaretur, ne illum ſupplicio afficeret.

10. Quod præſtitit Onias, & ſanatus eſt Heliodorus ex morbo ſuo. Et vidit perſonam quam viderat in ſanctuario, præcipientem adire Oniam Sacerdotem, & ſalutare eum, & debitos deferre ei honores, indicantem ei Deum optimum maximum illius exaudiſſe preces, ipſumque ſanaſſe Oniæ rogatu.

11. Feſtinavit ergo Heliodorus ad Oniam Sacerdotem, quem adorans ſalutavit, & tradidit ei denarios, & drachmas, rogans ut apponeret iis, quæ ſunt in theſauro.

12. Tum profectus eſt ex Jeruſalem in regionem Macedoniæ, & notum fecit Seleuco regi, quod ſibi evenerat, deprecans, ne illum ſubrogari cogeret in Jeruſalem.

13. Quare demiratus eſt rex ea quæ meminit Heliodorus: præcepitque ea nota facere hominibus. Et curavit transferri, ac dimitti è Jeruſalem viros ſuos, augens ea, quæ illuc ſingulis annis mittebat, propter ea, quæ evenerant Heliodoro:

14. Atque magis addiderunt reges pecuniam deferri Sacerdotibus, quæ erogaretur in pupillos, & viduas, & quæ erogaretur in ſacrificia.

CAPUT II.

1. ERat vir Macedo, Ptolomæus nuncupatus, ſcientiâ atque intelligentiâ præditus: qui cum habitaſſet in Ægypto, conſtituerunt eum Ægyptii regem ſuper regionem Ægypti.

2. Quare inquirendarum ſcientiarum amore auctus, omnes ſapientum libros undique collegit.

3. Cupiens autem viginti quatuor libros ſibi acquirere, ſcripſit Sacerdoti magno in Jeruſalem, ut ſibi mitteret ex peritioribus in iſtis libris, ſeptuaginta ſenes; miſitque epiſtolam cum munere ad Sacerdotem.

4. Perveniente itaque epiſtolâ regis ad Sacerdotem, ſelegit ſeptuaginta peritos viros, eoſque miſit cum viro, qui dicebatur Eleazarus, præſtans religio-

ne, ſcientiâ, atque diſciplinâ; qui profectus eſt in Ægyptum.

5. Cum autem innotuiſſet eorum adventus regi, ſeptuaginta domicilia parari, eoſque ibi excipi juſſit.

6. Præcepit præterea ſingulis deſtinari Scribam, qui exciperet horum librorum interpretationem characteribus græcis, & græcâ linguâ.

7. Interdixit inſuper, ne quis horum ſeptuaginta cum ſocio conveniret, ne conſpirarent in cujuſquam iſtorum librorum mutationem.

8. Exceperunt itaque ſcribæ ex ſingulis eorum, viginti quatuor librorum tranſlationem.

9. Et cum abſolutæ eſſent tranſlationes, illas obtulit regi Eleazarus, eaſque inter ſe (ipſo præſente) contulit; quibus collatis, concordare compertæ ſunt;

10. Unde valde lætatus eſt rex, præcepitque pecuniam plurimam dividi inter gentem. Eleazarum vero maximâ cumulavit remuneratione:

11. Dimiſit quoque eâ die univerſam captivitatem, quæ inventa eſt in Ægypto de tribu Judæ, & Benjamin: ut reverterentur in ſuam regionem Syriam.

12. Erat autem numerus eorum circiter centum & triginta millia. Juſſit inſuper pecuniam diſtribui eis, ita ut ſingulis obvenirent denarii plures: qui accipientes profecti ſunt in regionem ſuam.

13. Tum menſam magnam fieri præcepit ex auro puriſſimo, quæ totius regionis Ægypti imaginis capax eſſet, imaginiſque Nili, ab origine ejus decurſûs, ad illam uſque, omniumque præterea ipſius per illam diviſionum, & quomodo totam alluit regionem.

14. Præcepit quoque multis eam interdiſtingui gemmis. Et facta eſt menſa hæc, atque perfecta ejus figuratio, & gemmis interdiſtincta, & delata eſt in civitatem Jeruſalem, munus domui magnificæ. Quæ integra perveniens collocata fuit in domo, ſecundùm præceptum regis. Et ſane ſimilem non viderunt homines quoad pulchritudinem picturarum, & ſapientiam artis.

CAPUT III.

1. ERat ex regibus Macedonum homo quidam qui Antiochus dicebatur; inter cujus geſta id fuit: ut cum defunctus eſſet Ptolemeus rex Ægypti ante memoratus, profectus eſt cum exercitibus ſuis ad Ptolemeum ſecundum oppugnandum: victo autem Ptolemeo, atque cæſo, potitus eſt ejus regione Ægypto: eamque obtinuit.

2. Hinc robur accipientibus rebus ipſius, majorem terræ ſubegit partem, obedientiam deferentibus ei Perſidis rege, aliiſque.

3. Quare elatum eſt cor ejus: & ſuperbiâ inflatus, idola ad ſuam ſimilitudinem confici juſſit, ut eis deferrent homines adorationem, in illius magnificentiam, & cultum.

4. Quæ quidem cum confecta fuiſſent, miſit in omnes ſui regni regiones per nuncios, jubentes ea coli, & adorari. His annuerunt gentes, timentes, atque metuentes tyrannidem ejus.

5. Erant autem eo tempore in Judæa tres viri mortalium omnium peſſimi: & unicuique in eodem genere mali, non abſimilis erat familia.

6. Quorum trium, unius nomen erat, Menelaüs: ſecundi, Simon: tertii, Alcimus. Apparuerunt autem eo tempore imagines quædam, quas quadraginta dierum ſpatio in aëre conſpexerunt cives Jeruſalem: erant quidem imagines inſidentium equis igneis in ſeſe decertantium.

7. Adiverunt itaque impii iſti Antiochum, ad obtinendam aliquam penes eum auctoritatem, ut facilè perpetrare poſſent quidquid vellent ſcortationis, expilationis facultatum hominum, ac denique imperare reliquis, itemque coërcere.

8. Et dixerunt ei, Rex, jam apparuerunt in aëre ſuper Jeruſalem equites ignei in ſeſe decertantes: propterea gaviſi ſunt Hebræi dicentes, indicem hæc eſſe mortis Antiochi.

9. Quibus verbis præſtans fidem rex, furore percitus, profectus eſt in Jeruſalem quàm breviori tempore: ac genti ſupervenit nulla ejus præmonita fama.

10. Invaſeruntque eos viri illius, & gladio percuſſerunt, plurimas perpetrantes clades: pluresque exceperunt vulneribus ac multitudinem magnam in captivitatem redegerunt.

11. Quidam verò fugientes, ſeſe in montes, ac nemora contulerunt: ubi diu morati ſunt, herbis veſcentes.

12. Poſt hæc à regione abſcedere decrevit Antiochus. At non ſat illi fuit, quod genti intulerat: verùm ſubrogavit virum nomine Felicem, injungens ei, eos cogere ſuam colere imaginem, ac ſuillam edere carnem.

13. Quod præſtitit Felix, gentem accerſens ad obediendum regi in iis, quæ ipſi præceperat. At illi ea, ad quæ accerſiti fuerant, ſuſcipere negaverunt: quare magnam multitudinem ex eis peremit, ſervans peſſimos illos, eorumque familiam: & exaltans eorum dignitatem.

CAPUT IV.

1. POſt hæc captus eſt Eleazarus, qui profectus erat cum Doctoribus ad Ptolemeum: & tunc erat ſenex ætate provectus, nonagenarius: & conſtitutus eſt coram Felice, cui ait;

2. Eleazare, equidem vir ſapiens es, ac prudens: & ſanè à multis te dilexi annis, nec propterea tuam cuperem necem: obtempera ergo regi, & adora ejus imaginem, & de ejus immolatis comede, & incolumis evade.

3. Cui reſpondit Eleazarus: Profectò non ſum deſerturus obedientiam Dei, ut obediam regi.

4. Cui, accedens Felix ſecretò ait: Fac te accerſere quempiam, qui afferat tibi carnes de veſtris immolatis, quas apponito menſæ meæ:

5. Et comede aliquid ex illis, hominibus præſentibus, ut agnoſcant te obediviſſe regi, & redimes animam tuam nullo illato religioni tuæ detrimento.

6. Huic ait Eleazarus: Nequaquam Deo obſequor ullo fraudum genere, ſed hanc potiùs ſuſtinebo violentiam.

7. Etenim cum ſim ſenex nonagenarius, jam extenuata ſunt oſſa mea, & corpus meum contabuit. Si forti ergo animo feram ea, quæ fortiſſimi juvenes metuentes refugiunt: me imitabuntur fortes populi mei, & juvenes meæ nationis, & dicent:

8. Quomodo non licet ea pati, quæ paſſus eſt nobis viribus infirmior, & carne ac oſſe exilior? Quòd ſanè expeditius mihi erit, quàm fallere eos, ſimulatâ regi obedientiâ.

9. Dicent enim: Si ſenex iſte decrepitus, ſapiens, prudens, vitæ eſt cupidus. & rerum caducarum dolore corripitur, ſuam abdicans religionem; nobis profectò licebit, quod ei licuit, cum ſit, ſenex ac ſapiens, & quem ſequi nos oportet.

10. Quare perire malo, relictâ eis conſtantiâ religionis, ac patientiâ adverſus tyrannidem, quàm vivere ipſorum infirmatâ conſtantiâ in obediendo Domino ſuo, & ipſius beneplacitis obſequendo: ut felices per me reddantur, non autem infelices.

11. Cum audiſſet itaque Felix Eleazarii ſententiam, vehementer in eum iratus eſt, juſſitque ipſum multis ſuppliciorum generibus affici; ita quidem, ut maximum inierit certamen,

12. Et ait: Deus utique ſcis, quod liberare potuiſſem memetipſum ab iis, in quæ incidi, alteri à te obediendo.

13. Quod quidem non præſtiti: ſed malui tibi obedire: & facilem exiſtimavi omnem illatam mihi vim, pro conſtantia in tua obedientia.

14. Et nunc parum reputo ea, quæ mihi evenerunt ſecundùm beneplacitum tuum, eaque ſuſtineo quantùm valeo.

15. Rogo te itaque, ut hoc accepres à me, & mori me facias antequam infirmior reddar in ſuſtinendo.

16. Et exaudivit Deus preces illius, & ſtatim obiit. Reliquit autem populum ſuum, cultui Domini ſui

deditum, ſanâque præditum fortitudine, ac conſtantiâ in religione, & patientiâ, adverſus ea quæ illis obveniunt.

CAPUT V.

1. ET capti ſunt poſt hæc ſeptem fratres, & mater ipſorum; & miſſi ſunt ad regem: non enim longe adhuc receſſerat à Jeruſalem. Et cum deducti fuiſſent ad regem, introductus eſt unus eorum ad illum: cui propriam juſſit abdicare religionem:

2. Qui tenens, ait illi: Si enim nos veritatem docere putas, non ita ſeſe res habet; quippe veritas ea eſt, quam didicimus à patribus noſtris, & quâ noſmetipſos obſtrinximus ſolius Dei amplecti cultum, & conſtanter obſervare legem: & ab hac nequaquam recedemus

3. Et iratus eſt rex Antiochus his dictis: præcepitque afferri ſartaginem ferream, & igni admoveri. Tum juſſit amputari linguam juvenis, & manus ac pedes præſcindi, & detrahi pellem capitis, & imponi ſartagini:

4. Et factum eſt ei ita. Deinde afferri præcepit ollam æneam magnam, & igni admoveri, in quam projectum eſt reliquum corporis.

5. Et cum propè moreretur vir, juſſit removeri ab eo ignem, ut diutiùs cruciaretur: intendens his matrem deterrere, ac fratres.

6. At ſanè hoc fortitudinem, & robur religionis conſtanter ſervandæ illis addidit, ac ſuſtinendi ea omnia, quæ eis per tyrannidem inferri poterant.

7. Mortuo itaque primo, oblatus ei ſecundus. Cui quidam puerorum aiunt: obſequere iis, quæ rex tibi præcipiet, ne pereas ſicut periit frater tuus.

8. Qui ait: Non ſum fratre meo infirmior corde, neque minor fide. Afferte ignem, & gladium: nec minuatis quicquam illorum, quæ feciſtis fratri meo. Et factum eſt ei, quemadmodum factum fuit fratri ejus.

9. Et appellavit regem, & dixit ei: Audi crudelis ſceleſtiſſime in homines, ac ſcito, quod nihil noſtri obtines, niſi corpora: ſpiritus verò noſtros nequaquam obtines; & paulò poſt pergent ad Creatorem, quos reſtituet corporibus ipſorum cum vivificabit mortuos gentis ſuæ, & cæſos populi ſui,

10. Et deductus eſt tertius, qui annuens manu, dixit regi: Cur terres inimice? Scito hoc de cœlo nobis immiſſum eſſe, quod & ſuſcipimus, gratias Deo agentes, & ab illo præmia noſtra ſperamus.

11. Et demiratus eſt rex, itemque adſtantes fortitudinem adoleſcentis, & conſtantiam mentis, & pulchritudinem ſermonis. Tum juſſit; & trucidatus eſt.

12. Et deductus eſt quartus, qui ait; pro Dei religione animas noſtras venumdamus, ac locamus, ut ab eo mercedem exigamus, eâ die, cum nulla tibi erit excuſatio in judicio, neque ſuſtinebis cruciatus.

13. Qui juſſit; & trucidatus eſt. Et deductus eſt quintus, cui ait: Ne putes in te ipſo, Deum nos dereliquiſſe propter ea, quæ in nos immiſit. Sed ſanè ejus voluntas eſt, his nobis deferre honorem, & amorem; & ipſe ulciſcetur nos de te, & de tua progenie. Et juſſit; & trucidatus eſt.

14. Et deductus eſt ſextus, qui ait: Equidem fateor Deo delicta mea, credo tamen ea mihi dimittenda fore meâ nece.

15. At tu jam Deo adverſatus es, occidendo eos, qui ipſius amplectuntur religionem, & certè rependet tibi ſecundùm opera tua, & è ſuo mundo te eradicabit. Et præcepit in eum; & trucidatus eſt.

16. Et deductus eſt ſeptimus, qui erat puer. Tunc ſurrexit mater ejus intrepida, atque imperturbata, & inſpexit cadavera filiorum. Tum ait:

17. Filii mei, neſcio profectò, qualiter concepi unumquemque veſtrum, cum illum concepi. Neque potui apponere illi ſpiritum: neque educere in mundi hujus auram: neque elargiri illi fortitudinem, & intellectum; ſed enim Deus optimus maximus ipſe formavit illum, ſecundùm voluntatem ſuam: & imaginem ipſi tribuit ſecundùm ſuum beneplacitum.

18. Et eduxit illum in mundum ſuâ potentiâ, conſtituens ei terminum vitæ, & bona ſtatuta, & diſpenſationem, ut ei placet.

19. Vos autem jam venumdaſtis Deo corpora veſtra, quæ ipſe fecit, & animas veſtras, quas ipſe creavit: & acquieviſtis judiciis ejus, quæ decrevit. Quare felices vos pro iis, quæ feliciter obtinuiſtis: ac beati vos pro iis, quæ viciſtis.

20. Viſum autem erat Antiocho, cum eam ſurrexiſſe vidiſſet, ipſam id præſtitiſſe timore perculſam pro parvulo filio, & exiſtimavit omninò, illam ipſi præcepturam obedientiam regi, ne pereat, ſicuti perierunt fratres illius.

21. Cum verò audiſſet verba ipſius, eum puduit, & erubuit:

22. Præcepitque duci ad ſe puerum, ut hortaretur eum, & perſuaderet amorem vitæ, & deterreret eum morte: ne omnes iſti adverſari viderentur ejus imperio, & eorum ſequerentur exemplum plurimi hominum.

23. Deductum itaque ſermonibus hortabatur, & divitias pollicebatur: & juravit ei, ſe illum proregem ſibi ſuffecturum.

24. Sed cum puer ad ejus verba nequaquam converteretur, neque ea curaret: converſus eſt rex ad matrem illius, & ait illi: Felix mulier, miſerere filii tui hujus, quem ſolum ſuperſtitem habes, & hortare eum, ut amplectatur mea juſſa, & evadat ea, quæ evenerunt fratribus ejus.

25. Quæ ait: Deducite eum ad me, ut hortet ipſum verbis Dei. Et cum deduxiſſent illum ad eam, ſeceſſit à turba. Tum oſculata eſt eum, & irriſit ea, quæ ab Antiocho ſibi dicta fuerunt; deinde dixit ei: Fili mi, age, quod mihi obedias, quoniam peperi te, & lactavi, & educavi, & edocui te divinam religionem:

26. At aſpicito cœlum & terram, & aquam & ignem; & intellige, quod Deus unus verus ipſe creaverit ea: & creaverit hominem ex carne, & ſanguine, qui parum vivit, tum morietur:

27. Quare time Deum verum, qui non moritur: & obtempera veraci, qui non permutat promiſſa: nec timeas hunc gigantem vulgarem: & morere pro religione Dei, quemadmodum mortui ſunt fratres tui;

28. Si enim videres, fili mi, honorem domicilii ipſorum, & lumen habitationis eorum, & ad quantam pervenerint gloriam, utique haud pateteris non ſequi eos: equidem ſpero & ego, Deum optimum maximum me præparaturum, & propè ſequor vos,

29. Tunc ait puer: Sciatis quod obedio Deo, & non obediam Antiochi præceptis: quare ne differatis me ſequi fratres meos, neque impediatis me abire, quò abierunt.

30. Tum dixit regi: Væ tibi à Deo, quò fugies ab eo? & quò confugies? aut cujus implorabis opem, ne ſupplicio te afficiat?

31. Equidem benefeciſti nobis, cum conſtituiſſes maleſacere: malefeciſti animæ tuæ, & perdidiſti eam, cum eſſes arbitratus beneſacere. Nos autem pergimus ad vitam, quam non ſequetur mors, & habitabimus in lumine, quod non removebunt tenebræ.

32. At habitaculum tuum in inferis erit, cum vehementibus Dei ſuppliciis,

33. Ego verò confido, Dei iram à populo receſſuram propter ea, quæ ſuſtinuimus pro eo:

34. Et te cruciatibus afficiet in hoc mundo, & perdet te peſſimâ morte: & tandem ad perpetuos cruciatus abibis.

35. Et iratus eſt Antiochus, videns puerum ſuo adverſari imperio: quare juſſit ipſum affici cruciatibus præ fratribus ejus. Et factum eſt id, & mortuus eſt.

36. Rogavit autem mater ipſorum Deum, & deprecata eſt ſequi filios, & illicò mortua eſt.

37. Tum profectus eſt Antiochus in Macedoniam regionem ſuam: & ſcripſit Felici, & reliquis præfectis in Syria, ut neci traderent Judæos omnes, exceptis illis, qui ejus amplecterentur religionem.

Digitized by Google

Et obſecuti ſunt ſui imperio ejus, interficientes multitudinem hominum.

CAPUT VI.

1. Fugit vir quidam nomine Mathathias filius Jochanan, in aliquem montium munitorum; & confugerunt ad eum diſperſi homines, & quidam ſeſe abſconderunt in locis abditis.

2. Poſtquam autem longè receſſiſſet Antiochus à regione, miſit Mathathias Judam filium ſuum clam in civitates Judæ, ut certiores eos faceret de ſua, ſuorumque ſalute, & ut pergerent ad eum quotquot commoven ur fortitudine, magnanimitate, & zelo erga religionem, uxores, & liberos.

3. Et perrexerunt ad eum quidam de nobilioribus populi, qui remanſerant, qui cùm adeſſent apud eum, ait illis:

4. Nihil nobis reſtat, niſi oratio ad Deum, & confidentia in eo, & prælium adverſus hoſtes noſtros, ut forte concedat nobis Deus opem. & victoriam contra eos. Et acquievit populus opinioni Mathathiæ: & fecerunt ſecundùm eam.

5. Et renuntiatum eſt Felici, & profectus eſt adverſùs eos cum exercitu magno; & nuntiatum eſt ei dum pergeret, de populo Judæorum, eſſe circiter mille homines ex viris, & mulieribus congregatos, & in ſpelunca quadam commorantes, ut ſuam ſervare poſſent religionem; & declinavit ad eos cum aliquo numero ſuorum, mittens duce virorum ſuorum, cum reliquo exercitu contra Mathathiam.

6. Felix autem petiit ab iis, qui ſunt in ſpelunca, ut egrederentur ad eum, & conſentirent ingredi ſuam religionem; at ipſi recuſarunt:

7. Unde comminatus eſt ſe ſuppoſiturum fumum, & ſuſtinuerunt id, & non ſunt egreſſi ad eum, & ſuppoſuit eis fumum, & mortui ſunt univerſi.

8. Cumque pergerent duces exercitûs contra Mathathiam, & pervenerunt ad eum, ipſo parato ad prælium: acceſſit ad eum quidam e a nobilioribus ducibus, proponens ei obedientiam regi, & ut non adverſetur ipſius imperio, ut viveret ipſe, & qui cum eo erant, & non perirent.

9. Cui ait: Equidem Deo obedio regi vero; at vos obedite regi veſtro, & facite quæcumque vobis videntur, & ſeſe à loquendo continuit.

10. Et cœperunt aſtruere ei inſidias. Et venit quidam de peſſimis Judæorum, qui cum eis erant, & concitavit eos pergere contra eum, & bellum conſtituere.

11. Et irruit in illum Mathathias ſtricto gladio, & amputavit caput Judæi; tum percuſſit ducem, quem Judæus alloquebatur, & occidit eum quoque.

12. Videntes jam autem ſocii Mathathiæ quod fecerat, feſtinaverunt ad eum, & irruperunt in caſtra inimicorum trucidantes ex eis multitudinem plurimam, & in fugam verterunt eos; deinde ſecuti ſunt fugientes, donec interfecerunt omnes.

13. Poſt hæc cecinit Mathathias buccinâ, & indixit expeditionem contra Felicem. Et ingreſſus eſt ipſe, & ſocii regionem Judæorum, & ſuſcepit plurimas ex civitatibus eorum.

14. Et quieſcere eos fecit Deus excelſus per manus ejus à ducibus Antiochi: & reverſi ſunt ad obſervantiam ſuæ religionis: & receſſerunt ab eis manus hoſtium ipſorum.

CAPUT VII.

1. Mathathias autem infirmatus eſt: & cum propè eſſet ut moreretur, vocavit filios ſuos, qui erant quinque, & ait illis:

2. Certè ſcio excitanda fore in regione Juda bella quàm plurima ac magna, causâ eorum pro quibus commovit nos Deus optimus maximus ad bellandum contra hoſtes noſtros.

3. Ego autem præcipio vobis ut timeatis Deum, & confidatis in illo, & æmulatores ſitis legis, & ſanctuarii, & populi ipſius, & præparemini ad bellandum contra hoſtes illius:

4. Nec timeatis mortem, quoniam omnibus hominibus proculdubio decreta eſt.

5. Quod ſi victores vos reddiderit Deus, jam obtinuiſtis quod deſiderabatis: ſi verò pereatis, non amittitur id vobis apud illum.

6. Et defunctus Mathathias, & ſepultus eſt, & fecerunt filii ejus ſecundum quod præcepit eis. Et conſenſerunt præficere ſibi fratrem ſuum Judam.

7. Erat autem Judas frater eorum, omnium conſilio optimus, & robore fortiſſimus. Et miſſus eſt contra eos exercitus à Felice cum viro, qui dicebatur Seron, quem fugavit Judas cum ſociis ſuis, & interfecit multitudinem magnam.

8. Et divulgata eſt fama Judæ, ac percrebuit in aures valde; & timuerunt omnes gentes, quæ erant in circuitu ejus.

9. Et perlatum eſt regi Antiocho quicquid fecerat Mathathias, & Judas filius ejus. Pervenerunt hæc quoque ad regem Perſarum, unde prævaricatus eſt in Antiochum, deficiens ab eo, ſequens exemplum Judæ. Quod quidem cum maximoperè afflixiſſet Antiochum,

10. Vocavit ad ſe virum quemdam de domeſticis ſuis, qui dicebatur Lyſias, vir ſtrenuus, ac fortis, & ait illi:

11. Jam decrevi proficiſci in Perſidis regionem ad bellandum: volo autem ſufficere poſt me filium meum in locum meum, & ducere mecum dimidiam partem exercitûs, & reliquam partem relinquere cum filio meo: & ecce tradidi tibi gubernationem filii mei, & gubernationem virorum, quos relinquo cum illo.

12. Et quidem ſcis quid fecit Mathathias, & Judas amicis meis, & viris meis. Quare mitte in regionem Judæ ducentem exercitum potentem; & jube irruere gladio in regionem Judæ, & eradicare eos, & deſtruere domicilia eorum, & ipſorum veſtigia delere.

13. Dein profectus eſt Antiochus in regionem Perſidis. Lyſias verò expedivit tres duces ſtrenuos, ac fortes, & in bellis peritos; quorum unus dicebatur Ptolemæus, alter Nicanor, tertius vero Gorgias. Miſitque cum eis de viris electis quadraginta millia, & ſeptem millia equorum.

14. Tunc præcepit eis quoque, ut adducerent ſecum exercitum de Syris, & Palæſtinis; & præcepit eis omnino extirpare Judæos.

15. Et profecti ſunt, adducentes ſecum multitudinem mercatorum, ut venderent eis captivitatem, quam obtenturi erant de Judæis.

16. Pervenit autem fama ad Judam filium Mathathiæ, & petiit domum Dei optimi maximi; & congregavit homines, indixitque eis jejunium, & orationes, & preces ad Deum optimum maximum: & ut eum deprecarentur pro victoria contra hoſtes; quod quidem præſtiterunt.

17. Poſt hæc congregans Judas viros ſuos, conſtituit ſingulis millibus, principem: & ſimiliter ſingulis centum, virum: & ſingulis quinquaginta: & ſingulis decem.

18. Tum præcepit præcini in exercitu ſuo, ut reverteretur quiſquis timidus eſt, & quemcumque præcepit Deus dimitti de exercitibus. Et reverſa eſt multitudo magna: remanſeruntque cum illis ſeptem millia virorum ſtrenuorum, ac fortium, & in bellis peritorum, iiſque aſſuetorum; nec quiſpiam illorum unquam novit fugam; & profecti ſunt contra hoſtes ſuos.

19. Cum autem appropinquaſſent eis, oravit Judas ad Dominum ſuum, rogans eum, ut averteret à ſe malitiam hoſtis ſui, & ut opitularetur ei, & victorem ipſum redderet.

20. Deinde præcepit Sacerdotibus canere buccinis, quod præſtiterunt, & Deum invocaverunt omnes ſui, & in exercitum Nicanoris irruerunt.

21. Et conceſſit illis Deus victoriam contra eos, & fugaverunt illum ac ſocios ejus, interficientes ex illis novem millia virorum: reliqui autem diſperſi ſunt.

52. Et reverſus eſt Judas, & amici ejus ad caſtra Nicanoris, & deprædati ſunt ea, diripueruntque bona mercatorum plurima, & miſerunt ea dividenda inter infirmos.

53. Hæc autem pugna fuit feriâ ſextâ: quare ſtetit Judas, & ſui eodem in loco, donec pertranſiret dies Sabbati.

54. Tum profecti ſunt contra Ptolemæum, & Gorgiam, quos invenientes expugnaverunt, & victoriam reportaverunt ex eis, occidentes ex eorum exercitu viginti millia. Et fugerunt Ptolemæus & Gorgias, quos ſecutus eſt Judas cum ſociis: tamen eos comprehendere non potuit, quoniam ſeſe contulerunt in civitatem duorum idolorum, & ſeſe munierunt in ea cum reliquis viris ſuis.

55. Et invaſit Judas Felicem, & fugatus eſt ante eum, quem ſecutus eſt Judas. Qui veniens in domum quamdam proximam, ingreſſus eſt eam, & clauſit januas; erat autem domus munita.

56. Et præcepit Judas: & ſuccendit eam igni, & combuſta eſt domus & combuſtus eſt Felix. Sumſit ergo de eo Judas vindictam Eleazari, & aliorum quos interfecerat Felix. Poſt hæc reverſus eſt populus ad interfectos, & acceperunt ſpolia, & arma ipſorum: miſerunt autem præſtantiora prædæ in regionem ſanctam.

57. At Nicanor mutato habitu ignotus abivit, & reverſus eſt ad Lyſiam, indicavitque ei omnia, quæ ſibi ſuiſque evenerant.

CAPUT VIII.

1. REverſus eſt autem Antiochus de regione Perſidis fugiens dimiſſo exercitu. Qui cum intellexiſſet quod accidit exercitui ſuo, quem miſerat Lyſias, & omnibus viris ſuis, egreſſus eſt cum exercitu magno, petens regionem Judæ.

2. Qui pergens cùm ad medium perveniſſet iter, percuſſit illum Deus telis maximis: at id nequaquam illum remorari potuit ab itinere, ſed inſtitit illi, proferens omnia genera injuriarum in Deum, ac dicens: Quod nemo illum avertere, aut impedire poſſet à decretis ſuis.

3. Quare percuſſit quoque illum Deus optimus maximus ulceribus totum invadentibus ejus corpus: nec tamen deſtitit, aut corripuit ſe ab itinere, ſed auctus eſt irâ, & aviditate percitus obtinendi quod decreverat, & conſequendi quod deliberaverat.

4. Erant autem in exercitu ejus elephanti quam plurimi. Accidit ergo ut quidam eorum fugeret, & barritum ederet; quamobrem diffugerunt equi portantes lectum in quo jacebat Antiochus, & excuſſerunt illum.

5. Cum autem eſſet corpore obeſus, debilitata ſunt membra ejus, & quædam juncturæ divulſæ fuerunt: & ulcerum quidem ejus, quæ fœtorem jam emittebant, adeo fœtor auctus eſt, ut neque ipſe ſuſtinere amplius poſſet, nec qui ad eum accedebant.

6. Cadentem itaque ſuſtulerunt ſervi, & ſuper humeros portaverunt: ingruente verò fœtore projecerunt illum, & longè receſſerunt.

7. Videns itaque quæ mala eum convenerunt, pro certo credidit, id totum ſupplicium ſibi eveniſſe à Deo optimo maximo propter injuriam, ac tyrannidem Hebræis illatam, & ſanguinis eorum effuſionem injuſtè perpetratam.

8. Timens ergo converſus eſt ad Deum, & peccata ſua confitens dixit: Deus utique merito quæ in me immiſiſti: & quidem juſtus es in judiciis tuis: humilias qui exaltatur, & diminuis qui ſuperbit: tibi verò eſt magnitudo, & magnificentia, & majeſtas, & fortitudo.

9. Verè inquam oppreſſi populum hunc, & tyrannicè egi, & decrevi in ipſos.

10. Parce, quæſo, Deus lapſum hunc meum, & dimitte peccatum meum, & elargire mihi ſanitatem meam; & meum erit implere theſauros domûs tuæ auro, & argento, & ſternere domum ſanctuarii veſtimentis purpureis.

11. Et circumcidi, & præconio edicere per univerſum regnum meum, te eſſe Deum verum ſolum, non habentem participem, nec eſſe Deum præter te.

12. At nequaquam exaudivit Deus illius preces, nec orationem excepit: ſed adeò multiplicata ſunt mala ipſius, ut emitteret viſcera: & adeò creverunt ulcera, ut decideret caro ejus à corpore.

13. Dein mortuus & ſepultus eſt in loco ſuo. Et regnavit filius ejus loco ejus, eratque nomen ipſius Eupator.

CAPUT IX.

1. CUm fugaſſet Judas Ptolemæum, & Nicanorem, & Gorgiam, & occidiſſet viros eorum; reverſus eſt ipſe, & viri ejus in regionem domûs ſanctæ.

2. Præcepitque deſtrui omnia altaria, quæ extrui juſſerat Antiochus: Et amovit omnia idola, quæ erant in ſanctuario: & ædificarunt altare novum, juſſitque offerri ſacrificia ſuper illud.

3. Oraverunt quoque ad Deum optimum maximum ad educendum ignem ſanctum, qui maneret in altari; & egreſſus eſt ignis de quibuſdam lapidibus altaris, & combuſſit ligna, ac ſacrificia; & ex eo remanſit ignis in altari uſque ad tertiam tranſmigrationem.

4. Feceruntque tunc ſolennitatem altaris novi octo diebus, incipientibus die quintâ & viceſimâ menſis Caſleu. Tum autem poſuerunt panem ſuper menſam domûs Dei, & accenderunt lucernas candelabri.

5. Singulis autem diebus horum octo conveniebant ad orationem, & laudem: conſtitueruntque præterea id in ritum ſingulis annis.

CAPUT X.

1. POſt dies autem dedicationis, profectus eſt Judas in regionem Idumæorum, videlicet in montem Sarab: Gorgias enim ibi morabatur. Et egreſſus eſt contra ipſum Gorgias cum exercitu magno, & fuerunt inter eos pugnæ magnæ: perieruntque de viris Gorgiæ viginti millia.

2. Et fugit Gorgias ad Ptolemæum in terram occidentis (præfecerat enim illum Antiochus illi regioni, morabaturque ibi) & indicavit ei quod ſibi acciderat.

3. Quare egreſſus eſt Ptolemæus cum exercitu, in quo erant centum & viginti millia de viris Macedonum, & viris occidentis. Profectus autem eſt donec pervenit in regionem Giares, id eſt, Galaad, & adjacentia, & occidit ex Judæis multitudinem magnam.

4. Scripſerunt itaque Judæ, indicantes ei quod ſibi evenit, invocantes eum ad debellandum Ptolemæum, & depellendum à ſe.

5. Et pervenit ad eum epiſtola eorum eodem tempore, quo pervenit ad ipſum epiſtola ab incolis montis Galilææ, indicantibus quoque illi, qualiter Macedones, qui ſunt Tyri & Sidone jam conveniſſent contra eos, & bello impetiviſſent, occidentes ex eis.

6. Cum autem legiſſet Judas utramque epiſtolam, coëgit viros ſuos, & ſignificavit eis tenorem epiſtolarum, indixitque illis jejunium, & orationem. Poſt hæc juſſit fratri ſuo Simoni, ut ſecum aſſumeret tria millia virorum de Judæis, & feſtinanter pergeret in montem Galilææ, & effringeret Macedones, qui in eo erant.

7. Et profectus eſt Simon. Judas verò feſtinavit in occurſum Ptolemæi. At Simon improviſò irruit in Macedones, interfecitque ex illis octo millia virorum, & attulit quietem Galilæis.

8. Judas verò profectus eſt donec pervenit ad Gorgiam, & Ptolemæum: urgens eos, ac obſidens: & decertarunt, interceſſeruntque inter eos acerrimæ pugnæ:

9. Ptolemæus enim ducebat multitudinem numeroſam, fortem ac ſtrenuam. Judas vero pauciſſimo erat comitatus numero: verumtamen, cum populus qui cum eo erat, conſtaret fortiſſimis, atque robuſtiſſimis, conſtanter reſtitit. Et diu duravit pugna inter eos, & invaluit valde.

10. Quare exclamavit Judas ad Deum optimum maximum,

ximom, & invocsvit eum. Meminit autem ſe vidiſſe quinque equites juvenes: è quibus tres pugnabant contra exercitum Ptolemæi, duo verò ſtabant ſecum.

11. Quos cùm attentè contemplaretur, viſi ſunt ei Angeli Dei. Quamobrem confortatum eſt cor ejus, & corda ſociorum: & irrumpentes ſæpè in hoſtes fugaverunt eos, occidentes ex eis multitudinem plurimam.

12. Erat autem ſumma eorum, qui interfecti ſunt de exercitû Ptolemæi, ab initio pugnæ hujus uſque ad finem, viginti millium quingentorum. His peractis, fugit Ptolemæus, & viri ejus ad oras maritimas,

13. Perſequente eos Judâ, & interficiente ex illis quotquot ipſe comprehendebat. Ptolemæus autem fugit in Gazam, & moratus eſt in ea, & convenerunt ad eum viri Chaliſam.

14. Et profectus eſt Judas ad eos, quos inveniens expugnavit: & diſperſi ſunt viri Ptolemæi, qui confugit in Gazam, ac ibi ſeſe munivit. Et perſecuti ſunt viri Judæ palantem populum, interfeceruntque ex illis multitudinem plurimam.

15. Perrexit verò Judas, & qui remanſerunt cum eo viri Gazam, & caſtrametatus eſt, & obſedit eam. Reverſique ſunt viri Judæ ad eum,

16. Et aſcenderunt qui ſuperfuerant cum Ptolemæo munitionem, multiſque Judam injuriis impetebant: perduravitque bellum inter eos, & viros Judæ quinque dies.

17. Cùm autem adeſſet dies quintus, inſtitit populus injuriis inurere Judam, & maledictis inceſſere ipſius religionem:

18. Quamobrem incaluerunt de viris Judæ viginti viri, qui acceptis clypeis manu ſiniſtrâ, dexterâ verò manu gladiis, habentes ſecum quemdam ferentem ſcalam, quam fecerant, profecti ſunt donec pervenerunt ad murum;

19. Steteruntque ex eis viri octodecim jaculantes in eos, qui erant ſupra murum, duo verò feſtinantes ad murum, erexerunt ſcalam, & aſcenderunt per eam.

20. Animadvertentes autem quidam qui erant eo in loco eos aſcendiſſe, & ſocios inſecutos fuiſſe, & ſimul deſcendiſſe de muro intra civitatem, deſcenderunt poſt eos de moro, quos expugnaverunt, cæſo hoſtium maximo numero.

21. Exercitos vero Judæ applicuit portæ civitatis, accurrentibus viginti verſus portam, ut eam aperirent: at expellebantur inde acerrimè: quamobrem invocabant exclamationibus magnis.

22. Cognovit ergo Judas, & ſocii ejus, ipſos propè portam acceſſiſſe: & invaluit pugna extra portam, & intrà. Et igne percuſſit Judas, & ſocii portam, quæ cecidit; & periit populus, & comprehenſi ſunt qui Judam injuriis inurebant, quos adductos juſſit comburi.

23. Prætereà gladio exterminari civitatem præcepit: perduravitque clades in ea duobus diebus, tum igne percuſſa eſt.

24. Ptolemæus verò fugit, nec innotuit eo tempore fama ejus, quoniam mutatis veſtimentis ſeſe abdiderat in quodam puteorum, & latuit fama ejus.

25. Duo verò fratres ipſius capti ſunt, & ad Judam adducti, quorum colla percuti gladio juſſit.

26. Poſt hæc profectus eſt in regionem ſanctuarii cum præda maxima, oravitque in eo ipſe & ſocii, gratias agentes Deo de acceptis beneficiis.

CAPUT XI.

1. ERat nomen Antiochi, cujus præceſſit mentio, Epiphanius; nomen verò filii ejus, qui regnavit poſt illum, Eupator, qui & Antiochus quoque nominabatur.

2. Cùmque contigiſſent prælia Judæ contra hos duces: ſcripſerunt de hoc Eupatori, qui miſit cum Lyſia filio patruelis ſui magnum exercitum, in quo erant octoginta millia equitum, & octo Elephanti.

3. Qui pervenientes ad urbem, quæ appellatur Bethner: caſtrametati ſunt circa eam, & obſiderunt, quippe urbs ampla erat, & in ea populus multus.

4. Et erexit circa eam Lyſias tormenta bellica, inſtituitque oppugnare cives.

5. Quod cùm ad Judam perlatum eſſet, egreſſus eſt ipſe cum ſociis ad quoſdam montes munitos: & morati ſunt ibi, ne in aliqua urbe morantes peteret eam Lyſias, & obſideret, & opprimeret eos.

6. Coëgit ergo Judas ſocios ſuos, & ſtatuit cum eis proficiſci ad caſtra Lyſiæ, poſtquam adeuntes domum Dei obtulerint in ea ſacrificia, rogantes Deum Optimum Maximum ut averteret à ſe malitiam inimicorum ſuorum, & victoriam ſibi in ipſos concederet: quod quidem præſtiterunt.

7. Poſt hæc perrexerunt de regione Domûs ſanctæ ad Bethner. Statuerant enim opprimere exercitum improvisò, illumque debellare ſine contentione.

8. Ferunt autem ſibi apparuiſſe perſonam quamdam inter cœlum & terram, inſidentem equo igneo, habentemque in manu magnam haſtam, quâ percutiebat exercitum Græcorum. Quare addidit eis quod viderant fortitudinem, & animos.

9. Et feſtinantes irruperunt in exercitum, interfeceruntque de viris ejus multitudinem plurimam. Unde commotus exercitus, & perturbatus eſt vehementiſſimè, & totus in fugam promiſcuè converſus.

10. Et inſtitit gladius Judæ, & ſociorum; & occidit ex illis undecim millia virorum, & mille ſexcentos equites. Fugatus eſt quoque Lyſias, & ſocii ejus ad remotum locum in quo tutò morabatur. Et miſit ad Judam, ut ſubjectus ſit regi, ſalvâ ejus, populique ſui religione:

11. Cui in hoc morem geſſit Judas, dummodo ſcriberetur regi, & acciperetur reſponſum illorum aſſenſu. Et ſcripſit Judas de hoc: ſcripſit quoque Lyſias regi, ſignificans ei, quæ evenerant, & quæ expertus eſt de robore, & fortitudine gentis:

12. Et quod continuatio bellorum cum illis eſſet exterminatura viros, quemadmodum exterminati ſunt præcedentes: indiest ipſi prætereà eorum aſſenſum, & moram ſuam, donec reciperet epiſtolam de iis, quæ ſibi agenda ſunt.

13. Cui reſpondit: Rectum ſibi videri pacem inire cum gente, ablato obice eorum exercendæ religionis: etenim hæc ipſa eos induxit ad defectiones, & oppugnationes prædeceſſorum. Præcepit quoque ei inire cum eis fœdus de pace, & obedientia, ita quidem ut nullus opponatur illis obex in negotio religionis.

14. Scripſit etiam Judæ, & omnibus Judæis, qui in regione Judæ, ſecundùm hoc: & duravit id inter eos aliquo ſpatio temporis.

CAPUT XII.

1. HOc eodem tempore, cujus præceſſit mentio, cœperunt res Romanorum exaltari, ut adimpleret Deus Optimus Maximus quod prædixerat Daniel Propheta, (cui pax) de quarto regno.

2. Erat item hoc eodem tempore rex quidam in Africa munificentiſſimus, nomine Annibal. Erat autem regia regni ipſius Carthago. Hic decrevit Romanorum occupare regionem.

3. Quamobrem ad oppugnandum eum convenerunt: & multiplicata ſunt bella inter eos, ita ut commiſerint octodecim prælia ſpatio decem annorum.

4. Nec expellere illum valuerunt de ſua regione ob innumerum exercitum, & populum illius.

5. Decreverunt ergo cogere magnum exercitum ſelectum ex omnibus ſtrenuis, & exercitibus, & fortiſſimis quibuſque ſuis, & impetere Annibalem in bello, & ſuſtinere, donec averterent à ſe res ipſius.

6. Quod quidem præſtiterunt: præfeceruntque exercitui duos viros præclariſſimos, unius nomen erat Æmilius, alterius autem Varro. Qui occurrentes Annibali, commiſerunt cum eo bellum, & cæſa ſunt de exercitu eorum nonaginta millia virorum: de exercitu verò Annibalis ceciderunt virorum quadraginta millia. Interfectus quoque eſt Æmilius eo in bello.

7. Varro autem fugit in civitatem quamdam mari-

mam, munitiſſimam, dictam Venuſiam; quam non eſt perſecutus Annibal; ſed Romam profectus eſt ad expugnandam eam, & ibi morandum.

8. Inſtituitque contra eam per octo dies, cœpitque extruere è regione illius domicilia. Quod cùm vidiſſent cives, deliberarunt inire pacem, & fœdus cum illo, & dedere regionem.

9. Erat autem inter eos juvenis quidam nomine Scipio, (erant quippe Romani eo tempore ſine rege, & tota rerum ipſorum adminiſtratio committebatur trecentis & viginti viris, quibus præerat vir, qui dicebatur Senior:)

10. Adeſt ergo eis Scipio, qui Annibali ejuſque obedientiæ nequaquam fidendum eſſe perſuaſit.

11. Cui reſponderunt: ſe nequaquam ipſi fidere, niſi quod illi reſiſtere nequeant.

12. Quibus ait; Regio Africæ militibus omninò deſtituta eſt, quia omnes cum Annibale ſunt; concedite ergo mihi turmam de electis virorum, ut vadam in Africam:

13. Et talia in ea perpetrabo geſta, quorum nuntia cùm ad illum pervenient, fortè relinquet vos, & liberamini ab eo, & quieſcetis: & reparatis rebus veſtris, & roboratis, ſi iterum pararet reditum, adverſus illam ſatis eritis.

14. Quibus recta viſa eſt Scipionis ſententia; & tradiderunt ei triginta millia virorum de fortiſſimis eorum. Et profectus eſt in Africam, cui occurrens Aſdrubal frater Annibalis, præliatus eſt cum eo; quem vicit Scipio, & amputavit collum, accepitque caput: & portans cum reliqua præda, reverſus eſt Romam.

15. Et conſcindens munitionem, vocavit Annibalem, & ait illi: Quomodo valebis contra regionem noſtram hanc, cùm non valeas expellere me de regione tua, ad quam profectus ſum: deſtruxi eam, & occidi fratrem tuum, & attuli caput ipſius. Tum projecit ad illum caput.

16. Quod cùm Annibali allatum eſſet, & illud cognoviſſet, auctus contra populum eſt furore, ac irâ, juravitque ſe non diſceſſurum niſi expugnatâ Româ.

17. At cives ut illum repellerent à ſe, & coërcerent, deliberarunt remittere Scipionem, ut obſideret, urgeretque Carthaginem. Reverſuſque eſt Scipio, & exercitus ejus in Africam: & caſtrametati ſunt circumcirca Carthaginem; & obſederunt eam obſidione acerrimâ.

18. Quamobrem ſcripſerunt cives ad Annibalem, dicentes: Tu alienam cupis regionem, quam neſcis utrùm obtinere poteris, necne: ad regionem verò tuam profectus eſt, qui eam occupare intentat.

19. Quamobrem ſi remoratus fueris, dedemus ei regionem, & tradémus domeſticos tuos, & omnia bona tua, & theſauros tuos: ut incolumes evadamus nos, & bona noſtra.

20. Cùm autem perlata ei fuiſſet epiſtola, receſſit Româ: & feſtinavit, donec pervenit in Africam;

21. Ad quem perrexit Scipio & occurrit ei, commiſitque cum illo ter acerrimum bellum; & cæſi ſunt de viris ejus quinquaginta millia. Annibal verò fugatus ſeſe contulit in regionem Ægypti, quem inſecutus eſt Scipio: & cepit Annibalem captivum, & reverſus eſt in Africam.

22. Cùmque eſſet ibi, indignatus eſt Annibal ſic videri ab Africanis: quare ſumto veneno interiit.

23. Et obtinuit Scipio regionem Africæ, atque potitus eſt omnium bonorum, & domeſticorum, & theſaurorum Annibalis.

24. Quamobrem magnificata eſt fama Romanorum, cœperuntque inde ſumere incrementum res eorum.

CAPUT XIII.

1. A Seniore & trecentis viginti viri Rectoribus Judam præfectum militiæ, & Judæos, ſalus vobis. Jam perlatum eſt ad nos de victoriis, & fortitudine veſtrâ, & conſtantiâ in bellis, quibus lætati ſumus.

2. Intelleximus prætereà concordiam vobis initam fuiſſe cum Antiocho. Nos ſcribimus vobis ſecundùm hæc, ut ſitis nobis amici, non autem Græcis, qui malefecerunt vobis.

3. Intendimus præterea petere Antiochiam, & inferre bellum civibus ejus: quare feſtinate indicare nobis, quibus adverſamini, & quibuſcum vobis intercedit amicitia, ut faciamus ſecundùm hoc.

Exemplar Fœderis.

4. Hoc eſt fœdus, à Seniore, & trecentis & viginti ejus Rectoribus, Judâ præfecto militiæ, & Judæis, ut apponerentur Romanis, & concordes ſint Romani, & Judæi in bellis, & victoriis ſemper.

5. Quod ſi inſtiterit Romanis bellum, auxilium ferent eis Judas, & populus ejus, nullo præſtito auxilio inimicis Romanorum, annonâ, ſive ullo genere armorum.

6. Cùm verò acciderit Judæis bellum, auxilium ferent eis Romani, quantum valent & poſſunt, nullo præſtito auxilio inimicis eorum in ullo genere auxilii.

7. Quemadmodum verò tenentur Judæi Romanis, ſimiliter Romani Judæis, ſine ullo incremento, aut decremento. Et acceptarunt id Judas, & populus ejus: & remanſit fœdus, atque perduravit inter eos, & inter Romanos longo tempore.

CAPUT XIV.

1. POſt hæc coëgit Ptolemæus centum viginti millia virorum, & equites mille, & petiverunt Judam. Cui occurrens Judas cum decem millibus, fugavit illum & ceciderunt de viris Ptolemæi.

2. Qui ſupplex Judam rogavit, atque deprecatus eſt, ut ſuperſtitem dimitteret ipſum; juravitque, ſe numquam ampliùs ei bellum illaturum; & Judæis, qui in cunctis ſuis regionibus, beneficia collaturum.

3. Cujus miſertus eſt Judas, & ſuperſtitem dimiſit, ſtetitque ut Ptolemæus juramento ſuo.

4. Gorgias verò collectis tribus millibus virorum de monte Sarah, id eſt, Idumææ, & quadringentis equitibus, occurrit Judæ, & interfecit Ducem militiæ Judæ, & aliquos de viris ejus.

5. Tum ad illos tetendit Judas, & ſui, & fugatus eſt Gorgias, & interfecta eſt major pars virorum ejus, & terga vertit: & quæſitus eſt, & nullum de eo innotuit nuncium: fertur autem ipſum cecidiſſe in pugna.

CAPUT XV.

1. CUm autem perlatum eſſet Antiocho, qui eſt Eupator, res Judæ roboratas eſſe, & expugnationes quas expugnaverat, iratus eſt valdè: & diſſolvit fœdus, quod inierat cum Juda, & coëgit exercitum magnum, in quo erant viginti duo elephanti:

2. Ac profectus eſt cum Lyſia filio patruelis ſui in regionem Judæ, petens urbem Bethner, circa quam caſtrametatus eſt, & obſedit eam. Quod cùm nuntiatum eſſet Judæ, convenit ipſe, & omnes ſeniores filiorum Iſraël, & oraverunt ad Deum Optimum Maximum multa offerentes ſacrificia: quibus peractis perrexit Judas cum ducibus virorum ſuorum.

3. Et venit in caſtra noctu, & improvisò irruit in ea, & occidit ex illis quatuor millia virorum, & elephantum unum de elephantis: & reverſus eſt in caſtra ſua, donec illuceſceret diluculum.

4. Tunc utraque acies ordinata eſt, & invaluit pugna inter eos; viditque Judas quemdam elephantum cum ornamentis aureis, arbitratuſque eſt illi regem inſidere:

5. Vocavitque viros ſuos, & ait: Quis veſtrûm egredietur, & occidet hunc elephantum?

6. Et egreſſus eſt adoleſcens de domeſticis ejus, qui dicebatur Eleazarus, & irruit in aciem trucidans dextrorsùm, & ſiniſtrorſùm, ita ut declinarent homines de conſpectu ejus, & proceſſit quouſque pervenit ad elephantum:

7. Cui ſupponens ſe, diſrupit ventrem ejus, ceciditque elephantus ſuper eum, & occidit.

Digitized by Google

8. Videns itaque rex hæc, juſſit receptui canere, & factum eſt. Et fuit ſumma interfectorum eâ die de nobilioribus exercitûs octingentorum virorum, præter cæſos ex vulgo exercitûs, & qui noctu ceciderant.

9. Tunc nuntiatum eſt regi, quod vir quidam de amicis ejus nomine Philippus defeciſſet ab eo: & Demetrius filius Seleuci egreſſus eſſet Româ cum exercitu magno Romanorum, intendens regnum de manu illius eripere.

10. Quibus valdè perteritus, miſit ad Judam de ineunda pace inter ſeſe: cui aſſenſus eſt Judas, juravitque illi Antiochus, & Lyſias filius patruelis ejus, numquam ſe illi bellum illaturos ampliùs.

11. Et exhibuit rex magnam pecuniarum vim, & tradidit eam Judæ in munus domûs Dei.

12. Juſſit præterea rex comprehendi Menelaüm, unum trium iniquorum Judæorum, qui mala intulerant Judæis in diebus Antiochi patris ipſius, quem conduci præcepit in excelſum palatium, & inde præcipitem agi: quod quidem præſtitum eſt.

13. Hoc enim intendebat rex lætitiâ afficere Judæos, quandoquidem fuit vir iſte ex præcipuis eorum hoſtibus, quique interfecerat ex illis multitudinem plurimam.

CAPUT XVI.

1. POſt hæc profectus eſt rex Eupator in regionem Macedoniæ: tum reverſus eſt Antiochiam. Quem aggreſſus eſt Demetrius cum exercitu Romanorum expugnavitque, ac interfecit unà cum Lyſia filio patruelis ejus, & regnavit Antiochiæ.

2. Ad quem autem perrexit Alcimus Princeps trium illorum iniquorum, qui ingreſſus ad eum; proſtravit ſeſe ante illum, & flevit vehementiſſimo fletu, ac dixit;

3. O rex, jam Judas, & ſocii ipſius trucidarunt è nobis multitudinem plurimam, eò quod deficientes ab eorum religione, religionem regis amplexati ſumus.

4. Quare adjuva nos, rex, contra eos, & ulciſcere nos de illis. Tum egit Judæos ad eum, atque concitavit, ſuggerens ipſis ea, quæ provocare poterant Demetrium, & irritare, ut expediret exercitum ad expugnandum illum.

5. Quibus morem gerens, miſit ducem nomine Nicanorem cum exercitu magno, atque copioſo armorum apparatu.

6. Cùm autem perveniſſet Nicanor in regionem ſanctam, miſit nuntios ad Judam, ut veniret ad ſe, nec aperuit ſe veniſſe ad oppugnandam gentem, ſed aperuit ſe veniſſe ſolùm ob initam inter ſe, & gentem pacem, & quod ſint in obedientia Romanorum.

7. Et egreſſus eſt Judas ad eum cum aliquo numero ſuorum, fortitudine, & robore præditorum; juſſitque ne ſecederent à ſe, ne proderet illum Demetrius.

8. Cùm itaque occurriſſet Demetrio, ſalutavit eum, ac poſitâ unicuique eorum ſede, ſederunt; collocutuſque eſt Demetrius ei quod voluit; deinde profectus eſt unuſquiſque eorum in tabernaculum, quod ei tetenderant.

9. Et abiit Nicanor, & Judas in civitatem ſanctam, & morati ſunt in ea ſimul; interceſſitque inter eos firma familiaritas.

10. Quod cùm innotuiſſet Alcimo, adiit Demetrium, & irritavit illum in Judam, ac induxit ut ſcriberet, & præciperet Nicanori, ut Judam catenis devinctum ad ſe mitteret.

11. Innotuit autem ſama Judæ, & egreſſus eſt de civitate noctu, abiitque Sebeſten, & miſit ad ſocios ut ad ſe venirent.

12. Quibus convenientibus cecinit buccinâ, præcepitque eis ſeſe parare ad oppugnandum Nicanorem.

13. Nicanor verò perquiſivit Judam diligentiſſimè, nec de illo quicquam ei innoteſcere potuit. Quare adivit domum Dei, requirens à ſacerdotibus, ut illum ſibi traderent, ut catenis devinctum ad regem mitteret.

14. Qui juraverunt nequaquam ipſum veniſſe in domum Dei. Quamobrem injuriis eos, & domum Dei inceſſivit, & oblocutus eſt contra Templum, atque comminatus ſe illud everſurum à fundamentis: abiitque indignatus:

15. Inquirere etiam curavit domos univerſas ſanctæ civitatis. Miſit quoque ſuos ad domicilium cujuſdam viri præclariſſimi, qui comprehenſus fuerat tempore Antiochi, & maximis affectus ſuppliciis: mortuo autem Antiocho, exaltaverunt autoritatem illius Judæi, & magnifecerunt eum.

16. Ad quem verò cùm perveniſſent nuntii Nicanoris, timuit vir ne ſibi inferretur, quemadmodum illatum eſt ei ab Antiocho: quare manus ſibi conſcivit.

17. Quod cùm perlatum eſſet ad Judam, contriſtatus eſt valde, & mærore affectus; miſitque ad Nicanorem, dicens: Ne quæras me in civitate, etenim in ea non ſum: perge itaque ad me, ut occurramus invicem, ſive in campis, ſive in montibus, uti tibi libet.

18. Et profectus eſt ad illum Nicanor, & occurrit illi Judas, his dictis: Deus, tu es qui exterminaſti exercitum Sennacherib regis: & quidem major erat iſto, famâ, & imperio, & multitudine exercitûs:

19. Et eripuiſti Ezechiam regem Judæ ab eo, cum in te confiſus fuiſſet, & ad te oraſſet; eripe quæſo nos, Domine, à malitia illius, & victores contra illum redde nos.

20. Dein ſeſe ad bellum paravit, & expetivit Nicanorem, dicens: cave tibi, ad te venio. Et terga vertit Nicanor fugiens: quem perſequens Judas percuſſit humeros ejus, quos ſecuit: & fugati ſunt ſui.

21. Et ceciderunt ex illis eâ die triginta millia: & egreſſi ſunt incolæ civitatum, & occiderunt eos, ita ut non reliquerint unum quidem.

22. Decreverunt autem ut talis dies ſingulis annis ſit dies gratiarum actionis Deo Optimo Maximo, ac dies lætitiæ, & comeſſationis, & potûs.

Huc uſque abſolutus eſt liber ſecundus ex tranſlatione Hebræorum.

CAPUT XVII.

1. CUm autem adeſſet idem fere tempus vertentis anni, profectus eſt Bacchides cum triginta millibus de fortiſſimis Macedonum: & ſupervenit nullâ coram innoteſcente ipſi Judæ famâ.

2. Cùm eſſet in quadam urbe, quæ dicitur Lalis, cum tribus millibus virorum: quamobrem plurimi eorum, qui cum illo erant, fugerunt, remanſeruntque cum illo octingenti viri & Simeon ac Jonathas fratres ejus. Erant autem qui remanſerant cum Juda robuſtiſſimi, ac fortiſſimi, & qui jam multa ſuſtinuerant in cæteris bellis, quæ commiſerat.

3. Et egreſſus eſt Judas, & ſocii ad Bacchidem, & exercitum ejus. Et diviſit Bacchides exercitum ſuum conſtituens quindecim millia ad dexteram Judæ, & ſociorum: & quindecim millia ad ſiniſtram eorum.

4. Tum vociferata eſt utraque pars contra Judam, & ſocios. Qui conſiderans utramque, nactus eſt robuſtiſſimos exercitûs, & fortiſſimos ejus eſſe in dextera; cognovitque Bacchidem inibi adeſſe. Diviſit quoque Judas ſocios ſuos, & aſſumſit ſecum fortiſſimos eorum, reliquos verò tradidit fratribus.

5. Tum impetum fecit in eos qui erant in dextera; occiditque ipſe cum ſociis circiter duo millia virorum. Dein conſpiciens Bacchidem collimavit oculos, & in illum intendit, interfecitque fortiſſimos quoſque, qui erant circa illum: & ingruentem multitudinem ſuſtinuit ipſe cum ſociis;

6. Plurimis ex illis proſtratis: acceſſitque ad Bacchidem. Quem cùm vidiſſet Bacchides in ſe intendentem, tamquam leonem, ſtringentem manu gladium ingentem ſanguine infectum, timuit illum timore vehementiſſimo: & contremuit, ac fugit è conſpectu illius.

7. Quem perſecutus eſt Judas, & ſocii ipſius, & proſtraverunt gladio gentem, ita ut exterminarent majorem partem illorum quindecim millium: & fugit Bacchides uſque in Aſedod. Et ſecuta ſunt eum quindecim millia, quæ erant à ſiniſtra Judæ, & aggreſſa ſunt

Digitized by Google

Judam, ad quem jam pervenerant fratres ipſius, & qui cum illis erant, deſatigati.

8. Et irruerunt in eos quindecim illa millia, & intercesſit inter ea & Judam pugna maxima: cecideritque ex utriſque numerus aliquis interfectorum, in qua ſumma cæſus eſt Judas.

9. Quem ferentes fratres illius, ſepelierunt ad latus ſepulchri Mathathiæ patris ejus (Deus miſereatur illorum) & fleverunt eum filii Iſraël diebus multis. Fuit autem tempus principatûs ejus ſeptem annorum. Et ſucceſſit rebus poſt illum Jonathas frater illius.

CAPUT XVIII.

1. ET ſucceſſit Jonathas fratri ſuo, & contendit ad Jordanem cum pauco numero. Quod cùm nuntiatum eſſet Bacchidi, profectus eſt ad eum cum exercitu magno.

2. Quem cùm vidiſſet Jonathas, & viri ejus, tranſierunt Jordanem natando; & inſecutus eſt eos Bacchides, & exercitus ejus, ac circumdederunt.

3. Jonathas autem irrupuit in Bacchidem, & cedentibus hominibus Jonathæ, egreſſuſque eſt de medio illorum ipſe, & ſocii, & abierunt in Berſabee: quem convenit Simeon frater illius, & morati ſunt ibi; & concinnaverunt quidquid in munitione collapſum erat: & munierunt ſe ibi.

4. At Bacchides profectus eſt ad eos, & obſedit: ad quem egreſſus Jonathas, & frater ipſius, & qui cum illis erant viri noctu, interfecerunt de exercitu multitudinem virorum, atque incenderunt arietes, & tormenta bellica.

5. Et diſperſus eſt exercitus, fugitque Bacchides in deſertum: quem inſequens Jonathas, & Simeon, & qui cum illis erant viri, comprehenderunt illum.

6. Qui cùm vidiſſet eum, interitum ſibi omnino adeſſe cognovit: quare præconio indixit Jonathæ pacem, juravitque ſe nunquam amplius bellum ipſi illaturum, & inſuper reſtituturum univerſam captivitatem, quam cœperat de exercitu Judæ,

7. Cui dexteram porrigens Jonathas, receſſit ab illo: nec interceſſit amplius poſt hæc inter eos bellum. Non multum autem poſt hæc obiit Jonathas: & ſucceſſit Simeon frater illius.

CAPUT XIX.

1. TUm potitus eſt rerum Simeon filius Mathathiæ: & coëgit quotquot remanſerant de exercitu Judæ, & invaluerunt res ipſius, debellavitque omnes, qui inimicitias exercuerant in Judæos poſt necem Judæ fratris ſui, & bene ſeſe geſſit erga populum ſuum, & directa ſunt negotia regionis ſuæ.

2. Quare expetivit eum Antiochus, & ipſe eſt Demetrius filius Seleuci: & miſit ad illum exercitum magnum:

3. Ad quem egreſſus eſt Simeon, & duo filii ejus, diviſitque exercitum ſuum duas in partes, quarum unam ſecum retinens, alteram tradidit filiis. Tum profectus eſt ipſe, & qui cum eo erant ad exercitum, miſitque filios ſuos, & qui cum eis erant per aliam partem, & convenit cum illis, ut aggrederentur exercitum tempore eis conſtituto.

4. Poſt hæc occurrit exercitui Antiochi, & oppugnavit illum, ac cœpit illi prævalere: veneruntque duo filii ejus, cùm jam commixtum eſſet bellum, & pugne invaluiſſet, & circumdederunt terga exercitûs: & conſtitutus exercitus Antiochi inter duos exercitus exterminatus eſt, nec evaſit quiſpiam virorum illius:

5. Nec reverſus eſt amplius Antiochus ad oppugnandum Simeonem: & perduravit Judæis pax, & quies longitudine dierum Simeonis. Fuit autem tempus ipſius dominii per duos annos.

6. Dein irruit in illum Ptolemæus Sororius, interfecitque illum in quodam convivio, cui aderat. Et comprehendit uxorem, & duos filios illius, & ſuffectus eſt filius Simeonis, cujus nomen erat Hyrcanus.

CAPUT XX.

1. COnſtituerat jam Simeon (ipſo vivente) ducem filium ſuum Jochanan, & aggregatis ei viris quàm plurimis, miſit illum ad debellandum virum quemdam, qui in illum egreſſus erat, dicebaturque Hyrcanus.

2. Erat autem vir magnæ famæ, fortis robore, & vetuſti principatûs.

3. Cui occurrens Jochanan, profligavit illum, quapropter nuncupavit Simeon filium ſuum Jochanan, Hyrcanum, ob occiſum Hyrcanum, & victoriam de illo reportatam.

4. Cùm autem audiſſet Hyrcanus iſte Ptolemæum interfeciſſe patrem ipſius, timuit Ptolemæum, fugitque in Gazam, quem inſecutus eſt Ptolemæus cum pluribus viris.

5. At opitulati ſunt cives Gazæ Hyrcano, & clauſerunt portas civitatis, prohibueruntque Ptolemæum pervenire ad Hyrcanum.

6. Et reverſus Ptolemæus abiit in Dagon, habens ſecum matrem Hyrcani, & duos fratres illius. Habebat autem Dagon tunc arcem munitiſſimam.

7. Hyrcanus verò profectus eſt ad domum ſanctam; & obtulit ſacrificia, & ſucceſſit patri ſuo; coëgitque exercitum magnum, & perrexit ad Ptolemæum:

8. Quamobrem clauſit Ptolemæus portam Dagon ſuper ſe, & ſocios, & ſeſe munivit in ea.

9. Et obſedit illum Hyrcanus, fecitque arietem ferreum ad percutiendum murum, atque aperiendum.

10. Et diu duravit inter eos pugna, & prævaluit Hyrcanus contra Ptolemæum, & acceſſit prope munitionem, & penè eam obtinuit.

11. Cùm ergo vidiſſet hoc Ptolemæus, præcepit deduci matrem Hyrcani, & duos fratres illius ſuper murum, & ſupplicio affici vehementiſſimo, quod factum eſt illis.

12. Videns autem hæc Hyrcanus, conſtitit, & timens, ne interficerentur, deſtitit à pugna.

13. Quem interpellavit mater illius, & ait: Fili mi, ne commovearis amore, & pietate erga me, & fratres tuos præ patre tuo, nec moliaris affectibus propter captivitatem noſtram ulciſcendi illum,

14. Sed repoſce vindictam juris patris tui, & mei quantum vales.

15. Quod autem times pro nobis à tyranno iſto, neceſſariò omnino nobis facturus eſt: quare inſta oppugnationi, nullâ interpolatione datâ.

16. Cùm ergo audiſſet Hyrcanus verba parentis ſuæ, inſtitit oppugnationi: quare auxit Ptolemæus ſupplicia matri, & fratribus illius: juravitque ſe præcipitaturum eos ex munitione deorſum, quoties accederet Hyrcanus ad munitionem.

17. Timuit itaque Hyrcanus ne cauſa eſſet necis eorum, & reverſus eſt ad caſtra ſua, continuatâ obſidione Ptolemæi.

18. Accidit autem ut adeſſet ſolennitas tabernaculorum, quapropter profectus eſt Hyrcanus in civitatem domûs ſanctæ, ut præſto eſſet feſtivitati, & ſolennitati, & ſacrificiis.

19. Cùm ergo cognoviſſet Ptolemæus conceſſiſſe in domum ſanctam, & ibi detineri, irruit in matrem Hyrcani & fratres illius, & occidit eos, fugitque in locum, ad quem pervenire non poterat Hyrcanus.

CAPUT XXI.

1. CUm autem audiſſet Antiochus Simeonem occubuiſſe, coëgit exercitum, & profectus eſt, donec pervenit ad civitatem domûs ſanctæ: & caſtrametatus eſt circa eam, & obſedit, intendens illam expugnare.

2. At non valuit ob firmitatem, & altitudinem mœnium ipſius, & multitudinem virorum bellatorum in ea. Volente autem Deo, coërcitus eſt ab illa:

3. Seſe enim contulerat ad partem ſeptentrionalem civitatis, & extruxerat ibi è regione muri centum trigin-

Digitized by Google

ta turres ; & conſcendere feci ſuper eas viros ad oppugnationem eorum , qui mœnia civitatis conſcendere intentarent.

4. Et conſtituit qui ſuffoderent terram in quodam loco , donec perventum eſt ad fundamentum muris quod cùm ligneum compertum eſſet , igni incenderunt, ceciditque ex muro pars magna valde.

5. Et occurrerunt viri Hyrcani ad eos , & prohibuerunt ingredi , cuſtodientes locum ruinæ , & egreſſus eſt Hyrcanus cum potiori parte virorum bellatorum ad exercitum Antiochi, & multam intulit eis cladem.

6. Et fugatus eſt Antiochus , & ſui, quos perſecutus eſt Hyrcanus cum ſuis, donec removiſſent à civitate.

7. Tum reverſi ad turres, quas extruxerat Antiochus , deſtruxerunt eas, & morati ſunt in civitate , & circa illam.

8. Antiochus verò caſtrametatus eſt in quodam loco , qui diſtabat à civitate domûs Dei circiter duo ſtadia. Adveniente autem ſolemnitate tabernaculorum , miſit legatos ad illum Hyrcanus de induciis, donec præteriret ſolemnitas :

9. Quod conceſſit ei , miſitque victimas , & aurum, & argentum ad domum Dei. Præcepitque Hyrcanus Sacerdotibus, ut ſuſciperent , quod miſerat Antiochus : & præſtiterunt. Cùm autem vidiſſet Hyrcanus , & Sacerdotes Antiochi reverentiam ergà Templum Dei, legatos ad eum miſit de pace.

10. Cui aſſenſus eſt Antiochus , & profectus eſt in Jeruſalem : occurrens ergo ei Hyrcanus ingreſſi ſunt ſimul civitatem. Fecitque Hyrcanus Antiocho , & principibus ejus convivium : & comederunt unà , & biberunt ,

11. Et obtulit ei munus , trecenta talenta auri, & pepigit unuſquiſque eorum cum ſocio ſuo de pace ; & auxilio ferendo , & abiit Antiochus in regionem ſuam.

12. Fertur autem Hyrcanum aperuiſſe theſaurum , qui fuerat quibuſdam regibus de filiis David , (cui pax) qui protulit inde pecuniam plurimam , & tantumdem reliquit , reſtituens illum priſtinæ occultationi.

13. Tum conſtruxit quod dirutum erat ex muro , & reparavit ; & gregis ſui utilitati , & commodo , providè conſuluit , & rectè erga eos ſeſe geſſit.

14. Cùm autem perveniſſet Antiochus in regionem ſuam , decrevit oppugnare regem Perſidis , defecerat enim à tempore Antiochi primi : & miſit legatos ad Hyrcanum , ut proficiſceretur ad eum : & profectus eſt cum eo Hyrcanus, ac abiit in regionem Perſidis.

15. Cui occurrens exercitus Perſarum congreſſus eſt cum eo , quos profligans Antiochus , reportavit victoriam ex illis , & gladio percuſſit eos. Tum ſtetit in loco ſuo , & conſtruxit mirabile ædificium , ut eſſet ei in memoriam in regione eorum.

16. Et perrexit poſt aliquod tempus in occurſum regis Perſarum , & moratus eſt retrò Hyrcanus, causâ ſabbati , cui Pentecuſte inſtabat.

17. Et ſibi occurrerunt rex Perſidis , & Antiochus, ac interceſſere inter eos bella maxima , in quibus periit Antiochus , & plures de exercitu ejus.

18. Perveniente autem nuntio ad Hyrcanum , profectus eſt in regionem Syriæ , & oppugnavit in itinere Halepum : cui ſeſe dederunt cives , deferentes ei tributa, & receſſit ab illis, reverſuſque eſt in civitatem ſanctam , & moratus eſt ibi aliquos dies,

19. Tum contendit in Samariæ regionem , & oppugnavit Neapolim , quem prohibuerunt cives eam ingredi. Et deſtruxit quidquid habebant ædificiorum in monte Jezabel . & Templum quod quidem fuit poſt ducentos elapſos annos , ex quo ædificaverat illud Sanbalas Samarita.

20. Occidit prætereà Sacerdotes, qui erant in Sebaſte. Et profectus eſt in regionem Idumeæ , id eſt, montes Sarah , & ſeſe illi dederunt : quibuſcum convenit , ut circumciderentur , & ingrederentur religionem Torah , ſeu legis Muſaïcæ.

21. Cui morem gerentes circumciſi , & Judæi facti ſunt, & confirmati fuerunt in hoc uſque ad deſtructionem domûs ſecundæ.

22. Et perrexit Hyrcanus ad omnes circumvicinas gentes , cui omnes in clientelam ſeſe dederunt , & inierunt ſimul fœdus de pace & obedientia.

23. Miſit prætereà legatos ad Romanos , ſcribens eis de renovatione fœderis inter ſeſe. Cùm perveniſſent itaque ejus legati ad Romanos , honoraverunt eos, & exaltaverunt eorum locum , & auſcultaverunt legationem , cujus causâ venerant , & fecerunt negotia eorum , ac reſponderunt illius epiſtolæ.

CAPUT XXII.

1. A Seniore , & trecentis viginti rectoribus ejus ; Hyrcano regi Judæ , ſalus. Jam pervenit ad nos epiſtula tua , quam legentes gaviſi ſumus. Et interrogavimus legatos tuos de rebus tuis.

2. Agnovimus item locum dignitatis eorum in ſcientia , diſciplina , & virtutibus ; & honoravimus eos , & ſedere fecimus in præſentia ſenioris , qui expedire curavit omnia negotia illorum.

3. Præcipiens reſtitui vobis omnes urbes , quas vi abſtuleras Antiochus , & auferri omnem obicem circa exercitium religionis veſtræ , & irritum fieri quicquid in vos decreverat Antiochus.

4. Præcepit quoque , ut firmæ maneant cunctæ civitates , quas ipſe expugnaverat. Mandavit prætereà per epiſtolas omnibus ſuis provinciis honorari legatos tuos, atque cohoneſtari.

5. Miſit etiam cum illis ad te legatum nomine Cynæum , habentem ſecum epiſtolam ; cui & legationem injunxit : ut coram tecum ageret.

6. Cùm ergo perveniſſet epiſtola Romanorum ad Hyrcanum , rex nuncupari cœpit, cum anteà Sacerdos magnus nuncuparetur :

7. Coaluerunt itaque in eo dignitas regni , & dignitas Sacerdotii. Fuit autem primus , qui nuncupatus eſt rex ex regibus Judæorum tempore domûs ſecundæ.

CAPUT XXIII.

1. HYrcanus autem contendit in Sebeſten , & obſedit Samaritas , qui erant in ea, longo tempore : donec eò neceſſitatis eos redegit , ut coacti fuerint veſci omni genere morticinii.

2. Hæc nihilominus æquo ferebant animo , timentes gladium ejus , & fiduciam habentes in Macedonibus, & Ægyptiis , quorum opem imploraverant.

3. Intereà adeſt jejunium majus , cui præſto eſſe debebat Hyrcanus in domo ſancta , ut offerret ſacrificia hoc die.

4. Suffecit itaque duos filios ſuos, nempe Antigonum, & Ariſtobulum exercitui , præcipiens eis obſidere Samaritas , & in anguſtias redigere.

5. Juſſit quoque exercitui filiis ſuis obedire , & mandatis eorum obſequi : & profectus eſt in civitatem domûs ſanctæ.

6. Perrexit quoque Antiochus Macedo ad opem ferendam civibus Sebeſtes : & perlata eſt fama ejus duobus filiis Hyrcani , qui , ſuffecto qui Sebeſtes obſeſſioni inſtaret , obviam Antiocho iverunt :

7. Quem oppugnantes fugaverunt, & reverſi ſunt Sebeſten. Adventavit prætereà ex Ægypto Lythras filius Cleopatræ reginæ ad opitulandum Samaritis. Hujus nuntium cùm perlatum eſſet ad Hyrcanum, contendit ad eum tranſactâ jam ſolennitate.

8. Cui occurrens oppugnavit acerrimè , occiditque de viris ejus quamplures : & fugatus eſt Lythras , nec reverſi ſunt poſthac Ægyptii opem ferre Samaritis.

9. Et reverſus eſt rex Hyrcanus Sebeſten, & inſtitit in eam, donec gladio expugnavit , & occidit qui remanſerant de civibus, & exterminavit eam, & mœnia deſtruxit.

CAPUT XXIV.

1. LYthras quidem filius Cleopatræ , cùm roboratus eſſet bonis , & viris, deſcivit a matre ſua Cleopatra : opitulantibus ei præclariſſimis regni.

2. Accitos itaque Cleopatra duos viros de Judæis, quorum unus dicebatur Chelcias, alter vero Hananias præpoſuit iis, qui remanſerant ex magnatibus Ægyptiorum, ac præfecit ambos copiis Ægypti.

3. Hi autem bene gerebant omnia erga plebem, & ſapienter adminiſtrabant negotia regni.

4. Hos miſit Cleopatra ad oppugnandum Lythiam: qui profecti ad eum, inierunt bellum, & fugaverunt cum profligatis viris ejus:

5. Qui fugit in Cyprum, ibique morabatur cum paucis, qui ſecum remanſerant.

CAPUT XXV.

1. ERant Judæorum eo tempore tres ſectæ: una Phariſæorum, id eſt, ſegregatorum, ſeu religioſorum quorum inſtitutum erat aſſerere quidquid in lege continetur, ſecundùm prædeceſſorum expoſitiones.

2. Secunda Sadducæorum, & ſunt aſſeclæ viri cujuſdam de Doctoribus, nomine Sadoc; quorum inſtitutum erat aſſerere ſecundùm ea, quæ præcipiuntur ex textu legis, & de quibus demonſtratur ex ipſa ſcriptura, non autem quod in textu non extat, nec demonſtratur ex eo.

3. Tertia verò ſecta erat Haſdanim, ſeu virtutibus operam navantium: nec meminit auctor libri inſtitutum iſtorum, ſed quatenus hoc elicitur ex nomine: incumbebant enim iis operibus, quæ ad præſtantiores virtutes accedebant, quod eſt, ſeligere ex iſtis duobus inſtitutis, quod eſt tutiùs in fide, ſecuriùs, ac cautiùs.

4. Hyrcanus autem fuit primò ex Phariſæis, tum migravit ad Sadducæos,

5. Eò quod dixerat illi quidam Phariſæorum: non licet tibi eſſe Sacerdotem magnum,

6. Quia mater tua captiva fuit antequam te gigneret in diebus Antiochi: filium verò captivitatis non decet eſſe Sacerdotem magnum.

7. Erat autem colloquium hoc præſentibus Phariſæorum Principibus. Quod quidem cauſa fuit tranſmigrationis ejus ad inſtitutum Sadducæorum.

8. Sadducæi autem inimicitias exercebant cùm Phariſæis; quare inter eos diſcordias nutriebant, & cò induxerunt illum, ut interficeret de Phariſæis multitudinem plurimam.

9. Eòque devenit rerum calamitas, ut bella, & mala multa inter eos longo annorum ſpatio duraverint.

CAPUT XXVI.

1. ERant Hyrcano tres filii, Antigonus videlicet, Ariſtobulus, & Alexander. Diligebat autem Hyrcanus Antigonum, & Ariſtobulum: exoſus verò erat ei Alexander.

2. Vidit autem aliquando in ſomniis, quod regnaturus eſſet poſt ſe de filiis Alexander, quod mœrorem ei attulit.

3. Nec illi viſum eſt, ipſo vivente, præficere quempiam filiorum ſuorum, quos diligebat, propter viſionem: nec Alexandrum conſtituere regem, quod inviſus ei erat.

4. Quare dimiſit negotium, ut eum haberet eventum poſt obitum ſuum, qui Deo optimo maximo erit in placitis.

5. Erant autem Judæi tempore patris illius, & patruelium, conſentientes in amore illorum, & propenſi ad illorum obedientiam, ob hoſtium ſuorum debellationem, & res optimè geſtas ab eis.

6. Perſtiterunt quoque conjuncti in amore Hyrcani, donec perpetrata eſt ab illo cædes Phariſæorum, & exterminium Judæorum, ac civilia bella ob religionem.

7. Hinc obortæ ſunt perpetuæ inimicitiæ, & continuata mala, & multæ clades.

8. Quod quidem cauſa fuit multis deteſtari Hyrcanum. Fuit autem tempus regni illius triginta, & unius annorum, & defunctus eſt.

CAPUT XXVII.

1. DEfuncto Hyrcano, regnavit poſt illum Ariſtobulus filius ejus, qui oſtentavit faſtum, ſuperbiam, & potentiam, imponebatque capiti ſuo magnum Diadema, in deſpectum Diadematis Sacerdotii ſancti.

2. Propenſus autem erat in fratrem ſuum Antigonum, quem prætulit omnibus amicis ſuis; Alexandrum verò fratrem ſuum in vinculis habuit, itidem & matrem ſuam, ob amorem illius erga Alexandrum.

3. Et miſit fratrem ſuum Antigonum, qui oppugnavit eum, & vicit eum cum omnibus fautoribus & copiis, quas profligavit, & reverſus eſt in civitatem domûs ſanctæ.

4. Accidit autem hoc, cùm infirmus jaceret Ariſtobulus. Cùm itaque accederet ad civitatem Antigonus, nuntiata eſt ei fratris ægritudo: qui ingreſſus civitatem, adiit domum Dei, ut gratias ageret de collato ſibi beneficio liberationis ab hoſte, & efflagitaret Deum Optimum Maximum, ut fratri valetudinem largiretur.

5. Petunt ergo quidam de hoſtibus, & oſoribus Antigoni Ariſtobulum, & dicunt: Utique ægritudinis tuæ nuntium fratri tuo perlatum eſt, & ecce adventat cum ſociis, inſtructus armis.

6. Et jam perrexit in Sanctuarium conciliaturus ſibi ſocios, ut irruat in te, & occidat.

7. Et timuit rex Ariſtobulus ne ob id, quod ſibi dictum eſt, citiùs properaret in fratrem ſuum, antequam certior fieret de relatis.

8. Quamobrem præcepit univerſis pueris ſuis, ut armis inſtructi ſiſterent in loco quodam, quem declinare nequit, quicumque ejus petit palatium.

9. Juſſit præterea præconio præcini, ne quis ullo armorum genere inſtructus, in aulam ad regem injuſſus accederet.

10. Poſt hæc miſit ad Antigonum, præcipiens ad ſe venire: quare exutus eſt Antigonus armis morem gerens regi.

11. Interim adventavit ad eum legatus uxoris fratris ſui Ariſtobuli (quippe exoſus ei erat) quæ ait illi: rex tibi dicit: Jam nuntiata mihi eſt pulchritudo habitûs tui cum ingredereris civitatem, & jam cupio te contemplari ſub hac forma: quare perge ad me in hunc modum, ut intuens te gaudeam.

12. Nec dubitavit Antigonos hanc legationem eſſe à rege, ut retulerat legatus, & quod eum nequaquam cæteris in armorum depoſitione vellet æquare;

13. Et adivit illum eo modo & habitu. Qui cum perveniſſet ad locum illum, in quo juſſerat rex Ariſtobulus viros ſuos ſiſtere, & occidere quicumque illuc armatus adventaret.

14. Et vidiſſent illum viri inſtructum armis ſuis, inſtiterunt in illum, & illicò occiderunt: & fluxit ſanguis ejus ſuper marmora eo in loco.

15. Et invaluit clamor hominum, ac elevatus eſt eorum fletus, & ululatus, condolentes necem Antigoni ob illius ſpecioſitatem, & ſermonis elegantiam, & ea quæ fecerat.

16. Audiens itaque rex clamorem hominum interrogavit de re, percepitque Antigonum cæſum eſſe: quod ſummum attulit ei mœrorem: tum propter amorem, quo illum proſequebatur; tum quod talia non merebatur:

17. Et cognovit inſidias fratri tenſas fuiſſe & exclamavit, flevitque fletu magno, & continenter percuſſit pectus; ita ut dirumperentur quædam venæ illius pectoris, & erumperet ſanguis de ore ipſius.

18. Acceſſerunt autem ad illum pueri, & principes amicorum ejus, conſolantes, & lenientes, & blandientes ei, ut ipſum diſtinerent ab hujuſcemodi opere, veriti, ne periret, cùm eſſet æger, & propè animam exhalaret propter ea, quæ ab ipſo geſta ſunt.

19. Acceperunt autem catinum aureum ad excipiendum erumpentem ex ore ſanguinem, & miſerunt catinum cum ſanguine, qui in eo erat per quemdam puer-

torum ad medicum, ut videret & conſuleret quid ei adhibendum eſſet.

20. Et abiit puer cum catino, & cùm adveniſſet in locum, in quo occiſus fuerat Antigonus, & fluxerat ſanguis ejus, prolapſus eſt puer, & cecidit, & effuſus eſt qui erat in catino ea ſanguine regis, ſuper ſanguinem fratris ſui occiſi.

21. Et reverſus eſt puer cum catino, indicavitque aulicis quod acciderat. Qui injoriis, & contumeliis impetiverunt juſtificantem, & jurantem id ſe haud ea induſtria, vel ſponte intendiſſe.

22. Cùm aotem audiſſet rex contendentes, petiit, ut ſibi indicarent quid loquerentur, qui ſe continuerunt; at ubi comminatus eſt, indicaverunt ei.

23. Qui ait: laus judici juſto, qui effudit ſanguinem oppreſſoris ſuper ſanguioem oppreſſi. Tum ingemuit, & mortuus eſt ſtatim.

24. Et fuit tempus regni illius unius exacti anni. Et flevit illum totus grex illius, quia erat magnanimus, victor, liberalis: & regnavit poſt illum frater illius Alexander.

CAPUT XXVIII.

1. POſtquam mortuus eſt Ariſtobulus, vinculis ſolutus eſt frater illius Alexander, & è carcere eductus ſucceſſit in regnum.

2. Rebellaverat autem præfectus urbis Acche, quæ eſt Prolemaïs, & miſerat legatos ad Lythram filium Cleopatræ, flagitans, ut auxilio ſibi eſſet, reciperetque in clintelam.

3. Qui multum recuſavit, timens ea quæ hactenus ſuſtinuerat ab Hyrcano,

4. Cui animos addidit legatus ob promiſſa auxilia Domini Tyri, & Sydonis, aliorumque.

5. Et profectus eſt Lythras cum triginta millibus virorum: & perlata eſt fama Alexandro, qui antevertit eum ad Prolemaïdem, & invaſit eam, clauſerunque cives Prolemaïdis portam in faciem ipſius, & prohibere eum conabantur.

6. Quare coarctabat eos Alexander, inſtititque obſidens, donec nuntiatum eſt ei de profectione Lythræ: tunc enim receſſit ab eis, adventante Lythrâ cum ſuis.

7. Erat autem inter Prolemaïdenſes cives ſenex quidam acceptæ auctoritatis, qui perſuaſit civibus, ne Lythram ingredi civitatem ſuam permitterent, nec ejus obedientiam admitterent, cùm ſit alterius religionis.

8. Ait illis quoque: Conducibilior quidem vobis undequaque erit obedientia Alexandro, qui ejuſdem religionis eſt, quàm obedientia Lythræ:

9. Nec deſtitit donec admiſerunt ipſius ſententiam. Et prohibuerunt Lythram ingredi Prolemaïdem, negantes ei obedientiam.

10. Et hæſit Lythras circa res ſuas, nec deliberabat, quid ſibi agendum eſſet. Et perlatum eſt hoc regi Sydonis, ad quem miſit legatos, ut ei auxilio eſſet in bello contra Alexandrum,

11. Vel ut expugnareot illum, aut aliquas ejus civitates, & punirent eum in hoc,

12. Et ſic reverteretur Lythras in regionem ſuam, geſtis iis, quæ illum timendum redderent, quod ſane conducibilius illi fore, quàm rebus infectis reverti.

13. Et nuntiatum eſt hoc Alexandro, qui miſit ad Lythram honeſtam legationem cum pretioſiſſimo munere, & ſtatuit cum illo, ne auxilio eſſet Domino Sydonis.

14. Et acceptavit Lythras munus Alexandri, annuens ejus petitioni. Alexander autem profectus eſt Sydonem, & oppugnavit Dominum ejus, quem victorem reddidit Deus adverſus eum.

15. Occiditque multitudinem plurimam de viris ejus, & ipſo fugato, obtinuit illius regionem.

16. Poſt hæc miſit Alexander legatos ad Cleopatram, ut proficiſceretur cum exercitu ad Lythram filium ſuum, ut pergeret & ipſe cum exercitu ſuo ad eumdem: & captum traderet ei.

17. Quod cognoſcens Lythras abiit in montem Galilææ, & occidit de incolis multitudinem plurimam, & decem captivorum millia abduxit: & cæſa eſt de viris ejus multitudo magna.

18. Inde profectus eſt quoadusque pervenit ad Jordanem, & caſtrametatus eſt ibi, ut requiem caperent viri, & jumenta ipſius; deinde proficiſceretur in Jeruſalem ad oppugnandum Alexandrum.

19. Quod nuntiatum eſt Alexandro, & contendit ad illum cum quinquaginta millibus, è quibus ſex millia virorum habebant æneos clypeos: fertur autem quod unuſquiſque eorum aptus eſſet reſiſtere alicui numero virorum.

20. Et invaſit illum ad Jordanem, & congreſſus eſt cum illo ibi, at non obtinuit victoriam, quoniam fidebat in viris ſuis, & in eorum numero collocaverat fiduciam.

21. Erant autem cum Lythra viri peritiſſimi in bellis, & inſtruendis aciebus: qui illi conſuluerunt, ut divideret ſuos duas in partes: ita quidem, ut una pars eſſet cum Lythra, & eum ſuis ad prælia; altera verò cum aliquo ſuorum.

22. Qui pugnavit uſque ad meridiem, & cæſa eſt de viris ejus multitudo magna. Et prodiit amicus ejus cum iis, qui ſecum erant de reliquo exercito, integris viribus, contra Alexandrum, & ſuos; quos jam oppreſſerat labor, & obtinuit eos ut voluit.

23. Occiditque ex eis multitudinem in plurimam: & fugit Alexander, & qui remanſerant cum eo viri in civitatem domûs ſanctæ.

24. Abiit quoque Lythras propè veſperam in oppidum quoddam proximum, & occurrerunt caſu mulieres quædam de Judæis, & pueri.

25. Mandavitque occidi quoſdam eorum, & coqui carnes, ſimulans inter ſuos eſſe, qui veſcerentur carnibus humanis; intendens his incutere timorem ſuorum incolis regionis.

26. Adventavit autem poſt hæc Cleopatra, quam excepit Alexander, & indicavit ei, quod fecerat Lythras ſuis, ſtatuitque abire cum ea ad illius inquiſitionem:

27. Quod cùm perlatum eſſet Lythræ, perfugit ad locum, ubi erat ſtatio navium illius, quas conſcendens reverſus eſt in Cyprum: Cleopatra verò in Ægyptum rediit.

28. Exacto autem anno profectus eſt Alexander in Gazam, quippe Dominus illius defecerat ab illo, & miſerat ad quemdam regum Arabum nomine Hartam, ut ſibi auxilio eſſet: cui annuit, & profectus eſt in Gazam, quod perlatum eſt ad Alexandrum.

29. Qui relictis quibuſdam de viris ſuis contra Gazam profectus eſt ad Hartam, & conſeruit cum illo manus, & fugavit eum. Dein reverſus eſt in Gazam, & inſtans adverſùs eam, exacto anno expugnavit.

30. Fuit autem expugnationis hujus cauſa, frater Domini illius, qui irruens in illum occidit. Hic civibus quærentibus illum occidere, cogens amicos, abiit ad portam civitatis, interpellavitque Alexandrum, petens ut datâ ſibi, ſuiſque ſecuritate, ingrederetur urbem:

31. Quibus datâ Alexander dextrâ ingreſſus eſt Gazam, & occidit cives ejus, atque evertit templum, quod in ea erat, ac ſuccendit idolum aureum, quod in templo erat. Quibus peractis perrexit in civitatem domûs ſanctæ, ibique celebravit feſtum Tabernaculorum.

32. Exacto itaque feſto ſeſe expedivit contra Hartam, quem oppugnavit, occiditque de viris ejus multitudinem plurimam: & coarctatæ ſunt valde res Hartam, & in anguſtiam redactæ, timuitque ſibi ultimum exterminium.

33. Quare ſecuritatem ab Alexandro poſcens, præſtitit illi obedientiam, & tributa ei contulit.

34. Diſceſſitque ab eo Alexander, & profectus eſt in Hemath, & Tyrum, & expugnavit eas & accepto tributo à civibus, reverſus eſt in civitatem domûs ſanctæ.

CAPUT XXIX.

1. DEinde contigerunt mala inter Phariſæos, & Sadducæos, & perduraverunt ſex annorum ſpatio. Et auxilio fuit Alexander Sadducæis contra Phariſæos, è quibus interfecta ſunt ſpatio ſex annorum, quinquaginta millia.

2. Quare rerum ſtatus inter utramque ſectam ad internecionem uſque corruptus eſt, & penitus confirmatæ ſunt inimicitiæ.

3. Accitos itaque Alexander ſeniores utriuſque ſectæ blandè allocutus eſt & ad reconciliationem hortatus.

4. Cui reſponderunt: utique nece ſecundùm nos dignus es, ob effuſam ſanguinis innocentis copiam: quare inter nos nihil intercedat niſi gladius.

5. Tum poſt hæc palam exercere inimicitias cœperunt, mittentes legatos ad Demetrium Macedonem, ut cum exercitu ad ſe adventaret,

6. Pollicitantes ſe illi auxilio fore contra Alexandrum, & ſuos; & Hebræos in Macedonum obedientiam reducturos:

7. Ad quos profectus eſt Demetrius cum exercitu magno. Quod, & Alexandro nunciatum eſt, qui miſit qui ſibi conduceret mercede ſex millia virorum de Macedonibus, quos viris ſuis adjiciens, contendit ad Demetrium.

8. Abierunt quoque ad Demetrium multi de Judæis Phariſæis: & miſit Demetrius clam ad Macedones, qui erant cum Alexandro, qui illos avocaret ab illo; at nequaquam morem ei geſſerunt. Miſit & Alexander clam ad Judæos, qui erant cum Demetrio, qui illos in ſuam inclinarent partem: at neque hi morem geſſerunt ipſi.

9. Et occurrentes Alexander, & Demetrius prælium commiſerunt, in quo omnes Alexandri viri perierunt: & evaſit ipſe ſolus in regionem Judæ.

10. Obaudientibus autem ſuis, quod incolumis evaſiſſet, & cognoſcentibus locum in quo erat, congregata ſunt ad eum circiter ſex millia virorum fortiſſimorum filiorum Iſraël; & ſeſe ei commiſerunt multi de illis, qui defecerant ad Demetrium

11. Dein confluxerunt ad eum homines undique, & reverſus eſt ad oppugnationem Demetrii cum multitudine magna, & fugavit eum: reverſuſque eſt Demetrius in regionem ſuam.

12. Et contendit Alexander contra illum in Antiochiam, & obſedit eam tribus annis; egredientem autem Demetrium ad pugnam vicit Alexander, & occidit:

13. Receſſitque ab urbe, & reverſus eſt in Jeruſalem ad cives; quem magnificaverunt, honorantes, atque laudantes pro expugnatis hoſtibus:

14. Conſenſeruntque Judæi illi obedire, & conquievit cor ejus; miſitque exercitus ſuos ad univerſos hoſtes, quos profligavit, & victoriam reportavit de illis.

15. Potituſque eſt montibus Sarah, & regione Ammon, & Moab, & regione Palæſtinorum, & omnibus qui erant in manu Arabum, qui cum illo decertabant; uſque ad terminos ſolitudinis.

16. Et directæ ſunt res regni illius, & ſecurum reddidit gregem ſuum & regionem ſuam.

CAPUT XXX.

1. DEinde ægrotavit Alexander rex febri quartanâ triennio integro. Deficiente autem ab eo, Domino urbis Ragabæ nuocupatæ, duxit illuc exercitum fortem, habens ſecum uxorem, & familiam, obſeditque civitatem.

2. Cum autem propè eſſet, ut expugnaretur, invaluit morbus, & vires collapſæ ſunt: omnemque amiſit uxor, (quæ Alexandra dicebatur) ſpem ſaluris ejus.

3. Quæ accedens ait illi: Jam ſcis quid intercedit inter te, & Phariſæos: Duo verò filii tui parvuli pueri ſunt;

4. Et ego mulier, nec ſimul omnes valebimus eis reſiſtere: quid ergo conſilii & mihi, & ipſis dabis?

5. Ait illi: Conſilium meum eſt, ut inſtes contra hanc civitatem, donec expugnabitur, quod prope erit.

6. Cum autem expugnata fuerit, ſtabilies res ejus, juxta quod ſtabilitæ ſunt ſimiles.

7. Cum omnibus tamen his, ſimulabis me ægrum jacere, & quodcumque facies ex meo conſilio te facere ſimula, & mortem meam detege iis famulis, quibus fidis.

8. Cum autem abſolveris hæc, perge in civitatem domûs ſanctæ, recondito ante aromatibus corpore meo, & exſiccato: & cumula loculum meum multis aromatibus, ne prodeat à me deteſtabilis fœtor.

9. Et cùm regionis ſtatus ſtabilitus fuerit, tum profecta inde, involve me multis aromatibus, & in palatium introducito tamquam ægrum:

10. Et cùm ibi fuero, accerſito principes Phariſæorum, quos accedentes honora, & bona verba loquere eis; tum dicito:

11. Alexander jam mortuus eſt, & ecce trado illum vobis, facite de illo quodcumque vobis placuerit: ego verò ero vobis poſt hæc, ut vobis lubebit.

12. Si enim feceris hoc, optimè quidem ſcio, nihil eos facturos mihi & vobis niſi bonum, quos ſequetur plebs, & dirigentur res tuæ poſt me, & tu ſecurè dominaberis, donec creverint duo filii tui.

13. Poſt hæc obiit Alexander, cujus mortem uxor celavit, & expugnatâ civitate, rediit Jeruſalem,

14. Et accitos principes Phariſæorum allocuta eſt, prout monuerat illam Alexander.

15. Cui reſponderunt illi: Alexandrum ipſorum fuiſſe regem, & ipſos gregem illius; & allocuti ſunt eam omni benevolentiâ, pollicitantes eam præficere rebus ſuis.

16. Tum egreſſi congregaverunt homines, & accipientes corpus Alexandri, ſumtuosè extulerunt ad ſepulchrum.

17. Atque acciverunt homines ad conſtituendam Alexandram in reginam: quibus annuentibus conſtituta eſt. Fuerunt autem anni regni Alexandri ſeptem & viginti.

CAPUT XXXI.

1. CUM autem regnaſſet Alexandra, accivit ad ſe principes Phariſæorum, & præcepit eis ſcribere ad univerſos, qui fugerant ex illis in diebus Hyrcani, & in diebus Alexandri, in Ægyptum, aliaſque partes, ut reverteſentur in regionem Judæ.

2. Et indicavit illis ſuam erga eos propenſionem, nec ſeſe oppoſuit inſtitutis eorum; neque interdixit eorum cæremonias, quemadmodum interdixerant Alexander, & Hyrcanus.

3. Dimiſit quoque omnes, qui ex illis in carceribus detinebantur. Et convenerunt undequaque, continueruntque ſe Sadducæi illis nocumenta inferre. Et directæ ſunt res, & proſperatus ſtatus ipſorum ſublatis contentionibus.

4. Cum autem creviſſent Hyrcanus, & Ariſtobulus: duo filii Alexandri, conſtituit Hyrcanum Sacerdotem magnum, cùm eſſet humilis, manſuetus, ac ſimplex:

5. Ariſtobulum verò conſtituit principem exercitûs, erat enim ſtrenuus, fortis, & magnanimus adjunxitque ei exercitum Sadducæorum; nec ſibi viſum eſt conſtituere illum regem, cùm eſſet puer.

6. Miſit quoque ad eos omnes, qui deferebant tributa Alexandro, & accepit filios regum ipſorum, & conſtituit eos penès ſe obſides, ac jugiter præſtiterunt ei obedientiam, deferentes ſingulis annis tributa.

7. Et rectè ambulavit cum populo, divulgans juſtitiam, eamque præcipiens populo ſuo facere, quare perduravit utriſque pax: & conſecuta eſt eorum amorem.

CAPUT XXXII.

1. ERat Sadducæis princeps quidam prælatus apud Alexandrum, nomine Diogenes, qui induxerat illum

Digitized by Google

illum aliquando ad occidendos octingentos viros de Phariſæis.

2. Veniunt ergo principes Phariſæorum ad reginam, & commemorant ei, quod geſſerat Diogenes, & perpetraverat, rogantes, ut ſibi permitteret illum occidere: quæ fecit.

3. Quem accipientes, & multos cum illo Sadducæos jugularunt. Quod multum ægrè ferentes Sadducæi, profecti ſunt ad Ariſtobulum, & ſecum ſumentes, adiverunt reginam, & dixerunt ei;

4. Jam cognoviſti quàm terribilia, ac magna ſuſtinuimus: & bella, ac plurima certamina, quæ geſſimus, opem ferentes Alexandro, & Hyrcano patri ejus;

5. Nec propterea conſentaneum erat noſtra proterere jura, & extendere ſuper nos manus inimicorum noſtrorum, ac noſtras deprimere dignitates.

6. Hujuſcemodi enim res nequaquam latebit Hartam, & alios de inimicis veſtris, qui experti ſunt noſtram fortitudinem, nec reſiſtere nobis valuerunt, & timore noſtri completa ſunt corda eorum.

7. Quoties ergo perceperint, quod nobis intuliſti, concipient, quo ſcorda noſtra in te machinentur: qua de re cùm certiores facti fuerint, in te prævaricaturos fore crede. Nec ſuſtinebimus occidi à Phariſæis, tanquam oves.

8. Aut ergo coërce à nobis malitiam eorum, aut permitte nobis egredi de civitate ad aliqua oppida Judæ.

9. Quibus ait; facite hoc, ut arceatur à vobis illorum noxa. Et egreſſi ſunt Sadducæi de civitate, egreſſique ſunt principes eorum cum ſequacibus de viris belli, ac profecti ſunt cum pecoribus ſuis ad civitates, quas elegerant de civitatibus Judæ,

10. Et habitaverunt in eis: adjectique ſunt illis operam navantes virtutibus, bi Haſdanim.

CAPUT XXXIII.

1. POſt hæc cecidit Alexandra in morbum, ex quo obiit. Cujus cùm propè deſperaretur ſalus, egreſſus eſt filius ejus Ariſtobulus de Jeruſalem cum famulo ſuo noctu;

2. Abiitque in Gabatham ad quemdam virum de principibus Sadducæorum, de amicis ſuis, quem ſecum ſumens perrexit ad urbes, quas incolebant Sadducæi,

3. Notamque fecit eis cauſam ſuam, hortatuſque eſt eos ſecum egredi, & opem ferentes auxilio ſibi eſſe in bello contra fratrem, & Phariſæos, & regem ſe conſtituere.

4. Cui morem gerentes, palam prævaricati ſunt in Alexandram, cogentes viros ad Ariſtobulum undequaque.

5. Quorum fama perveniente ad Hyrcanum Sacerdotem filium Alexandræ, & ſeniores Phariſæorum, adiverunt Alexandram, cùm eſſet eo in ſtatu, & indicaverunt ei rem, inculcantes ipſi magnitudinem timoris, quo ſibi, filioque Hyrcano timebant ab Ariſtobulo, & iis, qui cum eo erant:

6. Quibus ait: Ego quidem ſum propè interitum, quare æquius, ac conducibilius mihi eſt rerum mearum ſatagere:

7. Quid ergo facere poſſum in tali conſtituta ſtatu? viri autem noſtri, & bona noſtra, & arma noſtra penes vos, & in manibus veſtris ſunt: dirigite itaque negotium, ut rectum vobis videtur,

8. Dei implorantes opem pro rebus veſtris; rogantes ab eo liberationem: tum fatis conceſſit.

9. Fuit autem tempus illius ætatis ſeptuaginta trium annorum, tempus verò regni illius, novem annorum.

CAPUT XXXIV.

1. CUm egreſſus eſſet Ariſtobulus de Jeruſalem in diebus Alexandræ, reliquerat uxorem, & filios ſuos in Jeruſalem. Cùm autem perveniſſet fama egreſſionis ejus ad Alexandram, deligavit eos in domo quadam poſitâ cuſtodiâ.

2. Defunctâ autem Alexandrâ, adduxit eos Hyrcanus ad ſe, & benefecit eis, atque ſervavit, ut liberarent eum à fratre ſuo, ſi forte vinceret eum.

3. Tum Ariſtobulus duxit exercitum magnum uſque ad Jordanem, contra quem egreſſus eſt Hyrcanus cum exercitu Phariſæorum.

4. Cùm autem ſibi concurriſſet uterque exercitus, interfecta eſt de exercitu Hyrcani multitudo magna, & fugit Hyrcanus, ac reliquus exercitus ejus.

5. Quos inſequentes Ariſtobulus, & viri ejus, occiderunt quemcumque comprehendebant, exceptis iis qui ſeſe dedebant.

6. Dein ſeceſſit Hyrcanus in Civitatem ſanctam, quò adventavit & Ariſtobulus cum exercitu ſuo, & concluſerunt eam caſtra undequaque, intentavitque arte deſtruere munitionem.

7. Ad quem egreſſi ſunt ſeniores Judæ, & ſeniores Sacerdotum, & vetuerunt eum perpetrare, quod machinatus erat, rogantes ut ex animo dimoveret quidquid fuerat contra fratrem ſuum: cui rei aſſenſus eſt.

8. Tum ſtabilitum eſt inter eos, ut Ariſtobulus eſſet rex ſuper Judam, Hyrcanus verò Sacerdos magnus in domo Dei, & ſecundus à rege.

9. Et aſſenſus eſt eis Ariſtobulus, atque ingreſſus civitatem, & convenit cum fratre ſuo Hyrcano in domo Dei, & juraverunt ſimul, rata habere ea, quæ ſtabilierant inter ſe ſeniores.

10. Regnavitque Ariſtobulus, & ſecundus ab eo habitus eſt Hyrcanus. Et conquieverunt homines, ac directæ ſunt res horum duorum fratrum, & pacatus eſt ſtatus gregis, & regionis eorum.

CAPUT XXXV.

1. ERat Antipater vir de Judæis, ac de filiis quorumdam eorum, qui aſcenderant de Babylonia cum Hezdra Sacerdote.

2. Erat autem ſapiens, prudens, aſtutus, ſtrenuus, magnanimus, bonæ indolis, benignus, ac familiaris, dives quoque, ac multarum villarum, facultatum, & pecudum.

3. Hunc verò præfecerat Alexander rex Idumæorum regioni, unde duxerat uxorem, ex qua quatuor ſuſcepit filios, Phaſelum videlicet, Herodem, qui regnavit ſuper Judam, Pherotam, ac Joſephum.

4. Dein remotus à montibus Sarah, id eſt, regione Idumæorum in diebus Alexandri, habitavit in civitate domûs ſanctæ: diligebatque illum Hyrcanus, & erga ipſum propenſus erat; quare voluit Ariſtobulus illum interficere, quod tamen aſſecutus non eſt.

5. Timuit itaque Antipater Ariſtobulum timore vehementiſſimo, ac propterea clam machinari cœpit in regnum Ariſtobuli. Adivit ergo principes regni; acceptâque arcani celandi ſecuritate circa ea, quæ proditurus erat.

6. Memorare eis cœpit peſſimam Ariſtobuli viam, tyrannidem, impietatem, & effuſionem ſanguinis perpetratam ab eo, & uſurpationem regni, quo dignior erat frater ejus major.

7. Tum incuſſit eis timorem Dei optimi maximi, niſi amoverent manum tyranni, & redderent debitum Domino digno.

8. Nec remanſit quiſpiam de principibus, quem non circumvenerit, & inclinaverit ad obedientiam Hyrcani, removens ab obedientia Ariſtobuli, Hyrcano neſciente,

9. Sed hæc ipſi adſcribebat Antipater, nolens indicare ei antequam id ſtabiliret.

10. Cùm itaque ſtabiliviſſet rem hanc cum gente, adivit Hyrcanum, & ait illi: utique frater tuus valde te timet; eò quod videt res ſuas haudquaquam ſecuras eſſe dum vivis,

11. Aucupatur propterea tempus interficiendi te, nec te ſuperſtitem paſſurus eſt. At Hyrcanus verbis ejus fidem non præſtitit, ob bonitatem, & ſimplicitatem cordis ſui,

12. Quare Antipater iteravit illi ſermonem eumdem ſemel atque iterum: obtulit quoque pecuniam plurimam viris, quibus fidebat Hyrcanus, eiſque acquieſcebat, ut loquerentur ipſi ſimilia iis, quæ locutus fuerat Antipater, dummodo non imaginaretur ipſos novisse quod allocutus fuerat eum Antipater.

13. Credidit itaque Hyrcanus verbis eorum, & inductus moliri eſt aliquid, quo liberaretur à fratre ſuo.

14. Cùm ergo iteraret illi Antipater rem hujuſcemodi, ſignificavit ei, jam patere ſibi veritatem verborum ejus, atque ſcire ipſum benè admonuiſſe, ſciſcitatuſque eſt de conſilio circa hoc.

15. Cui conſuluit Antipater egredi de civitate ad aliquem, cui ſeſe fideret, & ope, atque auxilio illi eſſe poſſet.

16. Et adiit Antipater Hartam, & conſtituit cum eo, ut venientem Hyrcanum exciperet hoſpitem, quoniam ſuſpectam habet cohabitationem fratris.

17. Quo gaviſus eſt Hartam, & amplexatus eſt hoc; pepigitque cum Antiparto ſe nequaquam traditurum Hyrcanum, & Antipatrum hoſtibus eorum, & auxilio fore, ac protecturum eos.

18. Et reverſus eſt Jeruſalem, ac notum fecit Hyrcano quod geſſerit, & ſtatuerat cum Hartam de profectione ad illum. Quare egreſſi ſunt ambo de urbe noctu, & profecti ſunt ad Hartam, moratique ſunt apud illum aliquo tempore.

19. Tùm Antipater perſuadere cœpit Hartam, ut ducere exercitum cum Hyrcano ad debellandum, capiendumque Ariſtobulum fratrem illius.

20. At Hartam renuit id proſequi, timens ne impares ſibi eſſent vires ad reſiſtendum Ariſtobulo. Antipater verò nequaquam deſtitit facile ei reddere negotium Ariſtobuli,

21. Et pecuniarum vi id ei inſinuare, & magnificentiâ famæ, & memoriæ, donec acquievit profiſci,

22. Ita tamen, ut reſtitueret ei Hyrcanus quidquid abſtulerat Alexander pater ejus ex urbibus, & oppidis, quæ ad ſe ſpectabant.

23. Quibus acquieſcente Hyrcano, & fœdus feriente, profectus eſt Hartam, & Hyrcanus cum quinquaginta millibus equitum, & peditum, contendens in regionem Judæ:

24. Ad quos egrediens Ariſtobulus, congreſſus eſt cum eis. Cumque invaluiſſet pugna, ſeſe contulerunt ad Hyrcanum de exercitu Ariſtobuli viri quamplures.

25. Quod videns Aribubulus receptui cecinit, & reverſus eſt ad caſtra, timens ne afflueret exercitus totus & ipſe caperetur.

26. Ingruente autem nocte, egreſſus eſt Ariſtobulus ſolus de caſtris, & contendit ad civitatem ſanctam. Et cùm facto mane innotuiſſet exercitui profectio illius, major pars eorum junxerunt ſe Hyrcano, reliqui verò palantes abſceſſerunt.

27. Hyrcanus verò, Hartam, & Antipater perrexerunt ad civitatem domûs ſanctæ, ducentes exercitum magnum: inveneruntque Ariſtobulum jam paratum obſidionem ſubire; clauſerat enim portas civitatis, atque ſtatuerat ſuper mœnia propugnatores.

28. Et caſtrametati ſunt Hyrcanus, & Hartam cum exercitibus contra civitatem, & obſederunt eam.

CAPUT XXXVI.

1. ACcidit autem, ut egrederetur Gneus princeps militiæ Romanorum ad Tyrcanem Armenum expugnandum: nam Damaſci cives, & Hames, & Halepi, & reliqui Syriæ, qui referuntur ad Armenos, jam rebellaverant contra Romanos:

2. Ac propterea miſerat Gneus Scaurum Damaſcum, & in ditiones illius, ut occuparet eas: quod quidem Ariſtobulo, Hyrcanoque perlatum eſt.

3. Miſit ergo Ariſtobulus ad Scaurum legatos, & pecuniam plurimam rogans eum ad ſe venire cum exercitu, ut ſibi auxilio eſſet contra Hyrcanum.

4. Miſit quoque Hyrcanus ad eum legatos, efflagitans ejus opem adverſus Ariſtobulum, ſed non miſit ei munus.

5. Scaurus verò renuit proficiſci ad quempiam eorum, ſed ſcripſit ad Hartam, præcipiens ei, ut recederet ab urbe domûs ſanctæ cum exercitu ſuo, & prohibuit eum auxilium ferre Hyrcano adverſus fratrem ejus,

6. Et minatus eſt ſe venturum in regionem ejus cum exercitu Romanorum, & Syrorum, niſi morem ſibi geſſerit.

7. Cùm autem perveniſſet epiſtola ad Hartam, ſtatim receſſit ab urbe: receſſit & Hyrcanus quoque, quos inſecutus eſt Ariſtobulus cum aliquo numero ſuorum, & apprehendit eos & conflixit cum illis;

8. Occiſuſque eſt ea in pugna de Arabibus magnus numerus, cæſique ſunt de Judæis viris plurimi, & reverſus eſt Ariſtobulus in ſanctam civitatem. Interim adventavit Gneus Damaſcum, cui detulit Ariſtobulus hortum, & vineam ex auro, pendentes omnes quingenta talenta, cum pretioſiſſimo munere, per virum Nicomedem, rogavitque eum, ut ſibi auxilio eſſet contra Hyrcanum.

9. Miſit quoque Hyrcanus Antipatrum ad Pompeium, ſimilia petens. Et inclinatus eſt Pompeius (& ipſe eſt Gneus) ad auxiliandum Ariſtubulo. Quod videns Antipater, quærebat opportunitatem, donec ſeorſum convenit Pompeium, & ait illi:

10. Utique quod habuiſti ab Ariſtobulo, nequaquam erit reſtituendum, etſi auxilium ei non feras: Hyrcanus tamen duplum tibi offert: nec poterit Ariſtubulus ſubjicere tibi Judæos, Hyrcanus verò id præſtabit.

11. Et arbitratus eſt Pompeius rem ſe habere ut dixerat Antipater, & gavtſus eſt, ſi Judæos ſibi ſubjicere poſſet. Quare dixit Antipatro: Ego opem feram amico tuo contra Ariſtobulum, tametſi ſimulem opitulari illi adverſus vos, ut ſe mihi fidat.

12. Nam certus ſum, quod quoties cognoverit me opem ferre fratri ſuo adverſus ſe, prævaricabitur cum omnibus viris, ſibique cavebit; & in longiùs protrahentur res illius.

13. Sed arceſſam illum ad me, & ibo cum illo in civitatem ſanctam, & faciam tunc, ut unuſquiſque aſſequatur ſuum jus, cum hoc tamen, ut deferat nobis ſingulis annis tributum.

Legatus Ariſt buli

14. Poſt hæc, accito Nicomedi, dixit: Vade ad Dominum tuum, & indica ei, quod acquieverim ejus petitioni, & ferto ei meam epiſtolam, & dicito ei: ut feſtinans abſque mora veniat ad me, nam eum expecto. Scripſitque Ariſtobulo epiſtolam, cujus hoc eſt exemplar.

15. Ab Gneo duce militiæ Romanorum Ariſtobulo regi, filio regni, & ſacerdotii, ſalus tibi.

16. Jam pervenit hortus, & vitis, aurei, & accepi eos, & miſi ad ſeniorem, & rectores, quos ſuſcipientes collocaverunt in Templo Romæ, gratias tibi agentes.

17. Scripſerunt prætereà, ut auxilio tibi eſſem & conſtituerem te regem ſuper Judæos. Si ergo tibi viſum fuerit venire ad me feſtinanter, ut contendam tecum ad civitatem ſanctam, & adimpleam tua optata: faciam hoc.

18. Et abiit Nicomedes ad Ariſtobulum cum Gnei epiſtola: reverſuſque Antipater ad Hyrcanum indicavit ei promiſſionem Gnei, conſulens ei, ut pergeret Damaſcum.

19. Perrexit itaque Hyrcanus Damaſcum: perrexit quoque Ariſtobulus, & convenerunt Damaſci in conſiſtorio Pompeii, qui eſt Gneus, & dixerunt Antipater, & ſeniores Judæorum Gneo:

20. Scias, dux præclariſſime, quod Ariſtobulus hic jam prævaricatus ſit adverſus nos, & uſurpaverit gladio regnum fratris ſui Hyrcani, qui dignior eo eſt, cum ſit frater major, melioris quoque, & juſtioris vitæ.

21. Nec ſat illi fuit opprimere fratrem, atqui oppreſſit omnes, quæ in circuitu noſtro ſunt gentes, effundens ſanguinem earum, & facultates injuſtè expilans: atqui

Digitized by Google

confirmans inter nos, & eas inimicitias, à quibus abhortemus.

22. Tùm ſteterunt mille ſenes teſtantes veritatem verborum illius. Ei ait Ariſtobulus; ſane frater hic meus melior me eſt:

23. At non appetivi regnum, niſi cùm vidiſſem univerſus, qui fuerant ſubjecti Alexandro patri noſtro, jam prævaricatus fuiſſe in nos poſt mortem illius, cognoſcentes fratris mei impotentiam.

24. Quæ cùm inſpexiſſem, cognovi me opportere ſuſcipere regnum eò quod melior eram ad bella, & aptior eo conſervationi regni:

25. Et oppugnavi quicumque contra nos prævaricati ſunt, & reſtitui obedientiæ: & hoc eſt mandatum patris noſtri ante obitum ejus: ſtatuitque teſtes, qui teſtarentur veritatem verborum ſuorum.

26. His geſtis diſceſſit Pompeius ab urbe Damaſco, petens domum ſanctam: Antipater verò clam miſit ad incolas civitatum, quas expugnaverat Ariſtobulus, concitans eos, ut conquererentur apud Gneum exponentes exercitam in ſe illius tyrannidem. Quod quidem præſtiterunt.

27. Et præcepit ei Gneus, ſcribere libellum manumiſſionis, & quod nequaquam moleſtiam illis foret illaturus: quod quidem fecit, & exemtæ ſunt gentes ab obedientia Judæorum.

28. At Ariſtobulus cùm vidiſſet quod fecerat ſibi Gneus, diſceſſit ipſe, & viri ejus de exercitu Gnei noctu, ipſo inconſulto, & profectus eſt ad civitatem domûs ſanctæ, & inſecutus eſt eum Gneus donec pervenit ad civitatem domûs ſanctæ, circa quam caſtrametatus eſt.

29. Cùm verò vidiſſet altitudinem murorum, & firmitatem ædificiorum ejus, & multitudinem hominum, qui in ea erant, & montes ambientes, cognovit blanditias, & aſtutiam in Ariſtobulum conducibiliores fore, quàm irritamenta:

30. Quare legatos ad eum miſit, ut ad ſe egrederetur, promiſsâ ſecuritate; & egreſſus eſt ad eum Ariſtobulus, quem benignè ſuſcepit Gneus, nullâ mentione factâ de antegeſtis ab eo.

31. Poſt hæc, ait Ariſtobulus Gneo; vellem, ut auxilio mihi eſſes adverſus fratrem meum, nullâ datâ hoſtibus meis in me poteſtate, & pro hac re quodcumque vis, habebis.

32. Reſpondit Gneus; ſi via hoc, defer ad me quicquid eſt in Templo pecuniarum, & gemmarum, & conſequi te faciam quod optas: cui ait Ariſtobulus: Profectò id faciam.

33. Et miſit Gneus ducem nomine Gabinium cum plurimis viris ad capeſſendum quicquid erat in templo pecuniarum, & gemmarum:

34. At cives, & Sacerdotes renuerunt permittere id: quare obſtiterunt Gabinio, occidentes plurimos de viris, & amicis ejus, & expulerunt de urbe.

35. Unde iratus Gneus in Ariſtobulum, catenis devinxit. Tum perrexit cum exercitu, ut irrumperet in urbem, & ingrederetur eam. At egreſſi de civibus quamplurimi cohibuerunt eum ab hoc, multis de viris ejus cæſis.

36. Et quidem deterruit illum, quam viderat, multitudo, magnanimitas, atque fortitudo gentis: quibus timore perculſus ſecedere ab eis conſtituerat, niſi oborta fuiſſent mala in urbe inter amicos Ariſtobuli, & amicos Hyrcani.

37. Nam quidam eorum volebant aperire Pompeïo, quidam verò ab hoc abhorrebant. Quare congreſſi ſunt propter hoc, & incrementum ſumente hoc rerum ſtatu, perduravit bellum.

38. Quod percipiens Pompeïus ſe applicuit cum exercitu portæ civitatis, cui quidam ex populo januam aperientes, ingreſſus occupavit palatium regis,

39. At templum obtinere non potuit, quoniam Sacerdotes clauſerant januas, & aditus incluſerant viris.

40. Ad quos miſit Pompeïus qui oppugnarent undequaque, & fugaverunt eos. Accedentes autem amici ejus ad Templum, aſcenderunt murum, & deſcenderunt in illud; aperueruntque portas ipſius interfectâ multitudine Sacerdotum.

41. Venit autem Gneus, donec ingreſſus eſt illud, & demiratus eſt pulchritudinem, & ſplendorem illius, quem viderat, & obſtupuit cùm vidiſſet opes, & gemmas, quæ in eo erant,

42. Et abſtinuit accipere ex illo quicquam: mandavitque Sacerdotibus repurgare domum cæſis, & offerre Sacrificia juxta patrios ritus.

CAPUT XXXVII.

1. HIs peractis, conſtituit Pompeïus Hyrcanum in regem, abduxitque fratrem illius Ariſtobulum catenis devinctum; mandavit præterea ne ullam haberent Judæi poteſtatem ſuper eos, qui ſubacti erant à regibus eorum ante ejus adventum,

2. Et exegit tributum ab urbe domûs ſanctæ, & convenit eum Hyrcanos, ut inauguraretur à Romanis ſingulis annis.

3. Et profectus eſt ducens ſecum Ariſtobulum, & duos filios, & filias ejus: remanſitque ipſi filius nomine Alexander, quem capere non potuit Pompeius, eò quod fugerat. Subrogavit itaque Pompeius in civitate domûs ſanctæ Hyrcanum, & Antipatrum, atque cum eis Scaurum collegam ſuum.

CAPUT XXXVIII.

1. CUm profectus eſt Pompeius Romam, perrexerunt Hyrcanus, & Antipater ad Arabes, ut ſubigerent eos Romanorum obedientiæ:

2. Quod quidem præſtiterunt Arabes, confidentes familiaritati Antipatri, & multum tribuentes ejus conſilio: quibus intendebat Antipater ſibi reconciliare Romanos.

3. Cum ergo percepiſſet Alexander filius Ariſtobuli expeditionem Hyrcani, Antipatri, & Scauri contra Arabes, & longè eos receſſiſſe ab urbe ſancta, profectus eſt donec illud adventavit:

4. Et ingreſſus regiam, protulit inde pecuniam in expenſas reſtaurationis muri civitatis, quem exciderat Pompeïus.

5. Coëgitque ſibi exercitum, & firmavit ea omnia, quæ voluit, antequam reverteretur Hyrcanus, & qui cum eo erant. in civitatem domûs ſanctæ: revertentibus verò, obviam egreſſus eſt, & oppugnavit, atque profligavit.

CAPUT XXXIX.

1. JAm egreſſus erat Gabinius Româ, ut moraretur in terra Syriæ, ad illius curam gerendam; & nuntiatum eſt ei quod geſſerat Alexander filius Ariſtobuli, extruendo quod deſtruxerat Pompeius, & oppugnando ſucceſſorem ejus, atque occidendo amicos.

2. Quare perrexit, donec venit Jeruſalem: & contendit ad eum Hyrcanus, & qui cum eo erant: Quibus obviam egreſſus eſt Alexander, cum decem millibus peditum, & mille quingentis equitibus, & decertavit contra eos;

3. Quem profligantes occiderunt ex viris ejus aliquem numerum, fugitque in quandam urbem, quæ dicitur Alexandrium, in terra Judæ, in qua ſeſe munivit cum viris ſuis.

4. Et profectus eſt ad eum Hyrcanus, Gabinius quoque, & qui cum eis erant, & obſederunt eum; & egreſſus eſt ad eos Alexander, decertavitque cum eis, & occidit de viris eorum multitudinem.

5. Et proceſſit ad eum Marcus, qui nominatur Antonius, & fugavit in Alexandrium. Et egreſſa eſt mater Alexandri ad Gabinium, deprecans, atque rogans, ut filio Alexandro daret ſecuritatem;

6. Cui acquievit Gabinius in hoc, & egreſſus eſt ad eum Alexander, quem occidit Gabinius: cui viſum eſt dividere regiones Judæ quinque in partes.

7. Una eſt Jeroſolymitana regio, & quæ ei adjacent: & huic parti præfectus eſt Hyrcanus. Altera verò pars eſt Gadira, & quæ ei ſubjacent. Tertia autem

Digitized by Google

Jericho, & campeſtria. Quarta quidem eſt Hemat in regione Judæ. Quinta tandem Sephoris.

8. Intendit his removere bella, & ſeditiones à regione Judæ, ſed nequaquam remota ſunt.

CAPUT XL.

1. TUm machinatus eſt Ariſtobulus, donec res ei ſucceſſiſſet, & fugiſſet Româ cum filio ſuo Antigono, & profectus eſſet in civitatem Judæ.

2. Et cum in publicum ſeſe protuliſſet Ariſtobulus, affluxit ad eum multitudo magna virorum, è quibus octo millia ſelegit, & contendit ad Gabinium, & oppugnavit illum, cæſaque eſt de exercito Romanorum multitudo numeroſa valdè:

3. Ceciderunt quoque de viris ejus ſeptem millia, mille verò evaſerunt, & inſecutus eſt eum exercitus; at non deſtitit eos oppugnare ipſe, & qui cum eo remanſerant uſque ad internecionem ſuorum, nec ſuperfuit niſi ipſe ſolus,

4. Qui pugnavit acerrimè, donec vulneribus aggravatus cecidit, & captus eſt, & ductus ad Gabinium, qui curari eum juſſit, donec ſanatus eſt.

5. Tum catenis devinctum Romam miſit, remanſitque carcere incluſus uſque ad regnum Cæſaris, qui eductum è carcere muneribus cumulavit, atque beneficiis,

6. Ad unctiſque duobus ducibus cum duodecim millibus virorum, miſit eum in regionem Judæ, ut abduceret eos à partibus Pompeii, ad obedientiam Cæſaris: erat quippe Pompeïus tunc præfectus ſuper regionem Ægypti.

7. Et pervenit fama Ariſtobuli, & ſuorum ad Hyrcanum, qui timuit valdè; ſcripſitque ad Antipatrum, ut ſolutis machinamentis averteret à ſe res ipſius.

8. Miſitque Antipater viros de principibus virorum Jeruſalem, tradens cuidam eorum venenum, præcipiens ei aſtu præbere illud Ariſtobulo.

9. Et occurrerunt ipſi in terra Syriæ tamquam legati civitatis ſanctæ ad illum: quos ſuſcipiens lætatus eſt, & comederunt cum illo, atque biberunt. Et machinati ſunt viri illi, donec præbuerunt ei venenum illud; & mortuus eſt, & ſepultus in regione Syriæ.

10 Fuit autem tempus regni illius, donec captivus abductus eſt primâ vice, trium annorum cum dimidio; & erat quidem vir fortis, gravis, optimæ indolis.

11. Jam verò ſcripſerat Gabinius Senatui, ut dimitteret duos filios ejus ad matrem ſuam, quoniam id ipſum rogaverat; quod quidem præſtitit.

12. Factum eſt autem, ut cùm longè receſſiſſet Pompeïus à Jeruſalem, diſſolverunt fœdus obedientiæ Romanis: quamobrem perrexit ad eos Gabinius, oppugnavit, atque vicit, Romanorumque obedientiæ reſtituit.

13. Interea rebellavit terra Ægypti contra Ptolemæum, & expulerunt eum de regia urbe, recuſantes deferre tributum Romanis.

14. Qua de cauſa ſcripſit Ptolemæus Gabinio, ut contenderet ſibi auxiliaturus adverſus Ægyptios, ut reduceret eos ad obedientiam Romanorum.

15. Et profectus eſt Gabinius de regione Syriæ, ſcripſitque Hyrcano, ut ſibi occurreret cum exercitu, ut contenderent ad Ptolemæum.

16. Et profectus eſt Antipater cum exercitu magno ad Gabinium, & occurrit ei Damaſci, congratulans ipſi de victoria à Perſis relata:

17. Et mandavit ei Gabinius, ut properaret ad Ptolemæum, quod quidem præſtitit, & oppugnavit Ægyptios, occiditque ex illis multitudinem plurimam.

18. Poſt hæc adventans Gabinius, reſtituit Ptolemæum in regnum, reverſuſque in civitatem ſanctam, & innovavit regnum Hyrcano, & rediit Romam.

CAPUT XLI.

1. REverſo Gabinio Romam, prævaricati ſunt Perſæ adverſus Romanos: & profectus eſt Craſſus ducens magnum exercitum in Syriam, venitque Jeruſalem, requirens à Sacerdotibus, ut traderent quidquid eſt in domo Dei pecuniarum.

2. Cui inquiunt; quomodo hoc tibi fas erit, cùm Pompeïus, Gabinius, & alii, nefas arbitrati ſint? Reſpondit autem; omnino id mihi faciendum eſt.

3. Cui ait Eleazarus Sacerdos: Jura mihi quod non extendes manum tuam ad quicquam illius, & ego dabo tibi trecentas minas auri.

4. Et juravit ei, ſe nihil accepturum de pecunia domûs Dei, ſi ſibi tradiderit quod meminerat.

5. Et tradidit ei Eleazarus laminam auream fabrefactam, cujus vertex parieti gazophylacii Templi inſertus erat, cui apponebantur ſingulis annis exuviæ velaminum domûs, novis ſubſtitutis.

6. Pendebat autem lamina trecentas minas auri, & cooperta erat adjectis longo annorum ſpatio velaminibus, nemini nota niſi Eleazaro.

7. Acceptâ itaque Craſſus hac laminâ, fefellit, recedens ab inito cum Eleazaro pacto, accepitque omnes theſauros Templi, & expilavit quidquid in eis erat pecuniarum, quarum ſumma erat duorum millium talentorum:

8. Quoniam hæ pecuniæ congregatæ erant ab ædificatione Templi ad tempus illud uſque, ex prædis regum Judæ, & votis eorum, inſuper & ex iis, quæ miſerant reges Gentium, & multiplicabantur, augebanturque annorum decurſu: quas omnes accepit.

9. Tum contendit Craſſus iſte cum pecunia, & exercitu in regionem Perſarum, & pugnantem proſligarunt cum ejus exercitu, interficientes eos unicâ die: & deprædatus eſt exercitus Perſarum omne, quod erat in caſtris Craſſi.

10. His peractis profecti ſunt in regionem Syriæ, quam obtinentes abduxerunt ab obedientia Romanorum. Quod cognoſcentes Romani, miſerant præclarum ducem nomine Caſſium cum exercitu magno:

11. Qui in Syriæ regionem adventans, expulit qui erant in ea ex Perſis. Dein in civitatem ſanctam contendens, exemit Hyrcanum à bello ipſi illato à Judæis, reconcilians partes.

12. Tum prætergrediens Euphratem, expugnavit Perſas, atque reduxit in Romanorum obedientiam: reduxit quoque in eorum obedientiam viginti duos reges, quos ſubegerat Pompeïus: & redegit in Romanorum obedientiam quidquid erat in regionibus Orientis.

CAPUT XLII.

1. FErunt fuiſſe Romæ mulierem quamdam prægnantem, quæ mortua eſt cùm eſſet prope partum, & vehementioribus angeretur partûs doloribus: cùm verò infans quæreretur, cæſus eſt uterus matris, & inde eductus, vixit, atque crevit,

2. Ac Julius nuncupatus eſt, quoniam natus eſt menſe quinto; vocatus verò Cæſar, quoniam viſcera matris, è quibus eductus eſt, cæſa ſunt.

3. Cùm autem miſit ſenior Pompeïum in Orientem, miſit Cæſarem quoque in Occidentem ad debellandas gentes quaſdam, quæ jam deſciverant à Romanis.

4. Et profectus eſt Cæſar, & vicit, reduxitque eas in obedientiam Romanorum, atque reverſus eſt Romam cum gloria magna;

5. Et invaluit fama ejus, & res ipſius percrebuerunt valdè, & ſumma ſuperbia ipſum invaſit; quare petiit à Romanis, ut regem nuncuparent eum.

6. Cui reſpondit ſenior, & rectores: utique patres noſtri juraverunt à diebus Tarquinii regis, qui vi acceperat uxorem cujuſdam viri, quæ manus ſibi conſcivit, ne illâ potiretur; neminem eorum, qui præficerentur ipſorum rebus, nuncupaturos regem:

7. Propter quod autem juramentum tibi ſatisfacere non poſſumus. Quamobrem excitavit ſeditiones, & bellis deſævit Romæ, multis cæſis, donec occupavit regnum Romanorum, & regem ſeſe nuncupavit, impoſito capiti diademate.

8. Ex inde appellati ſunt reges Romanorum ex regno, appellati quoque ſunt Cæſares.

Digitized by Google

9. Cùm ergo audiſſet Pompeius nuntium Cæſaris, & quod occidiſſet trecentos viginti rectores, cogens exercitus ſuos, profectus eſt in Cappadociam:

10. Cui occurrens Cæſar oppugnavit eum, vicit, atque interfecit, & obtinuit univerſam Romanorum regionem.

11. Poſt hæc Cæſar contendit in Syriæ provinciam; cui obviam occurrit Mithridates Armenus cum exercitu ſuo, certiorem illum faciens ſe pacificè veniſſe, atque paratum quoſcumque præciperet oppugnare hoſtes:

12. Quem abire mandavit in Ægyptum: & profectus eſt Mithridates donec pervenit Aſcalonem. Hyrcanus autem Cæſarem maximè timebat, eò quod nota eſſet ejus obedientia erga Pompeium, quem interfecerat Cæſar.

13. Quare feſtinanter expedivit Antipatrum cum exercitu forti in auxilium Mithridatis: & profectus eſt Antipater ad eum, & auxiliatus eſt adverſus quamdam civitatem de civitatibus Ægypti, & expugnaverunt eam.

14. Inde verò abeuntes invenerunt exercitum de Judæis Ægypti incolis, obſiſtentem in aditu ad prohibendum Mithridatem ingredi Ægyptum.

15. Et protulit eis Antipater epiſtolam ab Hyrcano præcipiente eos abſtinere, ne ſeſe opponerent Mithridati amico Cæſaris. qui ſe continuerunt.

16. Cæterùm profecti ſunt donec pervenerunt ad urbem regis, eo tempore regnantis: qui egreſſus eſt ad eos cum omnibus exercitibus Ægyptiorum, & congredientes cum eo, vicit, atque profligavit:

17. Et terga vertens Mithridates fugit, quem Ægyptiis copiis circumſeptum liberavit Antipater à morte: & conſtanter reſtiterunt Antipater & viri ejus in bello adverſus Ægyptios, quos profligavit, & vicit, expugnavitque regionem Ægypti totam.

18. Et ſcripſit Mithridates ad Cæſarem, ſignificans ei quod geſſerat Antipater, & quanta pertulerat bella, quantaque acceperat vulnera, & quod expugnatio Antipatri, non ſibi adſcribenda eſſet, & quod ille reduxiſſet Ægyptios in obedientiam Cæſaris.

19. Cùm autem legiſſet Cæſar epiſtolam Mithridatis, commendavit Antipatri geſta, & illum præficere, & exaltere conſtituit.

20. His geſtis perrexerunt Mithridates, & Antipater ad Cæſarem, cùm eſſet Damaſci: & nactus eſt apud Cæſarem quicquid jucundum erat, & pollicitus eſt ei quicquid optabat.

CAPUT XLIII.

1. CÆterum venit Antigonus filius Ariſtobuli ad Cæſarem, commemoravit ei expeditionem Ariſtobuli Patris ſui ad oppugnationem Pompeii: & quantum obediens ei, & obſequens erat.

2. Tum ait illi, quod Hyrcanus, & Antipater miſiſſent clam ad patrem ſuum, qui veneno illum interimeret, intendentes auxiliari Pompeïo adverſus eos.

3. Accerſitum ergo Antipatrum ſciſcitatus eſt Cæſar de re: cui reſpondit Antipater; profectò obſequebar Pompeïo, quoniam rerum tunc potiebatur, & mihi benefaciebat:

4. At non geſſi prælia nunc cum Ægyptiis causâ Pompeii, qui jam fatis conceſſit, neque ſuſtinui ardua in debellandis iis, atque reſtituendis obedientiæ Pompeii: verum hoc feci, obſequens Cæſari, & ut reſtituerem eos ipſius obedientiæ.

5. Dein aperuit Antipater caput, & manus, ac ait: Hæc vulnera, quæ ſunt in capite, & corpore meo teſtantur meum amorem erga Cæſarem, & obedientiam, majores eſſe amore, & obedientiâ meâ erga Pompeium, quia nequaquam me oppoſui in diebus Pompeii iis, quibus memet oppoſui in diebus Cæſaris regis.

6. Et ait illi Cæſar: Pax tibi, fortiſſime Judæorum, & omnibus amicis tuis: verè enim oſtendiſti fortitudinem, magnanimitatem, obedientiam, & amorem tuum erga nos.

7. Et auctus eſt Cæſar exinde amore erga Antipatrum, illumque prætulit univerſis ſuis, ac principem præpoſuit ſuis exercitibus, & in Perſarum regionem ſecum duxit: viditque ex ejus fortitudine, & rebus bene geſtis quod magis ſibi inſinuevit ejus deſiderium, & amorem:

8. Demum reduxit illum in regionem Judæ optimè cohoneſtatum, & dominio cumulatum. Et profectus eſt Cæſar Romam directis rebus Hyrcani, qui conſtruxit mœnia civitatis ſanctæ, & ſeſe geſſit erga populum optimis moribus:

9. Erat enim bonus, virtutibus præditus, optimæ vitæ, verumtamen ejus in bellis impotentia omnibus nota erat.

CAPUT XLIV.

1. MIſit ergo Hyrcanus ad Cæſarem legatos cum epiſtola de renovatione fœderis quod erat inter ſe & Romanos.

2. Pervenientes itaque legatos Hyrcani ad Cæſarem juſſit coram ſedere: quod quidem nemini fecerat legatorum regum, qui ad eum adventabant.

3. Inſuper benefecit eis expediens negotia eorum, juſſitque reſponſum dari epiſtolæ Hyrcani: cui ſcripſit & fœdus, cujus hoc eſt exemplar.

4. A Cæſare rege regum principibus Romanorum, qui ſunt Tyri, & Sidoni, pax vobis. Notum facio vobis, quod epiſtolæ Hyrcani filii Alexandri regum Judæ ad me perlatæ ſint.

5. Quarum adventu ſum lætatus ob tenorem benevolentiæ, quam ipſe, & populus ejus erga me, Romanorumque gentem habere ferunt.

6. Et quidem veritatem verborum ejus ex eo confirmavi, quod miſiſſet Antipatrum equitem Judæorum, & equitatum eorum, cum Mithridate amico meo: quem oppugnavere cohortes Ægyptiorum, liberavitque Mithridatem à morte.

7. Expugnatâ nobis Ægypti regione, atque reductis Ægyptiis ad Romanorum obedientiam: & profectus eſt mecum in regionem Perſarum, contendens gratuitus miles.

8. Et ideirco præcipio ut deferant omnes incolæ oræ maritimæ à Gaza, uſque ad Sidonem, omnia, quæ debent nobis tributa, ſingulis annis in domum Dei magni, quæ eſt in Jeruſalem, præter Sidonios cives:

9. Nam hi deferant ad illam juxta ſtatutum tributi eorum, viginti millia vibarum tritici, & quingentas quinquaginta vibas ſingulis annis.

10. Præcipio quoque reſtitui Laodiceam, & ditiones ejus, ac omnia quæ erant in manu regum Judæ uſque ad ripam Euphratis, cum iis omnibus, quæ expugnaverant Haſmonæi à tranſitu Jordanis, Hyrcano filio Alexandri regis Judæ.

11. Nam omnia hæc expugnaverant patres ejus gladio ſuo, at injuſtè alienaverat ea Pompeius tempore Ariſtobuli: quæ ex nunc, & impoſterum Hyrcano ſunto, atque ſuccedentibus regibus Judæ.

12. Fœdus autem hoc meum eſt pro me, ac omni rege de regibus Romanorum poſt me:

13. Quicumque ergo diſſolverit illud, aut diſſolverit quicquam illius, perdat illum Deus gladio, & deſeratur domus ejus, & provincia, atque excidatur.

14. Cùm autem legeritis epiſtolam hanc meam, deſcribite eam inciſis characteribus in tabulis æneis linguâ Romanorum, & characteribus eorum, & linguâ Græcorum, & characteribus eorum:

15. Et ponite tabulas in locis editis Templorum, quæ ſunt Tyri & Sidoni, ut videre eas queat unuſquiſque atque intelligat quæ conſtituit Hyrcano, & Judæis.

CAPUT XLV.

1. ERant cum Cæſare duo viri de amicis Pompeii quorum unus dicebatur Caſſius, alter verò Brutus: qui moliti ſunt occidere Cæſarem.

2. Quare ſeſe abſconderunt in Templo, quod ſibi

Digitized by Google

Romæ dicaverat ad orandum. Ad quod ergo cùm perveniſſet ſecurus, tutus, ac minimè ſibi cavens, irruerunt in eum, atque occiderunt.

3. Et potitus eſt Caſſius regno, coëgitque exercitum magnum, & transfretavit mare, timens Cæſareanos, ſi Romæ degiſſet.

4. Et profectus eſt in terram Aſiæ, & vaſtavit eam: inde perrexit in regionem Judæ: & voluit Antipater oppugnare illum, at videns impares ſibi eſſe vires, pacem cum illo inivit. Et mulctavit Caſſius regionem Judæ ſeptingentis auri talentis,

5. Et ſeſe obſtrinxit Antipater fidejuſſor pro pecunia, præcepitque Herodi filio ſuo eam cogere de regione Judæ, & deferre Caſſio,

6. Qui eam accipiens profectus eſt in regionem Macedonum, ibique moratus timens Romanos.

CAPUT XLVI.

1. JAm Inietant principes Judæ conſilium, ut occiderent Antiparrum, eaque de cauſa immiſerant in illum clanculò virum, qui dicebatur Malchia.

2. Intentavitque id Malchia, ſed in longum protractum eſt; percrebuitque fama uſque ad Antipatrum, qui expetivit Malchiam, ut illum interficeret:

3. At ſeſe purgavit Malchia apud Antipatrum de iis, quæ de ſe ad illum delata erant, juravitque ei, inanem eſſe famam: cui credidit Antipater remotâ à ſe ſuſpectione.

4. At Malchia plurimâ oblatâ pecuniâ pincernæ Hyrcani, ſtatuit cum illo venenum præbere Antipatro dum adeſſet in triclinio potus, præſente rege.

5. Et præſtitit id pincerna, mortuuſque eſt rex Antipater eâ eâdem die: nec id fuit ex Hyrcani conſilio, aut ſcientiâ.

6. Mortuo autem Antipatro, ſubſtituit Hyrcanus Malchiam in locum ejus.

CAPUT XLVII.

1. CUm itaque certior factus eſſet Herodes filius Antipatri, Malchiam occidiſſe patrem ſuum, deliberavit irruere in Malchiam, prohibuitque eum frater ejus, conſulens, ut aſtu interficeretur,

2. Adivitque Herodes Caſſium, & indicavit ei quod fecerat Malchia, cui ait: Cum profectus fuero Tyrum, & fuerit apud me Hyrcanus, & cum eo Malchia, irrue in illum, & occide.

3. Cùm ergo profectus eſſet Caſſius Tyrum, & perrexiſſet ad illum Hyrcanus habens ſecum Malchiam, atque adſtitiſſent ſimul coram Caſſio in convivio quodam, ad quod eos invitaverat Caſſius, cum omnibus amicis ſuis:

4. (Jam autem mandaverat Caſſius pueris ſuis præſtare quicquid præcepturus erat eis Herodes) adfuit quoque Herodes cum fratre ſuo inter ſodales Hyrcani, & convenit Herodes cum quibuſdam pueris de occidendo Malchiâ, dato ſigno, oculorum nutu.

5. Cùm ergo comediſſet Hyrcanus, atque bibiſſet cum amicis, dormierunt tempore meridiano: quibus expergefactis à ſomno, juſſit Hyrcanus cuidam ſternere ſibi ſtratum ſub dio ante januam triclinii in quo dormierant: & ſedit ipſe, præcepitque ſedere ſecum Malchiam, ſedere quoque fecit Herodem, & fratrem illius,

6. Adſtiteruntque pueri Caſſii Hyrcano, quibus innuit Herodes contra Malchiam, qui irruentes in illum ſtatim occiderunt: & timuit Hyrcanus valde & in ſincopem incidit.

7. Cùm autem diſceſſiſſent pueri Caſſii, & ſublatus eſſet Malchia cæſus, rediit ad ſe Hyrcanus, ſciſcitatuſque eſt ab Herode cauſam necis Malchiæ.

8. Reſpondit autem Herodes; Penitus ignoro, nec ſcio rei cauſam, & tacuit Hyrcanus, nec quicquam de hoc iteravit.

9. Et profectus eſt Caſſius in Macedoniam obviam Octaviano filio fratris Cæſaris, & Antonio duci militiæ ejus: egreſſi enim erant Româ cum exercitu magno inquirentes Caſſium.

CAPUT XLVIII.

1. CUm profectus eſſet Octavianus in Macedoniam, obviam exivit ei Caſſius, & conflixit cum eo, fugatuſque eſt Caſſius, quem perſequens Octavianus devicit, atque occidit:

2. Regnoque potitus eſt Octavianus loco patrui ſui Cæſaris, & nuncupatus eſt quoque Cæſar nomine patrui.

3. Innoteſcente itaque Hyrcano cæde Caſſii, miſit legatos cum muneribus, opibus, ac gemmis Auguſto, & Antonio; ſcripſitque ei, rogans de renovatione fœderis, quod cum Cæſare habebat,

4. Et ut præciperet dimitti omnes, qui ſunt in regno ejus captivi de Juda, & qui captivi ducti fuerant in diebus Caſſii,

5. Et ut permitteret omnibus Judæis, qui ſunt in regione Græcorum, & terra Aſiæ, reverti in regionem Judæ, nullo requiſito prætio, aut redemtione, vel obice à quoquam inferendo.

6. Pervenientibus itaque cum epiſtola, & muneribus, Hyrcani legatis ad Auguſtum, legatos honoravit, & ſuſcepit munera. acquievitque omnibus, quæ petierat Hyrcanus, ſcribens ei epiſtolam, cujus hoc eſt exemplar.

7. Ab Auguſto rege regum, & Antonio collegâ ejus, Hyrcano regi Judæ, ſalus tibi. Jam pervenit epiſtola tua, quâ gaviſi ſumus, & miſimus ea, quæ optabas de renovatione fœderis, & ſcripturæ, ad univerſas provincias noſtras, quæ ſunt à regione Indiarum uſque ad oceanum mare occiduum.

8. Quod autem nobis in mora fuit, quin citiùs ſcriberemus ad te de renovatione fœderis, extitit noſtra occupatio in expugnando Caſſio fornicatio tyranno, qui impiè agens in lumen urbis tentatum Cæſarem, occidit illum.

9. Unde totis viribus conflixìmus contra eum, donec victores nos reddidit Deus optimus maximus, & incidere illum fecit in manus noſtras, quem occidimus,

10. Occidimus quoque Brutum collegam ejus, & exemimus regionem Aſiæ de manu ejus, poſtquam vaſtaverat illam, & incolas exterminaverat.

11. Nec ſtetit fœderi ulli, nec Templum ullum honoravit, nec jus reddidit oppreſſo, nec miſeratus eſt Judæo, vel cuipiam de ſubditis noſtris:

12. Sed multa impiè egit cum ſuis mala cunctis per oppreſſionem, & tyrannidem, quamobrem convertit Deus malitiam eorum ſuper eos, tradens illum cum confœderatis.

13. Gaude ergo nunc, ô rex Hyrcane, & cæteri Judæi, & incolæ regionis ſanctæ, ac Sacerdotes, qui ſunt in Templo Jeruſalem: ſuſcipiantque munus: quod miſimus ad Templum glorioſiſſimum, & orent pro Auguſto ſemper.

14. Scripſimus præterea omnibus noſtris provinciis, ne remaneat in ulla earum quiſpiam de Judæis, ſervus ſit ille, vel ancilla, ſed dimittantur omnes ſine pretio & ſine redemtione:

15. Et ne impediatur à quopiam rediens in regionem Judæ, & hoc ex mandato Auguſti, & Antonii quoque ejus collegæ.

16. Ad hæc ſcripſit amicis ſuis, qui ſunt Tyri, & Sidoni, aliiſque locis; reſtitui quicquid abſtulerant à regione Judæ in diebus Caſſii fornicarii.

17. Et tractare Judæos pacificè, nec in quoquam illis opponi, ac facere illis quicquid decreverat Cæſar in ſuo fœdere cum ipſis.

18. Antonius verò moratus eſt in regione Syriæ, ad quem profecta eſt Cleopatra regina Ægypti, quam in uxorem duxit. Erat autem ſapiens, artium magicarum, & proprietatum perita:

19. Quare allexit eum, & corde ejus adeo potita eſt, ut nihil ei omnino inficiari poſſe.

20. Profecti ſunt eò eodem tempore centum viri de principibus Judæorum ad Antonium, & conqueſti ſunt de Herode, & fratre ejus Phaſelo, filiis Antipatri, dicentes: Jam potiti ſunt omnium rerum

Digitized by Google

Hyrcani, nec remanet ei quicquam de regno niſi nomen,

21. Et hujus rei occultu index eſt captivitatis Domini eorum.

22. Cùm autem ſciſcitatus eſſet Antonius ab Hyrcano veritatem eorum, quæ meminerant illi, mendaces declaravit eos Hyrcanus, removens ab Herode, & fratre ejus quod eis tribuerant:

23. Et lætatus eſt his Antonius: propenſus quippe erat in eos, atque eos diligebat. Conqueſti prætereà ſunt apud eum alii de Herode, & fratre ejus alio tempore, cùm eſſet Tyri,

24. Quorum non ſolum non admiſit verba, ſed occidit quoſdam, reliquos verò in carcerem detruſit: exaltavitque dignitatem Herodis, & fratris ejus, ipſis beneficiens, remiſitque in Jeruſalem magno cum honore.

25. Antonius verò pergens in Perſarum regionem debellavit eos, atque devicit, & Romam reverſus eſt.

CAPUT XLIX.

1. CUm factus eſſet Auguſtus, & Antonius Romæ, abiit Antigonus ad regem Perſarum, & promiſit ei mille talenta auri ſignata, & octingentas puellas de virginibus filiarum Judæ, & principum eorum, ſpecioſas, atque ſapientes,

2. Si mitteret cum eo ducem ducentem exercitum magnum in Jeruſalem, & præciperet ei, ut illum conſtitueret regem ſuper Judam, & Hyrcanum patruum ejus caperet, & occideret Herodem, ac fratrem illius.

3. Cui acquieſcens, miſit cum eo ducem cum exercitu magno, profectique ſunt donec venerunt in terram Syriæ, & occiderunt amicum Antonii, & aliquos de viris Romanorum, qui ibi divertebant.

4. Inde profecti ſunt in civitatem ſanctam ſimulantes ſecuritatem, & pacem, & quod Antigonus veniſſet tantum, ut oraret in ſanctuario, & rediret ad ſuos.

5. Et ingreſſi ſunt civitatem, in qua cùm facti eſſent, deceperunt, cœperuntque occidere homines, & depopulari civitatem, juxta quod mandaverat eis rex Perſarum.

6. Et accurrit Herodes, & viri ejus ad cuſtodiendum palatium Hyrcani: fratrem verò ſuum miſit, præcepitque cuſtodire viam, quæ ducit à mœnibus ad palatium.

7. Cùm autem occupaviſſet utrumque locum, elegit quoſdam de ſuis, & contendit ad viros Perſarum qui erant in civitate, quem inſecutus eſt frater illius cum aliquo numero ſuorum, & occiderunt majorem partem eorum, qui erant in civitate ex Perſis: cæteri verò extra urbem refugerunt.

8. Cùmque vidiſſet dux Perſarum ſibi ex ſententia non ſucceſſiſſe, deſtinavit legatos ad Herodem, & fratrem ejus de pace ineunda, ſignificans eis: Jam ea ſibi conſtitiſſe de eorum virtute, & fortitudine, ut præferantur Antigono:

9. Eâque de cauſa ſe perſuaſurum ſuis auxiliari Hyrcano potius, & ipſis, quam Antigono: ſuumque votum maximis confirmavit juramentis; ita, ut fidem adhibuerint ei Hyrcanus & Phaſelus, non quidem Herodes.

10. Egreſſi itaque Hyrcanus, & Phaſelus frater Herodis ad ducem Perſarum, ſignificarunt ei ſuam in ipſum fiduciam: qui conſuluit ei collegam ſuum adire, qui Damaſci morabatur, & profecti ſunt.

11 Qui cùm ad illum perveniſſent, honoravit eos, oſtentavitque ſe magni illos facere, atque comiter habuit, etſi clam juſſerat, ut caperentur.

12. Ad quos venientes quidam de magnatibus terræ idipſum indicaverunt, conſulentes fugam arripere, ſuam pollicitantes opem pro liberatione.

13. At iſtis confiſi non ſunt, timentes ne eſſet machinamentum aliquod in ſe, propterea morati ſunt. Cùmque nox ingrueret capti fuerunt; Phaſelus quidem manus ſibi conſcivit:

14. Hyrcanus verò catenis fuit devinctus, & præcipiente duce regis Perſarum, amputata eſt ipſius auris, ne eſſet umquam Sacerdos, miſitque in Herak ad Perſarum regem, cujus adventantis vincula ſolvi juſſit, & benefecit illi,

15. Moratuſque eſt in Herak, cumulatus honoribus, donec requiſivit illum Herodes à rege Perſarum: ad quem remiſſo acciderunt ea, quæ acciderunt. Poſt hæc profectus eſt dux cum Antigono in civitatem ſanctam:

16. Et perlata ſunt ad Herodem, quæ circa Hyrcanum, & Phaſelum geſta ſunt; quamobrem ſumtâ Cypri matre ejus, & uxore Mariamâ filiâ Ariſtobuli, & ejus matre Alexandrâ, miſit eas cum equis, & multis impedimentis ad Joſephum fratrem in montem Sarah:

17. Ipſe verò cum exercitu mille virorum lentiùs proficiſcebatur, & præſtolabatur eos, qui ex Perſis illum inſequi tentarent.

18. Et perſecutus eſt eum dux Perſarum cum exercitu ſuo, quos oppugnans Herodes ſuperavit, atque profligavit: poſt hæc perſecuti ſunt quoque eum viri Antigoni, & oppugnarunt eum acerrimè, quos percuſſit, occiditque ex illis multitudinem plurimam.

19. Tum profectus eſt in montes Sarah: invenitque fratrem ſuum Joſephum, quem familias in toto loco munire, & ea parare omnia, quæ illis neceſſaria erant, juſſit:

20. Tradiditque eis copioſam pecuniam, ut ſibi alimenta comparare poſſent, ſi res poſtularet.

21. Et relictis viris ſuis cum Joſepho fratre, proceſſit ipſe cum paucis comitibus in Ægyptum, ut conſcenſo mari pergeret in regionem Romanorum.

22. Quem comiter ſuſcepit Cleopatra, rogavitque capeſcere Principatum ſuæ militiæ, atque adminiſtrationem omnium rerum ſuarum: cui notificavit omnino Romam ſibi proficiſcendum eſſe.

23. Quæ tradidit ei pecuniam, & naves: profectuſque eſt donec pervenit Romam: & divertit apud Antonium, narravitque ei quod fecerat Antigonus, & quæ egerat contra Hyrcanum, & fratrem ſuum ope regis Perſarum:

24. Et unâ equitavit Antonius ad Auguſtum, & ad Senatum, & idipſum illis narravit.

CAPUT L.

1. PErcipiens Auguſtus, & Senatus, quæ fecerat Antigonus, unanimi conſenſu conſtituerunt Herodem regem ſuper Judæos, mandantes poni capiti ejus diadema aureum, & equum conſcendere, atque præeuntibus buccinis acclamari: regnavit Herodes ſuper Judæos, & Jeruſalem civitatem ſanctam: quod quidem factum eſt.

2. Et revertens ad Auguſtum, equitavit Auguſtus, Antonius, & Herodes, profectique ſunt in domum Antonii, qui invitaverat Senatum, & univerſos Romanos principes ad convivium, quod paraverat Antonius.

3. Qui comederunt, & biberunt, atque gaviſi ſunt in Herode gaudio magno, ferientes cum illo fœdus inciſum in tabulis æreis, & collocatum eſt in templis.

4. Et inſcripſerunt diem illum primum regni Herodis; & factus eſt exinde in æram, ex qua tempora notantur.

5. His geſtis perrexerunt Antonius & Herodes per mare cum exercitu magno, atque copioſo; qui pervenientes Antiochiam, exercitum diviſerunt, cujus ſumtam partem duxit Antonius in regionem Perſarum, quæ eſt Herak, & ejus adjacentia:

6. Herodes verò, aliâ ſumtâ parte perrexit donec pervenit Ptolemaïdem. Audiens itaque Antigonus, Antonium expeditionem feciſſe in regionem Perſarum, & Herodem adventaſſe Ptolemaïdem; profectus eſt è domo ſancta in montem Sarah ad capiendum Joſephum fratrem Herodis, & eos, qui cum illo erant.

7. Quos impetivit, atque obſedit, & interrupto canali, aquas ad illos decurrentes intercepit: quare inva-

Digitized by Google

fuit ſitis, & in anguſtiam res eorum redactæ ſunt. Quamobrem Joſephus decrevit fugere, & familiæ ſeſe Antigono dedere, ſi Joſephus fugiſſet, deliberaverant.

8. At immiſit illis Deus copioſam pluviam, quæ implevit univerſas ciſternas, & vaſa eorum: quare corroborata ſunt corda eorum, & directus eſt ſtatus, perſtititque Joſephus protelare Antigonum, & ſuos ab arce, nec obtinere potuerunt de illo quicquam.

9. Herodes verò perrexit in regionem Sarah ad reducendum fratrem ſuum, & familias, ac viros, qui cum illo erant, in Jeruſalem.

10. Et invenit Antigonum obſidentem fratrem ſuum, in quem improviſò irruit, egreſſuſque eſt ad eos Joſephus, & qui cum illo erant, & periit major pars exercitûs Antigoni, & refugit in Jeruſalem.

11. Quem perſecutus eſt Herodes cum exercitu magno ex Judæis, qui ad illum convenerant undique, cùm perceperint ipſum rediiſſe, & auctus eſt auxilius, ut minus indigeret exercito Romanorum.

12. Cùm ergo perveniſſet Herodes in civitatem ſanctam, occluſit Antigonus portas ejus in faciem ipſius, & pugnavit contra eum, miſitque ad principes exercitûs Romanorum pecuniam copioſam, rogans eos ne opem ferrent Herodi: qui præſtiterunt.

13. Quamobrem diu bellum duravit inter Antigonum, & Herodem, nemine eorum ſocio prævalente.

CAPUT LI.

1. JAm fures, & alienis rebus inhiantes multiplicati erant in diebus Antigoni, ſeſe recipientes in ſpeluncas quaſdam in montibus ſitas, nullo dato acceſſu, niſi uni viro per loca quædam ab ipſis coaptata, illiſque ſolis nota:

2. Etſi verò alii ea cognoviſſent, conſcendere in ſpeluncam non poterant, eò quod ad oſtium præſtò erat, qui vel minimâ re conſcendentem expellere facilè poterat.

3. Et jam quidam eorum ſibi paraverant ea in ſpelunca arma multa, alimenta, atque potum, & ea omnia, quibus indigebant, cum omnibus iis, quibus graſſando obvios ſpoliabant, quæque per fas, & nefas capiebant.

4. Cùm ergo intellexiſſet Herodes res eorum, atque cognovit rem iſtorum in longiùs protrahi, & quod ſcalis illuc aſcendere non daretur, neque ſcandere omnino.

5. Uſus eſt arcis ligneis magnis coaptatis, atque compactis, complevitque eas viris, (additis eſcis, & aquâ,) haſtas falcatas, ac prolongas geſtantibus;

6. Juſſitque dimitti arcas illas è vertice montium, in quorum medio ſpeluncæ illæ erant, donec opponerentur oſtiis earum: quibus cùm oppoſitæ fuerint pugnare contra eos cominus gladiis, & eminus attrahere haſtis illis, & factæ ſunt arcæ, atque viris completæ.

7. Cùmque dimiſſæ eſſent quædam earum, & oppoſitæ eſſent oſtiis illarum ſpeluncarum, nullâ innoteſcente famâ degentibus ibi,

8. Irruit quidam virorum, qui erant in arca in ſpeluncam, ſequentibus ſociis, & interfecerunt latrones; qui in ea erant cum aſſeclis, & deturbarunt in ſubjectas valles: æmulantibus hos cunctis, quos miſerat Herodes in arcis.

9. Eòque elatuit in hoc iſtorum magnanimitas, fortitudo, atque audacia, ut par nunquam viſa fuerit:

10. Et exterminarunt cunctos latrones ab omnibus locis illis.

CAPUT LII.

1. TUm Antonius, poſt relictum Herodem, Antiochiâ profectus eſt in regionem Perſarum, & pugnavit cum Perſarum rege, ſuperavit, interfecit, & obtinuit illum: & reductis ad Romanorum obedientiam Perſis, divertit ad Euphratem.

2. Et nuntiatâ Herodi famâ ejus, profectus eſt gratulaturus ei de relata victoria, atque rogaturus, ut ſecum veniret in regionem ſanctam.

3. Et invenit turbam plurimam collectam, cupientem adire Antonium, cui ſeſe oppoſuerant plures turmæ Arabum, eam adire Antonium impedientes.

4. Profectuſque eſt Herodes ad Arabes, & occidit eos, aperiens viam cunctis, qui Antonium adire vellent. Et nuntiatum eſt hoc Antonio, antequam adventaret Herodes:

5. Quâ de causâ miſit illi diadema aureum, & plurimos equos. Pervenientem autem Herodem comiter excepit Antonius, collaudans eum pro geſtis contra Arabes:

6. Adjunxitque ei ſocium ducem militiæ ſuæ cum exercitu magno, præcipiens ei abire cum ipſo ad civitatem domûs ſanctæ: tradens inſuper ei epiſtolas ad cunctam regionem Syriæ, quæ eſt à Damaſco uſque ad Euphratem, & ab Euphrate uſque ad regionem Armeniæ,

7. Dicens eis: Auguſtus rex regum, & Antonius collega ejus, ac Senatus Romanus, jam conſtituerunt in regem Herodem ſuper Judæos, ipſique præcipiunt vobis ducere cum Herode univerſus viros veſtros fortes, opem illi ferentes:

8. Si ergo contrarium feceritis, nobiſcum vobis bellandum erit. Deinde profectus eſt Antonius in oram maritimam, & inde in Ægyptum; Herodes verò, & Soſius, unà cum exercitu ducebant exercitum Syriæ.

9. Cùm autem appropinquaſſet Herodes Damaſcum, cognovit Joſephum fratrem ſuum egreſſum fuiſſe è domo ſancta cum exercitu Romanorum ad obſidendam Jericho, & ſegetes ejus metendas:

10. Ad quos egreſſus Pappus dux militiæ Antigoni, occidit ex illis circiter triginta millia, interfecto & Joſepho fratre Herodis, & oblatum caput Antigono emit frater ejus Pheroras quingentis talentis, & ſepelivit in ſepulchro patrum ſuorum:

11. Et quod inſuper Antigonus, & Pappus ſe pererent cum exercitu magno. Quod cùm conſtitiſſet Herodi, decrevit expeditionem facere in Antigonum, & improviſò opprimere:

12. Et convenit cum Soſio, ut acceptis ex Romanis duodecim millibus virorum, & viginti millibus de Judæis, contenderet ad Antigonum, ille verò cum reliquo exercitu lentiùs veſtigia ſequeretur.

13. Profectuſque eſt Herodes cum collectis viris, & occurrit Antigono in monte Galilææ, & præliati ſunt contra eum à meridie uſque ad noctem.

14. Tum diviſus eſt exercitus, & obnoctavit Herodes cum quibuſdam de ſuis in domo quadam, & corruit domus ſuper eos, at evaſerunt omnes de ruina nemine mortuo, nec oſſe cuiquam fracto.

15. Mox properavit Herodes ad pugnandum contra Antigonum, interceſſitque inter eos pugna maxima, & fugit Antigonus in domum ſanctam, reſiſtente fortiter Pappo, & ſuſtentatore pugnam, erat quippe magnanimus, & fortiſſimus.

16. Ceciditque eâ die major pars exercitus Antigoni, cæſus quoque eſt Pappus, cujus caput amputavit Pheroras, & Herodi detulerunt, quod ſepeliri juſſit.

17. Cum ergo nulli, niſi aut captivi, aut palantes remanſiſſent ex Antigoni exercitu, præcepit ſuis Herodes, ut quietem caperent, & comederent, atque biberent.

18. Ipſe verò adivit balneum quoddam, quod erat in proximo oppido, inermiſque ingreſſus eſt balneum. Jam verò latuerant in balneo tres viri ſtrenui, ac fortes, habentes in manibus ſtrictos gladios:

19. Qui cum ingredientem balneum, atque inermem vidiſſent, feſtinarunt egredi unus poſt alium, veriti illum, & ſic evaſit.

20. His peractis adventavit Soſius, ſimulque perrexerunt ad civitatem domûs ſanctæ quam circumvallentes, interceſſerunt bella plurima inter eos, & Antigonum:

21. Cæſique ſunt de Soſii viris quamplurimi, ſupe-

rante

ſante pluries Antigono, at eos profligare non potuit ob conſtantiam, & tolerantiam in eo ſuſtinendo.

22. Tum prævaluit Herodes contra Antigonum, fugitque Antigonus, & ingreſſus civitatem, portas clauſit, quem diu obſedit Herodes.

23. Quadam autem nocte obdormierunt quidam cuſtodes muri: quod cognoſcentes quidam Herodiani viri, accurrerunt viginti ex illis, & accipientes ſcalas, muro applicuerunt, & ſcandentes occiderunt cuſtodes.

24. Herodes verò feſtinavit cum viris ſuis ad portam civitatis, quæ è regione ipſorum erat, & ruſi ingentes ingreſſi ſunt civitatem. Quam capientes Romani infligebant cladem civibus; quod ægrè ferens Herodes, ait Soſio:

25. Si conſumſeris populum meum, ſuper quem me conſtitues regem? & mandavit Soſius proclamari, ut ſiſteret gladius: nec cecidit quiſquam poſt proclamationem.

26. Duces autem Soſii prædæ inhiantes ad domum Dei depopulandam accurrerunt: at Herodes ſtans ad portam ſtrictum habens in manu gladium, prohibuit eos; miſitque ad Soſium, ut compeſceret ſuos, promiſſâ pecuniâ.

27. Et proclamari mandavit Soſius ad ſuos, ut ſe continerent à direptione, & ſeſe continuerunt. Et quæſitum Antigonum invenerunt, & captus eſt Antigonus. Poſt hæc ſe recepit Soſius in Ægyptum ad Antonium collegam, ſecum ducens Antigonum catenis devinctum.

28. Herodes verò miſit Antonio munus maximum, atque pulchrum, rogans, ut interimeret Antigonum: & interemit illum Antonius: fuit autem hoc anno tertio regni Herodis; qui item eſt annus tertius Antigoni.

CAPUT LIII.

1. COgnitâ Herodes cæde Antigoni, tutus habebatur, quin quiſpiam ea familiâ Haſmonæi regis cum illo contenderet:

2. Quare operam dedit exaltandi dignitates, benefaciendi, ac præponendi eos, qui in eum propenſi erant, atque obſequebantur.

3. Operam quoque navavit eos interficiendi unà cum familiis, & expilandi pecora, & ſupellectilia eorum, qui obſtiterant ei, auxilia contra illum præbentes.

4. Et oppreſſit homines accipiens eorum facultates, & ſpolians univerſos, qui obedientiam Judæorum excuſſerant, & interfecit ſibi obſiſtentes, & bona eorum diripuit.

5. Convenit quoque cum omnibus ei obſequentibus, ut pecuniam illi deferrent. Poſuit quoque ad portas civitatis domûs ſanctæ cuſtodes, qui ſcrutarentur egredientes, & acciperent quicquid auri vel argenti cum aliquo invenerint, & ad illum deferrent:

6. Præcepit quoque ſcrutari feretra mortuorum, & accipi quicquid pecuniarum aſtu quis efferre conaretur.

7. Et congeſſit quantum nullus regum ex regibus domûs ſecundæ congeſſerat.

CAPUT LIV.

1. MOrabatur Hyrcanus, poſtquam dimiſerat illum rex Perſarum in Herakin, honeſtiſſimo ſtatu, & abſolutiſſimo honore: quamobrem timuit Herodes, ne res aliqua induceret Perſarum regem, ut illum in regem conſtitutum mitteret in regionem Judæ.

2. Quare animum ſuum quietum reddere volens, machinatus eſt pro hac re, miſitque ad regem Perſarum maximum munus, & epiſtolam, in qua meminit Hyrcani in ſe merita, & beneficia, & quomodo profectus eſt Romam causâ eorum, quæ illi intulerat Antigonus filius fratris illius,

3. Et quod regno potitus, & rebus directis vellet rependere illi pro beneficiis collatis, ut par ipſi erat.

4. Miſit itaque rex Perſarum legatum ad Hyrcanum dicens: ſi vis reverti in regionem Judæ, revertere; ſed moneo, ut caveas ab Herode, & notum tibi facio, illum nequaquam te requirere, ut bene tibi faciat,

5. Verùm intendit tutum ſeſe reddere, cùm nullus remaneat, quem timeat præter te; quare cave ab illo diligentiſſimè, & ne decipiaris.

6. Convenerunt quoque ad illum Judæi Babylonis, & dixerunt ei ſimilia his. Rurſum aiunt illi; utique vir ſe ex es, nec aptus ad fungendum Sacerdotio propter maculam, quâ te affecit filius fratris tui.

7. Herodes verò vir malus eſt, & ſanguinis effuſor: nec te revocat, niſi quia ſibi timet à te: nec indiges apud nos re aliqua, ut ſis, & es apud nos, ut par eſt.

8. Familia verò tua ibi in optimo eſt ſtatu; quare mane apud nos, nec auxilio ſis inimico tuo adverſus teipſum.

9. At non acquievit Hyrcanus verbis eorum, neque auſcultavit admonitiones bene admonentis. Et profectus eſt donec pervenit in civitatem ſanctam ob maximum deſiderium, quo affectus erat erga domum Dei, familiam, & patriam.

10 Cùmque propè acceſſiſſet ad urbem, occurrit ei Herodes eo exhibito honore, & magnificentiâ, ut deciperetur Hyrcanus, & ſe ei conſideret.

11. Vocabatque illum Herodes in conſiſtorio ſuo, & coram ſuis, Patrem: nec tamen machinamenta corde ſtruere deſiſtebat, dummodo illi imputari non poſſent.

12. Quare adeunt Alexandra, & Mariama filia ejus Hyrcanum, incutientes illi timorem Herodis, & perſuadentes, ut ſibi caveat: at neque acquievit illis, neque fidem adhibuit, etſi iterum atque iterum hoc illi repeterent, conſulentes ei fugam arripere ad aliquem regem ex regibus Arabum:

13 His tamen omnibus non acquieſcebat, donec compellentes adegerunt illum repetitis admonitionibus, & terroribus.

14. Scripſit ergo tunc regi illi Arabi epiſtolam, & accito viro quodam (cujus Herodes interfecerat fratrem, & bona proſcripſerat, multiſque affecerat malis.).

15 Indicavit ſe velle aperire ei arcanum quoddam, adjurans ne indicaret illud cuiquam, & data ipſi pecuniâ, & epiſtolâ ad regem Arabum, ſignificavit ei quid in epiſtolâ peteba.

16. Acceptâ itaque epiſtolâ, ratus eſt legatus ſe magnum obtenturum apud Herodem locum, remotumque à ſe malum, quod ab illo ſemper timebat, ſi rem detuliſſet,

17. Et id tutius ſibi fore occultatione ſecreti Hyrcani: cum nec tutus eſſet quin res Herodi aliquando pateret, & ſui exterminii cauſa eſſet.

18. Detulit ergo epiſtolam Herodi, & rem totam aperuit, cui ait Herodes, Fer epiſtolam, uti eſt, ad regem Arabum, & refer mihi reſponſum, ut ſciam illud: indica quoque mihi locum virorum, quos mittet rex Arabum, ut abeat cum illis Hyrcanus.

19. Profectus eſt autem nuntius, & obtulit epiſtolam Hyrcani regi Arabum, qui lætatus eſt, miſitque viros ex ſuis mandans abire ad locum quemdam propè civitatem ſanctam, & ibi morari, donec adventaret ad illos Hyrcanus: & adventantem Hyrcanum comitarentur donec ad ſe perducerent: ſcripſitque ad Hyrcanum reſponſum litterarum ejus, & miſit cum nuntio.

20. Profecti itaque viri cum nuntio ad locum ſtatutum, ibique morati ſunt: nuntius verò attulit epiſtolam Herodi, qui intellexit tenorem illius; indicavit inſuper locum virorum,

21. Ad quos miſit, qui eos comprehenderent. Poſt hæc, accitis de ſenioribus Judæorum ſeptuaginta ſenibus, accito & Hyrcano, qui cùm adeſſet, ait illi;

22. Num inter te, & regem Arabum mutua eſt conſcriptio? Et ait Hyrcanus, non. Cui dixit: num miſiſti, ut ad illum confugeres? Et ait, non.

23. Et præcepit Herodes in medium adeſſe nuntium

Digitized by Google

ejus, & Arabes, & equos, protulit quoque reſponſum epiſtolæ ejus, & lectum eſt.

24. Tum præcepit percuti collum Hyrcani, & percuſſum eſt collum ejus, nec auſus eſt quiſquam alloqui pro eo.

25. Jam verò liberaverat Hyrcanus Herodem à cæde meritò illi decretâ in conſiſtorio judicii, præcipiens conſiſtorium differri in craſtinum, dimittens Herodem noctu.

26. Hinc deſtinatus eſt, ut illum interficeret, beneficiorum ejus erga ſe, & patrem ſuum immemor.

27. Interfectus eſt autem Hyrcanus cùm eſſet octogenarius, & regnavit quadraginta annis: nec fuit quiſpiam de regibus Haſmonæorum laudabilioris viæ, nec eo honeſtioris vitæ.

CAPUT LV.

1. ERat Ariſtobulus filius Hyrcani, ejus ſpeciei pulchritudinis, & perfectæ habitudinis, & intellectûs, cui par ſanè non habebatur:

2. Erat quoque Mariama ſoror ejus uxor Herodis, ſimilis in pulchritudine, erga quam propenſus erat Herodes mirum in modum.

3. Abhorrebat autem Herodes conſtituere Ariſtobulum in Sacerdotem magnum loco Hyrcani patris ejus, ne propenſi in eum Judæi ob amorem patris conſtituerent aliquando in regem.

4. Quare conſtituit quemdam de turba Sacerdotem, qui non erat de familia Haſmonæorum, in Sacerdotem.

5. Quod perquam ægrè ferens Alexandra mater Ariſtobuli, ſcripſit Cleopatræ, rogans obtinere literas ab Antonio ad Herodem, ut amoto Sacerdote, quem erexerat, conſtitueret Ariſtobulum filium ſuum in Sacerdotem magnum pro eo.

6. Et præſtitit Cleopatra, rogavitque Antonium, ut literas daret de hac re ad Herodem, & mitteret cum aliquo præcipuo ſervorum. Scripſit itaque Antonius litteras, mittens cum Gellio ſervo ſuo: & veniens Gellius ad Herodem obtulit ei litteras Antonii.

7. At Herodes præſtare abſtinuit quod ſcripſerat Antonius, aſſerens; non eſſe conſuetudinem apud Judæos, deponere Sacerdotem quempiam de gradu ejus.

8. Accidit verò, ut Gellius videret Ariſtobulum, & demiratus eſt pulchritudinem formæ, & perfectionem habitudinis, quas viderat.

9. Quamobrem depinxit effigiem illius ſimilitudinis, & miſit ad Antonium ſubditâ effigiei ſcripturâ, dicens; Haudquaquam homo genuit Ariſtobulum, ſed Angelus congreſſus cum Alexandra illum ex ipſa genuit.

10. Cùm ergo perveniſſet effigies ad Antonium, vehementiſſimo deſiderio conflagravit videndi Ariſtobulum, ſcripſitque ad Herodem epiſtolam, commemorans ei, quomodo conſtituerat illum regem, & adverſùs hoſtes opem tulerat, recenſens ſua erga illum beneficia:

11. Ad hæc addidit petens, ut mitteret ſibi Ariſtobulum, & minatus eſt ei pro hac re repetitis verbis. Cùm autem perlata eſſet epiſtola Antonii ad Herodem recuſavit mittere Ariſtobulum, ſciens quid intendebat Antonius, ac propterea dedignatus eſt; & feſtinanter depoſuit Sacerdotem illum, quem præfecerat, conſtituens Ariſtobulum in locum ejus.

12. Et ſcripſit ad Antonium ſignificans ei, ſe jam executioni mandaſſe, antequam perlata eſſet ejus epiſtola, quod ſcripſerat ſibi ante de ſufficiendo Ariſtobulo loco patris ejus.

13. Quod quidem eò diſtulerat, quia oportuit rem cum aliquibus Sacerdotibus, & Judæis tractare, aliquo dierum intervallo, cùm eſſet res præter conſuetudinem: at ſe ſibi ex ſententia ſuccedente, ſtatim præfecit illum.

14. Nec fas eſſe ipſi jam ſuffecto, egredi de Jeroſolimis, cùm non ſit rex, ſed Sacerdos addictus miniſterio Templi: & quoties vellet illum cogere, ut egrederetur, recuſarent Judæi, nec permitterent illi, & ſi majorem eorum partem interimeret.

15. Perveniente ergo epiſtolâ Herodis ad Antonium, deſtitit petere Ariſtobulum: & factus eſt Ariſtobulus Sacerdos magnus.

16. Tum adfuit ſolennitas tabernaculorum, & congregati homines ad domum Dei viderunt Ariſtobulum veſtibus Sacerdotalibus indutum, ſtantem ad altare, & audierunt eum ſibi benedicentem,

17. Et placuit hominibus adeò, ut mirum in modum in illum ſuam oſtentarent propenſionem.

18. Quod quidem plenè recognoſcens Herodes contriſtatus eſt, & timuit ne rebus Ariſtobuli robur accipientibus, requireret ab illo regnum, ſi in longius protraherentur dies ejus.

19. Quare cædem illius machinari cœpit. Erat autem regibus in more poſitum, egredi poſt ſolennitatem Tabernaculorum ad loca quædam voluptatis in Jericho, quæ fecerant priores reges:

20. Et ſunt horti multiplices ſibi contigui, in quibus erant piſcinæ aquarum latæ, ac profundæ, ad quas conduxerant aquas, & pulchra conſtruxerant ædificia in illis hortis: conſtruxerant præterea in Jericho pulchra palatia & ædificia ſpecioſa.

21. Refert autem auctor libri, arbores balſami copioſæ proveniſſe in Jericho, & nullibi fuiſſe niſi in ea, & reges multos tranſtuliſſe ex illis in ſuam regionem,

22. At nullæ creverunt, niſi quæ in Ægyptum fuerunt tranſlatæ, nec defeciſſe ex Jericho, niſi deſtructâ domo ſecundâ, tunc enim aruerunt, nec germinarunt poſt hac.

23. Egreſſus eſt itaque Herodes ad Jericho voluptatem venans, quem ſecutus eſt Ariſtobulus. Quibus pervenientibus Jericho, mandavit Herodes famulis quibuſdam, ut deſcendentes in piſcinas luderent juxtà morem:

24. Quod ſi verò deſcenderit ad eos Ariſtobulus, ludant cum eo tempus aliquod, tum mergant illum. Sedit autem Herodes in triclinio, quod ſibi conſtituerat ad ſedendum: & accitum Herodes Ariſtobulum, ad latus ſedere fecit:

25. Sederunt quoque, & principes puerorum, & amicorum ejus coram eo, afferrique juſſit cibos, & potum, & comederunt & biberunt, & lætati ſunt,

26. Et properarunt pueri ad aquas ſecundùm morem, & luſerunt. Et peroptavit Ariſtobulus deſcendere cum eis ad aquas, prævalente eis potu; pro qua facultatem petiit ab Herode, cui reſpondit: Hoc neque tibi convenit,, nec decet tui ſimilem:

27. Ultrò verò inſtantem hortabatur, & prohibebat: at cùm iteraſſet illi ſermonem Ariſtobulus, ait illi: fac ut tibi lubet. Inde ſurgens Herodes petit quoddam palatium, ut cubaret ibi.

28. Et deſcendit Ariſtobulus ad aquas, luſitque diu cum pueris: qui cùm cognoviſſent, quod jam laſſus atque defatigatos aſcendere vellet, merſerunt illum, interfecerunt & extulerunt inde mortuum:

29. Invaluitque tumultus hominum, & clamor, atque fletus elatus eſt. Et accurrens Herodes, egreſſus eſt ad videndum quid acciderat: qui cum vidiſſet Ariſtobulum mortuum, miſeratus eſt ejus, & flevit ſuper eum tenerrimè fletu vehementiſſimo.

30. Tum juſſit deportari in civitatem ſanctam, & comitatus eſt eum, donec venit in civitatem, coëgitque homines adeſſe funeri illius, nec quicquam ſummi honoris prætermiſit, quod ei non præſtiterit. Obiit autem cùm eſſet filius ſexdecim annorum, & ſuis pontificatus ejus paucorum dierum.

31. Quamobrem creverunt inimicitiæ inter Alexandram matrem ejus, & filiam ejus Mariama uxorem Herodis, & inter matrem Herodis, & ſororem ejus.

32. Nota autem erant maledicta, & opprobria, quæ Mariama in eas congerebat, quæ quidem, licet ad Herodem pervenirent, non prohibebat eam, neque reprehendebat, præ nimio illius erga eam amore.

33. Timebat inſuper, ne animo conciperet, illum erga eas eſſe propenſum: hinc perduraverunt hæc inter has mulieres.

Digitized by Google

34 Cœpitque ſoror Herodis (maximâ quippe malignitate, & vehementi fraude prædita erat) machinari contra Mariama :

35. Mariama verò religioſa erat, pura, pudica, atque honeſta : verùm tangebatur aliquantulum ſuperbiâ, faſtu, & odio erga maritum.

CAPUT LVI.

1. ERat Cleopatra regina Ægypti uxor Antonii : eoſque adinveniebat ornandi modos, rationeſque fucandi, quibus homines pellicere feminæ aſſolent, quales femina ulla in orbe adinvenit :

2. Ita quidem, ut cùm eſſet mulier ætate provecta, virguncula puella videretur, imo delicatior, & pulchrior.

3. Nactuſque eſt in ea Antonius eos pulchritudinum modos, & rationes voluptates conciliantes, quales minimè nactus fuit in multiplici mulierum numero, quibus fruebatur.

4. Quare adeo poſita eſt corde Antonii, ut nullus ſuperfuerit in eo locus alieni amoris. Induxit ergo illum ad expugnandos reges quoſdam Romanorum ſubditos, privatis ſuadentibus rationibus :

5. Qui morem geſſit ei in his, occidens quoſdam reges ipsâ ſuadente, quoſdam verò ſuperſtites reliquit, eâdem præcipiente, conſtituens eos in famulos, & ſervos illi.

6. Et perlatum eſt id Auguſto, qui ſcripſit ei, deteſtans hæc ac prohibens, ne ſimilia rurſum perpetraret.

7. Indicavitque Antonius Cleopatræ quod ſcripſerat ſibi Auguſtus; quæ deficere ab Auguſto conſilium illi dedit, remque reddidit ei perfacilem.

8. Cujus ſententiæ morem gerens, palam prævaricatus eſt in Auguſtum, coëgitque exercitus, & apparatus, ut pergeret per mare Antiochiam, indeque pergeret per terram ad occurrendum Auguſto, ubicumque caſus ſeſe abtulerit.

9. Accivitque Herodem, ut ſecum proficiſceretur, profectus eſt ad illum Herodes, cum vaſtiſſimo exercito, abſolutoque apparatu.

10. Qui cùm perveniſſet ad illum, ait ei Antonius; recta ratio ſuadet, ut expeditionem faciamus in Arabes, & congrediamur cum illis : nam nequaquam tuti ſumus, quin irrumpant in Judæos, & regionem Ægypti, quoties terga eis verterimus.

11. Et profectus eſt Antonius per mare : Herodes verò expeditionem fecit in Arabes; miſitque Cleopatra ducem nomine Athenionem cum exercitu magno ad opem ferendam Herodi in debellandis Arabibus : mandavitque ei, ut conſtitueret Herodem, & viros ejus in prima belli acie, & ſtatueret cum rege Arabum, ut concludentes ſimul Herodem, & viros ejus exterminarent.

12. Eam autem ad id induxerat cupido obtinendi quod Herodes poſſidebat; Alexandra quoque jampridem rogaverat eam, ut induceret Antonium ad occidendum Herodem : quod quidem præſtiterat; at id perpetrare Antonius renuit.

13. Ad hæc acceſſit quod Cleopatra jam appetiverat Herodem, & concubitum illius popoſcerat aliquando, qui ſeſe continuit, quoniam pudicus erat; & hæ quidem ſunt cauſæ, quæ illam induxerant ad præſtandum hæc.

14. Perveniens ergo Athenio ad Herodem, juxtà mandatum Cleopatræ miſit ad ſtatuendum cum rege Arabum, ut illum concluderet. Occurrentibus autem Herode & ſuis Arabibus, & bellum committentibus, aggreſſus eſt Athenio, & viri ejus Herodem, qui incluſus eſt inter utrumque exercitum, & ingruit pugna contra eum ante & retro.

15. Videns autem Herodes quod acciderat, collegit ſuos, & pugnavit acerrimè donec evaſerunt utrumque exercitum, maximum poſt laborem, & reverſus eſt in domum ſanctam.

16. Et accidit terræ motus magnus in regione Judæ, qualis non accidit à tempore Harbæ regis, quo periit multitudo magna hominum, & animalium.

17. Et perterruit hoc Herodem, ac timorem illi valde incuſſit, fregitque animum illius. Inivit ergo conſilium cum ſenioribus Judæ de concordia ineunda cum omnibus gentibus, quæ in circuitu eorum erant intendens pacem, & tranquillitatem, & remotionem bellorum, ac ſanguinis effuſionis.

18. Miſit itaque legatos de his ad gentes, quæ omnes amplexatæ ſunt pacem, ad quam eas invitaverat, excepto Arabum rege, qui juſſit occidi legatos, quos miſerat ad illum Herodes,

19. Arbitratus namque eſt, Herodem id feciſſe ob deperditos viros ſuos in terræ motu, ac propterea debilitatum, converſum eſſe ad pacem ineundam.

20. Quare decrevit bellum inire cum Herode, coactoque magno, ac copioſiſſimo exercitu, profectus eſt ad eum. Et perlatum eſt id Herodi, & contriſtatus eſt valde duabus de cauſis, una propter necem legatorum ſuorum, quod nullus regum hactenus perpetraverat :

21. Altera quoniam auſus eſt contra illum, concipiens animo illius infirmitatem, & virorum paucitatem.

22. Voluit autem oſtendere rem aliter ſe habere, ut cognoſcerent omnes, ad quos legatos miſerat de ineunda pace, illum id nequaquam præſtitiſſe ob timorem aliquem, aut debilitatem,

23. Sed beneficiorum atque boni deſiderio, ne quiſpiam auderet in Judæos, aut infirmitatem animo verſaret.

24. Voluit præterea vindictam ſumere ſuorum legatorum de rege Arabum; decrevit propterea feſtinanter expeditionem contra illum. Coëgit ergo homines de regione Judæ, & ait illis;

25. Jam ſcitis illatam ab Arabe iſto noſtris legatis cædem, quod nullus regum hactenus perpetravit.

26. Exiſtimat enim nos infirmatos eſſe, atque impotentes effectos, auſuſque eſt nos impetere, omniaque ſua optata de nobis ſe conſecuturum putat : nec deſiſtet quidem nobis bella jugiter inferre.

27. Quare oſtendendum vobis eſt in ardua, ut veſtram palam faciatis fortitudinem, & ſubjugetis hoſtes veſtros, & prædas eorum refe ratis; quamquam res aliquando ſecunda, aliquando verò adverſa ſeſe nobis exhibuerit ſecundum mundi hujus morem, & ſolitas viciſſitudines.

28. Profectò expeditio vobis modo facienda eſt ad ſumendam oppreſſorum iſtorum vindictam, & compeſcendam audaciam eunctorum, qui vos flocci faciunt.

29. Si verò dixeritis; terræ motus hic infirmavit corda noſtra, & multitudinem plurimam ex nobis perdidit : ſcitis profectò, quod nullum ex bellatoribus viris exterminavit, ſed quoſdam alios.

30. Nec à ratione diſtare exiſtimandum nobis eſt, eum perdidiſſe peſſimos gentis, optimos verò ſuperſtites reliquiſſe. Haud dubium quoque eſt, hunc meliora reddidiſſe corda veſtra, & conſcientias veſtras.

31. Partes autem illius, quem exemit Deus à perditione, & ab extermínio liberavit, exigunt ut ei obediat, ſaciatque quod bonum, ac rectum eſt.

32. Et quidem nulla obedientia honoratior aut glorioſior eſt, quam repetere jus oppreſſi ab oppreſſore, & hoſtes Dei, ac Religionis ejus, & gentis debellare, opem ferendo iis, qui obedientiam atque obſequium illi exhibent.

33. Nec vos latet, quid nobis jam accidit cum Arabibus iſtis, quando nos incluſerant cum Athenione, & quomodo Deus optimus maximus opitulatus nobis eſt contra eos, noſque ab eis eripuit.

34. Timete itaque Deum, ſequentes antiquum morem veſtrum, prædeceſſorumque veſtrorum laudabilem morem, & expedite vos contra hoſtem hunc antequam ſeſe expediat contra vos, & prævenite illum antequam vos præveniat : & Deus ſuppeditabit vobis auxilium, & opem contra inimicum veſtrum.

35. Audiâ itaque Herodis oratione, reſponderunt homines, ſe ad expeditionem paratos eſſe, nec remoratoros.

36. Et gratias egit Deo, & illis pro re, præcepitque multa offerri ſacrificia: item exercitum cogi mandavit & coacta eſt multitudo magna de tribu Judæ, & Benjamin.

Digitized by Google

11. Mandat præterea Mariamam vinculis haberi, donec adeſſent ſeptuaginta ſenes, & juſtam proferrent in eam ſententiam.

12. Timuit itaque ſoror Herodis, ne revelaretur quod molita erat, & periret ipſa, liberatâ Mariamâ: & ait illi; rex, ſi diſtuleris necem Mariamæ in craſtinum, nequaquam id aſſequi poteris:

13. Nam quoties innotuerit, quod illam occidere velles, conveniet tota domus patris ejus, & omnes ſervi, ac propinqui eorum, & ſeſe interponent, nec pervenire valebis ad illius necem, niſi magnos poſt furores:

14. Et xit Herodes; facite quod vobis videtur. Et feſtinanter miſit ſoror Herodis qui educeret Mariamam ad locum cædis, agens in illam ancillas ſuas, aliaſque mulieres, ut injuriis eam afficerent, & objicerent omne genus obſcænitatis:

15. At ipſa nulli earum quicquam reſpondit, nec apicem quidem protulit: nec his omnibus mutatus eſt color illius, nec timor ullus apparuit in ea, aut perturbatio, neque inceſſus mutatus eſt, ſed ſolito more proceſſit ad locum, quo ducta eſt ut occideretur,

16. Quæ flexis genibus cervices ultrò extendit: diſceſſitque à mundo, religione atque pudicitiâ inſignis, nullo notata ſcelere, aut crimine injuſta: verùm ſuperbiâ non caruit juxta morem generis ſui.

17. Nec minus in cauſa fuit, Herodis erga illam obſequiorum cultus, ac propenſio, ob venuſtatem formæ, unde nihil erga ſe mutationis ſuſpicabatur.

18. Jam autem genuerat ex illa Herodes duos filios, Alexandrum nempe, & Ariſtobulum, qui degebant, cum occiſa eſt mater eorum, Romæ: illuc quippe miſerat eos, ad ediſcendas Romanorum litteras, & linguam.

19. Poſt hæc pœnituit Herodem uxorem occidiſſe ſuam, eoque mœrore ob illius obitum affectus eſt, ut inde morbum contraxerit, quo prope perierat.

20. Occumbente Mariamâ, molita eſt Alexandra mater ejus Herodem occidere, quod cùm illi conſtitiſſet, ipſam interemit.

CAPUT LIX.

1. CUm perlatum eſſet Alexandro, & Ariſtobulo nuntium necis ab Herode matri ipſorum illatæ, maximo affecti ſunt mœrore,

2. Et diſcedentes Româ, venerunt in civitatem ſanctam, nullo exhibito Herodi parenti honore, ut anteà conſueverant, ob conceptum in eorum animis odium causâ maternæ necis.

3. Et jam Alexander in uxorem duxerat filiam Archelai regis: Ariſtobulus verò duxerat filiam ſororis Herodis. Cùm ergo vidiſſet rex Herodes eos minimè ſibi deferentes honorem, cognovit ſe illis exoſum eſſe,

4. Et devitavit eos: nec id fugit pueros, & familiam ejus.

5. Rex autem Herodes habebat uxorem ante Mariamam, nomine Doſithæam, ex qua ſuſceperat filium, nomine Antipatrum.

6. Cùm ergo conſtitiſſet Herodi de duobus filiis ſuis, quod ante memoratum eſt, tranſtulit uxorem ſuam Doſithæam ad palatium ſuum,

7. Adjunxitque ſibi Antipatrum filium ſuum, committens illi univerſa negotia ſua, & ſibi ſucceſſorem ex teſtamento inſtituit.

8. Et inſectatus eſt Antipater iſte fratres ſuos, Alexandrum, & Ariſtobulum, intendens tranquillitatem ſibi comparare, patre vivente, ne poſt obitum illius ullum haberet competitorem.

9. Quare ait patri; utique fratres mei hæreditatem adeunt ob matris eorum familiam, quia nobilior eſt familiâ matris meæ, propterea potioris ſunt juris, quam ſum ego, ad ea, quibus dignum adjudicavit me rex;

10. Hinc moliuntur interficere te, mox me quoque:

11. Et hæc ſæpe repetebat Herodi, ſubmittens quoque qui ea inſinuarent ipſi, quæ majus odium erga eos apud illum concitarent.

12. Interea proficiſcitur Herodes Romam ad Auguſtum, unà ducens filium ſuum Alexandrum. Qui cùm adeſſet coram Auguſto, conqueſtus eſt apud eum Herodes de filio ſuo, rogans, ut illum corriperet.

13. Ait autem Alexander; profectò mœrorem meum ob interfectam ſine crimine matrem non inficior, nam & animalia ipſa excellentiùs hominibus in matris pietatem exhibent, & diligunt eas:

14. At machinamentum parricidii penitùs nego, memetque apud Deum juſtifico: iiſdem enim, quibus teneor versùs matrem, teneor & verſus patrem; nec ejus ſum conditionis, ut citiùs mihi congeram crimina in parentem, ac præſertim cruciatus æternos.

15. Mox flevit Alexander fletu amaro, atque vehementiſſimo, & miſertus eſt illius Auguſtus, fleveruntque omnes adſtantes Romanorum principes.

16 Tum rogavit Auguſtus Herodem, ut in priſtinam reconciliaret filios benignitatem, atque familiaritatem: præcepitque Alexandrum paternos exoſculari pedes: qui præſtitit. Præcepit quoque Herodi, ut amplecteretur illum, & oſculo exciperet; quod obſequutus eſt Herodes.

17. Mox mandavit rex Auguſtus magnificum munus Herodi, & delatum eſt ei: & poſt tranſactos apud illum dies aliquos, reverſus eſt Herodes in domum ſanctam, & advocatis ſenioribus Judæ, ait:

18. Sciatis Antipatrum meum eſſe filium primogenitum, filiorumque meorum majorem, ſed mater ejus ignobilis eſt familiâ: Alexandri verò, & Ariſtobuli filiorum meorum mater de familia Sacerdotum, & regum eſt.

19. Ad hæc dilatavit Deus regnum meum, & manum meam extendit, ac propterea mihi viſum eſt, tres liberos hos meos conſtituere æqualiter, ita ut nullum habeat Antipater in fratres ſuos imperium, neque fratres ejus imperium in illum habeant.

20. Obſequimini itaque, ô cœtus hominum, omnibus tribus, nec interponetis vos niſi in iis, quæ eorum corda componere valeant, neque proponatis quicquam, quod corruptionem, & diſſidium inter eos pariat, neque componetis, neque omnium confabulemini cum eis.

21. Inde enim fiet, ut aliquis eorum vobis effutiat, quæ in fratrem molitur: ad quæ, ut eos vobis concilietis, conſequitur veſtra aſſentatio apud unumquemque eorum ſecundum placita ejus, & perdetis eos, ac perdemini vos quoque.

22. Veſtrum quidem eſt filii mei, Deo obſequi, & mihi, ut diutiùs vivatis, & proſperentur res veſtræ. Mox amplectens eos exoſculatus eſt, præcepitque homines abire.

23. Sed nullum proſperum ſucceſſum habuit quod fecit Herodes, neque filiorum compoſita ſunt corda. Quandoquidem Antipater rem totam ſibi deferri volebat, prout pridem conſtituerat pater ejus: fratribus verò minimè æquum videbatur, illum æqualem ſibi haberi.

24. Antipater autem præditus erat tolerantiâ, ac omni pravâ amicitiâ, atque ſimulatâ: fratres verò non item:

25. Conſtituit ergo Antipater ſpeculatores in fratres, qui ſibi deferrent nuntia eorum: alios quoque poſuit, qui vana nuntia de illis Herodi deferrent.

26. Quando autem apud regem aderat Antipater, audiebatque aliquos ſimilia de fratribus deferentes, ea ipſis amovebat, mendaces declarans auctores, rogabatque regem ne hæc crederet.

27. Quæ quidem præſtabat Antipater, ne dubitationem, aut ſuſpicionem aliquam de ſe injiceret regi. Hinc nullum inhæſit regi dubium, quin eſſet propenſus in fratres, nullum optans illis malum:

28 Quod cognoſcens Antipater, Inclinavit Pheroram patruum, & Amitam (hi enim inimicitias exercebant cum fratribus causâ matris eorum)

29. Offerens Pheroræ patruo pretioſiſſimum munus, rogans, ut deferret regi, quod Alexander videlicet, & Ariſtobulus moliti eſſent occidere regem.

30. (Herodes autem propenſus erat in Pheroram fratrem, & ipſius ſententiam excipiebat; deferebat illi

quippe is, ſingulis annis, copioſam pecuniam ex provinciis, quibus præerat ad ripam Euphratis,)

31. Et præſtitit id Pherotas. Poſt hæc adiit Antipater Herodem, & ait illi; ô rex, utique fratres mei moliti ſunt me occidere.

32. Inſuper tradidit Antipater pecuniam tribus eunuchis regis, ut dicerent; Alexander obtulit nobis pecuniam, ut nobis abuteretur, & ut occideremus te, & abhorrentibus nobis cædem minatus eſt.

33. Et iratus eſt rex in Alexandrum, juſſitque in vincula injici, caproſque cunctos Alexandri pueros tormentis ſubjici mandavit, donec faterentur ea, quæ ſciebant circa illa, quæ Alexander machinatus eſſet de cæde ipſius.

34. Quorum plures licet vi tormentorum ſuccubuiſſent, nequaquam in Alexandrum mentiti ſunt: quidam verò vim cruciatûs minimè ſuſtinere valentes, falſa ementiti ſunt liberationis libidine, aſſerentes Alexandrum, & Ariſtobulum molitos fuiſſe irruere in regem, atque occidere,

35. Et Romam arripere fugam, & accepto ab Auguſto exercitu proficiſci in domum ſanctam, ad occidendum Antipatrum fratrem, & regnum Judææ occupandum.

36. Et mandavit rex comprehendi Ariſtobulum, & vinculis devinciri: & devinctus eſt, atque conſtitutus cum fratre. Cùm autem perlatum eſſet nuntium Alexandri ad Archelaüm, ejus ſocerum, profectus eſt ad Herodem, furorem præ ſe ferens adverſus Alexandrum:

37. Ac ſi perlato ſibi machinamento parricidii, veniſſet conſultò ad videndum, utrum filia ſua uxor Alexandri conſcia eſſet facti, illudque ſibi non aperuiſſet, ut illam occideret; ſi verò conſcia non eſſet cujuſquam rei hujus, dirimeret illam Alexandro, & ad ſe duceret.

38. Erat autem Archelaüs iſte vir prudens, ſapiens, atque diſertus. Cùm autem audiſſet Herodes verba ejus, eique conſtitiſſet de prudentia, & virtute illius, mirum in modum corde ejus potitus eſt, & ſeſe ei credidit, atque confiſus eſt nullo inhærente ei dubio.

39. Cognoſcens ergo Archelaüs Herodis erga ſe propenſionem, diuturnam poſt familiaritatem, ait illi quadam die cùm ſimul ſeceſſiſſent:

40. Profectò penſitando res tuas, ô rex, compertus ſum te conſtitutum in ſenectute magis indigere mentis tranquillitate, & ut lætaris in filiis tuis, ubi è contra contraxiſti ex illis mœrorem, & ſollicitudinem.

41. Penſitavi præterea circa hos duos filios tuos, nec reperio te defuiſſe de illis bene merendo, nam præfeciſſi eos, & reges conſtituiſti, nec quicquam prætermiſiſti, quod illos impiè adigat ad tuam necem, nec ullam circa rem hanc cauſam habent.

42. Sed fortè id provenit à maligno homine, aſtruente tibi & illis mala: aut ob invidiam, vel inimicitiam induxit te ad deteſtandos eos.

43. Si igitur iſte tui potitus eſt, cùm eſſes ſenex, ſcientiâ, atque cognitione præditus & rerum experientiâ, transferens te à paterna clementia ad crudelitatem, & furorem in filios:

44. Quantò ergo magis eorum potitus fuiſſet, cùm ſint juvenes inexperti, imprudentes, ac nullius ſcientiæ circa homines, & fraudes eorum, quapropter onactus eſt penes eos quod optabat circa hæc.

45. Conſidera itaque, ô rex, res tuas, & ne præbeas aures verbis delatorum, nec properes in filios tuos, & inquire, quis ſit ille, qui mala tibi, & illis aſtruxit.

46. Cui reſpondit rex; rex profectò ſe habet, ut meminiſti, utinam ſciam quis induxit eos ad hæc. Cui ait Archelaüs; hic eſt Pherotas frater tuus.

47. Cui reſpondit rex; fieri poteſt rem ita ſe habere. Poſt hæc mutatus eſt rex maximoperè contra Pherotam. Quod animadvertens Pherotas timuit illum, venienſque ad Archelaüm: ait ei; video jam regem mutatum eſſe in me,

48. Quamobrem rogo te, ut mihi reconcilies cor illius, removens, quæ in animo fovet adverſùs me. Cui reſpondit Archelaüs; faciam profectò ſi promiſeris aperire regi veritatem circa ea, quæ in Alexandrum, & Ariſtobulum molitus es: & aſſenſus eſt ei de hoc.

49. Cùmque eſſet aliquos poſt dies, dixit Archelaüs regi; ô rex, ſanè cognati hominis inſtar membrorum ei ſunt: quemadmodum verò homini convenit,

50. Si membrum aliquod illius corrumpatur ob accidentem morbum, medicamentis illum reparare, etiam ſi dolorem id incutiat, nec convenit illud reſecare, ne augeatur dolor, debilitetur corpus, & deficiant membra, atque privatione illius membri pluribus careat commodis:

51. Sed ſuſtineat dolores medicamentorum, ut melius ſeſe habeat membrum, & ſanetur, redeatque corpus illius ad priſtinam perfectionem, & firmitatem.

52. Ita illi convenit, quoties mutatus fueris in eum aliquis cognatorum, quacumque de re abominabili, ut ipſum ſibi conciliet, pelliciens ad obſequia, & amicitiam, excuſationes admittens, & dimittens crimina: nec in illius necem feſtinus properet, nec diutius à ſe longè removeat.

53. Nam cognati hominis ſunt fautores illius, & adjutores, ac in iis conſiſtit decor illius, & gloria, ac per eos conſequitur quod alioquin conſequi non potuiſſet.

54. Pherotas quidem frater regis eſt, ac filios patris & matris illius: ſuumque fatetur crimen, regem deprecans, ut ſibi parcat, dimittatque lapſum. Et reſpondit rex; faciam id quidem. Juſſitque adeſſe Pherotam,

55. Qui cùm coram adſtitiſſet, ait illi; Jam peccavi Deo optimo maximo & regi, aſtruens mala, & quæ res ejus, ac filiorum corrumpere potuiſſent, ementitis mendaciis.

56. Quod verò ad hæc me induxit, eſt, quia rex abſtulit à me meam talem concubinam, ſeparavitque inter me, & illam.

57. Dixit rex Archelao; jam peperci Pherotæ, ut rogaſti me: etenim comperio te medelam attuliſſe corruptioni, quæ rebus noſtris acciderat, tuis lenimentis, quemadmodum medetur pius medicus corruptionibus corporis ægroti.

58. Quare rogo te ut parcas Alexandro reconcilians filiam tuam marito, nam eam inſtar filiæ habeo, cum ſciam eam ipſo prudentiorem eſſe, illumque à multis rebus avertere ſuâ prudentiâ, atque adhortationibus. Unde quæſo te, ne ſepares inter eos, & perdas illum:

59. Ipſe namque illi acquieſcit, & ex ejus directione multa capit commoda.

60. Reſpondit autem Archelaüs; filia quidem mea, ancilla eſt regi: at ipſum jam deteſtata eſt anima mea, ob malum ejus conſilium.

61. Permittat ergo rex, quæſo, ut ſeparem inter illum, & filiam meam, quam copulet rex, cuicumque vult ſervorum ſuorum.

62. Cui reſpondit rex; imo ne prætergrediaris preces meas, maneatque filia tua cum illo, nec mihi contradicas.

63. Et ait Archelaüs; utique præſtabo, nec contradicam regi in quoquam eorum, quæ mihi præcipiet. Mox mandat Herodes ſolvi Alexandrum, & Ariſtobulum vinculis, & coram ſe venire: qui cùm adſtitiſſent, ſeſe ante illum proſtraverunt, crimina ſua confitentes, excuſantes ſe, ac veniam, & remiſſionem deprecantes.

64. Quos ſtare juſſit, & ad ſe accedere faciens exoſculatus eſt, mandavitque abire in domos ſuas in craſtinum reverſuros. Qui adfuerunt cibis, & potui ipſius, reſtituitque eos præſtantiorem in locum.

65. Rependitque Archelao ſeptuaginta talenta, & aureum lectum, præcipiens quoque cunctis principibus amicorum ſuorum pretioſa munera offerre Archelao: qui fecerunt.

66. His geſtis, diſceſſit Archelaüs ab urbe domûs ſanctæ in regionem ſuam, quem comitatus eſt Herodes, ac demum vale dicto, reverſus eſt in domum ſanctam.

Digitized by Google

67. Nec tamen prætermiſit Antipater machinationes in fratres ſuos, ut exoſos eos redderet. Accidit autem ut adventaret ad Herodem vir quidam, habens pretioſa quædam ac ſpecioſa, quibus experi ſolent reges,

68. His regem donavit, quæ ab ipſo accipiens, rependit ei pro illis, ac optimam obtinuit locum vir in corde ejus, illiuſque famulatui adſcriptus potitus eſt corde ipſius, dicebaturque is Eurycles.

69. Cùm ergo jam animadvertiſſet Antipater virum iſtum planè cor patris ſui occupaſſe, obrulit ei pecuniam, rogans ut dexterè inſinuaret cordi Herodis, atque confirmaret, quod duo filii ejus Alexander, & Ariſtobulus cædem illius molirentur:

70. Quod pollicitus eſt ei vir. Mox adivit Alexandrum, adeoque ejus conſuetudine, & familiaritate eſt uſus, ut notus haberetur in ejus amicitia, compertumque eſſet regi illum de ipſius eſſe familiaribus.

71. Poſt hæc ſeceſſit cum rege, & ait illi; certè id ergà me juris habes, ô rex, ut nihil profectò me diſtinere debeat, quin te bene admoneam: & quidem mihi eſt negotium quod regem ſcire oportet, tibique illud aperire debeam.

72. Cui rex ait; Quid habes? reſpondit ei vir; audivi Alexandrum dicentem; utique Deus diſtulit vindictam de patre meo ob necem matris, meæ avi, & meorum ſine ullo crimine, ut id fiat per manum meam: ſperoque me ſumturum eorum vindictam de ipſo.

73. Et jam ſtatuit cum ducibus irruere in te, voluitque me immiſcere his, quæ deliberaverat: at nefas id exiſtimavi, ob regis in me benemerita, atque liberalitatem.

74. Intentio autem mea eſt illum bene admonere, atque hæc ad eum deferre, ipſe verò habet oculos, & conſilium. Cùm itaque audiſſet rex verba ejus, nequaquam ea aſpernatus eſt, ſed mox inveſtigare cœpit de eorum veritate: verùm nihil eſt compertum, cui inniteretur præter ementitam epiſtolam nomine Alexandri, & Ariſtobuli ad principem oppidi cujuſdam.

75. Erat autem in epiſtola: volumus occidere patrem noſtrum, & confugere ad te, quamobrem para nobis locum, in quo maneamus, donec congregentur ad nos viri, & dirigantur res noſtræ.

76. Quod quidem regi confirmatum eſt, & veriſimile viſum: quare captum principem oppidi illius tormentis ſubjidit, ut fateretur ea quæ in epiſtola contexta erant.

77. Quod negavit vir ille, ſeſe juſtificans, nec approbatum eſt contra eos quicquam de his, aut aliis, quæ impoſuit eis tamquam vera delator.

78. Juſſitque eos comprehendi, & catenis, atque compedibus devinciri. Dein profectus eſt Tyrum, & Tyro Cæſaream eos devinctos ſecum ducens.

79. Et miſerati ſunt eorum cuncti duces, cunctique milites: at nullus intercedere pro illis apud regem audebat, ne de ſe pro veris approbaret, quæ dixerat delator.

80. Erat autem in exercitu ſenex quidam de viris belli, habens filium in famulatu Alexandri: cùm ergo vidiſſet ſenex ille peſſimum ſtatum duorum filiorum Herodis, vices eorum mirum in modum miſeratus eſt,

81. Exclamavitque quam altâ potuit voce: periit miſeratio, defecit bonitas, & pietas, ablata eſt veritas de mundo.

82. Tum ait regi; ô immiſericors in filios, hoſtis amicorum, & amicus hoſtium, amplectens verba delatorum, & eorum, qui tibi bona minimè exoptant.

83. Ad quem accurrerunt hoſtes Alexandri & Ariſtobuli, & increpaverunt eum, dixeruntque regi; ô rex nequaquam virum hunc induxit amor erga te, & filios tuos iſta loqui.

84. Sed effutire voluit odium, quod in corde adverſus te fovebat, atque obloqui de conſilio, & adminiſtratione tua tamquam amicus admonitor.

85. Et quidem nobis de ipſo detulerunt obſervatores quod jam conveniſſet cum tonſore regis, ut dum illum tonderet, novaculâ jugularet.

86. Et juſſit rex comprehendi ſenem, & filium ejus, & tonſorem & virgis cædi ſenem & tonſorem, donec faterentur.

87. Et virgis cæſi ſunt quàm acerbiſſimè, ac tormentorum multiplici generi ſubjecti: at nihil eorum faſſi ſunt, quæ non fecerant.

88. Cùm ergo vidiſſet filius ſenis peſſimum patris ſui ſtatum, & ad quæ devenerat, miſeratus eſt ejus, atque arbitratus illum liberatum iri, ſi ipſe fateretur de eo, quæ illi imputabantur, poſt acceptam à rege pro illo ſecuritatem.

89. Quare ait regi; ô rex, concede mihi & patri meo ſecuritatem, ut indicem tibi, quæ quæris. Et ait rex, ſit tibi hoc. Cui dixit: jam ſtatuerat Alexander cum patre meo, ut te occideret: pater verò meus ſtatuit cum tonſore, ut tibi relatum eſt.

90. Tum juſſit rex occidi ſenem illum, & filium ejus, & tonſorem. Mandavit inſuper deduci ambos filios ſuos, Alexandrum, & Ariſtobulum Sebaſten, ibique occidi, & patibulo affigi: qui deducti, occiſi, & patibulo ibi affixi ſunt.

91. Alexander autem duos ſuperſtites reliquit filios; Tyrcanum videlicet, & Alexandrum ex filia Archelaï regis: Ariſtobulus verò tres reliquit filios Ariſtobulum nempe, Agrippam, & Herodem. Hiſtoriæ autem Antipatri filii Herodis jam præceſſit deſcriptio in prænarratis.

Finis, & laus Deo.

IN EPISTOLAM
BEATI PAULI
AD LAODICENSES.

PRÆFATIO.

INter ſcripturas ſacras procul dubio perinde ac cæteras Beati Pauli Epiſtolas hancce retuliſſet Eccleſia, ſi ab Apoſtolo ſcriptam fuiſſe innotuiſſet. Non enim eam Eccleſia inter libros Apocryphos, id eſt, extra ſeriem Canonicorum à ſanctâ Tridentina ſynodo ſepoſitos, rejecit propter errores fidei aut bonis moribus infeſtos, ſiquidem nihil in ea legitur quod ad ædificationem fidelium & pietatem, tum etiam Religionem maximè non conducat; verùm eam reſpuit quod hujus Epiſtolæ notitia quorumdam ambiguitate verborum ex ỳ. 16. cap. 4. ad Coloſſenſes ſit prorſus ſtabilita, ex quibus verbis ab Apoſtolo ad Laodicenſes ſcriptam fuiſſe facilè appareret; ſed Græcæ verſionis textu penitus illa evaneſcit ambiguitas, ex quo apertè innoteſcit illam non fuiſſe ab Apoſtolo ad Laodicenſes, ſed à Laodicenſibus ad Apoſtolum ſcriptam. Sic ſentiunt ſaltem S. Chryſoſtomus, & Theodoretus in commentariis à ſe editis in Epiſtolam ad Coloſſenſes, aſſerentes Epiſtolam Laodicenſium ad ſe miſſam, ad Coloſſenſes remiſiſſe Apoſtolum, quæ quidem eos tum ad fidem, tum ad pietatem vehementer inflammaret: Quoſdam tamen Latinos Patres, maximè verò Gregorium magnum fefellit hæc eadem ambiguitas, qui putant hancce Epiſtolam revera ad Laodicenſes ab Apoſtolo fuiſſe conſcriptam: ſed videre eſt quæ ſuper ỳ. 16. cap. 14. ad Coloſſ. ſunt notata.

Licet autem multis rationibus hanc de qua agitur epiſtolam fuiſſe ſuppoſitam perſpicuum ſit, nihilominus eam omnino interire non viſum fuit, quippe quæ argumenta ſaltem præbeat cur in ſerie & catalogo ſacrorum codicum non comprehenderit, quin potius inter Apocryphos ſepoſuerit Eccleſia.

IN

EPISTOLA[*] BEATI PAULI AD LAODICENSES.

1. PAULUS Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum [1], fratribus, qui eſtis Laodiceæ, [2] gratia vobis, & pax à Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

2. Gratias ago Chriſto per omnem orationem meam, quod permanentes eſtis & perſeverantes in operibus bonis, promiſſionem expectantes in die judicii.

3. Neque diſturbent vos quorumdam vaniloquia inſimulantium veritatem, ut vos avertant à veritate Evangelii, quod à me prædicatur. [3]

4. Et nunc faciet Deus, ut qui ſunt ex me, ad perfectum veritatis Evangelii, ſint deſervientes, & benignitatem operum facientes, quæ ſunt ſalutis vitæ æternæ.

5. Et nunc palam ſunt vincula mea, [5] quæ patior in Chriſto, in quibus lætor & gaudeo. Et hoc mihi eſt ad ſalutem perpetuum,

6. Quod factum eſt orationibus veſtris, adminiſtrante Spiritu ſancto, ſive per mortem, eſt mihi vivere vita in Chriſto, & mori gaudium: [6]

7. Et ipſe in nobis faciet miſericordiam ſuam, ut eamdem dilectionem habeatis, & ſitis unanimes.

8. Ergo, dilectiſſimi, ut audiſtis præſentiam Domini, ita ſentite, & facite in timore: & erit vobis vita in æternum: (eſt enim Deus, qui operatur in vobis,)

9. Et facite ſine peccato quæcumque facitis: & quod optimum eſt, dilectiſſimi, gaudete in Domino Jeſu Chriſto, & cavete omnes ſordes in omni lucro.

10. Omnes petitiones veſtræ [10] ſint palam apud Deum.

11. Eſtote firmi in ſenſo Chriſti, &, quæ integra, & vera, & pudica, & caſta, & juſta, & amabilia ſunt, facite,

12. Et quæ audiſtis, & accepiſtis, in corde retinete, & erit vobis pax.

13. Salutant vos omnes ſancti.

14. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

15. Hanc facite legi Coloſſenſibus, [15] & eam, quæ eſt Coloſſenſium, vobis.

1. *expl.* Titulus iſte deprumptus videtur ex ℣. 1. Epiſtolæ ad Galat.

2. Ibid. *expl.* Urbs Aſiæ minoris una ex præcipuis Provinciæ Lydiæ, cujus populi fidem fuerant amplexati, & de quibus mentionem facit Paulus Apoſtolus, *Epiſt. ad Coloſſ. cap.* 2. ℣. 1. & cap. 4. ℣. 15. & 16. Coloſſenſibus finitimi erant vicini.

3. *expl.* Hæc videntur imitata ℣℣. 4. & 8. cap. 2. Epiſt. ad Coloſſ.

5. *expl.* Quæ hic de ejus vinculis dicuntur tranſcripta facilè æſtimantur ex ℣. 24. & ſequent. cap. 1. & ex ℣. 18. cap. 4. Epiſt. ad Coloſſ. ut hæc ipſa Epiſtola & eidem tempori iiſdemque circumſtantiis aptata foret.

6. *expl.* Verba hæc excerpta videntur ex ℣. 21. cap. 1. ad Philip. Epiſtolæ.

10. *Aliter.* Veſtras omnes petitiones Deo offeratis.

15. *expl.* Quæ hic leguntur affectata planè videntur & deprumpta ex ℣. 16. cap. 4. ad Coloſſenſes Epiſtolæ.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM SANCTI BARNABÆ.

PRÆFATIO.

REfertur à B. Luca Joſem ſeu Joſephum, Levitam, genere Cyprium extitiſſe. Scilicet ea in inſula plurimi degebant Judæi; à quibus poſteà, imperante Trajano; uti diſcimus per Dionem Caſſium in Hiſtoria illius Imperatoris, Euſebium in Chronico, Oroſium lib. 7. cap. 12. atque hujus aſſeclam, Pſeudo-Hieronymum, tractatu de locis ex actis Apoſtolorum; infinita hominum multitudo jugulata fuit, urbſque Salamis, peremptis omnibus incolis, funditus everſa. Dicit etiam Lucas Joſem cognomen Barnabæ ab Apoſtolis tuliſſe, quo ſignificetur υἱὸς παρακλήσεως, id eſt, *filius conſolationis & exhortationis*. Utrumque enim παρακλήσεως denotat; quamvis B. Hieronymo ad Tit. II. 15. magis conſolationem, quàm exhortationem ſonet. Tradit quippe ſanctus Auguſtinus, alios verbum παρεκλήθην Pſal. CXVIII. 52. vertiſſe *conſolatus ſum*, alios *exhortatus ſum*. Et utraque verſio cernitur in S. Hilario; qui ad ejuſdem Pſalmi verſiculum 76. τοῦ παρακαλέσαι reddit *ut exhortetur*; locumque Apoſtoli II. Cor. I. 3. ita effert; *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſerationum, & Deus omnis exhortationis, qui exhortatur nos in omni tribulatione.* ubi Vulgata; *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra; ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem quâ exhortamur & ipſi à Deo, &c.* Sic etiam apud Luciferum, libro de non conveniendo cum Hæreticis, hoc modo citatur Apoſtolus Hebr. III. 13. *Sed conſolamini voſmetipſos.* pro quo Vulgatus Interpres *adhortamini.* A Gregorio autem Nazianzeno in Oratione 36. παράκλητος I. Joh. II. 1. exponitur παραινέτης *exhortator.* Multaque ſimilia paſſim reperies. Denique ſanctus Ambroſius in illud Pſal. CXVIII. 76. *Ut exhortetur me*, ait; *Aliqui codices habent in hoc loco*, Ut conſoletur me. *Sed etiam in Apoſtolo legimus exhortationem pro conſolatione dictam, & conſolationem pro exhortatione.* Ex his duabus ſignificationibus παρακλήσεως, primam in explicando nomine Barnabæ accipiunt, Oecumenius ad Act. IV. 36. dum id nominis vult eſſe μαρτύριον ἀρετῆς φιλοικτίρμονος, & demonſtrare παραμυθίαν καὶ οἰκτιρμόν; Notkerus in Martyrologio, tomo 6. Antiquæ Lectionis Henrici Caniſii, ad III. Idus Junii, ſcribens; *Ab Apoſtolis Barnabas vel filius conſolationis eſt vocatus, pro eo quòd cùm habuerit agrum, eumque vendiderit, pretium ejus ante pedes Apoſtolorum, ad conſolationem pauperum, poſuerit;* nec non illi qui in Hieronymo, libro de nominibus Hebraïcis, vertunt *filius conſolationis.* Ad poſteriorem verò etiam ſignificationem adduci poteſt expoſitio ſancti Chryſoſtomi, Homiliâ XI. in Acta; Βαρνάβας, ὅ ἐστιν υἱὸς παρακλήσεως ὑπὸ τῶν ἀποστόλων ἐπωνομάσθη· καὶ δοκεῖ μοι ἀπὸ τῆς ἀρετῆς εἰληφέναι τὸ ὄνομα, ὡς πρὸς τοῦτο ἱκανος ὢν καὶ ἐπιτήδειος. *Barnabas, hoc eſt, filius conſolationis & exhortationis ab Apoſtolis cognominatus eſt. Et mihi videtur, à virtute nomen aſſumpſiſſe, quòd ad illud aptus eſſet ac idoneus.* ad conſolandum, nempe, ac exhortandum. Accedit huc veriloquium Hieronymianum; *Barnabas, filius Prophetæ*, aut *Prophetiæ*: hoc eſt, Propheta. Prophetarum ſcilicet ſive Doctorum eſt, adhortari & conſolari Dei plebem. Quocirca Act. XV. 32. habetur; Ἰούδας δὲ καὶ Σίλας καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες, διὰ λόγου πολλοῦ παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ ἐπεστήριξαν. Juxta noſtrum Interpretem; *Judas autem & Silas, & ipſi cùm eſſent Prophetæ verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmaverunt.* Et 1. Co-

rinth. XIV. verſ. 3. ὁ δὲ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν ϗ παράκλησιν, ϗ παραμυθίαν. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.* Verſ. 31. δύνασθε γὰρ καθ' ἕνα πάντες προφητεύειν ἵνα πάντες μανθάνωσι ϗ πάντες παρακαλῶνται. Ex eadem Verſione; *Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: ut omnes diſcant, & omnes exhortentur.*

Hunc Barnabam extitiſſe unum ex LXX. Domini diſcipulis comprobari poteſt, teſtimonio Clementis Alexandrini, cùm lib. 2. Stromateon, tum in Hypotypoſibus apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 1. eamque traditionem ſequuntur Epiphanius in fine tom. 1. lib. 1. adversùs Hæreſes, auctor Chronici dicti Alexandrini, Dorotheus in Synopſi, & ii qui Barnabæ res geſtas conſcripſerunt. Contrà objicit Beda in Act. IV. *Mirum quo modo hunc Barnabam, qui poſtea cum Paulo Gentium eſt ordinatus Apoſtolus, ac poſt longum ejus contubernium, denuo Cyprum, unde ortus fuerat, prædicaturus rediit, Euſebius, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, de numero eſſe LXX. diſcipulorum Domini Salvatoris arbitratur; cùm manifeſtè ſcribat B. Lucas, eum poſt aſcenſionem Domini, ad diſcipulatum Apoſtolorum veniſſe: niſi fortè putandum eſt, eum priùs ita diſcipulatum Chriſti ſecutum, ut necdum renuntiaverit omnibus quæ poſſidebat: quod utrùm Evangelicæ doctrinæ convenerit, cuivis facillimè patet.* Verùm pace viri venerabilis, nec Lucas dicit Barnabam poſt aſcenſionem Domini cœpiſſe credere, nec videtur neceſſe ut omnes Diſcipuli omnia ſua abjecerint: quod quamvis eſſet, potuit Noſter recèns hæreditate adeptum agrum vendere, quò pecuniam ad pedes Apoſtolorum poneret.

Cæterùm de Barnaba multa narrantur in novo Teſtamento: inter alia, Act. XI. 29. 30. quòd Chriſtiani Antiocheni miſerint eleemoſynam ad Hieroſolymitanos, per manus illius: ex quo factum arbitror, ut Græci in ordinatione magni Oeconomi dicerent, εὐχαῖς ϗ πρεσβείαις τοῦ ἁγίου ϗ πανευφήμου Βαρνάβα τοῦ ἀποστόλου ϗ γενναιομάρτυρος. *precibus & interceſſionibus ſancti & celebratiſſimi Barnabæ, Apoſtoli & generoſi Martyris.* quemadmodum videre eſt in Joh. Morini ſacris Ordinationibus parte 2. pag. 115. Reliqua ad Apoſtolum iſtum pertinentia, vera, fabuloſa, & vulgò cognoſcuntur, & ad inſtitutum noſtrum non valde faciunt: quare ea miſſa facimus.

Venimus ad epiſtolam nomen illius præferentem, Veteribus laudatam ſæpe, deſideratam ſuperioribus ſæculis, noſtro feliciter editam à viris doctiſſimis Hugone Menardo & Iſaaco Voſſio. Dubitatur an ſit genuinus fœtus, an ſuppoſitus. Exiſtimatum quidem Clementi Alexandrino, Origeni, ac Hieronymo, ſummis viris, quibus propterea fides facilè abrogari non debet, nihil hîc fraudis deliteſcere. At Euſebius, quando Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 25. Epiſtolam collocat inter libros ſpurios, ἐν νόθοις, dolum videtur ſuſpicatus: niſi ſi quis nothum volumen eo loci exponat, ut in Amphilochii Epiſtola Iambica ad Seleucum, illud quod non eſt genuinum ſacræ ſcripturæ, ſive aliàs auctorem verum titulo præferat, ſive ementitum. Certè vix credi poteſt, quòd adeò eximius Apoſtolus, *vir plenus Spiritu ſancto & fide*, ſegregatus unà cum Paulo à ſancto Spiritu in opus Evangelii, & collega ejuſdem Apoſtoli in Gentium Apoſtolatu, ea ſcripſerit quæ in Opuſculo præſenti continentur: coactis dico allegorias, enarrationes Scripturarum minùs veriſimiles, fabulas de animalibus, aliaque de quibus poſtea agemus. Hæc tamen, vix credibilia, non remorata ſunt prædictos Clementem, Origenem, Hieronymum: ſicut pauci nævi, qui honeſtam faciem Epiſtolæ à Clemente Romano ad Corinthios Romanorum nomine conſcriptæ commaculant, non impedierunt quin tanti ea fieret; quamvis magna, meo quidem judicio, differentia intercedat ratione auctoritatis, Clementem inter & Barnabam, cujus Epiſtola tantùm famæ non eſt conſecuta, ac illa Clementis. Ad hæc argumento, quo utitur ſanctus Auguſtinus lib. 1. contra adverſarium Legis & Prophetarum cap. 20. ut Apocrypha ſub nominibus Andreæ Johanniſque ſcripta exſibilet atque explodat, *Si illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia*; eo, inquam, argumento in ſuſpicio-

nem illegitimæ prolis venit Epiſtola, cùm jamdiu rejecta & ad Apocryphas Scripturas amandata fuerit. *Apocrypha*, inquit Hieronymus Epiſt. 7. ad Lætam, *ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur.* Quapropter Origenes, qui putavit Opus eſſe Barnabæ, credidit etiam eſſe Canonicum. *Sunt*, inquit ad verſ. 24. cap. 1. Epiſtolæ ad Romanos, *præterea* (*ſicut in multis Scripturæ locis invenimus*) *etiam utriuſque partis, vel utriuſque viæ, fautores quidam & adjutores Angeli* &c. ubi quis non videt alludi ad caput 18. noſtræ Epiſtolæ, de duabus viis, & de Angelis utrique viæ præpoſitis? Jam verò lib. 1. contra Celſum idem Adamantius vocem à Barnaba paulò duriùs in Apoſtolos prolatam, nequaquam rejicit, imò ſimilibus Scripturæ dictis munit ac firmat, inſuperque Epiſtolam ſacram eſſe innuit, & vocat Catholicam: quo quidem nomine etiam indicatur eam ſaltem à multis Catholicis fuiſſe admiſſam, atque inſtar Catholicarum lectitatam; non ſolùm autem ſignificatur, quod aiunt ex Leontio lib. de Sectis, Actione 2. à cujus opinione nullatenus diſſentit Oecumenius, ſcriptam eſſe ad omnes generaliter, non verò ad unam gentem. Nam ſi id tantùm declararet ea vox, cui umquam veniſſet in mentem, Johannis ſecundam, ad unam domum, & tertiam, ad unum hominem exaratas, in Catholicarum cenſum referre? Prudentiùs itaque factum ab Iſidoro Hiſpal. lib. 6. Originum cap. 2. (Nam confutari non meretur ſententia Hebedjeſu auctoris Chaldaïci, affirmantis in Catalogo librorum, Catholicas ideò vocari Epiſtolas Jacobi, Petri, Johannis, & Judæ, quòd ab iis Apoſtolis omni charactere & lingua fuerint conſignatæ) qui cùm prædictum vocabulum poſteriori ſenſu uſurparet, Catholicas nuncupat Epiſtolas Petri, non item Jacobi, Johannis, & Judæ: quamquam Judæ & Jacobi generaliores ſint primâ Petri: unde notatum fuit à quodam Scholiaſte ad Epiſtolam Jacobi MS. Regio 705. προτέτακται ἡ τοῦ Ἰακώβου ἐπιστολὴ τῶν ἄλλων ὅτι τε πρῶτος ἐπίσκοπος ἦν, καὶ ὅτι τῆς Πέτρου καθολικωτέρα· ταῖς γὰρ ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν διεσπαρμέναις ἐγράφη δώδεκα φυλαῖς. Hoc eſt, *Poſita eſt ante alias* Catholicas *Epiſtola Jacobi; tum quia is primus erat Epiſcopus, tum quia illa univerſalior eſt Epiſtolâ Petri:* primâ ſcilicet: *duodecim quippe tribubus per univerſum orbem diſperſis ſcripta eſt.* Denique S. Hieronymus, in libro, quem de interpretatione nominum Hebraicorum, imitatus Philonem ac Origenem, compoſuit, inter novi teſtamenti libros non ſtatuiſſet Epiſtolam Barnabæ, ſicut facit, quam ipſe cum Apocryphis Scripturis legebat, niſi vidiſſet ita ab Origine fuiſſe actitatum. Eamdem quoque ſententiam deprehendimus in antiqua Stichometria Latina, quæ extat in duobus libris mſſ. altero non pridem Puteanorum Fratrum, nunc Chriſtianiſſimi regis, altero Monachorum ſancti Germani. Illic Epiſtola Barnabæ collocatur poſt Epiſtolam Judæ, ante Johannis Revelationem & Actus Apoſtolorum.

Verùm in omnia diverſa abierat præceptor Origenis, Clemens Alexandrinus, quippe qui Opus, quod credit eſſe Barnabæ, impugnat, licèt ſuppreſſo, honoris cauſa, nomine; Pædagogi 2. cap. 10. Id porrò nequaquam commiſiſſet, ſi ad Canonem pertinere fuiſſet arbitratus. Ac fortè ſuſcipio erit alicui, variaſſe Clementem, aut ſe ad multorum opinionem accommodaſſe, tum cùm Scripturarum Canon certos limites nondum acceperat. Si quidem in libris ὑποτυπώσεων, referente Euſebio Hiſt. lib. 6. cap. 14. unà cum novi Teſtamenti libris enarraverat Epiſtolam Barnabæ; quam fortaſſe Pſeudepigrapham rebatur, quando confutabat. Sed & Hieronymus, ſuprà citatus de notione vocis *Apocryphum* pro opere falſi tituli; tamen in locis à me relatis inter Veterum teſtimonia, Epiſtolam Apocrypham, non Pſeudepigrapham vult. Quinetiam à Gelaſio Apocrypha non pro Pſeudepigraphis dumtaxat ſumuntur, vel quorum ſecreti auctores atque incogniti, verùm pro omnibus quæ, quia notam aliquam mereri videntur, ſive ſuppoſitionis, ſive erroris, ſive impietatis, abſcondi debent atque ignorari, (ἀποκρυφῆς μᾶλλον ἢ ἀναγνώσεως ἄξια dicit auctor Synopſeos ſacræ Scripturæ creditus Athanaſius) nec in publica verſari notitia, ſicut libri Canonici Scripturarum, & ii Eccleſiaſtici Patrum, qui inoffenſo pede decurri queunt. Quare inter Apocrypha recenſet Clementis Ale-

Digitized by Google

xandrini Opuſcula, Tertulliani, Cypriani, Arnobii, Lactantii, Euſebii, aliorum, quamvis indubia.

Ex quibus omnibus conficitur non admodum clarere utrùm præſentem Epiſtolam adjudicare debeamus Barnabæ Apoſtolo, an alteri homini Apoſtolico, qui aut Barnabæ nomen aſſumpſerit, aut Barnabæ fuerit cognominis, prout à primis Chriſtianis nomina Apoſtolorum affectata fuiſſe docet nos Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 25. Eò magis inclino, ut cenſeam non eſſe Apoſtoli. Quòd ſi quis certiora profetar, gratiſſimam ille rem faciet. Ego quod neſcio, ſcire me non poſſum profiteri.

Dices, Si non eſt Apoſtoli; quando ſcripta fuit? quantæ habenda & habita auctoritatis? De primo; patet ex Epiſtolæ cap. 16. datam fuiſſe poſt excidium Hieroſolymitanum. Liquet etiam ex Clemente Alexandrino, laudatore Epiſtolæ, ante finem ſecundi ſæculi prodiiſſe. Sicut autem per primum non bene quis originem illius repeteret, à temporibus excidium mox ſubſequentibus, ita malè per ſecundum concluderetur natales ejuſdem contigiſſe, ſtatim antequàm Clemens libros ſuos componeret. An enim neceſſe fuit, ut ingenii monumentum Apochryphum, ſimul ac è manibus Scriptoris exiret, illico ad communem notitiam perveniret, atque à Patribus citaretur? eo præſertim tempore, quo & ſcribebant pauci, & qui ſua litteris committebant, ſolos ferè in teſtimonium adhibebant ſacros libros: ut non commemorem luctuoſiſſimam voluminum Eccleſiaſticorum prioribus ſæculis exaratorum jacturam. Itaque mediâ viâ incedendum videtur; & referendum Opus ad tempus, quod inter utrumque intercedit; ita tamen ut ad primum magis accedat: quam rem character dicendi, Apoſtolicam antiquitatem redolens, non obſcurè ſignificat.

Quantùm ad ſecundam interrogationem: de præſenti tempore nulla oritur difficultas. Conſtat inter omnes, Epiſtolam in Canone locum non habere. Nec minùs conſtare debet; dignam eſſe magnâ veneratione quæ tantùm ferat ætatis atque exiſtimationis. Si autem conſideremus prima ſæcula, quando Canone diverſo utebantur Eccleſiæ; varia in ſtudia ſciſſi fuerunt Chriſtiani. Id ut intelligatur, obſervare oportet, Scripturarum, quæ aut ſacræ ſunt aut tales ſunt habitæ à nonnullis, non unam apud ſanctos Patres reperiri diviſionem. Interdum duplex ſolummodo fit Scriptura; Canonica, cujus dictator Spiritus ſanctus, & Apocrypha, cujus auctor homo ſolus. Ita Hieronymus in Prologo galeato, Auguſtinus 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. & Iſidorus Originum lib. 6. cap. 2. Sic etiam duo genera Scripturarum ponuntur in Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3. ὁμολογουμένων καὶ ἀναντιῤῥήτων & τῶν μὴ τοιούτων, in Athanaſii ſeu Alterius Synopſi, κανονιζομένων & μὴ κανονιζομένων, in Cyrilli Hieroſolymitani quarta Catecheſi, τῆς διαθήκης καὶ παρὰ πᾶσιν ὁμολογουμένων & ἀποκρύφων καὶ ἀμφιβαλλομένων, in Gregorii Nazianzeni Carmine 33. θείων ſeu γνησίων & παρεγγράπτων ſeu μὴ γνησίων; apud Hieronymum Epiſtolâ 129. & in caput 2. Epiſtolæ ad Titum, & Commentario in Pſalmos, ſi tamen hujus libri auctor exiſtimandus eſt, ad Pſalmum 149 *Eccleſiaſticarum* & *Apocrypharum*; apud Innocentium Papam Epiſt. 3. cap. 7. *receptarum in Canone* ac *repudiandarum*. Aliquando triplex Scriptura perhibetur; Canonica, omnino recipienda; Apocrypha, penitus rejicienda; & Dubia, inter utramque poſita; ab aliquibus videlicet admiſſa, repudiata ab aliis; miſta & media inter genuinam ac notham; veræ proxima, cui contradicitur quidem, honor tamen habetur ut legatur Catechumenis; quam demum licèt non eodem in precio habeant Catholici, ac Canonicam, ut ex ea fidei dogmata confirment, non ideò quemadmodum Apocrypham abominantur, atque è templis eliminant, quinimo cum reverentia excipiunt, ac in Eccleſiis ad plebis ædificationem lectitant. Iſta edocemur ab Origene ad Johannis IV. 22. Euſebio Hiſt. lib. 3. cap. 3. 25. 31. & alibi, Athanaſio in Epiſtola Feſtali, & in Synopſi divinæ Scripturæ, Amphilochio in Iambico carmine ad Seleucum, Hieronymo in præfationibus ad Judith, & ad tria Salomonis volumina, Rufino in Symboli expoſitione, & Nicephoro Conſtantinopolitano in Canone Scripturarum. Porrò utriſ-

que hujus diviſionis membra ſubdividuntur. In prima, Canonicæ Scripturæ, juxta ſententiam ſancti Auguſtini, loco citato ex Doctrina Chriſtiana, vel ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, vel à pluribus & gravioribus, vel à paucioribus minoriſque auctoritatis, vel fortè à pluribus at non gravioribus, aut denique forſan à gravioribus ſed non pluribus; ſicque aut omnimodæ, aut majoris, aut æqualis auctoritatis cenſeri debent: quam inæqualitatem auctoritatis Judæis non fuiſſe inauditam colligo ex Philone, libro de vita contemplativa, Joſepho, libro 1. contra Apionem, atque Hieronymo in præfationibus ad Reges, ad Tobiam, ad Juditham, ad Opera Salomonis, & ad Danielem. Ab eodem Auguſtino lib. 18. de Civitate Dei cap. 36. duplex Canon Scripturarum veteris teſtamenti ſtatui videtur; earum quas Judæi pro Canonicis habent, & earum quas Eccleſia: quâ de re conſulendæ Iſidori Origines lib. 6. cap. 1. In eadem prima diviſione, libri Apocryphi gradus ſimiliter obtinent, prout ad veritatem ac pietatem, falſitatem & impietatem magis aut minùs vergunt. In ſecunda pariter diviſione, dubiæ Scripturæ, apud Euſebium lib. 2. cap. 23. lib. 3. cap. 3. & 25. diverſitatem accipiunt ex proximitate ad Canonicas vel ad Apocryphas; cùm à pluribus Eccleſiis publicè lectitantur, cùm ab antiquis Doctoribus reperiuntur allegatæ, cùmque ſpuriæ videntur ac de quibus quàm maximè dubitatur.

His ita poſitis, evaneſcit omnis difficultas. Epiſtola Barnabæ ab Origene & quibuſdam Eccleſiis Canonica reputata fuit: à Clemente Alexandrino interdum Canonica, interdum dubia, interdum non Canonica, ſeu Apocrypha in bono ſenſu primæ diviſionis: ab Euſebio dubia, ſpuria, citata quidem ab Antiquis, at melioris notæ Apocryphis propinquior: ab Hieronymo Apocrypha, ſeu extra Canonem, ad Eccleſiæ ædificationem pertinens: à Nicephoro Conſtantinopolitano non Canonica, non Apocrypha, ſed cui contradicitur: à nullo Apocrypha deterioris notæ, noxia ſcilicet, Hæretica, impia; cujus generis videtur fuiſſe Evangelium inſcriptum nomine Barnabæ, quod in concilio Romano operâ Gelaſii damnatum eſt. Vide infra initio Notarum in Conſtitutiones Apoſtolicas, Indiculum Scriptutarum, è Bibliotheca Regia depromptum.

Reſtat aliud nihil, niſi de titulo Epiſtolæ inquirere, ad quos ſcripta fuerit. Res non magni eſt momenti. Ut enim præclarè Tertullianus; *Nihil de titulis intereſt; cùm ad omnes ſcripſerint Apoſtoli, tum ad quoſdam.* Ac fortè ἀνεπίγραφος ſemper exſtitit; qualem cernimus Johannis Apoſtoli primam. Quod ſi aliter ſe res habeat, conjiciam ex tota orationis ſerie, ad Chriſtianos Hebræos miſſam, tenaces nimiùm antiquatæ Legis, ad Hebræos inſcriptam fuiſſe. Hincque potuit fieri, ut accepto rumore de Epiſtola quadam Barnabæ ad Hebræos à ſe non viſa, Tertullianus cap. 20. lib. de pudicitia, Epiſtolam Pauli Canonicam ad Hebræos, de cujus auctore ac autoritate ambigebatur, putaverit à Barnaba fuiſſe deſtinatam. Atque hactenus de Epiſtola.

Vetus autem Interpretatio, barbariem ubique, ubique negligentiam oſtendit, eſtque imperfecta & mutila, tum paſſim, tum præcipuè ad finem, ubi poſteriora capita reſecantur, fortè quia minùs docta videbantur Interpreti, atque ad mores magis pertinentia: igitur omiſſis iis, paucíſque vocibus inſertis, colophonem per doxologiam imponit. Suum tamen illi Verſioni precium: cui debemus priora capita, cum non paucis emendationibus Græci contextûs, ut nihil dicam de antiquitate illius ac ſimplicitate.

Digitized by Google

SANCTI BARNABÆ APOSTOLI EPISTOLA CATHOLICA.

I. 1 AVETE filii & filiæ, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui 2 nos dilexit 3 in pace. 4 Magoarum & honeſtarum 5 Dei æquitate abundantiam ſciens eſſe in vobis, ſupra modum exhilaror beatis & præclaris ſpiritibus veſtris; quòd 6 ſic naturalem gratiam accepiſtis. Propter quòd plurimùm gratulor mihi, ſperans liberari: quia verè video in vobis infuſum ſpiritum 7 ab honeſto fonte Dei. Cùm perſuaſum mihi ſit hoc; & plenus ſciam, quia dum ad vos adloquor, 8 multa mihi bona ſucceſſerunt in via 9 æquitatis Domini. Ideo 10 fors & ego cogito diligere vos ſuper animam meam: quia magnitudo fidei & dilectio habitat in illo, & ſpes 11 vitæ illius. 12 Cogitans ergo hoc, quaſi curæ mihi fuerit, ut vobiſcum partiar ex eo quod accepi, futurum mihi talibus 13 ſpiritu ſervientes, hoc in mercede, 14 adpropiavi pauca vobis mittere, ut fidem veſtram conſummatam habeatis, & 15 ſcientiam. 16 Tres ſunt ergo 17 conſtitutiones Domini, vitæ ſpes, initium, & conſummatio. Propalavit enim Dominus per Prophetas, 18 qui prætererunt, & 19 futurorum dedit nobis initia ſcire. Sicut ergo locutus eſt, honeſtius &

1. *Avete filii & filiæ.* Hoc eſt exordium hujus epiſtolæ, in quo ſalutat fideles, ipſiſque plurimum gratulatur, ob gratiam Spiritus ſancti ipſis a Deo infuſam: nec mediocriter lætatur ob multa bona, quæ ſibi ex eorum fide obvenerunt: profiteturque ſe hanc Epiſtolam ad eos ſcribere ob mercedem, quam ſe inde a Deo conſecuturum ſperat. Tandemque propoſitis tribus conſtitutionibus Domini, promittit ſe monſtraturum ea, per quæ majorem lætitiam, ſpiritalem videlicet adipiſcantur. Hoc autem exordium variis mendis conſperſum eſt, vel ob negligentiam exceptoris, vel ob melioris exemplaris defectum, quibus mederi difficile eſt, ob Græci textûs totam immanem lacunam. MEN.

Filii & filiæ. Ita fideles appellat, quos per Evangelium genuit: & hic ſtyl Apoſtolicus eſt: Joan. 1 cap. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis.* Paulus 1. ad Cor. 4. *Sed ut filios meos chariſſimos moneo.* Et paulo poſt. *Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus.* Unde 1. Petri cap. 2. *ſicut modo geniti infantes.* Ipſi ergo Chriſtiani filii Apoſtolorum ſunt, ab ipſis ſpiritaliter geniti, Apoſtoli verò patres. Hinc Paulus 1. Cor. cap. 4. *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres: nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* Ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.* MEN.

Avete. Χαίρετε, quod vertitur *avete* à Volg. Int. Matth. XXXIII. 9. *Ex ora Menardina Ed. manu ignota.*

2. *Nos.* Uſſer. *vos.* OXON.

3. *In pace.* Eſt trajectio figura, & revocandum eſt vocabulum ad τὸ *Ave.* Apoſtolorum eſt dare pacem initio epiſtolarum. Paulus paſſim: *Gratia vobis & pax à Deo.* 1. Petri 1. *Gratia vobis, & pax multiplicetur.* 2. Joan. 3. *Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax à Deo patre magnarum.* Ita correctum videtur in codice manuſcripto, cum antea legeretur, *magnare*, ex quo effinxi *magnarum rerum.* MEN.

In pace בשלום, ut Luc. II. 29. VII. 50. & Jac. III. 18. OXON.

4. *Magnarum.* Mallem ſic conſtitui: *in pace magna. Rerum honeſtarum, Dei æquitate abundantiam*, &c. Seu διακαιοσύνη, &c. Vel ſic *pace. Nam gratia & honeſtorum* (τῶν καλῶν) *æquitate. Ex ora Men*

5. *Dei æquitate.* Id eſt, Dei gratia, bonitate, humanitate, miſericordia. Æquus eſt bonus, benignus, amicus, humanus: iniquus contra, juxta illud Naſonis.

Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Supra modum exhilaror. Exhilaratur, ſeu lætatur Barnabas de fidelium donis & gratia, ut pater ſapiens de filiorum profectu. Unde Paulus ad Philipp. cap. 2. *Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem caritatem habentes*, & cap. 4. *Itaque fratres mei & deſideratiſſimi, Gaudium meum & corona mea.* 1. ad Theſſal. cap. 2. *quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum in adventu ejus? vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.* Ad Philem. cap. 1. *Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in caritate tua.* Joan. epiſt. 3. *Majus horum non habeo gaudium, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Prov. 10. & 15. *Filius ſapiens lætificat patrem:* & cap. 29. *Vir qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum.* MEN.

Æquitatum. MS *æquitate.* OXON. Fortè *qualitatum*, id eſt, δικαιωμάτων. Vide Rom. v. 17. *Ex ora Men.*

6. *Quod ſic naturalem gratiam accepiſtis.* Infra. *Qui naturale donum doctrinæ ſuæ poſuit in nobis.* In texto Græco, τὴν ἔμφυτον δωρεάν. Naturalis gratia eſt firma, altius radicata, bene, inſita, & plantata in anima juſti. ἔμφυτον eſt, inſitum, & Sap. 12. ἔμφυτος ἡ κακία, id eſt, naturalis malitia, hoc eſt, firmata & inveterata. Metaphora ab arboribus, quæ altis defixæ radicibus, terræ firmiter inhærent. *Accepiſtis*, à Deo. MEN.

Naturalem. Infra Cap. IX. τὴν ἔμφυτον δωρεάν, reddit Int. *naturale donum.* OXON. Imitatur Jacobi Cap. I. 21. δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον. *Ex ora Men.*

7. *Ab honeſto fonte Dei.* Ex quo omnia bona, maxime ea, quæ ad vitam æternam conferunt, profluſiſſime ſcaturiunt: ita Pſ. 17. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Eſaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hieremiæ 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ.* Honeſto, id eſt, egregio. Gloſſæ veteres: *Honeſtus*, *egregius.* ἀξιόλογος. MEN.

8. *Multa mihi bona ſucceſſerunt.* Spiritalia videlicet, in mercedem Evangelicæ prædicationis. MEN.

9. *Æquitatis.* Id eſt, juſtificationis, ut infra MEN.

10. *Fors.* Lege, *forſan*, quo vocabulo utitur, modeſtiæ gratia. *In illo*, id eſt, in hoc, in hac re. MEN.

Fors. In Oxonienſi editione, ex conjectura *Iſ. Voſſii*, legitur *fratres*, quaſi per compendium fuerit ſcriptum *frat* quod cùm exceptor non intelligeret, mutarit in *fors*, quæ vox quidem Latina eſt, ſed cum hic ſenſu; nam ineptum eſt quod de modeſtia habet *Menardus.* CLERICUS.

11. *Vitæ.* Æternæ videlicet. *Illius* Hoc vocabulum videtur redundare, aut certe dicendum eſt, poſt illa verba, ſuper animam meam, quædam deeſſe MEN.

12. *Cogitans ergo hoc* τὸ hoc, videtur redundare. MEN.

13. *Spiritu ſervientium.* Lege, *Spiritu ſervientes*, juxta illud Pauli ad Philipp. 3. *Spiritu ſervimus Deo.* MEN.

Hoc in mercede. Hæc vocabula videntur tranſpoſita. Hæc igitur periodus ſic legenda eſt. *Cogitans ergo* (*quaſi cura mihi fuerit, ut vobiſcum partiar ex eo quod accepi*) *futurum mihi hoc in mercede talibus ſpiritu ſervientes, adpropiavi.* &c. MEN.

14. *Adpropiavi pauca vobis.* &c. Hæc verba uſque ad illa, *tres ſunt ergo*, &c. citat Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. MEN.

Adpropiavi. Imò *adproperavi*, nam hoc ſignificat σπουδάσας. Vide 2. Tim. IV. 9. 21. Tit. III. 12. ubi hoc verbum à Volg. Int. vertitur *feſtinare.* Gloſſæ Veteres: Σπουδάζω, *feſtino. propero.* CLER.

15. *Scientiam.* Per γνῶσιν intelligit myſteriorum fidei, & præcipuè reconditi Scripturarum ſenſus cognitionem; de qua re lectorem in limine fuiſſe admonitum non pigebit. OXON. De hac voce hoc ſenſu ſumta, vide *H. Hammondi* adnot. ad 1. Cor. I. 5. 2. Petr. I. 5.

16. *Tres ſunt ergo conſtitutiones Domini.* Id eſt, tria conſtituit Deus ad noſtram ſalutem. *Vitæ ſpes*, æternæ, videlicet. *Initium*, nempe, vitæ perfectæ. *Conſummatio*, id eſt, perfecta caritas, prout adquiri poteſt in hac vita. Primo igitur præcedit ſpes vitæ æternæ, quæ nos extimulat, ad ea quæ recte ſunt agenda, deinde initium, bonorum operum, videlicet, quæ aſſidue verſata & ſine intermiſſione cum animi fervore repetita nos perducunt ad conſummationem, hoc eſt, perfectam caritatem. MEN

17. *Conſtitutiones.* Apud Interpretem hunc, hæc vox ſæpe occurrit & δόγμα redditur. OXON.

18. *Qui prætererunt.* In Oxon. Ed. legitur *quæ.*

19. *Et futurorum dedit nobis initia ſcire.* Per initia futurorum intelligitur fides, quæ eſt fundamentum, ac veluti primordium ſo-

Digitized by Google

altius 1 accedere ad aram illius. Ego autem non tanquam doctor, ſed unus ex vobis, demonſtrabo pauca, 2 per quæ in plurimis lætiores ſitis.

II. 3 Cùm ſint ergo dies nequiſſimi, & 4 Contrarius 5 habeat hujus ſæculi poteſtatem, 6 debemus attendentes inquirere æquitates Domini. 7 Fidei ergo noſtræ adjutor eſt timor, & ſuſtinentia: quæ autem nobiſcum pugnant, patientia eſt, & continentia. Hæc cùm apud Dominum permanent caſta, conlætantur illis ſapientia & intellectus. Adaperuit enim nobis per omnes Prophetas, quia non utitur noſtris hoſtiis, neque victimis, neque oblationibus, hæc dicens: *Quò mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum, dicit Dominus?* 8 *Plenus ſum holocauſtomatibus arietum, & 9 pinguaminibus agnorum; & ſanguinem hircorum & taurorum nolo:* 10 *nec ſi veniatis videre mihi. Quis enim exquiſivit hæc de manibus veſtris? calcare aulam meam non adjicietis.* 11 *Si attuleritis mihi ſimilaginem, vanum; ſupplicamentum execratio mihi eſt. Neomenias veſtras, & Sabbata, & diem magnum non ſuſtineo: jejunium, &* 12 *ferias, & dies feſtos veſtros odit anima mea.* 13 Hæc ergo vacua fecit, ut nova lex Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ 14 ſine jugo neceſſitatis eſt, 15 humanam habeat oblationem. Dicit Dominus iterum ad illos: 16 *Numquid ego præcepi parentibus veſtris, cùm exierunt de terra Ægypti, ut offerrent mihi hoſtias*

rum, quæ nobis in cœlis revelabuntur. Fides enim eſt veluti prælibatio quædam futuræ gloriæ, iis, dico, fidelibus, qui divina ſapiunt. MEN.

1. *Accedere.* leg. *accedite ad aram illius.* Id eſt, ad ſublimem myſteriorum ejus cognitionem. *Unus ex vobis.* Id eſt, ſimilis vobis, ut Gen. 3. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis.* Eamdem phraſim infra repetit. MEN.

Accedere. Huic voci, ex conjectura, in Oxon. Ed. præfigitur *oportet.* Sed in præceptis, paſſim *δεῖ* ſubauditur ante infinitivum. CLERICUS.

2. *Per quæ in plurimis lætiores ſitis.* Quia doctrina Apoſtolica non mediocri lætitia & conſolatione fideles afficit; ſpiritali quidem, quæ vera & ſola lætitia eſt. Ita Joan. ep. 1. cap. 1. *Et hæc ſcribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.* Et Paulus ad Philipp. 1. *Ad profectum veſtrum, & gaudium fidei.* MEN.

In plurimis lætiores ſitis. Sic in calce operis, *εἰς τὸ εὐφρᾶναι ὑμᾶς.* OXON.

3. *Cum ſint dies nequiſſimi.* Ita Paulus ad Epheſ. 5. *quoniam dies mali ſunt.* Mali dicuntur dies, ob nequitiam hominum, in quibus regnat peccatum. Hic autem incipit prima pars hujus epiſtolæ: & primo proponit, quare ſint Dei juſtificationes & mandata inquirenda; tum recenſet virtutes, quibus fides noſtra fulcienda ſit; tandemque oſtendit, quàm vani fuerint Judæi, qui univerſam juſtitiam in ſuis ſacrificiis & cæremoniis legalibus poſitam eſſe cenſuerunt, oſtenditque ejuſmodi ſacrorum abolitionem. MEN.

4. *Contrarius.* Id eſt, Satan, Gloſſarium vetus mſ. Satan, adverſarius, contrarius. MEN.

5. *Habeat hujus ſæculi poteſtatem.* Unde Joan. 12. 14. & 16. *Princeps hujus mundi.* & ad Eph. 6. *ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum.* Contrarius ergo, id eſt, Satan, & diabolus habet poteſtatem hujus ſæculi, id eſt, mundi, ſed tenebrarum harum, hoc eſt, malitiæ mundanæ, cui præeſt, id unum ſtudens, ut vias Domini rectas ſubvertat, homines inferendo & inducendo in tentationem, eoſque à gratia Dei deturbando. Origenes lib. 1. *περὶ ἀρχῶν* cap. 5. dubitat, an princeps hujus mundi diabolus ſit, ſive quis alius: *Nec non,* inquit, *& quidam Angeli diaboli nominantur, ſed & princeps mundi hujus, qui utrum ipſe ſit diabolus, an alius quis, nondum manifeſte declaratum eſt.* Nulli tamen dubium eſſe debet, quin princeps hujus mundi, vel Contrarius, habens hujus ſæculi poteſtatem, ut loquitur ſanctus Barnabas, diabolus ſit. Nam cum omnes cæleſtes illi ſpiritus, qui ob ſuperbiam à gratia Dei exciderunt, diaboli ſint, & princeps hujus mundi ex eis unus ſit, & eorum caput, clarum eſt, eum eſſe diabolum. MEN.

6. *Debemus attendentes inquirere æquitates Domini.* Ita Paulus capite citato ad Eph. *Propterea nolite fieri imprudentes quæ ſit voluntas Dei.* Æquitates hoc loco ſunt juſtitiæ, ſeu juſtificationes. MEN.

7. *Fidei ergo noſtræ adjutor eſt timor,* &c. Expuncto verbo ſubſtantivo, lege uno verbo, *adjutores,* ut in textu Græco apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Strom. qui hunc locum profert, *συλλήπτορες* quam vocem ita explicat Heſychius *συλλήπτορα, συναγωνιστήν* id eſt, adjutorem. Et in Gloſſis veteribus, *σύλληψις, ſorbitio, apocalaſis.* *Caſta,* id eſt, integra. MEN.

8 *Plenus ſum holocauſtomatibus arietum, & pinguaminibus agnorum.* Ita in veteri editione textus Hebraici Cardinalis Ximenez, ubi tantum poſt vocem מְרִיאִים id eſt, agnorum, poſitus accentus diſtinctivus: Quam tamen interpunctionem non agnoſcit ſanctum Hieronymus hunc locum explanans: *Plenus ſum: hoc ſenſu eſt explicandum. nullare ſadigea, Domini eſt terra & plenitudo ejus.* Quemadmodum Tertullianus lib. adverſus Judæos: *& adhuc dicit: & holocauſtomata, & ſacrificia veſtra, & adipem hircorum, & ſanguinem taurorum nolo.* Ita ſanctus Cyprianus lib. 1. de teſtimoniis adverſus Judæos. At Septuaginta interpretes ſic legunt: *πλήρης εἰμὶ ὁλοκαυτωμάτων κριῶν* id eſt, plenus ſum holocauſtis arietum: cætera referuntur ad verbum *βούλομαι*. MEN.

9. *Et pinguaminibus agnorum,* &c. Locum Iſaiæ 1. 11. ſic retuliſſe videtur Barnabas, *στέαρ ἀρνῶν* quod facile fuit fecere ex *στέατος ἀρνῶν* vel *στέατα τῶν ἀρνῶν*, ut fortè ſcripſerant LXX. Senes. Zeno Veronenſis ſermone de Pſalmo 49. *Et pinguamine agnorum.* Apud S. Baſilium, *στέαρ τῶν ἀρνῶν* habetur & S. Cyprianus legebat *στέαρ,* lib. 1 Teſtimoniorum adverſus Judæos cap. 16 Deinde poſitum à Barnaba, *ἐὰν φέρητέ μοι σεμίδαλιν* illudque *μοι* agnoſcunt conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 6. cap. 22. Tertullianus contra Judæos cap. 5. Baſilius ad eum locum, Gregorius Nyſſenus, ſeu quis alius, in teſtimoniis adverſus Judæos, Chryſoſtomus cùm ad locum Prophetæ, tum alibi, & Gregentius in Diſputatione cum Judæo. Demum *ἀργίας* habebatur in Græco Barnabæ, ſicuti apud Irenæum lib. 4. cap. 32. quam lectionem firmat cum Tertulliano lib. 1. in Marcionem cap. 20. & lib. 5. cap 4. Collatio Carthaginenſis tertia, habita cum Donatiſtis: deeſt autem poſtremum *νηστείαν*, quod etiam fruſtra quæres in locis citatis ex doctrina Catholica. Tertulliano, Collatione, Baſilio, Gregorio, & Chryſoſtomo. COT.

10. *Nec ſi veniatis videre mihi.* Lege, *videri*, ut apud Tertullianum, loco citato: *Nec ſi veniatis videri mihi* juxta Septuaginta interpretes. *οὐδ' ἂν ἔρχησθε ὀφθῆναί μοι* id eſt, nec ſi veniatis apparere mihi. *Videri mihi* eſt videri a me, phraſis Græca. Vulgo, *cum veneritis ante conſpectum meum*, juxta textum Hebraicum. MEN.

11. *Si attuleritis mihi ſimilaginem, vanum, ſupplicamentum execratio mihi eſt.* Ita fere Tertullianus, libro citato: *Quoniam ſi attuleritis mihi ſimilam, vanam ſupplicamentum exſecramentum mihi eſt.* In textu Græco *ἐὰν φέρητε σεμίδαλιν, μάταιον, θυμίαμα μοι ἐστί* id eſt, ſi obtuleritis mihi ſimilam, vanum, incenſum abominatio mihi eſt. Ubi vides *τὸ vanum*, tum in ep. tum apud Tertul. diſtinguendum eſſe a vocabulo, *ſupplicamentum*: Quod patet etiam ex ſancto Hilario in Pſal. 2. qui addit verbum, eſt. *ſi afferatis ſimilaginem, vanum eſt.* Et ſupplicamentum in his locis pro thymiamate, ſeu incenſo ponitur. *Et diem magnum* : ita apud Septuaginta, *jejunium* : ita apud Septuaginta. MEN.

12. *Ferias* Apud Septuaginta *ἀργίαν* id eſt, otium, ſed interpres hujus epiſtolæ legiſſe videtur *ἀργίας* id eſt, ferias. Gloſſæ veteres: *ἀργίαι αἱ σχολαί. feriæ.* MEN.

13. *Hæc ergo vacua fecit.* Sacrificia veteris legis. MEN.

14. *Quæ ſine jugo neceſſitatis.* Id eſt, quæ non eſt aſtricta legi Moſaicæ. Ita Paulus ad Gal. 5. *State & nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* Et infra eodem capite dicit: *Vos enim in libertatem vocati eſtis.* Nempe ſoluti à jugo legis veteris per Jeſum Chriſtum. Vides ergo, ut conſonant Barnabæ verba Pauli doctrinæ. MEN.

15. *Humanam habeat oblationem.* Id eſt, eos habeat præparatum, ad parendum Dei mandatis, ut locus Prophetæ poſtea citatus ſatis indicat. MEN.

16. *Numquid ego præcepi parentibus veſtris.* Locus habetur Hierem. 7. ad quem hæc habet ſanctus Hieronymus: *Manifeſte intelligitur, quod primum decalogum dederit in tabulis lapideis, ſcriptum digito Dei, & poſt offenſam idololatriæ, caputque vituli poſtea juſſerit ſibi magis fieri, quam dæmonibus.* Imo ipſa die, qua egreſſus eſt populus de Ægypto, præcipit Dominus ſibi offerri & immolari primogenita, exceptis homine & aſino. Exodi 13. ubi & repetit præceptum immolationis Phaſe, & Exodi 29. præter ſacrificia inaugurandorum ſacerdotum, præcipitur quotidianum ſacrificium matutinum unius agni, & veſpertinum alterius; quæ omnia præcepta ſunt data idololatriam populi in ſolitudine. Auctor quæſtionum ex utroque teſtamento maxim quæſt. 103. duo ſacrificiorum genera diſtinguit, *unum quod per ſingula genera mandatum eſt, & aliud quod voluntarium dictum eſt*: Hoc non fuiſſe mandatum, illud præceptum fuiſſe: & ideo eos argui à Propheta, quod ſacrificia illa minus devote, ſed negligenter offerrent Judæi. Sed extorta videtur hæc interpretatio, maxime cum toto hoc capite nulla mentio ſit ſacrificii voluntarii. Quidam dicunt, verba Hieremiæ intelligenda eſſe duntaxat pro illo quadraginta annorum ſpatio, quo Judæi in ſolitudine commorati ſunt, dum in terram promiſſionis introirent, tuncque nullas hoſtias ex Dei præcepto immolaſſe, ut habetur Amos cap 5. Sed quia mandatorum obſervatio quæ hic ab Hieremia inculcatur non tantùm erat pro illo tempore, quo habitarent in deſerto Judæi, ſic id quod dicit Propheta, quod à die, quo educti ſunt de Ægypto, nihil Deus de victimis & ſacrificiis præcepit, non intelligitur pro illo intervallo, quo in deſerto commorati ſunt. Nec locus Prophetæ Amos ad rem facit. Nam ſolam idololatriam, cui in deſerto obnoxii fuere, Judæis exprobrat. Optima explicatio ſancti Irenæi lib. 4. adverſus hæreſes cap. 31. ubi ſcribit hic Hieremiæ verbis ſignificari non ob ſacrificia eductos fuiſſe Iſraelitas de terra Ægypti, ſed ut obliti idololatriæ Ægyptiorum poſſent audire verbum Domini: ac proinde non præcipue mandatum eis fuiſſe de ſacrificiis, ſed de voluntate Dei audienda, & facienda: *Et iterum,* inquit, *ſignificans quoniam non propter hoc eduxit eos de Ægypto, ut ſacrificia ei offerrent, ſed ut obliti idololatriæ Ægyptiorum audire vocem Domini poſſent, quæ erat eis ſalus & gloria, per eundem Hieremiam, hoc dicit Dominus: Holocauſtomata veſtra colligite cum ſacrificiis veſtris, & manducate carnes, quoniam non ſum locutus ad patres veſtros, nec de holocauſtomatibus & ſacrificiis præ-*

&

& victimas : ſed hoc præcepi illis , dicens : 1 *Unuſquiſque veſtrûm adversùs proximum non habeat malitiam , & juramentum* 2 *mendum , non habet.* Intelligere ergo debemus , cùm non ſimus ſine intellectu, conſilium benignitatis patris noſtri : quia nobis dicit ; volens nos ſimiliter errantes quærere , quemadmodum ad illum accedamus ; nobis enim dicit : 3 *Sacrificium Deo , cor contribulatum , & humiliatum Deus non deſpicit.* Certius ergo inquirere debemus , fratres , de noſtra ſalute , 4 ut ne quando habeat introitum in nobis , & evertat nos à 5 vita noſtra.

III. 6 Dicit ergo iterum de his ad illos : 7 *Ut quid mihi jejunatis , ut hodie audiatur vox veſtra in clamore ? Non tale jejunium elegi , dicit Dominus* , 8 *ut quis humiliet animam ſuam ſine cauſa. Neque ſi curvaveris quaſi circulum collum tuum , & ſaccum te circumdederis , & cinerem ſtraveris : nec ſic celebrabis jejunium acceptum.* Ad nos autem ſic dicit : *Cum jejunaveritis , ſolve omnem nodum injuſtitiæ , &* 9 *omnem conſignationem iniquam dele , reſolve ſuffocationes* 10 *impotentium* 11 *commerciorum , dimitte quaſſatos in remiſſionem , & omnem cautionem malignam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum , & egenos ſine tecto indue in domum tuam ; cùm videris nudum , veſti , &* 12 *domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet* 13 *temporaneum lumen tuum ,* 14 *& veſtimenta tua citò orientur : & præbit*

cepi eis , *qua die eduxi eos de Ægypto : ſed ſermonem hunc præcepi eis dicens : Audite vocem meam , & ero Deus veſter* , &c. Et paulo poſt. *Non enim principaliter hæc* (nempe, ſacrificia) *ſed ſecundum conſequentiam , & propter prædictam cauſam habuit populus.* MEN.

2. *Unuſquiſque veſtrum adverſus proximum* , &c. Apud Hieremiam cap. 7. hæc ita habentur in verſione communi juxta textum Hebraicum & Græcum : *Audite vocem meam , & ero vobis Deus , & vos eritis mihi populus , & ambulate in omni via , quam mandavi vobis ; ut bene ſit vobis.* Sed Apoſtolus promiſit potius ſenſum , quam verba : & quod dixit Propheta generatim , ille dixit ſpeciatim. Hic mos eſt Apoſtolorum , & virorum Apoſtolicorum , ut ſæpe citent ſacram Scripturam non juxta verba , ſed juxta ſenſum , ut docet de veteri teſtamento S. Hieronymus , in caput quintum Amos Prophetæ : *Et hoc in omnibus ſanctis Scripturis obſervandum eſt , Apoſtolos , & Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de veteri teſtamento non verba conſiderare , ſed ſenſum nec eorum ſermonum calcare veſtigia , dummodo a ſententiis non recedant.* Ut Marci 1 & Matthæi 11. *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te* : quod habetur Malach. 3. apud quem tamen ſic legitur , tum juxta textum Hebraicum , tum Græcum : *Ecce mitto Angelum meum , & præparabit viam ante faciem meam.* Sic Matth. 26. & Marc. 14. *Percutiam paſtorem.* Ex Zach. 13. Ubi tamen habetur , tum juxta textum Hebraicum , tum Græcum : *Percute paſtorem.* Et 1. ad Cor. 2. *Sicut ſcriptum eſt , quod oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis aſcendit , quæ præparavit Deus his qui diligunt illum.* Qui locus ita habetur. Eſai. 64. *Oculus non vidit , Deus , abſque te , quæ præparaſti expectantibus te* , Sic ſanctus Ignatius in epiſt. ad Trallianos hunc locum. Joan. 11 ita citat [illegible] , id eſt , & omnis qui vivit & credit in me , etiamſi mortuus fuerit , vivet in æternum : ſed apud Joan. ſcribitur , [illegible] , &c. [illegible] id eſt , & omnis qui vivit , &c. non morietur in æternum . & in epiſtola ad Smyrnenſes , citatur illud Matth. 10. [illegible] , &c. id eſt , qui enim honorat Prophetam in nomine Prophetæ , &c. apud quem ita habetur ; *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ* , &c. Ita S. Clemens epiſtola prima ad Corinthios , [illegible] id eſt , ſic enim alicubi dicit Scriptura , conſtituam epiſcopos eorum in juſtitia , & diaconos eorum in fide. Eſa. 60. Ubi habetur juxta Septuaginta , [illegible] , id eſt , dabo principes tuos in pace , & epiſcopos tuos in juſtitia. Et ſanctus Juſtinus Martyr citans initium Geneſeos hoc modo : [illegible] id eſt , in principio creavit Deus cœlum & terram , deinde ſolem & Lunam , & ſtellas , quæ tamen ſic non habentur cap. 1. Gen. MEN.

2. *Mendum.* Lege , *mendax* , ſicut & Zacharias 8. *Juramentum mendax ne diligatis.* MEN.

Juramentum mendum. Cave hæc mutes , cum *Menardo* & *Oxonienſibus* , in *mendax* ; eſt enim priſca vox Latina , ut docet *Chariſius* Lib. I. *Mendum , in mendacii ſignificatione , dicitur , menda , in culpa operis aut corporis.* Hinc factum *mendax.* CLER.

3. *Sacrificium cor contribulatum* , &c. Ita fere apud Tertullianum lib. contra Judæos : *Cor contribulatum & humiliatum hoſtia Deo eſt.* Sanctus Irenæus libro quarto adverſus hæreſes cap. 3c. primo citat illud Pſalmi 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus* , &c. Et infra eodem capite , ſic ait . *Quemadmodum alibi ait : Sacrificium Deo cor contribulatum : odor ſuavitatis Deo , cor clarificans eum qui plaſmavit.* Itaque puto hunc locum Barnabæ mutilum eſſe , & ſic reſtituendum : *Sacrificium Deo cor contribulatum : odor ſuavitatis Deo cor clarificans eum , qui ſe plaſmavit.* Et : *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus : Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit.* Ita ut multi loci ſimul conglobati citentur , juxta morem Barnabæ , & præſertim , ut infra clarius demonſtrabitur , quorum duo proferuntur potius ex ſenſu Scripturæ , quam ex ipſis verbis . quos tamen Irenæus mutuaverit ex hac Barnabæ epiſtola *Non deſpicit* , in originali editione , *non deſpicit.* Vide obſervationes noſtras in concordiam regularum. MEN.

4. *Ut ne quando habeat ingreſſum in nobis.* Videtur deeſſe vocabulum , *Satana* , vel , *Contrarius* , vel quid ſimile ut legatur ; *Ut ne quando Contrarius habeat introitum in nobis.* MEN.

5. *Vita noſtra.* Oxon. *ſalute noſtra.* Sed unum idem eſt , nam vita eſt pro vita in ſtatu. CLER.

6. *Dicit ergo iterum.* cap. 2. Eſt de jejuniorum Judaicorum abolitione. MEN.

7. *Ut quid mihi jejunatis ?* &c. Reprobat Eſaias jejunium Judæorum , quod cum faſtu erat , & juſtitia affectata ad oſtentationem , quale eſt jejunium hypocritarum Matth. 6. & bonis operibus vacuum , maliſque plenum. MEN.

8. *Ut quis humiliet animam ſuam ſine cauſa.* Quid legerit in Græco divinare non poſſum. Apud LXX. Iſ. LVIII. 5. [illegible] Sed jam olim corruptum locum oſtendit Cyprianus , dum lib. 3. Teſtimoniorum cap. 1. vertit , *Niſi humilies homo animam ſuam* , id eſt , [illegible] &c. Suſpicabatur aliquis lectum fuiſſe ab Interprete voſtro [illegible] , unc [illegible] , aut [illegible] Sequitur in eodem Prophetæ verſiculo , *Nec ſic celebrabis jejunium acceptum.* [illegible] Hinc male in LXX. [illegible] quod tamen & habet Cyrillus , & interpretantur Lucifer lib. 1. pro ſancto Athanaſio ſub finem , atque Ambroſius cap. 10. lib. de Nabuthe : pejus verò Cypriani exemplaria exhibebant [illegible]. Retinet [illegible] Chryſoſtomus Homil. 5a in Matthæum , nec non Hieronymus in Commentario ſuo , item Procopius. COT.

9. *Et omnem conſignationem iniquam dele.* Relegari debent iſta ad marginem , unde in textum induxit ea neſcio quis : ſunt quippe alia verſio verborum [illegible] . quæ hic redduntur , *Et omnem cautionem malignam diſſipa* : à Cypriano autem lib. de Oratione Dominica ante finem , & lib. 3. ad Quirinum cap. 1. *Et omnem conſignationem injuſtam diſſipa* COT.

10. *Impotentium* Id eſt , violentorum MEN.

11. *Commerciorum.* In textu Græco [illegible] nam [illegible] eſt commercium. Gloſſæ veteres : [illegible] , *commercium.* MEN.

12. *Et domeſticos ſeminis tui ne deſpicias.* Juxta Septuaginta : Vulgo juxta textum Hebraicum , *Et carnem tuam ne deſpexeris.* De cujus loci diverſa interpretatione hæc habet ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 11. *Sicut illud Eſaiæ Prophetæ unus interpretatur : & carnem tuam ne deſpexeris alius , & domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris : uterque ſibimet invicem atteſtantur : namque alter ab altera exponitur : quia & caro poſſet accipi propriè , ut corpus ſuum quiſque non deſpiceret , ſe putaret admonitum : & domeſtici ſeminis tranſlate Chriſtiani poſſunt intelligi , ex eodem verbi ſemine nobiſcum ſpiritaliter nati. Nunc autem collato interpretum ſenſu , probabilior occurrit ſententia propriè de conſanguineis non deſpiciendis eſſe præceptum , quoniam domeſticos ſeminis cum ad carnem retuleris , conſanguinei potiſſimum occurrunt.* Sed exiſtimo eumdem eſſe ſenſum apud Septuaginta , ac in Hebræo , ut ſint domeſtici ſeminis tui , homines , qui ſunt eiuſdem tecum naturæ & carnis , quod eſt graviſſimum argumentum ad excitandam miſericordiam . cui ſimile eſt illud ſancti Aſterii ſerm. in hæc. *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Jericho* . [illegible] id eſt , illos vocamus fratres , qui eodem editi ſemine , ac eodem utero geniti , qui verò eumdem habemus creatorem , & eamdem matrem terram , è qua conditi ſumus , & eamdem animæ dignitatem , unam pietatis & vitæ legem , eamdem futuri ſpem , quomodo nos invicem non diligimus magis , quam fratres & conſanguinei ? ſi vides hominem , te ipſum in eo vides. Quare oportet eum , cujus calamitates vides , famem , ſitim , nuditatem , aliamque neceſſitatem , & morbos , aliaſque afflictiones , tanquam proprios dolores , ac damna clementer reſpicere. MEN.

13. *Temporaneum.* Ita apud Tertullianum , libro de reſurrectione carnis. In textu Græco , [illegible] juxta textum Hebraicum , id eſt , matutinum. MEN.

14. *Et veſtimenta tua.* Ita apud Tertullianum libro citato. Apud Septuaginta Interpretes juxta textum Hebraicum legitur : [illegible] , id eſt , ſanitates , pro quo quidam legerunt [illegible] , id eſt , veſtimenta ut nunc ſanctus Hieronymus , hunc locum exponens. Quod ob vocabulorum Græcorum ſimilitudinem contigiſſe credo. Hinc factum eſt , ut interpres Barnabæ Latinus verterit , *veſtimenta* , non *ſanitates*. Quod vocabulum ſumpſit pro carne Tertullianus , loco citato : *non ſubſcribam utique , ubi pallium , ſed carnem voluit accipi , ortum carnis reſurrecturæ de mortis occaſu prædicavit.* MEN.

ante te juſtitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc 1 exclamas, & Deus exaudiet te; cùm adhuc loqueris, dicet, ecce adſum; 2 ſi abſtuleris à te nodum, & 3 ſuadelam malarum, & verbum murmurationis; & dederis eſurienti panem ex anima. In hoc ergo, fratres, providens eſt, & miſericors Deus, 4 quia in ſimplicitate crediturus eſſet populus, quem comparavit dilecto ſuo, atque antè oſtendit omnibus nobis, ut non incurramus, tamquam proſelyti ad illorum legem.

IV. 5 Oportet ergo 6 de hiſtantibus multùm ſcrutantes ſcribere, quæ non poſſint ſanare. Fugiamus ergo ab omni opere iniquitatis, & odio habeamus errorem hujus temporis, ut 7 futuro diligamur. Non 8 demus animæ noſtræ ſpatium; ut poſſit habere poteſtatem diſcurrendi cum nequiſſimis & peccatoribus; ne quando 9 ſimilemus illis. Conſummata enim tentatio, 10 ſicut ſcriptum eſt, ſicut Daniel dicit, appropinquavit. Propter hoc enim Dominus 11 interdicit tempora, & dies, ut acceleret 12 dilectus illius ad hereditatem ſuam. Dicit ſic Propheta? 13 *Regna in terris decem regnabunt*, 14 *& reſurget retro puſillus*, 15 *qui deponet tres in unum.* 16 De regnis ſimiliter. De hoc ipſo dicit iterum Daniel; 17 *Et vidi quartam beſtiam, nequam & fortem & ſæviorem* 18 *cæteris beſtiis marinis: & apparuerunt illi decem cornua: & aſcendit aliud cornu breve in medio illorum: & dejecit cornua tria de majoribus cornibus.* Intelligere ergo debemus. Adhuc & hoc rogo vos tamquam unus ex vobis, omnes amans ſuper animam meam, ut attendatis vobis; & non ſimiletis eis, qui peccata ſua congerunt, & dicunt; 19 quia teſtamentum illorum & noſtrum eſt. 20 Noſtrum autem, quia illi in perpetuum perdiderunt illud, quod Moyſes accepit. Dicit enim Scriptura: *Et fuit Moyſes in monte jejunans quadraginta noctibus: & accepit teſtamentum à Domino; tabulas lapideas ſcriptas manu Dei.* Sed converſi in idola perdiderunt illud: dicit enim Dominus Moyſi: *Moyſes deſcende celeriùs, quia præterit legem* 21 *populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti.* Et projecit Moyſes tabulas lapideas de manibus ſuis, & confractum eſt teſtamentum eorum, ut dilectio Jeſu conſignetur in præcordiis veſtris, 22 in ſpem fidei illius. Propter quod adtendamus noviſſimis diebus. Nihil enim proderit nobis omne tempus vitæ noſtræ, fidei, ſi non modo 23 iniquum & futuras tentationes habeamus; 24 ſicut dicit Filius Dei: *Reſiſtamus omni iniquitati, & odio habeamus eam.* Ergo 25 conſiderate opera malæ viæ. 26 Non ſeparatim debetis ſeducere vos tamquam juſtificati; ſed

1. *Exclamas.* Lege, *Exclamabis*, ut apud ſanctum Cyprianum, libro tertio de teſtimoniis. MEN.

2. *Si abſtuleris à te nodum, & ſuadelam malorum.* Eleganti atque Attica voce, χειροτονία, uſi ſunt LXX. Seniores, quæ manus porrectionem deſignat. Barnabæ verò Interpres, quaſi id nominis à χείρων pejor deduceretur, vertit *malorum ſuadelam.* Nec abſimili ut videtur, deductione Lucifer lib. I. pro Athanaſio in fine interpretatur, *Si auferes à te vinculum iniquitatis & obligationes.* Conſule Iſaiæ cap. interpretes, necnon Gregorium Nazianzenum in fine Orationis 16. & ante medium 19. ibique Nicetam Heracleenſem, ac Eliam Cretenſem. Opinari quis poſſet, Interpretem noſtrum ſcripſiſſe, *ſuadelam manuum*, vel *ſuteiam malorum.* MEN.

3. *Et ſuadelam malorum*, apud Septuaginta χειροτονίαν, quod quidam exponunt ordinationem, in vulgata editione juxta textum Hebraicum: *Si deſieris extendere digitum.* MEN.

Suadelam malorum. Imperitia Interpretis effecit, ut χειροτονίαν putaret compoſitam eſſe ex χείρων deterior, cùm ex χεὶρ manus componatur. Tum etiam ſyllabas τονία non modo à τείνω eſſe credidit, ſed Verbum hoc Interpretatus eſt *contendere*, hoc eſt, vehementer velle & niti perſuadere. Quæ omnia inania ſunt. In Hebraico textu eſt שלח אצבע *miſſio digiti*, quo fortè ſigno utebantur in teſtimoniis, ut ſe ex animi ſententia loqui ſignificarent, unde addit Propheta *& loqui falſum* LXX. Int. veterum χειρο... quia jurantes ἐκτείνειν χεῖρα *tendebant manum* in cœlum. Fortè utrumque conjungendum, ita ut mos eſſet manus ſublatæ indicem erigere. CLER.

4. *Quia in ſimplicitate.* Lege, *quia cum in ſimplicitate.* MEN.

5. *Oportet ergo.* 5. caput eſt de inſtantibus calamitatibus, cum exhortatione ad virtutem. MEN.

Oportet ergo de inſtantibus multum ſcrutantes ſcribere. Lege, *de his talibus.* Semel autem lectorem moneo, me non probare maximam partem lectionum Monachi illius Pariſienſis, quas ille ad oram veteris hujus interpretationis adpoſuit. Si quid itaque occurrat, quod diſpliceat, ne id mihi vitio vertatur. Quamvis enim multa deleta ſint, plura tamen remanſerunt. Ita aliquanto poſt, *peribit*, correxit pro *periet*; cum non hoc minus, quam alterum in uſu fuerit ævo poſteriori. Ite & alibi, *interiet*, *exiet*, & *tranſiet*, etiam apud Tibullum. VOSS.

6. *De hiſtantibus.* Oxon. *his talibus*, περὶ τοιούτων. *Uſſerius* legebat: *oportet ergo nos de inſtantibus multum ſcrutantes ſcribere, quæ non poſſint ſanare.*

7. *Futuro diligamur.* Oxonienſes, ex conjectura *Uſſerii*: *futurum diligamus.*

8. *Demus.* Uſſer. *debemus.* OXON.

9. *Similemus.* Id eſt, ſimiles ſimus, & infra pagina 10. dixit, *ſimiletis*, verbum neutraliter ſumitur. MEN.

10. *Sicut ſcriptum eſt, ſicut Daniel.* Uſſer. *de qua ſcriptum eſt, ſicut Daniel*, &c. OXON.

11. *Interdicit.* Ita legendum monui in margine, juxta illud Danielis 7. *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ ſunt.* MEN.

Interdicit. Pro *intercidit.* Reſpiciunt hæc verba Domini, Matth. XXIV. 22. Vide Eſ. X. 23. OXON.

12. *Dile ius.* Uſſer *dilectus.* Vid. Mal. III. I. OXON.

13. *Regna.* Ita in textu Græco βασιλεῖαι. In textu Hebraico מלכין id eſt, reges, ut in vulgata interpretatione. MEN.

14. *Et reſurget retro puſillus rex.* Aliter in vulgata editione *Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit*, ut in textu Græco & Hebraico. Verum Apoſtolus verba non reddidit, ſed ſenſum, alludens ad illud parvulum cornu, quod de medio decem cornuum quartæ beſtiæ ortum, tria de cornibus primis, hoc eſt, tres reges contrivit. Hic ergo rex, qui dicitur cæteris potentior, ab Apoſtolo appellatur puſillus; quia per illud parvum cornu ſignificatur. MEN.

15. *Qui deponet tres in unum.* Id eſt, qui tres reges humiliabit, juxta textum Hebraicum, Græcum, & verſionem communem. MEN.

16. *De regnis ſimiliter.* Subaudi, *dicendum eſt*: quæ nempe cum ſuis regibus ab illo potentiore ſimiliter everterentur. MEN.

17. *Vidit quartam beſtiam*, &c. Proferuntur ex ſenſu, potius quam ex codice. MEN.

18 *Cæteris beſtiis marinis.* Ita appellantur juxta illud Danielis: *Et quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diverſæ inter ſe.* MEN.

19. *Et dicunt, quia teſtamentum illorum*, &c. Intelligit Nazaræos, illiſque ſimiles Chriſtianos, qui legem Moyſi cum Evangelio retinebant. MEN.

20 *Noſtrum eſt autem.* Oſtendit, quomodo verus teſtamentum ſit etiam Chriſtianorum, cum videlicet repudiata lege à Judæis, quod quidem ſignificatur per fracturam tabularum, nova lex data eſt ſcripta, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis; cum illis a Deo repudiatis, Chriſtiani fuerunt adoptati in novum populum, ut infra de eadem tabularum confractione agens, rectè docet ſanctus Barnabas, accepto teſtamento a Judæis per idololatriam abjecto. Quod quidem teſtamentum intelligitur tantum de decalogo, qui in duabus tabulis Dei digito ſcriptis & a Moyſe fractis continebatur. Origenes libro primo contra Celſum, primas tabulas dicit eſſe legem in cordibus hominum ſcriptam, quæ cum ſuperfuſione peccatorum eſſet abolita, iterum Deus dedit ſcripturam in ea, illis per Moſen tabulis lapideis, minirum, prophetico ſermone præparante animam, poſt primum peccatum, ad ſecundas Dei literas. MEN.

21. *Populus tuus*, &c. Non dicit Deus, *Populus meus*, ſed *populus tuus*, quaſi populus eſſet Moyſi, cujus ille dux erat: quaſi Deus ob idololatriam Iſraëlem a facie ſua projecerit. Unde Oſee cap. I. *Et dixit, voca nomen ejus, non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero veſter.* MEN.

22. *In ſpem fidei illius.* Spes hic ſumitur pro retributione vitæ æternæ, quæ datur fidelibus ob fidem, quæ per dilectionem operatur, ut 2. ad Titum, *Expectantes beatam ſpem.* MEN.

23. *Iniquum.* Id eſt, iniquitatem. *Et futuras tentationes*, lege, *ſed & futuras*, &c. tentationes hoc loco ſunt peccata, metonymice cauſa pro effectu, quibus ſequentia cohærent. MEN.

Iniquum. Uſſer. *Animum.* OXON.

24. *Sicut dicit Filius Dei, reſiſtamus*, &c. Hanc Chriſti ſententiam in toto Evangelio non reperies, ſed eam audivit ab ipſo Chriſto, aut ab aliquo diſcipulo: qualis eſt hæc Pauli ſententia, Act. 2. *Et meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quam accipere.* MEN.

25. *Conſiderate opera malæ viæ.* Alludit ad viam duplicem, alteram lucis, alteram tenebrarum de qua infra multa agit. MEN.

26. *Non ſeparatim debetis ſeducere vos.* Id eſt, non debetis vos ab aliorum conſortio ſeparare. Nam ſeducere ſe, eſt ſe ab aliis ſeparare & amovere. Plautus in Aulularia: *Eo nunc ego ſecreto in hunc ſinas ſeduxo.* MEN.

Non ſeparatim debetis, &c. Similia habet Ep. ad Heb. X. 25. OXON. Videtur alludere ad nomen Phariſæorum, פרושים *perſehim*, quod ſeorſim ab aliis viventes ſonat, cùm id genus homines ſe præ cæteris *juſtificatos* cenſerent, ut paſſim ex Evangeliis apparet. *Epiphanius* adverſus hæreſes Lib. I. de Hæreſ. Phariſ. §. 1. Ἐλέγοντο δὲ Φαρισαῖοι διὰ τὸ ἀφωρισμένους εἶναι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων, διὰ τὴν ἐθελοπερισσοθρησκείαν, τὴν παρ' αὐτοῖς νενομισμένην· Φαρὲς γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα ἑρμηνεύεται ἀφορισμός. *Dicebantur autem Phariſæi, quod eſſent ſejuncti ab aliis ob ſpontaneam & ſupervacuam ſuperſtitionem eis adſuetudinis. Phares enim Hebraicè vertitur ſeparatio.* Sed

in unum convenientes inquirite, quod communiter dilectis conveniat & proſit. Dicit enim Scriptura: 1 *Væ illis, qui ſibi ſoli intelligunt, & apud ſe docti videntur.* 2 Simus ſpiritales, 3 ſimus templum conſummatum Deo: in quantum eſt in nobis, 4 meditemur timorem Dei, & cuſtodiamus mandata illius. Dominus 5 non acceptâ perſonâ judicat mundum. 6 Unuſquiſque ſecundùm quæ facit, accipit. 7 Si fuerit bonus, bonitas eum antecedit; ſi nequam, merces nequitiæ eum ſequitur. 8 Attendite, ne quando quieſcentes jam vocati addormiamus in peccatis noſtris, & nequam accipiens 9 poteſtatem noſtram, ſuſcitet & excludat à regno Domini. Adhuc & illud intelligite, cùm videritis 10 tanta ſigna & monſtra in populo Judæorum, 11 & ſic illos derelinquit Dominus. Attendamus ergo, ne fortè, ſicut ſcriptum eſt, 12 *multi vocati, pauci electi* inveniamur.

V. 13 Propter hoc Dominus ſuſtinuit tradere corpus ſuum in exterminium, ut remiſſione peccatorum ſanctificemur, quod eſt 14 ſparſione ſanguinis illius. 15 Scriptum eſt enim de illo, quædam ad populum Judæorum, quædam ad nos. 16 Dicit autem ſic: *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & vexatus eſt propter peccata noſtra;* 18 *ſanguine illius ſanati ſumus. Tamquam ovis ad victimam adductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum.* Supergratulari ergo debemus Domino, quia & præterit nobis, & ſapientes fecit, & 19 de futuris non ſumus ſine intellectu. 20 Dicit autem, 21 *Non injuſtè tenduntur retia avibus.* Hoc dicit, 22 quia juſte periet homo habens viam veritatis, ſcientiam, & ſe à via tenebroſa non continet adhuc. Et ad hoc Dominus ſuſtinuit pati pro anima noſtra, cùm ſit orbis terrarum Dominus; 23 cui di-

vide, quæ de hoc nomine pluribus diximus in Proleg. Hiſt. Eccleſiaſt. ſect. 1. c. 2. CLER.

1. *Væ illis qui ſibi ſoli intelligunt.* In tertia perſona, juxta textum Hebraicum, Septuaginta interpretes, apud quos legitur οὐαὶ non οὐαὶ ὑμῖν, atque etiam juxta ſanctum Cyprianum, libro tertio de teſtimoniis ad Quirinum. *Væ qui arguti ſunt in ſemet ipſis.* At in editione vulgata hic textus habetur in ſecunda perſona: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Hunc autem locum citat Clemens Alexandrinus, libro ſecundo Strom. non ex Eſaia, ſed ex Barnabâ, ὁ ἀπόστολος Βαρνάβας ὁ Ἀπόστολος, οὐαὶ οἱ συνετοὶ παρ' ἑαυτοῖς, &c. Porro hac ſententia ducemur eos, qui ſe ab aliorum ſocietate per ſchiſmata ſejungunt ſuam ſequi ſapientiam, non Dei. Quod proinde etiam cavetur. Proverb. 3. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* MEN.

2. *Simus ergo ſpiritales.* Recte: quia vere ſpiritalis eſt is, qui poſitâ ſenſus proprii ſuperbiâ, Dei ſapientiam communitati conſentiens ſequitur. MEN.

3. *Simus templum conſummatum Deo.* Idem infra *templum Domini inhabitatio cordis noſtri eſt.* Juxta doctrinam ſancti Pauli, de qua infra. MEN.

Simus templum. Paulus hac loquendi formula ſæpe utitur. 1. Cor. III. 16. Epheſ. II. 21. 1. Theſſ. II. 4. OXON.

4. *Meditemur timorem Dei.* Juxta illud Eſa. 33. *Cor tuum meditabitur timorem.* MEN.

5. *Dominus non accepta perſona judicat mundum.* Ad Gal. cap. 2. *Deus perſonam hominis non accipit.* 1. Petri cap. 1. *Et ſi patrem invocatis eum, qui judicat ſine acceptione perſonarum.* MEN.

6. *Unuſquiſque ſecundum quæ facit,* &c. Juxta doctrinam Apoſtolicam 1. Cor. 3. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Notanda merces bonorum operum. MEN.

7. *Si fuerit bonus,* Juxta illud Gen. 4. *Nonne ſi bene egeris, accipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Ubi ὑπὸ peccatum eſt pœna peccato debita. MEN.

8. *Attendite ne quando quieſcentes,* &c. Alludit ad Parabolam decem Virginum, Matth. 25. MEN.

9. *Poteſtatem noſtram.* Noſtram, id eſt, noſtri, id eſt, in nos. *Suſcitet,* lege, ſuſcitetur, adverſus nos videlicet. MEN.

10. *Cum videritis tot ſigna,* &c. Verbum videritis, eſt præteritum hoc loco. Nam infra loquitur de ſubverſione templi Hieroſolymitani jam facta. MEN.

Monſtra. Monſtrum ſignum aliquid ſiniſtri portendens. Gloſſæ veteres: *Monſtrum,* τέρας, σημεῖον, παράδειγμα. quod imminentia monſtret, Nonius cap. 5. Unde & monſtra monita dicuntur. Virgil. 3. *Æn.*

——primumque parenti
Monſtra Deûm refero.

Idem infra. Idem etiam docet Feſtus. Vide Iſidorum lib. 11. Orig. cap. 3. MEN.

Signa & Monſtra Reſpicit ſigna & prodigia, quæ excidium Jeroſolymitanum comitabantur a Domino prædicta, Matth. XXIV. OXON.

11. *Et ſic* Id eſt, quod ſic. MEN.

12. *Multi vocati,* Reſpicit ad illud Matth. 25. cap. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* MEN.

13. *Propter hoc Dominus ſuſtinuit.* 4. caput eſt de Chriſti paſſione, adventu, &c. MEN.

14. *Sparſione ſanguinis illius.* 1. Petri cap. 1. *In aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.* Nota, ſparſionem ſanguinis Chriſti ſumi à Barnaba pro remiſſione peccatorum. Ex quo liquet, nos juſtificari per applicationem meritorum Chriſti. Quid eſt enim ſparſio ſanguinis Chriſti, niſi applicatio paſſionis illius. MEN.

15. *Scriptum eſt enim.* Lege, *ſcripta ſunt enim.* MEN.

16. *Dicit autem.* Videntur deeſſe vocabula, *ad nos.* MEN.

17. *Vulneratus eſt,* &c. Eſaiæ cap. 53. Ubi hujus textus membra ſparſim habentur, non continue; ſed ea ſimul conjunxit Apoſtolus facilitatis & brevitatis cauſa. MEN.

18. *Sanguine illius.* Vulgo habetur, *livore ejus.* In textu Hebræo בחברתו quod propriè plagam ſignificat, in qua ſanies congregatur MEN.

Sanguine illius. Legiſſe videtur Int. τῷ αἵματι, non, τῷ μώλωπι ut eſt apud LXX. Int. ex Hebræo Codice. OXON. Senſum hic ſequutus eſt *Barnabas,* nam ſub finem cap. V. vocem πληγὴ in hoc loco habet.

19. *Et de futuris non ſumus ſine intellectu.* In veteri codice, unde hanc verſionem ſumpſimus, ſic erat, *Et de futuris non ſimus, ſumus ſine intellectu,* ſed hæc corrupta ſunt, & expuncto, *ſimus,* legendum, *& de futuris non ſumus ſine intellectu,* id eſt, non ignoramus, quæ ventura ſunt. MEN.

20. *Dicit autem.* Videntur deeſſe hæc vocabula, *ad illos.* Nam primus locus ex Eſaia citatus ad nos pertinet, quibus profuit ſanguis Chriſti, Judæis repudiatis. Poſtea verò dicit ad illos ſcripturæ ſequentem locum Proverbiorum, ut oſtendat eos in tenebris ambulantes non potuiſſe retia, & laqueos evitare venantium. MEN.

21. *Non injuſte tenduntur retia avibus.* Proverb. 1. cap. juxta Septuaginta interpretes: οὐ γὰρ ἀδίκως ἐκτείνεται δίκτυα πτερωτοῖς. In textu Hebraico ſine ulla negatione habetur כי חנם id eſt, fruſtra enim. Quæ verba quidam proferenda putant per interrogationem, quod mihi arridet; tum quia hoc pacto expoſitio Græca non diſcrepabit a textu Hebraico, tum quia id ſenſus poſtulat. Nam cum admonet ſapientia filium ſuum, ut declinet a ſocietate latronum, bene per ſimilitudinem exprimit, hæc facinora in ipſorum perniciem converti, ipſiſque eſſe veluti retia, quibus aves implicantur, quæ ſe demittendo inferius, cùm altius volare deberent, merito ab illis intercipiuntur. Unde recte ſequitur: *Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur,* peccando videlicet. Nec ibi legendum eſt τὸ *eorum,* loco *ſuum,* ut de his qui ſpoliantur, locus intelligatur. Nam in texto Græco legitur, θησαυρίζουσιν ἑαυτοῖς κακά. id eſt, ſibi ipſis mala theſaurizant. MEN.

22. *Quia juſte.* Hic applicat locum citatum ex Proverb primo. Nam quemadmodum avibus juſte retia tenduntur, ſi volando ſe forſitan humi ius deprimant, cum poſſent ea ſe altius attollendo devitare: ſic juſte peribunt Judæi, qui cum haberent lucem Scripturarum, in ea non ambularunt, ſed in tenebris: nec ſe in altum extulerunt, ſed humi repſerunt MEN.

23. *Cui dixit.* Videtur deeſſe τὸ *Pater.* Nam inde probare contendit, & Filii excellentiam, quod ſit teſtatum ob his Dominus, & quod ei dixerit Pater: *Faciamus hominem,* &c Quod etiam repetit infra: λέγει γὰρ ἡ γραφὴ περὶ ἡμῶν, ὡς λέγει τῷ υἱῷ. Ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα, &c. Id eſt, dicit enim Scriptura de nobis, ſicut dicit filio, ſupple, Deus, ut ex antecedentibus patet, *Faciamus hominem ad imaginem,* &c. Quem ſecuti ſunt antiqui Patres, in probanda ejuſdem Filii Dei præſtantia, & divinitate. Sanctus Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo: καὶ τοῦτο αὐτὸ, ὦ φίλοι, ὃ καὶ διὰ Μωσέως ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος μηνύει ἡμῖν, ... τὸν θεὸν λέγοντα ... τῷ ποιῆσαι ἐπὶ τῆς ποιήσεως τοῦ ἀνθρώπου, λέγων ταῦτα· ποιήσωμεν ἄνθρωπον, &c. id eſt, hoc ipſum, ô amici, quoque dixit verbum Dei per Moſem indicans nobis, quem eodem intellectu Deum nominandum eſſe declaravit, in creatione hominis hæc dicens: *Faciamus hominem,* &c. Theophilus libro ſecundo ad Autolycum: οὐκ ἄλλῳ δέ τινι εἴρηκε, ποιήσωμεν, ἀλλ' ἢ τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ, καὶ τῇ ἑαυτοῦ σοφίᾳ· id eſt, nulli alii dixit: *Faciamus,* quam ſuo Verbo, & ſapientiæ. Idem docet Origenes libro ſecundo contra Celſum. Euſebius Cæſarienſis libro primo hiſtor Eccleſ cap. 2. *Quin etiam magnus ille Moſes, & Prophetarum omnium antiquiſſimus, dum hujus univerſi coagmentationem & conſtructionem deſcribit,* τὸν κοσμοποιὸν καὶ δημιουργὸν τῶν ὅλων αὐτῷ δὴ τῷ Χριστῷ, καὶ οὐδ' ἄλλῳ ἢ τῷ θείῳ δηλαδὴ, καὶ πρωτογόνῳ ἑαυτοῦ λόγῳ τὴν τῶν ὑποβεβηκότων ποίησιν παραχωροῦντα διδάσκει, αὐτῷ τε κοινολογούμενον ἐπὶ τῆς ἀνθρωπογονίας· εἶπε γὰρ, φησὶν, ὁ θεὸς, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν. Id eſt, *Docet hunc mundi artificem ipſi Chriſto, nulli alii quam divino ſcilicet & primogenito ſuo verbo horum inferiorum conceſſiſſe fabricam, cumque eo communiter confabulatum. Dixit enim Deus. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Sanctus Ambroſius, libro ſexto in Hexameron cap. 7. *Cui dicit? Non ſibi utique: quia non dicit, faciam, ſed faciamus. Non Angelis: quia miniſtri ſunt: Servi autem cum Domino, & cum auctore non poſſunt operationis habere conſortium. Sed dicit Filio, etiamſi Judæi nolint, etiamſi Ariani repugnent.* Ex quibus patet, quam vana ſit hæreſis Saturnini & Baſilidis, qui hominem ab Angelis eſſe creatum affirmant, illoſque ſe exhortando ad ejuſmodi

Digitized by Google

xii 1 die ante conſtitutionem ſæculi : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Quo modo ergo ſuſtinuit, cùm ab hominibus hoc pateretur, diſcite. 2 Prophetæ ab ipſo habentes donum, in illum prophetaverunt : ille autem ut vacuam faceret mortem, & 3 de mortuis reſurrectionem oſtenderet, quia 4 in carne oportebat eum adparere, 5 ſuſtinuit, 6 ut promiſſum parentibus redderet : & ipſe, ſibi populum parans, reſurrectione facta, in terris, judicabat illis ad vitam ducens populum Judæorum, & magna ſigna, & monſtra faciens, non crediderunt, nec dilexerunt illum. Tunc Apoſtolos ſuos, qui incipiebant prædicare Evangelium ſuum, elegit, qui erant ſuper omne peccatum peccatores : ut oſtenderet, quia non venit *vocare juſtos, ſed peccatores.* Tunc oſtendit ſe eſſe filium Dei. Si enim non veniſſet in carne, quo modo poſſent homines ſanari ? Cùm reſpicientes ſolem, qui eſt opus manus Dei, non poſſent radios ejus diutius intueri. Filius ergo Dei ideo in carne venit, ut conſummationem peccatorum definiret eis, qui perſecuti ſunt ad mortem Prophetas illius. Dicit autem Eſaias ; *Plagâ corporis illius omnes ſanati ſumus.* Et alius Propheta : *Feriam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.* Ipſe autem voluit ſic pati. Dicit enim, qui prophetat de illo : *Parce animæ meæ à gladio.* Et : *Confige clavis carnes meas, quia nequiſſimorum conventus inſurrexerunt in me.* Et iterum dicit : *Ecce poſui dorſum meum ad flagella, & maxillas meas ad 7 palmas. Faciem autem meam poſui tanquam ſolidam petram.*

VI. Cùm autem fecit Dei præceptum, quid dicit ? *Quis eſt, qui contradicit ? reſiſtat mihi. Quis æqualis futurus eſt mihi ? propinquet puero Dei. Væ vobis, quia vos omnes veteraſcitis tamquam veſtimentum, & tinea devorabit vos.* Iterum dicit Propheta ; *Tamquam lapis expoſitus eſt in adflictionem. Ecce mittam in fundamenta Sion lapidem pretioſum, electum.* Et quid dicit ? *Et qui crediderit in illum, non confundetur.* In lapide ergo fides noſtra ? abſit ! Sed quia in fortitudine poſuit corpus illius. Dicit iterum Propheta : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Hic eſt dies, quem fecit Dominus.* Quid ergo dicit ? *Circumvenerunt me conventus nequiſſimorum : vallarunt me tamquam apes.* Et iterum dixit : *Super veſtem meam ſortem miſerunt.* In carne ergo incipiente illo venire, antè oſtenſa ſunt quæ paſſurus erat. Dicit ergo Propheta ad Judæos : *Væ animæ iniquorum, qui dicunt inter ſe ; Circumveniamus juſtum, quia inſuavis eſt nobis.* Et Moyſes autem dicit ad illos : *Hæc dicit Dominus Deus : Intrate in terram bonam, quam promiſit Dominus Abraha, Iſaac, & Jacob ; & dominio ſortitis illius terræ, quæ trahit lac & mel.* Quid dicat ſcientia, diſcite : *Credite*, inquit, *in eum, qui in carne apparebit, Jeſum.* Homo enim terra eſt : cum ex terra ſit figmentum Adæ. Quid ergo dicit ? *In terram bonam, fluentem lac & mel.* 8 Et benedictus Dominus, quia ſapientiam, & ſenſum poſuit in nobis abſconditorum ſuorum. Dicit autem per Prophetas parabolam Dominus : *Quis intelliget, niſi ſapiens, & diligens Dominum ſuum ?* Quia ergo, cùm nos eognovit in remiſſionem peccatorum, fecit nos aliam figuram, tamquam pueros habere ; ut ſpiritu figuraret nos : nos enim, ſicut dicit Scriptura ; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram : & ſuperſit beſtiis terræ, & avibus cæli, & piſcibus maris.* Et Dominus videns bonam figuram noſtram, dicit : *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Iterum vobis oſtendam, quo modo vobis dicit ſecundam figuram in noviſſimis. Dicit Dominus : *Ecce facio noviſſima tamquam priora.* Propter hoc ergo prædicavit Propheta : *Intrate in terram, quæ trahit lac & mel, & dominamini ejus.* Quia ipſe incipiebat apparere, & in nobis habitare : templum enim Domini, inhabitatio cordis noſtri eſt. Dicit ergo iterum : *Et quo modo apparebo Deo Domino meo, & magnificabor ?* Inquit : *Confitebor in Eccleſia fratrum meorum, & decantabo tibi in Eccleſia ſanctorum.* Nos ergo ſumus, quos induxit in terram bonam. Quid ergo lac & mel ? Quia ab initio infans melle & lacte vivificatur ; ſic ut per fidem promiſſionis, verbo dum adnutrimur, ſic vivificamur, dominatum agens terræ. Quis eſt qui poſſit modò eſſe ſuper beſtias, aut ſuper aves, aut ſuper piſces ? Sentire debetis, quia 9 ſupereſſe poteſtatis eſt, ut quis imperans, domino ſit.

VII. Intelligite ergo, filii dilecti, quia omnia 10 bonus Dominus oſtendit nobis, ut ſciremus, cùm per omnia gratias agere debeamus. Si ergo Filius Dei, cùm ſit Dominus, qui incipiet judicare vivos & mortuos, paſſus eſt, ut plagâ illius vivificaret nos ; credamus, quia Filius non poterat pati, niſi propter nos. Sed & potatur aceto, & felle. Audite quemadmodum de

opus ſibi invicem dixiſſe, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et planum eſt ex ſancto Irenæo, libro ſecundo de hæreſibus cap. 21. ſancto Epiphanio, libro primo hær. 21 Philaſtrio, hær. 3. & 4. Nonnulli autem Patres aſſerunt, in hominis creatione Patrem non ſolum locutum eſſe Filio ſuo, ſed etiam Spiritui ſancto, cum dixit : *Faciamus hominem*, &c. ac proinde fuiſſe trium perſonarum opus. Ita ſanctus Irenæus, in præfatione libri quarti adverſus hæreſes. *Homo eſt autem temperatio animæ, & carnis, qui ſecundum ſimilitudinem Dei formatus eſt, & per manus ejus plaſmatus eſt, hoc eſt, per filium & ſpiritum, quibus & dixit : Faciamus hominem*, & ejuſdem libri cap. 37. *Adeſt enim ei ſemper verbum & ſapientia filius & Spiritus ſanctus, per quos & in quibus omnia libere & ſponte fecit, ad quos & loquitur, dicens : Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Sanctus Gregorius Nyſſenus orat. 1. in verba, *Faciamus hominem*, &c. [illegible] Id eſt, nunc autem ſcriptum eſt, *faciamus*, ut cognoſcas Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Ita ſanctus Epiphanius hær. cit., Leontius actione 5. & communiter Theologi. Cur autem ſanctus Barnabas ; & ſupra citati Patres de Spiritu ſancto tacuerint, ratio eſt, quia tantum de Chriſti divinitate & excellentia agere animus erat. MEN.

1. *Die ante conſtitutionem ſæculi.* Dies ante conſtitutionem ſæculi ſextus eſt, quo Deus hominem creavit, hora ſexta (cum prius eodem die bruta creaſſet animantia) qua Chriſtus cruci affixus, ut eadem hora, qua creatus homo, redimeretur, ut notat Origenes tractatu 35. in Matthæum : *Legimus autem etiam in aliis locis, quod cum duæ creaturæ generales in ſexta die factæ fuiſſent, prius quidem animalia, deinde homo ſecundum Dei imaginem factus, conſequens eſt, ut & dies ille ſextus diviſus fuiſſe intelligatur in duas ſpecies creaturæ : in ante ſextam quidem animalia intelliguntur fuiſſe creata, in ſexta autem hora dixiſſe Dominum : Faciamus hominem ad imaginem noſtram, & feciſſe eum tunc. Propter quod conveniebat pro ſalute ejuſdem hominis morientem in ipſa hora ſexta ſuſpendi.* Accedit, quod ipſe homo die ſexto creatus eſt, quo redemptus. *Ante conſtitutionem ſæculi*, id eſt, ante plenam & perfectam mundi conſtitutionem, quia animalibus, & homine nondum creatis, non erat mundus plane perfectus. MEN.

2. *Prophetæ ab ipſo habentes donum* Prophetiæ videlicet. Nam Prophetæ Dei ſpiritu afflati prophetarunt 1. Petr. cap. 1. *De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt, ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti.* Hinc refutatur Cerdo hæreticus, *qui legem & Prophetas repudiat*, inquit Tertullianus, libro de præſcriptionibus hæreticorum. Hanc hæreſim multis inſectatur Origenes, libro ſecundo, περὶ ἀρχῶν cap. 4. Fuit etiam hæc Manichæorum hæreſis. MEN.

3. *De mortuis reſurrectionem.* 1. Petr. 1. c. 1. *Ex mortuis reſurrectio*, id eſt, mortuorum reſurrectio. MEN.

4. *Quia in carne oportebat eum adparere*, Diſcipulis poſt mortem videlicet, ſed lege, *Et quia*, &c. MEN.

5. *Suſtinuit.* Id eſt, paſſus, eſt. MEN.

6. *Ut promiſſum parentibus redderet.* Id eſt, ut quæ priſcis patribus per Prophetas prænunciata ſunt, adimpleret. [illegible] hoc loco ſequelam ſignificat, non cauſam, quaſi diceret : *Ita ut promiſſum parentibus redderet.* MEN.

7. *Palmas.* Hoc eſt, colaphos palmâ impactos. Gloſſæ Veteres. *Depalmare*, ῥαπίζειν. CLER.

8. *Et benedictus.* Lat. vocem & interpoſitam videtur ea quæ ſequuntur pro ſacra Scriptura textu laudaſſe. Fortaſſe Prov. III. 19. aut Pſal. CXVIII. 10. Sed *Clemens Alexandrinus* lectionem Græci textus confirmat. OXON.

9. *Supereſſe.* Hoc eſt, *dominari*, *præeſſe*. OXON. In eadem Editione eſt : *in litterali textu feris animalibus non dominamur, relinquitur ut in ſpirituali id contingat : brutis, mitium, & ferocientibus affectibus dominii ; nam ad tempora Evangelii ſpectant illa Eſaiæ*, leo & bos ſimul accument. Hæc editor Oxonienſis. Sed revera brutis dominamur, in eo quod pro arbitrio ea occidimus, & in uſus noſtros, ſeu arte, ſeu vi adhibemus. Vide quæ ſcripſimus ad locum Geneſeos. CLERICUS.

10. *Bonus Dominus.* Quæ hic dicuntur, de iis quæ *bonus Dominus oſtendit*, videntur reſpicere quæ ſupra dicta erant quòd *benedictus Dominus qui & ſapientiam*, &c. pro more hujus Scriptoris,

Digitized by Google

hoc ſignificaverint ſacerdotes templi: Inſcriptâ lege præcepti: ut ſi quis non jejunaret jejunium, morte moreretur, præcepit Dominus: quia ipſe pro peccatis noſtris incipiebat vas ſpiritus ſui offerre hoſtiam; ut & figuram quæ fuerat ſub Iſaac, qui oblatus eſt ad aram, conſummaret. Quid dicit Propheta? [1] *Et manducent de hirco, qui oblatus fuit ad jejunium pro omnibus peccatis.* Attendite diligenter: *Et manducent ſacerdotes ſoli inteſtinum non lotum, cum aceto.* Ad quid? Quoniam me, pro peccatis populi mei incipientem offerre corpus meum, potabitis aceto cum felle, manducate vos ſoli, populo jejunante, & plangite vos in cilicio & cinere. Et ut oſtenderet, quia ab illis debet pati, ſic præcepit: *Sumite hircos duos bonos, ſimiles, & offerte: & accipiant ſacerdotes unum holocauſtum pro peccatis, alium autem in maledictionem.* Attendite, quo modo figura Jeſu oſtendebatur. *Exſpuite in illum*, inquit, *omnes, & pungite, & imponite lanam coccineam circa caput illius, & ſic in aram ponatur: & cùm ita factum fuerit, adducite; qui ferat hircum in eremum, & auferat, & ponat illam in ſtirpem, quæ dicitur rubus, cujus & fructus in agris adſumunt invenientes manducare: hujus ſtirpis dulces fructus inveniuntur.* Ad quid ergo hoc? Attendite: *Unum ad aram, alium tamquam maledictum.* Et quare is, qui maledictus, coronatus? Quia videbunt illum tunc in illa die, chlamydem habentem coccineam circa corpus, & dicent: Nonne hic eſt, quem nos crucifiximus, faſtidientes, & conſpuentes, & compungentes? Verè hic fuit, qui tunc ſe dicebat eſſe Filium Dei. Sicut ergo ſimilis, ſic ſimiles hircos & æquales, ut cùm viderint unum ex illis tunc paſcentem, admirentur in ſimilitudine capti. Ergo [2] videris figuram ejus, qui paſſurus erat, Jeſu. Quare & lanam in medio ſpinarum ponunt? Figura Jeſu, Eccleſiæ poſita: quia qui voluerit tollere lanam coccineam, oportet illum multa pati, propter ſpinæ nequitiam, & coartatum ſic dominari illius. *Sic*, inquit, *qui volunt me videre, & attingere regnum meum, debent compreſſi, & multa paſſi accipere.*

VIII. Quam autem figuram putatis eſſe; quia præceptum eſt populo Judæorum, offerre vaccam [3] homines, in quibus peccata conſummata ſunt, & occiſam comburere, & tollere tunc cinerem pueros, & mittere in vaſa fictilia, & ſuſpendere in ligno lanam coccineam & hyſſopum, & ſic ſpargere pueros circa ſingulas turbas populi, ut ſanctificentur à peccatis? Videte ergo, quo modo in ſimilitudine dicat nobis. Vacca erat Jeſus, qui offerebant, homines peccatores, hi qui obtulerunt eum ad victimam: [4] qui ſparſerunt pueri, hi erant, qui nunciaverunt nobis remiſſionem peccatorum, & caſtitatem præcordii noſtri, quibus dedit Evangelii poteſtatem; qui ſunt duodecim, teſtimonium tribuum; quia duodecim ſunt tribus Judæorum. Quare ergo & lana in ligno eſt? Quia qui crediderit in illum, vivet in perpetuum. Quare in unum lanam & hyſſopum? Quia in regno illius dies erunt nequiſſimi, & ſordidi, quibus nos ſanabimur. Et propter hoc dum ſic fiunt; nobis lucida, illis autem obſcura; quia non audierunt vocem Domini.

IX. Dicit autem de auribus, quo modo circumcidat aures præcordii noſtri. Dixit per prophetam: *Auditu auris exaudivit me.* Et iterum dicit: *Auditione audient, qui longè ſunt, & quæ faciet, ſcient. Circumcidite, dicit Dominus, aures veſtras.* Et iterum dicit: *Audi Iſraël, quia hæc dicit Dominus Deus tuus.* Et iterum Spiritus Domini propheta: *quia qui vult vivere in perpetuum? Auditione audiat vocem pueri mei.* Et iterum dicit: *Audi cœlum, & percipe auribus terra, quia Dominus locutus eſt.* Et iterum dicit, *Audite verbum Domini, principes populi hujus.* Et iterum: *Audite vocem clamantis in eremo.* Ergo circumcidite aures noſtras, ut audito verbo credamus. Circumciſionem autem dixit, non corporis: ſed prætererunt; quia Angelus nequam docebat illos. Dicit autem ad illos: *Hæc dicit Dominus Deus veſter. Hic invenio novam legem. Væ illis, qui ſeminant in ſpinis. Circumcidite vos Domino veſtro.* Hoc eſt, audite Dominum veſtrum: *& circumcidite nequitiam de præcordiis veſtris.* Dixit autem iterum: *Ecce dicit Dominus: omnes nationes ſine circumciſione corporis ſunt; hic autem populus ſine circumciſione cordis eſt.* Sed etiam circumciſus eſt populus in ſigno? Sed & Judæus, & Arabs, & omnes Sacerdotes Idolorum, & Ægyptii. Ergo & hi de teſtamento ſunt? quos dicit filios Abrahæ de omnibus gentibus: quia Abraham primus circumciſionem dedit, in Spiritu, quòd proſpiciebat in Jeſum. Circumcidit de domo ſua homines trecentos octodecim, quia primatum trecenti ſunt; & diſtinctione factâ, dicit decem & octo: habes in duabus litteris Jeſum. In quibus incipiebat habere donum, tunc dicit, & trecentos: habes in una littera TAU, crucem. Scitote, quia naturale donum doctrinæ ſuæ poſuit in nobis. Nemo [5] artius didicit à me verbum: ſed ſcio, quia digni eſtis.

X. Quare autem Moyſes dicit: *Non manducabis porcinam, nec aquilam, nec accipitrem, nec corvum, nec omnem piſcem, qui non habet in ſe ſquamam?* Tres accepit Moyſes in conſcientia ſua conſtitutiones. Ad ſumma dicit illis in ſecunda lege: *Et diſponam ad populum hunc æquitates meas.* Ergo non eſt mandatum Dei, ne manducent, ſed Moyſes in figura locutus eſt illis. Porcinæ ergo ad hoc dixit: Non eris conjunctus hominibus talibus, qui cùm luxuriant, obliviſcuntur Dominum ſuum. Porcus enim cùm manducat, Dominum non novit; cùm eſurit, tunc clamat; & cùm accepit, iterum tacet. *Nec manducabis*, inquit, *aquilam, aut accipitrem, aut corvum.* Hoc dicit: Non adjunges te, nec ſimilabis talibus hominibus, qui neſciunt per laborem & ſudorem ſibi acquirere eſcam; ſed rapiunt alienam, per ſuam iniquitatem; & obſervant quaſi in ſimplicitate ambulantes, quem diſpolient: ſic aves iſtæ ſolæ ſibi non acquirentes eſcam, ſed pigræ ſedentes, quærunt quo modo alienas carnes devorent; cùm ſint peſtilentioſæ per ſuam nequitiam. *Non manducabis*, inquit, *murenam, nec polypum, nec ſepiam.* Non, inquit, ſimilabis adhærens hominibus, qui in perpetuo impii, & judicati jam mortui ſunt. Hi enim piſces ſoli maledicti ſunt, non natantes, ſicut reliqui, ſed in ima altitudinis terræ inhabitant. *Sed nec leporem manducabis.* Ut quid dicit? Non eris, inquit, corruptor puerorum, nec ſimilabis talibus. Quia lepus ſingulis annis facit ad adſellandum ſingula foramina; & quotquot annis vi-

qui à ſe propoſita denuo retractat. OXON.

1. *Manducent, &c.* Hæc quæ ſequuntur tam exactam legis Moſaïcæ, & rituum Judaicorum cognitionem ſapiunt, ſcriptoremque non modò Iſraëlitam, ſed etiam Levitam, qualis erat Barnabas, fuiſſe demonſtrant, ut mirum ſit, ex leviſſimis conjecturis aliquibus in mentem veniſſe illum ex Ethnico fidem Chriſtianam accepiſſe. OXON.

2. *Videris.* Fortaſſe [illegible], quod nunc obtinet lege [illegible], quæ melior lectio. OXON.

3. *Homines in quibus peccata.* Dicunt Judæi, *ſummum ſacerdotem hanc muneri ſibi ſervatum, quod pollueret eos qui in eo miniſtrabant.* Maimon. in Parah. C. I. §. 11. Imò non modò Judæus, ſed & alienigena ovis & vaccæ mactandæ ſufficerat, & etiam eidem comburendæ idoneus habebatur; quod in Num. XIX. 3 adrotat ſed, hi, quandoquidem dicuntur hæc fieri debere in *oculis*, hoc eſt, ſaltem in conſpectu Sacerdotis. Ritum hunc dominicam expiationem reſpexiſſe oſtendit Paulus, Heb. IX. 13. Imò ipſe Maimonides, poſtquam dixit novem juvencas rubras à tempore Moſis, ad Templi deſtructionem combuſtas fuiſſe, ſubjungit *decimam à Meſſia Rege ex pectari*, in Parah. C. III. §. 4. De ſinceram ſe'ervatione idem ait *quemlibet Iſraelitam illi curæ idoneum eſſe, & vas quodlibet ſufficere, licèt ſit fictile*; & demum concludit, *neminem eſſe in Iſraele, qui immundus ſit vilis.* Cap. XIII. §. 12. OXON.

4. *Victimam.* Eſt præterea in Græcis: *Sed nunc non amplius viri, nulla ampliùs peccantium gloria.* Quæ ad divinæ præſentiæ pignus in arca fœderis videntur referenda, & excidium Hieroſolymitanum reſpicere; nam Epiſtolam hanc poſt [illegible] illam fuiſſe conſcriptam, infrà docemur. Privilegia Judaïca recenſ[ens] Paulus dicit, penès illos fuiſſe [illegible] &c. Rom. IX. 4. Niſi fortè hæc verba ſint interpretamentum ſeu enarratio illius quæ præceſſit *ſpargere pueros*, &c. & tunc obtinebit lectio Cod. Uſſeriani: [illegible] Poſt converſionem, viri illi non ſunt ampliùs peccatores, nec pro peccatoribus habentur. OXON.

5. *Artius.* Lege *apius*. OXON.

vit, totidem fœmina facit: *Sed nec belluam*, inquit, *manducabis*: Hoc eſt; Non eris mœchus, aut adulter, nec corruptor, nec ſimilabis talibus: quia hæc beſtia alternis annis mutat naturam, & fit modò maſculus, modò fœmina. Sed & quod dicit: *Muſtelam odibis*: Non eris, inquit, talis, qui audit iniquitatem, & loquitur immunditiam. Non inquit, adhærebis immundis, qui faciunt iniquitatem ore ſuo. De eſcis ergo Moyſes, acceptis tribus conſtitutionibus, in Spiritu ſic locutus eſt: illi autem ſecundùm concupiſcentiam corporis, tamquam de eſcis diceret, ſic perceperunt. Accepit autem earum trium conſtitutionum ſcientiam David, & dicit: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum*; ſicut piſces eunt in tenebras: *Nec in via peccatorum ſtetit*; ſicut qui videntur timere, & exerrant, tamquam porcus: *Nec in peſtilentiæ cathedra ſedit*; ſicut aves, quæ ſedent ad rapinam. Habetis conſummatam de eſcis. Sed dicit Moyſes: *Manducabis omne quod ruminat*. Hoc eſt, qui eſcâ acceptâ, ſcit eum, qui ſe paſcit, in ſe refrigerari. Bene dicit, providens mandatum. Quid ergo dicit? Adhærete eis, qui tenent diſtinctum ſermonem in corde ſuo, & cum eis qui loquuntur æquitates Domini, cum eis qui ſciunt, quis aſſidua lectio utilis eſt. Videte quo modo ſpiritualiter legem conſtituit Moyſes. Sed unde illis, hæc intelligere? Nos autem intelligentes mandata, loquimur ſicut voluit Dominus.

XI. Quæramus ergo, ſi curæ fuerit Domino oſtendere de aqua, & de cruce. De aqua ſcriptum eſt ad populum Judæorum, quo modo tinctionem, quæ adfert remiſſionem peccatorum, non recipiant, ſed ſibi inſtituant. Dicit ergo Propheta: *Sic horruit cœlum, & in hoc plurimùm expavit terra. Quia duo mala fecit populus hic; me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt ſibi lacus detritos, qui non poſſunt aquam portare. Numquid petra* 1 *rennoſa eſt mons ſanctus meus Sina? Eritis enim tamquam avis pulli ablatis.* Et iterum dicit Eſaias: *Ego antecedam te, & montes æquabo, & oſtia area contribulabo, & ſeras ferreas confringam; & dabo tibi theſauros obſcuros, inviſos, ut ſciant, quia ego ſum Dominus Deus. Inhabitans in altiſſima ſpelunca fortis petræ. Et aqua illius fidelis. Regem cum magnitudine videbitis, & anima veſtra meditabitur timorem.* Et iterum David dicit: *Erit*, qui hæc facere cœperit, *tamquam lignum, quod plantatum eſt juxta tractus aquarum, quod fructum ſuum dabit tempore ſuo: & folia ejus non decident, ſed omnia quæcumque faciet, proſperabuntur. Non ſic impii, non ſic; ſed tamquam pulvis quem abjicit ventus à facie terræ. Propterea non reſurgunt impii in judicio, neque peccatores in conſilio juſtorum: quoniam ſcit Deus viam juſtorum; & via impiorum peribit.* Sentite autem debetis, quo modo aquam & crucem in uno dono conſtituit. Hoc ergo dicit: felices qui ſperaverunt in aquam & in crucem: Mercedem in tempore ſuo: Tunc, inquit, reddam. Modò autem qui dicit: *Folia illius non decident*. Hoc eſt, quis omnis ſermo; qui exierit per os veſtrum, erit in ſpem & reſurrectionem multis. Et iterum alius Propheta dicit: *Erat Jacob laudabilis ſuper omnem terram.* Terram vas ſpiritus illius magnificat. Deinde quid dicit? *Erat flumen trahens à dextra: & aſcendebant inde arbores ſpecioſæ: & quicumque ex illis manducaverit, vivet in perpetuum.* Hoc eſt, quia nos deſcendimus in aquam pleni peccatis & ſordibus, & aſcendimus fructibus pleni, in præcordiis noſtris timorem & ſpem habentes in Dominum. Ideò dicit: *Et qui manducaverit, vivet in perpetuum.*

XII. Similiter & crucem ſignificat, in alio Propheta, dicente; *Et quando hæc conſummabuntur; & dixit Dominus: cùm lignum inclinatum fuerit, & reſurrexerit & cùm de ligno ſanguis ſtillaverit.* Habes iterum de cruce, & de eo, qui incipit crucifigi. Dicit autem iterum in Moſe, cùm pugnaret populus Judæorum, & caciderunt Judæi ab alienigenis, ut illos commemoraret, dum oppugnantur, quia propter peccata ſua trahuntur in mortem, dixit in præcordiis Moyſi Spiritus; Fac figuram crucis; quia ſi non crediderint in illum, 2 in perpetuo oppugnabuntur. Et iterum aſcendit Moyſes in aggerem, & ſtans manus extendebat, & vincebant Judæi; deinde cùm depoſuerat, vincebat Amalec. Hoc ad quid? Ut ſcirent, quia non poſſunt liberari, niſi in cruce Chriſti ſperaverint. Et iterum dicit in alio Propheta: *Expandi manus meas tota die ad populum imperſuaſibilem, & contradicentem viæ juſtæ.* Item Moyſes facit figuram Jeſu, quia oportebat illum pati, & quia ipſe vivificavit, quem illi putaverunt perdidiſſe. Cadente enim populo Judæorum, quia juſſerat Dominus, ut morſo colubræ morerentur, quia præteritio Evæ per colubram fuerat, voluit illos corripere, & ideo ſic morti tradere, qui mandata ejus prætererunt. Ad ſummam, ut ipſe Moyſes, qui præceperat, dicit: *Non erit vobis, neque conflatile, neque ſculptile*; ipſe fecit ſerpentem æreum, ut figuram Jeſu oſtenderet; & poſuit in cruce, & per præcones convocavit populum; & cùm veniſſent, rogabant Moyſen, ut pro ſanitate eorum Dominum rogaret: & tunc dixit illis Moyſes: *Cùm aliquis ex vobis morſus fuerit, veniat ad colubram; & ſperet, quoniam cùm ſit ipſa mortua, poteſt alias ſanare; & ſine mora curabitur*: & ita faciebant. Quid dicit iterum Moyſes, 3 Auſe filio Nave? ut oſtenderet Jeſum eſſe filium Dei, audiente populo, quia omnia Pater oſtendit Filio ſuo. Clamavit Moyſes filium Nave & impoſuit illi nomen, Jeſus, & dixit: *Accipe librum in manu tua, & ſcribe quæ dicit Dominus; quia amputabit à radicibus omnem domum Amalec Filius Dei Jeſus in noviſſimis diebus.* Ecce iterum Jeſus, non filius Nave, ſed Filius Dei in carne apparuit. Iterum dicit David: *Dixit Dominus Domino meo; ſede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſub pedibus tuis.* Et iterum dicit Eſaias: *Sic dicit Dominus Chriſto meo meo* 4 *Domino cujus tenui dexteram; exaudient illum gentes, & virtutem regum corrumpam.* Videte quo modo

1. *Rennoſa*, Oxonienſis Ed. habet in contextu *eremoſa*, in Notis verò conjicitur *arenoſa*, quòd loca *arenoſa* ſoleant eſſe deſerta. *Steph. Le Moine* conjiciebat *rimoſa*, hoc eſt, præ ſiccitate hians. Vide quæ ſcripſi p. 818. in *Barnabam*. Crediderim ſcriptum fuiſſe, *eremi*, idque à dormitante Librario corruptum, qualium depravationum nulla certa ratio excogitari poteſt. CLERICUS.

2. *In perpetuo oppugnabuntur.* Εἰς τὸν αἰῶνα πολεμηθήσονται hoc eſt, in perpetuum vincentur, ita ut numquam victorum jugum excutere poſſint. Nam hæc eſt interdum vis verbi πολεμεῖσθαι Vertit *Cotelerius*, *ſemper debellabuntur*, quod ſignificat, omnibus bellis inferiores futuros; ſed ἀεὶ & εἰς τὸν αἰῶνα differunt, quod miror virum diligentem & verba penè in tranſlatione adnumerantem fugiſſe. IDEM.

3. *Auſe filio Nave.* Atqui reprehendit S. Hieronymus lib. 1. adverſùs Jovinianum cap. 12. & initio Commentariorum in Oſeam, nec non ad verſum ultimum Pſalmi 76. codices tum Græcos, tum ſui temporis Latinos quòd Numerorum cap. 13. *Auſe*, non *Oſee*, ſcriptum exhiberent; cùm tamen inter utrumque parva vel nulla videatur eſſe differentia. Et verò ſimile quid Verſionis LXX. notatur ab Origene ad Johannis I. 28. in ſecundo filio Judæ Patriarchæ, Hebraicè dicto Onan, Græcè *Aunan* Αὐνάν. Quæ vox (ut id obiter moneam) reſtitui debet Philoni Judæo, libro Quod Deus ſit immutabilis, paullo poſt initium, ubi Αὐνὰς corruptè impreſſum eſt. Facilis quippe in his elementis ν, & ς, lapſus. Quare On Αὐν, de quo Numerorum XVI. 1. vocatur Αὐνὰν in Tzetze, Chiliade 10. verſ. 118. & Αὐνᾶς in Epiphanio Græco-Latino Hæreſi 64. cap. 69. ſed meliùs in Editione Græca, & in Græco-Latina quoque Ancorati cap. 101. Αὐνὰν ſcribitur. Ac forte; ut ad Auſem redeamus; ſcripſerant LXX. Oſee Ὡσηέ Ita namque nunc etiam legitur apud Philonem, libro de nominum mutatione; & olim legebatur in ejuſdem Judæi opere de nominibus Hebraicis, ſicut patet ex verſione Hieronymi, quæ ſectione de Numerorum libro *Oſee* repræſentat, non *Auſe*. At Juſtinus Martyr, Colloquio cum Tryphone, Origenes, Homiliâ 1. in Jeſum Nave, Euſebius, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 1. cap. 3. Theodoritus Quæſtione 25 in Numeros, Tertullianus, Adverſùs Judæos cap. 9. & Contra Marcionem lib. 3. cap. 16. lib 4 cap. 13. Poëta incertus lib. 3. adverſùs Marcionem, cum Pſeudo-Clemente, Recognitionum lib. 1 cap. 38. Lactantio, Divinarum inſtitutionum lib. 4. cap 17. Rufino, in Expoſitione Symboli; Auguſtino, libro quinquaginta Homiliarum, Homiliâ 27. & auctore Cœnæ, Cypriano perperam attributæ, Αὐσῆ, Αὐσῆς Auſe, Auſen, & Auſeam vocant. Multò gravius mendum irrepſit poſtea in libros LXX. quando ex τοῦ Αὐσῆ, Numer. XIII. 17. geminato ν, fecerunt librarii τοῦ Ναυῆ. unde Nauſis appellatio ſtatit in Demonſtrationem Evangelicam Euſebii lib. 4. cap. ult. Synopſim dictam Athanaſii, cap. de Numeris; Anaſtaſii Antiocheni Quæſtionem 51. & Georgii Cedreni Compendium Hiſtoriarum p. 63. Edit Baſil. COT.

4. *Domino meo.* Non modò Interpres legit κυρίῳ, ſed & ipſe Barnabas, ſi ſcripſit hunc locum, nam nulla eſt ejus ratiocinatio,

Digitized by Google

illum Prophetæ Dominum, non tantùm filium dicunt.

XIII. Quæramus igitur, ſi hic populus hereditatem capit, & teſtamentum in illis eſt, aut in nobis. De hoc audite, ſic ſcriptum eſt. Rogabat Iſaac pro Rebecca uxore ſua, quia ſterilis erat. Et Rebecca quærebat à Domino quid portaret: & dixit illi Dominus: *Duæ nationes in utero tuo ſunt, & duo populi ex utero tuo naſcentur, & major ſerviet minori.* Intelligite, quis ſit Iſaac, & quæ Rebecca; & qui populus [1] minor, aut major. Iterum dixit Jacob, Joſeph filio ſuo: *Ecce Dominus non fraudavit me ex genere tuo; perduc ad me filios tuos, & benedicam illos.* Et adduxit Manaſſem & Ephraim. Volens autem Manaſſen benedici, quia major erat, ſtatuit illum ad dexteram patris ſui Jacob. Vidit autem Jacob in Spiritu figuram populi, qui poſtea futurus erat: & convertit manus, & tranſtulit dexteram ſuper caput Ephraim minoris, & benedixit illum. Et dixit Joſeph patri ſuo: *Transfer manum tuam dexteram ſuper caput Manaſſæ, quia primitivus filius meus eſt.* Et dixit Jacob: *Scio, fili, ſcio: ſed major ſerviet minori; ſed & hic benedicetur.* Videte quem voluerit eſſe [2] primum, teſtamenti heredem. Sic ergo & per Abraham commemoratus eſt, habemus conſummationem ſcientiæ noſtræ. Quid ergo dicit Abraham, cùm ſolus crediſſet, & poſitus eſſet in juſtitia? *Ecce poſui te, Abraham, patrem nationum, quæ credunt Domino non circumciſa.*

XIV. Sed teſtamentum, quod juravit parentibus, ut daret populo, an dederit, quæramus. Dedit; ſed illi non fuerunt digni accipere, propter peccata ſua. Dicit enim Propheta: *Et erat Moyſes jejunans in monte Sina, ut acciperet teſtamentum à Domino, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Et accepit à Deo tabulas ſcriptas manu Dei. Et ut accepit, deferebat ad populum, ut illis daret. Et dixit Dominus: *Moyſes, Moyſes, deſcende celeriùs, quia populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, præterit legem.* Et intellexit Moyſes, quia fecerunt ſibi iterum conflatile: & projecit de manibus tabulas, & confractæ ſunt. Moyſes accepit, ſed illi non fuerunt digni: quo modo acceperimus nos, diſcite: Cui nos in hereditatem, propter nos omnia ſuſtinens, apparuit, ut illi conſummati ſint in peccatis, & nos per illum hereditatem, teſtamenti Domini noſtri Jeſu Chriſti accipiamus: qui in hoc paratus eſt, ut adventum ipſius præcordia noſtra, quæ jam abſumpta erant à morte, & tradita iniquitati, liberaret à tenebris, & teſtaretur in nobis teſtamentum ſervorum ſuorum. Scriptum eſt enim, quo modo illi Pater mandaverit, ut liberaret nos à tenebris, & pararet ſibi populum ſanctum. Dicit ergo Propheta ſic: *Ego Dominus Deus tuus; vocavi te in æquitate, tenebo manum tuam, & fortem te faciam, dedi te in teſtimonium gentibus, & in lumen nationum, ut aperias oculos cæcorum, & educas de vinculis alligatos.* Scitote ergo, unde liberati ſumus. Et iterum Propheta dicit: *Poſui te in lucem nationum, ut ſis ſanctitas tua uſque in noviſſimum terræ, ſicut dicit Dominus, qui te liberavit Deus.* Iterum Propheta dicit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me; bene nunciare hominibus miſit me, curare contribulatos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, & vocare annum Domini acceptabilem.*

XV. Adhuc & de Sabbato ſcriptum eſt in decem verbis, quibus locutus eſt in monte Sina ad Moyſen: *Sanctificate Sabbatum Domini manibus mundis, & puro corde.* Et alibi dicit *Si cuſtodierint filii mei Sabbatum, tunc faciam miſericordiam in illis.* Sabbatum dicit initium conſtitutionis: *Et fecit Deus die ſexto opera ſua, & conſummavit in die ſeptimo, & requievit in illo die.* Attendite filii, quid dicit, *conſummavit in ſex dies.* Hoc dicit, quia conſummavit Deus omnia in ſex millia annorum. Dies enim, apud illum, mille anni ſunt. Ipſe mihi teſtis eſt, dicens: *Ecce hodiernus dies erit tamquam mille anni.* Unde ſcire debetis, quia in ſex millia annorum conſummabuntur omnia. Et quid dicit: *Requievit Deus die ſeptima?* Hoc eſt; Cùm venerit filius illius, & amputabit tempus iniquitatis, & judicabit impios, & mutabit ſolem, lunam, & ſtellas; tunc bene requieſcet in die ſeptima. Ad ſummam hoc dicit: *Sanctificabis illum diem manibus mundis, & corde puro.* Quem ergo diem ſanctificavit Deus, quis poteſt ſanctificare modò, niſi qui ſit mundo corde in omnibus; non erravimus. Videns ergo qui refrigerans ſanctificavit illum; & nos tunc poterimus ſanctificare, ipſi ſanctificati primùm. Ad ſumma dicit illis: *Dies ſolennes veſtros, & Sabbata non ſuſtineo.* Videte, quo modo dicit, non hæc Sabbata ſibi non accepta; ſed quæ fecit, in die ſuo conſummavit omnia, initium octava die facta, qui eſt alterius ſæculi initium. Propter quod agimus diem octavum in legationem; in quem & Jeſus reſurrexit à mortuis: & apparuit, & aſcendit in cœlos.

XVI. Adhuc & de templo dicemus, quo modo errantes, in ædem ſpem habuerunt, tamquam in Dominum, qui illos fecit, quaſi ſit domus Dei, tamquam Ethnici conſervaverunt illum in templo. Sed quo modo dicat Dominus, diſcite, vacuum faciens templum: *Quis menſus eſt cœlum palmo, aut quis terram terram pugno apprehendit? Nonne mihi, dicit Dominus, cœlum thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum eſt? Qualem domum mihi ædificabitis, aut quis locus erit requietionis meæ?* Unde cognoſcitis, quia vana ſpes eſt illorum. Et iterum: *Qui depoſuerunt templum hoc, ipſi illud & ædificabunt.* Et fiet: dum enim belligerarent, depoſitum eſt ab inimicis. Iterum ſicut incipiebat civitas, & populus totus Judæorum, tradi; propalavit. Dicit enim Scriptura: *In noviſſimis diebus, tradet Dominus oves paſcuæ, & cubile, & turrem eorum in exterminium.* Et factum eſt ſecundùm quæ Dominus locutus eſt. Quæramus ergo, ſi eſt templum Deo. Eſt: ubi ipſe dicit facere, & conſummare. Scriptum eſt: *Et erit ſeptimo die conſummato, ædificabitur templum Deo præclarè in nomine Domini.* Invenio, quia templum eſt. Quo modo ergo ædificabitur in nomine Domini? Diſcite. Antè quàm crederemus Deo, erat habitatio noſtra corrupta & infirma, ſicut templum quod per manus ædificatur: quia pleni eramus adorationibus idolorum, & erat domus dæmoniorum; propter quod faceremus, quæ Deo eſſent contraria. Ædificabitur autem in nomine Domini, præclarè templum Deo. Attendite. Et quo modo? Diſcite; ut accipiatis remiſſionem peccatorum. Cùm [3] crediderimus in nomine Domini, non ſumus jam tales, quales ab initio eramus: propter quod in nobis verè Deus inhabitat. Quo modo? Sermo fidei illius, vocatio promiſſionis illius, ſapientia æquitatis, præ-

niſi ita legamus, & antecedentia ſatis oſtendunt ita legendum. At vix mihi perſuaſerim Barnabam, Hebraicæ linguæ ſcientem, ex mendoſo codice LXX. Int. argumentatum, idque ineptè. Ac ſanè ex ſequentibus fraus ſubolere poteſt, ubi poſt verba Eſaiæ ſequitur in Græcis ἴδε πῶς λέγει Δαβὶδ *vide quomodo dicit David*, unde liquet, ſolum Davidem antea teſtem adductum fuiſſe, non Eſaiam. Hoc ſenſiſſe videtur Interpres, qui, pro *dicit David*, habet *Propheta dicens*. Sed eſt mera corruptio Barnabæ, non emendatio. Potius delendum fuit, καὶ πάλιν λέγει &c. ad finem verborum Eſaiæ; adeò ut verbis Pſ. CX. proximè ſubjicerentur hæc: *Vide quomodo dicat David* &c. Igitur hic eſt additamentum, à viris doctis nondum animadverſum. Dudum notavit *Iſ. Voſſius* ad cap. XII. hunc Scriptori ſuum etiam interpolatorem fuiſſe. CLER.

1. *Qui populus minor aut major.* Debuit vertere, *quod populus hic ſit major quàm ille*, ὅτι μείζων ὁ λαὸς οὗτος ἢ ἐκεῖνος. Senſus eſt planus, certus & cum re ipſa conſentiens, nam Hebræus populus major fuit populo Idumæo, Dei benevolentiâ, opibus, numero virorum, rerum geſtarum gloriâ &c. At *Hugo Menardus*, cùm in animum non revocaret ἢ ſignificare *quàm*, poſt comparativum, hunc locum corrumpere infelici conjecturâ voluit. Sed hominem, qui Græcis litteris vix mediocriter tinctus fuit, non eſt cur miremur nodum in ſcirpo quæſiviſſe; ut quid fiet *Joan. Bapt. Cotelerio*, qui tot Græcos Patres legerat, & abſurdè vertit: *quod hic, vel ille populus major futurus ſit?* Dormitavit ſine dubio. Simile quid paſſus eſt, cùm Cap. XIX. pro ἀγωνιεῖς voluit legi ἀγωνιάσεις, quod vertit *pugnabis*, aut *certabis*. At non eſt vox Græca, dicunt enim Græci ἀγωνίζεσθαι *certare*, non verò ἀγωνιάν. Verùm hæc obiter. CLER.

2. *Primum.* Πρῶτον, quod ſignificat πρότερον *priorem*, ut ſæpe alibi; nam hic eſt collatio inter duos populos. Frequenter ita πρῶτος ſumitur; etiam apud Scriptores [illegible]. CLER.

3. *Crediderimus in nomine Domini.* *Ædificare templum in nomine Domini*, eſt templum condere, quod de nomine Domini vocetur, ſeu dicatur *Templum Jehovæ* vel *Domini*. Hæc eſt enim

cepta teſtamenti illius: in nobis prophetans ipſe, & in nobis habitans. Quia cum ſub ſervitute mortis eramus, 1 aperiens oſtium templi noſtri, quod eſt 2 os ſapientiæ, fecit de nobis domum incorruptam. Qui enim concupiſcit liberari, vivit non in hominem, ſed in eo qui habitat in illo: miratur quòd numquam tales ſermones audierit eum dicentem, neque ipſe concupierit audire. Hic eſt ſpiritaliter ædificatus.

XVII. Quantum fuerit in ſimplicitate demonſtrandi nobis, non intermiſi quidquam. Si enim de 3 inſtantibus ac futuris ſcribam vobis, non intelligetis, 4 quo modo in parabolis poſita ſunt multa. Hæc autem ſic ſunt.

XVIII. Tranſeamus autem & ad alteram cognitionem atque doctrinam. Duæ ſunt viæ doctrinæ ac poteſtatis; una lucis, altera tenebrarum. 5 Differentia verò multa duarum viarum. Uni ſiquidem præpoſiti ſunt, lucis conciliatores Angeli Dei; Alteri verò, Angeli Satanæ: ac ille quidem Dominus eſt à ſæculis in ſæcula; hic autem, princeps temporis iniqui.

XIX. Via igitur lucis hæc eſt. Si quis cupiens incedere ad præfinitum locum, ſuis operibus properet. Cognitio itaque nobis data, in hac via ambulandi, ejuſmodi eſt. Diliges Creatorem tuum. Gloriâ afficies eum qui redemit te à morte. Eris corde ſimplex, & ſpiritu dives. Non adhærebis ad eos qui incedunt in via mortis. Odio habebis omne id perpetrare, quod Deo non placet. Abhorrebis omnem ſimulationem.

Ne derelinquas mandata Domini. Teipſum non exaltabis; eris autem humilis. Non aſſumes tibi gloriam. Non capies malum conſilium adversùs proximum tuum. Non dabis animo audaciam & confidentiam. Non fornicaberis. Non adulterium facies. Pueros non corrumpes. Ex te non egrediatur verbum, tibi à Deo conceſſum, in ulla impuritate. Non accipies perſonam, in arguendo cujuſpiam lapſu.

Eris manſuetus. Eris quietus. Contremiſces ad verba quæ audiſti. Fratri tuo ignoſces. Ne ambigas utrum futurum ſit, necne. Ne aſſumas in vanum nomen Domini. Diliges proximum tuum, pluſquam animam tuam. Non interficies fœtum in abortione, nec etiam interimes poſt nativitatem. Ne auferas manum tuam à filio tuo, vel à filia tua 6; ſed à pueritia docebis eos timorem Domini. Bona proximi tui non concupiſces, nec eris avarus & fraudator. Neque ex anima tua adhærebis ſuperbis; ſed cum juſtis atque humilibus adſcriberis.

Quæ tibi contingunt vexationes, tamquam bona admitte. Non eris inconſtans, nec bilinguis; laqueus enim mortis eſt, lingua duplex. Subjicieris Domino Deo; dominis verò, ut Dei imagini, 7 in verecundia & timore. Ne in amaritudine imperes ancillæ aut ſervo tuo, qui in eumdem ſperant; ne fortè non timeas Deum, qui ſuper utrumque eſt; quoniam non venit vocare ſecundùm perſonam, ſed ſuper quos Spiritus præparavit.

Communicabis in omnibus cum proximo tuo, nec quidquam dices proprium 8: ſi enim in incorruptis conſortes eſtis, quanto magis in iis quæ corrumpuntur? Non eris linguâ præceps; os enim laqueus eſt mortis. Quantùm potes, & ſupra quàm potes, coles caſtitatem. Noli porrigere manus tuas ad accipiendum, ad dandum verò contrahere.

Diliges ut pupillam oculi tui omnem qui tibi loquetur verbum Domini. In memoriam tuam nocte ac die revocabis judicii diem. Exquires quotidie vultus ſanctorum; etiam ſpeculatus per verbum, & ad exhortandum incedens, atque meditans, ad ſervandam animam per verbum.

Et manibus tuis operaberis, ad redemtionem peccatorum tuorum. Non dubitabis dare, neque murmurabis cùm das: *Omni petenti te, tribue*: cognoſces autem quis ſit bonus mercedis retributor. Servabis quæ accepiſti, nec addens, nec demens. Malus, odioſus tibi erit in perpetuum. Juſtè judicabis. Non facies diſſidium; ſed pacem conciliabis inter contendentes, eos aſſocians. Confiteberis peccata tua. Non accedes ad orationem tuam in conſcientia mala. Hæc eſt via lucis.

XX. Via autem tenebrarum & cæcitatis, obliqua eſt, plenaque maledictionis. Eſt enim via mortis æternæ cum ſupplicio: in qua ſunt quæ perdunt animam viatorum; idolorum ſervitus, temeritas, elatio poteſtatis, ſimulatio, cor duplex, adulterium, homicidium, rapina, ſuperbia, tranſgreſſio, dolus, malitia, arrogantia, veneficium, magia, avaritia, nullus Dei timor. *In qua ſunt*, bonorum perſecutores; oſores veritatis, amatores mendacii: non cognoſcentes mercedem juſtitiæ, non adjuncti ad bonum, viduæ & pupillo non adtendentes ex juſto judicio: vigilantes, non ad timorem Dei, ſed ad malitiam; à quibus longè ac procul ſunt manſuetudo, & patientia: qui diligunt vana, conſectantur remunerationem, non miſerentur inopis, non laborant in gratiam illius qui labore ac ærumnis confectus eſt: ad obtrectationem promti, non cognoſcentes auctorem ſuum; liberorum interemptores, in abortione corrumpentes Dei opus; 9 averſantes egenum, opprimentes afflictum, divitum advocati, pauperum iniqui judices; per omnia peccatores.

XXI. Æquum igitur eſt, ut edocti juſtificationes Domini, quotquot priùs ſcriptæ ſunt, in eis ambulemus. Qui enim eas facit, in regno Dei, gloriâ cumulabitur: qui verò alia elegerit, ſimul cum ſuis operibus peribit. Propterea reſurrectio, propterea retributio. Rogo vos qui reliquos antecellitis; ſi accipitis aliquod bonæ voluntatis meæ conſilium; habetis vobiſcum, quibus benefeciſtis, ne eos derelinquatis. Propè ſiquidem eſt dies, in qua omnia cum Malo peribunt. Propè eſt Dominus, & merces ejus. Etiam atque etiam rogo vos; Eſtote vobis boni legiſlatores, vobis manete conſiliarii fideles; tollite ex vobis omnem hypocriſim. Deus autem, qui univerſo mundo domi-

vis Hebraiſmi. Vide quæ notavimus ad Gen. XI. 4. Si ex eadem analogia interpretemur *credere in nomine Domini*, deberet ſignificare, credere Deo, ut de nomine ejus vocemur, ſeu *filii Dei* dicamur. Sed eſt in textu Græco ἐλπίσαντες cùm *ſperaverimus*, nec vis Grammatica phraſium uſque adeò ab his Scriptoribus adtenditur. Itaque nec eorum ex Scripturæ locis ratiocinationes nimis urgendæ ſunt. CLER.

1. *Aperiens oſtium templi noſtri.* Os in ſequentibus interpretatur, quod reverâ eſt *oſtium* corporis. Sed primum quid ſignificat *os aperire*? Deinde quis nexus eſt inter apertionem oris & quæ ſequuntur in Græcis, *μετάνοιαν διδοὺς ἡμῖν dans nobis pœnitentiam*? Adludere videtur *Barnabas* ad locum Pſalmi LI. 17. ubi ita David: *Domine aperi labia mea, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Quibus verbis ſignificat, ſi Deus ſibi pœnitentiam agenti veniam concedat, os ſuum apertum iri, ut gratias ei agat, & ſummam ejus miſericordiam laudet. Sic &, cùm aliis peccatoribus ignoſcit Deus, *os eorum aperit*, hoc eſt, ita eos habet, ut pleno ore laudes ejus prædicare eos deceat. CLER.

2. *Os ſapientiæ.* Eſt revera *os ſapiens*, quod beneficia à Deo accepta indeſinenter commemorat, atque extollit. Sed in Græcis habetur quod modò retulimus, pro quo Interpres legit. *σοφίας.* CLER.

3. *De inſtantibus & futuris.* Vide not. ad cap. IV. Hinc Uſſeriana lectio ejus loci confirmari poteſt. CLER.

4. *Quo modo in parabolis jacent.* Legendum fortè *quoniam*, certè ſic vertendum fuerat ὅτι ἐν. *In parabolis jacere*, eſt obſcurum eſſe, nam id quod vocant Hebræi משל *maſchal*, & Græci vertunt παραβολὴν, ſonat orationem ἐσχηματισμένην, adeoque obſcuram: Ita exempli cauſâ, vocantur orationes Jobi ejuſque amicorum. Sic & appellabant vaticinia obſcuriora, ut Ezech. XX. 49. *Illi dicunt de me: nonne parabolas ille proloquitur*, ממשל משלים οὐχὶ παραβολή ἐστι λεγομένη αὕτη, *nonne hæc dicitur parabola?* Sic & Pſalm. LXXVIII. 2. *Aperiam os meum in parabola, & profundam ænigmata antiqua*: ubi ἐν παραβολαῖς במשל & חידות, *parabola & ænigma* inter ſe componuntur. Vide & notata à nobis ad Numer. XXI. 27. Eodem ſenſu voce παραβολὴ hic utitur *Barnabas*, pro vaticinio ita expreſſo, ut non niſi à peritis intelligi queat. Ejuſmodi eſt Apocalypſis Joannis, in qua de futuris quidem ſermo eſt, ſed qui ἐν παραβολαῖς κεῖται, hoc eſt, figuratâ dictione ita expreſſus eſt, ut perpauci eum intelligere potuerint. CLERICUS.

5. Hæc verba ab Origene citantur, *lib. 3. Periarch. cap. 2.*

6. *expl.* Non ceſſabis eos aſſiduè obſervare.

7. *expl.* Id eſt, Veluti faciem ejus ſuper terram exhibentibus. Hoc officium erga parentes filiorum inter præcipua Chriſtianæ Religionis locum ſemper obtinuit, & id quidem divina lege firmatum, qua jubentur filii obtemperare parentibus, uſque cæteris quibus naſcente mundo ſuam authoritatem ac poteſtatem in terris Deus conceſſit; atque etiam longe poſtea parentes filiorum ſuorum Reges conſtituebantur, ac veluti Principes apud eos eorumque poſteros dominari ſolebant.

8. *expl.* Sic ſe gerebant primi Chriſtiani Eccleſiæ Jeroſolymitanæ nullo ipſorum quicquam proprium habente, *ut legitur Act. cap. 4.* ℣. 32.

9. *expl.* Fœtum interimunt antequam naſcatur.

natur,

natur, det vobis ſapientiam, [1] ſcientiam, intelligentiam; cognitionem juſtificationum ſuarum in patientia. Efficiamini autem, docti à Deo; exquirentes quid à vobis requirat Dominus; & efficite, ut ſalvi ſitis in die judicii. Si qua verò eſt bonæ rei recordatio, mementote mei, hæc meditantes; ut & deſiderium, & vigilantia in aliquod bonum evadat. Rogo vos, gratiam poſtulans: quamdiu pulchrum hoc vas vobiſcum eſt, in nullo horum deficite; ſed indeſinenter hæc exquirite, & adimplete omne mandatum: hæc namque digna ſunt. Quare potiſſimum id operam dedi, quantum in me fuit, ut ſcriberem vobis; quò exhilararem vos. Salvete, filii dilectionis, & pacis. Dominus gloriæ & omnis gratiæ, ſit cum ſpiritu veſtro. Amen.

1. Hæc verba laudantur à S. Clemente Alexandrino, lib. 2. Strom. paulo poſt medium, pag. 396. & ſeq. Editionis Pariſienſis.

D E S. H E R M Æ P A S T O R E.

P R Æ F A T I O.

Quod in hominum judiciis ſolet contingere, ut alii plus quàm par eſt, alii minus tribuant, tertii modum ſervent ac æquitatem; id ſi ſuper libro Hermæ factum fuiſſe pronunciavero, non verebor ne à veritatis tramite cenſear aberràſſe. Scilicet, exceſſerunt recti fines, quotquot Paſtorem inſeruerunt Catalogo divinarum Scripturarum: cùm hodie ab univerſa Eccleſia extra Canonem legatur. Fuit autem ea ſententia quarumdam Eccleſiarum ex illis Græciæ, apud quas, teſte, poſt Euſebii Hiſtoriam lib. 3. cap. 3. Hieronymo in tractatu de viris illuſtribus, publicè recitabatur. Credibile namque fit, partim opus habuiſſe pro Canonico, partem pro Eccleſiaſtico; quo de ultimo dubitare nos non ſinunt teſtimonia Athanaſii in Epiſtola Paſchali, & Rufini ad Symbolum; ſicut primum confirmatur tum per Auctores qui Hermæ ſcriptum inter dubia volumina, & ab aliquibus admiſſa, rejecta ab aliis recenſent; tum per antiquos Bibliorum codices manu exaratos, quorum nonnulli Paſtorem quoque complectuntur, ut ille Bibliothecæ ſancti Germani; tum per manu ſcriptas veteres Sticho metras, quæ ſimiliter Hermam continent; qualis extat in eadem locupletiſſima Bibliotheca, & in theſauro librario Regis Chriſtianiſſimi, ſuperiùs edita; tum denique per Eccleſiæ Magiſtros ad eamdem opinionem accedentes. Nam Irenæus ut Scripturam videtur citare. Clemens Alexandrinus divinam eſſe revelationem innuit. Tertullianus lib. de oratione cap. 12. venerationem illius non improbat, abſit modo ſuperſtitio. Catholici apud eumdem Tertullianum, libro de pudicitia, Montaniſtis opponunt, ad auctoritatem fidei confirmandam: quemadmodum, apud Athanaſium, Ariani Catholicis. Origenes ſcripturam divinitus inſpiratam putat, licèt aliter ſentientibus nolit fieri præjudicium. Caſſianus denique teſtimonia inde deſumpta cum textibus ſacris miſcet.

At ex parte adverſa multum de honore Hermæ Paſtori debito detrahitur à Tertulliano ex antiquis. Ille mirum quantùm mutatus per Montaniſtarum præſtigias à Tertulliano, illo libri orthodoxi de Oratione conſcriptore, Paſtoris ſcripturam in Opere Hæretico de pudicitia ſuggillat, appellans Apocrypham, falſam, adulteram; amatricem, patronam & ſociam mœchorum; aſſerenſque, ab omni concilio Eccleſiarum, etiam noſtrarum Catholicarum, è divino Inſtrumento expelli. Ubi jocularis eſt error cujuſdam ad Nonnum, quaſi egerit Tertullianus de muliere adultera per Johannem Evangeliſtam initio capitis 8. memorata. Ab illis quoque minùs, quàm ſatis ſit, honorificè ſentitur, qui in Origene Paſtoris librum contemptui habent. Omitto Proſperum, quia mirum non eſt, quòd homo vivens inter Latinos ſuos, quibus pæne ignotum fuiſſe Paſtorem refert Hieronymus, nullam auctoritatem Operi ignotato tribuerit. Euſebium etiam prætereo, Hieronymum, Gelaſium, Nicephorum C P. qui cum Nothis & Apo-

cryphis numerant. Jam de iis appellationibus quid ſignificent, ſententiam meam protuli in Notis ad Barnabam. Addi tamen inibi dictis nunc velim, de illa diviſione Scripturæ in Canonicam, Dubiam, & Apocrypham; Opus aliquod nec falſi nominis, nec doctrinæ noxiæ, appellari poſſe Apocryphum, quòd extra Canonem ab omnibus Eccleſiis collocetur. Atque eâ ſignificatione, opinor, Hermæ Paſtor Nicephoro C P. Apocryphus eſt. Venio ad recentiores; homines, ut equidem mihi videtur, duræ frontis. Quis enim, quæſo, non obſtupeſcat, cùm legerit nonnullorum judicia de volumine à tot tantiſque viris tantopere celebrato? Hi librum optimum utiliſſimumque prædicant. Illi verò infamant atque exagitant, ut Novatianorum & Pelagianorum fontem, Montaniſticarum ſuperſtitionum gurgitem; inſuperque fautorem Arianorum; ut fabuloſum; (proh magna crimina!) liberi arbitrii, ſolitudinis Monaſticæ, necnon Purgatorii adſtructorem; ut ruditate Chriſtianiſmi ac reliquiis Gentilitaris conſpicuum; ut Pſeudepigraphum, ſuppoſititium; ut alium ab eo, quem olim manibus terebant SS. Patres; denique ut barbarum, atque per Heret.cos interpolatum, inſertis erroribus ac fabellis. Quas accuſationes & conſimiles, frivolo aut nullo fundamento ſubnixas, cùm ad loca pervenerimus, ſi neceſſe viſum fuerit, Deo dante, abſque confutatione non relinquemus.

Medium itaque beati tenuere, cùm olim, tum nuper, quicumque Hermæ Paſtorem judicavere σύνταγμα non quidem Canonicum, ſed Eccleſiaſticum, ac optimæ notæ, & propugnaculum fidei Catholicæ adversùs Montani duritiam; ad hæc fœtum Hermæ, Apoſtolici illius viri, (nulla quippe ratio contrarium evincit) quem Paulus in fine Epiſtolæ ad Romanos ſalutari jubet. Nam qui Hermerem ſeu Hermem in illius locum ſubſtituunt, aut utrumque confundunt; decepti videntur à fabula libri Pontificalis; ubi ad ſimilitudinem Hermæ fingitur quidam Hermes, Pii Papæ primi frater, Scriptor libri quo continebatur Mandatum Angeli, viſi in habitu Paſtoris, de Paſchate die Dominicâ celebrando. Quod commentum multi amplexi ſunt, præcipueque neſcio quis Poëta ſub honeſto Tertulliani nomine latens lib. 3. adversùs Marcionem in fine; item Epiſtolarum Papæ Pii fabricator Epiſt. 1. Beda, Ado, alii, in Chronicis, in Martyrologiis; necnon Auctor Catalogi Pontificum Romanorum, ab Ægidio Bucherio in Commentario ad Victorii Canonem Paſchalem editus, qui forſan ex Pſeudo-Damaſo debet emendari. Sed & facile fuit librariis, Hermam mutare in Hermem, & Hermem vice versâ in Hermam. Sicque fortaſſis apud Magiſtrum Sententiarum lib. 4. diſt. 35. n. 5. ex Herma factus fuerit Hermes: ſimiliterque in Rufiniana Origenis Interpretatione lib. 1. de principiis cap. 3. & lib. 4. cap. 2. Poſtremo ſanè loco caput primum Philocaliæ Hermam oſtendit. Et contrà fortè prædictus Poëta, *Hermes* ſcripſerat, non *Hermas*; niſi ſi, quem errorem erraſſe videtur Pſeudo-Pius, Hermem & Hermam pro uno eodemque habuerit. Nec diſſimili, quamvis aliâ depravatione Editiones S. Hieronymi libro de Nominibus Hebraicis, capite de Epiſtola ad Romanos, exhibent, *Ermon*, *anathematizantes mœrorem*; cùm & res ipſa, & capita de Numeris, de Actis Apoſtolorum *Ermen* reponendum perſuadeant; tametſi *Ermon* quoque eodem ſenſu exponatur in capitibus de Deuteronomio, de Jeſu Navæ (ubi perperam *Emon* adparet) & de Pſalterio.

Jam verò ex Rufini ad Symbolum verbis obſcurioribus naſcitur quæſtio. Quæ ſi ita diſtinguantur, *Libellus qui dicitur Paſtoris ſive Hermatis, qui appellatur Duæ Viæ vel Judicium Petri*; unus noſter liber quatuor geret nomina, *Paſtor*, *Hermas*, *Duæ Viæ*, *Judicium Petri*. Sin autem ubi virgula conſpicitur, major diſtinctio ponatur, duo puncta vel punctum cum virgula; duo conſtituentur libri binomines, alter *Paſtoris*, *ſive Hermatis*, alter *Duæ Viæ*, *vel Judicium Petri*. Equidem nullus dubitat, quin diverſa volumina exſtiterint: ſuſpicor magis à Rufino ſcriptum, *Libellus qui dicitur Paſtoris ſive Hermatis; quique appellatur Duæ Viæ vel Judicium Petri*. Rationes, cur Opera non confundam, hæ ſunt. 1. De uno li-

bello ſic locutus fuiſſet, *Qui dicitur Paſtoris, ſive Hermatis, ſive Duæ Viæ, vel Judicium Petri.* 2. In toto Paſtore ne verbum quidem de Petro. 3. Pauciora de duabus viis profert initio Mandati ſexti, quàm ut inde nomen acciperet. Certè multò plura apud Barnabam & in Conſtitutionibus Apoſtolorum, hoc denominationis iis ſcriptis non dedere. 4. Apertè B. Hieronymus in Catalog. Judicium Petri diſtinguit ab Hermæ Paſtore: de primo enim diſſerit in Petro, de ſecundo in Herma. Adque hæc ad Rufinum.

Ex Origenis autem verbis lib. 4. de principiis cap. 2. in Philocaliæ cap 1. p. 22. διὰ τοῦτο ἡμεῖς καὶ τὸ ἐν τῷ ὑπό τινων καταφρονουμένῳ βιβλίῳ τῷ Ποιμένι περὶ τοῦ προστάσσεσθαι τὸν Ἑρμᾶν δύο γράψαι βιβλία, καὶ μετὰ ταῦτα αὐτὸν ἀναγγέλλειν τοῖς πρεσβυτέροις τῆς ἐκκλησίας ἃ μεμάθηκεν ὑπὸ τοῦ πνεύματος, οὕτω διηγούμεθα. Hoc eſt, *Ideo nos & illud in Paſtore, libro qui à quibuſdam contemnitur; cùm jubetur Hermas duos libros ſcribere, ipſe ut poſtea annunciare Senioribus Eccleſiæ ea quæ à Spiritu didicerat, ſic exponimus.* Ex hoc inquam, ſermone conjecerunt viri docti Paſtorem Commentariis ab Origene fuiſſe illuſtratum. Quamquam loquitur dumtaxar de præſenti expoſitione, quam nempe eodem loci poſt Hermæ teſtimonium ſtatim ſubjungit. Eſt & alius error nonnullorum adeo craſſus, ut nec refutationis indigeat. Dicunt ab Hieronymo, in Prologo galeato, per Paſtorem non intelligi librum Hermæ, ſed tertium Machabæorum, contortâ & longè petitâ utentes deductione ἀπὸ τῆς παστάδος ſive παστίδος. Cùm ex aliis Hieronymi, cæterorumque locis res manifeſtiſſimè pateat.

Denique, cujus habemus animadverſiones multas ad noſtrum Auctorem, Barthius, cùm paſſim labitur, tum contra antiquam eam Verſionem quatuor committit. Prius, appellando ruſticam, ſemibarbaram, ſemiveterem: quod neutiquam eſt. Alterum, temerè & abſque ulla ratione, imò contra omnem rationem, affirmando, Epitomen magis eſſe, quàm Interpretarionem. At aliter rem ſe habere, liquet ex convenienria textuum à Veteribus prolatorum. Equidem videntur iſta citari ex Paſtore à Clemente Strom 2. pag. 384. προηγεῖται μὲν πίστις, φόβος δὲ οἰκοδομεῖ, τελειοῖ δὲ ἡ ἀγάπη. *Præcedit quidem fides, timor vero ædificat, perficit autem caritas;* quæ ibi non inveniuntur; verum Clementis ſunt, ſua Hermaicis interſerentis. Tertium commiſſum, quando futilibus conjectutis hariolatur, ſcriptam fuiſſe poſt Hieronymi tempora, & ab Anaſtaſio Bibliothecario. Eſto, concedamus barbariem ubique redolere: num eadem de cauſſa antiquiſſimam Irenæi Interpretationem Anaſtaſio adſcribemus? Sed Hieronymus teſtatur, pleriſque ſui temporis Latinis Hermæ volumen ignorari! Quid inde? At multo antea plebi Africanæ notiſſimum exſtitit: ut pote ex cujus lectione mos invaluerat *adſignata oratione aſſidendi*, ut verbis utar Tertulliani. At à Latinis Catholicis, tempore Zephyrini ac ejuſdem Tertulliani, ad jugulandam Montani impietatem adhibebatur. Sanè ante Anaſtaſium ab Hieronymo, Rufino, Caſſiano, Gelaſio, Beda, & Vualfrido Strabo, Latinis Scriptoribus, memoratur. An neceſſe eſt, ut omnes iſti Græcè legerint, & non ex noſtro Interprete? Tranſeo reliqua Barthii momenta, pulvere ventoque leviora, ut ultimum illius peccatum attingam. In eo autem conſiſtit, quod Johanni Tarino eam affingit opinionem, de qua vir ille eruditiſſimus οὐδὲ κατ' ὄναρ; quaſi ad Philocaliæ caput primum Rufino adſcripſerit Paſtoris Latinam tranſlationem. Nos ut nihil certi afferre poſſumus, ita ſuſpicamur per prima Eccleſiæ tempora Latinos non caruiſſe laudatiſſimi operis verſione: eam vero aliam à Noſtra fuiſſe, nihil nos cogit dicere. Cæterum antequam manum hinc tollam, monitum te velim, Lector; & capitum lemmata abeſſe à codicibus MS. quibus uſus fui; & in notis marginalibus, quas ad textum apponendas curavi, litteram G, ſignificare MSS. S. Germani, litteram V. MS. S. Victoris; mero autem aſteriſco, ante caput 8. Viſionis 3. lib. 1. indicari utrumque codicem, poſtea ſolum victorinum. *Adjecta ſunt, in hac Editione, variæ lectiones ex antiquo Codice Carmelitarum Excalceatorum, ſuburbii Pariſienſis; quas ad calcem totius voluminis legere licebat in Pariſ. Edit. Acceſſerunt etiam quæ in infima pagina Oxonienſis Editionis*, anni M. DC. LXXXV. *leguntur, ex Codd. Bodleianæ & Lambethanæ Bibliothecarum.*

SANCTI HERMÆ PASTOR.

LIBER PRIMUS.

Qui inſcribitur, *VISIONES.*

VISIO PRIMA.

Contra turpes & elatas cogitationes, & negligentem Hermæ filiorum caſtigationem.

I. QUI enutriverat me, vendidit quamdam puellam Romæ. Poſt multos autem annos hanc viſam ego recognovi, & cœpi eam diligere ut ſororem. 1 Exacto autem tempore aliquo, lavari eam in flumine Tiberi vidi, & porrexi ei manum, & eduxi eam è flumine. 2 Viſaque eâ, cogitabam in corde meo, dicens: Felix eſſem, ſi talem uxorem & ſpecie & moribus ſortitus eſſem. Hoc ſolum, nec ultra quidquam cogitavi. Poſt tempus autem aliquod cum iis cogitationibus proficiſcens, honorificabam creaturam Dei, cogitans quàm magnifica & pulcra ſit. Et dum ambulaſſem, obdormivi. Et ſpiritus me rapuit, & tulit me per quemdam locum ad dexteram, per quem non poterat homo iter facere. Erat autem locus ille in rupibus, & abruptus, & invius ab aquis. Cumque tranſiſſem locum illum, veni ad planiciem; & genibus poſitis, cœpi orare Dominum, & confiteri peccata mea. Et orante me, apertum eſt cœlum; & video mulierem, quam concupiveram, ſalutantem me de cœlo, & dicentem: Herma, ave. Et ego proſpiciens illam, dico ei: 3 Domina, quid tu hîc facis? At illa reſpondit mihi: Recepta ſum huc, ut peccata tua arguam apud Dominum. Domina, inquam, num tu me argues? Non, inquit. Sed audi verba, quæ tibi dictura ſum. Deus, qui in cœlis habitat, & condidit ex nihilo ea quæ ſunt, & multiplicavit propter ſanctam Eccleſiam ſuam, iraſcitur tibi, quoniam peccaſti in me. Reſpondens dico ei: Domina, ſi in te ego peccavi, ubi, aut quo in loco, aut quando tibi turpe verbum aliquod locutus ſum? Nonne ſemper te reveritus ſum velut ſororem? Quid in me comminiſceris hæc tam nefanda? Tunc illa arridens mihi, ait: In corde tuo aſcendit concupiſcentia nequitiæ. An non videtur tibi, viro juſto rem iniquam eſſe, ſi aſcenderit in corde mala concupiſcentia? Peccatum eſt ei, & quidem grande. Juſtus enim vir, juſta cogitat. Cogitante ergo illo quæ juſta ſunt, & rectè eo incedente, in cœlis propitium habebit Dominum, in omni negotio ſuo. Qui autem nefanda cogitant in cordibus ſuis, mortem & captivitatem aſſumunt: maximè ii, qui ſæculum hoc diligunt, & gloriantur in divitiis ſuis: & qui non exſpectant futura bona, vacuantur animæ eorum. Hæc autem faciunt 4 dubii, qui non habent ſpem in Domino, & contemnunt & negligunt vitam ſuam. Sed tu ora ad Dominum, & ſanabit peccata tua, totiuſque domus tuæ, & omnium Sanctorum.

II. Poſtquam autem locuta eſt verba hæc, clauſi ſunt cœli. Et ego totus eram in mœrore & metu; & dicebam intra me: Si hoc mihi peccatum adſcribitur, quomodo potero ſalvus eſſe? Aut quomodo exorabo Dominum pro peccatis meis abundantiſſimis? Quibus verbis rogabo Dominum, ut mihi propitius ſit? Hæc me recogitante, & diſcernente in corde meo; video con-

1. Durante primo Chriſtianæ pietatis ardore, conjugati ſubinde, ex conſenſu, thori commerciis abſtinebant, & uxor in ſororem ceſſit: unde infra dicitur, *Conjux tua, quæ futura eſt ſoror tua.* Hinc anſa data, mulieres ſubintroductas retinendi. OXON.

MS. Bod. & Lamb. *poſt tempus aliquod.*

2. MSS. German. Cornelii. Bod. & Lam. legunt, *Viſaque eadem, Felix eſſem, ſi talem uxorem haberem: & ſpeciem eum vidiſſem, cogitabam in corde meo dicens: Felix eſſem, ſi talem uxorem haberem & ſpecie & moribus. Non ſolum cogitavi; nec ultra aliquid cogitavi.* Ibid.

3. *Domina.* Ecce iterum Barthius! & eſſet mihi ſæpiſſime ad partes vocandus, Criticus minorum gentium. Huic ſi præbeamus aurem, Romano eloquio inuſitatum fuiſſe audiemus id appellationis, uſque ad tempora barbariæ miſta. Quaſi verò non innumera exempla oppoſitum luce clarius oſtendant. A quibus congerendis prudens abſtineo, ne opum quod centies actum fuit. Hermas κυρία poſuerat, quo nomen à Johanne in Epiſtola 2. Electa vocatur. Tertullianus ad Martyras cap. 1. *Domina mater Eccleſia.* Epictetus cap. 62. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. *Mulieres ſtatim ab anno decimo quarto à viris dominæ appellantur.* Sed elegantiſſimè omnium Hieronymus Epiſt. 22. 1. *Hæc idcirco, Domina mi Euſtochium, ſcribo: Dominam quippe vocare debeo ſponſam Domini mei.* & cap. 11. *Itaque mi Euſtochium, filia, domina, conſerva, germana: aliud enim ætatis, aliud meriti, aliud religionis, hoc caritatis eſt nomen.* COT. (Locus hic in Cod. Lambethano ſic legitur, *Domina mea, quid hîc? Recepta ſum à Domino, ut arguam peccata tua. Domina, nunc tu me arguis?*

Κυρία ſic S. Joan. Ep 2. OXON.

4 Δίψυχοι. Hanc vocem, auctorem ſcripſiſſe ex Clem. Alex. diſcimus. Vid. S. Jac. 1. 8. Ibid.

tra me cathedram de lanis candidis, ſicut nix, factam magnam. Et venit mulier anus in veſte ſplendidâ, habens librum in manus & ſedit ſola, & ſalutavit me: Herma ave. Et ego mœſtus & plorans, dixi: Domina ave. Et illa dixit mihi: Quid mœſtus es Herma, qui eras patiens, & modeſtus, & ſemper hilaris? Reſpondens dico ei: Domina, [1] contumelia mihi objecta eſt à muliere optima, dicente quòd peccavi in eam. At illa dixit mihi: Abſit à ſervo Dei, res iſta. Sed fortè in corde tuo aſcendit illius [2] concupiſcentia. Eſt quidem in ſervis Dei talis cogitatio, peccatum [3] inferens. Non enim debet hæc cogitatio abhorrenda, eſſe in ſervo Dei; neque ſpiritus probatus, concupiſcere malum opus; & præcipuè Hermas, qui eſt continens ab omni concupiſcentia ſcelesta, & eſt omni ſimplicitate plenus, & innocentiâ magnâ.

III. Verumtamen non cauſsâ tui iraſcitur Dominus; ſed propter domum tuam, quæ nefas admiſit in Dominum, & in parentes ſuos. Et tu cùm ſis amator filiorum, non commonuiſti domum tuam, ſed dimiſiſti illos converſari violenter; propter hoc enim iraſcitur tibi Dominus: ſed ſanabit omnia, quæ in te geſta ſunt, mala in domo tua. Propter illorum enim peccata & iniquitates, conſumtus es à ſæcularibus negotiis. Jam enim miſericordia Dei miſerta eſt tui, & domus tuæ, & conſervavit te in gloria: tu tantùm noli vagari, ſed animæquus eſto, & conforta domum tuam. Tamquam ærarius producens opus ſuum, exponit ei cui vult; ſic & tu verbum quotidianum, juſtum docens, abſcindes grande peccatum. Non deſinas ergo commonere natos tuos: ſcit enim Dominus quòd pœnitentiam agent ex toto corde ſuo; & ſcribet te in libro vitæ. Cùmque finiſſet verba hæc, ait mihi: Vis audire me legentem? Dico ei: Domina, Volo. Eſto ergo auditor. Et revoluto libro, legebat glorioſè, magnificè, [4] & mirificè, quæ non poteram in memoria retinere. Erant enim verba terrifica, quæ non poterat homo ſuſtinere. Noviſſima tamen verba memoriæ mandavi: erant enim pauca, & utilia nobis; Ecce Deus virtutum, qui inviſibili virtute, & magno ſenſu ſuo condidit mundum, & honorifico conſilio circumdedit decorem creaturæ ſuæ, & fortiſſimo ſuo verbo confixit cœlum, & fundavit terram ſuper aquas, & virtute ſua potenti condidit ſanctam Eccleſiam ſuam, quam benedixit; ecce transferet cœlos ac montes, colles ac maria; & omnia [5] plena fient electis ejus; ut reddat illis repromiſſionem quam repromiſit, cum multo honore [6] & gaudio ſervaverint legitima Dei, quæ acceperunt in magna fide.

IV. Cumque conſummaſſet legendo, exſurrexit de cathedra: & venerunt quatuor juvenes, & tulerunt cathedram ad Orientem. Et vocavit me ad ſe, & tetigit pectus meum, aitque mihi: Placuit tibi lectio mea? Dico ei: Domina, hæc mihi noviſſima placent; priora autem ſæva & dura ſunt. At illa ait mihi: Hæc noviſſima iſtis; priora autem reſugis & Ethnicis. Et cùm loqueretur mecum, duo quidam viri apparuerunt; & ſuſtulerunt illam humeris, & abierunt ubi & cathedra erat ad Orientem. Hilaris autem diſceſſit. Et cùm abiret, ait mihi: Confortare Herma.

VISIO II.

Rurſum de negligenti uxoris loquacis, & filiorum libidinoſorum caſtigatione, & ejus modo.

I. Cum verò proficiſceretur cum his, circa illud tempus quo & anno priore, ambulans, commemoratus ſum anni prioris viſionem. Rurſumque me abſtulit ſpiritus, & duxit me in eumdem locum, quo anno primo; & honorificavi nomen ejus, quòd dignum me arbitratus ſit, & manifeſtaverit mihi peccata priſtina. Et cùm ſurrexiſſem ab oratione, video contra me anum illam, quam & anno ſuperiore videram, ambulantem, & legentem libellum aliquem. Et ait mihi: Potes hæc electis Dei renunciare? Dico ei: Domina, tanta in memoria retinere non poſſum: da autem mihi libellum, & deſcribam. Accipe, inquit, & reſtituas mihi illum. Ut autem accepi, in quemdam locum agri ſecedens, deſcripſi omnia ad litteram; non inveniebam enim [7] ſyllabas. Cùmque conſummaſſem ſcripturam libelli, ſubitò de manu mea raptus eſt libellus; à quo autem, non vidi.

II. Poſt quindecim autem dies, cùm jejunaſſem, multumque rogaſſem Dominum, revelata eſt mihi ſcientia ſcripturæ. Erat autem ſcriptura hæc: Semen tuum, Herma, deliquit in Dominum, & prodiderunt parentes ſuos in nequitia magna. Et audierunt proditores parentum, & [8] prudentes profecerunt. Sed etiam nunc adjecerunt peccatis ſuis libidines, & commaculationes nequitiæ, & ſic impleverunt iniquitates ſuas. Sed impropera verba hæc filiis tuis omnibus, & [9] conjugi tuæ quæ futura eſt ſoror tua. Et ipſa enim compeſcat linguam ſuam, in qua malignatur. Et auditis verbis his, continebit ſe, & conſequetur miſericordiam. Erudietur enim, poſtquam improperaveris illi hæc verba, quæ mandavit ille Dominator, ut tibi revelentur. Tunc remittentur illis peccata quæ jampridem peccaverunt, & omnibus ſanctis, qui peccaverunt uſque in hodiernum

1. MSS. *laſcivia* OXON.
2. *Concupiſcentia*, voce utitur, in notione in Scholis recepta. Ibid.
3. Vid Luc. 15. 32. Ibid.
4. Alii addunt, *& mirifice*, ſed varia videtur lectio. Ibid.
5. Sic Bod. & Lamb in editis, *plena*. Ibid.
6. Sic Bod. & Vet. impreſſi, alii legunt, *gaudio ſervaverint*. Ibid.
7. Quo modo vetuſtiſſimi noſtri codices MSS. deſcripti conſpiciuntur; perpetua literarum ſerie, nulla vocum diſtinctione facta. Locum hunc laudat Clem. Alex. Strom. 6 p. 679. & addit *[Greek]* non inveniebam ſyllabas finire. Ibid.
8. Sic Lam. Germ. in imp. *prudentes*. Ibid.
9. *Conjugi tuæ, quæ futura eſt ſoror tua*. Scilicet, per continentiam. Lib. 2. Similit. 9. cap. 11. *Nobiſcum dormies, ut frater, non ut maritus*. Lib. 1. Viſ. 2. cap. 3. *Tu autem, Herma, noli memoriſſe injuriarum filiorum tuorum, ſed nec ſororem tuam negligas*. Nihil frequentius hac phraſi. Sed notabilia inter Græcos præcipuè loca Clementis Alexandrini *[Greek]* lib. 3 p. 448 lib. 6. p. 664. 665. Ad verba enim Apoſtoli I. Corinth. IX. 5. de quibus videndus Hieronymus L. in Jovinianum 14. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli?* ait mulieres ab Apoſtolis circumductas fuiſſe non tamquam uxores, ſed tamquam ſorores. Et ſic loquitur, *[Greek]*. *Vero cognitione prædito uxor poſt liberorum ſuſceptionem ſoror eſſe judicatur, tamquam quæ ſit eodem Patre nata*. Subjungitque expoſitionem ad eum ſenſum, ſermonis Abrahami de Sara Geneſ. XX. 12. *Vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ*. Conſule Theodoritum Hiſtoriæ lib. 4 cap. 12. Ex Latinis, in ore omnium verſantur Venantii Fortunati verſus lib. 1. Carm. 15. de Leontio Epiſcopo Burdigalenſi;

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc conjux, eſt modo cara ſoror;

necnon Paulini (qui etiam, referente Idatio in Chronico, Theraſiam habuit de conjuge ſororem) Carmine 14.

Grande ſacramentum, quo nubit Eccleſia Chriſto,
Et ſimul eſt Domini ſponſa, ſororque ſui.
Sponſa, quaſi conjux; ſoror eſt, quia ſubdita non eſt.

Quem poſtremum verſum non debuit Barthius ſubmovere velut adulterinum. Optimè enim reſpondet præcedenti paulo ante,

Sponſa viro tantùm, non eſt ſubjecta marito.

Non timenda blaſphemia, ac ſi Eccleſia à Chriſti dominio ſubtraheretur. Agitur quippe ſolummodo de ſubjectione maritali. Præclarè, ut omnia, Hieronymus, & alibi ſæpe, & Epiſtolâ 28 ad Lucinium; *Habes tecum, priùs in carne, nunc in ſpiritu ſociam, de conjuge germanam, de femina virum, de ſubjecta parem, quæ ſub eodem jugo ad cæleſtia ſimul regna feſtinat*. Et in Vita Malchi; *Habeto me conjugem pudicitiæ; & magis animæ copulam amato, quàm corporis. Sperent Domini maritum, Chriſtus noverit fratrem*. Nec operam perdes ſi legeris Canones, Concilii Arvernenſis 13. Concilii 2. Turonenſis 12. & 1. Matiſconenſis 11. Sicut autem laudantur conjuges ſorores, ſeu ſponſæ ſorores; ita vituperantur virgines ſorores: quod videre licet in Canone 19. Ancyrano, in Tertulliano de jejuniis cap. ult. in Hieronymo Epiſt. 22. cap. 5. & in Cod. Theod. de Epiſcopis & Clericis lege 44. COT.

diem, 1 ſi ex toto corde ſuo egerint pœnitentiam, & abſtulerint à cordibus ſuis dubitationes. Juravit enim Dominator ille, per gloriam ſuam, ſuper electos ſuos, præfinitâ iſtâ die, etiam nunc ſi peccaverit aliquis, non habiturum illum ſalutem. Pœnitentiæ enim juſtorum habent fines. Impleti ſunt dies pœnitentiæ omnibus ſanctis; Gentibus autem pœnitentia uſque in noviſſimo die. Dices ergo eis qui præſunt Eccleſiæ, ut dirigant vias ſuas in juſtitia; ut recipiant in pleno repromiſſionem, cum multa gloria. Permanete ergo qui operamini juſtitiam, & ſic facite, 2 ut ſit tranſitus veſter cum ſanctis Angelis. Felices vos, quicumque ſuſtinetis preſſuram ſupervenientem magnam, & quicumque non negaverit vitam ſuam. Juravit enim Dominus per Filium ſuum: 3 Qui denegaverit Filium & ſe, ſpondentes ſe vitam illius, & ipſi denegaturi ſunt illum in advenientibus diebus. Iis autem, qui numquam denegaverint, 4 nimiam miſericordiam propitius factus eſt illis.

III. Tu autem Herma, noli meminiſſe injuriarum filiorum tuorum, ſed nec ſororem tuam negligas; ſed cura ut emendentur à priſtinis peccatis. Erudientur enim doctrinâ iſtâ, ſi tu jam non fueris memor injuriæ illorum. Memoria enim injuriarum mortem operatur, oblivio verò earum vitam æternam. Tu autem, Herma, magnas tribulationes ſæculares ſuſtinuiſti, propter prævaricationes domus tuæ; quoniam illas, ut ad te nihil pertinentes, neglexiſti; & in negotiationibus tuis malignis implicitus es; ſed illud te ſalvum faciet, quòd non diſceſſeris à Deo vivo, & ſimplicitas tua, & ſingularis continentia, ſalvum facient te, ſi permanſeris. Et omnes ſalvos facient, quicumque hujuſcemodi operantur, & ingrediuntur in innocentia & ſimplicitate. Hi qui hujuſmodi ſunt, invaleſcent adversùs omnes nequitias, & permanebunt in vitam æternam. Felices omnes, qui operantur juſtitiam, non abſumentur uſque in vitam æternam. Dices autem: Ecce magna tribulatio venit. Si tibi videtur, iterum nega. 5 Prope eſt Dominus convertentibus, ſicut ſcriptum eſt 6 in Heldam & Modal, qui vaticinati ſunt in ſolitudine populo.

IV. Revelatum autem eſt mihi, fratres, dormienti, à juvene ſpecioſo, & dicente mihi: Anum illam, à qua accepiſti libellum, quam putas eſſe? Et ego dixi: 7 Sibyllam. Erras, inquit, non eſt. Quæ eſt ergo, Do-

1. De die pœnitentiæ præfinita vid. Heb. 3. 8 OXON.

2. *Ut ſit tranſitus veſter cum ſanctis Angelis.* Viſione 3. cap. 11. *Nihil aliud expectant niſi dormitionem ſuam.* Similitudine 9. c. 15. *Venire ad diem quietis.* Ita paſſim mortis horror mitioribus vocabulis minuitur: ea tranſitus appellatur, dormitio, ſomnus, ſopor, quies, exitus, profectio, arceſſitio, tranſlatio, præmiſſio, peregrinatio, abſentia, natalis dies, &c. Pſalmo 140. verſu 10 *Singulariter ſum ego, donec tranſeam.* Οὐα τὸ ταχὺ ... *Saſar ... ἀλλὰ μετάθεσιν*, ait Athanaſius, libro de Virginitate: Euſebio conſentiente III. de Vita Conſtantini 46. & Chryſoſtomo ad viduam juniorem. Tertullianus libro de Patientia cap. 9 *Profectio eſt, quam putas mortem.* Cyprianus Epiſtolâ 26. *Glorioſas Martyrum, non dicam mortes, ſed immortalitates.* Hieronymus Epiſt. 3 de morte Nepotiani, *Intelligeres illum non emori, ſed emigrare.* Epiſt. 29. *Neque enim mors, ſed dormitio & ſomnus appellatur,* &c. Epiſt. 14. ad Julianum, *Quod ſanctiſſimam conjugem tuam, non quaſi mortuam, ſed quaſi proficiſcentem deduxeris.* Epiſt. 49. *Non moritur quiſquis victurus occiditur.* Lib. 1. adverſus Jovinianum cap. 14. *En qua oſtenditur Virginitatem non mori, ſed manere cum Chriſto; & dormitionem ejus, tranſitum eſſe, non mortem.* Libro contra Vigilantium cap. 3. *Sancti non appellantur mortui, ſed dormientes* &c. Ad Matthæi caput 25. *Sanctorum mors ſomnus appellatur.* Denique ab eodem doctiſſimo diſertiſſimoque Patre obſervatur ad Iſaiæ locum cap. 14. v. 8. *Ex quo tu dormiſti*: dormitionem etiam dici de morte impiorum. *Nota*, inquit, *quòd & mors impii, appelletur dormitio.* Ac ne plura coacervando abutar & meo tempore & patientiâ Lectoris, addo duntaxat elegantiſſimum hominis Ethnici, Callimachi, Epigramma:

Τῇδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται· θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς. COT.

Mors fidelium tranſitus eſt ad gloriam, & eorum animæ per angelos in ſinum Abrahæ devortantur. Vid. Luc. 16. 22 OXON.

3. Matth. 10. 33. Lectio hæc ex Bod. & Lamb. elicitur; in imp. *qui denegaverit Filium & ſe, ſpondentes ſe vitam illius, & ipſi denegaturi ſunt illum.* Ibid.

4. *Nimia* idem valet quod *ſumma*. Ibid.

5. Scilicet fretus ſponſionibus de miſericordia divina, quas temere adhibet liber apocryphus, ſub Eldadi & Medadi nomine conſcriptus: de quo mentio habetur apud Veteres. Ibid.

6. *Sicut ſcriptum eſt in Heldam & Modal.* Iſtorum Prophetarum nomina Numer. XI. 26. 27. in Hebræo & in Vulgata ſunt Eldad & Medad. In LXX. Ἐλδὰδ (ſ. Ἐλδὰδ, quemadmodum habet Græcus Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 26. necnon Editio Commeliniana Athanaſii, in Synopſi) καὶ Μωδάδ: quippe qui legerunt ו pro י, מודד loco מידד: hincque corrupte apud Auctorem Reſponſionum ad Quæſtiones Pauli Samoſatenſis, exiſtimatum Dionyſium Alexandrinum, Reſp. ad Quæſt. 4. Ἀλδὰς καὶ Μωδάς; & apud Epiphanium lib. 3. tom. 2. Expoſit. Fidei Num. 4. Ἐλδὰδ καὶ Μωδάδ, quo modo profert quoque Nicephorus Conſtantinopolitanus Catalogo, & Stichometriâ Scripturarum, ſeu fine Chronographiæ, ubi ab Anaſtaſio Bibliothecario vertitur *Elad & Modad.* Paſſerrato in Theodoriti Quæſt. 21. ad Numeros Ἐλδὰδ καὶ Μωδάθ. Hieronymus interdum, & multi, atque etiam in veteribus Bibliis *Heldad & Medad.* In Scripturarum Indiculo, quem infrà, initio Notarum ad Conſtitutiones Apoſtolicas, edendum curabimus Ἐλδὰμ καὶ Μωδάμ. Indiculo Prophetarum edendo pariter ad Conſtitut. IV. 6. Ἐλδὰμ & Μωδὰμ. Μωδὰμ quoque Cyrillo Alexandrino. Denique hic *Heldam & Modal*, quamquam vetuſta manus in MS. Bibliothecæ S. Germani correxit *Heldad & Medad.* Fuerunt porrò Eldadus & Medadus duo homines, aut ex ſeptuaginta ſenibus à Moſe electis ad gubernandum populum Iſraeliticum; quæ eſt ſententia Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſi 16. & Cyrilli Alexandrini ad Johannis XX. 22. aut ex ſeptuaginta duobus iiſdem viris, ſeptuaginta dictis numero brevi ac rotundo; quemadmodum arbitratur Epiphanius in loco laudato, ac fortè qui compoſuit librum de mirabilibus ſacræ Scripturæ (Tom. 3. S. Auguſtini) lib. 1. cap. 9. aut extra numerum LXX. poſiti, pari tamen dignitate; quod cenſet Theodoritus: ſuper quos, cùm à jubente Moyſe, ut omnes ad oſtium tabernaculi ſtarent, remanſiſſent in caſtris, *non ſunt rei negligentiæ*, docet Hieronymus Epiſt. 127. manſ. 13. *ſed humilitatis: abſentes, dum ſe honore arbitrantur indignos*; ſuper quos, inquam, tunc Spiritus requievit, ornans illos Prophetiæ dono, non quidem temporario, ut reliquos ex LXX. ſi fides Baſilio ubi ſupra, ſed permanenti. Atque ex hac ſacræ Scripturæ Hiſtoria Numer. c. p. 11. nonnulli aliquis anſam accepit fabricandi librum ſub perſona & nomine eorum Prophetarum: cujus Apocryphi meminerunt præter Hermam Athanaſius, inter alios, ſub finem Synopſeos, Auctor Indiculi edendi, ac Nicephorus CP. Fieri que poteſt, ut inde accepta fuerit Genealogia, quæ extat in Traditionibus Hebraicis ad I. Paralipomenon, Tom. 3. Operum B. Hieronymi; quo loci ad I. Paralip. IV. 17. hæc habentur; *Ezra interpretatur auxilium: ipſum enim dicunt Amram, patrem Moyſi & Aaron. Mared, rebellans; ipſe eſt Moyſes. Epher, pulvis; ipſe eſt Eldad. Jalon ... ipſe eſt Medad: videntur qui prophetabant. Traditur enim, Moyſem poſt acceptam Legem in Eremo, patrem ſuum juſſiſſe, ut matrem dimitteret, eo quod illius amita eſſet; filia enim fuit Levi, poſt cujus diſſidium duxiſſe aliam uxorem Amram, ex qua ſuſcepit duos filios hos, Eldad & Medad*; & cætera, in quibus corrigenda hæc, *Et Amaret, id eſt Moyſi accepta eſſe dicitur*, reſcribendo, *Et à Mared, id eſt Moyſe, accepta eſſe dicitur.* Cæterùm illud, *Prope eſt Dominus convertentibus*, vicinum eſt oraculo Davidico: *Juxtà eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde.* Pſalm. XXXIII. 19. In Clementis Libro qui inſcribitur, ὡς ὁ ... paulo ante finem; ... Vide infrà ad Clementin. XVIII. 4. COT.

7. *Sibyllam.* Itaque, concludit pluримæ lectionis vir ac teneciſſimæ memoriæ, David Blondellus, in præfatione libri cui titulum dedit, *Apologia pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris*, p. 48. 49. & in Opere Gallico de Sibyllis lib. 1. cap. 6. & 7. Carmina exſtantia omne ſub emento nomine Sibyllarum, poſt ſuppoſitionem venerunt in manus Hermæ, fratris Papæ Pii, circa medium 2. ſæculi. Verùm hæc concluſio multa ſibi concedi poſtulat, aut incerta, aut falſa etiam; multoſque impugnatur. Etenim primò in eo ſomnium hominis, Hermas ſeu Hermes, frater Pii, toti genuinæ antiquitati indictus, ex cœnoſo gurgite fabulatorum hauſtus, pro vero homine reputatur. Deinde Sibyllæ nomen per eam creditur in Græco extitiſſe: at quis novum illud nomen originem acceptam non referat Latino Interpreti, qui Græcam πρεσβῦτιν verterit Sibyllam, ſicut lib. 2. Mand. 6. ... & ... Genium ac Genium reddidit? Adhæc, cur Hermas non appellaret Sibyllam, mulierem viſam in forma Sibyllæ, hoc eſt ut anum, & cum libro præ manibus? Sibylla quippe πολυχρόνιος dicitur in Ariſtotele, libro de mirabilibus auſcultationibus; *longæva ſacerdos* à Virgilio Æneid. VI. & vivax ab Ovidio Metamorph. l. 14. fab. 4. apparuitque Tarquinio vetula: cum libro autem exprimi ſolent Sibyllæ, refertque Lactantius lib. 1. cap. 2. ex Varrone, ſimulacrum decimæ Sibyllæ, nomine Albuneæ, inventum fuiſſe in gurgite amnis Anienis tenens in manu librum. Præſertim cùm Sibyllæ in bonam partem accipi queat pro qualibet vate; quaſi ſit θεοβούλη, Dei conſilium, ſententia ... , ex Lactantio ... , Hieronymo I. in Jovinian. 26. Servio in III. & VI. Æneidos, ac Iſidoro Originum lib. 8. cap. 8. juxta quem, ſicut omnis vir prophetans, dicitur Propheta, ita omnis prophetans femina, Sibylla vocatur. Denique licet ſint à Noſtro Sibyllina quædam; non inde ſequitur, ea eſſe Syllogen, quæ in octo libros digeſta proſtat, Apoſtolicis temporibus recentior. Ferebantur enim primo Eccleſiæ ſæculo ſub Sibyllino nomine nonnulla, ad res in Scripturis ſacris contentas pertinentia: unde Joſephus ὑπομνηματισμ... Apoſtolorum & veri Her-

Digitized by Google

mine? Et dixit mihi: Eccleſia Dei eſt. Et dixi ad illum: Quare ergo anus eſt? Quoniam, inquit, omnium prima creata eſt, ideo anus: & propter illam mundus factus eſt. Poſt hæc autem viſionem vidi in domo mea, & venit illa anus, & interrogavit me, ſi jam libellum dediſſem Senioribus. Et reſpondi: Adhuc non. At illa dixit: Bene feciſti; habeo enim quædam verba edicere tibi. Cùm autem conſummavero omnia verba, apertè ſcientur ab electis. 1 Scribes ergo duos libellos: & mittes unum Clementi, & unum Graptæ. Mittet autem Clemens 2 in exteras civitates; illi enim permiſſum eſt. 3 Grapte autem commonebit viduas & orphanos. Tu autem 4 leges in hac civitate cum Senioribus, qui præſunt Eccleſiæ.

VISIO III.

De triumphantis Eccleſiæ ſtructura, & variis hominum reproborum ordinibus.

I. Viſio quam vidi, fratres, viſio talis erat. Cùm jejunaſſem frequenter, & precatus eſſem Dominum, ut mihi oſtenderet revelationem, quam pollicitus eſt oſtendere per anum illam; eadem nocte apparuit mihi anus illa, & dixit mihi: Quoniam ſic 5 langues, & ſollicitus es ad ſciendum omnia, veni in agrum, ubi vis; & circa horam ſextam manifeſtabo me tibi, & oſtendam tibi quæ oporteat te videre. Rogavi illam, dicens: Domina, in quem locum agri? Ubi, inquit, vis, elige locum bonum, ſecretum. Antequam autem loqui cœpiſſem, & dicere ei locum, ait mihi: Veniam ubi vis. Fui ergo, fratres, in agro, & obſervavi horas, & veni in locum, ubi conſtitueram ei venire. Et video ſubſellium poſitum: erat cervical lineum, & ſuper linteum expanſum carbaſinum. Videns hæc poſita, & neminem eſſe in loco, ſtupere cœpi, & capilli mei 6 exſurrexerunt, & quaſi 7 horror me comprehendit, cùm eſſem ſolus. 8 Ad me autem reverſus, & memoratus gloriam Dei; & acceptâ audaciâ, poſitis genibus confitebar Deo iterum peccata quæ priùs. Ecce venit illuc cum juvenibus ſex, quos & antè videram & ſtetit poſt me orantem; & audiebat me orantem, & confitentem Domino peccata mea. Et tangens me, dixit: Deſine jam pro peccatis tuis tantùm orare. Ora & pro juſtitia, ut accipias partem ex ea in domo tua. Et erexit me de loco, & apprehendit manum meam, & adduxit me ad ſubſellium, & ait illis juvenibus: Ite, & ædificate. Poſtquam autem diſceſſerunt juvenes, & nos ſoli fuimus, ait mihi: Sede hîc. Dico ei: Domina, ſine ſeniores antè ſedere. Quod tibi dico, inquit, ſede. Cumque vellem ſedere ad dexteram partem, non eſt paſſa, ſed annuebat mihi manu, ut ad ſiniſtram partem ſederem. Cogitante autem me, & mœſto exſiſtente, quòd non ſivit me ad dexteram partem ſedere, ait mihi: Quid mœſtus es, Herma? Locus qui eſt ad dexteram, illorum eſt, qui jam meruerunt Deum, & paſſi ſunt causâ nominis 9 ejus. Tibi autem supereſt multum, ut 10 cum illis ſedeas. Sicut manes, in ſimplicitate tua permane, & ſedebis cum illis, & quicumque fuerint operati illorum opera, & ſuſtinuerint quæ illi ſuſtinuerunt.

II. Dico ei: Domina, vellem ſcire quæ ſuſtinuerunt. Audi, inquit: Feras beſtias, flagella, carceres, cruces, causâ nominis 11 ejus. Propter hoc, illorum ſunt dextræ partes ſanctitatis, & quiſquis 12 patietur propter nomen Dei: reliquorum autem ſiniſtræ partes ſunt. Sed utriſque eis, & qui ad dextram, & qui ad ſiniſtram ſedent, ſunt dona & promiſſiones, tantùm quòd ad dexteram ſedentes habent gloriam quamdam. Tu autem cupidus es ſedere ad dextram cum eis: ſed exiguitates tuæ multæ ſunt. Emundaberis autem ab exiguitatibus tuis. Sed & omnes, qui dubii non fuerint, emundabuntur ab omnibus peccatis in hunc diem. Et cùm hæc dixiſſet, volebat abire. Et procidens illi ad pedes, rogavi illam per Dominum, ut mihi demonſtraret quod repromiſerat viſum. At illa rurſus apprehendit manum meam, & erexit me, & fecit ſedere ſuper ſubſellium ad ſiniſtram: & elevatâ virgâ quâdam ſplendidâ, dixit mihi: Vides rem magnam? Dico ei: Domina, nihil video. 13 Ecce non vides contra te turrim magnam, quæ ædificatur ſuper aquas, lapidibus quadris ſplendidis? In quadrato enim ædificabatur turris ab illis ſex juvenibus, qui venerant cum illa. Alia autem multa millia virorum adportabant lapides. Quidam autem de profundo trahebant lapides: alii de terra transferebant, & porrigebant illis ſex juvenibus. Porro illi accipiebant, & ædificabant. Eos autem qui de profundo extrahebantur lapides, omnes ſic 14 ponebantur in ſtructuram: politi enim erant, & convenientes commiſſuræ cum 15 aliis lapidibus, ſicque conjungebantur alius ad alium, ita ut commiſſuræ eorum non parerent. Et in hunc modum 16 apparebat ſtructura turris, tamquam ex uno lapide ædificata. Cæteros autem lapides, qui adferebantur de terra, quoſdam quidem rejiciebant, quoſdam verò adaptabant in ſtructuram. Alios excidebant, & projiciebant longè à turri. Alii autem lapides multi circa turrim poſiti erant, & non utebantur illis ad ſtructuram. Erant enim quidam ex illis ſcabroſi, alii autem ſciſſuras habebant, alii verò candidi & rotundi, 17 non convenientes in ſtructuram turris. Videbam autem alios lapides projici longè à turri, & incidentes in viam, & non manentes in via, ſed volvi de via in locum deſertum. Alios autem in ignem incidentes, & ardentes. Alios cadentes ſecus aquam, nec poſſe volvi in aquam, volentibus quidem eis intrare in aquam.

III. Et cùm hæc mihi demonſtraſſet, volebat recedere. Dico ei: Domina, quid mihi prodeſt hæc vi-

mæ, lib. 1. Α'ρχαιολογίας cap. 5. qui locus citatur etiam ab Euſebio Præpar. Evang. lib. 9. cap. 11. Hieronymo de Locis Hebraicis voce in *Babel*, & Cyrillo Alexandrino lib. 1. contra Julianum poſt initium, (ubi tamen σφάλματι, ut videtur, [illegible] tribuitur Alexandro Polyhiſtori) refert Sibyllam mentionem feciſſe turris ædificatæ a viris volentibus cœlum ſcandere, everſæ autem ventis divinitus immiſſis, itemque hinc ſecutæ linguarum multiplicitatis, ob quam urbs Babylon appellata fuerit. Sed de Sibyllinis verſibus adhuc agemus infrà ad initium Epiſtolæ 2. S. Clementis. Ibid.

Sibylla, anus fatidica. Conjicit eruditus Coteleriius, in principio capitis ſecundi, pro *cum his* reponendum eſſe *Cumis*: quod ſi obtineat, obvia ſatis eſt cauſa, quare Hermas Anum Sibyllam eſſe conjecerit, quæ ſemper vitam ibi perennaſſe putabatur. OXON.

1. *Scribes ergo duos libellos* &c. Similis locus illi Apocalypſeos cap. 1. verſ. 11. *Quod vides, ſcribe in libro; & mitte ſeptem Eccleſiis* &c. Expoſitio autem Allegorica Origenis non impedit quò minus ſcripta vide antur hæc ſub Clemente Pontifice, qui a Preſbyteris ſeparatim memoratur, cuique ſoli demandatur provinciis mittendi ad exteras civitates; vivente Romæ quâdam feminâ pietate conſpicua, Diaconiſsâ forſitan, vocatâ *Grapte*; quod nomen reperies etiam in Joſepho lib. 5. de bello Judaico cap. 9. COT.

2. Locum hunc laudat Origenes lib. 4. περὶ ἀρχῶν. Clementem Romæ Epiſcopum intelligere videtur, qui pro muneris ſui ratione literas encyclicas, ſyſtaticas & formatas ad vicinas Eccleſias frequenter dirigit, & earum rebus conſulit; quod ex Epiſtolis ad Corinthios miſſis conſtat. OXON.

3. Grapte Eccleſiæ Romanæ [illegible] fœminas & juniores commonefaciet. Ibid.

4. Tu ipſe cum Eccleſiæ Preſbyteris tranſigas. Ibid.

5. Bod. *egens es*. Lam. *egenus es*. Ibid.

6. Bod. *exſtruxerunt*. Ibid.

7. Bod. Lam. *horripilatio*. Ibid.

8. Bod. Lam. *apud*. Ibid.

9. Bod. *Domini*. Ibid.

10. Laureolam martyrum gloria peculiari præfulgere, ſtudioſe docent omnes ſcriptores veteres. Ibid.

11. Bod. *Domini*. Ibid.

12. Bod. *paſſus fuerit*. Ibid.

13. Bod. add. *Ait mihi*. Ibid.

14. Bod. *ponebant*. Ibid.

15. Bod. Lam. *aliis*. Ibid.

16. Bod. & Lam. *parebat*. Ibid.

17. *Non convenientes in ſtructuram turris*. Et cap. 6. 9. Lib. 3. Sim. 9. cap. 6. 7. 31. Didymus in Catena Græcorum in Job ad cap. 8. verſ. 17. 18. [illegible] COT.

diſſe, & [1] non ſcire, quæ ſint hæ res? Reſpondens dixit mihi: Verſutus es homo, volens ſcire ea quæ circa turrim ſunt. Ita, inquam, Domina, ut fratribus annunciem, & hilariores fiant; & hæc audientes, honorificent Dominum cum multa gloria. Et illa ait: Audient quidem multi: & cùm audierint, quidam ex eis gaudebunt, quidam autem flebunt. Sed & illi audientes, ſi pœnitentiam egerint, & ipſi gaudebunt. Audi nunc de ſimilitudine turris omnia hæc, & hactenus mihi de revelatione moleſtior eſſe noli. Revelationes enim iſtæ finem habent: impletæ ſunt enim. Sed tu non deſinis in petendo revelationes: [2] improbus enim es. Turris quidem, quam vides ædificari, ego ſum Eccleſia, quæ tibi apparui, & modò, & priùs. Quodcumque igitur volueris, interroga de turri; & revelabo tibi, ut gaudeas cum ſanctis. Dico ei: Domina, quoniam me ſemel dignum arbitrata es, ut omnia mihi reveles, revela. Ait mihi: Quodcumque oportuerit tibi revelari, revelabitur; tantùm ut cor tuum apud Dominum ſit, & ne dubites quodcumque videris. Interrogavi illam: Quare turris ædificata eſt ſuper aquas, Domina? Dixeram tibi & priùs, verſutum te eſſe circa [3] ſtructuras diligenter inquirentem: igitur invenies veritatem. Quare ergo ſuper aquas ædificatur turris audi. Quoniam vita veſtra per aquam ſalva facta eſt, & fiet. [4] Fundata eſt enim verbo omnipotentis & honorifici nominis. Continetur enim ab inviſibili virtute Dei.

IV. Reſpondens dico ei: Magnificè habent ſe res hæ. Illi autem juvenes sex qui ædificant, qui ſunt, Domina? [5] Hi ſunt Angeli Dei, qui primò conſtituti ſunt, quibus tradidit Dominus univerſam creaturam ſuam ſtruendi, ædificandi, & dominandi creaturæ illius. Per hos [6] enim conſummabitur ſtructura turris. Cæteri autem qui [7] adportant lapides, qui ſunt [8] Et ipſi ſancti Angeli Domini: ſed illi ſunt his excellentiores. Cùm ergo conſummata fuerit ſtructura turris, omnes ſimul epulabuntur juxta turrim, & honorificabunt Dominum, quoniam conſummata erit ſtructura turris. Interrogavi eam dicens: Vellem ſcire exitum lapidum, & vim eorum qualis ſit. Reſpondens autem, dixit mihi: Numquid tu præ omnibus melior es, ut tibi reveletur? Alii enim priores te ſunt, & meliores te, quibus oportebat revelari viſiones has; ſed ut honorificetur nomen Dei, tibi revelatum eſt, & revelabitur, propter dubios, qui cogitant in cordibus ſuis, utrumne ſint hæc, an non ſint. Dic illis quòd hæc omnia ſunt vera, & nihil extra veritatem eſt; ſed omnia firma, certeque fundata ſunt.

V. Audi nunc & de lapidibus qui ſunt in ſtructura. Lapides quidem illi quadrati, & albi, convenientes [8] in commiſſuris ſuis, ii ſunt [9] Apoſtoli, & Epiſcopi, & [10] Doctores, & Miniſtri, qui ingreſſi ſunt in clementia Dei, & Epiſcopatum geſſerunt, & docuerunt, & miniſtraverunt ſanctè & modeſtè electis Dei, qui dormierunt, quique adhuc ſunt, & ſemper cum illis convenerunt, & in ſe pacem habuerunt, & ſe invicem audierunt. Propter hoc & in ſtructuram turris conveniunt commiſſuræ eorum. Qui verò de profundo trahuntur, & imponuntur in [11] ſtructuram, & conveniunt commiſſuræ eorum cum cæteris lapidibus, qui jam ædificati ſunt; ii ſunt, qui jam dormierunt, & paſſi ſunt causâ nominis Domini. Cæteri autem lapides, qui adportabantur à terra, [12] vis ſcire qui ſint, Domina? Ait: Eos quidem, qui in terram [13] vadunt, & non ſunt politi, illos Deus probavit, [15] quoniam ingreſſi ſunt in æquitatem Domini, & direxerunt vias in mandatis ejus. Qui autem adferuntur, & ponuntur in [14]. ſtructura turris, ii ſunt novelli in fide & fideles. Commonentur autem ab Angelis ad benefaciendum, propterea quòd non eſt inventa nequitia in illis. Quos autem rejiciebant, & ponebant juxta turrim, qui [15] ſunt illi? Ii ſunt qui peccaverunt, & voluerunt pœnitentiam agere; propter hoc non ſunt longè projecti à turri, quoniam utiles erunt in [16] ſtructura, ſi pœnitentiam egerint. Qui ergo pœnitentiam acturi ſunt, ſi egerint pœnitentiam, fortes erunt in fide, ſi nunc pœnitentiam egerint, dum ædificatur turris. Nam ſi conſummata fuerit ſtructura, jam quis non habet locum ubi ponatur, ſed erit reprobus; ſolummodo autem hoc habebit, [17] qui jam ad turrim poſitus eſt.

VI. Qui autem recidebantur, & longè projiciebantur à turre, vis ſcire qui ſunt? Ii ſunt filii iniquitatis, & qui crediderunt in ſimulatione, & omnis nequitia non diſceſſit ab eis: propter hoc non habent ſalutem; quoniam non ſunt utiles in [19] ſtructura, propter nequitias ſuas. Quapropter exciſi ſunt, & longè projecti propter iram Domini, quia exacerbaverunt eum. Cæteros autem lapides, quos vidiſti complures poſitos, non euntes in ſtructuram; ii quidem ſcabroſi erant; hi ſunt qui cognoverunt veritatem, & nec permanſerunt in ea, nec conjuncti ſunt ſanctis; propter hoc inutiles ſunt: qui autem ſciſſuras habebant; [20] qui alius adverſùs alium in cordibus diſcordiam habent, & non habent pacem inter ſe; in præſentiâ quidem pacem habentes; cùm autem unus ab alio diſceſſerit, nequitia eorum in cordibus permanet. Hæ ſunt ergo ſciſſuræ, quas habent lapides. Qui verò curti ſunt, [21] ii ſunt, qui crediderunt quidem, plurimam partem habentes iniquitatis; propter hoc curti; & non integri ſunt. Candidi autem & rotundi, & non convenientes in ſtructuram turris; qui ſunt, Domina? Reſpondens mihi, dixit: Uſquequo ſtultus es & inſenſatus, & omnia interrogas, & nihil intelligis? Hi ſunt habentes quidem fidem, habentes autem & divitias hujus ſæculi. Cùm ergo venerit tribulatio, propter divitias ſuas & negotiationes abnegant [22] Dominum. Reſpondens, dico ei. Domina; quando ergo utiles erunt Domino? Cùm circumciſæ, inquit, fuerint divitiæ eorum, quæ eos delectant; tunc erunt utiles Domino, ad ædificium. Sicut enim lapis rotundus, niſi deciſus fuerit, & abjecerit ab ſe aliquid, non poteſt quadratus fieri: ſic & qui divites ſunt in hoc ſæculo, niſi circumciſæ fuerint divitiæ eorum, non poſſunt Domino utiles eſſe. A tu primùm ſcito. Quando dives fuiſti, inutilis eras: nunc verò utilis es, & aptus vitæ tuæ: nam & tu ipſe ex eis lapidibus fuiſti.

VII. Cæteros autem lapides, quos vidiſti longè projectus à turri, & currentes in via, & volvi de via in loca deſerta; ii ſunt qui crediderunt quidem, dubitatione autem ſuâ, reliquerunt viam ſuam veram, putantes ſe meliorem viam poſſe invenire. Errant autem, & miſeri ſunt; ingredientes in deſertas vias.

1. Imp. *& ſcire*. OXON.
2. Bod. Lam. *improbus*. Ed. *importunus*. Ibid.
3. Bod Lam. *Circa ſcripturas. Diligenter inquirens igitur*. Ibid. (In Lam. legitur: *ſcripturas & inquirentem. Igitur invenient veritatem quare ſuper.*)
4. *Fundata eſt enim verbo omnipotentis & honorifici nominis.* Senſus etiam cœco apparet. At Barthium (ſemel moneo) inſanabile ubique tenet curandi loca ſana Cacoëthes. COT.
5. *Ait mihi. Hi.* Sic Bod. OXON.
6. Lam. Bod. *ergo*. Ibid.
7. Bod. *adportabant*. Ibid.
8. Bod. *commiſſura, hi ſunt*. Ibid.
9. *Apoſtoli & Epiſcopi, & Doctores, & Miniſtri, qui ingreſſi ſunt in clementia Dei, & Epiſcopatum geſſerunt, & docuerunt, & miniſtraverunt ſanctè.* Hic habes diſtinctos Hierarchiæ Ordines, in Apoſtolis, Epiſcopis Epiſcopatum gerentibus, Doctoribus ſeu Presbyteris docentibus, & Miniſtris ſive Diaconis miniſtrantibus. COT.
10. Presbyterorum ordo, *Doctorum* nomenclatura hic deſignatur; quod à Cypriano pariter factum: fruſtra eſt itaque Blondellus, qui ex hoc ſcriptore partium Presbyterianæ patrocinium quærit. OXON.
11. Bod. *ſtructuram*. Ibid.
12. Bod *ſcire*. *inquam*. Ibid.
13. Bod. *qui*. Ibid.
14. Bod *ſtructuram* Ibid. ſic & Lamb.
15. Bod. leg. *ſunt? ii* Ibid.
16. Bod. *ſtructuram*. Ibid.
17. Lam. *quoniam*. Ibid.
18. *Volo, inquam Domina.* Addit. Bod. Ibid.
19. Bod. *ſtructuram*. Ibid.
20. Add. Bod. *hi ſunt qui*. Ibid.
21. Bod leg. *hi crediderunt quidem, ſed plurimam partem habent iniquitatis*. Ibid.
22. Bod. add. *ſuum*. Ibid.

Qui

Qui autem cadebant in ignem, & ardebant; ii ſunt, qui [1] in perpetuum abſceſſerunt à Deo vivo, nec ampliùs illis aſcendit in corda pœnitentiam agere, propter deſideria libidinum ſuarum, & ſcelerum quæ operantur. Cæteri verò, qui cadebant juxta aquas, & non poterant volvi in aquas, qui ſunt? Ii ſunt, qui verbum audierunt, volentes baptizari in nomine Domini; quibus, cùm venit in memoriam ſanctitas veritatis, retrahunt ſe, ambulantque rurſus poſt deſideria ſua ſceleſta. Conſummavit igitur enarrationem turris. Ego verò, cùm adhuc eſſem improbus, interrogavi illam; [2] An iis omnibus lapidibus qui projecti ſunt, nec conveniebant in ſtructuram turris; an eſt pœnitentia, & habebunt locum in turre hac? Habent, inquit, pœnitentiam, ſed in hac turre non poſſunt convenire; [3] alio autem loco ponentur multo inferiore; & hoc, cùm cruciati fuerint, & impleverint dies peccatorum ſuorum. Et propter hoc transferentur, quoniam perceperunt verbum juſtum. Et tunc illis continget transferri de pœnis, ſi aſcenderint in corda ipſorum opera, quæ operati ſunt ſceleſta. Quòd ſi non aſcenderint in corda ipſorum, non erunt ſalvi, propter duritiam cordis ſui.

VIII. Cùm ergo [4] deſtiti interrogare illam de omnibus iſtis; ait mihi: Vis aliud videre? Cumque cupidus eſſem ad videndum; hilaris factus ſum vultu. Reſpiciens me, ſubriſit, & ait mihi: Vides ſeptem mulieres, circa turrim? Video, inquam, Domina. Turris hæc, inquit, ab iis ſupportatur ſecundùm præceptum Domini: Audi nunc effectus earum. Prima quidem earum [5] quæ continet manu, Fides vocatur: per hanc ſalvi fient electi Dei. Alia verò quæ ſuccincta eſt, & viriliter agit, Abſtinentia vocatur: hæc filia eſt Fidei. Quiſquis ergo ſecutus fuerit illam, felix fiet in vita ſua; quoniam ab omnibus operibus malis abſtinebit; credens, quòd ſi ſe continuerit ab omni concupiſcentia, hæres erit vitæ æternæ. Ceteræ autem, inquam, Domina, quinque, quæ ſunt? Filiæ, inquit, invicem ſunt. Vocatur autem quædam Simplicitas, alia Innocentia, alia Modeſtia, alia Diſciplina, alia autem Caritas. Cùm ergo ſervaveris opera matris earum, omnia poteris cuſtodire. Volebam ſcire, Domina, quam quæque earum habeat virtutem. Audi, inquit: Virtutes æquales habent; connexæ autem ad invicem ſunt virtutes earum, & ſequuntur ſe invicem ſicut natæ ſunt. Ex fide naſcitur Abſtinentia; de Abſtinentia Simplicitas; de Simplicitate Innocentia; de Innocentia Modeſtia; de Modeſtia Diſciplina, & Caritas. Harum ergo opera, ſancta, & pudica, & recta ſunt. Quicumque ergo ſervierit his, & voluerit tenere opera earum; in turri habebit habitaculum cum ſanctis Dei. Interrogavi illam de temporibus, ſi jam conſummatio eſt? Illa autem exclamavit voce magnâ, dicens: Inſenſate homo! nonne vides turrim ſemper ædificari? Quando ergo conſummata fuerit turris, & ædificata, habet finem: ſed & citò conſummabitur. Noli me ampliùs interrogare quidquam. Sufficiat tibi, & omnibus ſanctis commemoratio iſta, & renovatio ſpirituum veſtrorum. Sed non tibi hæc ſoli revelata ſunt; ſed ut omnibus demonſtres ea. Poſt triduum enim intelligere te oportet, Herma, verba hæc, quæ tibi incipio dicere, ut loquaris ea in auribus ſanctorum; ut audientes ea, cùm fecerint, emundentur à nequitiis ſuis; ſed & tu cum illis.

IX. Audite me ergo, filii. Ego vos enutrivi in multa ſimplicitate, & innocentia, & modeſtia, propter miſericordiam Dei, quæ ſuper vos ſtillavit in juſtitia; ſanctificemini [7] & juſtificemini ab omni nequitia, & omni pravitate: vos autem non vultis requieſcere à nequitiis veſtris. Nunc ergo audite me, & pacem habete alius cum alio, & viſitate vos alterutrum, & ſuſcipite invicem, & nolite [8] ſoli creaturas Dei percipere. Abundantiùs etiam impertite egentibus. Quidam enim compluribus cibis infirmitatem carnis ſuæ contrahunt, & violant carnem ſuam. Aliorum autem, qui non habent eſcas, marceſcit caro ipſorum, propter id quod non habent ſufficientem cibum; & conſumitur corpus eorum. Hæc igitur intemperantia nociva eſt vobis, habentibus, & non communicantibus iis qui egent. Attendite judicium ſuperveniens. Qui eminentiores eſtis, inquirite eſurientes, dum adhuc turris non eſt conſummata. Poſtquam enim conſummata fuerit turris; voletis benefacere, & non habebitis locum. Videte ergo vos, qui gloriamini in divitiis veſtris, ne fortè ingemiſcant ii qui egent, & gemitus eorum aſcendat ad Dominum, & excludamini cum bonis veſtris, extra januam turris. Nunc itaque vobis dico, qui præeſtis Eccleſiæ, & amatis primos conſeſſus; nolite ſimiles fieri maleficis. [9] Et malefici quidem venena ſua in pyxidibus bajulant; vos autem venenum veſtrum & [10] pharmacum in corde continetis, & non vultis purgare corda veſtra, & permiſcere ſenſum veſtrum puro cordi, ut habeatis miſericordiam à Rege magno. Videte ergo filii, ne fortè hæ diſſenſiones veſtræ fraudent vitam veſtram. Quo modo vos erudire vultis electos Dei, cùm ipſi non habeatis diſciplinam? Commonete ergo vos invicem, pacatique eſtote inter eos; ut & ego coram Patre veſtro aſtans, rationem reddam pro vobis Domino.

X. Cumque deſiiſſet mecum loqui, venerunt illi ſex juvenes qui ædificabant, & tulerunt illam ad turrim, & alii quatuor ſuſtulerunt ſubſellium; & abierunt ipſi iterum in turrim. Horum faciem non vidi, quoniam averſi erant. Euntem illam rogabam, ut mihi revelaret de tribus figuris, in quibus mihi apparuit. Reſpondens autem mihi; dixit: De his alium te oportet interrogare, ut tibi reveletur. Apparuit autem mihi, fratres, primâ viſione, anno [11] ſuperiore, valde anus, & in cathedra ſedens. Aliâ autem viſione, faciem quidem juvenilem habebat, carnem autem & capillos aniles, & ſtans mihi loquebatur, hilarior autem erat quàm primùm. Tertiâ autem viſione, tota junior erat & aſpectu decora; tantùm quòd capillos aniles habebat; hilaris autem facie erat, & ſuper ſubſellium ſedens. De his ipſis mœſtus eram valde, donec cognoſcerem [12] viſionem hanc. Video anum illam in viſu noctis dicentem mihi: Omnis rogatio humilitate eget. Jejuna ergo, & percipies à Domino quod poſtulas. Jejunavi ergo diem unam. Eadem nocte apparuit mihi juvenis, & ait: Quid tu frequenter petis revelationes in oratione? Vide ne multa poſtulans, noceas carni tuæ. Sufficiant tibi revelationes hæ. Numquid poteris fortiores revelationes videre, quàm quas vidiſti? Reſpondens ei dico? Domina, hoc ſolum peto, pro tribus figuris illius anus, ut integra fiat revelatio. Reſpondit mihi: Vos non inſenſati eſtis; ſed dubitationes veſtræ vos inſenſatos faciunt, eò quòd non habeatis cor veſtrum ad Dominum. Reſpondi illi, & dixi: Sed à te ea diligentiùs cognoſcemus.

XI. Audi, inquit, de figuris, [14] quas inquiritis. In prima quidem viſione quare anus tibi apparuit, ſuper cathedram ſedens; quoniam ſpiritus veſter antiquior, etiam marcidus eſt, & non habens vim à veſtris infirmitatibus & dubitatione cordis. Sicut enim ſeniores, qui non habent ſpem renovandi, & nihil aliud

1. Bod. Lam. *in fine.* Ibid.
2. Bod. Lam. *an ii omnes lapides*, &c. *ſi eſt illis.* Ibid.
3. Lam. *habebuntur in.* Ibid.
4. *Alio autem loco ponentur multò inferiore.* Falluntur quotquot de Purgatorio intelligunt. Haud dubium quin loquatur de Pœnitentia. COT.
5. Bod. *deſivi.* OXON. Sic & Lamb. *deſivi.* interrogando.
6. Manus contracta, rectiſſime Fidem repræſentat, qua divina promiſſa apprehendimus. Ibid.
7. Lam. Bod. *invalueris.* Ibid.
8. Bod. deeſt. *& juſtificemini.* Ibid.
9. Vid. Job. 31. 27. Ibid.

10. *Et malefici quidem venena ſua in pyxidibus bajulant.* Appoſitè Seneca in exhortationibus, citante Lactantio lib. 3. cap. 15. *Plerique Philoſophorum tales ſunt, & diſertiſſimi adverſum ſua convitia: quos ſi audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium ſui profeſſos putes: adeò redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa. Quos non aliter intueri decet quàm medicos, quorum titulis remedia habent, pyxides venena.* COT.
11. Bod. *medicamentum.* OXON.
12. Bod. *priore.* Ibid. Sic & Lamb.
13. Bod. *revelationem.* Ibid. Sic & Lamb.
14. Bod. *de quibus inquiris.* Ibid.

exſpectant niſi dormitionem ſuam: ſic & vos infirmati à ſæcularibus negotiis, tradidiſtis vos in [1] ſocordiam, & non projeciſtis à vobis ſollicitudinem in Domino; & [2] confuſus eſt ſenſus veſter, & inveteraſtis in triſtitiis veſtris. Quare ergo ſuper cathedram ſedebat, volebam cognoſcere, Domine. Reſpondit: Quoniam omnis infirmus ſuper cathedram ſedet, propter infirmitatem ſuam, ut contineatur infirmitas ejus. Ecce habes figuram primæ viſionis.

XII. Secundâ autem viſione, vidiſti illam ſtantem, & juvenilem faciem habentem, & hilariorem quàm priſtinam; carnem autem, & capillos aniles. Audi, inquit, & hanc parabolam. Cùm ſenior jam fuerit aliquis, deſperat de ſeipſo, propter infirmitatem ſuam, & paupertatem, & nihil aliud exſpectat, niſi diem extremum vitæ ſuæ. Deinde ſubitò illi relicta eſt hæreditas; & audiens exſurgit, hilariſque factus induit virtutem; & jam non diſcumbit, ſed ſtat, & liberatus à prioribus mœroribus; & jam non ſedet, ſed viriliter agit. Ita & vos, audite revelationem, quam Deus vobis revelavit, quia miſertus eſt Dominus veſtri, & renovavit ſpiritum veſtrum, & depoſuiſtis infirmitates veſtras, acceſſit vobis fortitudo, & invaluiſtis in fide; & viſâ Deus fortitudine veſtrâ, gaviſus eſt. Propter hoc demonſtravit vobis ſtructuram turris; & alia oſtendet, ſi ex toto corde pacem habueritis inter vos.

XIII. Tertiâ autem viſione, vidiſti illam adoleſcentiorem, [3] honeſtam & hilarem, & ſerenum vultum ejus. Sicut enim, ſi alicui mœſto ſupervenerit nuncius bonus aliquis; ſtatim oblitus eſt mœroris, nihilque aliud exſpectat, niſi annunciationem quam audivit, & confortatur de cætero, & renovatur ſpiritus ejus propter gaudium quod accepit: ſic & vos renovationem accepiſtis ſpirituum veſtrorum, videntes hæc bona. Et quia ſuper ſubſellium vidiſti ſedentem, fortis poſitio eſt; quoniam quatuor pedes habet ſubſellium, & fortiter ſtat. Nam & Mundus per quatuor elementa continetur. Qui ergo pœnitentiam egerint integrè, juniores erunt; & qui ex toto corde pœnitentiam egerint, erunt fundati. Habes enim in pleno revelationem; nihil ampliùs poſtules de revelandis. Si quid autem oportuerit, revelabitur tibi.

VISIO IV.

De tentatione & tribulatione hominibus ſuperventurâ.

I. Viſionem vidi, fratres, poſt dies viginti priſtinæ viſionis, figuram [4] tribulationis ſuperventuræ. Proficiſcebar [5] enim in illa via Campana: à via autem publica, in villam, ſunt ferè ſtadia decem. Raro autem iter fit per locum illum. Et ſolus ambulans, rogabam Dominum, ut revelationes ejus, quas mihi oſtendit per ſanctam Eccleſiam ſuam, confirmaret; & daret pœnitentiam omnibus ſervis ſuis, qui ſcandalizati ſunt; ut honorificetur nomen ejus magnum & honorificum; & quia me dignum exiſtimavit, ut oſtenderet mihi mirabilia ſua, & eum honorificarem, & gratias agerem. Tamquam vox mihi reſpondit: Ne dubites, Herma. Intra me ergo cœpi cogitare & dicere: Ego quid habeo dubitare, ſic fundatus à Domino, & qui vidi honorificas res? Progreſſus ſum paululùm, fratres; & ecce video pulverem uſque ad cœlum. Cœpi dicere intra me: Numquid jumenta veniunt, & pulverem excitant? Diſtabat autem à me, tamquam ſtadium. Et ecce video magis magiſque pulverem exſurgentem, adeo ut ſuſpicarer eſſe [6] aliquid divinitus. Puſillùm autem reſplenduit ſol: & ecce video [7] beſtiam magnam veluti cetum, & ex ore ejus locuſtæ igneæ procedebant. Erat autem ſtatura beſtiæ illius pedes ferè centum; caput autem habebat tamquam vas urnale. Cœpi flere & invocare Dominum, ut me liberaret ab illa. Deinde recordatus ſum verbi quod audieram; Ne dubites, Herma. Indutus ergo, fratres, fidem Dei; & memoratus [8] quis docuit me magnalia, audenter in beſtiam me tradidi. Sic autem veniebat beſtia illa, ita ut poſſet in ictu civitatem delere. Veni prope illam; & tam grandis beſtia extendit ſe in terram, & nihil niſi linguam proferebat, & in totum non movit ſe, donec [9] pertranſiſſem illam totam. Habebat autem beſtia illa ſuper caput colores quatuor; nigrum, deinde rubeum & ſanguinolentum, inde aureum, deinde album.

II. Poſtquam autem pertranſivi illam, progreſſus ſum ferè pedes triginta; & ecce [10] occurrit mihi virgo quædam exornata, tamquam de thalamo prodiens, tota in albis, & calceamentis albis circumdata, & uſque ad faciem, mitram habens: pro tegumento autem habebat capillos nitidos. Cognovi ergo à priſtinis viſionibus, quoniam Eccleſia eſt; & hilarior factus ſum. Salutavit autem me, dicens: Ave tu, homo. Et illam reſalutavi, dicens: Domina, ave. Reſpondens autem dixit mihi: Nihil tibi occurrit, homo? Dico ei: Domina, [11] occurrit mihi talis beſtia, quæ poſſit populum conſumere: ſed virtute Dei, & ſingulari ejus miſericordiâ, evaſi illam. Bene effugiſti, inquit; quoniam ſolitudinem & ſollicitudinem tuam ad Dominum projeciſti, & cor tuum aperuiſti ad eum, credens quòd per nullum alium poteris ſalvus eſſe, niſi per magnum & honorificum nomen ejus. Propter hoc [12] miſit Dominus Angelum ſuum, qui eſt ſuper beſtias,

1. MSS. *accedias.* Ibid. Lamb. acridias.
2. Bod. *conuſus.* Ibid.
3. Bod. *bonam.* Lamb. *tabonam & hilarem.*
4. Tribulationem iste legit ſub Domitiano. Ibid.
5. Bod. d eſt *enim* Ibid. ſic & in Lamb.
6. Bod. add *hoc.* Ibid.
7. Vid. Apoc. 11. & 12. Ibid.
8. Lam. *qua.* Ibid.
9. Bod. & Lam. *tranſirem.* Ibid.
10. *Occurrit mihi virgo quadam exornata tamquam de thalamo prodiens.* &c. *Pro tegumento autem habebat capillos nitidos.* Apocalypſ. XXI. 2. *Et ego Johannes vidi ſanctam civitatem, Jeruſalem novam, deſcendentem de cœlo, à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Hieronymus lib. 2. Commentariorum in Oſeam, ad cap. 7. verſ. 9. *Unde & in libro Paſtoris (ſi cui tamen placet illius recipere lectionem) Herma primùm videtur Eccleſia cano capite, deinde adoleſcentula, ut ſponſa. (ita enim legi debere ſuſpicatus ſui) crinibus adornata.* Reſpicitur ad hanc, ſuperioreſque apparitiones, Viſ. 1. cap. 2. Viſ. 2. cap. 1. 4. Viſ. 3. cap. 2. & 10. &c. COT.
11. Bod. & Lamb. omittunt, *occurrit mihi.* OXON.
12. *Miſit Dominus Angelum ſuum, qui eſt ſuper beſtias, cui nomen eſt Hegrin.* Iterum Johannem Apoſtolum imitatur, Apocal. IX. 11. *Et habebant locuſtæ ſuper ſe regem Angelum Abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon.* Quod Cæſarienſis Andreas de Diabolo interpretatur, Arethas de bono Angelo. Exiſtimavi alias in Opere vocem nullius ſignificationis *Hegrin*, conformari debere in [illegible]; quaſi compendioſa ſcriptura [illegible], tranſierit in *Hegrin*; dictus autem fuerit [illegible] Angelus beſtiis præfectus, quoniam Danielis cap. 4. ubi de Nabuchodonoſore ad beſtias relegato agitur [illegible] ſeu Vigilis mentio habetur. Ejus conjecturæ me nondum pœnitet. Si quis tamen aliam adduxerit, non repugnabo: quamquam abſque melioribus codicibus vix aliquid certi proferri queat. Et verò ex loco Clementis Alexandr. Strom. 4. p. 503. ſuſpicabitur forſan nonnullus, Hermam Græcè hoc ferè modo ſcripſiſſe; [illegible] adeo ut Latinè ponendum ſit, *ſuper beſtiam*, & nomen ſic beſtiæ, non Angeli. Pſalmo LXXIX. 14. [illegible] *Devaſtavit eam aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* En verba Clementis. [illegible] *Jam verò Paſtor dicit; Effugietis vim feræ beſtiæ, ſi cor veſtrum fuerit purum ac ſine macula.* Quinetiam Hieronymus lib. 1. Commentariorum in Habacucum, ad verſ. 14. cap. 1. *Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem: ait; Sicut igitur in hominibus etiam per ſingulos Dei currit providentia, ſic in cæteris animalibus generalem quidem diſpoſitionem & ordinem curſumque rerum intelligere poſſumus. Verbi gratia; quo modo naſcatur piſcium multitudo, & vivat in aquis; quo modo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis. Cæterùm abſurdum eſt, ad hoc Dei deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula quot naſcantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo: quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus majorum præda cedere debeant. Non ſimus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus; eamdem rationabilium quàm irrationabilium (f. irrationalium quàm rationalium) providentiam eſſe dicentes. Ex quo liber ille Apocryphus ſtultitiæ condemnandus eſt, in quo ſcriptum eſt, quemdam Angelum, nomine Tyri, præeſſe reptilibus; & in hanc ſimilitudinem piſcibus quoque & arboribus & beſtiis univerſis, proprios in cuſto-*

cui nomen eſt, 1 Hegrin, & obturavit os ejus, ne te dilaniaret. Magnam tribulationem effugiſti, propter fidem tuam, & qui talem beſtiam non dubitaſti. Vade ergo, & enarra electis Dei magnalia ipſius. Et dices illis, quòd beſtia hæc figura eſt preſſuræ ſuperventuræ. Si ergo præparaveritis vos, poteritis effugere illam, ſi cor veſtrum fuerit purum ac ſine macula, & reliquos dies 2 vitæ veſtræ ſervieritis Deo ſine querela. Immittite ſollicitudines veſtras ſuper Dominum, & ipſe dirigat eas. Credite Deo, qui eſtis dubii; quoniam 3 omnia poteſt, & avertere iram ſuam à vobis, & mittere vobis 4 præſidia. Væ dubiis iis, qui audierint verba hæc, & contempſerint: melius erat illis non naſci.

III. Interrogavi eam de illis quatuor coloribus, quos habebat beſtia in capite. At illa reſpondit mihi, dicens: Iterum tu curioſus es, de rebus hujuſmodi interrogans. Et dixi: Domina, demonſtra mihi quid ſint illa? Audi, inquit: illud nigrum, mundus eſt, in quo commoramini: igneum autem & ſanguinolentum; quoniam oportet ſæculum hoc per ſanguinem & ignem deperire: aurea autem pars; vos eſtis, qui effugiſtis ſæculum hoc. Sicut enim per ignem, aurum probatur, & utile fit: ſic & vos probabimini, qui habitatis in illis. Qui igitur permanſerint 5 & probati fuerint ab eis, purgabuntur. Et ſicut aurum emendatur, & remittit ſordem ſuam: ſic & vos abjicietis omnem triſtitiam & anguſtiam, & emundabimini in ſtructuram turris. Alba autem pars; ſuperventuri eſt ſæculi, in quo habitabunt electi Dei: quoniam immaculati & puri erunt electi Dei in vitam æternam. Tu ergo ne deſinas 6 loqui hæc auribus ſanctorum. Habetis & figuram tribulationis superventuræ magnæ. Nam ſi 7 vos volueritis; nihil erit. In mente habete iſta, quæ præſcripta ſunt. Hæc cum dixiſſet, diſceſſit. Non vidi autem quem in locum abierit. Strepitus autem factus eſt, & averſus ſum retrorſum, metuens; & putabam beſtiam illam 8 advenire.

diam Angelos aſſignatos. Atque ex iis verbis; modo in locum *Tyri* reponatur Θηρίῳ, videbitur ſanctus Doctor pro *Hegrin* habuiſſe in ſuo Herma, Θηρίον: quæ lectio ſi cui placeat, dicere poterit, Angelum, beſtiis reptilibus præpoſitum, tuliſſe nomen earum: Θηρίον namque beſtia eſt venenata, quod ſunt pleraque reptilium. Verumtamen, ut equidem nunc ſentio, in mente Hieronymi, cùm illa caſtaret, non erat Hermæ Paſtor; nec Recognitiones Clementi attributæ ubi lib. 1. cap. 45. habetur: *Deus cum fecisset mundum, utpote universitatis Dominus, singulis quibusque creaturis principes statuit; ipsis quoque arboribus, montibusque, ac fontibus, & fluminibus, & universis, ut diximus, quæ fecerat. Multum est enim ire per singula. Statuit ergo Angelis Angelum principem, & Spiritibus Spiritum, sideribus sidus, Dæmonibus Dæmonem, avibus avem, bestiis bestiam, serpentem serpentibus, piscem piscibus, hominibus hominem, qui est Christus Jesus.* Habebat, inquam, Hieronymus in animo aliud Apocryphum, non extans in præſentiarum; in quo reptilibus, piſcibus, arboribus, & beſtiis univerſis, certi Angeli cuſtodes ac præſides, certiſque nominibus, aſſignabantur. Et meritò ſtultitiæ deputetur, nomina & functiones ſingulis Angelorum determinaſſe: non tamen Dei providentiam ad minuta quæque extendiſſe, ubi benigno lectore indiget ipſe Hieronymus; nec præfeciſſe animabus & plantis Angelos: id enim præter Origenem Homil. 14. in Numeros, 23. in Joſuam, 8. in Jeremiam, & 4. in Ezechielem, fecere alii; ut Athenagoras Legatione pro Chriſtianis p. 27. citatus a Methodio apud Epiphanium Hæreſ. 64 num. 21 & apud Photium Codice 234. ſub initium; ut Epiphanius libro de menſuris & ponderibus cap. 22. ut Theodoritus Quæſtione 32. in Geneſim. Atque ea eſt ſententia Platonicorum in Porphyrio περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. 2.

1. Admonet doctiſſimus Cotelerius, iſta magnam cognationem habere cum iis, quæ dicuntur Apoc. 9. 11. Nomen verò *Hegrin*, videri abbreviationem ἐγρηγόρου scil. ἐγρὼ. Dan. 4. ubi agitur de Nabuchodonozore ad beſtias miſſo, & decreto à vigili ſeu angelo conſignato. Ego potius conjicerem, cum eruditiſſimo noſtro Pocockio, *Hegrin* eſſe ipſiſſimam vocem העירין, quam licet Græci codices, uti ſit, ע. ſcribant sp, tamen a ibi per γ ſolent efferre, ut in Gomorrha, Gomer, Gaza, aliiſque quamplurimis. Et quidem Angelorum, dæmonumque nomenclatura, vocibus barbaris potius, quàm Græcis aut Latinis, proponi gaudet. Quod ſubjungit vir doctiſſ. occaſione captata a Clemen. Alexan. qui Strom. 4. locum hunc laudans, beſtiam iſtam ἄγριον θηρίον appellat, ſcripſiſſe Hermam ... ἀγγέλου αὐτοῦ ὅς ἐπὶ τῶν θηρίων, ὃ ἐστιν ἄγριον, minus ut detur admittendum, ſiquidem nomen Angelo adhibitum, frigido ſynonymo ad beſtiam transducatur. Pari fere jure ἄγριον legendum eſſe prætenderit; ſiquidem in loco Danielis prælaudato ille ἐγρήγορος dicatur ἅγιος ἀπ' οὐρανοῦ. OXON.

2. Alii leg. *vita veſtra* ibid.
3. MSS. B. & L. *quoniam poteſt avertere*. ibid.
4. Alii *ſuffragia*. ibid.
5. B. & L. addunt. *& perſeveratint*. ibid.
6. Lam. & Bod. *loquendo* ibid.
7. Lam. *eſſi volueritis*. ibid
8. Lam. & Bod. *venire*. ibid.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

Qui inſcribitur, *MANDATA.*

PROEMIUM.

CUM 1 oraſſem domi, & conſediſſem ſupra lectum, intravit vir quidam reverendâ facie, habitu paſtorali, pallio albo amictus, peram in 2 humeris, & virgam in manu geſtans, & ſalutavit me. Et ego reſalutavi eum. Protinuſque conſedit juxta me: & ait mihi: Miſſus ſum ab eo venerabili Nuncio, ut habitem tecum reliquos dies vitæ tuæ. Et ego putabam ipſum ad tentandum me veniſſe. Et dico ei; Tu enim quis es? Ego enim novi cui traditus ſum. Ait mihi: Non cognoſcis me? 3 Non, inquam. Ego, inquit, ſum Paſtor ille, cui traditus es. Adhuc loquente eo, figura ejus mutata eſt. Cumque cognoviſſem eſſe eum, cui traditus fueram, 4 confuſus ſum, protinuſque metus me ſubiit, & totus mœrore confectus ſum, quia ſic ei reſponderam 5 inſipienter. Ait mihi: Noli confundi, ſed virtutem concipe animo in Mandatis meis, quæ daturus ſum tibi. Miſſus ſum enim, inquit, ut quæ vidiſti ſuperiùs, omnia tibi rurſus oſtendam; præcipuè, quæ ex eis utilia ſunt vobis. Primùm 6 omnium, Mandata mea, & ſpecies Similitudinum ſcribe. Reliqua autem, ſicut oſtendero tibi, ſic ea ſcribes. Ideo autem præcipio tibi, primùm Mandata mea & Similitudines ſcribere; ut ſubinde legendo, faciliùs ea cuſtodire poſſis. Scripſi igitur Mandata & Similitudines, ita ut præcepit mihi. Quæ audita ſi cuſtodieritis, atque in his ambulaveritis, & exercueritis ea mente purâ; recipietis à Domino 7 quæ pollicitus eſt vobis. Sin autem iis auditis, non egeritis pœnitentiam, ſed adhuc adjeceritis ad delicta veſtra; à Domino adverſa recipietis. Hæc omnia præcepit mihi ſcribere 8 Paſtor ille, Nuncius pœnitentiæ.

1. *Cum oraſſem domi, & conſediſſem ſupra lectum.* Hæc ſunt ad iſtum locum verba magni cenſoris Tertulliani cap. 12. lib. de Oratione; *Quod aſſignata oratione aſſidendi mos eſt quibuſdam, non perſpicio rationem, niſi ſi Hermas ille, cujus ſcriptura ferè Paſtor inſcribitur, tranſactâ oratione non ſuper lectum aſſediſſet, verum aliud quid feciſſet, id quoque ad obſervationem vindicaremus. Utique non. Simpliciter enim & nunc poſitum eſt*; Cum adoraſſem, & aſſediſſem ſuper lectum: *ad ordinem narrationis, non ad inſtar diſciplinæ. Alioquin nuſquam erit ad orandum, niſi ubi fuerit lectus. Immò contra Scripturam fecerit, ſi quis in cathedra aut ſubſellio ſederit. Porrò cum perinde faciant Nationes, adoratis ſigillaribus ſuis reſidendo; vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud Idola celebratur. Eò apponitur & irreverentiæ crimen, etiam ipſis Nationibus, ſi quid ſaperent, intelligendum. Siquidem irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem quàm maximè reverearis ac venereris: quantò magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis aſtante, factum iſtud irreligioſum eſt, niſi exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigaverit?* Ubi mecum obſerva, tum morem Chriſtianorum quorumdam ſedendi ſtatim poſt orationem: tum ſimilem Paganorum conſuetudinem: tum denique ſuperſtitionem illius ritûs.

Et quidem quod ſpectat ad aſſidendi morem, peractâ oratione, eò alluſum fortè fuit per Athanaſium Epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes, Tom. 1. Edit. Pariſ. p. 847. ἀλλ μετ᾽ ὀλίγον αἱ πλείους ... γυναικῶν δὲ ὀλίγων ... Jam ergo pleriſque è populo, Dimiſſione factâ, exierant: cumque paucæ mulieres remanſiſſent, factum eſt quemadmodum imperaverant: & erat miſerabile ſpectaculum. Adhuc enim nonnullæ poſt orationem ſedebant. Niſi quòd malim ſimpliciter accipere, de mulieribus nullâ quidam religione detentas, ſed modeſtè exſpectantibus aliorum egreſſum.

Conſuetudo autem Gentilium, teſtes habet cum Tertulliano Pindarum & Plutarchum. Nam Iſthm. Od. 6. Poeta deſcriptis precatione ac oraculo Herculis, ſubjungit,

ὣς ἄρα εἰπὼν, αὐτίκα
ἕζετο.

Sic locutus, ſtatim conſedit. Et Plutarchus in Numa p. 69. 70. inter ænigmaticas more Pythagoreo leges illius regis, profert hanc quoque, *Ut ſedeatur poſtquam adoratum fuerit*; tribuſque modis explicat; quòd firmæ eſſe debeant preces, permanendumque ſit in bonis; quod interſtitium ponere oporteat orationem inter & actionem ſecuturam; quodque in otio, non autem in occupationes ac properanter Numen adire deceat. In quæſtionibus verò Romanis p. 270. narrat ſuo adhuc tempore uſitatum fuiſſe, ut qui precati eſſent atque adoraſſent, in templis perſeverarent ac ſederent.

Denique ſuperſtitio ritûs ejuſmodi ſatis declaratur à Tertulliano, tam in verbis laudatis, quam in loco ea præcedente, ad quem te amandamus. Arguiturque par vanitas à B. Hieronymo lib. 2. adverſus Jovinianum cap. 11. *Si autem, inquit, Petrus horâ ſextâ pranſurus aſcendit in cœnaculum, fortuita eſuries non facit præjudicium jejuniorum: hoc enim modo & Dominus, quia ad puteum Samariæ horâ ſextâ feſſus reſedit, & bibere voluit, omnibus incumbet neceſſitas, velint nolint, hoc tempore bibendi. Potuit autem fieri, ut vel ſabbathum eſſet, vel dies Dominicus, & poſt biduum triduumque jejunium, horâ ſextâ eſurierit. Numquam enim crediderim, Apoſtolum, ſi ante unam diem cœnaverat, epuliſque diſtentus fuerat, alterius diei eſuriſſe meridie. Quòd ſi cœnavit pridie, & ſequenti die eſurivit ante prandium; non exiſtimo quòd uſque ad ſatietatem comederit, qui tam citò potuit eſurire.* Satagebant quippe nonnulli ..., cunctarum actionum documenta in ſacris literis invenire. Unde doctiſſimus Græcorum Origenes ad illud Danielis XIII. 15. ex Editione τῶν ό *Et ecce Suſanna inambulabat juxta conſuetudinem:* hoc modo loquitur, Interprete ſtudioſiſſimo pariter Latinorum Hieronymo; *Ante jam dictum eſt* (verſ. 7.) *quod ſubito manè* (f. *meridie*) *inambularet Suſanna. Nec incongruum eſt, ad placandos eos qui omnium quæ gerimus de Scripturis ſanctis quærunt exempla, hunc inambulandi locum aſſumere; quod rectè quis ad vegetandam corpuſculum deambulet.* COT.

2. *Peram in humeris, & virgam in manu geſtans.* Habitus non paſtorum duntaxat, ſed etiam viatorum; nec non philoſophorum, qui ea propter nomen Bactroperitarum gerebant, à baculo nempe & pera: juxta Evangelii Matth. X. 10. *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*: ſic enarrante Hieronymo; *Arguit philoſophos qui vulgo appellantur Bactroperitæ* (malè Mariani Editio *Bactroperatæ*) *quòd contemptores ſæculi & omnia pro nihilo ducentes, cellarium ſecum vehebant*, atque poſt Hieronymum Paſchaſio Ratberto ſcribente; *Gulam cohibet, & arguit philoſophos qui dicuntur Bacchionitæ* (l. *Bactronitæ*, nam codex MS. qui nunc viſitur in Bibliotheca ſancti Germani repræſentat *Bachrionitæ*) *vel Bactroperitæ* (ita codex idem, non *Bactroperite*) *qui omnia mundi pro nihilo ducentes cellarium ſecum ferebant.* Sed & miſerè diſtracta eſt vox Bactroperitæ in *Vactro peritis* cap. 17. Synodi S. Patricii, quod ad hunc modum legi atque componi debet; *Monachi ſunt qui ſolitarii ſine terrenis opibus habitant ſub poteſtate Epiſcopi vel Abbatis: (non ſunt autem Monachi, ſed Vactroperitæ, hoc eſt contemptores) ſoliciti ad vitam perfectam in ætate perfecta*: &c. COT.

Lam. *humerum.* OXON.

3. Lam. *nequaquam.* ibid.

4. Bod. *confuſus ſum protinus, metuſque in me intravit*; ibid.

5. Lam. & Bod. *nequiter & inſipienter.* ibid.

6. Lam. *omnia mandata.* ibid.

7. Lam. & Bod. *quæcunque.* ibid.

8. *Paſtor ille, Nuncius pœnitentiæ.* Ποιμὴν ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας, inquit Clemens Alexandrinus. Angelus pœnitentiæ eidem Clementi, libro Quiſnam dives ſalvetur, ad finem, & Origeni in caput 16. Epiſtolæ ad Romanos. Apud Cedrenum non multò poſt initium, ὁ ... τῆς μετανοίας ἀρχάγγελον. Infra Simil. 9. cap. 14. *præſidem Nuncium pœnitentiæ*, cap. 23. *Nuncius & propoſitus pœnitentiæ*, cap. 24. *Propoſitus pœnitentiæ Nun-*

Digitized by Google

MANDATUM PRIMUM.

De fide in unum Deum.

1 PRimùm omnium, crede quòd unus eſt Deus, qui omnia creavit, & conſummavit, & ex nihilo omnia fecit. Ipſe capax univerſorum, ſolus immenſus eſt. Qui nec verbo definiri, nec mente concipi poteſt. Crede igitur in eum, & time eum: & timens, habe abſtinentiam. Hæc cuſtodi; & abjice abs te omnem 2 nequitiam, & indue virtutem juſtitiæ, & vives Deo, ſi cuſtodieris Mandatum hoc.

MANDATUM II.

De fugienda obtrectatione, & Eleemoſyna facienda in ſimplicitate.

DIxit mihi: Simplicitatem habe, & innocens eſto 3; & eris ſicut infans, qui neſcit malitiam, quæ perdidit vitam hominum. Primùm de nullo malè loquaris, neque libenter audias malè loquentem. Sin verò & tu audieris; particeps eris peccati malè loquentis; & credens, tu quoque peccatum habebis; quia credidiſti malè loquenti de fratre tuo. Pernicioſa eſt 4 detractio, inconſtans Dæmonium eſt: numquam in pace conſiſtit, ſed ſemper in diſcordia manet. 5 Contine te ab illa, & ſemper pacem habe cum fratre tuo. Indue conſtantiam ſanctam, in qua nulla ſunt peccata, ſed omnia læta ſunt. Et benefac 6 de laboribus tuis. Omnibus inopibus da ſimpliciter, nihil dubitans cui des. Omnibus da. Qui ergo accipiunt, reddent rationem Deo, quare acceperunt: & ad quid: Qui autem accipiunt fictâ neceſſitudine, reddent rationem; qui autem dat, innocens erit. Sicut enim accepit à Domino, miniſterium conſummavit, 7 nihil dubitando cui daret, & cui non daret; & fecit hoc miniſterium ſimpliciter glorioſè ad Deum. Cuſtodi ergo Mandatum hoc, ſicut tibi locutus ſum; ut pœnitentia tua ſimplex inveniatur & poſſit domui tuæ benefieri; & cor mundum habe.

MANDATUM III.

De fugiendo mendacio, & Hermæ pœnitentia ob ſimulationem.

ITerum mihi dixit: Veritatem dilige, & omnis ſermo 8 verus ex ore tuo procedat, ut ſpiritus quem Dominus conſtituit in carne tua, verax inveniatur apud cunctos homines, & Dominus magnificetur, qui dedit ſpiritum 9 in te; quia Deus verax eſt in omni verbo, & non eſt mendacium in ipſo. Qui ergo mentiuntur, abnegant Dominum, non reddentes Deo depoſitum quod acceperunt. Acceperunt enim ſpiritum ſine mendacio. Hunc ſi mendacem reddunt, coinquinant mandatum Domini, & fraudatores fiunt. 10 His auditis, ego vehementer flevi. Qui cùm flentem me videret, dixit mihi: Quid ploras? Et dixi: Quoniam, Domine, neſcio an poſſum ſalvus eſſe. Quare, inquit? Et dixi: Quia numquam, Domine, verum locutus ſum verbum in vita mea, ſed ſemper in ſimulatione vixi, & mendacium pro veritate affirmavi omnibus, & non mihi quiſquam contradixit, ſed fides habita eſt verbo meo. Quo modo ergo potero vivere, cùm ſic egerim? Et dixit mihi: Tu quidem bene & verè ſentis. Oportebat enim te ſicut Dei ſervum, in veritate ambulare; & malam conſcientiam cum ſpiritu veritatis non conjungere, nec triſtitiam Spiritui Dei ſancto & vero facere. Et dixi illi: Numquam, Domine, hæc verba tam diligenter audivi. Et dixit mihi: Nunc audis. Cura deinceps, ut & illa quæ priùs locutus es falſa pro negotiis tuis; his verbis & illa fidem recipiant. Poſſunt enim & illi fidem 11 recipere, ſi vera locutus fueris deinceps; & ſi veritatem ſervaveris, poteris vitam conſequi. Et quicumque audierit hoc Mandatum, & fecerit, & receſſerit à mendacio; vivet Deo.

vius. Similit. 6. & 7. *Paſtor* & *Nuncius præpoſitus pœnæ.* Mandato 5. cap. 1. *Nuncius æquitatis.* Mandato 6. cap. 2. *Duo Genii* ſeu *Nuncii*; *Genius* ſeu *Nuncius æquitatis*, & *Genius* ſeu *Nuncius iniquitatis.* Similitud. 6. cap. 2. *Nuncius illecebrarum, dulcedinis ac voluptatis.* Atque ab Hieronymo Paſtores Iſ. XIII. 20. intelliguntur Angeli, qui humano præſunt generi, & quotidie vident faciem Patris. COT.

1. *Primùm omnium crede* &c. Græca ſunt; πρῶτον πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστὶν ὁ Θεὸς ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα. Sapientiſſimo Mandato hoc uſi ſunt olim SS. Patres, uſi & Hæretici Ariani; cum hoc diſcrimine, quod illi quidem optimo jure id fecerint; hi vero peſſimo exemplo, ſingularique impudentiâ, quaſi negei Eccleſia unum eſſe Deum cunctorum creatorem. Verum quid non auſit Hæreſis? Quod autem dicitur Deus capax univerſorum, ſeu capiens omnia, ipſeque immenſus, ſeu qui à nemine capiatur, id in Prædicatione Petri apud Clementem Alex. Strom. 6 p. 635. ſic exprimitur ἀχώρητος, ὃς τὰ πάντα χωρεῖ. *Quo modo*, inquit S. Auguſtinus in Altercatione cum Paſcentio Ariano, poſt Epiſtolam 177. *eſt incapabilis Pater, quem capit Filius totum?* & quibuſdam interjectis, *Laudantes Deum, dicere ſolemus in precibus, ejus magnitudinem admirantes; Qui capit omnia, quem capit nemo; ſed hominum: nam totus capitur à Filio* In Arnobii & Serapionis conflictu p. 543. D *Capax, non capabilis.* ibid. (Adde: ὁ τὰ πάντα χωρῶν, μόνος δὲ ἀχώρητος ex 3. Tomo Apocryph. N. T. *Jean. Alb. Fabricii.*)

2. Sic Lam. & Bod *concupiſcentiam & nequitiam.* OXON.

3. MSS. *infantes qui neſciunt.* Ibid. ſic Lam.

4. *Detractio, inconſtans Dæmonium eſt.* καταλαλιά, ἀκατάστατον δαιμόνιον. Quippe ſolent Eccleſiæ magiſtri vitia ita appellare: hic lib. 3. Simil. 9. cap. 22. 23. Mandato 14. cap. 1. ut alibi paſſim. *Unde mihi videtur*, verba ſunt Origenis Homil. 15. in Jeſum Nave, quæ ex parte imitatur Hieronymus ad Habac. III. 14. *eſſe infinitus quidam numerus contrariarum Virtutum, pro eo quod per ſingulos pæne homines ſunt Spiritus aliqui, diverſa in iis peccatorum genera molientes. Verbi causâ, eſt aliquis fornicationis Spiritus, eſt ira Spiritus alius, eſt avaritiæ Spiritus, alius vero ſuperbiæ. Et ſi inveniat eſſe aliquem hominem, qui his omnibus malis, aut etiam pluribus agitetur, omnes hos, vel etiam plures in ſe habere inimicos putandus eſt Spiritus. Unde & per ſingulos, plures eſſe credendi ſunt, quia non ſingula ſinguli homines habent vitia, vel peccata committunt, ſed plura ab unoquoque videntur admitti. Et iterum non eſt putandum, quod unus fornicationis Spiritus ſeducat eum, qui (verbi gratiâ) in Britannia fornicatur, & illum qui in India, & in aliis locis; neque unum eſſe ira Spiritum, qui diverſis in locis diverſos homines agitet: ſed puto magis, principem quidem fornicationis Spiritum unum eſſe, innumeros verò eſſe qui in hoc ei officio pareant; & per ſingulos quoſque homines, diverſi Spiritus, ſub eo principe militantes, ad hujuſcemodi eos peccata ſollicitent. Similiter & immunditiæ Spiritum principem unum eſſe arbitror, innumeros vero eſſe, ſub ipſo agentes, qui per ſingulos quoſque homines, hujuſmodi vitii peccata ſuccendant. Similiter & avaritia unum eſſe principem, ſic & ſuperbiæ, & cæterorum malorum* &c. ubi de omnium principum principe ac duce, totiuſque nefandæ militiæ magiſtro: item de victoria ſanctorum, poſtquam victus Dæmon peculiaris cujuſdam vitii, numquam alium hominem impugnare permittitur: quod tamen credat qui volet. Idem Origenes ad Johannis 8. 49. *Convenit juxta Scripturas, peccantes multa ſuorepræter rationem; non ob aliud, niſi quia facti fuerint capaces operationis mali Spiritûs, vel voluntatis immundi Dæmonis. Non dubitârunt igitur vel ea quæ exiſtimantur eſſe levia peccata Dæmonis tribuere, illi qui dixerunt repentinam iram, ſimiliterque detractionem Dæmonium eſſe* Aperte reſpicit ad Hermæ loca. Sed & (ne pauca è multis colligam) Scriptori Recognitionum lib. 2 cap 25. ignorantia eſt Dæmon peſſimus, Euſebio Præpar Evang. lib. 9 cap. voluptas [illegible] δαίμων, Baſilio Homiliâ in ebrioſos & Chryſoſtomo Homil 1. ad populum Antiochenum & 29 in Geneſim at libro quod nemo læditur niſi à ſe ipſo cap 5 ebrietas αὐθαίρετος δαίμων; ut & avaritiam appellat Theodorus Studita Catecheſi 7. Eidem Chryſoſtomo in Pſalmum 4. & Homil 57. in Matth. ira eſt δαίμων χαλεπός: Pſeudo-Chryſoſtomo autem ad Matth V 43 odium dicitur Spiritus tenebrarum, φιλοδοξία Nazianzeno Epiſtolâ 43. [illegible] δαίμων. Accedat nonnullis Senum apud Caſſianum lib. 10 de inſtit. Cœnob cap. 1. meridianus Dæmon Pſalmi nonageſimi; & Johanni Climaco Scalæ Gradu 17. pag. 414. vana gloria τρίβολος δαίμων, hoc eſt, meo quidem judicio, Dæmon inſtar tribulorum in lupas, reliquos vitiorum Spiritus coërcens ac refrenans. Denique non pauci dæmonia ſeptem, quæ Dominus ejecit ex Maria Magdalena, interpretantur de ſeptem vitiis. Vide Nilum Ep. ad Dominum Juniorem, ad Gregorium Diaconum, item ad Joannem Monachum Lib. I n 294. *Nec eſt aliud ebrietas, quàm manifeſtiſſimus Dæmon.* Baſilius in Admonit. c. 14. & Reg. Solitariorum, c. 46. COT.

5. MSS. *Abſtine.* OXON.

6. Bod *delaboribus.* ibid.

7. Lam. *cui dare, cui non dare.* ibid.

8. Lam. & Bod. *verax.* ibid.

9. Lam. *vita.* ibid.

10. Bod. *ergo auditis, vehementer.* ibid.

11. Lam. & Bod. *percipiant & mox, percipere.* ibid.

MANDATUM IV.

De dimittenda adultera.

1. MAndo, ait, tibi, ut caſtitatem cuſtodias, & non aſcendat tibi cogitatio cordis de alieno matrimonio, aut de fornicatione: 1 hæc enim parit peccatum magnum. Tu autem ſemper memor eſto Domini, omnibus horis & numquam peccabis. Si enim hæc cogitatio in cor tuum aſcenderit tam mala, magnum peccatum facis: & qui hæc faciunt, viam mortis ſequuntur. Vide ergo tu; abſtine te ab hac cogitatione. Ubi enim caſtitas manet in corde hominis juſti, numquam ibi aſcendere debet cogitatio mala. Et dixi illi: Domine, permitte me pauca verba tecum loqui. Dic, inquit. Et dixi illi: Domine, ſi quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & hanc invenerit in adulterio, numquid peccat vir, ſi convivit cum illa? Et dixit mihi: Quamdiu neſcit peccatum ejus, ſine crimine eſt vir vivens cum illa. 2 Si autem ſcierit vir uxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione ſua, & convivit cum illa vir; reus erit peccati ejus, & particeps mœchationis ejus. Et dixi illi: Quid ergo, ſi permanſerit in vitio ſuo mulier? Et dixit: Dimittat illam vir, & vir per ſe maneat. 3 Quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur. Et dixi illi: Quid ſi mulier dimiſſa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum ſuum reverti: nonne recipietur à viro ſuo? Et dixit mihi: Imò ſi non receperit eam vir ſuus, peccat, & magnum peccatum ſibi admittit: ſed debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit: ſed non

12. Lam: *quia hoc facit*. Lam. *non*. Ibid.

13. *Si autem ſcierit vir uxorem ſuam deliquiſſe*, &c. Citatur iſte locus à Petro Lombardo lib. 4. Sententiarum diſt. 35. n. 5. & a Gratiano Cauſ. 34. mutatuſque in Canonem cernitur apud Gregorium IX. Decret. lib. 5. tit. 16. cap. 3. Conſimilia autem ubique nanciſceris; in legibus Atticis & Romanis, & Scriptoribus profanis, in Canonibus, in Patribus. Notatu maxime dignus eſt canon Namnetenſis 12. qui exſtat etiam lib. 7. Capitularium cap. 298. indeque in Canonibus Iſaaci Lingonenſis tit. 3. cap. 9. *Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehenſum fuerit & publicatum; dimittat uxorem ſi voluerit, propter fornicationem: illa verò ſeptem annis publicè pœniteat. Vir verò ejus, illâ vivente nullatenus aliam accipiat. Quòd ſi voluerit adulteram ſibi reconciliari, licentiam habeat: ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat; & exactâ pœnitentia, poſt ſeptem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in muliere ſervabitur, ſi eam vir ejus adulteravit.* Hoc eſt, adulterio ſuo polluit, juxta illud B. Ambroſii libro 2. Commentariorum in Lucam ſub initium: *Pulcrè docuit ſanctus Matthæus quid facere debeat juſtus, qui probrum conjugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, caſtum ab adulterii præſtare ſe debeat. Qui enim jungitur meretrici, unum corpus eſt.*

Patri innocenti permiſſio datur per illum Canonem, ſi voluerit, partem nocentem dimittere; quod eſt contra communem Antiquorum ſententiam. Jubent enim ut dimittatur culpæ affinis; præſertim mulier: nam quemadmodum diſcimus præcipuè ex Baſilii canonibus 9. & 21. ex Innocentio Epiſt. 3. cap. 4. ut ex Auguſtino libro 50. Homiliarum Homiliâ 49. raris mulieres à mœchis maritis divertebant. Id vero jubent, tum ob locum Proverb. XVIII. 22. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*; tum propter allatam rationem S. Ambroſii; tum quòd ea ſocietas inquinet, dum conjux membrum fit aut meretricia, aut ſcortatoris; tum quia licentia tacita datur peccandi, oriturque ſæpiſſimè lenocinii ſuſpicio; tum etiam quia citiùs ſequetur delinquentis pœnitentia; tum denique ut evitentur innumera mala, & ſcandalum. Sed prudenter hunc nodum ſolvit Ernulfus, Epiſtolâ ad Walchelinum, Tomo 2. Spicilegii veterum Scriptorum quod religioſiſſimo viro Lucæ Acherio debemus p. 425. *Suadeo*, inquit, *pudicus cum impudica uxore quovis genere fornicationis delapſa, eâ ſanctitate cohabitare valeas, ut animæ ſuæ periculum pro ejus conſortio non incurras, nec ſe rutur ſurum metuat, ſperans etiam ſe illius offenſionibus eſſe conſulturum: hoc ſalubre conſilium ſibi inveniat, ſi ab ea facile diſcedere nolit, & offenſam ejus dimittens, meliorem ſibi viam oſtendere ac docere velit.* Et mox; *Qui verò ita ſe facilem cernit ad lapſum, proclivem ad periculum, ut à prava mulieris peſſima voluntate in partem aliam nequeat (immò queat) declinare; hic urgente periculo eam prudenti conſilio dimittat, ſine qua Deo placitam poteſt facere vitam ſuam, cum qua inter ejus ſordes nullo pretio poteſt redimere animam ſuam*, &c.

Præterea in prædicto canone Namnetenſi præcipitur ut conjux inſons pariter cum ſonte agat pœnitentiam; non inſolito olim Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigore; cujus rationes eſſe videntur hæ; metus ne immunis à flagitio, cauſa aliquatenus vel occaſio extiterit adulterii; ſuſpicio incontinentiæ in repoſcente conjugem, & comprobatio veræ reconciliationis.

Obiter obſerva typographicam omiſſionem, Capitularium lib. 6. cap. 215. *Placuit ut cauſâ fornicationis non ſit uxor ſecundùm Domini ſententiam dimittenda, ſed potiùs ſuſtinenda.* Excidit vocula *niſi* poſt *ut*; quemadmodum liquet ex iiſdem Capitularibus Additione 2. cap. 20. ſeu ex Synodo Pariſienſi 6. lib. 3. cap. 2. ubi dicitur, *Et quod niſi cauſâ fornicationis, ut Dominus ait, non ſit uxor dimittenda, ſed potiùs ſuſtinenda.* Videat etiam, cui commodum erit legere, caput 165. Prati ſpiritualis Johannis Moſchi.

Bod. *mulierem.* Qui crimen diſſimulat, *doctus ſpectare lacunar, Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo*, ſub mariti perſona, leno eſt. Hoc vero in negotio canones, pro temporum ratione, diverſa ſtatuerunt. OXON.

1. *Quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur.* Infraque reddit rationem; *Propter pœnitentiam ergo non debet, dimiſsâ conjuge ſuâ, vir aliam ducere.* Subditque, *Hic actus ſimilis eſt in viro, & in muliere.* Habes expreſſam verbis clariſſimis orthodoxam ſententiam, de vinculo matrimonii poſt adulterium permanente; quæſtione celeberrimâ & difficillimâ; totiès, tantiſque viribus jam olim agitatâ, atque à Concilio Tridentino definitâ Seſſ. 24. Can. 7. *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem qui cauſſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui dimiſsâ adulterâ aliam duxerit, & eam quæ dimiſſo adultero alii nupſerit; anathema ſit.* Enimvero demptis multis aut obſcuris, aut generaliùs prolatis, reliquorum præcipua his ferè capitibus poſſunt comprehendi.

1. Nuptias per alterutrius conjugum adulterium non dirimi, ſeu quemadmodum loquuntur, matrimonii violationem matrimonium non violare; ſententia Catholica, Tertulliani eſt, libro de Monogamia cap. 9. & 10. Innocentii Papæ ad Exuperium Epiſt. 3. cap. 6. Hieronymi ad Matth. XIX. 9. Auguſtini cùm aliis in locis, tum præcipuè in duplici libro de adulterinis conjugiis ad Pollentium, ubi rem ex profeſſo ita egit, ut ad idem ſentiendum omnes propemodum Doctores Latinos, antiquos, recentiores, adduxerit: præterea Patrum Concilii Milevitani 2. Can. 17. Namnetenſis Can. 12. Sueſſionenſis 1. Can. 9. Forojulienſis Cap. 10. Quibus adjungo Canonem S. Patricio perperam adſcriptum, (quod oſtendet verus Canon infrà memorandus) Canonem 10. Synodi Anglicanæ apud Bedam Hiſtoriæ lib. 4. cap. 5. Capitulum 215. lib. 6. Capitularium, cum Capitulo 20. Additionis 2. ſeu capite 2. libri 3. Concilii Pariſienſis 6. & Caput 46. Triburienſis Synodi. Cùm enim per poſteriora ea decreta non liceat marito adulteræ, vivente eâ, aliud inire connubium; datur intelligi vetitum etiam id viro mœcho, & uxori ſive libidinoſæ, ſive caſtæ.

2. Viſum olim eſt principibus Chriſtianis, adulterio diſſolvi conjugium. Patet ex multis notiſſimiſque ea de re latis legibus. Eamque doctrinam retinuerunt Græci & Armenii. Ad quam referri poteſt iſtud Aſterii Homiliâ de repudio, [illegible] *Perſuaſum habeto, quod matrimonium morte dumtaxat & adulterio dirimatur.* Unde S. Auguſtinus lib. de nuptiis & concupiſcentia cap. 10. ait; *Cujus ſacramenti tanta obſervatio eſt in civitate Dei noſtri, id eſt in monte ſancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti, ut cùm filiorum procreandorum cauſâ vel nubant feminæ, vel ducantur uxores; nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. Quod ſi quiſquam fecerit, non lege hujus ſæculi, ubi interveniente repudio, ſine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia: quod etiam ſanctum Moyſem Dominus propter duritiam cordis illorum, Iſraelitis permiſiſſe teſtatur: ſed lege Evangelii reus eſt adulterii: ſicut etiam illa, ſi alteri nupſerit.* Et libro quinquaginta Homiliarum Homil. 49. *Non vobis licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt. Nec vobis, feminæ, habere viros licet, quarum priores uxores vivunt. Adulterina ſunt iſta conjugia, non jure fori, ſed jure cœli.* Taceo locum S. Chryſoſtomi in Sermone de libello repudii.

3. Qui ſolet Ambroſiaſter appellari, ad I. Corinth. VII. 10. 11. exiſtimat viro licere, dimiſsâ uxore peccante, ducere aliam; uxori non licere, dimiſſo ob fornicationem viro, nubere: quia mulier inferior eſt, vir autem potior & caput mulieris. Atque ille locus laudatur in Synodo Aquiſgranenſi tertia, anni 862. fruſtraque apud Magiſtrum Sententiarum lib. 4. diſt. 35. ſuſpicio corruptionis inducitur. Verùm hic adhiberi debent præclara B. Auguſtini verba lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. ult. *Viri propterea ſe feminis ſuperiores arbitrantur, ut pudicitiâ pares eſſe dignentur; in qua etiam præire debuerunt, ut eos illæ tamquam ſua capita ſequerentur.* Et infrà; *Vado iſtos, qui virilem excellentiam non putant niſi peccandi licentiam, quando terremini, ne adulterinis conjugiis* [illegible] *pereant in æternum*, &c. Quamquam pro Pſeudo-Ambroſio ſtare forſan videbuntur Epiſcopi Illiberitani, Canone 9. *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat: ſi autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is quem reliquit, de ſæculo exierit; niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.* Canone 10. *Si fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, & ſciverit eum habere uxorem, quam ſine cauſſa reliquit, placuit huic nec in fine dari communionem.*

ſæpe. 1 Servis enim Dei pœnitentia una eſt. Propter pœnitentiam ergo non debet, dimiſſa conjuge ſua,

4. Quòd mulier, quamdiu vir vivit, ſi nubat, ſit adultera, docetur à Baſilio ad Amphilochium, Can. 9. & 48. Hieronymo Epiſt. 30. cap. 1. Adversus Jovinianum lib. 1. cap. 5. & Epiſt. 147. ad Amandum, Innocentio Epiſt. 2. cap. 12. & Niceta Metropolitano Heracleæ in Reſponſis ad Interrogationes Conſtantini Epiſcopi, lib. 5 Juris Græco Romani p. 342.

5. Contra, quòd uxor pudica e marito dimiſſo, vel maritum adulterii ergo dimittens, extra culpam, aut ſaltem extra crimen ſit, ſi nuptias contrahat, creditum Epiphanio, Hæreſi 59. ſect. 4. cum quo confer Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 3. cap. 1. ac fortè Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 1. aliiſque Eccleſiæ præſidibus, commemoratis excuſatiſque ab Origene ad Matt. XIX. 8. qui contra Scripturam permiſerunt aliquam nubere, viro priori vivente. Credidit quoque Pollentius, licere quidem mulieri poſt dimiſſum virum fornicantem alteri nubere, id tamen non expedire; prout refertur à S. Auguſtino lib. 1. de adulter. conjug. cap. 6. At Photio Epiſt. 1 Auctari placet, ut mulier a viro extra rationem ac invita repudium paſſa, cùm ille aliam acceperit, ipſaque poſtea cum alio juncta fuerit, adultera non appelletur. Citantque viri docti ex antiquo Pœnitentiali Romano, Si uxor tua hoc probare potuerit, quod tuâ culpâ & tuo juſſu, ſe renuente & luctante, adulterata ſit; ſi ſe continere non poteſt, nubat cui voluerit, tantùm in Domino. Tu autem ſine uxore ſpe in perpetuum maneas. Et Concilii Vermerienſis anno 18. ita habet; Qui cum conſobrina uxoris ſuæ manet, ſuâ careat, & nullam aliam habeat: illa mulier quam habuit, faciat quod vult. Hoc Eccleſia non recepit. Ubi ſuſpicor poſtremos quatuor voces ad Canonem non pertinere, ſed eſſe annotatoris cujuſdam, qui ad ſuorum temporum reſpiciebat diſciplinam.

6. Cum impudica conjuge copulatus poteſt eâ relictâ aliam quærere; ex mente Lactantii lib. 6 cap. 23. Concilii Venetici Can. 2. Synodi ſancti Patricii can. 26. Concilii Bituricenſis in ſeſſione 2. Synodi Lemovicenſis ſecundæ ſeſſ. ii, Can. 25. & conc. IV. in Synodo Romana Can. 30. apud Auctorem libri de Vitis Romanorum Pontificum, vulgò Luitprando attributi. Quibus adde capit. 126. Theodori Cantuarienſis, Tom. 9. Spicilegii. Univerſalem conceſſionem reſtringit Canon Vermerienſis 10. Si filius cum noverca ſua, uxore patris ſui, dormierit; nec ille, nec illa, poſſunt ad conjugium pervenire. Sed ille vir, ſi vult, poteſt aliam uxorem habere; ſed melius eſt abſtinere. Item Canon 10. Concilii Arelatenſis 1. De his qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere; placuit ut in quantum poſſit, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licèt adulteris, alias accipiant. Quæ verba eruditiſſimus Petavius in Animadverſionibus ad S. Epiphanium, ad Hæreſim 59. manca putat. Quare enim, inquit, conſilium ſolummodo datur, ubi præmittitur prohibitio? Itaque poſitâ particulâ non ante verbum prohibentur, affirmationem mutat in negationem. Mihi verò locus integer videtur. Scilicet, erant qui ejuſmodi juvenes a novis nuptiis penitus arcebant. Horum ſeveritatem non uſquequaque improbant Arelatenſes: ſed volunt vi exemptâ rem conſilio tantùm agi & perſuaſione. Operæ pretium porrò me arbitror facturum, ſi appoſuero inſignem locum B. Auguſtini, libro de fide & operibus cap. 19. Quiſquis etiam uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſa adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipſis divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrùm & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut quantùm exiſtimo veniabiliter ibi quiſque fallatur.

7. Per Concilii Foroiulienſis cap. 10. adimitur adulteræ ſpes conjugii, etiam poſt mortem viri. Conſule Decretum cap. Hi verò Cauſ. 33. quæſt. 7. Similes autem multæ ſanctiones latæ reperiuntur ſuper inceſtu, raptu, aliiſque criminibus.

8. Cùm ſoleant Patres & Concilia facultatem divortii faciendi propter ſolum adulterium dare, Principibus legibus complures aliæ variæque cauſæ ſeparationis invectæ ſunt. Hinc querela Gregorii Nazianzeni Epiſt. 176. ſeu 211. [Greek text illegible] Divortium legibus noſtris omnino diſplicet, tametſi Romanæ aliter decernant. Eamque in partem peccabant Ebionæi, quod teſte S. Epiphanio, in Hæreſi eorum cap. 18. liberè ad ſecundas uſque, tertias, ſeptimaſque nuptias diverterent. Quinetiam interdum aliquid de rigore remiſſum fuit Eccleſiaſticis regulis, dum ſe ad Jus civile accommodant. Quare juxta Canonem Compendienſem 13. & Reſponſionem Johannis Citrenſis ad Interrogationem 3. Conſtantini Cabaſilæ, Juris Græco Romani lib. 5. conſentiente Fulberto in Epiſt. 58. ingreſſus Monaſterii, ſeu voti emiſſio diſſolvit copulam matrimonii, adeò ut conjux non vovens valeat nuptias contrahere. Præterea ex Reſponſo Gregorii Papæ ſecundi Epiſtolâ ad Bonifacium, vir cui mulier debitum reddere ob infirmitatem non queat, ſi ſe non poteſt continere, alteram ſibi junget. Sic Vermerienſe Concilium Can. 5. Si qua, inquit, mulier mortem viri ſui cum aliis hominibus conſiliavit, & ipſe vir ipſius hominem, ſe defendendo, occiderit, & hoc probare poteſt, ille vir poteſt ipſam uxorem dimittere, ut ſi voluerit, aliam accipiat. Canone verò 9. Si quis neceſſitate inevitabili cogente, in alium Ducatum, ſeu provinciam fugerit, aut ſeniorem ſuum, cui fidem mentiri non poterat, ſecutus fuerit; & uxor ejus, cùm valet & poteſt, amore parentum, aut rerum ſuarum, eum ſequi noluerat; ipſa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui neceſſitate cogente in alium locum fugit, ſi ſe abſtinere non poteſt, aliam uxorem cum pœnitentia poteſt accipere. Et S. Baſilius Canone 9. quando ab uxore dimiſſus quis aſſumit aliam, tunc veteri merito ignoſcit, novæque nuptæ; circa quod lege Canonem Trullanum 87. & cap. 113. Theod. Cant. ad hæc, Concilii Compendienſis Canone 16. decernitur; Si vir lepræ ſuæ mulierem habeat ſanam, ſi vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipſa femina ſi vult accipiat. Similiter & vir. Conſulendus quoque de longa abſentia, matrimonii nexum ſolvente, Manuel Patriarcha lib. 3. Juris Græco-Romani p. 219. contraque Nicetas Heracleenſis ſupra citatus: ac legendæ Epiſtolæ S. Leonis 79. & Bonifacii Martyris 87. Sed & dubitat Timotheus Alexandrinus Reſponſione ad Interrogationem 15. apud Balſamonem p. 1066. an Dæmoniacæ & furentis mariti incontinentia, ad ſecundas nuptias tranſire permittendum ſit, propendet tamen in negationem partem. Quibus loci lege Balſamonem; item Photii Nomocanonem titulo 13. cap. 30. & Harmenopulum in Epitome Canonum Sect. 5. tit. 3. ubi capulſo Timothei nomine, Petri perperam fuit ſubſtitutum. Matthæus Bleſtares Collector Canonum medii, qui ex multis bibliothecis in multorum manus venit, quemque beben de ceptum ex MS. codice viri, pietate, humanitate ac doctrinâ inſignis Claudii Jolii, Canonici Pariſienſis, poſtquam Elemento γ' cap. 26. ad Timothei dictum ſubnotavit Novellam Leonis Imperatoris pro hujuſmodi nuptiis, addit; [Greek text illegible] Hoc & Imperatoris Nicephori Botaniatæ Novella ſancit: quamvis Lex dicat; Furor impedit nuptias, non tamen diſſolvit exiſtentem contractas.

Pæne prætermiſeram admonere, pietatis plenam eſſe rationem, ob quam Hermas vult, ut conjux poſt dimiſſionem conjugis mœchantis cœlebs maneat; Poteſt enim in hujuſmodi pœnitentia eſſe. Quò nempe ignoſcatur ei, cui Deus parcit; ait B. Auguſtinus II. Ad Pollentium 6. ubi, quemadmodum & cap. 9. addit, non durum eſſe ac difficilem, ſi fides adſit, nec turpem conjugum, poſt perpetrata ac per pœnitentiam purgata adulteria, reconciliationem; ut pro adulteris non habeantur, cùm peccati remiſſionem divinâ miſeratione creduntur accepiſſe. Canon S. Patricio adſcriptus; Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducet aliam, quamdiu viva fuerit uxor prima. Si fortè converſa fuerit & agat pœnitentiam; ſuſcipiet eam, & ſerviet ei in vicem ancillæ, & annum integrum in pane & aquâ per menſuram pœniteat, nec in uno lecto permaneant.

Si non receperit eum vir ſuus peccat. At non pauci rem vel veteres in arbitrio mariti conſiſtere. Vide Canones, Baſilii 21. & Trullanum 93. atque ad eos Balſamonem. Adi etiam Matthæum Blaſtarem in Jure Græco Romano lib. 8. fol. 508. 515. Verum, inquit ſanctus Auguſtinus hanc quæſtionem agitans lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 9. ecce non fiat, nemo compellet, quia fortè lex ulla hujus ſæculi hoc vetat, ſecundùm terrena civitatis modum, ubi cogitata non eſt abolitio criminum per ſanguinem ſanctum. Suſcipiatur ergo continentia: quam nulla lex prohibet, ut ulla non exſtat adultera. Et quid ad hoc, ſi nec ſaltem divinâ miſeratione mundata, marito reconcilietur à Deo adultera, dum tamen non reconcilietur adulteris, ora alia ſiant quaſi convivia, quæ convincantur eſſe adulteria? COT.

1. Servis enim Dei pœnitentia una eſt. Prudenti admodum conſilio Hermas homines cupiens pariter deterrere a deſperatione, atque a confidentia, ſermonem toto hoc Tractatu ita temperat, ut pœnitentiam interdum oſtendat, interdum occultet; modò proponat omnibus, modò quibuſdam deneget, aut abſolutè, aut niſi illam citò ſuſceperint; aliquando reſipiſcendi ſemel duntaxat locum det, aliquando ſæpius. Et quidem eamdem [Greek word illegible] certè eſt non raro uſurpatam ab Antiquis. Nam licèt paſſim pœnitentiam celebrent, à quibus tamen in locis convertere videntur ſententiæ, aut dubitare, vel ſaltem eius illibenter facere mentionem. Verbi gratiâ Clemens Romanus Epiſtolâ 2. ad Corinthios cap. 8. ſic loquens; [Greek text illegible] Et cap. ſequ. [Greek text illegible] Irenæus lib. 4. adverſus Hæreſes cap. 45. veretur, ne poſt agnitionem Chriſti, remiſſionem ultra non habeamus delictorum, quia Chriſtus non amplius morietur. Clemens Alexandrinus 2. Strom. p. 385. 386. Paſtoris ſententiam effere, probat, amplificat. Tertullianus pigeat ſecundæ immò jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem; ne retractans de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videatur: lib. de pœnitentia cap. 7. Quid quòd Cyprianus, fortiſſimus pœnitentiæ adverſus Novatianam Hæreſim propugnator, ſcribit in libro de diſciplina & habitu virginum paulò poſt initium, Nulla venia ultrà delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſtis? & libro de Lapſis paullo ante medium; Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat: ſolus Dominus miſereri poteſt. Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe non poteſt major: nec remittere aut donare indulgentiâ ſuâ ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt. &c. Sed clariſſima ſunt ac notatu digniſſima Paciani verba in Paræneſi ad pœnitentiam. Quid volo, inquit, ego feci? Numquid non fuit in poteſtate ne fieret? Nullus ne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Eccleſia? Nihil Evangelia dixerunt? Nihil Apoſtoli comminati ſunt? Nihil rogavit Sacerdos? Quid quæritis ſera ſolatia? Tunc decuit, cùm licebat. Paucíſque interpoſitis ſubdit: Accipite remedium, ſi deſperare cœpiſtis; ſi miſeros vos agnoſcitis, ſi timetis. Qui nimiùm confidit, indignus

vir aliam ducere. Hic actus ſimilis eſt in viro, & in muliere. 1 Non ſolùm mœchatio eſt in illis, qui carnem ſuam coinquinant: ſed & is, qui ſimulacrum facit, mœchatur. 3 Quòd ſi in his factis perſeverat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli convivere cum illa, alioquin & tu particeps eris peccati ejus. Propter hoc præceptum eſt vobis, ut cœlibes maneatis, tum vir, tum mulier: poteſt enim in hujuſmodi pœnitentia eſſe. Sed & ego non do occaſionem, ut hæc ita agantur; ſed ne ampliùs, qui peccaverit, peccet. De prioribus autem peccatis ejus, Deus qui poteſtatem habet 4 ſanitatem dandi, dabit remedium; quia ipſe eſt, qui habet poteſtatem omnium.

II. Iterum interrogavi, & dixi; Quoniam Dominus exiſtimavit me dignum eſſe, ut mecum habites ſemper, pauca verba mihi ediſſere: quia non intelligo quidquam, & cor meum obturatum eſt à priſtina converſatione; & ſenſum mihi aperi, quia vehementer 5 obtuſus ſum, & in totum nihil intelligo. Et reſpondens dixit mihi; Ego præpoſitus ſum pœnitentiæ, & omnibus pœnitentiam agentibus ſenſum do. An non tibi videtur: pœnitentiam agere, 6 magnam ſapientiam eſſe; quoniam qui pœnitentiam agit, ſenſum magnum adipiſcitur? Sentit enim ſe peccaſſe, & feciſſe nequiter 7 in conſpectu Domini; & recordatur intellectu quòd deliquit; & pœnitentiam agit, & amplius non operatur nequiter; ſed operatur bene, & humiliat animam ſuam, & torquet eam, quia peccavit. Vides ergo, quòd pœnitentia ſenſus eſt magnus. Et dixi illi: Propter hoc, Domine, diligenter inquiro omnia, quoniam peccator ſum; ut ſciam 8 quæ operer, & vivam; quia multa ſunt peccata mea. Et dixit mihi: Vives, ſi hæc Mandata mea cuſtodieris: & quicumque audierit, & fecerit Mandata hæc, vivet Deo.

III. Et dixi illi: Etiam nunc, Domine, 9 audivi à quibuſdam doctoribus, quòd alia pœnitentia non eſt

eſt. Videatur ejuſdem Patris Sermo de Baptiſmo, ad finem. Jam apud Athanaſium, Homiliâ in locum Matthæi XII. 32. Origenes & Theognoſtus blaſphemiam in Spiritum ſanctum, neque in hoc ſæculo neque in futuro remittendam, exponunt de peccatis ſubſequentibus acceptum in Baptiſmate donum ſancti Spiritus. Referturque à Socrate Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 22. verè an falsò, non examino nunc, Cæſareæ Cappadocum, eos qui poſt Baptiſmum peccâſſent, à communione ejici ſolitos, uti mos erat Novatianorum. Conſule etiam Didymum de Spiritu Sancto, in fine, Epiphanium Hæreſi 59. cap. 5. & Hieronymum Epiſtolâ ad Demetriadem 8. ubi dicit, *Verùm nos ignoremus pœnitentiam, ne facilè peccemus.*

Itaque Hermas, qui quo dixi animo variè de peccantium inſtauratione diſſeruit, unam hic indulſit poſt Baptiſmum pœnitentiam, etiam in delicto mœchiæ. Ea porrò conceſſio magnopere Tertulliano diſplicuit, poſtquam Orthodoxiam cum Hæreſi commutavit. Habes virulenti hujus Scriptoris invectivam libro de pudicitia cap. 10. At Catholicis placuerat una hæc ſecunda & ultima pœnitentia, eamque expoſuerat in Opere de pœnitentia cap. 7. 8. 9. &c. A Clemente autem Alexandrino, ubi ſupra, Hermæ verba laudantur: quæ & a Catholicis prolata fuerunt ad Montaniſtarum confutationem. Et verò ſemel duntaxat tributam fuiſſe olim certis criminibus pœnitentiæ veniam, colliges licet ex multis Canonibus, 3. 7. 13. 47. Elibertanis, Ancyrano 22. Neocæſarienſi 2. Baſilii 73. & ex capitulo 5 Epiſtolæ 1. Siricii. Socrates autem lib 6. cap. 21. Epiſcoporum Synodum commemorat, quâ unica pœnitentia poſt Baptiſmum lapſis data fuerat. Quinetiam doctrina Ambroſii eſt libro 2. de pœnitentia cap. 10. & 11. ſicut unum Baptiſma, ita unam eſſe nec iterandam pœnitentiam publicam, ſeu delictorum graviorum. Denique in Auguſtini Epiſtola 54. invenies de ſemel conceſſo in Eccleſia loco humillimæ pœnitentiæ. Atque ſummi Doctoris verba citantur in Concilio apud S. Maceriam cap. 7. verùm ibi perperam *pœnitentia* pro *pœnitentiæ* impreſſum eſt.

Hæc tamen omnia non impediunt, quò minus vel ratione diverſi Eccleſiarum uſus, vel ea poteſtate prudentiaque Epiſcopali licuerit primis etiam Eccleſiæ temporibus, pœnitentiam repetere. Etenim, referente Irenæo lib. 3. cap. 4. Cerdon non ſemel Exomologeſim Hæreſeos fecit. Quod & teſtatur de Valentino ac Marcione Tertullianus, libro de præſcriptione Hæreticorum cap. 30. Præterea Origenes Homil. 15. in Leviticum docet, in gravioribus criminibus ſemel tantum vel raro pœnitentiæ locum concedi. Accedunt huc innumeri Canones; per quos paulatim ventum eſt ad noſtræ ætatis conſuetudinem. Quamquam ſemper ſuſpectum fuit, ſubinde delinquere, ac ſubinde reconciliationem ambire. Itaque juxta Auctorem Quæſtionum ad Antiochum, Quæſtione 91. Tomo 2. Operum S. Athanaſii, ex lapſibus ſurgenti homini Deus numquam non ignoſcit, quotquot vicibus lapſus & relapſus fuerit: quæ tamen anima aſſuevit peccare ſæpe, ac ſæpe reſipiſcere, ægrè admodum à peccato deſiſtet. *ὥσπερ κύων μακελλικὸς ἐν τῷ βρόμῳ συνήθως.* Id eſt, *Sicut canis macellarius in fœtore aſſuetus.* Ineptè vertunt, *ad fremitum.* Atque ex omnibus dictis manifeſtiſſimè patet, quam gravi errore nonnulli Hermæ noſtro dicam Novatianiſmi impingant. Ea in calumnia ſimiles ſunt Auxilio, cum illis à Philaſtrio deſcriptis in libro de Hæreſibus, parte 5. cap. 42. Auxilius ſiquidem de Ordinationibus Formoſi lib. 1. cap. 12. 14. & lib 2. cap. 23. editus à Johanne Morino in Commentario de ſacris Ordinationibus, Oſium in Concilio Sardicenſi Can. 1. & 2. loquentem, appellat Catharum & Novatianum: hi verò Epiſtolam Pauli ad Hebræos quaſi ejuſdem Novatianæ pravitatis fautricem reſpuebant. Ibid.

1. *Non ſolùm mœchatio eſt illis qui carnem ſuam coinquinant.* In Commentariis Paulinarum Epiſtolarum, qui inter Hieronymianos libros extant, ſic notatur ad Roman. II. 22. *Non eſt una mœchia. Nam omne quod Deo debet animus, ſi alteri præterquam Deo reddiderit, mœchatur.* Exiſtimant viri docti horum Commentariorum auctorem eſſe Pelagium, qui teſte S. Auguſtino, libro de peccatorum meritis & remiſſione cap. 1. in Apoſtoli Epiſtolas ſcripſerat breviſſimas expoſitiones. Cùmque objicitur, loca Pelagii in Epiſtolam ad Romanos, citata ab Auguſtino ibidem cap. 2. & 3. abeſſe à libro de quo agimus, reſpondent, haberi duntaxat Pelagii Commentarium prout purgatus fuit à Caſſiodoro; id enim a ſe factum refert ille, Divinarum Lectionum lib. 1. cap. 8. Quo in utroque, aut ego fallor, aut falluntur ipſi. Pelagius adhuc occultè Hæreticus, exponens caput 5. Epiſtolæ ad Romanos, errorem ſuum non *ex ſua*, ut verbis S. Auguſtini utar, *ſed ex aliorum perſona*, confirmaverat. *Hi autem*, inquiebat, *qui contra traducem peccati ſunt, ita illam impugnare nituntur.* Quàm diverſus Commentarius noſtri loquendi modus! Rom. VII. 8. *Si cùm lex non eſſet, peccatum mortuum eſt, inſaniunt qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum.* Sicque paſſim Pelagianum virus plenâ bucca effundit, Catholicos omnibus viribus exagitat; aboliſt Legem, liberum arbitrium, naturæ poteſtatem, & poſſibilitatem noſtram; deſtruit gratiam Chriſti & & peccatum originis; ſolummodo prædicat ſuaſionem ac præmiorum promiſſionem, doctrinam, gratiam ſcientiæ, exemplum; de perfecta ſanctitate, deque *ἀναμαρτησίᾳ* ſuperbiſſimè diſputat. Nec umquam quærit latebras, immò ubique ſeſe oſtentat, potiſſimumque in Epiſtolam ad Romanos. Unde etiam manifeſtiſſimum fit, quæri alibi oportere Caſſiodori repurgationem. Nolim tamen negare, ab antiquiſſimo Pelagiano ex Pelagii magiſtri ſui ſcriptis ſenſa, vel etiam verba deſumpta fuiſſe: quod & innuit S. Auguſtinus in libri citati capite 12. ſi conferatur cum Anonymo iſto ad I. Corinth. VII. 14. Omitto locum Sedulii ad Romanos I. 17. quia cùm mutilus ſit, variis modis ſuppleri poteſt, ut æquè de Pelagiano ſcriptore ac de ipſo Pelagio accipiatur. Quod ſi illic *ſecundùm Pelagium legamus*, oſtenderur duntaxat, quemadmodum dixi, Hæreticus verba Hæreſiarchæ feciſſe ſua. COT.

2. Bod. *ille --- coinquinat.* OXON.

3. De fornicatione ſpirituali; cùm Ethnicus pietatis nomine Chriſtianam peſſit, S. Paulus ſententiam ſuam interpoſuit 1. Cor. 7. 15. Ibid.

4. Lam. *ſanandi, dabit.* Ibid.

5. Bod & Lam. *ſtultus.*

6. Lam. *ſapientia magna.* Ibid.

7. Bod. *ante conſpectum.* Ibid.

8. Lam. *quibus operer ut vivam.* Ibid.

9. *Audivi à quibuſdam doctoribus, quòd alia pœnitentia non eſt*, &c. Obſcurum ac difficilem Hermam reddit duplex acceptio pœnitentiæ ac remiſſionis; nempe, aut in ſacramento Baptiſmi, aut in ſacramento pœnitentiæ. *Alia pœnitentia non eſt niſi illa, cùm in aquam deſcendimus, & accepimus remiſſionem peccatorum noſtrorum, ulteriùs non peccare.* Intellige de Baptiſmo. *Qui enim jam crediderunt, aut qui credituri ſunt, pœnitentiam peccatorum non habeant, ſed remiſſionem.* Id eſt, baptizati vel baptizandi non habent pœnitentiam, ſed remiſſionem, quia abſque laboribus ac pœnis ſatisfactionis conſequuntur veniam. *Illis enim qui vocati ſunt ante hos dies, poſuit Dominus pœnitentiam*, &c. Loquitur de pœnitentia peccatorum poſt Baptiſmum admiſſorum: de quo ea, ut ſequentia, ait; *Et prioribus peccatis invenerit remiſſionem*, &c. Ita Paſtor, is locus exarratur è Clemente Alexandrino in Miſcellaneo 2. p. 385. 386 Quinetiam S. Epiphanius Hæreſi 59. quæ eſt Catharorum, ſeu Novatianorum, cap. 1 unam inducit *μετάνοιαν*, & *καὶ ἄφεσιν*, per lavacrum regenerationis, inſuperque pro lapſis, *μετὰ τὸ λουτρὸν τὴν μετάνοιαν*. Capite verò 5 unicam memorat Baptiſmi pœnitentiam, & præterea pœnitentiam poſt Baptiſmum. Denique apud Photium, Bibliothecæ codice 280. aſſertur ex Eulogio Alexandrino lib. 2. adversùs Novatianos, diſputatio illius Patriarchæ cum iis Hæreticis de nomine *μετανοίας*, pœnitentia. Scilicet, objiciunt a Novatianis, *μετανοίαν* Hebr. VI. 6. non eſſe Baptiſmum: differre enim omnino pœnitentiam à Baptiſmo, hunc eſſe donum, gratiam, delictorum illaborioſam remiſſionem; pœnitentiam autem miſeratione & lacrymis ac labore conſtare, adhæc nuſquam inveniri Baptiſmum nomine pœnitentiæ donatum. Reſpondet Eulogius hunc in modum; Licèt magna ſit differentia Baptiſmum inter & pœnitentiam, attamen pœnitentiæ vocabulum & ante & poſt Baptiſmum uſurpatur; fruſtra quippe baptizaretur is, quem male actæ vitæ non pœniteret; ſicque pœnitentiam ſumit Scriptura, cùm ſæpiſſimè, tum Matth. III 11. Luc. III. 3. Act. II. 38. atque adeò in Epiſtola ad Hebræos. Textum Photii ſi quis legere voluerit, me auctore ita

nisi

Digitized by Google

niſi illa, cùm in aquam deſcendimus, & accipimus remiſſionem peccatorum noſtrorum, ulteriùs non peccare, ſed in caſtitate permanere. Et ait mihi: Rectè audiſti. Nunc autem, quia diligenter omnia 1 quæris, & hoc tibi demonſtro; non dans occaſionem illis, qui credituri ſunt, aut qui crediderunt Domino. Qui enim jam crediderunt, aut qui credituri ſunt, pœnitentiam peccatorum non habent, ſed 2 remiſſionem. 3 Illis enim qui vocati ſunt ante hos dies, poſuit Dominus pœnitentiam. Quoniam cogitationes præcordiorum novit Deus, & ſcit infirmitatem hominum, & multiplicem nequitiam Diaboli, quâ 4 molitur aliquid ſiniſtri ſervis Dei, & malignè inſidiatur illis. Miſericors ergo Dominus, miſertus eſt 5 figmenti ſui. Et poſuit pœnitentiam iſtam, & poteſtatem pœnitentiæ hujus mihi dedit. Et ideo dico tibi, quòd poſt vocationem illam magnam & ſanctam, ſi quis tentatus fuerit à Diabolo, & peccaverit, unam pœnitentiam habet. 6 Si autem ſubinde peccet, & pœnitentiam agat, non proderit homini talia agenti; difficilè enim vivit Deo. Et ego dixi; Domine, revixi, ubi jam diligenter audivi hæc Mandata. Scio enim, ſi poſtea nihil adjecero peccatis meis, ſalvus ero. Et dixit: Salvus, inquam; & omnes quicumque fecerint hæc Mandata, ſalvi erunt.

IV. Et iterum dixi illi: Domine; quoniam patienter me audis, etiam hoc mihi demonſtra. Dic, inquit. 7 Si vir, vel mulier alicujus deceſſerit, & nupſerit aliquis illorum, numquid peccat? 8 Qui nubit, non peccat, inquit: ſed ſi per ſe manſerit, magnum ſibi 9 conquirit honorem apud Dominum. Serva ergo caſtitatem, & pudicitiam; & vives Deo. Hæc quæ tecum loquor, & mando tibi, cuſtodi deinceps ex quo tibi traditus ſum, & in domo tua habito; & prioribus peccatis tuis erit remiſſio, ſi Mandata mea cuſtodieris. Sed & omnibus erit remiſſio, qui Mandata mea cuſtodierint.

MANDATUM V.

De triſtitia cordis, & patientia.

I. ÆQuanimis, inquit, eſto & patiens, & omnium operum nequiſſimorum dominaberis, & operaberis omnem juſtitiam. Quòd ſi patiens fueris, Spiritus ſanctus, qui habitat in te, mundus erit, & non obſcurabitur ab aliquo nequiſſimo Spiritu, ſed gaudens 10 dilatabitur, & epulabitur 11 in vaſe, in quo inhabitat, & apparebit Domino hilaris in pace magna. Quòd ſi iracundia aliqua ſupervenerit; 12 continuò Spiritus ſanctus, qui in te eſt, anguſtiabitur, & quæ-

emendet; ὁ δὲ φησιν, ὅτι εἰ καὶ πολλὴ διαφορὰ μεταξὺ βαπτίσματος καὶ μετανοίας. Hoc eſt, *Ille autem (Eulogius) dixit, quod quamvis multa ſit differentia inter Baptiſmum ac pœnitentiam.* Et infrà, ubi de Act. II. 38. καὶ ὁ κορυφαῖος, φησὶ, τοῖς Ἰουδαίοις, vel Ἰσραηλίταις, vel potiùs ἀδελφοῖς (quod magis accedit ad ſcripturam nihil ἀπολείπουσαν) διαλεγόμενος, &c. COT.

1. Lam. *Inquiris.* OXON.

2. Baptiſmus labem omnem eluit, virtute fœderis Evangelici. Hinc comparatum eſt, ut plurimi, quo peccandi licentiam lucrifacerent, baptiſmum uſque ad mortis articulum differebant. Ibid.

3. Bod. *talibus.* Ibid.

4. Lam. & Bod. *facit.* Ibid.

5. Lam. & Bod. *figmento ſuo.* Ibid.

6. Sententiam hanc de una pœnitentia ob graviora ſcelera, ratam habuit primitiva Eccleſia, nec diſplicuit Tertulliano Paſtor noſter, quamdiu inter Catholicos verſabatur. Ibid.

7. Bod. *uxor aut vir deceſſerit alterius.* Ibid.

8. *Qui nubit, non peccat.* Erat forſan hoc dictum in animo Tertulliani, cùm ſcriberet capite 10. libri de pudicitia, *Sed cederem tibi, ſi Scriptura Paſtoris, quæ ſola mœchos amat, divino Inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter Apocrypha & falſa judicaretur, adultera & ipſa, & inde patrona ſociorum; à qua & aliàs initiaris.* Ut ſenſus Montaniſtæ ſit: Pſychicus, id eſt, Catholicus, ex libro Paſtoris duo diſcit, ſecundam pœnitentiam, & ſecundas nuptias. Cæterum rectè cum multis, de iterato Matrimonio, Noſter judicat Paullò ſeveriùs Antiquorum non pauci. Athenagoras Legatione pro Chriſtianis, ante finem; ὢ οἷός τις ἐτέχθη, μένειν, (fortè μένει) ἢ ἐφ' ἑνὶ γάμῳ. ὁ γὰρ δεύτερος, εὐπρεπής ἐστι μοιχεία. ὃς γὰρ ἂν ἀπολύσῃ, φησὶ, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται, οὔτε ἀπολύειν ἐπιτρέπων ὧν ἔπαυσέ τις τὴν παρθενίαν, οὔτε ἐπιγαμεῖν. ὁ γὰρ ἀποστερῶν ἑαυτὸν τῆς προτέρας γυναικὸς, κἂν τέθνηκε, μοιχός ἐστι παρακεκαλυμμένος. παραβαίνων μὲν τὴν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἐν ἀρχῇ ὁ Θεὸς ἕνα ἄνδρα ἔπλασε καὶ μίαν γυναῖκα· λύων δὲ τὴν σάρκα πρὸς σάρκα, κατὰ τὴν ἕνωσιν, πρὸς μίξιν, τοῦ (aut ſicut in altero Bibliothecæ Regiæ Codice ſuperſcriptum habetur, τὸ τοῦ) γένους κοινωνίαν. *Vel ut natus eſt unuſquiſque noſtrûm, manet; vel in unicis nuptiis. Secundo quippe ſpecioſum ſunt adulterium. Ait enim; Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit alteram, mœchatur: neque illam dimittere concedens, cujus delibâris virginitatem, neque aliam ducere. Nam qui ſeipſum priori uxore privat, licèt mortuâ; adulter occultus eſt, tranſgrediens quidem manum ac opus Dei, quoniam in principio Deus virum unum & mulierem unam formavit; ſolvens autem carnem, quæ ad carnem, ex unione, propter commiſſionem & (vel ad) generis propagationem facta eſt.* Sic enim exponenda videntur poſtrema verba. Theophilus Antiochenus libro 3. ad Autolycum ante medium, παρὰ Χριστιανοῖς σωφροσύνη πάρεστιν, ἐγκράτεια ἀσκεῖται, μονογαμία τηρεῖται, ἁγνεία φυλάσσεται. *Apud Chriſtianos temperantia adeſt, continentia exercetur, Monogamia ſervatur, cuſtoditur caſtitas.* Ubi in libro Bibliothecæ regiæ non admodum antiquâ manu in charta ſcripto, pro μονογαμία habetur μόνος ὁ γάμος, corruptè, nec abſque Græculi fraude, opinor. Irenæus lib. 3. cap. 19. *Samaritana illi prævaricatrici, quæ in uno viro non manſit, ſed fornicata eſt in multis nuptiis.* Ad quem locum adjungendus ille Tertulliani, libro de Monogamia cap. 8. & ille Hieronymi Epiſt. 11. quæ eſt etiam de Monogamia, itemque Canon 4. Baſilii. Verba ſunt Clementis Alexandrini στρωματέων lib. 2. pag. 421. γάμος μὲν οὖν ἐστι σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ πρώτη κατὰ νόμον, ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ. *Matrimonium eſt prima viri ac mulieris conjunctio ſecundùm legem facta, ad liberorum legitimorum procreationem.* Lege ejuſdem operis lib. 3 p. 428. 457. 459. 461. 464. Tertullianus autem, adhuc Eccleſiæ homo, Apologetici cap. 46. *Chriſtianus ad ſexum nec feminæ mutat.* Adeantur ejuſdem ad Uxorem volumina. Minucius Felix in Dialogo, poſt medium; *Alia ſacra coronat univira, alia multivira, & magnâ religione conquiritur quæ plura poſſit adulteria numerare.* Ac multò poſt; *Nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus: unius matrimonii vinculo libenter inhæremus: cupiditatem procreandi aut unam ſcimus, aut nullam.* Adde iſta Origenis Homil. 17. in Lucam; *Bonum eſt, & primum, ſi quæ poteſt virginitatis gratiam poſſidere. Si autem hoc non potuerit, ſed evenerit ei ut perdat virum, vidua perſeveret. Quod quidem non ſolùm poſt mortem viri, ſed etiam cum illo vivit, debet habere in animo; ut etiam ſi non venerit, voluntas ipſius & propoſitum à Domino coronetur: & dicat; Hoc voveo atque promitto, ſi mihi humanum aliquid, quod non opto, contigerit, nihil aliud faciam, quàm incontaminata, viduaque perſeverem. Nunc verò & ſecundæ, & tertiæ, & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam reperiuntur, & non ignoramus, quòd tale conjugium ejiciet nos de regno Dei. Sicut enim ab Eccleſiaſticis dignitatibus non ſolùm fornicatio, ſed & nuptiæ repellunt; neque enim Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Vidua poſſunt eſſe digami; ſic forſitan & de cœtu primitivorum immaculatorumque Eccleſia, quæ non habet maculam neque rugam, ejicietur digamus: non quò in æternum mittatur incendium, ſed quò partem non habeat in regno Dei.* Et reliqua ad quæ te amando, ut & ad Homiliam 19. in Jeremiam, Huetianæ Editionis pag. 188. ac Tomum 21 in Johannem, ejuſdem Editionis altero Tomo p. 295. Sed & Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Tom. 7. B. Chryſoſtomi, Homil. 32. ſic loquitur; *Apoſtoli præceperunt ſecundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam ſecundam quidem accipere, ſecundùm præceptum Apoſtoli eſt: ſecundùm autem veritatis rationem, verè fornicatio eſt; ſed dum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honeſta fornicatio.* Prætermitto Gregorium Nazianzenum, Oratione 31 pag. 501. Amphilochium Oratione in Domini occurſum, pag 32. Hieronymum ſæpiſſimè, Auctorem Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli, cum Ambroſianis libris excuſorum, ad I. Corinth. VII. 40. Photium in Auctorio Epiſtolâ 2. Balſamonem ad Canonem 7. Synodi Neocæſarienſis, & Ratramnum lib. 4. contra Græcos, cap. 2. Spicilegii Acheriani Tom. 2. p. 109. 181. Niſi quòd admonere operæ pretium ſit, hujus locum cautè legi oportere. Ait: *Conſtantinopolitanos idem Hiſtoriographus Socrates refert, in recipiendo vel rejiciendo binubos non idem ſentire, ſed eſſe diviſos; quibuſdam ſentientibus eorum receptionem, quibuſdam diſſentientibus ratam* (ita ſcribo) *eſſe: cùm Occidentalis omnis Eccleſia ſine contradictione palàm recipiat.* Verùm Socrati lib. 5. cap. 22. Sermo eſt de Novatianis, non de Catholicis: neque ab eo dicitur, ex Conſtantinopolitanis alios favere binubis, alios contra illos ſtare; dicitur, Conſtantinopoli Novatianos in cauſſa διγαμίας connivere ſuamque non prodere ſententiam. Accipe verba, ut rectè tranſlata inveniuntur, Hiſtoriæ Tripartitæ lib. 9. cap. 38 utque emendari debent in Ratramno; *Novatiani circa Phrygiam binubos non recipiunt: Conſtantinopoli verò neque apertè recipiunt; neque palam removere noſcuntur: in Occidentalibus verò partibus apertè recipiunt.* Nihil etiam dico de antiqua Eccleſiæ diſciplina, tot canonibus firmata, per quam Bigamis pœnitentia injungebatur, ac denegabatur benedictio nuptialis & corona. Præterea denique τῶν ἔξω teſtimonia, tam Græcorum, quàm Latinorum, unde liquet, Ethnicorum pleriſque parum probatas fuiſſe ſecundas nuptias. COT.

9. Bod *acquiris.* OXON.

10. Bod. *ſpacioſa habitat.* Lam. *ſpatioſe habet*, ibid.

11. Lam. *cum vaſe, cum quo habitat*, ibid.

12. *Continuò Spiritus ſanctus, qui in te eſt, anguſtiabitur*, &c. & capite 2. & 10. Mandato. Origenes Homil. 6.

rer diſcedere. Suffocatur enim aſpectu nequiſſimo, & non habet locum apparendi Domino, ſicut vult 1 tribulatur enim ab iracundia. Utrique ergo Spiritus, cùm pariter inhabitant, pernicioſum eſt homini. 2 Si quis enim aſſumat abſinthii puſillum, & mittat in amphoram mellis; nonne totum mel exterminabitur? & tantum mellis à modico abſinthio diſperit, & perdit dulcedinem mellis; & jam non habet gratiam apud dominum ſuum; quoniam totum mel amarum factum eſt, & uſum ſuum perdidit. Sed ſi in mel non mittatur abſinthium; dulce erit, & in 2 uſu domino ſuo. Vide enim quàm ſit 3 æquanimitas dulcior melle: utilis erit Domino qui in ipſa commoratur: nam iracundia inutilis eſt. Si ergo mixta fuerit iracundia æquanimitate, contribulatur 4 animus, & non eſt utilis Deo oratio illius. Et dixi illi: Vellem ſcire, Domine, nequitiam iracundiæ, ut cuſtodiam me ab illa. Et dixit mihi; Scies, &, ſi non cuſtodieris te ab illa, perdes ſpem tuam, cum tota domo tua. Sed recede ab illa. Ego enim tecum ſum Nuncius æquitatis: & omnes qui ab ea recedunt, quicumque pœnitentiam egerint ex totis præcordiis ſuis, vivent Deo; ſed & cum illis ero, & conſervabo omnes. Juſtificati enim ſunt omnes, qui pœnitentiam egerint, à ſanctiſſimo Nuncio.

III. Audi nunc, inquit, nequitiam iracundiæ, 6 quàm prava, quàmque noxia eſt, & quo pacto ſervos Dei evertit. Qui enim pleni ſunt 7 in fide, non poteſt 8 nocere illis; quoniam virtus Dei eſt cum illis. Evertit enim dubios & vacuos. Quoties autem viderit tales homines, injicit ſe in corda 9 eorum; & de nihilo aut vir, aut mulier amaritudinem percipit, propter res quæ ſunt in uſu, aut pro convictu, aut pro aliquo verbo, ſi quòd fortè incidit, ſupervacuo, aut pro amico aliquo, aut debito, aut pro his ſimilibus rebus ſupervacuis. Hæc enim ſtulta ſunt, & ſupervacua & vana ſervis Dei. Æquanimitas autem valida eſt & fortis, & habet virtutem magnam, & ſedet in amplitudine magna, hilaris in pace gaudens, & honorificans Dominum in omni tempore manſuetè. Hæc enim æquanimitas habitat cum benè fidentibus. Nam iracundia, ſtulta eſt, & levis, & fatua. De ſtultitia verò naſcitur amaritudo; & ex amaritudine, iracundia; ex iracundia, verò, furor. Hic ex tot malis creatus 10 furor, operatur peccatum magnum & inſanabile. 11 Cùm enim hæc omnia in uno vaſe ſunt, ubi & Spiritus ſanctus moratur; non capit hos vas, ſed ſupereffluit: quoniam tener Spiritus non poteſt cum malo Spiritu immorari, recedit, & habitat cum manſueto: deinde cùm receſſerit ab homine in quo habitabat, fit homo vacuus à Spiritu ſancto, & poſtea repletur Spiritibus malignis, & obcæcatur à cogitatione 12. malâ.

Recede ergo tu ab iracundia, & indue animæquitatem, & reſiſte iracundiæ; & invenieris cum pudicitia & caſtitate à Deo. Vide ergo, ne fortè negligas hoc Mandatum. Si enim huic Mandato 13 obedientiam præſtiteris; & cætera Mandata mea, quæ tibi mandaturus ſum, poteris ſervare. Confirma ergo nunc te in Mandatis iſtis, ut vivas Deo; & quicumque ſervaverint hæc Mandata, vivent Deo.

MANDATUM VI.

De agnoſcendis uniuſcujuſque hominis duobus Geniis, & utriuſque inſpirationibus.

I. PRæceperam, inquit, tibi in primo Mandato, ut cuſtodires fidem, & timorem & pœnitentiam. Etiam, inquam, Domine. Sed nunc tibi volo mon-

In Numeros; *Non enim poteſt Spiritus ſanctus conſortium pati & ſocietatem Spiritûs mali. Certum eſt enim peccati tempore adeſſe in corde uniuſcujuſque Spiritum malum, & agere partes ſuas. Cùm utique cùm locus datur, & recipitur à nobis per cogitationes malas & concupiſcentias peſſimas, contriſtatus & (ut ita dicam) coangustatus fugatur de nobis Spiritus ſanctus. Propter quod & Apoſtolus ſciens hæc ita accidere, monebat, dicens; Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Hilarius ad Pſ. CXVIII. 121. *Omnis in quo peccati voluntas eſt, Deo vacuus eſt: & ubi Deus non erit, illic Diaboli locus eſt; qui inſidians atque obſidens, ubi adeundi opportunitatem habuerit, tamquam vacuum domum occupat, quaſi, Deo eam deſerente, ſit tradita.* Similia quoque in Optato lib. 4 poſt medium, in Hieronymo II. adverſus Jovinianum 1. & apud alios: item Conſtitutionum Apoſtolicarum lib 6 cap 27.

Et non habet locum apparendi Domino, ſicut vult: [illegible] Paullò ante; *apparebit Domino hilaris in pace magna*: [illegible] Exponi poteſt utrumque, quemadmodum illud Apoſtoli Rom. VIII. 26. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. à multis etiam Veterum explicatur; ut id facere dicatur ſanctus Spiritus, quòd à ſanctis ipſo inſpirante fit. Sed nec in Scriptis primorum Patrum, voces [illegible], *apparere ſeu miniſtrare*, & ab eis deductæ, ſemper de ſervilis miniſterio uſurpantur. Quocirca tributas invenies Filioque Spiritui ſancto, qui cum omni poteſtate conſilia Patris, quæ ſunt etiam ſua, perficiunt. De Filio dicetur ad Conſtitut. Apoſtol. lib. 5. cap. ult. De ſancto Spiritu verba Irenæi ſunt lib. 4. adverſus Hæreſes cap. 17. *Non indigente Patre Angelis, uti faceret Conditionem, & formaret hominem, propter quem & Conditio fiebat: neque rurſus indigente miniſterio ad fabricationem eorum quæ facta ſunt, ad diſpoſitionem eorum negotiorum quæ ſecundùm hominem erant; ſed habente copioſum & inenarrabile miniſterium. Miniſtrat enim ei ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua, id eſt Filius & Spiritus ſanctus, Verbum & Sapientia; quibus ſerviunt & ſubjecti ſunt omnes Angeli.* Tertulliani verò adverſus Praxeam cap. 12. *Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat ſimilem; cum Filio quidem qui erat induturus hominem, Spiritu verò qui erat ſanctificaturus hominem: quaſi cum miniſtris & arbitris, ex unitate Trinitatis loquebatur.* Denique S. Epiphanii in Ancorati cap. 18. indeque Hæreſi 74. cap. 5. [illegible] &c. Hoc eſt: Dico igitur Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad *complendas* promiſſiones. *Porro Spiritum ſanctum miniſtrare, in ſacris Scripturis itaquoque accepimus*: [illegible] *à Patre mittitur & miniſtrat & Spiritus ſanctus*: &c. Secundoque poſtea capite; [illegible] *Itaque Filius & Spiritus ſanctus cum Patre, mi demonſtravimus, agunt communiter.* Capite autem primo citatum præcedente; [illegible] αἰών. ἐκεῖνο γὰρ ἄλλο [illegible] Id eſt, *Tria igitur iſta ſunt, aut ex ipſo, aut ad ipſum: quæ ab unoquoque, ut par eſt, intelliguntur, prout ſeſe ſua perſona illa declarant: lux, ignis, ſpiritus, aliiſque (opinor) ſpectaculorum ſimilitudinibus, pro eo ac dignus eſt ille homo, cui hoc efficit genus impenditur.* Et quibuſdam interjectis, vocat τρία [illegible] λειτουργίας. *Tres functiones ſacræ perſonas.* Ubi vides λειτουργίας Patri etiam attribui. COT.

1. *Si quis enim aſſumat abſynthii puſillum.* Appoſitè ad hanc comparationem adnotabitur illa S. Gregorii Nazianzeni in Apologetico p. 7. [illegible] *Cùm exiguum vitium uberrimè, largiſſimèque quiſpiam perſperſerit, quàm ingentem & copioſam virtutem parcè ac tenuiter. Nam & parum abſinthii amaritudinem ſuam melli celerrimè impertiit: contrà mel, ac duplâ quidem parte copioſius, dulcedinem ſuam abſynthio infundat*, ibid.

2. Lam. *uſum*. OXON.

3. *Quàm ſit æquanimitas dulcior melle*. Hîc, ut & alibi non rarò preſſiùs inhæret Antiochi Græco, Interpretatio Cotelerii; magno uſui futura, ſi quando Hermas quâ linguâ ſcripſit in luminis oras exiret. Legitur in ea; *Quoniam animæquiſſima eſt pluſquam mel* [illegible] Mox in Græco [illegible] etiam habent exemplaria Regia. COT. Lam. & Bod *animæquitas*, ut & infra. OXON.

4. Lam *anima*. Ibid.

5. MSS. deſunt, *vivent Deo*. Ibid.

6. Bod. *quam peſſima*. Ibid.

7. MSS. *fide*. Ibid.

8. Lam. *facere*. Ibid.

9. Bod & Lam. *hominum*. Ibid.

10. Bod *creatus, facit peccatum*. Ibid

11. *Cùm enim hæc omnia in uno vaſe ſunt.* Mandato XI. *Vacuis enim vaſis quod committitur, non effluit.* Auctor Operis imperfecti in Matthæum, inter [illegible] B. Chryſoſtomi ad illud Matth. XXIV 42. *Vigilate* &c. ait; *Sicut enim vas, quamdiu plenum eſt de aliquo, non recipit ſupermiſſum; ſi autem vacuum fuerit, recipit omne quod mittitur, ſic homo, quamdiu occupatus eſt malis, non recipit bonum; & ſi occupatus fuerit bonis, repellit malum; ſi autem nec iſto nec illo ſe occupaverit, id eſt, ſi neque bonis neque malis intenderit, omnis ſpiritus intrat in eum: intrans autem, non ſtatim ducit eum ad peccatum; ſed primùm delectat eum in malis, & ſenſum deſideriis carnalibus alligat; & poſtea ducit ad peccatum, quando jam eſt intelligit malum eſſe quod facit, non poteſt reſiſtere contra malum.* In Græco hujus capitis nota variam lectionem MS. Reg. 2420. [illegible] COTEL.

12. Imp. *mala. Recede*, addunt MSS. *inter hæc duo verba* : *Sic omnibus vacantis contingit*. OXON.

13. Bod. *dominationem egeris*. Ibid.

ſtrare virtutes horum mandatorum, ut ſcias effectus illorum, quo modo ipſa poſita ſunt ad juſtum pariter & injuſtum. Tu itaque crede juſto; injuſto autem tu nihil crede. Juſtitia enim rectam viam habet; at injuſtitia pravam. Sed tu rectam viam cuſtodi, pravam autem relinque. Prava autem via non habet exitum bonum, ſed offendicula multa. Aſpera eſt & ſpinoſa, & ducit ad interitum, & noxia eſt hominibus ambulantibus in illa. Qui autem viam rectam petunt, æqualiter ambulant ſine offenſione; quia non eſt aſpera, neque ſpinoſa. Vides igitur quòd melius eſt per hanc viam incedere. Ibis enim, inquit, & quicumque ex toto corde crediderint in Domino, ibunt per illam.

II. Audi nunc, inquit, primum de fide. 1 Duo ſunt Genii cum homine. Unus æquitatis: & unus iniquitatis. Et ego dixi illi: Quo modo, Domine, ſcire potero, quòd duo ſunt Genii cum homine? Audi, inquit, & intellige. Æquitatis Genius tener eſt, 2 lenis & verecundus, manſuetus & quietus. Cùm ergo in cor tuum aſcenderit, continuò loquitur tecum de juſtitia, de pudicitia, de caſtitate, de benignitate, de 3 venia, de caritate, de pietate. Hæc omnia cùm aſcenderint in cor tuum; ſcito quòd Genius æquitatis tecum eſt: Huic ergo Genio crede, & operibus ejus. Accipe nunc & Genii iniquitatis opera. Primùm amarus, iracundus, & ſtolidus eſt; & opera illius perniciosa ſunt, & evertunt ſervos Dei. Cùm ergo in cor tuum aſcenderint hæc, intelliges ab operibus ejus, hunc eſſe Genium iniquitatis. Quo modo, Domine, intelligam? Audi, inquit, & intellige. Cùm iracundia tibi acceſſerit, aut amaritudo; intellige eum eſſe in te; deinde cupiditas multorum operum, & optimorum ciborum, & 4 ebrietatum, & 5 appetentia multarum rerum alienarum, & ſuperbia & multiloquia, & ambitio, & quæcumque iis ſimilia ſunt. Hæc ergo cùm in cor tuum aſcenderint; intellige Genium iniquitatis tecum eſſe. Tu ergo cùm cognoveris opera illius, recede ab illis omnibus; & nihil illi crede; quia mala ſunt opera illius, & non conveniunt ſervis Dei. Habes ergo 6 utrorumque Geniorum opera. Intellige nunc, & crede Genio æquitatis, quia doctrina illius bona eſt. Licèt enim ſit feliciſſimus homo, & cogitatio alterius Genii aſcendat in cor illius; oportet illum virum aut mulierem peccare. Si autem etiam nequiſſimus vir fuerit, aut mulier, & aſcenderint in cor illius opera Genii æquitatis; neceſſe eſt, illum, aut illam aliquid boni facere. Vides ergo quòd bonum eſt, Genium æquitatis ſequi. Si ergo illum ſecutus fueris, & credideris operibus illius, vives Deo; & qui crediderint operibus illius, vivent Deo.

MANDATUM VII.

De Deo timendo, & Dæmone non metuendo.

Time, inquit, *Dominum, & mandata ejus cuſtodi.* Servans enim præcepta Dei, eris potens in omni actu, & omne 7 negotium tuum erit incomparabile. Timens enim Dominum, omnia bona 8 operaberis. Hic eſt timor, 9 quo timere oportet, ut ſalvus eſſe poſſis. Diabolum autem ne timeas: timens enim Dominum, dominaberis illius; quia virtus in illo nulla eſt. In quo autem virtus non eſt, is ne timendus quidem eſt: in quo verò virtus glorioſa eſt, is etiam timendus eſt. Omnis enim virtutem habens, etiam timendus eſt. Nam qui virtutem non habet, ab omnibus contemnitur. Time planè facta Diaboli, quoniam maligna ſunt: metuens enim Dominum, timebis, opera Diaboli non facies, ſed abſtinebis te ab eis. Duplex enim timor eſt. 10 Si enim malum operari volueris; timens Dominum, te ne id quidem facies. Si autem bonum operari volueris; timor utique Domini validus, [11]& ingens, & glorioſus eſt. Time igitur Deum, & vives. Et quicumque eum metuerint, cuſtodien-

1. *Duo ſunt Genii cum homine: unus æquitatis; & unus iniquitatis.* MS. codex Bibliothecæ S. Victoris toto hoc capite nomen Nuncii & Nunciorum uſurpat, non autem Genii & Geniorum. Citatur autem iſte locus & approbatur ab Origene lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 2. & Homil. 35. in Lucam, atque à Caſſiano tum Collatione 8. cap. 17. tum Collat. 13. cap. 12. Eoque reſpiciunt Origeniana hæc Homil. 12. in Lucam; *Unicuique duo aſſiſtunt Angeli, alter juſtitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde noſtro fuerint, & in animo juſtitia pullularit, haud dubium quin nobis loquatur Angelus Domini. Si vero mala fuerint in corde noſtro verſata, loquitur nobis Angelus Diaboli.* Quæ ſub nominis Interpretis, Hieronymi, ac mutila reperies apud Hincmarum libro de Prædeſtinatione c. 31. p. 183. Beda ad Act. XII 15. *Quòd unuſquiſque noſtrûm habeat Angelum*. Jonas Aurelianenſis lib. 3. de Inſtitutione Laicali cap. 13. Spicilegii Tomo 1. *Angelos) & in libro Paſtoris, & in multis ſanctæ Scripturæ locis invenitur. Nam & Dominus de parvulis, Angeli*, inquit, *eorum ſemper vident faciem Patris mei. Et Jacob de ſe loquitur,* Angelus qui eruit me de cunctis malis. *Et hic (Jonas hi) diſcipuli Angelum Apoſtoli Petri venire credebant.* His adde pro ſententia de duobus Angelis ſeu Geniis, bono & malo, hominum unicuique aſſiſtentibus, teſtimonia Origenis Homiliâ 23. in Jeſum Nave, Homil. 1. in Ezechielem, & lib. ule contra Celſum ſub finem, p. 433 434. Baſilii in Eſaiæ III 12. Gregorii Nyſſeni, libro de vita Moſis, multò ante medium, Tom. 1. p. 194. 195. quem ſequuntur Procopius Gazæus ad Exod. IV. 27. ex illo ſeſurmeodus, Theophanes Cerameus Homil. 44. & Maximus Centuriâ 3. de caritate cap. 91. Item Chryſoſtomi Hom. in Epiſtolam ad Coloſſenſes, & apud Antonium Monachum lib. 2. Meliſſæ ſerm. 31. Pſeudo-Chryſoſtomi ad Matth. IV. 11. Magiſtri Sententiarum lib. 2. diſt. 11. n. 1. atque Scholaſticorum quorundam. Adde præterea Chaldæorum, Judæorum, & Muhammedanorum ſuffragia, itemque Empedoclem in Plutarchi libro de animi tranquillitate p. 474. Platonem in Theodoriti ſermone 3. de Græcarum affectionum curatione, ſub finem: Euclidem Socraticum in Cenſorino de die natali cap. 3. & Servium ad illud Æneid. VI. *Quiſque ſuos patimur manes.* Facit tamen tum incertam, ex parte certè Dæmonis inſidiatoris, ſilentium cùm Scripturæ, tum multorum Patrum; immò nonnullorum ex his contraria opinio, ut nihil dicam de recentioribus Theologis. Nam, verbi gratiâ, Tertullianus cap. 39. lib. de anima agens de Geniis, dicit; *Adeo nulla ferme nativitas munda eſt: utique Ethnicorum.* Et cap. 57. *Nam & ſuggeſſimus nullum pene hominem carere Dæmonio.* Optatus Milevitanus lib. 4. contra Donatiſtas, poſt medium; *Neminem fugit, quòd omnis homo qui naſcitur, quamvis de parentibus Chriſtianis naſcatur, ſine ſpiritu mundo eſſe non poſſit; quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum, ab homine excludi & ſeparari. Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur,* &c. Ipſe etiam Origenes parum in ſuis conſtans, Homil. 20. in Joſuam, mo'tes intra nos ponit divinas Virtutes, animarum noſtrarum vel corporum curam gerentes, multaſque nocuas, obſidentes ac inſidiantes. Atque eumdem Adamantium iſta Hieronymi verba petunt, ad Galat. I. 15. *Cum autem* &c. *Ceterùm qui injuſtum Deum videri ne aſſerere, poſt illud quod dudum poſuimus, Abalienati ſunt peccatores à vulva; inferunt etiam cetera quæ ſequuntur Erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa. Et dicunt; Quo modo ſtatim ab utero erraverunt peccatores, & falſa locuti ſunt; qui nec ſermonem potuerunt habere, nec ſenſum? Aut quæ eſt iſta juſtitia præſcientiæ Dei, alium amare & alium odire priuſquam naſcatur, alium deteſtari?* Et cauſſas impii ad priorem vitam referunt; *quòd unuſquiſque, pro merito ſuo, in præmio ſive in ortu bonus aut malus Angelus aſſignetur. Totumque illum locum de Jacob & Eſau, cujus nunc fecimus mentionem, ita ad Romanos ſcriptum conſtant, ut non abſque ſudore & Chryſippi eis poſſit helleboro reſpondere.* Scriptum quoque fuerat à Clemente Alexandrino in libris ὑποτυπώσεων per Baptiſmum *Spiritus immundos animæ complicitos fecerunt*, [illegible] τῇ ψυχῇ [illegible]. Habes in Edenne illius p. 806. col. 1. Denique Lactantii dictum eſt de contaminatis ac perditis Spiritibus, lib. 2. cap. 14. *Adhærent ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant; ac ſibi Geniorum nomen aſſumunt.* Quod comparo cum illo Origenis VIII. in Celſum p. 416. [illegible] Dicunt *Græcorum ſapientes, ab hominis nativitate animam ſortitam eſſe Dæmonas.* Ut ut ſit, Hermæ noſtri dogma longiſſimè diſtat ab errore recentiore Hermæ alterius ſociorumque Meſſalianorum, affirmantium, unicuique homini ſtatim ab ortu commorantem ut incolam adeſſe Dæmonem, qui ad malum cogat, nec Baptiſmo, ſed ſolâ oratione expellatur. COT.

2. Bod. *tener*. OXON.

3. Lam. & Bod. *indulgentia*. Ibid.

4. Bod. *ebrietatis*. Ibid.

5. *Appetentia multarum rerum alienarum*, Græca, [illegible] πολλῶν [illegible], niſi incrementum acceperint ab Antiocho, poſtulant, *Appetentia mulierum & rerum alienarum*; ſeu potiùs, *Appetentia mulierum & multarum rerum alienarum.* Simile judicium de loco alio, ſub finem Mandati ſequentis. COT.

6. Lam. *utrorumque nunciorum operum*. OXON.

7. Bod. *negotium*. Alii *conſilium*. Ibid.

8. Lam. *operabitur*. Ibid.

9. Lam. & Bod. *quem & illi*. Ibid.

10. *Si enim malum operari volueris.* Malim Græca quàm Latina corrigere, ſcribendo εἰ μὲν θέλῃς τὸ πονηρὸν ἐργάζεσθαι. Veteres libri, ἐὰν θέλῃς τὸ πονηρὸν ἐργάσασθαι. COT.

11. Lam. & Bod. *non id facies*. OXON.

Digitized by Google

tes mandata ejus, eorum vita eſt apud Dominum; non cuſtodientium autem, nec vita in illis eſt.

MANDATUM VIII.

Declinandum eſſe à malis, & facienda bona.

DIxi tibi, inquit, quòd 1 creaturæ Domini duplices ſunt, & abſtinentia duplex eſt. A quibuſdam ergo abſtinere oportet; à quibuſdam verò non Manifeſta, inquam, mihi, Domine, à quibus abſtinere oportet, & à quibus non. Audi, inquit: A malo abſtine; & & noli id facere. A bono autem abſtinere noli, ſed fac illud. Si enim abſtinueris à bono, & non id feceris, peccabis. Abſtine igitur ab omni malo, & ſcies omnem juſtitiam. Quales, inquam, malignitates ſunt hæ, à quibus abſtinere oportet? 2 Audi, inquit, 3 ab adulteriis, ebrietatibus & 4 comeſſationibus malignis, ab eſca nimia, à lautitia, & inhoneſtate, à ſuperbia, ab abnegatione, à mendacio, à detractione, à nequitia ficta, à 5 recordatione injuriæ, & à fama peſſima. Hæc enim ſunt opera iniquitatum, à quibus abſtinere oportet ſervum Dei. Qui enim ab iis abſtinere non poteſt, vivere Deo non poteſt. Audi, inquit, & ſequentia eorum. Et quidem multa ſunt adhuc, à quibus abſtinere debet ſervus Dei. A furto, ab abnegatione, à falſo teſtimonio, à cupiditate, à ſuperbia, & quæcumque iis ſimilia ſunt. Videntur ergo tibi hæc mala eſſe, an non? Equidem valde mala ſunt ſervis Dei. 6 Ab his ergo omnibus debet abſtinere ſervus Dei. Abſtine ergo ab omnibus his, ut 7 vivas Deo, & ſcribaris cum abſtinentibus. A quibus ergo debeas abſtinere, illa ſunt. A quibus autem non debeas abſtinere, audi: Ab omnibus bonis operibus noli abſtinere, ſed fac illa. Audi, inquit, virtutem bonorum operum quæ debeas operari, ut ſalvus eſſe poſſis. Primùm omnium eſt fides, timor Domini, caritas, concordia, æquitas, veritas, patientia, caſtitas. Iis nihil eſt melius in vita hominum, qui hæc cuſtodierint & fecerint in vita ſua. Deinde horum ſequentia audi. Viduis adminiſtrare, orphanos & pauperes non deſpicere, & ſervos Dei ex neceſſitate redimere, hoſpitalem eſſe. Hoſpitalitate enim invenitur aliquando fructus bonus. Non contradicere, quietum eſſe, 8 humillimum fieri omnium hominum, majores natu colere, ſtudere 9 juſtitiæ, fraternitatem conſervare, contumelias ſufferre, æquanimem eſſe; lapſos à fide non projicere, ſed æquanimes facere; peccantes admonere, debitores non premere, & ſi qua iis ſimilia. Videntur tibi hæc eſſe bona, an non? Quid enim melius eſt, inquam, 10 verbis iſtis? Vive ergo in his mandatis, & noli ab eis recedere. Si enim cuſtodieris hæc omnia mandata, vives Deo; & omnes qui cuſtodierint hæc mandata, vivent Deo.

MANDATUM IX.

Poſtulandum à Deo aſſiduè, & ſine hæſitatione.

ITerum dixit mihi: Tolle à te dubitationem, & nihil omnino dubites. Petens aliquid à Domino, ne dicas intra te: Quo modo verò poſſum aliquid petere à Domino, & obtinere, 11 cùm ſim peccator tantorum malorum in Dominum? Noli hoc cogitare; ſed ex totis præcordiis convertere ad Dominum. Pete ſine dubitatione; & ſcies miſericordiam Domini, quòd non te derelinquet; ſed petitionem animæ tuæ 12 adimplebit. Non eſt enim Deus, ſicut homines, memores 13 injuriarum; ſed eſt immemor injuriarum, & miſeretur figmenti ſui. Ergo purifica cor tuum 14 ab omnibus vitiis hujus ſæculi, & obſerva prædicta verba tibi à Deo data; & accipies omnia bona quæ petis; & ex omnibus petitionibus tuis nihil deerit tibi, ſi ſine dubitatione petieris à Domino. Qui ergo tales non ſunt, omnino nihil impetrant eorum quæ petunt. Nam qui pleni ſunt fide, omnia petunt fidentes, & accipiunt à Domino, quia ſine dubitatione petunt. Omnis enim dubitans homo, ſi non pœnitentiam egerit, difficilè Deo vivet. Purifica ergo cor tuum à dubitatione, & indue fidem, & crede Deo; & omnia, quæ petieris, accipies. Sed ſi petas aliquando petitionem, & 15 non accipias, noli dubitare, quia non citò acceperis petitionem animæ tuæ: forſitan enim propter tentationem, aut pro peccato tuo, quod tu ignoras, tardiùs accipies petitionem tuam. Sed tu noli deſinere petendo petitionem animæ tuæ, & accipies. Si autem ceſſaveris petendo, de te queraris, non de Deo, quòd non dederit tibi. Vide ergo dubitationem hanc, quàm pernicioſa ſit, & ſæva, & multos radicitùs evellat à fide, etiam valde fideles & firmos. Etenim 16 hæc dubitatio filia eſt Diaboli, & valde nequiter agit cum ſervis Dei. Contemne ergo dubitationem, & dominaberis illius in omni re. Indue firmam fidem & potentem. Fides enim omnia repromittit, & omnia conſummat. Dubitatio autem non credit ſe aliquid impetraturam omnibus operibus ſuis, quæ agit. Vides ergo, inquit, quòd fides deſurſum eſt à Deo, & habet virtutem magnam. Dubitatio autem terrenus ſpiritus eſt, & à Diabolo, virtutem non habens. Tu igitur ſerva virtutem 17 fidei: à dubitatione autem recede, quæ non habet virtutem; & vives Deo; & omnes vivent Deo, quicumque hæc egerint.

MANDATUM X.

De animi triſtitia, & non contriſtando Spiritum Dei, qui in nobis eſt.

I. LOngè fac à te omnem triſtitiam: etenim hæc ſoror eſt dubitationis, & iracundiæ. Quo modo, inquam, Domine, ſoror eſt harum? Aliud mihi videtur triſtitia, aliud iracundia, aliud dubitatio. Et ait: Sine ſenſu non intelligis. Triſtitia enim omnium ſpirituum 18 nequiſſimus eſt, & peſſima ſervis Dei, & omnium ſpiritus exterminat, & cruciat 19 Spiritum ſanctum, & iterum ſalvum facit. Ego, inquam, Domine, inſipiens ſum, & non intelligo quæſtiones iſtas; quo modo poſſit cruciare, & iterum ſalvum facere, non intelligo. Audi, inquit, & intellige. Hi qui numquam exquiſierunt veritatem, neque inquiſierunt de majeſtate, ſed tantùm crediderunt, ſunt involuti in negotiis hominum Ethnicorum. Et alius mendax Propheta eſt, qui perdit ſenſus ſervorum Dei; dubiorum autem, non illorum qui fidunt in Domino plenè. Illi ergo dubii quaſi ad divinum Spiritum veniunt, & interrogant illum,

1. Bod. *creationes*. Lam. *ora iones*. Ibid.
2. Sic Lam. & Bod. & Cotel. Alii *reſpondit mihi*. Ibid.
3. *Ab adulteriis, ebrietatibus & comeſſationibus malignis*. Aut legebat ἀπὸ μοιχείας, κραιπάλης πονηρᾶς. aut πονηρᾶς jungebat cum voce quæ ſequitur, ἀσωτίας, ſicut exhibent duo Codices Regis. COT.
4. Bod. & Lam. *conviviis*. OXON.
5. Lam. *memoria malignitatis*. Ibid.
6. *Ab his ergo omnibus debet abſtinere ſervus Dei*. In Græco, ἔργων, *operibus*. COT. Fallitur.
7. Lam. deſunt. *vivas Deo*, &c. OXON.
8. Lam. & Bod. *humiliorem*. Ibid.
9. Bod. *Juſtitiam*. Ibid.
10. Bod. & Lam. *horum verborum*. Ibid.
11. *Cùm ſim peccator tantorum malorum in Dominum*. Tertullianus in fine præclari Operis de Pœnitentia; *Peccator enim omnium notarum cùm ſim*. COT.
12. Lam. & Bod. *replebit*. OXON.
13. Bod. *malorum*. Ibid.
14. Bod. *à malis cogitationibus, & ab omnibus hujus ſæculi negotiis*. Ibid.
15. Lam. *tardius accipias petitionem tuam*. Ibid.
16. *Hæc dubitatio filia eſt Diaboli*. ἡ διψυχία θυγάτηρ ἐστὶ τοῦ διαβόλου. Quod ab Herma dicitur de dubitatione in precibus, Athanaſius de Nicænæ Synodi Decretis, paullo poſt initium, p. 252. adducit contra Euſebianos ſeu Arianos homines διψύχους nec in ſua ſententia ſtabiles. COT.
17. Lam. add *habita*. OXON.
18. Lam. *nequior & peſſima*. Ibid.
19. Hæc fere ad eandem mentem veniunt, cum iis quæ dicuntur à S. Paulo, 2. Cor. 7. 10. *de triſtitia ſecundum Deum, quæ pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: & ſæculi triſtitiam quæ mortem operatur*, poſteriorem harum, dicit, tanquam mendacem Prophetam, ſervos Dei ſeducere. Ibid.

Digitized by Google

quid illis futurum ſit. Et 1 ille mendax Propheres, nullam habens in ſe 2 virtutem Spiritûs divini, loquitur illis ſecundùm interrogationem illorum, & implet animas illorum promiſſis, ſicut illi volunt. Ille autem Propheres inanis eſt, & inania reſpondet inanibus. Quidquid enim interrogatur à vanis hominibus, vana reſpondet illis. Quædam autem verba vera loquitur. Diabolus enim 3 implet eum ſpiritu ſuo, ut dejiciat aliquem ex 4 juſtis.

II. Quicumque ergo fortes ſunt in fide Domini, & induti ſunt veritatem, talibus ſpiritibus non junguntur, ſed diſcedunt ab illis. Quotquot autem dubii ſunt, & ſubinde pœnitentiam agunt, conſulunt tamquam Ethnici, & permagnum ſibi peccatum 5 congerunt, Idolis ſervientes. Quicumque ergo tales ſunt, interrogant pro negotio quolibet, ſimulacra colunt, & ſtulti ſunt, & inanes à veritate. Omnis enim ſpiritus à Deo datus, non interrogatur: ſed habens 6 virtutem divinitatis, à ſe omnia loquitur, quia deſurſum eſt à virtute divini Spiritûs. Qui autem interrogatus, loquitur ſecundùm deſiderium, & aliis multis rebus hujus ſæculi. 7 Hujuſmodi non intelligunt quæſtiones divinitatis; obſcurantur enim iis negotiis, & corrumpuntur, & confringuntur. Sicut vites bonæ quæ negliguntur, ab herbis & ſpinis premuntur, & necantur: ſic & homines qui talibus crediderunt, ii negotiis & actionibus multis inciderunt, & evacuantur à ſenſu ſuo, & nihil omnino intelligunt, de divitiis 8 cogitantes. Sed ſi quando audierint de Domino, ſenſus eorum in negotiis ipſorum eſt. Qui autem timorem Domini habent, & ſcrutantur de Deo veritatem; cogitationem omnem habent ad Dominum. Omnia quæ dicuntur eis, percipiunt, & ſtatim intelliguntur, quia habent timorem Domini in ſe. Ubi enim 9 Spiritus Domini inhabitat; ibi & ſenſus multus adjungitur. Adjunge ergo te Domino; & omnia intelliges ac ſenties.

III. Audi nunc inſipiens; quemadmodum triſtitia cruciat Spiritum ſanctum, & quomodo ſalvum facit. Cùm dubius inciderit in negotium aliquod, & non 10 provenit illi propter dubitationem; triſtitia hæc intrat in hominem, & triſtem facit Spiritum ſanctum, & vexat eum. Deinde iterum; iracundia cùm acceſſerit homini pro negotio aliquo, vehementer iraſcitur, & hæc ira intrat in præcordia iraſcentis, & vexatur in negotio ſuo quod agit, & poſtea pœnitet quòd malè fecerit. Utræque ergo res lædunt Spiritum ſanctum; dubitatio, & triſtitia. Dubitatio; quia non ſucceſſit actus ejus: & triſtitia; quia fecit iracundiam Spiritui. Aufer ergo triſtitiam à te, & 11 & noli offendere Spiritum ſanctum, qui in te habitat; ne roget Dominum, & recedat à te. Spiritus enim Dei, qui datus eſt in 12 carnem, triſtitiam non ſuſtinet. Indue te ergo hilaritate, quæ ſemper habet gratiam apud Dominum; & lætaberis in ea. Omnis enim hilaris vir, benè operatur, & bona ſapit, & contemnit injuſtitiam. Vir autem triſtis malè facit, quia triſtem facit Spiritum ſanctum, qui datus eſt homini hilari. Et iterum malè facit; quòd triſtis orat Dominum, & 13 non antè facit exomologeſim; & non impetrat à Deo quod petit. Semper enim oratio triſtis hominis, non habet virtutem ut accedat ad altare Dei. Et dixi illi: Domine, quare non habet virtutem oratio triſtis hominis, ut aſcendat ad altare Domini? Quoniam, inquit, triſtitia ſedet in corde ejus. Cùm ergo mixta fuerit oratio virtum triſtitia, non patietur orationem mundam aſcendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum, eamdem ſuavitatem non habet: ſic & triſtitia Spiritui ſancto mixta, eamdem orationem mundam non habet. Munda ergo te à triſtitia mala, & vives Deo: & omnes vivent Deo, qui projecerint à ſe triſtitiam, & induerint hilaritatem.

MANDATUM XI.

Spiritus & Prophetas probari ex operibus: & de duplici Spiritu.

OStendit mihi ſedentes in ſubſelliis homines, & 14 unum ſedentem in cathedra. Et dixit mihi: Vides illos qui in ſcamnis ſedent? Video, inquam, Domine. Illi, inquit, ſunt fideles. Et ille qui in cathedra ſedet, Spiritus terreſtris eſt. Nam in Eccleſiam virorum non accedit, ſed refugit: applicat autem ſe dubiis, & vacuis; & in angulis & abditis locis divinat illis, & delectat illos, loquendo ſecundùm omnia 16 deſideria cordia eorum. Vacuis enim vaſis quod committitur, non effluit; ſed conveniunt alius ad alium. Cùm autem venerit in turbam virorum juſtorum, habentium Spiritum divinitatis, & oratio illorum ſit ad Dominum, exinanitur homo ille: quoniam Spiritus ille terreſtris fugit ab illo, & obmuteſcit, nec quidquam poteſt loqui. Sicut in apotheca ſi 17 obturaveris vinum, vel oleum; & inter illa vaſa poſueris amphoram vacuam, & ruſum obturamentum deponere volueris; amphoram illam quam poſuiſti, vacuam invenies: ſic & Prophetæ 18 vacui, cùm venerint inter Spiritum juſtorum, quales veniunt, tales inveniuntur. Habes utrorumque Prophetarum vitam. Proba ergo de vita & operibus, hominem, qui dicit ſe Spiritum ſanctum habere. Tu autem crede Spiritui 19 venienti à Deo, habenti virtutem. Spiritui autem terreſtri vacuo, qui à Diabolo eſt, in quo fides non eſt, neque virtus, credere noli. Audi ergo ſimilitudinem quam tibi, 20 dicturus ſum. Accipe lapidem, & mitte in cœlum; aut iterum accipe ſiphonem aquæ, & 21 ejacula in cœlum; & vide ſi poſſis pertundere cœlum. Quo

1. *Et ille mendax Prophetes*, &c. Habes hoc & ſequentibus Mandatis multas differentias, quæ ſecernunt Pſeudo-Prophetam à Propheta, ſpiritumque diabolicum à ſpiritu divino. Et verò quòd Pſeudopropheticus ſpiritus gratiam audientium quærat, teſtatus apud Euſebium Hiſtoriæ lib. 5. c. 16. Anonymus Cataphrygarum confutator, dum ἐνθουσιαστικὸν πνεῦμα appellat, *adulatorem ſpiritum*: additus tamen ab eodem, aliquando illum ſpiritum velle videri objurgatorem. Sed & Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinianum cap. ult. ait; *Semper Pſeudopropheta dulcia pollicentur.* Quòd etiam Pſeudoprophetæ vera quædam falſis miſceant, multorum teſtimonio conſtat. Clementis Alexandrini Strom. 1. p. 311. 312. Scripturis Recognitionum lib. 4. cap. 21. 22. & lib. 8. cap. 60. Pſeudo-Ambroſii ad I. Theſſal. V. 21. & Pſeudo-Chryſoſtomi ad Matthæi VII. 22. Vide ſis Maimonidem de fundamentis Legis cap. 10. n. 3. COT.

2. Lam. *veritatem in ſe Spiritus divino*. OXON.

3. Lam. *adimplet*. ibid.

4. Bod. & Lam. *illis*, ibid.

5. Lam. *conferunt*, ibid.

6. Lam. *veritatem*, ibid.

7. Lam. & Bod. deeſt *hujuſmodi*. ibid.

8. Lam. *agentes*. ibid.

9. Bod. *Dominus*, ibid.

10. Lam. *evenit*. Cot. *provenit*, ibid.

11. *Noli offendere Spiritum ſanctum, qui in te habitat; ne roget Dominum, & recedat à te.* Μὴ λύπει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κατοικοῦν ἐν σοί, μήποτε ἐντεύξηται τῷ Θεῷ, καὶ ἀποστῇ ἀπὸ σοῦ. Non ſignificat ἐντυγχάνειν ſupplicare more indigi, ultionem & auxilium quærentis, ac velut è carcere liberationem; ſed compellare, exponere, colloqui, ut Deum decet ex Deo procedentem. τὸ γὰρ ἐντυγχάνειν, docet Gregorius Theologus Orat. 36. p. 587. οὐχ ὡς ἡ τῶν πολλῶν ἀνοία, τι ζητεῖν ἐκδίκησιν ἔχει. Additur in Commentariis Ambroſio tributis, ad Roman. VIII. 26. 27. ubi eodem modo ponuntur verba ὑπερεντυγχάνειν & ἐντυγχάνειν: *Non humanis eloquiis poſtulare pro nobis dicit Spiritum Domini, ſed more naturæ ſuæ. Cùm enim quod de Deo eſt, Deo loquitur; eo more loquatur neceſſe eſt, quo ille loquitur de quo eſt*, &c. *Eloquitur non impulſu aëris, neque ut Angeli, aut ſicut cætera ex creaturis, ſed ſicut competit ejus divinitati.* Legatur vetus Ambroſius Epiſtolâ 40. COT.

12. Addit. Antioch. ταύτην, *carnem hanc*, ſeu *Spiritum datum hominibus* deſignans: & paulò infra dicitur, *qui datus eſt homini*. OXON.

13. *Et non antè facit Exomologeſim.* Homo triſtis querelas potius meditatur, quàm laudes profundat, & Deo faciat exomologeſim, gratam pro acceptis beneficiis confeſſionem. Id enim quoque Exomologeſis ſignificat. Quoniam juxta Hilarium ad Pſalm. LXVI. verſ. 6. alioſque, duplex eſt confeſſio, una peccatorum, alia laudationis Dei. COT.

14. MSS. *alterum*. OXON.

15. MSS. *facit Spiritus terreſtris*, ibid.

16. MSS. *deſideria illorum*, ibid.

17. MSS. *ſtipaveris*, & mox, *ſtipationem*, ibid.

18. Lam. *vacui conveniunt*, ibid.

19. Alii leg. *viventi*, ibid.

20. Lam. *daturus*, ibid.

21. MSS. *ſiphonica*, ibid. Ἀπὸ τοῦ σίφωνος factum eſt σιφωνίζω.

modo, inquam, Domine, hæc fieri poſſent? Utraque enim quæ dixiſti, fieri non poſſunt. Sicut ergo, inquit, hæc fieri non poſſunt; ſic Spiritus terreſtris ſine virtute eſt, & ſine effectu. Accipe nunc virtutem deſurſum venientem, [1] in hac ſimilitudine. Grando minimum granum eſt, & cùm cadit ſuper caput hominis, quo modo dolores præſtat? Aut iterum, vide ſtillicidium, quod à tegula cadit in terram, & cavat lapidem. Sic igitur minima, quæ deſurſum cadunt ſuper terram, magnam habent virtutem. Adjunge te ergo huic habenti virtutem; & ab illo vacuo recede.

MANDATUM XII.

De duplici cupiditate: Dei mandata non eſſe impoſſibilia: & Diabolum non metuendum credentibus.

I. Iterum dixit mihi: Tolle à te omnem cupiditatem malam, & indue cupiditatem bonam & ſanctam. Indutus enim [2] cupiditatem bonam, oderis malam & reſtenabis eam ſicut volueris. Horrenda eſt enim cupiditas mala, & difficilè mitigatur. Horribilis eſt valde & fera, & feritate ſua conſumit homines: maximè ſi inciderit in eam ſervus Dei; & niſi ſapiens fuerit, conſumetur ab illa peſſimè. Conſumit autem tales, qui non habent veſtem cupiditatis bonæ, & implicat illos negotiis hujus ſæculi, tradit illos morti. Quæ ſunt, inquam, Domine, opera cupiditatis malæ, quæ tradunt homines morti? Demonſtra mihi, ut recedam ab illis. Audi, inquit, in quibus operibus cupiditas mala morti tradit ſervos Dei. [3] Spiritus omnium hominum terreſtris eſt, & levis, & virtutem non habet in totum, & multa loquitur. Et dixi: Quo modo igitur ſcire poteſt aliquis eos? Audi, inquit, de utriſque vaſis: & ſicut dico tibi, ſic probabis Prophetam Dei, & falſum Prophetam. Primùm ita proba hominem qui habet Spiritum Dei: quia Spiritus qui deſurſum eſt, quietus eſt, & humilis, & recedit ab omni nequitia, & deſiderio vano hujus ſæculi, & [4] omni homine ſe facit humiliorem: & nemini reſpondet interrogatus, nec ſingulis reſpondet: neque cùm vult, homini loquitur Spiritus Dei, ſed tunc loquitur cùm vult Deus. Cùm ergo venerit homo, qui habet Spiritum Dei, in Eccleſiam juſtorum, habentium fidem Dei, & oratio fit ad Deum; tunc Nuncius ſanctus divinitatis implet hominem illum Spiritu ſancto: & loquitur in turba, ſicut Deus vult. Sic ergo dignoſcitur Spiritus divinitatis, [5] in quocumque Spiritus divinitatis loquitur.

[6] II. Audi nunc & de Spiritu terreſtri, vacuo, & fatuo, virtutem non habente. Primùm autem, hunc homo putatur Spiritum habere; [8] exaltat enim ſe, & vult primam cathedram habere, & improbus eſt, & verboſus, & in deliciis converſatur, & in voluptatibus multis, & mercedem accipit divinationis ſuæ. Quòd ſi non acceperit, non divinat. Itane Spiritus Dei poteſt mercedes accipere & divinare? Non convenit hæc facere Dei Prophetam. Sed cupiditas mala eſt, concupiſcere uxorem alienam; vel mulierem concupiſcere virum alienum; & lautitias concupiſcere divitiarum, & multitudinem ciborum ſupervacuorum, & ebrietatem multam, & delicias multas. Fatuæ enim ſunt deliciæ multæ, & voluptates multæ ſupervacuæ ſunt ſervis Dei. Hæc ergo cupiditas mala eſt, & perniccioſa, quæ [9] mortificat ſervos Dei. Hæc enim cupiditas à Diabolo eſt. Quicumque ergo receſſerint à cupiditate mala, vivent Deo. Nam quicumque ſubjecti fuerint cupiditati malæ, in perpetuum morientur. Mortifera enim eſt hæc cupiditas mala. Tu ergo indue cupiditatem juſtitiæ; & armatus timore Domini, reſiſte cupiditati malæ. Timor enim habitat in cupiditate bona. Et cupiditas mala, cùm viderit te armatum timore Domini [10] reſiſtente ſibi, fugiet à te longè, & non comparebit ante te, timens arma tua: & obtinebis victoriam, & coronaberis [11] ob illam; & pervenies ad cupiditatem bonam, & trades victoriam Deo quam acceperis, & ſervies ei operando ſicut ipſe volueris. Si autem ſervieris cupiditati bonæ, & ſubditus ei fueris; poteris dominari ſuper cupiditatem malam, & erit ſubdita tibi, ſicut volueris.

III. Vellem ſcire, Domine, quo modo [12] ſervire debeam cupiditati bonæ. Audi, inquit, Habe timorem Dei, & [13] fidem in Deo, & veritatem ama, & juſtitiam dilige, & [14] fac bonum: hæc operando, probatus eris ſervus Domini, & ſervies Deo: & omnes quicumque ſervierint cupiditati bonæ, vivent Deo. Conſummatis his Mandatis duodecim, dixit mihi: Habes hæc Mandata, ambula in his; & audientes homines hortare, ut pœnitentiam agant, & pœnitentia eorum munda fiet reliquis diebus vitæ eorum. Et miniſterium hoc, quod tibi do, explica diligenter, & multum conſequêris [15] fructum, & invenies gratiam apud omnes qui pœnitentiam agent, & credent verbis tuis. Ego enim tecum ſum, & cogam illos credere. Et dixi illi: Domine, [16] hæc Mandata magna & præclara ſunt, & exhilarare cor hominis poſſunt, qui potuerit cuſtodire Mandata hæc: ſed neſcio, Domine, an poſſint Mandata hæc ab homine cuſtodiri. Ait mihi: Hæc Mandata facilè cuſtodies, & non erunt dura; ſed ſi tamen in cor tuum poſueris, non poſſe ab homine cuſtodiri, non cuſtodies ea. Nunc autem dico tibi; ſi non cuſtodieris hæc Mandata, & omiſeris, non eris ſalvus, neque filii tui, neque domus tua; quia ipſe judicaveris, quòd non poſſint hæc Mandata ab homine cuſtodiri.

IV. Hæc mihi vehementer iracundè locutus eſt, ita ut conterreret me valde. Vultum enim ſuum mutaverat, ita ut non poſſet homo ſuſtinere iram ejus. Et cùm vidiſſet me conturbatum totum, & confuſum, cœpit loqui moderatiùs & hilariùs, dicens: Stulte & [17] inſenſate, inconſtans & ignorans majeſtatem Dei, quàm [18] magnus, quamque mirabilis ſit qui orbem creavit propter hominem, & omnem creaturam ſubjecit homini, & omnem poteſtatem dedit illi, ut dominetur horum Mandatorum. Dominari, inquit, poteſt omnium horum Mandatorum, qui habet Dominum in corde ſuo: qui autem habent Dominum in labiis ſuis, & cor illorum obtuſum eſt, & longè ſunt à Domino; illis Mandata hæc dura ſunt & difficilia. Ponite ergo

hoc eſt, ſiphone tranſmittere. Quam vocem legere neſcivit Librarius Antiquus, à quo Codicem Lambethanum exemplum habemus. Vide Pollucem & Suidam. CLERICUS.

1. MSS. *hanc ſimilitudinem*, ibid.
2. Lam. *cupiditate bona*, ibid.
3. MSS. *Primum omnium*, ibid.
4. MSS. *omnium hominum*, ibid.
5. Bod & Lam. *Quia quicumque ſpiritu Divinitatis loquitur, loquitur ſicut Dominus vult.*
6. Οὐ μόνον ἡ νεκρὰ, ἀλλὰ καὶ ἡ ἀγαθὴ ἐπιβουλία. COT.
7. Bod. *enim ſhomo qui putatur ſpiritum habere, exaltat ſe.* OXON.
8. *Exaltat enim ſe & vult primam cathedram habere, & improbus, eſt, & verboſus, & in deliciis converſatur & in voluptatibus multis, & mercedem accipit divinationis ſuæ.* Atqui eadem vitia in mendacibus Montaniſtarum Prophetis redarguuntur apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 16. & 18. Superbiam dico, loquacitatem, delicias, atque avaritiam. Siquidem noſter innominatus Auctor, à nobis citatus paullo antè, Montanum per immodicam primi loci cupiditatem, aditum in ſe Adverſario præbuiſſe, ſectatores autem illius intumuiſſe vanis ſpebus appellatque ſpiritum Pſeudopropheticum, *ἀπαυθαδιζόμενον arrogantiſſimum.* Quemadmodum & Pſeudoprophetas, *ἀμετροφώνους loquaciſſimos.* Contra quorum delicatam vitam, ac turpes quæſtus invehitur Apollonius ibidem; & apud Hieronymum in Catalogo. Verba Hieronymi reperta invenies in Indiculo de Hæreſibus, eidem perperam attributo, ut valde corrupta, ſic nullo negotio ſanabilia. COT.
9. MSS *morti dat.* OXON.
10. Bod. *reſiſtentem*, ibid.
11. MSS. *ab illa*, ibid.
12. Lam. *poſſim ſervire*, ibid.
13. MSS. *confide*, ibid. Lambethanus habet hic *fidem.*
14. MSS. *bene*, ibid.
15. MSS deeſt. *fructum*, ibid.
16. *Hæc mandata magna & præclara ſunt*, &c. Simili errore Trypho Judæus, diſceptans cum Juſtino Martyre præcepta Evangelica, quæ admiratur & prædicat, à nemine poſſe ſervari ſuſpicatur. COT.
17. MSS. *fatue.* OXON.
18. MSS. *magna*, ibid.

Digitized by Google

vobis, qui vacui & leves eſtis in fide, Dominum Deum veſtrum in corde habere; & intelligetis, quòd nihil facilius eſt his Mandatis, neque dulcius, neque manſuetius; & convertite vos ad Dominum Deum, & relinquite Diabolum, & voluptates ejus; quia malæ ſunt, & amaræ, & immundæ: & nolite timere Diabolum, quia in vobis poteſtatem non habet. Ego enim vobiſcum ſum Nuncius pœnitentiæ: qui dominor illius. Diabolus autem timorem facit, ſed timor illius vanus eſt. Nolite ergo timere eum, & fugiet à vobis.

V. Et dixi illi: Domine, audi me pauca verba 1 dicentem tibi. Dic, inquit. Homo, inquam, cupit quidem mandata Dei cuſtodire; & nemo eſt qui non petat à Domino, ut poſſit mandata ejus ſervare: ſed Diabolus durus eſt, & potentiâ ſuâ dominatur in Dei ſervos. Et dixit: Non poteſt, inquit, dominari in Dei ſervos, qui ex totis præcordiis in Dominum 2 credunt. Poteſt autem Diabolus luctari; ſed vincere non poteſt. Si enim reſiſtitis illi, fugiet à vobis confuſus. Nam quicumque fide pleni non ſunt, timent Diabolum, quaſi poteſtatem habentem. Diabolus enim tentat ſervos Dei; &, ſi invenerit vacuos, exterminat. Sicut enim homo, cùm implevit amphoras bono vino; & inter illas amphoras, paucas, ſemiplenas poſuit; & venit ut tentet & guſtet amphoras; non tentat plenas; ſcit enim quòd bonæ ſunt; ſemiplenas autem guſtat, ne ſint acidæ factæ; citò enim ſemiplenæ amphoræ aceſcunt & perdunt ſaporem vini. Sic & Diabolus venit ad homines ſervos Dei, ut tentet illos. Quicumque autem pleni ſunt fide, reſiſtunt illi fortiter; & ille recedit ab eis, quia non habet locum intrandi. Tunc vadit ad illos, qui non ſunt in fide pleni; & quoniam habet locum, inde intrat in illos; & quæcumque vult, facit illis, & fiunt famuli ejus.

VI. Sed vobis dico ego Nuncius pœnitentiæ; ne timeatis Diabolum. Miſſus enim ſum, ut vobiſcum ſim, quicumque ex totis præcordiis egeritis pœnitentiam, ut confirmem vos in fide. Credite ergo, qui propter delicta veſtra obliti eſtis Deum; & 3 qui ſalutem veſtram objicientes peccatis veſtris, gravatis vitam veſtram; quòd ſi converſi fueritis ad Dominum ex totis præcordiis veſtris, & ſervieritis ei ſecundùm voluntatem ipſius; dabit remedium 4 peccatis veſtris prioribus, & habebitis poteſtatem dominandi 5 omnibus operibus Diaboli. Minas autem illius in totum timere nolite: ſine virtute enim ſunt, ſicut hominis mortui nervi. Audite ergo me; & timete Dominum omnipotentem, qui poteſt vos 6 ſalvos facere & perdere; cuſtodite mandata ejus, ut vivatis Deo. Et dixi illi: Domine, modò confirmatus ſum in omnibus mandatis Domini, quamdiu mecum es; & ſcio quòd confringes omnem virtutem 7 Diaboli. Sed & nos exſuperabimus illum, 8 ſi poſſumus Mandata hæc quæ præcepiſti (Domino confirmante) cuſtodire. Cuſtodies, inquit, ſi cor tuum purificaveris ad Dominum: ſed & omnes cuſtodient, qui purificaverint corda ſua à vanis cupiditatibus hujus ſæculi, & vivent Deo.

1. Bod. *dicentem*. Alii *loquentem*, ibid.
2. Bod. *ſperant*, ibid.
3. MSS. *& ſalutem veſtram adjicietis*, ibid.
4. MSS. *remedium animabus*, ibid. Lamb. habet: *remedium animabus veſtris, poſtpoſitis peccatis veſtris prioribus*. Quæ lectio melior videtur. CLERICUS.
5. MSS. *omnium operum*, ibid.
6. Bod. *ſalvum facere*, ibid.
7. Lam. *intimet*, ibid.
8. MSS. *& poſſumus*, ibid.

LIBER TERTIUS.

Qui inſcribitur, *SIMILITUDINES.*

SIMILITUDO PRIMA.

Nos, quia in hoc mundo permanentem civitatem non habemus, debere inquirere futuram.

ET dixit mihi: Scitis vos, Domini ſervos 1 in peregrinatione morari? Civitas enim veſtra longè eſt ab hac civitate. Si ergo ſciris civitatem veſtram, in qua 2 habitaturi eſtis; quid hic emitis agros, & apparatis lautitias, & ædificia, & 3 habitationes ſupervacuas? Hæc enim qui comparat in hac civitate, non cogitat in ſuam civitatem redire. O ſtulte, ô dubie, & miſer homo, qui non intelligis, hæc omnia aliena eſſe; & ſub alterius poteſtate. Dicit enim tibi Dominus civitatis hujus: Aut legibus utere meis, aut recede de civitate mea. Tu ergo quid facies, qui habes legem in civitate tua? Numquid propter agros tuos, aut propter aliquos apparatus tuos, poteris negare legem tuam? Quòd ſi negaveris, & volueris redire in civitatem tuam; non recipieris. ſed excluderis inde. Vide ergo ut ſicut peregrè conſiſtens, nihil ampliùs compares tibi, 4 quàm ſit neceſſarium & ſufficiens tibi; & paratus eſto, 5 ut cùm voluerit Dominus civitatis hujus expellere te, contradicas legi ejus; & eas in civitatem tuam, ut utaris lege tuâ, ſine injuria hilaris. Vos igitur videte qui ſervitis Deo, & habetis eum in cordibus veſtris; operamini opera Dei, memores mandatorum & 6 promiſſorum ejus quæ promiſit; & credite ei quod faciet vobis, ſi mandata ejus cuſtodieritis. 7 Pro agris ergo, quos emere volueritis, redimite animas de neceſſitatibus, prout quiſque poteſt; & viduas abſolvite, orphanis judicate, & opes ac divitias veſtras in hujuſmodi operibus conſumite. In hoc enim vos Dominus locupletavit, ut hujuſmodi miniſteria expleatis. Multò melius eſt hæc facere, quàm agros aut domos emere; quoniam hæc omnia peribunt in ſæculo, at quæ pro nomine Dei feceris, invenies in civitate tua, & habebis gaudium ſine triſtitia & timore. Divitias ergo gentium nolite cupere; pernicioſæ ſunt enim ſervis Dei: de propriis autem quas habetis, ea agite, quibus poſſitis conſequi gaudium. Et nolite adulterare, nec alterius uxorem tangere, neque concupiſcere. Concupiſce tuum opus, & ſalvus eris.

SIMILITUDO II.

Ut vitis ulmo fulcitur; ſic dives oratione pauperis juvatur.

CUm ambularem in agrum, & conſideratem ulmum & vitem, & 8 cogitarem intra me de fructibus earum; apparuit mihi Angelus, & dixit mihi: Quid intra te cogitas? Et dixi illi: De hac vite & ulmo diſputo, Domine; quoniam fructus illarum decori ſunt. Et dixit mihi: Hæ duæ arbores in exemplum poſitæ ſunt ſervis Dei. Et dixi illi: Vellem ſcire, Domine, harum arborum exemplum quod dicis. Audi, inquit: Vides hanc vitem, & hanc ulmum? Video, inquam, Domine. 9 Hæc vitis, inquit, fructifera eſt; ulmus autem, lignum ſine fructu eſt: ſed vitis hæc, niſi applicita fuerit ulmo, 10 & ſuper illam requieverit; non poteſt multum fructum facere. Jacens enim in terra, malos fructus dat, quia non pendet ſuper ulmum: ſed ſi ſuſpenſa fuerit vitis ſuper ulmum, & pro ſe, & pro ulmo fructum dat. Vide ergo 11 quòd ulmus fructum dat non minorem, quàm vitis: ſed potiùs majorem. Quomodo, inquam, Domine, majorem quàm vitis? Suſpenſa, inquit, 12 in ulmo, fructum multum & bonum dat; 13 jacens autem in terra, exiguum & peſſimum fructum dat. Hæc igitur ſimilitudo poſita eſt 14 ſervis Dei, pauperi, & diviti. Reſpondi, inquiens: Domine, demonſtra mihi. Audi, inquit: Dives habet opes, à Domino verò pauper eſt: diſtrahitur enim circa divitias ſuas, & valdè exiguam habet orationem ad Dominum; & quam habet, inertem habet, & non habentem virtutem. Cùm igitur dives præſtat pauperi, quæ 15 illi opus ſunt, pauper orat ad Dominum pro divite, & Deus præſtat diviti omnia bona: quia pau-

1. Lam. *peregre*, ibid. Poſtea deeſt *enim*.
2. MSS. *habitari*, ibid.
3. Lam. *ædificationes*, ibid.
4. MSS *niſi quod*, ibid.
5. MSS. *ut cùm voluerit Dominus*, ibid.
6. Alii *promiſſionum ejus, quas*, ibid.
7. Alii præponunt *agros.*, ibid.
8. MSS. *diſputarem*, *&* infra, *diſputas* & *diſputo*, ibid.

9 *Hæc vitis, inquit*, &c. Locum hic habet Servii explicatio Virgiliani Hemiſtichii, *Ulmiſque adjungere vites*, initio Georgicon; *Hoc ſecundùm Italiæ ſitum locutus eſt, in qua vites altiùs elevantur. Sic alibi*. Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris. *Hoc autem ruſtici maritare dicunt*. Hermæ porrò elegantem comparationem divitis & pauperis cum vite & ulmo, aliò traducit, immò contorquet ac immutat Origenes Homil. 10. in Jeſum Nave, ut cernere ibi licet Origenem ea parte ſequitur Gregorius Papa Homil. 20. in Evangelia. *Ipſi*, inquit, *fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu ſolet: quia & ſæculares viri intra ſanctam Eccleſiam, quamvis ſpiritalium virtutum dona non habeant, dum tamen ſanctos viros donis ſpiritalibus plenos ſuâ largitate ſuſtentant, quid aliud quàm vitem cum botri portant? Sicut ulmus amat vitem, ſic ipſi* (f. *ipſe*) *puſillos.* Verſus Commodiani, Inſtruct. 30. Præclarè autem, & ad ſenſum Paſtoris dicitur in Hieronymo Epiſtolâ 9. *Ex æqualitate, alterum inopia ſuam abundantiam communicabat; ut poſtea illorum divitiæ, hujus indigentiam ſuſtentarent.* Iiſdemque pæne verbis Epiſtolâ 28. *Abundantia tua multorum inopiam ſuſtentavat; ut & horum divitiæ in tuam indigentiam redundarent.* Cæterùm de Hermæ ſimilitudine hac extat Homilia Cæſarii Arelatenſis. COT.

10. MSS. *ut ſuper illam refrigeret.* OXON.
11. MSS. *quia*, *&c.* Ibid.
12. MSS. *ad ulmum*, ibid.
13. MSS. Lam. omittit; *jacens autem in terram; exiguum & peſſimum fructum dat*, ibid.
14. MSS. *in ſervos Dei. in pauperem & divitem*, ibid.
15. MSS. deeſt *illi*. ibid.

per·

Digitized by Google

per dives eſt in oratione, & virtutem magnam habet apud Dominum oratio ejus. Tunc ergo dives præſtat omnia pauperi, quia ſentit illum exaudiri à Domino; & libentiùs ac ſine dubitatione præſtat ei omnia, & curat ne quid ei deſit. Pauper Deo gratias agit pro divite, quia opus faciunt à Domino. Apud homines ergo ulmus non putatur [1] dare fructum; & neſciunt neque intelligunt, quòd ſi [2] ſocietas advenerit viti; & vitis [3] duplum dat fructum, & pro ſe, & pro ulmo. Sic & pauperes, pro [4] locupletibus orantes ad Dominum, exaudiuntur; & augentur opes eorum, quoniam præſtant pauperibus ex opibus ſuis. Sunt igitur ambo conſortes bonorum operum ſuorum. Quicumque igitur hæc fecerit, non deſeretur à Domino, ac erit ſcriptus in libro vitæ. Felices igitur qui poſſident, & ſentiunt ſe locupletari; qui hoc enim ſenſerit, poterit aliquid adminiſtrare.

SIMILITUDO III.

Ut hieme virides arbores ab aridis; ſic in hoc ſæculo juſti ab injuſtis internoſci non poſſunt.

OStendit mihi [5] arbores multas abjectis foliis, quæ mihi velut aridæ videbantur: omnes enim ſimiles erant. Et dixit mihi: Vides arbores has? Video, inquam, Domine, ſimiles aridis. Reſpondens dixit mihi: Hæ arbores, in ſimilitudinem ſunt horum, qui in ſæculo morantur. Reſpondi, inquiens: [6] Cur velut aridis ſimiles ſunt? Quoniam, inquit, nec juſti, nec injuſti cognoſcuntur; ſed ſimiles ſunt, in [7] hoc ſæculo. Hoc enim ſæculum juſtis hiems eſt; qui non agnoſcuntur, cum peccatoribus habitantes. Sicut in hieme omnes arbores abjectis foliis, aridis ſimiles ſunt, nec poteſt cognoſci quæ ſunt aridæ, aut quæ virides: ſic & in hoc ſæculo, nec juſti, nec injuſti cognoſcuntur; ſed ſimiles ſunt omnes.

SIMILITUDO IV.

Ut æſtate viridæ arbores ab aridis, fructu & virentibus foliis internoſcuntur: ſic in futuro ſæculo juſti ab injuſtis, beatitudine differunt.

OStendit mihi iterum arbores multas, quarum aliæ frondes emittebant; aliæ aridæ erant. Et dixit mihi: Videſne has arbores? Reſpondi: Video, Domine, alias aridas, & alias [8] frondentes. Hæ arbores, inquit, quæ virides ſunt, juſti ſunt qui [9] habitaturi ſunt in futuro ſæculo. Illud enim futurum ſæculum, æſtas eſt juſtis; peccatoribus autem hiems. Cùm ergo illuxerit miſericordia Domini; tunc declarabuntur qui ſerviunt Deo, & omnes perſpicui erunt. Sicut enim in æſtate fructus arboris cujuſcumque declaratur, & patet; ſic & juſtorum fructum declarabitur, & patebit, & omnes hilares & gaudentes in illo ſæculo reſtituentur. Nam cæteræ gentes, peccatores ſcilicet, ſicut arbores quas vidiſti aridas; tales invenientur aridi, & ſine fructu in illo ſæculo; & ſicut arida ligna comburentur, & palam [10] fient, quoniam malè fecerunt in omni tempore vitæ ſuæ: & comburentur ideo, quia peccaverunt, & peccatorum ſuorum non egerunt pœnitentiam: ſed & cæteræ gentes comburentur, quia non agnoverunt Deum creatorem ſuum. Tu ergo fac fructum bonum, ut in æſtate cognoſcatur fructus tuus; & abſtine te à multis negotiis, & nihil delinques: quicumque enim multa negotia agunt, multa delinquunt; quia conſtricti ſunt circa negotia ſua, & non ſerviunt Deo. Nam quomodo poteſt homo, qui non ſervit Deo, aliquid petere & accipere à Deo? Qui enim ſerviunt Deo, petunt & accipiunt ſua deſideria. Quòd ſi unum negotium tractat aliquis, poterit ſervire Deo; quoniam non alienatur animus ejus à Domino, ſed pura mente ſerviet Deo. Hoc ergo ſi feceris, poteris in venturo ſæculo habere fructum: ſed & omnes qui fecerint hæc, fructum ferent.

SIMILITUDO V.

De vero jejunio, & ejus mercede; tum & de corporis munditia.

CUm jejunarem & ſederem in monte quodam, & gratias agerem Deo pro omnibus quæ fecerat mecum, video Paſtorem illum ſedentem juxta me, ac [11] dicentem mihi: Quid tam mane huc veniſti? Reſpondi: Quoniam, Domine, ſtationem habeo. [12] Quid eſt, inquit, ſtatio? Et dixi: Jejunium. Et dixit: Quid eſt illud jejunium? Sicut ſolebam, inquam, ſic jejuno. Neſcitis, inquit, Deo jejunare, neque eſt jejunium hoc quod jejunatis, Deo nihil proficientes. Quare, inquam, Domine, ita dicis? Dico certè, inquit, non eſſe jejunium hoc quod putatis vos jejunare: ſed ego

1. MSS. *fructus dare*, ibid.
2. Bod. *ſiccitas non advenerit*. Lam. *ſiccitas evenit*, ibid.
3. Lam. *abundat fructu*, ibid.
4. Lam. *locupletantibus*, ibid.
5. Apponere operæ precium erit explanationem Auctoris Operis imperfecti in Matthæum, Tom. 7. B. Chryſoſtomi, ad cap. 25. verſ. 32. *Tum ſegregabit eos*, &c. *Tunc* (l. *Nunc*) *enim homines mixti ſunt: & non ſolùm mixti, quo modo in hiſdem locis ſimul converſantur juſti cum impiis; ſed etiam confuſi ſunt, quo modo inter juſtos & impios (quantum ad homines) diſcretio non apparet: ſicut in tempore hyemis, inter virides & aridas arbores diſcretio non eſt: cùm autem venerit tempus illud beatum vernale, diſcernuntur:* (l. *diſcernentur:*) *ita nunc* [l. *tunc*] *unuſquiſque ſecundùm fidem ſuam, & ſecundùm opera ſua manifeſtabitur: impiis quidem nulla proferentibus folia, nullum oſtendentibus fructum: ſanctis autem & foliis veſtientur vita æterna, & fructibus ornabuntur gloriæ.* Prætermitto alios. Adi, ſi vacat, Macarium Homil. 12. Quæſt. 5. Contrariâ verò ſimilitudine apud S. Hieronymum, incertus Scriptor Commentariorum in Epiſtolas Pauli, ad II Corinth. VI 2. *Æſtati quoque aſſimilatur hoc tempus; in cujus comparatione, formica dicitur hyemem ſperare venturam.* Et alter Proverbiorum Enarrator, ad VI. 8. *Hæc etenim vita in eo meſſi comparatur & æſtati, quod nunc inter ardores tentationum tempus eſt colligendi futurorum merita præmiorum. At dies Judicii hiemis ſimulatur rigoribus: quia tunc, nimirum, nulla relinquitur facultas pro vita laborando, ſed tantùm conſtat quiſque de horreo priſcæ actionis quod recondidit proferre.* COT.
6. Ita Lam. Alii, *horum*. OXON.
7. MSS. *hoc*, ibid.
8. MSS. *frondeſcere*, ibid.
9. Lam. *Habituri ſunt futurum ſæculum*, ibid.
10. MSS. *fiet*, ibid. ſic Lamb.
11. Bod. addit. *hæc*, ibid.
12. *Quid eſt, inquit, ſtatio? Et dixi: Jejunium.* Inter Latinos vivens Hermas, *cum ſtationis* vocabulum more illorum uſurpavit. Non enim memini me legere jejunium in Græcia ſic vocatum fuiſſe, quas πάννυχα appellant Vigilias; *pernoctem ſtationem*; ut videre eſt in Gregorio Nazianzeno Oratione 4. & alibi, Johanne Chryſoſtomo Homil. 1 in *Vidi Dominum* &c aliis. At Latinis jejunium & ſtatio idem ſignificant. Mos erat veterum Chriſtianorum, certis diebus ad Eccleſiam conveniendo, in oratione aliiſque pietatis officiis perſtare. Idcirco illos ſuos conventus nomina ſtationis donarunt. Nec me movent quæ a Tertulliano cap. 11. libri de Corona, cap. 14. libri de Oratione: cap 10 & 12. libri de jejuniis: Lactantio in fine libri ultimi, & Ambroſio ſerm. 16. De tempore, proferuntur de militaribus ſtationibus ac de caſtris. Quippe quæ alluſionem magis recipiant, quam Etymologiam. Sanctus Cyprianus Epiſt. 41 *Qui à Novatiano venerant miſſi, cum in ſtatione inverecundis quoque convitiis & clamoribus turbulentis proruerant.* Marcellinus & Fauſtinus libello precum ad Imperatores, in præfatione, *Irrumpit in Urbem, & ſtationem in Julii Baſilica trans Tiberim dare præſumit.* Et infra, *Populus per Cœmeteria Martyrum ſtationes ſine Clericis celebrabat.* Quia verò diebus jejunii diutiùs in Eccleſia ſtabant, quam diebus Dominicis ac feſtis, hinc fortè factum eſt ut jejunium, ſtationis nomine vocaverint: aliquando per ſtationem omne jejunium intelligentes, aliquando ſolum quartæ ac ſextæ feriæ. Documenta primæ appellationis, in Paſtore hic, in Gloſſis Vulcanii pag. 709. lin ult. ubi *Statio* exponitur per *Jejunium*; in Tertulliano qui libro de Corona ait cap 11. *Jam ſtationes, aut alius magis faciet, quam Chriſto? aut & Dominico die, quando nec Chriſto?* Et libro de Oratione, cap. ult. *Similiter & ſtationum diebus, non putant pleriſque ſacrificiorum orationibus interveniendum, quòd ſtatio ſolvenda ſit, accepto corpore Domini*, &c. Libro de jejuniis cap. 48 *Daniel trium hebdomadum ſtationes carnes vetitu*, Libro de jejuniis cap. 10. *Tantam autem Deus præſtitit auctoritatem edicto ſtationis illius, ut Jonathan filium Saulis, quamquam ignarus jejunationis in ferum aſſinxit, guſtum mellis admiſerat, & ſorte mox de delicto ſit traductus, & vix per precem populi periculo exemptus.* Quæ hunc in modum imitatus Hieronymus II. in Jovinianum 12 *Tantaque fuit auctoritas ſtationis ſemel Domino deſtinatæ; ut Jonathas, qui cauſſa victoriæ extiterat, deprehenderetur ſorte, & ignorantia crimen declinare*

te docebo quod ſit [1] jejunium plenum, acceptumque Deo. Audi, inquit: Dominus non deſiderat tale jejunium ſupervacuum: ſic enim jejunando, nihil præſtas æquitati. [2] Jejuna certè verum jejunium tale. Nihil in vita tua nequiter facias; ſed mente pura ſervi Deo, cuſtodiens mandata ejus, & in [3] præceptis ejus ingrediens; neque admiſeris deſiderium nocens in animo tuo. Crede autem Domino; ſi hæc feceris, timoremque ejus habueris, atque abſtinueris ab omni negotio malo, Deo te victurum. Hæc ſi feceris, jejunium magnum conſummabis, acceptumque Domino.

II. Audi Similitudinem, quam dicturus ſum tibi, ad jejunium pertinentem. Quidam cùm haberet fundum ſervoſque multos; in quadam parte fundi ſui poſuit vineam ſucceſſoribus: deinde peregre profectus, elegit ſervum quem habebat fideliſſimum, ac ſibi probatum; eique aſſignavit vineam, præcipiens ut viribus jungeret palos: quod ſi feciſſet, & mandatum ſuum conſummaſſet; libertatem eidem ſe daturum promiſit. Nec prætereà quidquam aliud præcepit illi, quod in ea [4] faceret: atque ita peregre profectus eſt. Poſtquam autem ſervus ille curam apprehendit; fecit quæcumque præceperat dominus. Cumque depalaſſet vineam illam, & animadvertiſſet eam herbis repletam; cœpit ſecum ita [5] cogitare: Peregi quod mihi præceperat dominus, fodiam nunc vineam hanc, & erit [6] formoſior cùm fuerit foſſa; & extractis herbis, majorem dabit fructum, & non ſuffocabitur ab herbis: adgreſſus deinde fodit, & omnes herbas quæ in ea erant, extraxit; atque ita evaſit vinea ſpecioſiſſima ac læta, non ſuffocata ab herbis. Poſt aliquantùm verò temporis venit dominus ejus, & ingreſſus eſt vineam: quam cùm depalatam vidiſſet decenter, ac [7] circumfoſſam, & extractas herbas ab ea, & lætas eſſe vites; ex facto hoc ſervi ſui, gaudium cepit. Adhibito itaque filio, quem carum & hæredem habebat, & amicis quos in conſilio advocabat; indicat ea quæ ſervo ſuo facienda mandaſſet, quæ prætereà ille feciſſet. At illi protinus gratulati ſunt ſervo illi, quòd tam plenum teſtimonium domini ſui aſſecutus fuiſſet. Ait deinde illis, Ego quidem huic ſervo libertatem promiſi, ſi cuſtodiſſet mandatum meum quod dederam; & cuſtodivit illud, & prætereà opus bonum adjecit in vineam, quod mihi [8] quamplurimùm placuit. Pro hoc igitur opere quod fecit, volo eum filio meo facere cohæredem; quoniam cùm ſenſiſſet, quid eſſet bonum, non omiſit, ſed fecit illud. Hoc conſilium domini, & filius, & amici ejus comprobaverunt; ut fieret, ſcilicet, hic ſervus, cohæres filio. Poſt dies deinde [9] non multos, convocatis amicis, [10] paterfamilias miſit de cœna ſua ſervo illi cibos complures. Quos cùm accepiſſet ille, ſuſtulit ex eis quod [11] ſufficiebat ſibi; reliquum autem conſervis ſuis diſtribuit. Quibus acceptis, illi lætati ſunt; & cœperunt illi optare, ut majorem gratiam apud dominum inveniret, ob ea quæ fecerat ipſis. Hæc omnia cùm audiſſet dominus ejus, percepit iterum maximum gaudium; & convocatis rurſum amicis, & filio, exponit factum ſervi ſui de cibis ſuis, quos ei miſerat. Illi itaque tantò magis aſſenſerunt patrifamilias, ipſum ſervum cohæredem filio debere fieri.

III. Dico ei: Domine, has Similitudines non novi, neque intelligere poſſum, niſi eas tu mihi exponas. Omnia, inquit, exponam tibi quæcumque locutus fuero tecum, aut oſtendero tibi. Mandata Domini cuſtodi, & eris probatus, & ſcriberis in numero eorum qui cuſtodiunt mandata ejus. Si autem præter ea quæ mandavit Dominus, aliquid boni adjeceris; majorem dignitatem tibi [12] conquires, & honoratior apud Dominum eris, quàm eras futurus. Igitur ſi cuſtodieris mandata Domini, & adjeceris etiam ad ea ſtationes has, gaudebis, maximè ſi ſecundùm mandatum meum ſervaveris ea. Dico ei: Quidquid mihi præceperis, Domine, ſervabo; ſcio enim te mecum futurum. Ero, inquit, tecum, qui tale propoſitum habes. Sed & cum omnibus ero, quicumque idem propoſitum habent. Jejunium hoc, inquit, cuſtoditis mandatis Domini, valde bonum eſt. [13] Sic igitur ſervabis illud. Primùm omnium cave ab omni probo, & turpi verbo, & ab omni noxia cupiditate, & purifica ſenſum tuum ab omni vanitate ſæculi hujus. Si hæc cuſtodieris, erit hoc jejunium juſtum. Sic ergo facies. Peractis quæ ſuprà ſcripta ſunt, [14] illo die quo jejunabis,

non poſſet, patriſque in ſe concitaret manum, & vix populi precibus ſalvaretur. Infraque in eodem capite libri de jejuniis, ubi de Daniele; *Hæc erit ſtatio ſera, quæ ad veſperam jejunans, pinguiorem orationem Deo immolat.* Et cap. 13. *Conventus autem illi ſtationibus prius & jejunationibus operati; dolere cum dolentibus, & ita demum congaudere gaudentibus norunt.* Adde his Ambroſium, in Sermonibus de Tempore Serm. 36. *Caſtra enim nobis ſunt noſtra jejunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique ſtationes vocantur, quòd ſtantes & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellamus.* Et Caſſianum cujus verba ſunt lib. 5. de inſtitutis Cœnobiorum cap. 20. *Non potùs quidquam, non eſùs ullà oblectatione devinctus ante ſtationem legitimam communemque refectionis horam, extra menſam perciperę ſibimet prorſus indulgeat.* Ac. 24 cap. *Ut abſque legitimis quarta ſextaque feria, quocumque pergebamus, quotidiana ſtatio ſolveretur*: id eſt, quotidianum jejunium, ſicut ſtatim ſubjungitur. Item Collatione 21. cap. 29. *Audeat ſtationem jejunii, abſque ulla diſceptatione laxare.* Cum his Iſidori Originum lib. 6. cap. ult. *Jejunium autem & ſtatio dicitur.* Jam verò interdum ſtationem à jejunio diſtingui, ut ſpeciem ſcilicet à genere, atque accipi pro jejunio quartæ feriæ & ſextæ, colligitur ex multis locis Tertulliani; lib. 2. ad uxorem cap. 4. libro de fuga in perſecutione cap. 1. libro de jejuniis cap. 1. 2. 10. & 11. 13 & 14. Ea conſule, ſi dubitas. Prætereà ex Agone Fructuoſi: *Reſpondit Fructuoſus: Non eſt, inquit, hora ſolvendi jejunium ſtationis. Agebatur enim hora diei quarta. Siquidem & in carcere quartâ feriâ ſtationem ſolemniter celebraverat. Sextâ igitur feriâ, lætus atque ſecurus feſtinabat cum Martyribus in Paradiſo Dei ſtationem ſolvere.* Iſidorus, quem Rabanus ſecutus eſt. Tertulliani verbis cap. ult. De Oratione, & cap. 10. De jejuniis, imperitè utitur. Quique apud eum differentiam jejunium inter & ſtationem aſſerere satagunt, commiſcent omnia. Nam apud Tertullianum in libro de jejuniis cap. 2. 10. & 13. Catholici dicunt; Exceptis Quadrageſimalibus, cætera jejunia, & ſtationes indifferenter celebrari debere; non ex imperio novæ Montaniſtarum diſciplinæ, ſed ex arbitrio uniuſcujuſque Chriſtiani pro temporibus & cauſſis, aut ex mandato Epiſcopi pro Eccleſiaſticis neceſſitatibus; illi ita ſumunt, quaſi *jejunium ſit indifferenter cujuſlibet diei abſtinentia, non ſecundùm legem, ſed ſecundùm propriam voluntatem: ſtatio autem obſervatio ſtatutorum dierum vel temporum, ut quarta feria & ſexta,* Paſchalis jejunii, & *Quadrageſima, ut quarti, quinti, ſeptimi, & decimi menſis.* COT.

1. *Jejunium plenum acceptumque Deo &c. verum jejunium.* Idem Patres paſſim: Origenes Homil. 10. in Leviticum; Athanaſius de virginitate; Baſilius Hom. de jejunio, qui [illegible] nuncupat; Chryſoſtomus Hom. 8. in cap. 1. Geneſ. Hieronymus II. adversùs Jovinianum 11. Paulinus ad Celantiam; Auguſtinus Tractatu 17. in Johannem, citatus etiam à Gratiano de Conſecratione Diſt. 5. c. 25. ubi appellat jejunium magnum, generale, ac perfectum. Idem aliis in locis; & cæteri, ſæpè. Præclarè Theodorus Studita Serm. Catechet. 54. [illegible], ibid.

2. Lam. *leve enim jejunium tale eſt.* OXON.

3. Bod. *præceptis ejus*, ibid.

4. MSS. *facere deberet*, ibid.

5. MSS. *diſputare*, ibid.

6. MSS. *formoſior foſſa*, ibid.

7. Lam. *foſſam*, ibid.

8. MSS. *validiſſimo*, ibid.

9. MSS. *paucos*, ibid.

10. *Paterfamilias miſit de cœna ſua ſervo illi cibos complures.* Mittit cibos de cœna, tamquam eſſet caro; ad cœnam non admittit, nondum, ſcilicet, libertate donandum. Habebant quippe hoc moris, ut etiam per honorem communis menſæ manumitterent. Caius libro Inſtitutionum Tit. 1. ubi de tribus generibus libertorum; Civibus Romanis, Latinis, ac Dedititiis; *Latini ſunt, qui aut per Epiſtolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.* Hinc lux Tertulliani verbis in lib. de reſurrectione carnis cap. 57. *Oro te, ſi famulum tuum libertate mutaveris; quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis & compedibus & ſtigmatibus obnoxiæ retrò fuerant; idcircone illa eadem pati oportebit? Non opinor. Atquin & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, menſaque honoratur.* Ac de manumiſſione per menſam legendi præterea Theophilus Antecessor lib. 1. tit. 5. & Papianus tit. 44. necnon Epiſtolæ ad Paulum Samoſatenſem Auctor, quem vulgò putant eſſe Dionyſium Alexandrinum, Reſponſione ad Propoſitionem. 7. COT.

11. Lam. *ſufficeret.* OXON.

12. MSS. *acquiras.* Ibid.

13. Lam. *ſi igitur ſervaveris.*

14. *Illo die quo jejunabis, nihil omnino guſtabis, niſi panem & aquam.* Paſtor Angelus pœnitentiæ, Hermæ, ſub ſua poteſtate conſtituto præcipit Xerophagiæ maximè auſterum genus, jejunia (ut cum S. Hieronymo loquar Epiſt. 2.) fortiſſimum, aquam & panem. *Paſtum & potum pura noſſe*, ait Tertullianus de

nihil omnino guſtabis, niſi panem & aquam; & 1 computatâ quantitate 2 cibi, quem cæteris diebus comeſturus, ſumptum diei illius quem facturus eras, 3 repones, & dabis viduæ, pupillo, aut inopi; & ſic conſummabis humilitatem animæ tuæ, ut qui ex eo acceperit, ſatiet animam ſuam, & pro te adeat Dominum Deum oratio ejus. Si igitur ſic conſummaveris jejunium tuum, quemadmodum præcipio tibi; erit hoſtia tua accepta Domino, & ſcribetur hoc jejunium tuum. Hæc ſtatio ſic acta, eſt bona, hilaris, & accepta à Domino. Hæc tu ſi ſervâris cum liberis tuis, & tota domo tua; cuſtoditis his, 4 felix eris. Et quicumque hæc audita cuſtodierint, felices erunt; & quidquid petierint à Domino, obtinebunt.

IV. Et 5 precatus ſum eum, ut mihi explanaret hanc Similitudinem de fundo, & domino, ac vineâ, & ſervo qui depalaverat vineam, & herbis quæ extractæ de vinea erant, & de filio, & de amicis, quos in conſilio adhibuerat. Intellexi enim, eſſe illud Similitudinem. Ait mihi: Valde audax es ad interrogandum. Nihil enim debes interrogare. Nam ſi oportuerit demonſtrari, demonſtrabitur tibi. Dico ei: Domine, quæcumque oſtenderis mihi, nec declaraveris; fruſtra videro illa, ſi non intellexero quidnam ſint; & Similitudines ſi quas 6 propoſueris, & non expoſueris; fruſtra audiero eas. Reſpondit mihi rurſus, dicens: Quicumque Dei ſervus eſt, 7 Dominumque habet in præcordiis ſuis; petit ab eo intellectum, & obtinet; & omnem ſimilitudinem explicat, & intelligit verba Domini, quæ 8 inquiſitione egent: quicumque verò inertes ſunt, & pigri ad orandum; illi dubitant petere à Domino; cùm ſit Dominus tam profundæ bonitatis, ut petentibus à ſe, 9 cuncta ſine intermiſſione tribuat. Tu ergo, qui confirmatus es ab 10 illius Nuncio, & accepiſti orationem tam potentem, cùm piger non ſis; cur jam à Domino intellectum non petis, & accipis? Dico ei: Cùm te præſentem habeam, neceſſe eſt ut à te petam, & interrogem; tu enim omnia mihi oſtendis, & loqueris: cùm ades. Nam ſi ſine te ea viderem, vel audirem; tunc Dominum rogarem, ut 11 oſtenderet mihi.

V. Et reſpondit: Dixeram tibi paulò antè, callidum te eſſe & audacem, qui ſolutiones Similitudinum interroges. Sed 12 quia ita es pertinax; ſolvam tibi hanc quam deſideras Similitudinem, ut omnibus notam facias eam. Audi nunc, inquit, & percipe animo. Orbem terrarum fundus ille ſignificat, qui in Similitudinem eſt poſitus. Dominus autem fundi, demonſtratur eſſe is qui creavit cuncta, & conſummavit, & virtutem illis dedit. Filius autem Spiritus ſanctus eſt. 13 Servus verò ille, Filius Dei eſt. Vinea autem, populus eſt, quem ſervat ipſe. Pali verò, Nuncii ſunt, qui à Domino præpoſiti ſunt ad continendum populum ejus. Herbæ autem quæ evulſæ ſunt de vinea, admiſſa ſunt ſervorum Dei. Cibi verò quos de cœna miſit illi, mandata ſunt quæ per Filium dedit populo ſuo. Amici autem illi quos in conſilio advocavit, 14 Angeli ſunt ſancti, quos primò creavit. Abſentia verò illius patrisfamilias tempus quod in adventum ejus reſtat. Dico ei: Domine, magnificè & mirè omnia hæc ſe habent, atque honeſtè: numquid ergo, Domine, inquam, hæc poteram intelligere? Ne quidem quiſpiam præterea homo, tametſi valde prudens ſit, poterit intelligere ea. Sed nunc mihi demonſtra, Domine, quod quæro. 15 Quære, quod vis, inquit. Quare, inquam, Filius Dei in Similitudine hac, ſervili loco ponitur?

VI. Audi, inquit: In ſervili conditione non ponitur Filius Dei, ſed in 16 magna poteſtate & imperio. Ei dixi: Quo modo, inquam, Domine? Non intelligo. Quoniam, inquit, eis quos Filio ſuo tradidit, Filius ejus, Nuncios præpoſuit, ad 17 conſervandos ſingulos. Ipſe autem plurimùm laboravit, plurimumque perpeſſus eſt, ut aboleret delicta eorum. Nulla enim vinea poteſt fodi ſine labore ac dolore. Deletis igitur peccatis populi ſui; ipſe eiſdem monſtravit itinera vitæ, datâ eis lege, quàm à patre acceperat. Vides igitur, eſſe Dominum populi, acceptâ à Patre ſuo omni poteſtate? Quare autem Dominus in conſilio adhibuerit Filium de hæreditate, 18 & bonos Angelos? Quia Nuncius audit illum Spiritum ſanctum, qui infuſus eſt omnium primus 19 in corpore, in quo habitaret Deus. Collocavit enim eum intellectus in corpore, ut ei videbatur. Hoc ergo corpus, in 20 quod inductus eſt Spiritus ſanctus, ſervivit illi Spiritui; rectè in modeſtia ambulans & caſtè, neque omnino maculavit Spiritum illum. Cùm igitur corpus illud paruiſſet omni tempore Spiritui ſancto, recteque & caſtè laboraſſet cum eo, nec ſuccubuiſſet in omni tempore; fatigatum corpus illud, ſerviliter converſatum eſt, ſed fortiter cum Spiritu ſancto comprobatum Deo receptum eſt. Placuit igitur Deo hujuſmodi potens curſus, quia maculatus non eſſet in terra, poſſidens in ſe Spiritum ſanctum in conſilio. Advocavit ergo Filium, & Nuncios 21 bonos, ut & huic ſcilicet corpori, quod ſervivit Spiritui ſancto ſine querela, locus aliquis conſiſtendi daretur, ne videretur mercedem ſervituris ſuæ perdidiſſe. Accipiet enim mercedem omne corpus purum ac ſine macula repertum, in quo habitandi gratiâ conſtitutus fuerit Spiritus ſanctus. Habes & hujus Similitudinis expoſitionem.

VII. Percepi, inquam, Domine, tuam voluntatem, audita hac expoſitione. Audi ulteriùs, inquit. Corpus hoc tuum cuſtodi mundum, atque purum; ut Spiritus

pœnitentia cap. 9. Et cap. 13. De patientia; *Contenta ſimplici pabulo, parcaque aqua potu.* Qui & libro de jejuniis cap. 9. & 13. hujuſmodi jejunii mentionem facit, appellatque Xerophagiam. Hilario in Pſalm. LXIV. verſ. 2. dicitur ſiccus panis cibus. Caſſiano lib. 5. de Inſtitutis Cœnobiorum cap. 9. Sicci panis refectio. Socrates Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 22. *τινὲς δὲ καὶ ξηροῦ ἄρτου μόνου μεταλαμβάνουσι. Quidam ſicco dumtaxat pane veſcuntur.* Pœnitentibus autem injunctas fuiſſe Xerophagias, ex Tertulliani libro de pœnitentia & ex multis Canonibus conſtat. COT.

1. *Et computatâ quantitate cibi.* Nihil frequentiùs inculcant ſancti Patres, quàm præclaram hanc jejunii cum Eleemoſyna conſociationem. Lege ſi cupis non modo animum elegantibus dictis paſcere, ſed & animam ſalubribus præceptis ſaginare; lege, inquam, præcipuè Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 5. cap. 1. & ult. verum Origenem Hom. 10. in Leviticum; falſum Origenem Hom. 4. In Diverſos; Auctorem Operis imperfecti in Matthæi Evangelium, qui olim putabatur eſſe Chryſoſtomus, ad XX. 3. Ambroſium Serm. 26. De Tempore; Hieronymum ad Iſaiæ LVIII. 7. Auguſtinum Serm. 78 De tempore, ac 68 De Diverſis; Leonem Serm. ult. Chryſologum Serm. 8. Theodulfum in Capitulari cap. 38. & Ratherium Serm. 1. de Quadrageſima cap. 7. Cæterum Tertullianus in lib. de jejuniis capite 13. dum Montaniſtarum ſomniis irretitus Pſychicos ſuos, uti ſolet, acriùs quam par ſit inſectatur, pium Chriſtianorum morem indicat, largiùs Eleemoſynam faciendi diebus jejunii; *Bene autem quòd & Epiſcopi univerſæ plebi mandare jejunia aſſolent; non dico de induſtria ſtipium conferendarum, ut veſtra captura eſt; ſed interdum & ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſſa.* Sexti Philoſophi Sententia 259. ita habet; *Pro reficiendo paupere, etiam jejunare bonum eſt.* Ibid.

2. Lam. *cibi, cæteris diebus ova comeſturus.* OXON.
3. Lam. *reponens, dabis.* Ibid.
4. Alii, *ſalvus.* Ibid.
5. MSS. *deprecatus.* Ibid.
6. Lam. *expoſueris, & non abſolveris.* Ibid.
7. Lam. *Dominum quem.* Ibid.
8. MSS. *quæſtionem ferunt.* Ibid.
9. Lam. *cunctis.* Ibid.
10. MSS. *illo venerabili.* Ibid.
11. Lam. *demonſtraretur.* Bod. *demonſtraret.* Ibid.
12. Lam. *quamvis.* Ibid.
13. Cum nuntius pœnitentiæ per Vinitorem, Dominum noſtrum deſignaſſet, ſimilitudine tracta ab Eſaiæ 5. & 42. & pariter Deum Patrem, villæ poſſeſſorem & fundi patronum ſtatuiſſet, tertio in loco Spiritum ſanctum, Filii familias perſonam ſuſtinere, commodum duxit. Et quidem S. literæ in negotio regiminis Eccleſiæ, promiſcuè utuntur nominibus Filii & Spiritus ſancti. Vid. Matth. 28. 20. & Joh. 14. 16. Ibid.
14. MSS. *nuntii.* Ibid.
15. MSS. *Dic, ſi quid vis.* Ibid.
16. MSS. *magnam poteſtatem & imperium.* Ibid.
17. Lam. *confirmandos.* Ibid.
18. Bod. *honeſtoſque.* Ibid.
19. Lam. *corpore quod ei videbatur. Hoc ergo corpus in quo habitaret Deus, collocavit intellectus ſcilicet corpore quod ei videbatur.* Ibid.
20. MSS. *in quo deductus.* Ibid.
21. Bod. *honeſtos.* OXON.

ille, qui inhabitabit in eo, teſtimonium referat illi, & tecum fuiſſe judicetur. Atque etiam vide, ne quando perſuadeatur tibi, interire corpus hoc, & abutaris eo in libidine aliqua. Si enim corpus tuum maculaveris, maculabis etiam eodem tempore & Spiritum ſanctum; &, ſi maculaveris [1] corpus tuum, non vives. Et dixi: Quid ſi per ignorantiam [2] id admiſſum eſt, antequam audirentur verba hæc? Quo pacto aſſequitur ſalutem, is qui maculavit corpus ſuum? Prioribus, inquit, rebus, qui per ignorantiam admiſerunt, remedium tribuere ſolus Deus poteſt: ejus omnis eſt poteſtas. Sed nunc cuſtodi te: & cùm ſit Dominus omnipotens & miſericors, prioribus admiſſis remedium dabit, ſi futurum non maculaveris corpus tuum, & ſpiritum. Conſortes ſunt enim ambo, & alteruter ſine altero non coinquinatur. Utrumque ergo ſerva mundum; & vives Deo.

SIMILITUDO VI.

De duplici genere hominum voluptariorum, & eorum morte, defectione, & pœnarum duratione.

I. CUm ſederem domi, & glorificarem Dominum pro omnibus quæ videram, & de Mandatis [3] cogitarem, ea valde bona eſſe, & magna, & honeſta, ac læta, & quæ poſſint ſalutem hominum afferre; intra me ipſum hæc dicebam: Felix ero, ſi in his Mandatis ambulavero; & quicumque in his ambulaverit, vivet Deo. Dum hæc loquerer mecum, video [4] eum quem & priùs, ſedentem juxta me, & hæc mihi dicentem: Quid dubitas de Mandatis meis, quæ tibi præcepi? Bona ſunt, nihil omnino dubitaveris; ſed indue fidem Domini, & ambulabis in eis. Ego enim, in illis, dabo tibi vires. Hæc Mandata utilia ſunt his, qui delictorum ſuorum antè geſtorum acturi ſunt pœnitentiam, ſi in futurum iis ambulaverint. Quicumque igitur agitis pœnitentiam, abjicite à vobis nequitiam hujus ſæculi. Induite verò omnem virtutem, & æquitatem, & poteritis cuſtodire hæc Mandata: neque [5] deinceps peccetis. Si enim deinceps non peccaveritis; plurimùm ex prioribus recidetis. In Mandatis meis ambulate, & vivetis Deo. Hæc à me dicta ſunt vobis. Poſtquam hæc mecum locutus eſt, ait mihi: Eamus in agrum, & [6] paſtores pecorum tibi oſtendam. Eamus, inquam, Domine. Et venimus in quemdam campum: & illic oſtendit mihi juvenem paſtorem, [7] veſtitum ſyntheſim, veſtimentorum colore coccineo. Paſcebat autem pecora copioſa; & pecora illa velut in voluptatibus erant, & in plurimis deliciis; & hilaritate exſultabant, & exſultantia diſcurrebant huc atque illuc. Et ipſe paſtor vehementem ex grege ſuo percipiebat voluptatem, & vultus paſtoris illius valde hilaris erat, inter pecora diſcurrentis.

II. Ait mihi Angelus: Vides autem hunc paſtorem? Video, inquam, Domine. Et dixit mihi: Hic Nuncius [8] illecebrarum, dulcedinis ac voluptatis eſt. Hic ergo corrumpit mentes ſervorum Dei, & avertit eos à veritate, oblectans cupiditatibus, & pereunt. Obliviſcuntur enim mandata Dei vivi, & in luxuriis converſantur & deliciis vanis; & corrumpuntur ab hoc Nuncio malo aliqui uſque ad mortem, aliqui verò uſque ad defectionem. Dico ei: Domine, non intelligo quid ſit *ad mortem*, & quid *ad defectionem*. Audi, inquit: Quæcumque pecora vidiſti valde læta & exſultantia; ii ſunt qui [9] in perpetuum à Deo diſceſſerunt, & tradiderunt ſe deſideriis hujus ſæculi. Iis ergo non eſt per pœnitentiam regreſſus ad vitam; quoniam quidem adjecerunt ad reliqua delicta ſua, & nomen Domini nefandis [10] infectati ſunt verbis. Hujuſmodi homines morti ſunt deſtinati. Quæ verò vidiſti pecora non exſultantia, ſed uno loco veſcentia; ii ſunt qui tradiderunt ſe quidem deliciis ac voluptatibus, nihil verò nefandum in Dominum locuti ſunt. Hi igitur [11] non defecerunt à veritate; ideoque repoſitam adhuc habent ſpem vitæ in pœnitentia. Defectio enim habet ſpem aliquam redintegrationis; mors verò perpetuo tenetur interitu. Rurſum progreſſi ſumus paululum; & oſtendit mihi paſtorem magnum, & velut agreſtem figuram habentem, amictum pelle alba caprina, peram geſtantem in humero, & manu virgam nodoſam & valde [12] duram, & flagellum in manu; aſpectum autem trucem & ſævum habebat, ut poſſet [13] terrere aliquos; talis erat aſpectus ejus. Hic ergo accipiebat ab illo juvene paſtore ea pecora, quæ delicias quidem agebant, ſed non exſultabant; & compellebat ea in præcipitem locum quemdam, ac ſpinoſum, tribuliſque confertum; uſque adeo ut de ſpinis & tribulis ſe non poſſent explicare; ſed implicita ibi [14] paſcebantur ſpinis & tribulis; & graves cruciatus experiebantur ex verbis ejus; agebat enim ea, & nec conſiſtendi eis locum [15] ante tempus permittebat.

III. Cùm viderem ergo ſic ea flagellari, & miſerias experiri; dolebam pro eis, quia valde cruciabantur, nec ulla requies eis dabatur. Dico ad Paſtorem illum qui erat mecum. Quis eſt, Domine, hic paſtor tam implacabilis, & tam amarus, qui nullo modo [16] miſeratione movetur adverſùs hæc pecora? Hic, inquit, Paſtor [17] juſtis quidem Nuncius eſt, ſed præpoſitus pœnæ. Huic ergo traduntur, qui à Deo aberraverunt & ſervierunt deſideriis ac voluptatibus ſæculi hujus. Punit ergo eos, ſicut meruit unuſquiſque eorum, ſævis variiſque pœnis. Vellem, inquam, noſſe, Domine, varias has pœnas, cujuſmodi ſunt. Audi, inquit: Variæ pœnæ, atque tormenta hæc ſunt, quæ homines quotidie in vita ſua patiuntur. Alii enim [18] detrimenta patiuntur, alii inopiam, alii diverſas acrimonias: quidam inconſtantiam; alii injurias ab indignis patientes, [19] multaque alia exercitia & incommoda. Plurimi enim inconſtanti conſilio multa conantur, nec quidquam [20] conducit eis, & dicunt in actibus ſuis ſucceſſum ſe non habere. Succurrunt iis ea, quæ nequiter fecerunt & Dominum cauſſantur. Cùm igitur perpeſſi fuerint omnem vexationem, & omne incommodum; tunc traduntur mihi ad bonam admonitionem, & firmantur in fide Domini, & per reliquos dies vitæ ſerviunt Domino, mente pura. Et cùm cœperint delictorum agere pœnitentiam, tunc aſcendunt in præcordia eorum opera ſua, in quibus ſe nequiter [21] exercuerunt; & tunc dant Deo honorem, dicentes, juſtum judicem eum eſſe, meritoque ſe omnia eſſe [22] perpeſſos ſecundùm facta ſua. [23] In reliquum verò ſerviunt Deo mente pura, & ſucceſſum habent in negotiis ſuis omnibus, accipientes à Domino quæcumque poſcunt. Et tunc gratias agunt Domino, quòd ſibi mihi traditi; nec jam quidquam [24] crudelitatis patiuntur.

1. MSS. *Spiritum ſanctum.* Ibid. Falsò, eſt; in Lamb. *corpus tuum.*
2. Bod. *aliquid.* Ibid.
3. MSS. *diſputarem.* Ibid.
4. MSS. *eum ſedentem* Ibid.
5. Alii, *poſt hac adjicietis. Nihil enim adjicientes.* Ibid.
6. *Paſtores pecorum tibi oſtendam.* Quia hiſce in Viſionibus multi Paſtores apparent, ea propter Hermæ Opus Origenes appellat librum de Paſtoribus III. περὶ ἀρχῶν 2. COTEL.
7. *Veſtitum Syntheſim.* Rectè Paſtori Angelo illecebrarum, dulcedinis ac voluptatis, datur Syntheſis coccinea, quam nemo neſcit veſtem fuiſſe precioſam, elegantem, cœnatoriam, indicem lætitiæ, atque à mollioribus ſolitam indui. Ibid.
8. MSS. *non habent, illecebrarum.* Ibid.
9. Lam. *perpetuo.* Ibid.
10. MSS. *inſecuti.* Ibid.
11. MSS. *delent non.* Ibid.
12. Lam. *durum flagellum.* Ibid.
13. Alii, *exhorrere aliquos.* Ibid.
14. MSS. *paſcerentur.* Ibid.
15. Bod & Lam. *aut* Ibid.
16. MSS. deeſt, *miſeratione.* Ibid.
17. MSS. *detrimentur, patiuntur, alii inopiâ, alii diverſis agrimoniis.* Ibid.
18. Alii, *multaque alia exercitia & incommoda. Plurimi,* Ibid.
19. MSS. *proveniunt.* Ibid.
20. MSS. *geſſerunt.* Ibid.
21. MSS. *paſſos* Ibid.
22. MSS. addunt poſt *ſuas, ſcilicet quiſque eorum.* Ibid.
23. Bod. *crudele.* Ibid.

IV. Dico illi: Etiam nunc, Domine, demonſtra mihi. Quid inquiris? inquit. Dixi ei: An per idem tempus cruciantur, qui diſcedunt à timore Dei, quantùm uſi fuerint falsâ dulcedine ac voluptatibus? Ait mihi: Per idem tempus etiam cruciantur. Et dixi ei: Exiguum igitur cruciantur: oportebat autem eos qui ſic percipiunt voluptates, ut Dominum obliviſcantur, ſepties tantum pati pœnarum. Ait mihi: Fatuus es, nec intelligis hujus pœnæ virtutem. Et dixi: Si enim intelligerem, Domine, non interrogarem ut demonſtrares mihi. Audi, inquit, quanta ſit vis utriuſque dulcedinis ac voluptatis. 1 Dulcedinis una hora, ſuo ſpatio terminatur: 2 pœnæ verò una hora triginta dierum vim poſſidet. Quicumque igitur uno die perceperit 3 fallacem dulcedinem ac voluptatem, 4 unoque die cruciatus ſit, anni ſpatium dies cruciatus ejus valebit. Ita, quot dies perceperit quiſque voluptatem, totidem annis cruciatur. Vides igitur, inquit, exiguum eſſe tempus 5 mundanæ dulcedinis ac voluptatis; pœnæ verò, tormentorumque amplius.

V. Dixi ei: Domine, quoniam non intelligo omnia tempora hæc dulcedinis, voluptatis, ac pœnæ; lucidiùs mihi de his expone. Reſpondit mihi, dicens: 6 Inſipientia tua tibi perſeveranter inhæret. Nonne vis potiùs mentem tuam purificare, & Deo ſervire? Vide ne fortè tempore exacto, tu inſipiens reperiaris. Audi nunc, quemadmodum vis, quò faciliùs intelligas. Qui uno die commiſerit ſe deliciis ac voluptatibus, & fecerit quidquid appetit animus ejus; plurimâ repletur ſtultitiâ, nec intelligit quid admittat, ac die poſtero obliviſcitur quid fecerit pridie; dulcedo enim & voluptas 7 nullam memoriam habent, propter ſtultitiam quæ inſita eſt illis. Cùm verò uno die acceſſerit homini cruciatus ac pœna, toto anno torquetur: magnam enim memoriam poſſidet pœna. Toto igitur anno dolens meminit; & tunc recordatur dulcedinis illius 8 vanæ, ac voluptatis; & ſentit propterea ſe pœnas pati. Quicumque igitur ſe dulcedini & voluptati tradiderint, ſic 9 puniuntur; quoniam vitam habentes, ipſi ſe reddunt obnoxios morti. Dixi ei: Quæ ſunt, Domine, voluptates noxiæ? Omni, inquit, homini voluptas eſt, quodcumque libenter facit. Etenim iracundus ſatisfaciens moribus ſuis, percipit voluptatem ſuam; & adulter, & ebrioſus, & 10 detractor, & mendax, & cupidus, & fraudator, & quicumque ſit ſimile aliquid admittit, morbo ſuo parens, percipit ex ea re voluptatem. Hæ omnes dulcedines ac voluptates, noxiæ ſunt ſervis Dei. Propter has itaque cruciantur & patiuntur pœnas. Sunt enim voluptates ſalutem hominibus afferentes. Multi enim opera bonitatis facientes, percipiunt voluptatem, dulcedine ſuâ tracti. Hæc ergo voluptas utilis eſt ſervis Dei, & vitam parat hujuſmodi hominibus. Illæ verò noxiæ, quæ ſuprà dictæ ſunt, tormenta & pœnas pariunt. Quicumque verò permanſerint 10 illis, nec admiſſorum ſuorum egerint pœnitentiam, mortem ſibi acquirent.

SIMILITUDO VII.

Pœnitentibus faciendos eſſe pœnitentiæ dignos fructus.

POſt dies paucos video illum in eo campo, in quo 11 paſtores illos antè videram; & ait mihi: Quid inquiris? Veni, inquam, rogare te, Domine, ut Paſtorem illum præpoſitum pœnæ jubeas de mea domo exire, quia vehementer me affligit. Et reſpondens: Neceſſe eſt, inquit, 12 patiaris incommoda & vexationes: ſic enim præcepit de te ille Nuncius 13 bonus, quia tentare te vult. Quod, inquam, Domine, tam grave peccatum admiſi, ut huic Nuncio traderer? Adverte, inquit. Complura quidem habes peccata; ſed non tam multa, ut huic Nuncio debeas tradi; ſed multa delicta & ſcelera, domus tua commiſit: ideoque facta eorum ille bonus Nuncius exacerbatus, juſſit te aliquantùm temporis vexationem experiri: ut & illi admiſſorum ſuorum agant pœnitentiam, & abluant ſe ab omni cupiditate hujus ſæculi. Cùm itaque egerint pœnitentiam, & purificati fuerint; tunc diſcedet à te Nuncius ille, qui præpoſitus eſt pœnæ. Dico ei: Domine, ſi ita illi ſe geſſerunt, ut exaſperarint Nuncium bonum; ego quid feci? Reſpondens: Aliter, inquit, non poſſunt illi vexationem pati, niſi tu, qui caput es totius domus, labores. Quidquid enim tu paſſus fueris, neceſſe eſt ut & illi ſentiant: quamdiu verò tu benè ſtabilitus fueris, illi nullam vexationem poſſunt experiri. Et dixi: Sed ecce jam nunc, Domine, agunt pœnitentiam totis præcordiis. Et ego ſcio, inquit, totis præcordiis eos agere pœnitentiam. Numquid ergo, ait, protinus putas aboleri del qui aguntaicta eorum, pœnitentiam. Numquid ergo, ait, protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt pœnitentiam? Non proinde continuò; ſed oportet eum qui agit pœnitentiam, 14 affligere animam ſuam, & humilem animosè 15 præſtare in omni negotio, & vexationes multas variaſque perferre; cumque perpeſſus fuerit omnia quæ 16 illi inſtituta fuerint, tunc forſitan qui 17 eum creavit, & qui formavit univerſa, commovebitur erga eum clementiâ ſuâ, & aliquod remedium dabit; idque ita, ſi viderit ejus qui pœnitentiam agit, cor purum eſſe ab omni opere nequiſſimo. Tibi autem, & domui tuæ, vexari nunc expedit, & multam vexationem pati neceſſe eſt, ſicut præcepit Nuncius Domini, qui te mihi tradidit. Quin potiùs gratias agas Domino, quòd præſcius futuri, 18 dignum te habuit, cui prædiceret tribulationem inſtare valentibus eam ſuſtinere. Dico ei: Et tu Domine, mecum eſto, & facilè omnem vexationem ſuſtinebo. Ego, inquit, ero tecum: ſed & rogabo Nuncium illum, qui præpoſitus eſt pœnæ, ut leviùs te affligat; ſed & exiguo tempore patieris adverſa, iterumque tuo loco reſtitueris; tantummodò in humilitate animi perſevera. Pare Domino, mente pura, domuſque tua, 19 ac nati, & in 20 mandatis ejus ambula quæ præcepit tibi; & pœnitentia tua poterit eſſe firma, atque pura. Et ſi hæc cuſtodieris cum domo tua, incommoda à te recedent: ſed & ab omnibus quicumque in his mandatis ambulaverint, omnis vexatio recedet.

SIMILITUDO VIII.

Electorum, & pœnitentium peccatorum multa ſunt genera: omnes autem, pro pœnitentia & bonorum operum ſuorum modo, habebunt mercedem.

I. OStendit mihi ſalicem tegentem campos ac montes, ſub cujus umbram venerunt omnes qui vocati erant in nomine Domini. Et juxta ſalicem illam ſtabat Nuncius Domini valde præclarus & ſublimis; & ſecabat cum falce magna, 21 ab illa ſalice ramos; & populo illi qui erat ſub umbra ſalicis illius, exiguas & quaſi cubitales virgas porrigebat. Poſtquam autem accepiſſent univerſi, depoſuit falcem; & arbor illa inte-

1. MSS. deeſt, *dulcedinis*. ibid.
2. Lam. *pœna verò unius horæ*. ibid.
3. Lam. deeſt, *fallacem*. ibid.
4. Alii, *ſi uno*. ibid.
5. Lam. deeſt, *mundana*. ibid.
6. MSS. *ſtultitia*, & paulo poſt, *ſtultus*. ibid.
7. Alii addunt, *mundana*. ibid.
8. MSS. deeſt, *vana* ibid.
9. Lam. *patiuntur*. ibid.
10. MSS. *infamator*. ibid.
11. Lam. *paſtorem illum videram*. ibid.

12. Lam. *ut incommoda & vexationes ſint*. ibid.
13. Bod. *honeſtus*, ut & infra. ibid.
14. MSS. *cruciare*. OXON.
15. Bod. *gerere*. Lam. *habere*. ibid.
16. Lam. *quæ inſtituerit*. ibid.
17. Lam. *qui creavit omnia, & confirmavit univerſa*. ibid.
18. MSS. *quod dignum te habuit, cum prædicaret incommodum tibi inſtare valenti id ſuſtinere præſcius futuri*. ibid.
19. Lam. deeſt, *ac nati*. ibid.
20. MSS. *mandatis meis ambula, quæ præcepi*. ibid.
21. Lam. *de ea*. ibid.

gra permanſit, ſicut anteà videram eam: 1 quam ego aem mirabar, atque intra me 2 diſputabam. Ait ad me Paſtor ille: Deſine mirari, quòd arbor illa 3 tota ramis præciſis permanſerit integra; ſed exſpecta, nunc demonſtrabitur tibi quid ſignificer Angelus ille, qui populo porrexit virgas. Et rurſos eas ab illis 4 repoſcit: & quo quiſque eas perceperat ordine, eodem etiam vocabatur ad illum, virgaſque reddebat; quas cùm acceperat ille, conſiderabat. A quibuſdam enim accipiebat aridas & putridas, velut à tinea tactas: & jubebar eos qui hujuſmodi virgas tradiderant, ſecerni, & ſeorſum ſtatui. Alii porrigebant ſemiaridas virgas: & hi quoque ſeorſum ſtatuebantur. Quidam autem dabant virgas ſuas ſemiaridas, & ſciſſuras habentes; & hi ſeorſum ſtatuebantur. Alii virgas ſuas afferebant; quarum dimidia pars arida erat, 5 dimidia verò viridis: & hi ſeorſum ſtatuebantur. Alii virgas ſuas afferebant; quarum duæ partes virides erant, tertia verò arida; & hi ſeorſum ſtatuebantur. Quidam porrigebant virgas ſuas 6 paululum aridas (exiguiſſimum enim aridum erat in virgis eorum, id eſt, 7 ipſum cacumen) ſciſſuras verò habebant: & hi ſeorſum ſtatuebantur. Aliorum autem in virgis, exiguum erat viride, reliquum verò aridum: & hi ſeorſum ſtatuebantur. Alii veniebant afferentes virgas ſuas ſicut acceperant virides; maximaque pars populi hujuſmodi virgas porrigebat: & magnum ex his Nuncius ille gaudium cepit: & hi ſeorſum ſtatuebantur. Alii afferebant virgas ſuas virides, & pampinos habentes: & hi ſeorſum ſtatuebantur: & hos quoque Nuncius ille 8 magna cum hilaritate excipiebat. Alii afferebant virgas ſuas virides, ex quibus excreverant pampini 9 earum; qui pampini 10 quoſdam fructus adferebant: qui hujuſmodi virgas porrigebant, valde hilares erant vultu: ſed & Nuncius ipſe quidem ex eis magnam lætitiam percipiebat; nec minùs Paſtor ille ex eadem cauſa hilaritatem capiebat.

II. Tunc Nuncius Domini coronas juſſit adferri. Allatæ ſunt autem coronæ velut ex palmis factæ; & coronavit eos viros Nuncius, in quorum virgis 11 pampinos invenerat, & fructum; & juſſit eos ire in turrim. Sed & illos viros miſit in turrim, in quorum virgis 12 ſine fructu invenerat pampinos, dato eis ſigillo. Nam veſtem eamdem habebant, id eſt, candidam ſicut nivem; cum 13 qua jubebat ipſos ire in turrim. Nec minùs & eos qui reddiderant virgas ſuas ſicuti acceperant virides, data eis veſte candida, & ſic eos dimiſit ire in turrim. His conſummatis, ait ad Paſtoremillum: Ego vado, tu verò dimitte hos intra muros, in eo loco quo quiſque meruit habitare, conſideratis priùs virgis eorum diligenter: tamen ne quis te fallat, conſidera. Sad ſi qnis te prætererit, inquit, ego eos ſuper aram probabo. His ad Paſtorem dictis, receſſit. Poſtquam ille diſceſſerat; ait mihi Paſtor; Accipiamus ab omnibus virgas; & plantemus illas, ſi poſſint 14 tevireſcere. Dico ei: Domine, iſtæ quæ ſunt aridæ virgæ, quo modu poſſunt revireſcere? Ait mihi: 15 Arbor iſta ſalix eſt, & ſemper amat vitam. Si plantatæ ergo fuerint hæ virgæ, exiguumque 16 humoris acceperint, plurimæ ex eis 17 teyireſcent. Tentabo enim, & 18 ſuffundam eis aquam: & ſi qua earum potuerit vivere, gratulabor ei: quòd ſi non; certò non videbor ego negligens fuiſſe. Juſſit deinde me vocare eos. Et ſicut ſteterunt quiſque eorum, venerunt ordine ſuo, virgaſque ſuas tradiderunt. Quas acceptas, ille ſingulas plantavit ordinibus ſuis: & poſtquam plantaſſet omnes, aquam multam 19 ſupereffudit illis; ita ut tegerentur ab aqua, neque ab ea exſtarent. Deinde cùm irrigaſſet illas, ait mihi: Eamus; & poſt paucos dies revertamur, & viſitemus eas. Qui creavit enim hanc arborem, vivere vult omnes eos, qui ex acceperunt virgas. Ego autem ſpero, cùm ſint 20 aquâ ſuperinfuſæ hæ virgæ, plurimas victuras 21 humore capto.

III. Dico ei: Arbor hæc, Domine, demonſtra mihi quid ſit: valde enim moveor, quòd tot ramis 22 reciſis integra videatur eſſe, nec omnino quidquam de ea minus videtur eſſe: quo 23 maximè ſtupeo. Audi, inquit: Arbor hæc magna, quæ campos tegit ac montes, totamque terram, lex eſt Dei in totum orbem terrarum data. 24 Hac autem lege Filius Dei prædicatus eſt in omnibus finibus orbis terræ. Populi verò ſtantes ſub umbra; ii ſunt qui audierunt prædicationes ejus, & crediderunt. Nuncius autem ille 25 magnificus & bonus, 26 Michaël eſt, qui populi hujus habet poteſtatem, & gubernat eos. Hic enim in corde eorum qui crediderunt, inſerit legem. Viſitat igitur eos quibus dedit legem, ſi eam cuſtodierunt. Videt autem uniuſcujuſque virgam, & ex eis multas labefactas. Illæ enim virgæ, Domini lex ſunt. Cognoſcit autem deinde omnes eos, qui non ſervaverunt legem; ſciens ſedem uniuſcujuſque eorum. Dico ei: Quare, inquam, Domine, alios tibi hic reliquit? Hi, inquit, quicumque ſupergreſſi ſunt legem quam ab eo acceperunt, in mea relicti ſunt poteſtate; ut admiſſorum ſuorum agant pœnitentiam; qui autem ſatisfecerunt legi, & ſervaverunt eam, ſub illius poteſtate ſunt. Qui ſunt ergo, Domine, inquam, in turrim euntes coronati? Ait mihi: Quicumque luctati cum Diabolo, vicerunt eum; illi ſunt coronati. Illi autem ſunt, qui ut ſervarent legem, perpeſſi ſunt 28 iniqua. Illi vero, qui virides virgas, pampinoſque ſine fructu habentes tradiderunt; propter eamdem quidem legem vexationem ſuſtinuerunt, non 29 obierunt autem mortem, ſed nec abnegaverunt ſanctam legem. Hi verò qui virides, ſicut acceperant, tradiderunt; modeſti ſun:, atque juſti, & qui valdo

1. MSS. *quo nomine mirabar*. ibid.
2. Alii, *cogitabam*. ibid.
3. MSS. *tot*. ibid.
4. Lam. *repoſcebat*. ibid.
5. Lam. *alia vero dimidia*. ibid.
6. MSS. *paullò minùs*. ibid.
7. Bod. *ipſum*. Al. *ipſarum*. ibid.
8. Lam. *magna hilaritate capiebat*. ibid.
9. Bod. *earumque pampini*. ibid.
10. Lam. *quendam fructum afferebant: eorum virorum qui hujuſmodi*. ibid.
11. Lam. *pampinorum invenerat fructum*. ibid.
12. Lam. deeſt: *ſine fructu*. ibid.
13. Lam. *quibus jubebat ire*. ibid.
14. Bod. *reviviſcere*. ibid.
15. *Arbor iſta ſalix eſt; & ſemper amat vitam.* S. Hilarius ad Pſalm. CXXXVI. 2. *Lignorum ſalicum natura ea eſt, ut areſacta licèt ſi modo aquis adluantur, vireſcant: deinde excisa atque in humido ſita, radicibus ſeipſa demergant. Et ſub hujus arboris natura ſanctos & fideles ſignificari Prophetica auctoritas eſt*, &c. Hieronymus ad eumdem locum; *Dicitur ſalix radicem non habere. Sed ſi ramus abſcinditur, & plantatur ſecus aquam, ſtatim vireſcit. Ita autem & peccator, licèt peccaverit, licèt ceciderit; tamen ſi ſit ſecus aquas; hoc eſt, ſi legit ſanctas Scripturas, & audit verbum divinum à ſancto viro, viret ejus anima, & in pœnitentiam convertitur:* Origenes Homilia 1. in Ezechielem; *Scriptum eſt in quodam libro, quia ſalignam omnes credentes accipiant coronam.* Vides ſalicem adaptari tum ſanctis, tum pœnitentibus, tum beatis; cur que id fiat. At alibi propter aliam rationem, modò in bonam partem ſumitur, quia ſcilicet infructuoſa arbor eſt, ac ſemen fert ſterilitatem pariens: qua de re conſulantur Origenes in fine Homil. 9. In Exodum; Methodius in Convivio Virginum Orat. 4. Hieronymus loco citato, & ad Iſ. XV. 7. XLIV. 4. & ad Zachar. XIV. 16. Auguſtinus atque Euthymius in Pſalmum CXXXVI. Iſidorus Originum XVII 7. necnon Plinius lib. 16. cap. 26. ac Ælianus IV. de Animalibus 23. *Infructuoſa quidem arbores ſunt ſalices*: verba audis S. Gregorii magni lib. 33. in Job. cap 5. *ſed tamen tanta viriditatis ſunt, ut areſcere, vel abſciſſa radicitus & projecta, vix poſſint. Unde in ſacro Eloquio ſalicum nomine, aliquando pro viriditate boni, aliquando pro ſterilitate reprobi deſignantur*, &c. COT.
16. Lam. *humorem*. OXON.
17. MSS. *reviviſcent*. Ibid.
18. Lam. *offundam*. Ibid.
19. Bod. *ſuffudit*. Lam. *effudit*. Ibid.
20. MSS. *adaquatæ hæ*. Ibid.
21. Lam. *humo receptas*. Bod. *humore percepto*. Ibid.
22. MSS *præciſis*. Ibid.
23. MSS. *nomine*. Ibid.
24. Lam. *Hæc autem lex Filius Dei eſt, prædicatus*. Ibid.
25. MSS. *magnus & honeſtus*. Ibid.
26. *Michael*. Qui conſimili modo apud Nicephorum Hiſtoriæ lib. 7. cap. 50. appellatur ὁ τῶν Χριστιανῶν πίστεως ψεφ●. Chriſtianorum fidei præſes. COT.
27. Lam. *commiſſorum*. OXON.
28. Bod. *injuſta*. Ibid.
29. Lam. *oderunt vero legem*. Ibid.

pura mente vixerunt, & cuſtodierunt mandata Dei. Reliqua autem ſcies, cùm conſideravero illas virgas, quas plantavi & irrigavi.

IV. Poſt paucos verò dies reverſi ſumus, eodemque loco conſedit Nuncius ille magnificos; ego autem adſtiti ei. Tunc ait mihi: [1] Succinge te [2] ſabano, & miniſtra mihi. Succinxi me ſabano mundo, quod erat factum ex ſacco. Ut autem vidit me cinctum, & paratum [3] illi miniſtrare, ait: Voca viros illos, quorum virgæ plantatæ ſunt, ſuo quemque ordine, ſicut porrexerunt illas. Et duxit me in campum; & [4] vocavi omnes; qui etiam univerſi conſtiterunt ordinibus ſuis. Ait deinde ad illos: Quiſque virgam ſuam extrahat, & ad me afferat. Et primò tradiderunt, qui aridas & putridas habuerunt: & quorum putridæ & aridæ repertæ ſunt virgæ, juſſit eos ſtare ſeorſum. Deinde porrexerunt, qui aridas quidem, ſed non putridas habuerunt. Aliqui eorum tradiderunt virgas virides: quidam verò aridas & putridas, velut à tinea tactas. Eos qui virides tradiderunt, juſſit ſeorſum ſtare. Illos verò qui aridas & putridas tradiderunt, cum [5] primis ſtare juſſit. Porrexerunt deinde illi, qui ſemiaridas habuerant, & ſciſſuras habentes; multi ex illis, virides porrexerunt, nec ſciſſuras habentes, quidam verò virides, pampinos habentes, & in pampinis fructum; ſicut illi qui in turrim ierunt coronati. Alii porrexerunt aridas, & non putridas. Quidam verò ſicut fuerant, ſemiaridas, & ſciſſuras habentes. Juſſit unumquemque eorum ſeorſum ſtare, alios ſuo [6] quemque ordine, alios ſeorſum.

V. Deinde porrexerunt, qui habuerant virides quidem virgas, ſed ſciſſuras habentes: hi omnes virides tradiderunt, ſuoque ordine ſteterunt. Gaudium autem ex his percepit hic Paſtor, quòd omnes politæ eſſent, & depoſuiſſent ſciſſuras ſuas. Deinde porrexerunt, qui dimidiam viridem, & dimidiam aridam habuerant; quorumdam verò inventæ ſunt totæ virides; aliorum ſemiaridæ; aliorum virides, & pampinos [7] habentes: hi omnes dimiſſi ſunt, unuſquiſque [8] in ſuum ordinem. Deinde qui habuerant duas partes virgarum ſuarum virides, tertiamque aridam: multi ex eis virides porrexerunt; multi ſemiaridas; cæteri verò aridas & non putridas: hi omnes dimiſſi ſunt in ſuum quiſque ordinem. Deinde porrigebant, qui habuerant in virgis ſuis duas partes aridas, tertiamque viridem; multi quoque ex eis porrexerunt ſemiaridas; quidam verò aridas & putridas; alii autem ſemiaridas, & ſciſſuras habentes; pauci verò virides: hi igitur omnes conſtiterunt, in ſuo quiſque ordine. Deinde porrexerunt, qui tertium habuerant viride, reliquum verò aridum: horum virgæ majori ex parte inventæ ſunt virides, ramuſculos habentes, & in eis ramuſculis fructum; & reliquæ virides totæ. Ex his virgis gaudium vehementer percepit Paſtor ille, quia ſic invenerit eas. Abierunt & illi in ordines ſuos.

VI. Poſtquam autem [10] omnium virgas conſideraſſet; ait mihi: Dixeram tibi, arborem hanc diligere vitam. Vides [11] quod multi egerunt pœnitentiam, & aſſecuti ſunt ſalutem. Video, inquam, Domine. Ut ſcias, inquit, bonitatem & clementiam Domini magnam, & [12] honorandum eſſe, qui dedit ſpiritum iis qui [13] digni erant agere pœnitentiam. Et dixi: Quare ergo, Domine, non omnes egerunt pœnitentiam? Ait mihi: [14] Quorum viderat Dominus puras mentes futuras, & ſervituros ei ex totis præcordiis, illis tribuit pœnitentiam. At quorum aſpexit dolum & nequitias, & animadvertit ad ſe fallaciter reverſuros; negavit iis ad pœnitentiam regreſſum; ne turſus legem ejus nefandis maledicerent verbis. Dico ei: Nunc mihi, Domine, demonſtra, quid is ſit locus cujuſque eorum qui virgas reddiderunt, & [15] ſedes eorum: ut auditis his, & credentes, ii qui non cuſtodierunt integrum, ſed diſſipaverunt ſigillum quod acceperunt, agnitis ſuis factis pœnitentiam agant: & [16] accepto à te ſigillo, Domino dent honorem: quod ſit [17] ſuper eos motus clementiâ ſuâ; & miſerit te, ut ſpiritus eorum renoves. Audi, inquit: Quorum virgæ aridæ & putridæ repertæ ſunt, & velut à tinea tactæ; hi ſunt transfugæ, [18] Eccleſiæ proditores, qui inter reliqua ſua delicta, nefandis verbis Dominum [19] inſectati, nomen ejus negaverunt, quod ſuper eos erat invocatum. Hi igitur omnes mortui ſunt Deo; atque etiam neminem eorum vides egiſſe pœnitentiam, tametſi audierint mandata mea quæ tu eis protuliſti: ab hujuſmodi ergo hominibus [20] abeſt vita. Hi quoque qui aridas & non putridas tradiderunt, [21] non procul ab illis fuerunt: ficti enim erant; & doctrinas pravas intulerunt, & perverterunt ſervos Dei, præcipuè eos qui peccaſſent, non ſinentes eos ad pœnitentiam redire, ſed doctrinis fatuis detinentes. Hi ergo habent ad ſpem regreſſum: atque etiam multos vides agere pœnitentiam, ex quo eis mandata mea protuliſti; & adhuc agent pœnitentiam. Quicumque verò non egerint pœnitentiam, ii & pœnitentiam, & vitam ſuam amittent: at his qui egerint; [22] murus in primis cœpit eſſe ſedes eorum, etiam qui non in turrim aſcenderunt. Vides igitur, inquit, in pœnitentia, peccantium ineſſe vitam; non agentium verò pœnitentiam, mortem paratam.

VII. De his verò qui ſemiaridas virgas porrexerunt, & ſciſſuras habuerunt, audi. Quorum tantummodo ſemiaridæ erant virgæ; hi dubii ſunt: nec enim vivi ſunt, nec mortui. At hi qui ſemiaridas, & ſciſſuras habentes tradiderant; & dubii ſunt, & maledici; de abſentibus detrahentes, & numquam inter ſe pacem habentes, [23] & inter ſe invidentes. Et iis quidem propoſita eſt pœnitentia; vides enim ex his aliquos pœnitere. Quicumque verò eorum citò [24] egerunt pœnitentiam, hi in turri habent ſedem: at ii qui tardè egerunt, in muris [25] habitant: qui verò non egerunt pœnitentiam, ſed in ſuis permanſerunt factis, morte morientur. At verò hi; qui virides quidem virgas, ſed ſciſſuras habentes tradiderunt; fideles ſemper fuerunt & boni, ſed habentes inter ſe quamdam invidiam &

1. MSS. *incinge*. & mox, *incinxi*. Ibid.

2. *Sabano*. Uſitata vox Græcis, apud quos, teſte Iſidoro, lib. 19 cap. 26. nata eſt; indeque Latinis, ac Hebræorum Rabbinis. Exponitur autem linteum ſeu linteamen, in Gloſſis, in antiquo Scholiaſte Juvenalis ad Sat. XIV. 22 & in Victore Vitenſi lib. 5. de perſecutione Africana. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. cap. 3. utens teſtimonio Johannis cap. 13. verſ. 4. ubi Dominus præcingit ſe linteo, λέντιον habet σάβανον. Unde in Lexico Græco-Latino veteri; σάβανον, *ſabanum linteum*: & perperam faciunt qui *linteum* ſubſtituunt. COT.

3. Lam. *ſibi*. OXON.

4. Lam. *vocavit*. Ibid.

5. Lam. *primariis tradere*. Bod. *primariis ſtare*. Ibid.

6. MSS. *ſuo quoque agmine* Ibid.

7. MSS. *habebant*. OXON.

8. Al. *unuſquiſque in ſuo ordine ſteterunt. Deinde*. Ibid.

9. Lam. *omnes*. Ibid.

10. MSS. *quam*. Ibid.

11. MSS. *honeſtam*. Ibid.

12. Lam. *diligunt agere*. Ibid.

13. *Quorum viderat Dominus puras mentes futuras*, &c. Similitudine 9. c. ult. *Cumque vidiſſet Dominus bonam atque puram pœnitentiam eorum: & poſſe eos in ea permanere, juſſit priora peccata eorum* &c. Huc facit inſignis locus B. Auguſtini libro de dono perſeverantiæ cap. 10. *Quidam diſputator Catholicus non ignobilis, hunc Evangelii locum ſic expoſuit, ut diceret: præſciſſe Dominum Tyrios & Sidonios à fide fuiſſe poſtea receſſuros, cùm factis apud ſe miraculis credidiſſent; & miſericordiâ potius non eum illic iſta feciſſe; quoniam graviori pœna obnoxii fierent, ſi fidem quam tenuerant, reliquiſſent, quam ſi eam nullo tempore tenuiſſent.* Sed & ſimilia non pauca ex Chryſoſtomo, aliiſque Patribus colligi poſſent. Porrò imprudenter exiſtimatum fuit, in verbis Hermæ caveri debere Pelagianiſmum. Neque illa dubitationem habere mihi videtur. Deus illis dedit pœnitentiam, à quibus vidit mentes puras geſtum iri, nempe per gratiæ auxilium, per ſpiritum divinitus conceſſum, ut loquitur Paſtor. COTEL.

14. MSS. *vidit*. OXON.

15. Lam. *ſederunt ſeorſim*. Ibid.

16. Lam. *accepto me ſigillo. Domine, dent*. Ibid.

17. MSS. *eo*. Ibid.

18. Alii, addunt, & ibid.

19. MSS. *inſecuti*. Ibid.

20. Lam. *tu habes ita*; ibid.

21. MSS. *prope ab*, ibid.

22. Lam. *murus enim ſedes*, ibid.

23. Bod. deeſt. *inter ſe*. Lam. *intra ſe*; ibid.

24 MSS. *geſſerunt*. ibid.

25. Lam. *habitabunt*, ibid.

Digitized by Google

1 contentionem de principatu & dignitate. Verùm omnes hujuſmodi inſipientes ſunt & fatui, qui habent inter ſe æmulationem de principatu. Attamen hi, cùm ſint alioqui boni, ſi auditis mandatis 2 iſtis emendaverint ſe, & citò 3 perſuaſionem meam, egerint pœnitentiam: in turri denique incipient habitare, ſicut & hi qui egerunt dignè pœnitentiam. Quòd ſi quis eorum rurſus ad diſſentionem redierit, 4 repelletur à turri, & vitam ſuam perdet. Vita etiam eorum qui cuſtodiunt mandata Domini, in mandatis conſiſtit, non in principatu, aut aliqua dignitate. Per patientiam enim, & humilitatem animæ, vitam homines conſequentur: per ſeditiones verò, & contemptum legis, mortem ſibi acquirent.

VIII. Qui verò in virgis ſuis dimidium aridum habebant, & dimidium viride; hi ſunt negotiationibus involuti, neque applicitì ſanctis: ideoque etiam dimidium eorum vivit, dimidium verò mortuum eſt. Multi igitur ex illis, auditis mandatis egerunt pœnitentiam, & in turri habitare cœperunt: quidam vero eorum in totum deſtiterunt. His igitur non eſt locus pœnitentiæ: à negotiatione enim ſua, nefanda in Dominum locuti ſunt, & eum abnegaverunt. Propter hanc igitur nequitiam amiſerunt vitam. Multi verò ex his dubiam mentem induerunt. Adhuc & iis eſt regreſſus: ſi citò pœnitentiam egerint, in turri ſedem habebunt; ſi verò tardiùs egerint, in muris habitabunt; ſi autem non egerint, 5 mortem ſibi acquirent. At hi qui duas partes virgarum ſuarum virides habuerant, & tertiam aridam; 6 compluribus modis depravati, negaverunt Dominum. Ex is igitur multi egerunt pœnitentiam, atque ita in turri habitare cœperunt; & multi à Deo in perpetuum receſſerunt. Illi igitur in totum amiſerunt 7 vitam. Quidam verò dubia mente concepta, diſſentiones concitaverunt; iis adhuc regreſſus eſt, ſi citò egerint pœnitentiam, nec 8 voluptatibus ſuis remorati fuerint; ſi autem permanſerint in factis ſuis, mortem ſibi acquirent.

IX. Qui verò porrexerunt virgas ſuas, quarum duæ partes aridæ fuerant, & tertia viridis; fideles quidem fuerunt, ſed locupletati, & exſaturati bonis, apud exteras gentes 9 celebriores eſſe cupierunt, & 10 in ſuperbiam magnam inciderunt, & ſublimia cœperunt ſperare, & veritatem 11 deſerere, neque applicitì ſunt juſtis; cum exteris gentibus convixerunt, & hæc illis vita dulcior viſa eſt: à Deo tamen non receſſerunt, & 12 in fide perſeveraverunt, ſed opera fidei non exercuerunt. Multi igitur ex illis egerunt pœnitentiam; & ſedes eorum in turri eſſe cœperunt. Alii verò viventes cum exteris gentibus, & 13 elati vanitatibus ſuis, in perpetuum à Deo 14 defecerunt, Nationum facinoribus & operibus ſervientes. Hujuſmodi ergo homines adnumerati ſunt exteris nationibus. Alii ex his dubiam mentem habere cœperunt, non ſperantes ſe propter facta ſua aſſequi poſſe ſalutem. Alii dubii facti; diſſenſiones excitaverunt. His igitur, & illis qui propter facta ſua dubii eſſe cœperunt; adhuc eſt regreſſus: ſed hæc pœnitentia 15 cita eſſe debet, ut ſit in turri ſedes eorum. His verò qui non agunt pœnitentiam, ſed permanent in voluptatibus ſuis, mors propè eſt.

X. At hi qui virgas virides porrexerunt, exceptis cacuminibus earum, quæ ſola arida erant, & ſciſſuras habebant; ſemper boni atque fideles & 16 probi erga Deum fuerunt, ſed parumper deliquerunt propter 17 inanes voluptates, & minutas cogitationes, quas 18 intra ſe habuerunt. Auditis ergo verbis meis, plurimi egerunt pœnitentiam celeriter, & in turri habitare cœperunt. Quidam autem ex his evaſerunt dubii: quidam adjecerunt ad dubiam mentem, etiam diſſenſiones movere. In his igitur etiam nunc ſpes eſt regreſſus, quia boni ſemper fuerunt, difficilè autem movebuntur. Qui verò virgas ſuas aridas porrexerunt, exceptis cacuminibus earum, quæ ſola erant viridia; crediderunt quidem Deo, 19 in ſceleribus verò converſati ſunt; numquam tamen à Deo receſſerunt, ſed ſemper nomen Domini libenter tulerunt, & libenter in hoſpitiis ſuis Dei ſervos 20 ſuſceperunt. Audito igitur 21 hoc, regreſſi, ſine mora egerunt pœnitentiam, & omnem virtutis æquitatem exercuerunt. Aliqui verò eorum obierunt: & alii 22 libenter adverſa paſſi ſunt, memores factorum ſuorum.

XI. Poſtquam finiſſet omnium virgarum 23 explanationes, ait mihi: Vade, & dic omnibus ut agant pœnitentiam, & vivent Deo. Quia 24 motus Dominus magnâ clementiâ ſuâ, miſit me ut pœnitentiam 25 nunciarem omnibus, his etiam qui non merentur propter facta ſua aſſequi ſalutem. Sed patiens eſt Dominus, & invitationem per Filium ſanctum factam vult conſervare. Dico ei: Spero, Domine, 26 fore ut auditis his, univerſi agant pœnitentiam. Credo enim, unumquemque agnitis ſuis factis, & accepto Dei timore, ad pœnitentiam regreſſurum. Ait mihi: Quicumque toto corde egerint pœnitentiam; & purificaverint ſe ab omni nequitia, 27 quæ ſuprà dicta eſt, & non adjecerint adhuc ad delicta ſua quidquam; accipient à Domino remedium 28 priorum peccatorum ſuorum; ſi nihil dubitaverint de mandatis his; & vivent Deo. Qui verò adjecerint, inquit, ad delicta ſua, & converſati fuerint in 29 cupiditatibus ſæculi hujus; damnabunt ſeipſos ad mortem. Tu verò ambula in mandatis iſtis; & vives Deo: & quicumque ambulaverint in his, & rectè ea exercuerint, vivent Deo. Poſtquam verò hæc omnia mihi oſtendit, ait mihi: Reliqua poſt dies paucos tibi oſtendam.

SIMILITUDO IX.

Ædificandæ militantis & triumphantis Eccleſiæ myſteria maxima.

I. POſtquam ſcripſi Mandata & Similitudines Paſtoris illius Nuncii pœnitentiæ; venit ad me, & dixit mihi: Volo oſtendere tibi quæcumque Spiritus tibi oſtendit, qui in effigie Eccleſiæ locutus eſt tecum. Ille enim Spiritus, Filius Dei eſt. Et quia infirmior eras corpore, non antè per Nuncium declaratum eſt tibi, quàm firmatus es à Spiritu, auctuſque viribus, ut etiam Nuncium poſſis videre. Tunc enim bene quidem & 30 magnificè ædificatio turris, ab Eccleſia tibi oſtenſa eſt, ſed ut 31 à virgine monſtrata cuncta vidiſti. Nunc autem per Nuncium illuſtraris, per eumdem quidem Spiritum. Sed oportet te omnia diligenter videre. Idcirco enim in domum tuam miſſus ſum habitare, ab illo Nuncio 32 venerando; ut cùm omnia potenter videris, nihil ut priùs expaveſcas. Et duxit me in 33 aſcenſum montis Arcadiæ; & conſedimus in

1. Cot. *contentionem*, ibid.
2. MSS. *meis*, ibid.
3. MSS. *perſuaſionis ſuæ*; ibid.
4. Alii, *expelletur*, ibid.
5. MSS. Lam. add. *pœnitentiam*. OXON.
6. MSS. *quampluribus generibus infectati*, ibid.
7. Bod. *pœnitentiam*; ibid.
8. Lam. *in voluntatibus*, ibid.
9. MSS. *honeſtiores eſſe cupiere*, ibid.
10. Lam. *ſuperbiam magnam induerunt*, ibid.
11. MSS. *deſeruerunt*. ibid.
12. Lam. *fideles perſeveraverunt eſſe*, ibid.
13. MSS. *evelli vanitatibus eorum*, ibid.
14. MSS. *deſtiterunt*, ibid.
15. Bod. *citatim*, ibid.
16. Lam. *honeſti apud Dominum fuerunt*, ibid.
17. Lam. *inanes & minimas diſputationes*, ibid.
18. Bod. *in*. Lam. *inter*, ibid.
19. Alii, *etſi ad ſcelera aliqua prolapſi ſunt*, ibid.
20. MSS. *receperunt*, ibid.
21. MSS. *hoc regreſſu*, ibid.
22. MSS. *& libenter patiuntur memores*.
23. Alii, *exolutiones*, ibid.
24. Lam. *mortis Dominus in multu ſua*, ibid.
25. MSS. *omnibus darem, & quidem quibuſdam non merentibus*, ibid.
26. Alii, *quoniam, auditis hie, univerſi agen*, ibid.
27. Lam. omittit, *quæ ſupra dicta eſt*, ibid.
28. MSS. deeſt. *priorum*, ibid.
29. Alii, *deſideriis*, ibid.
30. MSS. *modeſte*, ibid.
31. Lam. *ad virginem*, ibid.
32. MSS. *digniſſimo*, ibid.
33. Lam. *Arcadia*, Lamb.

acumine

Digitized by Google

cacumine ejus. Et oſtendit mihi campum magnum, & circa eum duodecim montes, aliâ atque aliâ figurâ. Quorum primus niger erat ſicut fuligo. Secundus glabrus, ſine herbis. Tertius ſpinis & tribulis plenus. Quartus habebat ſemiaridas herbas; quarum ſuperior pars erat viridis, proxima autem à radicibus arida; quædam etiam herbæ, cùm ſol incanduiſſet, aridæ fiebant. Quintus mons aſperrimus erat, ſed herbas virides habebat. Sextus mons ſciſſuris erat plenus; quibuſdam minoribus, quibuſdam verò majoribus: ſed in illis ſciſſuris erant herbæ, non valde quidem lætæ, ſed velut marcidæ eſſe videbantur. Septimus verò mons [1] delectabiles habebat herbas, & totus fertilis erat: & omne genus pecudum, & [2] volucrum cœli, [3] pabulum carpebant ex illo: & quantùm veſcebantur [4] ex illo, tantò lætiores herbæ creſcebant. Octavus mons fontibus erat repletus; & ex illis fontibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei. Nonus mons nullam omnino aquam habebat, & totus deſtitutus erat; ſed & mortiferos ſerpentes [5] alebat, & hominibus pernicioſos. Decimus mons [6] proceras arbores continebat, totuſque erat [7] umbroſus; & ſub umbra pecudes jacebant requieſcentes, ac ruminantes. Undecimus mons denſiſſimis arboribus repletus erat, & arbores illæ aliis atque aliis [8] oneratæ videbantur fructibus; ut [9] quiſquis videret, cuperet edere de fructibus earum. Duodecimus mons, candidus erat totus, & aſpectum habebat [10] delectabiliſſimum, & ipſe ſibi ſummum præſtabat decorem.

II. In medio verò campo candidam & ingentem petram mihi oſtendit, quæ de ipſo campo ſurrexerat: & petra illa altior montibus illis erat, & quadrata, ita ut poſſet totum orbem ſuſtinere. Vetus autem mihi videbatur eſſe; ſed habebat novam portam, quæ nuper videbatur excſculpta. Et porta illa clariorem ſplendorem quàm ſol habebat; ita ut mirarer vehementer lumen ejus. Circa verò portam illam ſtabant [11] virgines duodecim: ex quibus quatuor, quæ obtinebant angulos portæ, [12] digniores mihi videbantur eſſe; ſed & cæteræ dignæ erant; ſtabant autem in quatuor partibus portæ. [13] Erat autem & id ad gratiam illarum virginum, quòd illæ binæ & binæ veſtitæ erant linteis tunicis, & [14] decenter ſuccinctæ exteriùs brachiis dextris, tamquam faſcem aliquem levaturæ, ſic erant paratæ: vehementer enim hilares erant, atque promptæ. Hæc cùm vidiſſem, mecum ipſe mirabar, quòd tam magnas & præclaras res viderem. Et rurſus [15] mirabar, propter virgines illas, quòd tam [16] decoræ & delicatæ eſſent, & ita conſtanter ac fortiter ſtarent, tamquam totum cœlum [17] portaturæ. Et cùm hæc intra me [18] cogitarem: ait ad me Paſtor ille: Quid intra te diſputas, atque torqueris, & ipſe tibi ſollicitudinem [19] adjicis? Quæcumque non potes intelligere, noli [20] attendere, tamquam ſi ſapiens ſis; ſed roga Dominum, ut accepto ſenſo intelligas ea. Quæcumque poſt te ſunt, non potes videre: quæ verò ſunt ante te, vides. In his igitur quæ non potes videre, noli torqueri; & eorum [21] intelligentiam cape, quæ tu vides. Deſine eſſe curioſus. Ego autem demonſtrabo tibi cuncta, quæcumque [22] debeo oſtendere: nunc autem reliqua conſidera.

III. Et cùm hæc dixiſſet mihi, ſuſpexi. Et ecce vidi [23] veniſſe ſex viros excelſos ac venerandos, & omnes ſimiles vultu; & vocaſſe quamdam multitudinem virorum: & hi qui venerant vocati ab illis, & ipſi quoque excelſi & fortes erant. Juſſerunt autem illi ſex, eos turrim quamdam ſuper eam portam ædificare. Magnus verò tunc fremitus cœpit eſſe [24] decurrentium circa portam huc atque illuc, eorum virorum qui ad ædificandam turrim venerant. Virgines verò illæ, quæ ſtabant circa portam, jubebant eis ædificationem turris accelerare. Ipſæ autem exporrexerunt manus ſuas, tamquam aliquid accepturæ ab illis. Tunc illi ſex juſſerunt, ut ex quodam profundo lapides [25] attollerent, & in ædificationem turris [26] præpararent. Et elevati ſunt decem [27] lapides candidi, quadrati, circumciſi. Poſtquam verò ſex illi advocaverunt has virgines; juſſerunt eas, univerſos lapides quicumque in turris ædificationem [28] mittendi eſſent, portare, & tranſlatos per portam tradere eis qui ædificaturi erant turrim illam. Continuò hæ virgines, eoſdem lapides qui [29] priùs eleveti erant de profundo, inter ſe [30] elevare cœperunt pariter omnes.

IV. Qui autem ſteterunt circa portam, ſic etiam portabant, ut qui videbantur eſſe fortiores, ad angulos ponerentur; cæteri verò lapides [31] ad latera ſubjiciebantur: atque ita univerſos lapides pertulerunt, eoſque per portam tranſlatos, ædificantibus, ſicut [32] juſſæ erant, tradiderunt. Illi verò excipientes, extruxerunt illos. Hæc autem ædificatio ſuper illam petram magnam & portam fiebat, atque ab iis tota turris ſuſtentabatur. Horum autem decem lapidum ſtructura totam portam illam replevit, quæ in fundamento turris illius eſſe cœpit. Poſt illos verò decem lapides, alii viginti quinque [33] elevati ſunt de profundo; & hi ſtructi ſunt in ædificationem turris ejuſdem, per illas virgines levati, ſicut priores. Poſt hos alii triginta quinque elevati ſunt, & hi ſimiliter in eodem opere

1. MSS. *hilares*. OXON.
2. MSS. *volucres*. ibid.
3. Lam. *pabula*. ibid.
4. MSS. *inde*. ibid.
5. MSS. *habebat*. ibid.
6. MSS. *habebat arbores magnas*. ibid.
7. Lam. *tenebroſas*. ibid.
8. Bod. *ordinatæ erant*. Lam. *ornatæ erant*. ibid.
9. MSS. *ſi quis vidiſſet, concupiſceret*. ibid.
10. MSS. *hilariſſimam*. ibid.
11. *Virgines duodecim*. In Teſtimoniis veterum omiſimus teſtimonium quod pertinebat ad iſtum locum, & ad alium cap. 15. in quo Virginum nomina proferuntur. Eſt autem Antiqui illius, cujus Commentarios in Matthæum imperfectos habemus, excuſos poſt Homilias S. Chryſoſtomi in eumdem Evangeliſtam. *Adhuc autem audeo*, inquit ad verſ. 28. cap. 19. *& ſubtiliorem introducere ſenſum, & ſententiam alterius ſapientis cujuſdam viri* (haud mihi dubium quin Origenis) *referre. Exponit enim ſic: Quoniam ſicut Judæorum populus in duodecim tribus fuit diviſus, ſic & univerſus populus Chriſtianus diviſus eſt in duodecim tribus, ſecundum quaſdam proprietates animarum, & diverſitates cordium, quas ſolus Deus diſcernere & cognoſcere poteſt: ut quadam animæ ſint quaſi de tribu Ruben, quadam autem de tribu Simeon, vel Levi, vel Juda. Puto enim, quia omnes ſancti quinque Virgines prudentes eſſe dicuntur, quamvis ſint innumerabiles, propter quinque ſenſus ſpirituales; & omnes peccatores, quinque Virgines fatuæ, quamvis innumerabiles ſint, propter quinque ſenſus carnales. Et ſicut omnes Eccleſiæ Chriſti, ſeptem Eccleſiæ dicuntur, propter ſeptem ſpiritus, quamvis ſint multæ: omnes enim in quibus præ cæteris virtutibus abundantior eſt ſapientiæ virtus, una habetur Eccleſia: item in quibus præ cæteris virtutibus abundantior eſt intellectus, altera dicitur Eccleſia: & ſic per ſingulos ſpiritus tractans, invenies ſeptem Eccleſias. Similiter propter gratias duodecim, quas in perſona duodecim Virginum exponit Angelus in Paſtore; ſi tamen placet illa Scriptura omnibus Chriſtianis; inveniuntur duodecim tribus: ut puta, omnes animæ in quibus præ cæteris virtutibus præcellit virtus Veritatis, una eſt tribus. Nec enim omnes gratiæ æqualiter in omnibus ſunt: ſed unuſquiſque amplius præcellit in iſta, alter verò in illa*. COT.
12. *Dignitoſiores*. ſic legendum è MSS. optimæ notæ Lambethano. Vide de hac voce *Ducangium* in Gloſſario & quæ adnotavimus infra ad ſimilitudinem IX. 6. CLER.
13. MSS. *inerat autem inter gaudium earum virginum & hæ binæ veſtitæ linteis*. ibid.
14. Lam. *& decem incinctæ*. ibid.
15. Lam. *movebar*. ibid.
16. MSS. deſunt, *decoræ &*. ibid.
17. MSS. *portandum haberent*. ibid.
18. MSS. *diſputarem*, & mox, *diſputas*. ibid.
19. MSS. *adducis*. ibid.
20. Lam. *perpendere*. ibid.
21. MSS. *dominare*. ibid.
22. Lam. *potueris*. ibid.
23. Lam. *veniſſe viros excelſos, dignitoſos, & ſimiles*. ibid.
24. Bod. *diſcurrentium circa portam hinc atque illinc*. ibid.
25. Lam. *videbant ædificationem*. Alii, *agnoverunt ab eis accelerari oportere*. ibid.
26. MSS *deleto ut, aſcendere*. ibid.
27. MSS. *aptari. Et aſcenderunt decem*. ibid.
28. *Lapides candidi, quadrati, circumciſi*. Legendum, *non circumciſi*, ex cap. 5. & 16. COT.
29. MSS. *ituri*. OXON.
30. MSS. *primo aſcenderunt*. ibid.
31. MSS. *allevare*. ibid.
32. Bod. *à lateribus ſubibant*. OXON.
33. MSS. *juſſerant*. ibid.
34. MSS. *aſcenderunt*, ut ſæpe. ibid.

aptati ſunt. Poſt hos, quadraginta lapides aſcenderunt, & hi omnes adjecti ſunt in ſtructuram turris illius. Quatuor ergo ordines cœperunt eſſe in 1 fundamento turris illius; deſierunt 2 enim lapides extrahi de profundo: pauliſper & hi qui ædificabant, quieverunt. Iterum illi ſex viri, multitudini illi imperaverunt, ut de illis duodecim montibus adportarent lapides ad ædificationem turris ejuſdem. Illi autem excidebant de univerſis montibus 3 variorum colorum lapides; & deferentes 4 eos, porrigebant Virginibus: quos illæ accipientes transferebant, & in ædificationem turris porrigebant. 5 In qua cùm ſtructi eſſent illi; candidi, varii que fiebant; & ſimiliter omnes, priores mutabant colores. Quidam verò ab ipſis viris porrigebantur: qui cùm in eam ædificationem veniſſent; quales ponebantur, tales & permanebant. Hi nec candidi fiebant, nec varii; quoniam non erant à Virginibus per portam tranſlati. Hi ergo lapides deformes erant, in ædificatione. Quos cùm animadvertiſſent illi ſex viri; juſſerunt tolli, & ſuo loco 6 reponi unde delati fuerant. Et dicunt ad illos qui lapides illos adferebant: Omnino vos nobis ad ædificationem hanc lapides porrigere nolite; ſed juxta turrim ponite eos, ut hæ virgines tranſferant eos porrigant: niſi enim ab his virginibus tranſlati fuerint per hanc portam, colores ſuos mutare non poſſunt: nolite igitur fruſtra laborare.

V. Effecta eſt autem ſtructura illo die; ſed turris conſummata non eſt: futurum enim erat, ut ædificaretur: propterea etiamnunc & quædam dilatio facta eſt. Et juſſerunt illi ſex, eos qui ædificabant, 7 abire, & veluti 8 aliquandiu quieſcere: Illis verò Virginibus præceperunt, ne à turri 9 diſcederent. Propterea autem videbantur mihi relictæ, ut cuſtodirent turrim illam. Poſtquam autem receſſerunt, dico ad Paſtorem illum: Quare, Domine, non eſt peracta ædificatio turris? Non enim, inquit, antè conſummari poteſt, quàm veniat Dominus ejus, & ſtructuram hanc probet: ut ſi quos lapides non bonos in ea invenerit, mutentur. Ad voluntatem enim ejus ædificabitur hæc turris. Vellem, inquam, Domine, ſcire, quid ſignificet ædificatio turris hujus, & de hac petra, & de hac porta cognoſcere, & de montibus, & de Virginibus, & de lapidibus qui 10 extracti ſunt de profundo, nec circumciſi ſunt, ſed ſicut aſcenderunt, ſic 11 miſſi ſunt in ſtructuram; & quare primùm lapides decem in fundamento ſtructi ſunt, deinde vigintiquinque, deinde triginta quinque, deinde quadraginta. Item de illis lapidibus qui poſiti ſunt in ſtructuram, iterumque ſublati, & in 12 locum ſuum relati. De omnibus his, Domine, deſiderium animæ meæ comple, & omnia mihi demonſtra. Et dixit mihi: Si 13 tardus non fueris, omnia non cognoſces, & videbis reliqua quæ futura ſunt huic turri, & omnes ſimilitudines diligenter cognoſces. Et venimus poſt dies paucos in eumdem locum, ubi ſederamus, & dicit mihi: Perveniamus ad turrim. Dominus enim ejus venturus eſt, ut conſideret eam. Venimus igitur illuc, & neminem alium quàm virgines illas invenimus. Et interrogavit eas; an affuiſſet Dominus turris illius? Et reſponderunt, continuò eum 14 adfuturum, ut conſideret ſtructuram illam.

VI. Poſt puſillum verò video multitudinem virorum magnam venientem, & in medio eorum ita excelſum virum, ut magnitudine ſua ipſam turrim ſuperaret: & circa eum ſex illos quos in ædificatione imperare videram, & eos omnes qui ædificaverunt turrim illam, & præterea alios quamplures 15 dignitate ſplendidos viros. Virgines verò illæ, quæ cuſtodiebant turrim illam, adcurrerunt, 16 & oſculatæ ſunt eum, & prope eum cœperunt ambulare. Ille autem tam diligenter conſiderabat ſtructuram illam, ut ſingulos lapides 17 contrectaret: quin etiam ſingulos virgâ, quam in manu tenebat, feriebat. Ex quibus quidam, cùm eſſent percuſſi, nigri fiebant velut fuligo; quidam autem tamquam ſcabri; quidam ſciſſuras habentes; quidam curti; quidam nec nigri, nec albi, quidam aſperi, nec cum cæteris lapidibus convenientes; quidam plurimas maculas habentes. Hæ ſunt varietates lapidum illorum, qui in ſtructura illa non 18 idonei reperti ſunt. Juſſit eos Dominus omnes de turri deponi, & juxta eam relinqui; & alios lapides afferri, & loco eorum reponi. Et interrogaverunt eum qui ædificabant, ex quo monte vellet afferri, & reponi in locum ejectorum? De montibus quidem vetuit afferri; ſed ex campo quodam, qui propè erat, juſſit 19 afferri. Foderunt enim campum illum, & invenerunt lapides ſplendidos, quadratos & quoſdam verò etiam rotundos: quicumque autem erant in illo campo, omnes allati ſunt, & per portam 20 tranſportati à virginibus illis: & qui ex eis quadrati erant, formati ſunt, & poſiti in locum ejectorum: at verò qui rotundi, non ſunt adjecti in ſtructuram; quoniam 21 duri erant, & longum eſſe videbatur, circumcidere eos; ſed poſiti ſunt circa turrim, tamquam futurum eſſet, ut circumciderentur, & in ſtructuram 22 mitterentur; valde enim ſplendidi erant.

VII. Hæc cùm vidiſſet Vir ille 23 dignitate præcipuus, & Dominus totius turris, vocavit hunc Paſtorem, & tradidit ei lapides qui reprobati erant, & poſiti circa turrim; & ait ad illum; Communda diligenter lapides hos, & 24 apta in ſtructuram turris, ut cum cæteris poſſint convenire; eos autem qui non conveniunt, longè à turri projicies. Hæc cùm præcepiſſet ei, cum omnibus, cum quibus venerat ad turrim, abiit. Virgines autem illæ ſteterunt circa turrim, cuſtodientes eam. Et dixi ad Paſtorem illum: Quonam modo poſſunt lapides hi in ſtructuram hujus turris, cùm reprobati ſint, redire? Et dixit mihi: Ego de lapidibus iſtis majorem partem circumcidi, & adjiciam in ſtructuram, & convenient cum cæteris. Et dixi: Quo modo, Domine, poſſunt circumciſi eumdem locum 25 implere? Quicumque, inquit, minores inventi fuerint, in mediam ſtructuram ibunt; majores verò deforis ponentur, & continebunt eos. Hæc cùm dixiſſet mihi: Eamus, inquit, & poſt triduum revertamur, & emundatos hos lapides in ſtructuram adjiciam: Ea enim quæ ſunt circa turrim, commundari debent omnia; ne fortè ſubitò paterfamilias ſuperveniat, &

1. Lam. *fundamentis turris hujus*. Ibid.
2. Lam *ergo lapides aſcendere de*. Ibid.
3. MSS. *lapides variis coloribus*. Ibid.
4. MSS. *adportatos*. Ibid.
5. Lam. *quum cum conſtructi*. Ibid.
6. MSS. *referri unde deportati*. Ibid.
7. MSS. *recedere*. Ibid.
8. MSS. *quieſcere aliquid*. Ibid.
9. Lam. *recederent*. Ibid.
10. MSS. *aſcenderunt*. Ibid.
11. MSS. *ierunt* Ibid.
12. Lam. *loco ſuo*. Ibid.
13. MSS. *arduus*. Ibid.
14. MSS. *venturum*. Ibid.
15. MSS. *dignitoſos*. Ex multis indiciis intelligere eſt Anglicanos Codices, quorum variæ lectiones ſub paginis hujus Editionis leguntur, meliores eſſe iis ex quibus expreſſæ ſunt vulgatæ Hermæ editiones. Sed duo ſunt potiſſimùm, ex quibus hoc colligere liceat. Alterum eſt voces bene Latinas, sed ſæculis barbaris minùs uſurpatas, in iis comparere, quæ in uniores ſequiore ævo mutatæ leguntur in aliis Codicibus. Alterum, alias voces barbaras quidem illas, ſed ante aliquot ſæcula non ampliùs uſitatas, in iis occurrere, quæ non leguntur in Editionibus. Hujus generis eſt vox *dignitoſus*, non ævi quidem Ciceroniani, ſed nec infimi *Veteres Gloſſæ: Dignitoſus, ἀξιωματικός* Vide & ſupra ad cap. III. At Ciceroniani temporis eſt vox *diſputare*, pro eo quod eſt agere de re quapiam quæ legitur in memoratis Codicibus Anglicanis, & paſſim mutata eſt in *certare*; quòd exſcriptores non intelligerent eam vocem alio ſenſu, quam altercandi. Vide ad Similitudinem ſecundam hujus libri tertii. Plura exempla poſſent afferri, ſed ſtudioſum Lectorem monuiſſe ſatis erit. CLER.
16. Lam. *oſculati eum*. OXON.
17. MSS *pertractaret*, ibid.
18. MSS *boni*, ibid.
19. MSS. *apportari*, ibid.
20. Lam. *tranſlati*. OXON.
21. Lam. *& durum erat*, ibid.
22. MSS. *irent*, ibid.
23. MSS. *dignitoſus*, ibid.
24. Lam. *pone in ſtructura*, ibid.
25. MSS. *explere*, ibid.

Digitized by Google

immunda ea quæ circa turrim ſunt inveniat, & ita [1] aſpernetur & hi lapides non mittantur in ſtructuram turris hujus, & ego negligens [2] a patreſfamilias videar eſſe. Poſt triduum autem, cùm veniſſemus ad eamdem turrim, ait mihi: Conſideremus hos lapides omnes, & videamus qui ex eis poſſunt in ſtructuram [3] ire. Dico ei: Conſideremus, Domine.

VIII. Primùm omnium cœpimus conſiderare eos, qui nigri fuerant. Quales enim à ſtructura depoſiti fuerant, tales ſunt reperti. Juſſit eos à turri moveri, & ſeorſum [4] reponi. Deinde conſideravit eos qui ſcabroſi fuerant; & multos ex eis circumcidi juſſit, & per Virgines eos in ſtructuram turris aptari. Illæ autem, ſublatos eos aptaverunt in media ſtructura: reliquos autem juſſit cum illis nigris reponi; nam & hi evaſerunt nigri. Deinde conſiderabat eos qui ſciſſuras habebant: & ex illis multos circumcidi juſſit, & per illas virgines adjici in ſtructuram. Hi deforis poſiti ſunt, [5] quoniam integri inventi ſunt; reliqui autem propter multitudinem ſciſſurarum non potuerunt afformari; propterea projecti ſunt ab ædificatione turris. Deinde conſiderabat eos, qui curti facti erant: multi ex illis ſciſſuras habebant, & nigri evaſerant; alii verò ſciſſuras magnas habebant, quos juſſit apponi cum illis qui rejecti erant: reliquos autem commundatos, & afformatos adjici juſſit in ſtructuram; quos ſublatos virgines illæ in media ſtructura aptaverunt; infirmiores enim erant. Deinde conſiderabat eos, qui dimidii quidem albi, dimidii autem nigri fuerant reperti: & multi ex illis nigri inventi ſunt. Juſſit & hos transferri ad illos qui rejecti erant: reliqui verò toti candidi inventi ſunt; & hi ſublati ſunt à Virginibus, & aptati in eadem turri; exteriores autem poſiti ſunt qui integri inventi ſunt, ita ut poſſent continere eos qui in medio conſtructi erant: nihil enim receiſum eſt. Deinde conſiderabat eos qui duri & aſperi fuerunt: pauci ex his adjecti ſunt, quoniam non poterant circumcidi: valde enim duri reperti ſunt: reliqui autem [6] formati ſunt, & in media ſtructura à Virginibus aptati; infirmiores enim erant. Deinde conſiderabat illos qui maculas habebant: & ex eis pauci reperti ſunt nigri; & hi ad cæteros adjecti ſunt: qui verò ſuperfuerant, candidi & integri inventi ſunt; & hi à Virginibus in ſtructuram aptati ſunt, & deforis poſiti, propter fortitudinem ſuam.

IX. Venit [7] deinde ut conſideraret eos lapides, qui candidi & rotundi erant, & ait mihi: Quid faciemus de his lapidibus? Et ego dixi: Domine, neſcio. Nihil ergo, inquit, excogitas de his? Ego, inquam, artem hanc non novi, nec lapidarius ſum, nec poſſum intelligere quidquam. Et dixit: Non vides eos valde rotundos eſſe? Quod ſi voluero eos quadratos redigere, plurimum mihi ex his recidendum eſt: ſed neceſſe eſt aliquos ex his in ſtructuram turris [8] tranſire. Et dixi: Si neceſſe eſt, quid igitur [9] te implicas, & non eligis, ſi quos habes eligere, & aptas in ſtructuram illam? Et elegit quos vidit maximos & ſplendidiſſimos, & [10] afformavit eos: quos ſublatos, virgines illæ in exterioribus partibus ſtructuræ poſuerunt: reliqui verò qui ſuperfuerunt, repoſiti ſunt in eumdem campum unde ſumpti erant; abjecti verò non ſunt; Quoniam, inquit, adhuc exiguum deeſt huic turri quod ædificandum erit; & forſitan vult Dominus hos lapides aptari in ea ſtructura [11] quia valde candidi ſunt. Vocatæ ſunt deinde mulieres ſpecioſiſſimæ duodecim, nigra veſte veſtitæ, incinctæ, & exertis humeris, [12] capilliſque ſolutis. Videbantur autem mihi hæ mulieres agreſtes eſſe. Et juſſit eas Paſtor ille tollere lapides illos qui de ſtructura [13] ejecti erant, & eos referri in montes unde ablati fuerant. Et illæ gaudentes ſuſtulerunt omnes, ac reportaverunt eos unde extracti fuerant. Poſtquam autem nullus lapis circa turrim jaceret; ait mihi: Circumeamus hanc turrim, & videamus, [14] numquid aliquid deſit illi. Cœpimus ergo circumire eam. Et ut vidit eam decenter ædificatam, cœpit valde hilaris eſſe; ita enim decenter ædificata fuerat, ut qui vidiſſet, concupiſceret ſtructuram ejus: quoniam quaſi de uno lapide videbatur eſſe, nec uſquam commiſſura apparebat, ſed ex petra [15] una videbatur exſculpta.

X. Ego autem [16] hujuſmodi turrim atten è conſiderans, valde lætabar. Et ait mihi: Affer calcem, & teſtas minutas, ut formas eorum lapidum, qui ſublati ſunt ſtructura, & iterum repoſiti, expleam; ea enim quæ circa turrim ſunt, omnia æquari debent. Et feci ſicut juſſit mihi, & attuli ad eum. Et ait mihi: Præſto adſis mihi, inquit, & citò hoc opus perficietur. Complevit ergo formas illorum lapidum, & juſſit locum mundari circa turrim. Tunc virgines illæ apprehenderunt ſcopas, & mundaverunt totum, & ſuſtulerunt [17] excrementa, & ſparſerunt aquam: quo completo, factus eſt locus [18] delectabilis, & turris decora. Ait deinde mihi: Omnia commundata ſunt: ſi venerit Dominus hanc turrim conſummare, nihil inveniet quod de nobis queratur. Hæc cùm dixiſſet, volebat abire. At ego apprehendi peram ejus, & cœpi rogare eum per Dominum, ut mihi omnia quæ oſtenderat, [19] explicaret. Ait mihi: Habeo modicam occupationem, at omnia tibi explicabo: exſpecta autem me hîc, dum venio. Dico ei: Domine, quid hîc ſolus faciam? Reſpondit: Non es ſolus; omnes enim Virgines tecum ſunt. Et dixi: Trade me, Domine, ergo eis. At ille vocavit illas, & dixit eis; Commendo vobis hunc, donec venio. Remanſi igitur cum virginibus illis. Illæ autem hilares erant, & affabiles mihi, præcipuè tamen quatuor, quæ cæteras præcedebant dignitate.

XI. Dicunt mihi deinde virgines illæ: Hodie Paſtor ille huc venturus non eſt. Et dixi: Quid ergo ego faciam? Et dicunt mihi: Uſque in veſperam exſpecta, ſi [20] forſan venerit, & loquetur tecum: ſin minùs, nobiſcum, dum veniat, manebis. Dixi eis: Exſpectabo eum uſque ad veſperam: quòd ſi non venerit, domum ibo, & revertar manè. Reſponderunt mihi: Nobis [21] aſſignatus es, non potes [22] recedere à nobis. Et dixi: Ubi manebo? Dicunt mihi: Nobiſcum dormies, ut frater, non ut maritus: frater enim noſter es, & de cætero tecum [23] habitare paratæ ſumus, valde enim carum te habemus. Ego autem erubeſcebam cum eis [24] manere. Ea verò quæ ex illis prima eſſe videbatur, amplexata me eſt, & oſculari me cœpit. Cæteræ verò cùm vidiſſent me [25] amplexari ab illa, & ipſæ cœperunt me ut fratrem oſculari, & [26] ducere circa turrim, & ludere mecum. Quædam autem ex illis pſalmos canebant, quædam choros ducebant. Ego autem circa

1. MSS. *exaſperetur*, ibid.
2. *Negligens paterfamiliâs.* Fortè *patrifamiliâs.* COTELERIUS.
3. Lam. *convenire*, ibid.
4. Lam. *poni*, ibid.
5. Lam. *quoniam.* Alii *qui*, ibid.
6. MSS. *deformati*, ibid.
7. Lam. *deinde conſiderare*, ibid.
8. MSS. *ire*, ibid.
9. Bod. *triſtaris*, ibid.
10. Lam. *deformavit.* Hæc recta eſt lectio, non inepta & inuſitata vox *afformare.* Sic & ſupra Cap. VII. *deformari* perperam mutatum in *formari.* Et C. VIII. *deformari* in *afformari*, & *deformatos* in *afformatos.* Nimirum, exſcriptores exiſtimarunt *deformare* eſſe tantùm deformem & turpem reddere, cùm ſit etiam ſimpliciter *mutare formam* in quamvis aliam. *Veteres Gloſſæ: Deformo*, μεταμορφῶ. μετασχηματίζω. *Deformo* (ſic legendum) ἀποτυπῶ, quæ ſignificatio optimè hìc convenit, ubi forma rotunda lapidum refectione in quadratam mutatur. CLER.
11. Lam. *quia valde candida eſt.* OXON.
12. MSS. *capillis vero diſſolutis*, ibid.
13. Lam leg. *abjecti erant*, & omittit omnia quæ ſequuntur uſque ad *Poſtquam autem*, ibid.
14. MSS. *necquid*, ibid.
15. Lam *illa.* OXON.
16. MSS. *ejuſmodi conſiderans bene, valde lætus eram*, ibid.
17. MSS. *ſtercus*, ibid.
18. MSS. *hilaris*, ibid.
19. Ed *exſolveret*, ut ſæpe, ibid.
20. MSS. *venerit, forſitan loquetur*, ibid.
21. MSS. *conſignatus*, ibid.
22. MSS. *diſcedere*, ibid.
23. Bod. *habitaturæ ſumus*, ibid.
24. Lam. *habitare*, ibid.
25. MSS. *amplexum*, ibid.
26. MSS. *ducebant*, & mox, *ludebant*, ibid.

eam turrim in ſilentio lætus cum eis ambulabam, & videbar mihi junior factus eſſe. Poſtquam verò veſpera eſſe cœpit, domum [1] repentè abire volebam; illæ autem retinuerunt me, & non permiſerunt abire: Manſi ergo illa nocte cum eis [2] juxta eamdem turrim. Straverunt autem tunicas ſuas linteas in terram, & me in medio collocaverunt, nec quidquam aliud faciebant, niſi quòd orabant. Sed & ego cum illis ſine intermiſſione orabam, neque minùs quàm illæ. Quæ cùm me ſic orantem vidiſſent, ingens gaudium perceperunt, & cum eis illic fui, uſque ad diem poſterum. Et cùm adoraſſemus Dominum, tunc venit Paſtor ille, & ait ad illas: [3] Nullam ei feciſtis injuriam? Et dixerunt ei: Ipſum interroga. Dico ei: Domine, [4] magna voluptas me cœpit, quòd manſi cum eis. Et dixit mihi: Quid cœnaſti? Et dixi: Cœnavi, Domine, totâ nocte verba Domini. Bene, inquit, te acceperunt? Et dixi: Bene, Domine. Numquid vis nunc audire? Et dixi; Volo, Domine: & primùm, ſicut te interrogavero, rogo ut ſic mihi demonſtres. Quemadmodum vis, inquit, ſic tibi rem [5] explanabo, nec quidquam te celabo.

XII. Primùm omnium, Domine, [6] inquam, hoc mihi demonſtra. Petra hæc, & porta quid ſunt? Audi, inquit: [7] Petra hæc, & porta, Filius Dei eſt. Quonam pacto, inquam, Domine, petra vetus eſt, porta autem nova? Audi, inquit, inſipiens, & intellige. Filius quidem Dei omni creaturâ antiquior eſt, ita ut in conſilio Patri ſuo adfuerit ad condendam creaturam. Porta autem propterea nova eſt, quia in conſummatione in noviſſimis diebus apparebit, ut qui aſſecuturi ſunt ſalutem, per eam intrent in regnum Dei. Vidiſti, inquit, lapides illos, qui per portam tranſlati ſunt in ſtructuram turris [8] collocatos, eos verò qui non erant tranſlati per portam, abjectos in locum ſuum? Et dixi: Vidi, Domine. Sic, inquit, nemo intrabit in regnum Dei, niſi qui acceperit nomen Filii Dei. Si enim civitatem aliquam volueris intrare, & civitas illa cincta ſit muro, & unam habeat tantummodò portam; numquid poteris aliâ intrare civitatem illam, niſi per portam quam habet? Et quonam modo, inquam, Domine, aliter fieri poteſt? Sicut ergo, inquit, in illam urbem non poteſt intrari, quàm per portam ejus: ita nec in regnum Dei poteſt [9] aliter intrari, niſi per nomen Filii ejus, qui eſt ei cariſſimus. Et dixit mihi: Vidiſti turbam eorum qui ædificabant turrim illam? Vidi, inquam, Domine. Et dixit: Illi omnes Nuncii ſunt [10] dignitate venerandi. His igitur veluti muro, cinctus eſt Dominus. Porta verò Filius Dei eſt, qui ſolus eſt acceſſus ad Deum. Aliter ergo nemo intrabit ad Deum, niſi per Filium ejus. Vidiſti, inquit, illos ſex viros, & in medio [11] præcelſum virum illum ac magnum, qui circa turrim ambulavit, & lapides de ſtructura [12] reprobavit? Vidi, inquam, Domine. Ille, inquit, [13] præcelſus, Filius Dei eſt: & illi, ſex Nuncii ſunt [14] dignitate conſpicui, dextra, lævaque eum [15] circumſtantes. Ex his, inquit, [16] excellentibus Nunciis, nemo ſine eo intrabit ad Deum. Et dixit: Quicumque ergo nomen ejus non acceperit, non intrabit in regnum Dei.

XIII. Et dixi: Quid eſt deinde hæc turris? Hæc, inquit, Eccleſia eſt. Et virgines hæ quæ ſunt, Domine? Et dixit mihi: [17] Hæ, inquit, ſpiritus ſancti ſunt: non aliter enim homo poteſt in regnum Dei intrare, niſi hæ induerint eum veſte ſua. Etenim nihil proderit tibi, accipere nomen Filii Dei, niſi etiam & veſtem earum acceperis ab eis. Hæ namque virgines, poteſtates ſunt Filii Dei. Ita fruſtra nomen portabit quis, niſi etiam poteſtates ejus [18] portaverit. Et dixit mihi: Vidiſti lapides illos qui abjecti ſunt? Illi enim nomen quidem [19] portarunt, veſtem autem illarum non induerunt. Et dixi: Quæ eſt veſtis earum, Domine? Ipſa, inquit, nomina, veſtis earum eſt. Quicumque ergo, inquit, [20] nomen Filii Dei portat, harum quoque nomina portare debet: nam & [21] Filius nomina portat earum. Quoſcumque, inquit, lapides vidiſti in ſtructura remanſiſſe, per manus harum traditos, earum poteſtate veſtiti ſunt. Ideoque totam turrim [22] concordem vides cum petra, & velut ex uno lapide factam. Sic quoque hi qui crediderunt Deo per Filium ejus, induti ſunt ſpiritum hunc. Ecce unus erit ſpiritus, & unum corpus, & unus [23] color veſtium eorum: ſed & illi aſſequentur iſta, qui [24] portaverint nomina virginum harum. Et dixi: Quare ergo, Domine, abjecti ſunt lapides qui reprobati fuerunt, cùm ipſi per portam tranſlati fuerint, & traditi per manus virginum harum, in ſtructuram turris hujus? Quoniam, inquit, cura tibi eſt, omnia diligenter inquirere; audi de iis lapidibus, qui abjecti ſunt. Hi omnes nomen Filii Dei acceperunt, ſed & poteſtatem virginum harum. His ergo Spiritibus acceptis, conſummati fuerunt, & in numero ſervorum Dei redacti, & unum corpus eorum eſſe cœpit, atque una veſtis: eamdem enim ſentiebant æquitatem, quam pariter exercebant. At verò poſtquam viderunt mulieres illas, quas advertiſti nigra veſte veſtitas, exertis humeris, & [25] ſolutis crinibus; concupiverunt ſollicitare illas, ob pulcritudinem earum; & induti ſunt poteſtate earum; Virginum verò projecerunt [27] amictum. Hi igitur abjecti ſunt à domo Dei, & traditi mulieribus illis. At hi qui non ſunt corrupti pulcritudine earum, in domo Dei remanſerunt. Habes, inquit, horum lapidum qui abjecti ſunt, explicationem.

XIV. Et dixi: Si qui ergo, Domine, hominum qui hujuſmodi ſunt, egerint pœnitentiam, & abjecerint cupiditatem mulierum illarum, & converſi redierint ad Virgines, & earum poteſtatem induerint; nonne intrabunt in domum Dei? Intrabunt, inquit, ſi abjecerint omnia opera mulierum illarum, & harum virginum reſumpſerint poteſtatem, & in operibus earum ambulaverint: & ideo intermiſſio facta eſt ſtruendi, ut ſi hi egerint pœnitentiam, adjiciantur in ſtructuram turris: ſi autem non egerint pœnitentiam, alii ſtruantur loco eorum; & illi tunc abjicientur in [28] toto. Ad hæc omnia gratias egi Domino, quòd in omnes, in quibus invocatum eſt nomen ejus, motus clementiâ, miſerit præſidem Nuncium pœnitentiæ ad nos, qui deliquimus ei; & quòd renovaverit ſpiritus noſtros jam certè deficientes, neque habentes ſpem ſalutis, nunc verò recreat ad reintegrationem vitæ. Et dixi; Nunc, Domine, demonſtra mihi, quare non in terra ædificatur hæc turris, ſed ſupra petram, & portam. Quoniam, inquit, inſipiens & ſine intellectu es; ideo interrogas.

1. MSS. deeſt, *repente*, ibid.
2. Lam. *ad eam turrim*, ibid.
3. MSS. *ne forte feciſtis*, ibid.
4. MSS. *magnam voluptatem percepi*, ibid.
5. *Exſolvam.* ſic habet MS. Lamb. & alibi ubi verbum *explanare* alii Cod. præ ſe ferunt. Fuit, nimirum, Græcè *ἐπιλύσω expediam*, vel interpretabor. Gloſſæ: *ἐπιλύω*, *reſolvo*, *enodo* Vid. & num. 13 in fine, ubi *exſolutionem* habemus. pro *ἐπίλυσιν*, & num. 15. etiam in fine. CLER.
6. *Inquam hoc.* In Cod. Lam. paſſim *inquit* & *inquam*, omittuntur. quæ Græci Dialogiſtæ ſupplenda lectori paſſim permittunt, ut apud *Platonem* paſſim. IDEM.
7. Sic in ſacris literis, *Dominus Petra & Janua* dicitur. OXON.
8. Lam. *collatus*, ibid.
9. Lam. *aliquis intrare*, ibid.
10. MSS. *dignitoſi*, ibid.
11. MSS. *honeſtum virum atque magnum*, ibid.
12. Lam. *portavit*, ibid.
13. MSS. *honeſtus*, ibid.
14. MSS. *dignitoſi*, ibid.
15. MSS. *convenientes*, ibid.
16. MSS *dignitoſis*, ibid.
17. Spiritus ſanctus reſpectu multiplicium donorum ſuorum per plures virgines repræſentatur, tamen *unus* ſtatim dicitur. OXON.
18. MSS. *induerint*, ibid.
19. MSS. *tulerunt*, ibid.
20. Lam. *ipſum*, *inquit*, *nomen*, ibid
21. De nomine Filii Dei ab electis geſtato, vid Apoc. 2. 17. 3. 12 14. 1. & de veſte nuptiali, Matth. 22. 11. Porro Apoſtolus Paulus jubet *Chriſtum induere*, Rom. 13. 14. ibid.
22. Bod. *conſimilem*. Cot *concordem*, ibid.
23. Lam *odor veſtium earum*, ibid.
24. MSS. *tulerunt*, ibid.
25. Lam *diſſolutis*, ibid.
26. MSS. *concupiverunt enim eas*, *ſollicitari pulcritudine*, ibid.
27. Lam. *amictum*. ibid.
28. Lam. *totum*, ibid.

Et dixi : Neceſſe habeo, Domine, omnia te interrogare ; quoniam nihil omnino intelligo : reſponſa enim omnia, magna & præclara ſunt, & quæ homines vix intelligere poſſunt. Audi, inquit ; Nomen Filii Dei magnum & immenſum eſt, & totus ab eo ſuſtentatur orbis. Si ergo, inquam, [1] omnis Dei creatura per Filium ejus ſuſtentatur ; cur non & eos ſuſtinet, qui invitati ſunt ab eo, & nomen ejus ferunt, & in præceptis ejus ambulant ? Nonne etiam vides, inquit, quòd ſuſtinet eos, qui ex totis præcordiis portant nomen ejus ? Ipſe igitur fundamentum eſt eorum ; & libenter portat eos ; qui non negant nomen ejus, ſed libenter ſuſtinent illum.

XV. Et dixi : Demonſtra mihi, Domine, nomina virginum harum, & mulierum illarum quæ nigra veſte [2] ſunt indutæ. Audi, inquit, nomina virginum quæ potentiores ſunt, quæ obtinuerunt angulos portæ : hæc ſunt : Prima vocatur Fides ; ſecunda Abſtinentia ; tertia Poteſtas ; quarta Patientia : cæteræ autem quæ [3] infra has conſiſtunt, his nominibus vocantur : Simplicitas, Innocentia, Caſtitas, Hilaritas, Veritas, Intelligentia, Concordia, Caritas. Quicumque itaque portant hæc nomina, & nomen Filii Dei ; in regnum Dei poterunt intrare. Audi nunc mulierum nomina, quæ nigra veſte veſtitæ ſunt : & his quatuor potentiores ſunt : quarum prima Perfidia ; ſecunda Intemperantia ; tertia Incredulitas : quarta [4] Voluptas nominatur. Sequentes verò harum, ſic nominantur : Triſtitia, Malitia, Libido, Iracundia, Mendacium, Stultitia, Inflatio, Odium : hos Spiritus, qui portat Dei ſervus, regnum Dei videbit quidem, ſed non intrabit in illud. Lapides verò illi, Domine, qui de profundo in ſtructura aptati ſunt ; qui ſunt ? Decem, inquit, qui in fundamentis collocati ſunt ; primum ſæculum eſt : ſequentes viginti quinque, ſecundum ſæculum eſt juſtorum virorum. Illi autem triginta, Prophetæ Domini, ac miniſtri ſunt : quadraginta verò, Apoſtoli & doctores ſunt prædicationis Filii Dei. Et dixi : Cur ergo, Domine, virgines illæ etiam hos lapides in ſtructuram turris porrexerunt, translatos per portam ? Et dixit : Hi enim primi Spiritus illos portaverunt, & omnino alius ab alio non receſſerunt, nec Spiritus ab hominibus, nec homines à Spiritibus ; ſed juncti fuerunt hi Spiritus eis uſque ad diem quietis : qui niſi hos Spiritus ſecum habuiſſent, non fuiſſent utiles ſtructuræ turris hujus.

XVI. Et dixi : Etiam nunc, Domine, demonſtra mihi. Quid quæris ? inquit. Quare, inquam, de profundo hi lapides aſcenderunt, & poſiti ſunt in ſtructuram turris hujus ; cùm jam pridem portaverint Spiritus juſtos ? [5] Neceſſe eſt, inquit, ut per aquam habeant aſcendere, ut requieſcant. Non poterant enim aliter in regnum Dei intrare, quàm ut deponerent mortalitatem prioris vitæ. Illi igitur defuncti, ſigillo Filii Dei ſignati ſunt, & intraverunt in regnum Dei. Antequam enim

1. Lam. *quoniam*, ibid.
2. MSS. *veſtitæ*, ut infra, ibid.
3. Lam. *inter has conſiſterunt*, ibid.
4. MSS. *dulcedo*, ibid.
5. *Neceſſe eſt ut per aquam habeat aſcendere*, &c. Quandoquidem lavatio corporibus competit, non animis, Noſter neceſſariò intelligit Baptiſmum Metaphoricum & Myſticum, bona videlicet quæ in Baptiſmate à Deo conceduntur. Quod ergo dicit, iſtud eſt ; Patriarchæ, Prophetæ, cæterique homines juſti, ante Chriſti adventum denati, cùm virtutibus abundaſſent, ad ingrediendum in regnum Dei indigebant ſolummodo ſigillo Filii Dei, ſeu Baptiſmate, (Baptiſma enim ita paſſim apud Patres appellatur, rationemque denominationis illius reddit Theologus Gregorius Orat. 40.) hoc eſt, indulgentià Baptiſmali. Quocirca Apoſtoli & doctores Evangeliſtæ ipſi baptizati, prædicaverunt poſt mortem ſuam juſtis mortuis Baptiſmum ac fidem ; deſcenderuntque cum illis in aquam ; eo modo quo Philippus & Eunuchus Act. VIII. 38. deſcenderunt in aquam, ut hunc ille baptizaret ; atque ex aqua aſcenderunt ; cum hac differentia, quòd Apoſtoli, utpote jam donati lavacro regenerationis, vivi deſcenderint & aſcenderint ; juſti verò, quia Baptiſmi antea erant expertes, mortui aſcenderint, aſcenderint vivi. Hic mihi videtur ſenſus eſſe obſcuriſſimi loci, atque a multis non intellecti.

Jam verò de Baptiſmo Apoſtolorum agunt Johannes Moſchus Novi Paradiſi cap. 176. ex Clementis Stromatei Hypotypoſibus, Tertullianus libro de Baptiſmo cap. 12. Anonymus Auctor Tractatis de non iterando Baptiſmate, publici juris factus à Rigaltio in Obſervationibus ad Cyprianum, p. 119. Pacianus Epiſt. 3. Auguſtinus Epiſt. 108. Euthymius ad Johannis III. 5. & Nicephorus Hiſt. lib. cap. 3. Præterea eò ſpectat quod ad finem Codicis Reg. 517. qui complectitur Catenam in quatuor Evangelia, loco Theodori Abucaræ impreſſo in Opuſculis illius num. 17. ſubjungitur ;

Quæ etiam citat Michael Glycas, libro poſteriore Operis εἰς τὰ ἄπορα τῆς γραφῆς, cap. 52. Extat id Opus MS. in Bibliotheca Thuana, compoſitumque eſt ex Orthodoxa Fide Johannis Damaſceni, adjectis nonnullis aliorum Patrum.

Quòd autem attinet ad prædicationem Inferis allatam, vulgatiſſima quondam fuit ea opinio. Nam ut ſilentio obvolvam Marcionis nefandum dogma, aſſerens, teſtibus B. Irenæo lib. 1. cap. 29. & B. Epiphanio Hæreſi 42. cap. 4. in Chriſti deſcenſu ad Inferos, ac inibi prædicatione, Cainum, Sodomitas, Gentiles, omneſque ſimiles illis improbos ſalutem conſecutos fuiſſe ; Abelem autem, reliquoſque Patriarchas, Prophetas, & pios homines, ſalutis participes non extitiſſe. Ut quoque taciteus prætermittam errorem quorumdam, de omnium omnino liberatione tunc factâ, memoratum in Philaſtrio Parte 3. Hæreſi 75. & poſt eum in Auguſtino Hæreſi 79. & Epiſt. 98. 99. in Gregorio Papa lib. 6. Epiſt. 16. ex quo emaculandus Philaſtrius, ſic. *Alii ſunt Heretici ; qui dicunt Dominum in Infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem etiam ibidem ſe nunciaſſe, ut confitentes ibidem ſalvarentur* : & in Anonymo, ſub nomine Prædeſtinati per Sirmondum in lucem edito, Hæreſi 79. ubi Adecerditæ nuncupantur, Ἀδεσφόριοι, propter lucrum ſalutis in Inferno. Quæ quæſtio hunc in modum proponitur a Gregorio Nazianzeno Orat. 42. p. 693. ἁπλῶς πάντας σώζει φανεὶς, ἢ κἀκεῖ τοὺς πιστεύοντας. *Utrùm Chriſtus omnes ſine ulla exceptione adventu ſuo ſalvos fecerit, an illic quoque in Inferno, eos duntaxat qui crediderunt.* Atque Nazianzeni locum reſpicit & ad credentes determinat Damaſcenus, Oratione de fidelibus defunctis, ante medium : laudans verò Oecumenius in I. Petri III. 18. minùs bene, meâ quidem ſententiâ, legit ἀπειθήσαντας, exponitque eos qui ita ſe præparaverant, ut ſi eorum tempore veniſſet Chriſtus, credituri fuiſſent. Ut denique verbum non faciam de falſa opinatione Clementis Alexandrini in Strom. 2. & 6. (inde que Johannis Damaſceni ubi ſupra) quam ex Hermæ verbis fruſtra nititur approbare ; Quòd quando prædicatum fuit Inferorum habitatoribus, Gentilium ii qui ex Philoſophia juſtè vixerant, per fidem ac pœnitentiam ſalutem adepti fuerint : unde originem ſumpſit fabula ſalvati Platonis, quia Chriſto Inferna locum viſente, ne quo ante illum Philoſophum ad fidem acceſſerit ; relata ab Anaſtaſio Antiocheno Quæſt. 111. & à Niceta ad locum citatum Gregorii Theologi. Præter hæc, inquam ; prædicatio Johannis Baptiſtæ ad animas Infernali carcere concluſas, illic quoque præcurſorem agentis, auctoritate nititur Origenis, Homil. 4. in Lucam, & ad Johannis I. 39. *Venite & videte* ; Hippolyti, de Anti Chriſto, Tractatu paucis abhinc annis per Marquardum Gudium hic Lutetiæ Pariſiorum publicato, p. 62. 85. Gregorii Nazianzeni, Oratione 20. p. 389. Hieronymi, Epiſtolæ 151. Quæſtione 1. & ad Matthæi XI. 3. Epiphanii cujuſdam vel alterius hominis, Oratione in ſepulcrum Chriſti, Tomo 2. ſancti Epiphanii Operum p. 268. Anaſtaſii, Quæſtione ſuprà citatâ CXI. & Nicephori Hiſtoriæ lib. 1. cap. 19. 21. Sed & nonnihil ſimile iis Moyſe ac Elia ſuſpicatur Origenes Tomo 12. in Matthæum, ad cap. 17. verſ. 8. Per Chriſtum autem Evangelium prædicatum fuiſſe Inferis, a quo non dictum ? à quo ex Petri Apoſtoli ſermone, Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 19. 20. & cap. 4. verſ. 6. non collectum ? Quinetiam ad omnes ſoloſque eos ex mortuis pertinuiſſe prædicationem & ſalutem, qui dum viverent, crediderant in Chriſtum venturum, virtutiſque operam navaverant, doctrina quoque eſt multorum. Illam tuetur S. Irenæus lib. 4. cap. 45. locumque Propheticum eò facientem adducit lib. 3. cap. 23. lib. 4. cap. 39. 56. 66. & lib. 5. cap. 31. quem textum Juſtinus Martyr in Dialogo p. 298. ait à Judæis ex Jeremia fuiſſe ſublatum. Nec diſſentiunt Origenes ad Johannis I. 39. Philaſtrius & Gregorius jam laudati, Oecumenius in cap. 3. & 4. prioris Epiſtolæ Petri, Hippolytus, aliique. Verùm alii non pauci ; Fauſtum, nempe, adventus Dominici nuncium cunctis fuiſſe apportatum ; quò crederent, ſicque ab Inferno ad cœlum transferrentur, quicumque vellent. Ita Jobius Monachus lib. 9. de Incarnatione cap. 38. in Codice 222. Photianæ Bibliothecæ. Ita illi ad quos Papa Gregorius ſcribit Epiſtolam 15. libri 6. Adeò ut, à Niceta dicitur ad Gregorium Nazianzenum ; in terra homines per fidem & bona opera ſalvi fiant, in Inferno autem per ſolam fidem ſervati ſunt ; quod diſertè confutat Gregorii magni Epiſtola. At Origenes lib. 2. contra Celſum p. 87. ad Chriſtum converſos putat, aut qui voluerunt, aut quos aptiores ille judicavit. Auguſtinus verò Epiſt. 99. & lib. 12. de Geneſi ad litteram, affirmat ſolutos per Chriſtum ac liberatos fuiſſe à doloribus & tormentis Inferni nonnullos, quos nempe voluit, dignoſque cenſuit eo beneficio.

Denique defunctos Apoſtolus hominibus æthere caſſis Chriſtianam Religionem tradiſſe, cum Herma, & ex Herma docet Clemens Strom. 2. & 6. qui eò propendet ut ſentiat, Hebræis quidem Chriſtum ; Gentilibus verò Apoſtolos annunciaſſe Evangelium. Perinde magiſtro diſcipulus conjectat, in Roman. XI. 13. quaſi Paulus poſt exitum ſuum futurus eſſet non ſolùm Gentium Apoſtolus, ſed & Iſraëlitarum, & aliorum fortaſſis inviſibilium. Hæc de Infernâ prædicatione. Quamquam non deſunt qui in totum negent. Ut Beda ad I. Petri III. Quo loci rejicit S. Hilarii Enarrationem verſûs 82. Pſalmi CXVIII. ſuppreſſo tamen illius nomine. Ac ſuper ea re legi debet Epiſtola B. Auguſtini 99. necnon

Digitized by Google

runt; & quidam alii, in labiis Dominum, non in corde ferentes. Ideoque aridæ ſunt, & nullum fundamentum habentes herbæ eorum; verbis enim tantummodò vivunt; opera verò eorum mortua ſunt. Hi ergo nec mortui ſunt, nec vivi, & dubii ſimiliter ſunt. Ipſi enim dubii, nec virides ſunt, neque aridi; id eſt, nec vivi, nec mortui. Sicut enim herbæ eorum, ſole viſo arueſcunt; ita & dubii, 1 ſimul ut audierunt perſecutionem incommoda metuentes, redierunt ad ſimulacra, & rurſus ſervierunt eis, & erubuerunt Domini ſui ferre nomen. Hujuſmodi ergo homines, nec vivi, nec mortui ſunt; ſed & hi poſſunt vivere, ſi citò egerint pœnitentiam; ſin minùs, jam traditi ſunt mulieribus illis, quæ auferunt vitam eorum.

XXII. De quinto verò monte aſpero, & virides herbas habente, hujuſmodi ſunt qui crediderunt, fideles quidem, ſed difficilè credentes, & audaces, ac ſibi placentes; volentes 2 videri cuncta ſcire, nihilque omnino ſcientes. Propter hanc igitur audaciam, ſenſus diſceſſit ab illis, & intravit in eos 3 temeratia 4 arrogantia. Sublimes autem ſe gerunt, & veluti prudentes; & cùm ſint ſtulti, cupiunt doctores videri. Propter hanc ſtultitiam, dum ſe magnificant, multi eorum evaniti ſunt. Magnum enim Dæmonium eſt audacia & confidentia inanis. Ex his igitur multi abjecti ſunt. Alii autem 5 agnito errore ſuo, pœnitentiam egerunt, & ſubdiderunt ſe habentibus ſenſum. Sed & cæteris horum ſimilibus propoſita eſt pœnitentia: neque enim mali fuerunt, ſed inſipientes potiùs & ſtulti. Hi ergo ſi egerint pœnitentiam, vivent Deo; ſin minùs, habitabunt cum mulieribus illis, quæ nequitias ſuas 6 exercebunt in eis.

XXIII. De ſexto monte habente ſciſſuras majores & minores; hujuſmodi ſunt qui crediderunt. Et hi in quibus ſciſſuræ minores erant, hi ſunt qui inter ſe habent lites, & propter querelas ſuas in fide languent: ſed multi ex iis egerunt pœnitentiam, idemque cæteri facient, auditis meis: exiguæ enim ſunt lites eorum; ac facilè ad pœnitentiam recurrent. At hi qui majores habent; ſicut lapides pertinaces erunt, 7 ſimultatum & offenſarum ſunt memores, iracundiam inter ſe exercentes. Hi ergo abjecti ſunt à turri, & à ſtructura ejus reprobati: hujuſmodi ergo homines difficilè vivent. Deus & Dominus noſter, qui dominatur omnium rerum, & creaturæ ſuæ univerſæ habet poteſtatem, offenſas meminiſſe non vult: ſed ab his qui peccata ſua confitentur facilè placatur. Homo verò cùm ſit languidus, mortalis, infirmus, & repletus peccatis, homini perſeveranter iraſcitur, tamquam conſervare eum poſſet, aut perdere. Ego autem moneo vos, Nuncius & præpoſitus pœnitentiæ, ut quicumque propoſitum tale haberis, deponatis illud, & ad pœnitentiam recurratis: & Dominus 8 medebitur prioribus delictis veſtris, ſi ab hoc Dæmonio vos purificaveritis: ſin minùs, ad mortem trademini illi.

XXIV. De monte verò ſeptimo, in quo virides & hilares erant herbæ, & totus mons fertilis erat, omneque genus pecudum carpebant pabulum ex herbis montis ejuſdem; & quantò magis herbæ illæ carpebantur, tanto lætiores 9 revirebant: hujuſmodi ſunt qui crediderunt ſimplices & boni ſemper, & nullas habentes inter ſe diſſenſiones, ſed lætantes ſemper de ſervis Dei; induti ſpiritum virginum harum, & ſemper 10 in omnes homines ad faciendam miſericordiam prompti, & de laboribus ſuis cunctis hominibus facilè tribuentes; ſine improperio & deliberatione. Viſa igitur Dominus ſimplicitate & omni infantia eorum, auxit eos in laboribus manuum ſuarum, & dedit eis in omni 11 opere gratiam. Ego autem hortor vos, præpoſitus pœnitentiæ Nuncius, in eodem propoſito permanete, quicumque eſtis hujuſmodi, ne eradicetur ſemen veſtrum in ævum. Dominus enim vos probavit, & conſcripſit in noſtrum numerum, & omne 12 ſemen veſtrum cum Filio Dei 13 ditavit; de ſpiritu enim ejus eſtis omnes.

XXV. De octavo verò monte, in quo plurimi erant fontes, in quibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei; tales ſunt qui crediderunt Apoſtolis, quos miſit Dominus in totum orbem prædicare; & quidam Doctores, qui 14 caſtè & ſincerè prædicaverunt ac docuerunt, nec quidquam omnino ſubſcripſerunt malæ cupiditati, ſed aſſiduè, in æquitate & veritate ambulaverunt. Hi ergo inter Angelos converſationem habent.

XXVI. De nono autem monte deſerto, ac 15 ſerpentes habente; hujuſmodi ſunt qui crediderunt, 16 ſed & maculas habebant. Hi ſunt miniſtri malè miniſterium agentes, diripientes viduarum bona & pupillorum; 17 ſibi, non aliis, ea his quæ acceperunt, miniſtrantes. Hi ſi permanſerint in eadem cupiditate; morti ſe tradiderunt, nec ulla erit in eis ſpes vitæ; quòd ſi converſi fuerint, & caſtè conſummaverint miniſterium ſuum, poterunt vivere. Qui verò ſcabroſi reperti ſunt, ii ſunt, qui nomen Domini abnegaverunt, nec ad Dominum tutiùs redierunt, ſed agreſtes evaſerunt atque deſerti; non applicantes ſe ad Dei ſervos, ſed ſeparati ab eis, pro parva ſollicitudine vitam ſuam amiſerunt. Sicut enim vitis aliqua derelicta in ſepe, cui nulla cultura contingit; diſperit & ſuffocatur ab herbis, & agreſtis tempore efficitur; (deſinit enim utilis eſſe Domino ſuo): ſic & hujuſmodi homines de ſeipſis 18 deſperantes, exacerbati, Domino ſuo inutiles eſſe cœperunt. His ergo demandatur pœnitentia; ſi non ex præcordiis inventi fuerint negaſſe: an vitam aſſequi poſſit, ignoro. Ideoque dico, ut in his diebus, ſi quis negavit, ad pœnitentiam revertatur: nam fieri non poteſt, ut nunc Dominum ſuum quis 19 abnegans poſtea aſſequi poſſit ſalutem, ſed illis reputatur propoſita pœnitentia. qui olim abnegaverunt. Accelerare enim, qui acturus eſt pœnitentiam, debet, antequam peragatur ædificatio turris hujus: ſin minùs, à mulieribus illis 20 trahetur ad mortem. Qui verò curti, doloſi ſunt, & alius in alium commiſcentes; hi ſunt ſerpentes in eo monte mixti. Sicut enim mortiferum eſt hominibus ſerpentum venenum: ita & verba talium 21 inficiunt homines, atque perdunt. Curti ſunt igitur à fide ſua, propter hoc genus vitæ ſuæ 22 in quo morantur. Aliqui verò eorum, acceptâ pœnitentiâ, aſſecuti ſunt ſalutem: ſed & cæteri hujuſmodi homines æquè aſſequentur, ſi egerint pœnitentiam: ſin minùs, morientur 23 cum mulieribus illis, quarum vim poſſident ac poteſtatem.

XXVII. De decimo verò monte, in quo arbores erant tegentes pecora; tales ſunt qui crediderunt, quidam 24 Epiſcopi; id eſt, præſides Eccleſiarum. Alii verò hi lapides; qui non ficto, ſed 25 alacri animo ſemper in domos ſuas ſervos Dei receperunt: & deinde qui præſides fuot 26 miniſteriorum, qui & inopes & viduas protexerunt, & caſtam perpetuò converſationem habuerunt. Ergo hi homines à Domino proteguntur.

1. Lam. *ſimul audientes perſecutionem & incommoda*, ibid.
2. Lam. deeſt, *videri*, ibid.
3. MSS *fatua*, ibid.
4. Bod. & Lam. *præſumptio*. Cot. *arrogantia*, ibid.
5. MSS. *cognito*, ibid.
6. MSS. *exercent*, OXON.
7. Alii, *in ſimultatibus*, & ibid.
8. MSS. *remediabit priora delicta veſtra*. Alii, *remedia providebit*, ibid.
9. MSS *recreſcebant*, ibid.
10. Lam. *omnibus hominibus*. ibid.
11. Lam. *tempore*, ibid.
12. Lam. *genus*, ibid.
13. Cot. *ditavit*. Bod. & Lam. *habitabit*, ibid.
14. MSS. deeſt, *qui*, ibid.
15. Bod. *ſerpentibus habitato*, ibid.
16. MSS *qui &*, ibid.
17. Lam. *ſibi aliis ex miniſterio quod acceperunt, miniſtrare urgentes: ſi* ibid.
18. Bod. *deſpondentes*, ibid.
19. Lam. *Eccleſia abnegans*, ibid.
20. Lam. *tradetur*, ibid.
21. Lam. *decipiunt*, ibid.
22. Lam. *in quo morantur*. Bod. *in quo morati ſunt*, ibid.
23. Lam. *à mulieribus*, ibid
24. Bod. *Epiſcopi, i, e, præſulibus Eccleſiæ*, ibid.
25. MSS. *libenti*, ibid.
26. MSS. *miniſterio, inopes & viduas protexerunt*, ibid.

Hæc quicumque [1] egerint, honorati ſunt apud Dominum, & inter Nuncios locus eorum eſt, ſi perſeveraverint, uſque in conſummationem parere Domino.

XXVIII. De undecimo monte, in quo erant arbores aliis atque aliis fructibus [2] oneratæ: hi ſunt qui crediderunt, & propter nomen Domini mortem obierunt, & animo prompto paſſi ſunt, & ex toto corde ſuo animas ſuas tradiderunt. Et dixi: Quare, ergo, Domine, omnes hæ arbores habent quidem fructus, ſed earum quædam pulcriores? Audi, inquit: Quicumque propter nomen Domini paſſi ſunt, honorati apud Deum habentur; & omnium eorum [3] deleta ſunt delicta, quia propter nomen Filii Dei mortem obierunt. Quare autem fructus earum diſpares ſint, & excellant quidam inter illos, audi. Quicumque enim perducti ad poteſtates, interrogati non negaverunt Dominum, ſed prompto animo paſſi ſunt; honoratiores ſunt apud Deum: qui excellunt igitur fructus eorum ſunt. Qui verò timidi & dubii fuerunt, & deliberaverunt in corde ſuo, utrumne faterentur, an negarent, & [4] paſſi ſunt; horum fructus exiguiores ſunt; quoniam hæc cogitatio aſcendit in corda eorum: mala enim ac nequam eſt hujuſmodi cogitatio, perinde [5] ac ſi quis ſervus neget dominum. Cavete igitur vos, qui hujuſmodi cogitationes habetis, ne permaneat hæc mens in vobis, & Deo moriamini. Vos igitur, quicumque propter hoc nomen mortem obitis, Dominum [6] honorare debetis; quòd dignos vos habet Dominus, ut nomen ejus feratis, & omnia peccata veſtra redimantur. Nonne ergo vos potiùs felices exiſtimatis? Putate potiùs, ſi quis ex vobis patitur, magnum opus perficere. Vitam enim vobis donat Dominus, nec intelligitis. Delicta enim veſtra vos gravabant; & niſi paſſi eſſetis hujus nominis causâ, propter peccata certè veſtra mortui eratis Deo. Hæc igitur vobis dico, quicumque deliberatis de confeſſione, aut de abnegatione. Confitemini igitur vos habere Dominum Deum; ne fortè negantes, tradamini in vincula. Si omnes enim gentes ſervos ſuos puniunt, quicumque dominum ſuum negaverunt; quid putatis vos Dominum vobis facturum, qui univerſorum habet poteſtatem? Removete igitur de præcordiis veſtris has [7] diſputationes, ut in perpetuum vivatis Deo.

XXIX. De duodecimo verò monte [8] candido: tales ſunt qui crediderunt ſicut infantes ſinceri, quibus nulla malitia aſcendit in ſenſum: nec ſciverunt quid ſit malitia; ſed ſemper in ſinceritate manſerunt. Hujuſmodi ergo homines, ſine ulla dubitatione [9] inhabitabunt regnum Dei: quoniam in nullo negotio [10] mandata Dei maculaverunt, ſed cum ſinceritate permanſerunt omnes dies vitæ ſuæ eodem ſenſus tenore. Quicumque ergo [11] permanſerint, inquit, ſicut infantes, non habentes malitiam, honoratiores [12] erunt omnibus illis quos jam dixi. Omnes enim infantes honorati ſunt apud Dominum, & primi habentur. Felices ergo vos, quicumque removeritis malitiam à vobis, & indueritis innocentiam: quia primi videbitis Deum. Poſtquam finivit omnium montium [13] explanationem; dico ei: Domine; nunc expone mihi de lapidibus his, qui allati ex campo, in locum reprobatorum ad ſtructuram turris [14] miſſi ſunt, item de lapidibus illis rotundis, qui in ſtructuram turris adjecti ſunt: & de his qui adhuc rotundi remanſerunt.

XXX. Audi, inquit, de lapidibus. Qui [15] allati de campo, in ſtructuram turris poſiti ſunt eorum loco, qui reprobati erant; radices ſunt illius candidi montis. Cùm igitur hi, qui de illo monte crediderunt, facti ſunt innocentes; juſſit Dominus ejus turris, eos qui de radicibus montis eſſent, in ſtructuram collocari. Intellexit enim, ſi [16] ad ædificationem iiſſent, ſplendidos illos permanſuros, nec ullum de his ampliùs [17] denigrandum. Quòd ſi ita de cæteris montibus adjeciſſet; non neceſſe habuiſſet rurſus viſitare eam turrim, atque purgare. Hi autem omnes candidi ſunt, qui crediderunt & qui credituri ſunt: ex eodem enim genere ſunt. Felix hoc genus, quia innocuum eſt. Audi nunc & de illis rotundis lapidibus, & ſplendidis. Hi omnes de hoc candido monte ſunt. Quare autem rotundi ſunt reperti, cauſa eſt, quia divitiæ ſuæ illos puſillùm à veritate obſcuraverunt, atque obfuſcaverunt; ſed à Deo numquam receſſerunt, nec ullum verbum malum proceſſit de ore eorum; ſed omnis æquitas, [18] virtus & veritas. Horum ergo mentem cùm vidiſſet Dominus, & poſſe eos veritati favere; juſſit bonos quoque permanere, & opes eorum circumcidi: non enim voluit in totum illas tolli; ut poſſent boni aliquid facere de eo quod eis relictum eſt, & vivere Deo, quoniam & ipſi de genere bono ſunt. Ideo ergo puſillùm circumciſi ſunt, & poſiti in ſtructuram turris hujus.

XXXI. Cæteri verò, qui adhuc rotundi permanſerunt, neque apti reperti ſunt in eam ſtructuram, quia nondum acceperunt ſigillum, repoſiti ſunt in loco ſuo: valde enim rotundi reperti ſunt. Oportet autem circumcidi hoc ſæculum ab illis, & vanitates opum ſuarum, & ſic convenient in regno Dei: neceſſe eſt enim eos intrare in regnum Dei: hoc enim genus innocuum benedixit Dominus. Ex hoc ergo genere non intercidet quiſquam: etenim licèt quis eorum tentatus à nequiſſimo Diabolo, aliquid deliquerit, citò recurret ad Dominum Deum ſuum. Felices verò judico, ego Nuncius pœnitentiæ, quicumque innocentes eſtis ſicut infantes; quoniam pars veſtra bona eſt & honorata apud Deum. Dico autem omnibus vobis quicumque ſigillum hoc accepiſtis, ſimplicitatem [19] habete, neque offenſarum memores eſtote; neque in malitia permanere, neque in memoria offenſarum amaritudines in uniuſcujuſque ſpiritu [20] ſint; ſed his malis [21] ſciſſuris remedia procurate, atque tollite illas à vobis: ut Dominus pecorum gaudeat de vobis; gaudebit autem, ſi omnia invenerit ſana. Si autem pecus aliquod ex talibus invenerit diſſipatum, væ erit paſtoribus. Quod ſi ipſi paſtores diſſipati fuerint; quid reſpondebunt etiam ei pro pecoribus? Numquid dicent, à pecore ſe vexatos? Non credetur illis. Incredibilis enim res eſt, paſtorem pati poſſe à pecore: & magis punitur, propter mendacium ſuum. Et ego ſum Paſtor, & validiſſimè oportet me de vobis rationem reddere.

XXXII. Conſulite ergo vobis, dum adhuc turris ædificatur. Dominus habitat in viris amantibus pacem: [22] ei etenim vera pax cara eſt. A [23] contentioſis verò, & perditis malitiâ, longè abeſt. Reddite igitur ei ſpiritum integrum, ſicut accepiſtis. Si enim dederis fulloni veſtimentum integrum, idque integrum vis denuò recipere, fullo autem ſciſſum tibi illud reddat, recipies illud? Nonne ſtatim excandeſces, & eum convitio perſequêris? dicens, Veſtimentum [24] meum integrum tibi dedi: quare ſcidiſti illud, & inutilè feciſti?

1. Lam. *geſſerint*, ibid.
2. MSS. *plena*, OXON.
3. MSS. *abolita*, ibid.
4. Bod. add. *tamen*, ibid.
5. MSS. *ut quis*, ibid.
6. Lam. *orare*, & mox, *habeat*, ibid.
7. Alii, *dubitationes*. Bod. *diſputationes*, ibid.
8. MSS. *candidato*, ibid.
9. MSS. *habitabunt in regno Dei*, ibid.
10. Bod. *Dominum maculaverunt*, ibid.
11. MSS. *permanſeritis*, ibid.
12. MSS. *eritis*, ibid.
13. *Solutionem*. ſic Lambethanus, qua de voce vide ad num. 21.
14. MSS. *ierunt*, ibid.
15. MSS. *ejecti*, ibid.
16. MSS. *ſi in illa adificatione miſſi eſſent*, Alii omittunt *miſſi*. ibid.
17. Lam. *bis nigricaturum*, ibid.
18. MSS. *& virtus veritatis*, ibid.
19. MSS. *habere neque offenſarum memores eſſe*, *neque in malitia veſtra permanere*, ibid.
20. MSS. *fieri & has malas ſciſſuras permedicare*, *& tollere à vobis*. OXON.
21. *Sciſſuris*. Græcè in uno Codice Regis membraneo *σχίσματα*. COT.
22. Lam. *enimvero*. OXON.
23. Lam. *litigioſis*, ibid.
24. Lam. deeſt, *meum*, ibid.

Nunc

1 uſui eſſe non poteſt. Nonne hæc omnia verba dices fulloni, & de ſciſſura quam in veſtimento tuo fecerit? Si igitur tu 2 doles de veſtimento tuo, & quereris, quòd non illud integrum recipias: quid putas Dominum tibi facturum, qui ſpiritum integrum tibi dedit, & tu eum totum inutilem redegiſti, ita ut nullo 3 uſui eſſe poſſit Domino ſuo? Inutilis enim cœpit eſſe uſus ejus, cum ſit corruptus à te. Nonne igitur Dominus de ſpiritu ſuo, propter hoc factum tuum, idem faciet? Planè, inquam, omnibus iis quoſcumque invenerit in memoria offenſarum permanere, idem faciet. Clementiam, inquit, ejus nolite calcare, ſed potiùs 4 honorificate eum, quòd tam patiens eſt ad delicta veſtra, & non eſt ſicut vos. Agite 5 pœnitentiam; utile enim id eſt vobis.

XXXIII. Hæc omnia, quæ ſupra ſcripta ſunt, ego Paſtor Nuncius pœnitentiæ oſtendi, & locutus ſum ſervis Dei. Si ergo credideritis, & audieritis verba mea, & ambulaveritis in ipſis, & correxeritis itinera veſtra; vivere poteritis. Sin autem permanſeritis in malitia, & memoria offenſarum; nullus ex hujuſmodi peccatoribus vivet Deo. Hæc omnia 6 à me dicenda, dicta ſunt vobis. Ait mihi ille Paſtor: Omnia à me interrogaſti? Et dixi: Ita, Domine. Quare ergo non interrogaſti me, inquit, de forma lapidum inſtructura repoſitorum, 7 ut tibi explicarem formas? Et dixi: Oblitus ſum, Domine. Audi nunc ergo, inquit, & de illis. Hi ſunt qui nunc mandata 8 hæc audierunt & ex totis præcordiis egerunt pœnitentiam: cumque vidiſſet Dominus bonam atque puram pœnitentiam 9 eorum; & poſſe eos in ea permanere, juſſit priora peccata eorum deleri. 10 Hæ enim formæ, 11 peccata eorum erant; & exæquata ſunt, ne apparerent.

SIMILITUDO X.

I. POſtquam perſcripſeram librum hunc; venit Nuncius ille qui me tradiderat 12 illi Paſtori, in domum in qua eram, & conſedit ſupra lectum, & aſtitit in dextra ejus ille Paſtor. Deinde vocavit me, & hæc mihi dixit: Tradidi te, inquit, & domum tuam huic Paſtori, ut ab eo protegi poſſis. Ita, inquam, Domine. Si vis ergo protegi, inquit, ab omni vexatione, & ab omni ſævitia, ſucceſſum autem habere in omni opere bono, atque verbo, & omnem virtutem æquitatis; in mandatis ingredere, quæ dedit tibi; & poteris dominari omni nequitiæ: cuſtodienti enim tibi mandata illa, ſubjecta erit omnis cupiditas & dulcedo hujus ſæculi; ſucceſſus verò in omni bono negotio te ſequetur. Maturitatem hujus, & modeſtiam ſuſcipe 13 in te; & dic omnibus, in magno honore eſſe eum & dignitate apud Deum, & magnæ poteſtatis eum præſidem eſſe, & potentem in officio ſuo. Huic ſoli per totum orbem, pœnitentiæ poteſtas tributa eſt. Potens-ne tibi videtur eſſe? Sed vos 14 maturitatem hujus, & modeſtiam quam in vos habet, deſpicitis.

II. Dico ei: Interroga ipſum, Domine, ex quo in domo mea eſt, anne aliquid extra ordinem fecerim, aut in aliquo eum offenderim. Et ego, inquit, ſcio, nihil extra ordinem feciſſe te, neque eſſe facturum; & ideo hæc loquor tecum, ut perſeveres: bene hic de te apud me exiſtimavit. Tu autem cæteris hæc verba dices: ut & illi qui egerunt, aut acturi ſunt pœnitentiam, eadem quæ tu ſentiant, & hic apud me de iis interpretetur, & ego apud Dominum. Et ego, inquam, Domine, omni homini indico magnalia Dei: ſpero autem eos omnes qui amant ea, & antè peccaverunt; his auditis, acturos eſſe pœnitentiam, vitam recuperantes. Permane ergo, inquit, in hoc miniſterio, & conſumma illud. Quicumque autem mandata hujus exſequuntur, habebunt vitam; & hîc, & apud Dominum magnum honorem. Quicumque verò hujus mandata non ſervant, 15 fugiunt à vita ſua, & adverſantur illi; & qui mandata ejus non ſequuntur, morti ſe tradunt, & unuſquiſque eorum reus erit ſanguinis ſui. Tibi autem dico, ut 16 ſerves mandata hæc, & remedium peccatorum tuorum omnium habebis.

III. Miſi autem tibi 17 has Virgines, ut habitent tecum: vidi enim eas valde affabiles tibi eſſe. Habebis igitur tu eas adjutrices, quò magis poſſis hujus mandata ſervare: non poteſt enim fieri, ut ſine his virginibus hæc mandata ſerventur. Vides autem eas libenter eſſe tecum: ſed & ego præcipiam eis, ut omnino à domo tua non diſcedant: tu tantùm 18 communda domum tuam: in munda enim domo libenter habitabunt: mundæ ſunt enim, atque caſtæ, & induſtriæ, & omnes habentes gratiam apud Dominum. Igitur ſi habueris domum tuam puram, tecum permanebunt: ſi autem puſillum aliquid inquinationis acciderit, protinus à domo tua recedent: hæ enim virgines nullam omnino diligunt inquinationem. Dico ei: Spero me, Domine, placiturum eis, ita ut in domo mea libenter inhabitent ſemper. Et ſicut is cui me tradidiſti, nihil de me queritur; ita neque illæ querentur. Ait ad Paſtorem illum: Video ſervum Dei velle vivere, & cuſtodire hæc mandata; & virgines has mundâ habitatione 19 collocaturum. Hæc cùm dixiſſet; iterum Paſtori illi me tradidit, & vocavit Virgines, & dixit eis: Quoniam video vos libenter in domo hujus habitare; commendo eum vobis, & domum ejus; ut à domo ejus non recedatis omnino. Illæ verò libenter hæc verba audierunt.

IV. Ait deinde mihi: Viriliter in miniſterio hoc converſare: 20 omni homini indica magnalia Dei; & habebis gratiam in hoc miniſterio. Quicumque ergo in his mandatis ambulaverit; vivet, & felix erit in vita ſua: quicumque verò neglexerit, non vivet, & erit infelix in vita ſua. Dic omnibus, ut non ceſſent (quicumque rectè facere poſſunt) bona opera exercere; utile eſt illis. Dico autem, omnem hominem de incommodis eripi oportere. Is enim qui eget, & in quotidiana vita patitur incommoda; in magno tormento eſt, ac neceſſitate. Quiſquis igitur hujuſmodi animam eripit de neceſſitate; magnum gaudium ſibi acquirit. Nam is qui hujuſmodi vexatur incommodo; pari tormento cruciatur, atque ſe torquet is qui in vinculis eſt. Multi enim propter hujuſmodi calamitates, cùm eas 21 ſuſtinere non poſſunt, mortem ſibi 22 conſciſcunt. Qui novit igitur calamitatem hujuſmodi hominis, & non eripit eum; magnum peccatum admittit, & fit reus ſanguinis ejus. Facite igitur opera bona, qui-

1. Lam. *in uſum*, ibid.
2. Lam. *doles & quereris*, ibid.
3. Lam. *in nullo uſu*, ibid.
4. Lam. *honorate*, ibid.
5. Lam. *pœnitentiam utilem*, OXON.
6. Lam. *me docente vobis*, *dicta*, ibid.
7. Lam. *quod explicemus*, *formes*, ibid.
8. Lam. *mea*, ibid.
9. Lam. add. *eſſe*, ibid.
10. *Hæ enim formæ, peccata eorum erant; & exæquata ſunt, ne apparerent* Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi 18. poſt medium; οἱ σπίλοι τῶν ἁμαρτιῶν μένουσι τῷ σώματι. ὥσπερ γὰρ πληγῆς παρακρουσθείσης ἐν τῷ σώματι, κἂν θεραπεία γένηταί τις, μένει ἡ οὐλή, οὕτω καὶ ἡ ἁμαρτία τιτρώσκει τὴν ψυχὴν. καὶ τὸ σῶμα, καὶ μένουσιν οἱ τύποι τῶν ἥλων ἐν πᾶσιν. περιαιροῦνται δὲ μόνον ἀπὸ τῶν λαμβανόντων τὸ λουτρόν. *Maculæ peccatorum manent in corpore. Ut enim plagâ acceptâ in corpore, etiamſi curata ſit, cicatrix tamen manet: ſic & peccatum vulnerat corpus & animam; & manent formæ ſeu ſigna mucronis in omnibus, tollantur autem tantum ab iis, qui lavacrum Baptiſmi acceperunt.* Videatur Cap. X. iſtius Similitudinis, cum Diatriba illuſtriſſimi Epiſcopi Vaſionenſis, de foraminibus lapidum in priſcis ædificiis. COT.
11. Lam. *peccata*, & mox, *exæquata*, ibid.
12. Lam. *huic*, ibid.
13. Lam. *vita*, ibid.
14. Alii, *modeſtiam hujus & verecundiam*, ibid.
15. Lam. *fugant à ſe vitam*, ibid.
16. Cot. *ſerves mandata*, ibid.
17. Lam. *turbas virginum*, ibid.
18. Lam. *emunda*, ibid.
19. Lam. *collaturum*, ibid.
20. Lam. *omnino indica*, ibid.
21. Lam. *ſufferre*, OXON.
22. Lam. *adducunt*, ibid.

cumque accepiſtis à Domino ; ne , dum 1 moramini facere , conſummetur ſtructura turris : propter vos enim intermiſſum eſt opus ædificationis ejus. Niſi igitur feſtinaveritis facere rectè , conſummabitur turris , & excludemini. Poſtquam verò locutus eſt mecum , ſurrexit de lecto , & apprehenſo Paſtore , & Virginibus , 2 abiit. Dixit autem mihi remiſſurum ſe Paſtorem illum , & Virgines illas in domum meam.

1. Bod. *tardatis* , ibid.

2. MSS. *abiit , dicens mihi remanſurum Paſtorem* , ibid.

IN EPISTOLAM I
S. CLEMENTIS
PRÆFATIO.

HÆc Epiſtola à S. Clemente ſcripta fuit , ab eodem Clemente , inquam , quem B. Paulus Apoſtolus *Philipp. c.* 4. *v.* 3. inter Adjutores ſuos numerat , id eſt , inter eos qui eum comitabantur , quique eum in miniſterio prædicationis Evangelii adjuvabant & quorum , ut ipſemet dicit , *Nomina ſcripta ſunt* in libro vitæ. Hunc S. Irenæus *lib.* 3. *c.* 3. & Euſebius *lib.* 3. *c.* 15. tertium poſt Apoſtolum Petrum in ſede Romana collocant : Alii verò ſecundum, circa annum 91. Æræ Vulgaris, regni Domitiani anno undecimo. Quo verò anno conſcripta fuerit non ſatis conſtat : plerique tamen ſcriptam ſentiunt ſub finem perſecutionis quæ paulò poſt , an. ſcilicet 97. eodem Domitiano imperante excitata eſt ; hæc ſententia præcipuè confirmatur ex eo quod ipſe Pontifex laborum ſuorum in ea fecerit mentionem: alii ſcriptam contendunt , dum in exilio verſaretur paulò ante obitum , ex eo quod dicit S. Pontifex martyrium ſubiiſſe Paulum in extremis Occidentis partibus , quod revera non dixiſſet , aiunt, ſi tunc Romæ adfuiſſet : Sed hæc opinio plane repugnat verbis ipſis Epiſtolæ , num. 59. quæ ſane homini in exilio degenti minime conveniunt. Alii denique volunt eam ſcripſiſſe B. Clementem ante Pontificatûs ſui tempora , eâ tantum autoritate nixi quod eam Epiſtolam ex Romanæ Ecclesiæ perſonâ , non verò ſuâ ſcriptam reliquerit ; at ſententia hæc non ſatis firma videtur , cum ex verbis S. Irenæi eam ſcripſiſſe ſanctum Pontificem inſinuetur , dum Romanam regebat Eccleſiam ; ſi quidem poſtquam dixiſſet *tertio loco Epiſcopatum ſuſcepiſſe Clementem* poſt Anacletum , protinus ſubjungit: *ſub hoc ergo Clemente ſeditio non modica exorta eſt apud Corinthum , ita ut ex perſona Romanæ Eccleſiæ ſcriberet ipſe Clemens ad Corinthios Epiſtolam.* Et hæc quidem cauſa fuit Epiſtolæ hujus , in qua videre eſt quod quidam Pſeudo-miniſtri hujus Eccleſiæ ambitione ſuperbiâque inflati illam excitaverant ſeditionem, primoſque ſibi honores arrogantes Legitimos Paſtores propriis è ſedibus expulerant ut eas uſurparent. Eam ob cauſam , uti dictum eſt , ad Corinthios ſcripſit S. Pontifex ut eos ad pacem concordiamque inflammaret. In ea Epiſtola ſcripturæ ſacræ adducit teſtimonia , ut inde diſcere cogantur quot & quanta mala per omne ævum tum invidia tum ambitio in mundum attulerint : Eos ad caritatem , humilitatem , pacem & concordiam hortatur ſecundum Jeſu Chriſti doctrinam · exprimit bona quæ manſuetudinem & patientiam ſolent comitari , & abducere eos conatur ab aliorum ambitione , ut pacis & unitatis theſaurus inter eos perpetuò conſervetur : mirabilem in modum oſtendit in ea quales eſſe debeant Epiſcopi : dat denique præcepta ad bene pieque vivendum in ſingulo quoque vitæ ſtatu. Hæc Epiſtola præclarum Antiquitatis monimentum præ ſe fert , primævamque ſapit ſimplicitatem , puritatem & pietatem , videturque, ut dicit S. Hieronymus , caracteri Epiſtolæ , quæ ſub Pauli nomine ad Hebræos

Digitized by Google

fertur, convenire; ſed & multis ex eadem Epiſtola, non ſolum ſenſibus, ſed juxta verborum quoque ordinem abutitur. Omnino grandis in utraque eſt ſimilitudo. Hinc fit ut à quibuſdam Epiſtolæ ad Hebræos Autor creditus fuerit. In Scripturæ ſacræ teſtimoniis ſeptuaginta ſenum verſionem ſemper ſequitur, ſenſum tamen potius quam litteram attendendo: Eſt autem hæc Epiſtola, ut ait Photius *Cod.* 126. *Biblioth.* dictione ſimplex ac perſpicua, accedenſque ad Apoſtolicam & indabotatam dicendi formam.

De hujus Epiſtolæ veritate dubitarunt quidam Critici, aut ſaltem eam pluribus in locis ab hæreticis corruptam arbitrati ſunt, ab eiſque in eâ fragmenta atque ex libris Apocryphis teſtimonia fuiſſe congeſta, ut ipſorum faveret erroribus, & quidem in eorum numerum referunt Allegorias quaſdam in animalia munda & immunda, in funiculum Rahab, in Phœnicis fabellam, &c. His verò objectionibus in notis ſeparatim reſpondere conati ſumus, idcirco obiter dicere ſatis erit Antiquos Patres Apoſtolicis ætatibus propinquiores iiſdem Allegoriis & ſimilitudinibus ac ſanctum illum Pontificem uſos fuiſſe. Hoc videre eſt apud S. Juſtinum *dialog. contr. Tryph.* S. Irenæum *lib.* 4. *c.* 37. *verſ. fin.* Origen. *in c.* 2. *Joſ. homil.* 3. Tertul. *lib. de Reſurr. carn.* S. Epiph. *in Anachor.* Itaque iidem Patres facilè hancce Epiſtolam ut ab uno Apoſtolorum diſcipulo opus acceperunt: idque impedire minime potuit quin ab omnibus fuerit recepta & in pleriſque lecta fuerit Eccleſiis, quin ab omnibus fere Antiquis Patribus laudata fuerit, ſive ad veritates confirmandas quibus fideles imbuebant, ſive errores hæreticorum refellendi causâ. Conſule S. Juſtinum ſive Autorem Quæſt. *quæſt.* 47. S. Irenæum *lib.* 3. *c.* 3. Origen. *lib.* 2. S. Clem. Alex. *lib.* 4. *Strom.* S. Ath. *diſput. contr. Ar.* S. Epiph. *hereſ.* 29. & alios.

Oblivione quaſi obruta diu permanſit hæc eadem Epiſtola, ita ut in poſtremis hiſce temporibus, exceptis quibuſdam fragminibus à primis Patribus citatis, nomen tantùm ſupereſſet: Tandem in lucem edidit Patricius Junius, *Oxfordiæ* typis excuſam *an.* 1633. poſtea in 1. tom. Conciliorum à P. Labbe & tandem in ſcriptorum Patrum qui Apoſtolicis temporibus vixerunt collectione fuit inſerta à D. Cotelerio *Pariſiis an.* 1672. hæc autem collectio quæ fere perierat typis iterum mandata eſt in Batavia *an.* 1698. curâ & ſtudio D. Joan. Le Clerc.

SANCTI CLEMENTIS EPISCOPI ROMANI

EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIMA.

Scripta ex Romanæ Eccleſiæ perſona.

ECCLESIA Dei quæ incolit Romam, [1] *Eccleſiæ Dei quæ incolit Corinthum,* [2] *vocatis ſanctificatis in voluntate Dei, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: Gratia vobis & pax* [3] *ab omnipotente Deo per Jeſum Chriſtum multiplicetur, in vobis peculiariter & continuè.*

I. Propter calamitates & caſus adverſos, qui nobis [4] acciderunt, Fratres, tardiùs videmur convertiſſe animum ad eas res, quæ à vobis, Dilecti, quæſitæ ſunt, & ad alienam peregrinamque Dei electis ſeditionem, [5] ſceleſtam ac impiam; quam pauci homines præcipites ac temerarii, in tantum vecordiæ inflammarunt, ut venerabile ac celebre, & ab omnibus dignum amari nomen veſtrum, magnopere blaſphemetur. Quis enim apud vos diverſatus, virtute omni plenam firmamque fidem veſtram non probavit [6]? modeſtam ac decentem in Chriſto [7] pietatem non eſt admiratus? magnificentiam hoſpitalitatis veſtræ non prædicavit? perfectam ſtabilemque cognitionem [8] non judicavit beatam? Nam ſine perſonarum acceptione cuncta faciebatis, & in Dei Legitimis ambulabatis; ſubditi præpoſitis veſtris, & honorem debitum ſenioribus veſtris tribuentes: juvenibus ut moderata & honeſta cogitarent mandabatis: mulieribus denonciabatis, ut in inculpatâ & honeſtâ & caſtâ conſcientia peragerent omnia; diligerent pro officio maritos ſuos; atque in obedientiæ regulâ conſtitutæ, res domeſticas honoratè adminiſtrarent, docebatis, omninoque modeſtè ſe gererent.

II. Omnes autem humili animo eratis, nullatenus ſuperbientes: magis ſubjecti quàm ſubjicientes, dantes potiùs quàm accipientes; Dei viatico contenti, & accuratè attendentes ſermonibus ejus: dilatati eratis in viſceribus, & paſſiones illius præ oculis veſtris erant. Sic pax alta & præclara omnibus dabatur, inſatiabile benefaciendi deſiderium & plena Spiritus ſancti ſuper omnes effuſio erat: atque referti ſanctæ voluntatis; bonâ alacritate cum piâ confidentiâ extendebatis manus veſtras ad omnipotentem Deum; ſupplicantes illi, ut propitius eſſet, ſi quid inviti peccaſſetis. Vobis per diem ac noctem ſollicitudo erat pro univerſa fraternitate, ut cum miſericordia & conſcientia ſalvaretur numerus electorum [9] Dei. Sinceri & ſimplices eratis, atque injuriæ immemores invicem. Omnis ſeditio, & omnis ſciſſura vobis abominationi erat: de proximorum delictis lugebatis: eorum defectus, veſtros judicabatis: omnis bonæ operationis non pœnitebat vos, ſed parati eratis ad omne opus bonum. Venerandâ & virtutum omnium refertâ converſatione ornati, cuncta in timore ejus peragebatis. Mandata Domini ſcripta erant in cordis veſtri tabulis.

III. Omnis gloria & diſtenſio data eſt vobis; & impletum eſt illud Scripturæ: *Edit & bibit; & dilatatus eſt, ac incraſſatus; & recalcitravit dilectus.* Hinc æmulatio, & diſcordia, & ſeditio, perſecutio ac tumultus, bellum & captivitas. Sic inſurrexerunt inhonorati contra honoratos, inglorii contra glorioſos, inſipientes contra ſapientes, juvenes adverſus ſeniores. Ideo procul abſunt juſtitia & pax; dum unuſquiſque timorem Dei deſerit, & in fide illius cæcutit, nec in inſtitutis præceptorum ejus ambulat, nec Chriſto decenter converſatur; ſed unuſquiſque ſecundùm pravas cupiditates ſuas incedit, invidiam iniquam & impiam aſſumendo, per quam & mors intravit in mundum.

IV. Ita enim ſcriptum eſt; *Et factum eſt poſt dies, obtulit Cainus ex fructibus terræ ſacrificium Deo: Abel autem obtulit & ipſe de primogenitis ovium, & de adipibus earum. Et reſpexit Deus ſuper Abelem, & ſuper munera ejus: ſuper Cainum autem, & ſuper ſacrificia ejus non advertit. Et contriſtatus eſt Cainus valde, & concidit vultu ſuo. Et dixit Deus ad Cainum; Quare triſtis factus es? & quare concidit vultus tuus? Nonne ſi rectè offeras, non autem rectè dividas, peccaſti? Quieſce: ad te converſio ejus; & tu* [10] *principatum habebis ipſius. Et dixit Cainus ad Abelem fratrem ſuum; Tranſeamus*

1. *expl.* Præ modeſtia ad Corinthios ſcribit propria ſua judicia eadem eſſe ac totius Romanæ Eccleſiæ: ſic ſaltem ſentit Euſebius, *lib. 3. hiſt. cap.* 12.

2. *expl.* Non debet quis mirari quod S. Clementis ſollicitudo Paſtoralis alias invigilet Eccleſiis quarum tamen non erat proximus Paſtor: Videre facilè eſt hæc eadem exempla in B. Pauli *Epiſt.* 2. *Corinth. cap.* 12. v. 28. ſimilia quoque refert Euſebius *lib.* 4. *hiſt. cap.* 21. loquendo de Dyoniſii Corinthii ſcriptis, in quibus ubique oſtendit quanta fuerat ab initio concordia & unanimitas Romanam Eccleſiam inter & Eccleſiam Corinthi.

3. *litt.* Salutatio quâ utebantur Apoſtoli, præcipuè verò B. Paulus ad fideles ſcribens.

4. *expl.* Cum verſaretur tunc ſecundùm quoſdam in Taurica Cherſoneſo in Scythia relegatus, quæ longè aberat ab urbe Roma, ubi fuerat à Trajano Imperatore amandatus, & ubi pro Chriſti nomine & fide ſanctus Pontifex, 3. hujus Imperatoris anno vitâ ceſſit. Euſeb. *lib.* 3. *hiſt. cap.* 18. S. Hyeron. *catalog. ſcript. Eccleſ. num.* 15. *p.* 107. *tom.* 4.

5. *expl.* S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. de ſchiſmate non mediocrè mentionem facit in Eccleſia Corinthi excitato, cujus occaſione S. Pontifex plures ſcripſit Epiſtolas, ut Corinthios ad concordiam & pacem adhortaretur, eoſque in fide ſtabiliret quam ab Apoſtolis tenebant, inter quas Epiſtolas eam ipſam commemorat S. ille Doctor, non tamen hujus ſchiſmatis anſam exponit. Euſeb. *lib.* 3. *cap.* 12. dicit hujus hiſtoriam ſchiſmatis ab Hegeſipo fuiſſe narratam.

6. *expl.* Hæc verba laudantur à S. Clemente Alexandrino *lib.* 4. *Strom. p.* 516. *Edit. Pariſ.*

7. *expl.* Id eiſdem verbis refertur à S. Clemente Alexand. *lib.* 4. *Strom. paulò ante hujus libri finem.*

8. *alit.* Doctrinæ veſtræ. *expl.* vox Græca poteſt quoque prudentiam veſtram & judicium veſtrum reddere.

9. *litt.* Ut quos omnes vocavit in numerum Electorum ſalvi fiant.

10. *expl.* Hic Autor explanationem dat verſûs 7. cap. 3. Geneſeos ex ſe explicatu difficillimi.

Digitized by Google

in campum. Et factum eſt, dum eſſent in campo, ſurrexit Cainus ſuper Abelem fratrem ſuum, & occidit eum. Videtis, fratres, quòd æmulatio & invidia fratricidium effecit. Propter æmulationem, pater noſter Jacobus aufugit à facie Eſavi fratris ſui. Æmulatio fecit, ut Joſephus uſque ad mortem exagitaretur, & uſque ad ſervitutem accederet. Æmulatio Moſen coëgit fugere à conſpectu Pharaonis regis Ægypti, quando ſcilicet à ſuo populari audiit: *Quis te conſtituit arbitrum vel judicem ſuper nos? Numquid tu vis me occidere, quemadmodum occidiſti heri Ægyptum?* Propter æmulationem, Aaron & Maria extra caſtra ſtabulari ſunt: Æmulatio Dathanem & Abironum vivos demiſit in Infernum, quòd tumultuati eſſent adversùs famulum Dei Moyſen: Ob æmulationem, David non ſolùm invidioſus extitit alienigenis, verùm etiam à Saüle rege Iſraëlis fuit vexatus.

V. Sed ut vetera exempla relinquamus; veniamus ad nuperos athletas: ſumamus ætatis noſtræ generoſa exempla. Propter æmulationem atque invidiam, qui Eccleſiæ erant fideles ac juſtiſſimæ columnæ, etiam uſque ad mortem paſſi ſunt perſecutionem. Accipiamus præ oculis noſtris bonos Apoſtolos. Petrus ob iniquam æmulationem, non unum aut alterum, ſed multos ſuſtinuit labores; atque ita Martyr effectus, diſceſſit ad debitum gloriæ locum. Propter æmulationem Paulus patientiæ præmium obtinuit, cùm catenas ſepties portaſſet, vapulaſſet, lapidatus eſſet; præco factus in Oriente ac Occidente, eximium fidei ſuæ decus accepit, totum mundum docens juſtitiam; & ad Occidentis [1] terminum veniens, & ſub Principibus Martyrium paſſus, ita è mundo migravit, atque in locum [2] ſanctum abiit, patientiæ magnum exemplar factus.

VI. His viris qui divinam vitam duxerunt, aggregata eſt ingens electorum multitudo [3], qui multas contumelias multaque tormenta propter æmulationem paſſi, exemplo pulcherrimo apud nos fuerunt. Propter æmulationem vexatæ mulieres, Danaïdes, & Dirce, [4] cùm gravia & nefanda ſupplicia ſuſtinuiſſent, in conſtanti fidei curſu pervenerunt; & corpore debiles, nobile præmium acceperunt. Æmulatio abalienavit uxores à maritis, & mutavit illud patris noſtri Adami dictum; *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea.* Æmulatio & contentio urbes magnas evertit, & gentes magnas eradicavit.

VII. Hæc, dilecti, non tantùm ut vos admoneamus, ſcribimus; ſed etiam ut nos ipſi commonefaciamus: in eodem enim ſtadio verſamur, & certamen idem nobis impoſitum eſt. Quocirca relinquamus inanes & vanas curas, atque veniamus ad glorioſam & venerabilem ſanctæ vocationis noſtræ regulam. Videamus quid bonum, & quid jucundum acceptumque coram eo qui fecit nos. Fixis oculis reſpiciamus in ſanguinem Chriſti. Cernamuſque quàm precioſus Deo ſit ejus ſanguis, qui propter noſtram ſalutem effuſus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit. Intueamur diligenter omnes mundi ætates, diſcamuſque quòd in ſingulis ætatibus, pœnitentiæ locum Dominus dedit volentibus ad ipſum converti. Noë pœnitentiam prædicavit; & qui ei obedierunt, ſervati ſunt. Jonas Ninivitis urbis ſubverſionem prædicavit; illi autem de peccatis ſuis actâ pœnitentiâ, Deum precibus placarunt, & ſalutem conſecuti ſunt, [5] licet alieni à Deo eſſent.[6]

VIII. Miniſtri divinæ gratiæ, per Spiritum ſanctum de pœnitentia [7] ſunt locuti: ipſeque omnium Dominus, de pœnitentia locutus eſt cum juramento. *Ego enim vivo, dicit Dominus; nolo mortem peccatoris, ſicut pœnitentiam*: addens & pulcram ſententiam.[8] *Reſipiſcite domus Iſrael ab iniquitate veſtra. Dic filiis populi mei: Si peccata veſtra à terra uſque ad cælum pertingant, & ſi ſint rubriora cocco, & nigriora ſacco; converſi autem fueritis ad me ex toto corde, & dixeritis; Pater; exaudiam vos, tamquam populum ſanctum.* Et in alio loco ſic dicit; *Lavamini & mundi eſtote, auferte mala ex animabus veſtris, ab oculis meis: quieſcite à malitiis veſtris, diſcite facere bonum, quærite judicium, liberate oppreſſum, jus dicite pupillo, & juſtificate viduam; & venite, & diſputemus, dicit. Et ſi fuerint peccata veſtra quaſi phœniceum, ſicut nivem dealbabo: & ſi fuerint ut coccinum, ſicut lanam dealbabo. Et ſi volueritis, ac audieritis me: bona terræ comedetis: ſi autem nolueritis neque exaudieritis me; gladius devorabit vos: os enim Domini locutum eſt hæc.* Omnes itaque dilectos [9] ſuos volens pœnitentiæ fieri participes, omnipotente ſuâ voluntate firmavit.

IX. Quare obediamus magnificæ & glorioſæ illius voluntati; & ſupplices illius miſericordiæ ac benignitati, procidamus, & convertamur ad miſerationes ejus, relictis vanis operibus, contentione, & quæ ad mortem ducit æmulatione. Fixis oculis eos intueamur, qui magnificæ ejus gloriæ perfectè ſervierunt. [10] Accipiamus Henochum, qui in obedientia juſtus repertus, tranſlatus fuit, & non inventa eſt mors illius. [11] Noë fidelis inventus, per miniſterium ſuum ſecundam nativitatem mundo prædicavit, [12] & per eum Dominus conſervavit animalia, cum concordia [13] in arcam ingreſſa.

X. Abrahamus, *amicus* [14] vocatus, inventus eſt fidelis, quando dictis Dei audiens fuit. Hic per obedientiam egreſſus eſt è terra ſua, & è cognatione ſua, & è domo patris ſui; ut exiguâ terrâ, & cognatione [15] debili, & domo parvâ derelictâ, promiſſiones Dei in hæreditatem acciperet. Dicit enim ei; *Abi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, in terram quam tibi demonſtravero: & faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus; & benedicam benedicentibus tibi. & maledicam maledicentibus tibi; & benedicentur in te omnes tribus terræ.* Ac rurſus cùm receſſit à Loto, Dixit ei Deus: *Reſpiciens oculis tuis, vide à loco in quo nunc tu es, ad Aquilonem, & Africum, & Orientem, & mare: quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo eam, & ſemini tuo uſque in ſæculum: & faciam ſemen tuum ſicut arenam terræ: ſi poteſt aliquis dinumerare arenam terræ, & ſemen tuum dinumerabitur.* Et iterum ait: *Eduxit Deus Abrahamum, & dixit ei; Reſpice in cælum, &*

1. *expl.* id eſt, Italia, quæ à Græcis Orientalibus conſpici potuit ut remotiſſima Regio & in extremis ſita Occidentis partibus. Quidam ex hoc loco inferre voluerunt ſic S. Clementem locutum fuiſſe exilii habitâ ratione in quo, uti fingunt, detinebatur: hæc quoque verba eorum favent opinioni qui putant ad prædicationem Evangelii profectum fuiſſe in Hiſpaniam continentis noſtri remotiſſimam Regionem Apoſtolum Paulum.

2. *expl.* Hi ambo Apoſtoli martyrio vitam perdiderunt, an. 67. Æræ vulgaris, S. autem Clemens circiter 30. vel 31. annis poſt eorum conſummationem ſuam ſcribebat Epiſtolam.

3. *expl.* id præſertim intelligendum eſt de perſecutione quæ ſub Domitiano primùm & poſtea ſub Trajano mota eſt.

4. *expl.* Hunc locum ſuſpicantur quidam deſumptum ex lib. 4 Strom. S. Clementis Alexandrini verſus finem, ubi poſtquam virtutum exempla plurimarum retuliſſet Ethnicarum Matronarum, ait tales aliquas fuiſſe inter *Danae* filias & in earum honorem Poëma, quod vulgo *Danaide* vocant, quemdam compoſuiſſe Poëtam. D. Cotelerius in notis ſuis contendit legendum *Δαναΐδες* loco *Δαναΐδες*. Tandem alii Matronas fuiſſe ſentiunt quæ ſupplicia Romæ gravia & nefanda vel ſub Nerone, vel ſub Domitiano perpeſſæ fuerant. *Vid. Tilmon. Hiſt. Eccleſ. tom. 2. p. 519. de perſecut. & p. 560. in nota ſup. Clement. num. 7. ſub Domitiano.*

5. *litt.* Salutis participes facti ſunt.

6. *expl.* Id eſt, licet idololatriæ dediti, & inter electos Dei nondum vocati.

7. *expl.* Homines ad pœnitentiam invitarunt.

8. *expl.* Verba ſcripturæ ſacræ laudata ab hoc Apoſtolo, ex diverſis locis ſimul junctis non quidem in propriis verbis, ſed in eodem ſenſu extracta videntur.

9. *expl. aliter.* Electos.

10. *expl.* Verba hæc & ſequentia iiſdem plane verbis à S. Clemente Alexandrino referuntur *lib. 4. Strom. p. 516. Edit. Pariſ.*

11. *aliter.* Nullâ factâ mortis ejus mentione.

12. *Expl.* Qui, ut ita dicam, novæ generationis pater effectus eſt.

13. *expl.* Id eſt, pacem & concordiam inter illa animalia, licet pleraque diſſimilia & inter ſe diſcrepantia Deus compoſuit.

14. *expl.* Juxta Scripturam ſacram *Amicus vocatus*, ſignificat hominem à Deo amatum.

15. *expl.* Id eſt, exiguâ & ſubignobili. Abraham duos tantùm habuerat fratres, at unus Aran nomine adhuc junior vitâ functus eſt. Itaque Abrahamo ſoli ſupererant Nachor frater ejus & Lot filius Aran fratris ipſius; ipſemet etiam nondum filios ſuſceperat propter ſterilitatem Saræ uxoris ſuæ.

numera ſtellas, ſi potes dinumerare eas: ſic erit ſemen tuum. Credidit autem Abrahamus Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam. Propter fidem & hoſpitalitatem datus eſt ei filius in ſenectute, & per obedientiam obtulit eum, ſacrificium Deo, in unum montium qui ei à Deo oſtenſus fuit.

XI. Propter hoſpitalitatem & pietatem Lotus è Sodomis ſalvus evaſit, cùm tota regio circumjacens, igne & ſulphure damnata eſſet. Palàm fecit Dominus, quòd ſperantes in illum non relinquit, eos verò qui in contraria declinant, punitione ac ſupplicio afficit. Quæ enim unà cum eo egreſſa fuerat uxor illius, cùm diverſa ſentiret, nec concors eſſet [1], in ejuſmodi ſignum poſita eſt, ut ſalis ſtatua, in hodiernum uſque diem [2], fit facta; quò cunctis notum eſſet, quòd animo incerti, & de potentia Dei dubitantes, in judicium & in ſignificationem univerſis generationibus fiunt.

XII. Ob fidem & hoſpitalitatem ſervata eſt Rahaba meretrix. [3] Miſſis enim à Jeſu filio Navæ ad Jerichuntem exploratoribus, intellexit terræ rex, quòd regionem illius exploratum venerant; & emiſit viros, qui eos comprehenderent, ut comprehenſi necarentur. Hoſpitalis igitur Rahaba, ſuſcipiens eos, occultavit in ſolario ſub lini ſtipula. Supervenientibus autem hominibus à rege miſſis, ac dicentibus; Viri ad te venerunt, terræ noſtræ exploratores; educ eos; Rex enim ita imperat: illa reſpondit; Duo viri, quos quæritis, ingreſſi ſunt apud me, ſed confeſtim abierunt, & vadunt [4]; non oſtendens eis illos. Et dixit ad viros; Certò ſcio [5], quòd Dominus Deus veſter tradit vobis urbem hanc; timor enim & pavor veſtri incidit in omnes habitatores ejus. Quando igitur contigerit, vos eam capere, ſervate me & domum patris mei. Et dixerunt ei; Sic erit, quemadmodum locuta es nobis. Cum igitur nos adeſſe cognoveris, congregabis omnes tuos ſub tecto tuo; & ſervabuntur; quotquot enim invenientur extra domum, peribunt. Et addiderunt, ut ſignum daret; nempe funiculum coccineum appenderet de domo ſua: manifeſtum facientes, quòd per ſanguinem Domini [6] futura eſſet redemptio univerſis credentibus & ſperantibus in Deum. Videte, dilecti; non ſolùm fides ſed etiam prophetia in muliere exſtitit.

XIII. Humiles itaque ſimus, fratres; deponentes omnem arrogantiam, & faſtum, & amentiam, & iras; atque faciamus quod ſcriptum eſt: dicit quippe Spiritus ſanctus; *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua, neque dives in divitiis ſuis: ſed qui gloriatur, in Domino glorietur; in quærendo illum, & faciendo judicium ac juſtitiam:* præcipuè memores ſermonum Domini Jeſu, quos locutus eſt, docens manſuetudinem & æquanimitatem. Sic enim dixit; *Miſeremini, ut miſericordiam conſequamini, dimittite, ut dimittatur vobis; ſicut facitis, ita vobis fiet; ſicut datis, ita dabitur vobis; ſicut judicatis, ita judicabitur vobis; ſicut indulgetis, ita vobis indulgebitur: quâ menſurâ metimini, in ea menſurabitur vobis.* Hoc præcepto, & his mandatis ſtabiliamus nos, ſemper obedientes ſimus ſanctis illius eloquiis; humiliter de nobis ſentientes. Ait enim ſanctus ſermo: *Super quem reſpiciam, niſi ſuper manſuetum & quietum, & trementem eloquia mea?*

XIV. Juſtum ergo ac pium eſt, viri fratres, Deo potiùs obedientes nos eſſe, quàm ſequi eos qui in ſuperbia & ſeditione duces fuerunt abominandæ æmulationis. Detrimentum enim non leve, imò verò grande periculum ſuſtinebimus, ſi præcipitantes nos tradiderimus voluntatibus hominum, qui ad contentionem & ſeditiones collimant, ut nos ab eo quod rectè habet, abalienent. Benigni inter nos ſimus, juxta miſericordiam & dulcedinem illius qui fecit nos. Scriptum quippe eſt; *Benigni erunt habitatores terræ, & innocentes remanebunt in ea: iniqui verò exterminabuntur ab illa.* Et rurſus dicit: *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani: & tranſivi; & ecce non erat: & quæſivi locum illius; & non inveni. Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem; quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.*

XV. Adhæreamus ergo iis qui cum pietate pacem habent, & non iis qui cum ſimulatione pacem volunt. Dicit enim; *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè abeſt à me.* Et iterum; *Ore ſuo benedicebant; corde verò maledicebant.* Rurſuſque ait; *Dilexerunt eum ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei: cor autem ipſorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus. Muta fiant labia doloſa. Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam: qui dixerunt; Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra apud nos ſunt, quis noſter Dominus eſt? Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exſurgam, dicit Dominus: ponam in ſalute, fiducialiter agam in eo.*

XVI. Chriſtus ſiquidem eorum eſt qui humiliter de ſe ſentiunt, non eorum qui ſupra ovile ejus efferunt ſeſe. Sceptrum [7] majeſtatis Dei, Dominus noſter Chriſtus Jeſus, non venit in jactantia arrogantiæ neque ſuperbiæ, cùm [8] potens ſit; ſed in humilitate; quemadmodum Spiritus ſanctus de ipſo locutus eſt. Ait quippe; *Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? Annunciavimus in conſpectu ejus quaſi parvulum; ſicut radix in terra ſitienti. Quoniam non eſt ſpecies ei, neque gloria: & vidimus eum; & non habebat ſpeciem, neque decorem: ſed ſpecies ejus inhonorata, deficiens præ ſpecie hominum. Homo in plaga & dolore poſitus, & ſciens ferre infirmitatem: quia averſa eſt facies ejus, deſpecta, & non reputata. Iſte peccata noſtra portat, & pro nobis dolet, & nos reputavimus eum eſſe in labore, & in plaga, & in afflictione: ipſe autem vulneratus eſt, propter peccata noſtra, & infirmatus eſt, propter iniquitates noſtras. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, livore ejus nos ſanati ſumus. Omnes quaſi oves erravimus, homo in via ſua erravit, & Dominus tradidit eum propter iniquitates noſtras, & ipſe propter afflictionem non aperit os. Sicut ovis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe mutus, ſic non aperit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt: generationem ejus quis enarrabit? Quia tollitur de terra vita ejus, ab iniquitatibus populi mei venit ad mortem. Et dabo peſſimos pro ſepultura ejus, & divites pro morte illius. Quia iniquitatem non fecit, neque dolus inventus eſt in ore ejus: & Domini vult mundare eum plagis. Si dederitis pro peccato, anima veſtra videbit ſemen longævum. Et Dominus vult auferre de dolore animam ejus, oſtendere ei lucem, & formare intelligentia, juſtificare juſtum benè ſervientem multis: & peccata eorum ipſe portabit. Propterea ipſe poſſidebit multos, & fortium dividet ſpolia: pro eo quod traditu eſt ad mortem anima ejus, & in iniquis reputatus eſt: & & ipſe peccata multorum tulit, & propter iniquitates eorum traditus eſt.* Et rurſus ipſe dicit; *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes qui conſpiciebant me, ſubſannaverunt me, locuti ſunt labiis, moverunt caput. Speravit in Dominum, eruat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.* Cernitis, viri cari, quod exemplar nobis datum ſit; nam ſi Dominus adeo humiliter ſe geſſit, quid fa-

1. *expl.* Non obtemperaverat Angelorum mandatis, *Geneſ. c.* 19. v. 17.
2. *expl.* Joſephus qui ſub Domitiano ſcribebat, dicit tunc adhuc temporis ſtare & permanere hanc ſalis ſtatuam, *lib.* 1. *Antiq. c.* 11. *p.* 20. S. Irenæus idem confirmat. *lib.* 4. *adverſ. hæreſ. c.* 51.
3. *expl.* Vocis Græcæ ſecuti ſumus ſignificationem.
4. *litt.* Oſtendens eis iter penitus adverſum & oppoſitum. *Expl.* viæ per quam erant reverſuri. Nihil quid ſimile reperitur in *lib. Joſue c.* 2. *v.* 5. ſed ſimpliciter; *Neſcio* quò abierunt *ſcilicet* Exploratores.
5. *litt.* ſciens ſcio. *Hebraiſmus*, id eſt, ſcio ſine ulla dubitatione.
6. *expl.* Vide S. Juſtinum *dialog. contra Tryphon. verſ. fin.* S. Irenæum *lib.* . *c.* 37. *verſ. fin.* Origenem *in cap.* 2. *Joſue hom.* 3. & fere alios Patres.
7. *expl.* Hunc locum laudat S. Hieronymus in Comment. in ℣. 14. *cap.* 52. *Iſa.*
8. *expl.* Propter ſuam in omnem creaturam poteſtatem & omnipotentiam.

ciemus nos, qui ſub jugum gratiæ ejus venimus?

XVII. Imitatores etiam ſimus eorum, qui in pellibus caprinis & melotis 1 prædicantes Chriſti adventum, ambulaverunt: dicimus autem prophetas Eliam, & Eliſæum, adhuc & Ezechielem, ac præterea eos, qui in Scripturis laudem conſecuti ſont. Magno teſtimonio ornatus eſt Abrahamus, & Dei amicus vocatus eſt: hic autem intentè reſpiciens ad gloriam Dei, humiliter ait; *Ego autem ſum terra & cinis.* Adhuc autem & de Jobo ita ſcriptum eſt; *Jobus erat juſtus & ſine crimine, verax, colens Deum, abſtinens ab omni malo*: ſed ille ſeipſum accuſans dicit; *Nemo mundus à ſorde, etſi unius dies ſit vita ejus.* Moyſes fidelis in tota domo ejus nuncupatus eſt; per cujus miniſterium, viſum eſt Deo Judæos liberare à ſuis plagis & contumeliis: ſed & ille, magno honore affectus, grandia locutus non eſt; immò cùm è rubo datum eſſet illi oraculum, dixit; *Quis ſum ego quòd me mittis? Ego verò ſum gracilis voce & tardâ linguâ*: Et iterum ait: *Ego autem ſum vapor ex olla.*

XVIII. Quid verò dicemus de Davide, qui teſtimonium laudis reportavit 2, ad quem dixit Deus: *Inveni hominem ſecundùm cor meum, Davidem filium Jeſſes: in oleo ſancto unxi eum?* atqui ille etiam, dicit ad Deum: *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam; & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Ampliùs lava me ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum coram me eſt ſemper. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientia tua manifeſtaſti mihi. Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Audire me facies exſultationem & lætitiam: exſultabunt oſſa humiliata. Averte faciem tuam à peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me à facie tua; & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui; & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas; & impii convertentur ad te. Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ; exſultabit lingua mea juſtitiam tuam. Domine os meum aperies; & labia mea annunciabunt laudem tuam. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique; holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.*

XIX. Talium igitur ac tantorum, adeoque laudatorum humilitas, & verecundia per obedientiam, non tantum nos, ſed anteriores ætates, meliores fecit; eoſque qui in timore & veritate eloquia ejus ſuſceperunt. Multorum itaque magnorumque ac illuſtrium geſtorum participes facti, recurramus ad pacis ſcopum nobis ab initio traditum; & figamus oculos in patrem & creatorem totius mundi, atque illius magnificis & exſuperantibus donis pacis, ac beneficiis hæreamus: cogitatione contemplemur eum, & animi oculis intueamur in æquanimam illius voluntatem: conſideremus quo modo erga omnem creaturam ſuam ſit lenis & facilis.

XX. Cœli gubernatione ejus commoti, in pace 3 ei ſubjiciuntur. Dies & nox, ob illo ordinatum curſum perficiunt; nec ea propter ſibi mutuò impedimento ſunt. Sol & luna, ac ſiderum chori, ſecundùm ejus mandatum, in concordia, ſine ulla tranſgreſſione, ſibi conſtitutos orbes evolvunt. Terra gravida, juxta voluntatem illius, ſuis temporibus, plurimum cibum hominibus ac feris omnibuſque quæ in ea ſunt animantibus producit; non contendens, nec mutans quidquam eorum, quæ ab illo decreta ſunt. Abyſſorum, quæ inveſtigari non poſſunt, & inferorum, quæ enarrari nequeunt judicia, eiſdem mandatis continentur. Immenſi maris capacitas per ordinationem ejus in cumulos coagmentata, non tranſgreditur quæ ipſi circumpoſita ſunt clauſtra: ſed prout ei præcepit, ita facit. Dixit enim; *Hucuſque venies, & fluctus tui in te comminuentur.* Oceanus hominibus impermeabilis, & qui poſt ipſum ſunt mundi, 4 eiſdem Domini diſpoſitionibus gubernantur. Tempeſtates vernæ, æſtivæ, autumnales, & hyemales, in pace aliæ aliis ſuccedunt. Ventorum libramina proprio tempore munus ſuum ſine offendiculo obeunt. Fontes etiam perennes ad uſum & ſanitatem creati, ubera ſua indeſinenter ad hominum vitam præbent. Denique animalia minima cœtus ſuos in concordia & pace faciunt. Hæc omnia magnus opifex, & rerum omnium Dominus, in pace & concordia fieri juſſit; omnibus benefaciens; ſuperabundanter autem nobis, qui ad miſerationes ejus confugimus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cui gloria & majeſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

XXI. Videte, dilecti, ne beneficia ejus plurima omnibus nobis in condemnationem cedant, niſi dignè illo viventes 5, bona & placita in conſpectu ejus fecerimus concorditer. Dicit enim alicubi: *Spiritus Domini, lucerna ſcrutans ſecreta ventris.* Conſideremus quòd propè eſt, & quòd nihil latet ipſum, tum cogitationum noſtrarum, tum ratiocinationum quas facimus. Æquum igitur eſt, ut ab ejus voluntate non ſimus tranſfugæ. Homines ſtultos, inſipientes, elatos, & gloriantes in ſermonis ſui jactantia, offendamus, potiùs quàm Deum. Dominum Jeſum Chriſtum, cujus ſanguis pro nobis datus eſt, veneremur. Præpoſitos noſtros revereamur; ſeniores noſtros honoremus; juvenes doceamus diſciplinam timoris Dei. Uxores noſtras ad id quod bonum eſt corrigamus; amabiles caſtitatis mores oſtendant; ſimplicem ac ſinceram manſuetudinis ſuæ voluntatem demonſtrent; linguæ ſuæ moderationem ſilentio manifeſtam faciant; caritatem ſuam, non ſecundùm animi propenſiones, ſed omnibus qui ſanctè Deum timent, æqualem 6 exhibeant. Liberi noſtri diſciplinæ Chriſti participes ſint; diſcant quid humilitas apud Deum valeat, quid caſta caritas apud Deum poſſit, quomodo timor ejus bonus eſt ac magnus, & ſervans omnes qui in ipſo ſanctè verſantur in pura mente. Scrutator enim eſt cogitationum & conſiliorum mentis: cujus ſpiritus eſt in nobis; & cùm voluerit, auferet 7 eum.

XXII. Hæc autem omnia confirmat fides quæ eſt in Chriſto. Ipſe etenim, per Spiritum ſanctum, ita nos compellat; *Venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Contine linguam tuam à malo; & labia tua, ne loquantur dolum. Declina à malo, & fac bonum: quære pacem, & perſequere eam. Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini ſuper facientes mala; ut perdat de terra memoriam eorum. Clamavit juſtus, & Dominus exaudivit eum, & ex omnibus tribulationibus liberavit eum. Multa flagella peccatoris: ſperantes autem in Domino, miſericordia circumdabit.*

XXIII. Miſericors omnino & beneficus Pater, viſ-

1. *expl.* Locus hic à S. Clemente Alexandrino citatur *lib.* 4. *Strom. p.* 516. *Edit. Pariſ.*

2. *expl.* Hæc verba retulit S. Clemens Alexandrinus *lib.* 4. *Strom. verſ. finem.*

3. *expl.* Cum ordine & diſpoſitione fixa & immutabili.

4. *lit.* Juxta Origenem *lib.* 2. *Periarch. c.* 3. *verſus finem* per hos mundos S. Clemens eos intelligit qui trans Oceanum degebant, omnino tunc exteris ignoti hominibus, & quos Græci vocant *ἀντίχθονας*, quos verò nos *Antipodes* appellamus, id eſt, adverſo nobis pede ſtantes. Conſule S. Hieronymum *lib.* 1. *Comment. in Epiſt. ad Epheſ. c.* 2. *v.* 2. *p.* 338. *tom.* 4. S. Clemens Alexandrinus hunc locum laudat *lib.* 5. *Strom. p.* 5[illegible]. *Edit. Pariſ.* Alii per Oceanum, quo juxta Græcam ſignificationem non mare intelligitur peculiare, ſed larga & immenſa aquarum capacitas, intelligendum ſentiunt Mare Britannicum *quo*, ut ait Virgilius, *penitus toto diviſos orbe Britannos* conſpicimus, diutiſſimè ignotos, & ut novi habitatores mundi poſtea æſtimatos.

5. *expl.* Epiſtolæ pars quæ ſequitur diverſa continet præcepta quibus fideles Corinthi hortatur, ut in pietate ac bonis operibus vitam agant. Hæc verba à S. Clemente Alexandrino referuntur *lib.* 4. *Strom. p.* 517. *Edit. Pariſ.*

6. *lit.* Sinceram, non partium cupidam, id eſt, ſine diſſentione. Loquitur eò loci de ſchiſmate inter Corinthios excitato.

7. *expl.* Hæc omnia retulit S. Clemens Alexand. *lib.* 4. *Strom. verſus finem.*

cera erga timentes eum habet; gratiaſque ſuas benignè & ſuaviter largitur iis qui ad ipſum ſimplici mente accedunt. Quare ne dubii animo ſimus, neque hæſitet anima noſtra ſuper eximiis & ſplendidis ejus muneribus. Longè à nobis ſit Scriptura illa, ubi dicit; *Miſeri ſunt qui animo ſunt duplices & incerti, qui dicunt; Hæc audivimus etiam à patribus noſtris; & ecce conſenuimus; & nihil horum nobis accidit.* 1 O amentes, comparate vos arbori: vitem ſumite: primùm quidem frondes defluunt; inde in ea fit germen, poſtea folium, dehinc flos, & poſt hæc acerba uva & immatura, denique uva perfecta & 2 matura. Videris quòd in exiguo tempore ad maturitatem perveniit fructus arboris: in veritate, brevi & ſubitò perficietur voluntas ejus; Scripturâ etiam teſtimonium perhibente, quòd *protinus veniet Dominus ad templum ſuum, & ſanctus quem vos exſpectatis.*

XXIV. Conſideremus, dilecti, quemadmodum Dominus continuè nobis oſtendat reſurrectionem quæ futura eſt; cujus primitias fecit Dominum Jeſum Cbriſtum, ſuſcitans eum à mortuis. Intueamur, dilecti, quæ omni tempore fit, reſurrectionem. Dies & nox reſurrectionem nobis declarant: cubat nox, exſurgit dies; dies abit, nox advenit. Reſpiciamus fruges: ſementia quo modo fiat, omnibus obvium eſt: egreſſus eſt ſeminator, & ſemen in terram jecit; atque jactis ſeminibus; quæ arida & nuda ceciderunt in terram, tempore diſſolvuntur; & poſt diſſolutionem, magna providentiæ Domini virtus reſuſcitat ea; ac ex uno, multum fructum profert & accumulat.

XXV. Contemplemur ſignum mirabile, quod in Orientalibus locis, ſcilicet in Arabia fit. Avis quippe eſt quæ vocatur Phœnix: hæc ſingularis & unigena exſiſtens, annos vivit quingentos: cùmque jam morte diſſolvenda eſt, loculum ſibi conficit è thure, myrrha, & reliquis aromatibus, quem completo tempore ingreditur, & obit: ex carne verò ejus putrefacta, vermis quidam naſcitur, qui animalis defuncti humore nutritus, plumeſcit; deinde fortior factus, loculum illum, in quo anteceſſoris oſſa repoſita ſunt, ſuſtollit; eaque portans, ex Arabica regione ad Ægyptum & urbem quæ dicitur Heliopolis, vergit; & interdiu, ſpectantibus omnibus advolans, ſuper altare Solis illa collocat, atque ita retrorſum proripit ſe. Itaque Sacerdotes commentarios temporum diligenter inſpiciunt, & inveniunt avem impleto anno quingenteſimo veniſſe. 3

XXVI. An magnum igitur & admirabile eſſe arbitramur, ſi omnium rerum opifex reſurgere faciat eos qui ſanctè & in bonæ fidei confidentia ſervierunt illi; ubi etiam per volucrem nobis oſtendit promiſſionis ſuæ magnificentiam. Dicit enim; *Et ſuſcitabis me, & confitebor tibi.* Et; *Dormivi & ſoporatus ſum; exſurrexi, quia tu mecum es.* Ac rurſum Jobus dicit; *Et reſuſcitabis carnem meam hanc, quæ omnia hæc perpeſſa eſt.*

XXVII. Hac igitur ſpe, animi noſtri ad eum adſtringantur qui fidelis eſt in promiſſionibus, & juſtus in judiciis. Qui ne mentiamur præcepit, multò magis ipſe non mentietur. Nihil quippe Deo impoſſibile, prætérquàm mentiri. Exſuſcitetur itaque in nobis fides ejus, & cogitemus quòd omnia ipſi propinqua ſunt. In Verbo magnificentiæ ſuæ conſtituit omnia, & in Verbo poteſt illa evertere. *Quis dicet ei; quid feciſti? aut quis reſiſtet virtuti fortitudinis ejus?* Cùm voluit atque ut voluit, omnia condidit; neque quidquam ab eo decretum, præteribit. Univerſa coram ipſo ſunt, nihilque conſilium ejus latet. Si *cœli enarrant gloriam Dei; opus autem manuum ejus annunciat firmamentum: Si dies diei eructat verbum, & nox nocti annunciat ſcientiam; & non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.*

XXVIII. Cùm omnia igitur videantur & audiantur, timeamus eum, & pravorum operum impuras cupiditates relinquamus, ut illius miſericordiâ à futuris judiciis tegamur. Quò enim noſtrûm aliquis à potente ejus manu fugere poteſt? Qualis autem mundus ſuſcipiet quempiam ab eo transfugientem. Dicit namque Scriptura alicubi: *Quò ibo, & quò abſcondar à facie tua? Si aſcendero in cœlum, tu es illic: ſi abiero ad extrema terræ, illic eſt dextera tua: Si divertero in abyſſos, illic eſt ſpiritus tuus.* Quò igitur abibit quiſpiam, vel quò aufugiet, ab eo qui omnia complectitur?

XXIX. Accedamus ergo ad eum in ſanctitate animæ, caſtas & impollutas manus elevantes ad illum, diligentes benignum & miſericordem patrem noſtrum, qui nos electionis partem fecit ſibi. Sic enim Scriptum eſt: *Quando diviſit Altiſſimus gentes, quando diſſeminavit filios Adæ; conſtituit terminos gentium ſecundùm numerum Angelorum* 4: *facta eſt pars Domini, populus ejus, Iſraël.* Et in alio loco ait: *Ecce Dominus accipit ſibi gentem è medio gentium; ſicut homo accipit primitias areæ ſuæ: & ex gente illa egredientur ſancta ſanctorum.* 5

XXX. Cùm igitur Sancti pars ſimus, faciamus omnia quæ ad ſanctitatem 6 pertinent, vitantes obtrectationem, impuros ac impudicos complexus, ebrietates & inſolentias, & abominandas cupiditates, deteſtandum adulterium, exſecrabilem ſuperbiam. *Deus enim*, inquit, *ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.* Agglutinemur ergo ad eos, quibus gratia à Deo conceſſa eſt. Induamus concordiam; humiles, continentes, ab omni ſuſurro & obtrectatione procul recedentes, operibus, non verbis juſti effecti. Dicit enim; *Qui multa dicit: & viciſſim audiet: aut loquax videtur eſſe juſtus? Benedictus natus mulieris, brevis vita. Ne multus ſis in verbis.* Laus noſtra in Deo ſit, & non à nobis ipſis: odit enim Deus eos, qui ſemetipſos prædicant. Teſtimonium boni operis noſtri ab aliis exhibeatur nobis, ſicut exhibitum eſt patribus noſtris, viris juſtis. 7 Temeritas & arrogantia & audacia, maledictis à Deo; moderatio autem & humilitas & manſuetudo, apud illos qui à Deo benedicti ſunt.

XXXI. Ejus igitur benedictioni firmiter adhæreamus; & videamus quænam ſint benedictionis viæ. Animo repetamus quæ ab initio facta ſunt. Cujus gratiâ pater noſter Abrahamus benedictus fuit? Nonne quia juſtitiam & veritatem per fidem operatus fuerat? Iſaacus cum confidentia quod futurum erat cognoſcens, libenter factus eſt ſacrificium. Jacobus in humilitate, dum fratrem fugit, ſeceſſit de terra ſua, & profectus eſt ad Labanem, & ſervivit, & data ſunt ei duodecim ſceptra (*hoc eſt, duodecim tribus*) Iſraëlis.

XXXII. Si quis ſigillatim & diſtinctè conſideraverit, donorum quæ per eum conceſſa ſunt magnificentiam agnoſcet. Ab illo enim orti ſunt omnes Sacerdotes ac Levitæ, qui altari Domini miniſtrant: ab illo Dominus Jeſus, ſecundùm carnem: ab illo reges, & principes, & duces, propter Judam: nec reliquæ ejus 8 tribus in parvo honore ſunt; utpote Deo promittente; *Erit ſemen tuum tamquam ſtellæ cœli.* Ii ergo omnes gloriam & amplitudinem conſecuti ſunt, non per ſeipſos, aut opera ſua, aut juſtas actiones quas fecerunt; ſed per voluntatem ejus. Et nos igitur ex voluntate illius in Chriſto Jeſu vocati, non per nos ipſos juſti efficimur,

1. *expl.* Hic locus laudatus in Scriptura ſacra minime reperitur quoad verba, ſed partim quoad ſenſum legitur *Iſa. c. 5 v. 19. Eccleſ. c. 5. v. 1. & ſeq. Jacob. c. 1. v. 8. & c. 4. v. 8. 2. Pet. c. 3. v. 3. & 4.*

2. *expl.* Hæc verba reperita leguntur in Epiſt. 2. ejuſdem S. Clementis verſus finem

3 *expl.* Noſter hic Apoſtolus hanc narrat hiſtoriam à quibuſdam inter Paganos naturaliſtis ſimulatam, ut inde argumentum deducere poſſit, quod, ſi Gentiles Reſurrectionis poſſibilitatem admiſerint facilè erga animal irrationale & brutum debent a fortiori J. Chriſti hominis Dei Reſurrectioni fidem facere: Eo ſenſu plerique Patres Phœnicis exemplo uſi ſunt. Vide Tertullianum *lib. de Reſurrect. carnis c. 12.* ubi hæc verba Scripturæ refert. *Florebit ſicut lilium*, ex Iſaia *c. 35. v. 1* ſuæ ea menti applicando & aliter interpretando; vide etiam Origenem *lib. 4 contra Celſum.* S. Epiphanium *in Anachorat.* & S. Ambroſium paſſim. S. Cyrillum Hieroſolim. Catech. 18.

4. *expl.* Vulgatam verſionem eo in loco ſecuti ſumus; S. verò Clemens ſeptuaginta utitur verſione.

5. *expl.* Duo hi loci non citantur litteraliter ex libris Deuteronomii & Numeri, ſed quoad ſenſum propheticum.

6 *lit.* Studeamus ut omnes actus noſtri ſanctitatis ſtatui ſint conſentanei.

7. *expl.* Antiquis Patriarchis quorum Scriptura fidem, pietatem & juſtitiam prædicat *vide quæ immediatè ſequuntur.*

8. *Aliter.* Nec reliquæ Tribus quæ è viſceribus ejus egreſſæ ſunt

Digitized by Google

cimus, neque per ſapientiam noſtram, aut intelligentiam, aut pietatem, aut opera quæ in cordis ſanctitate operati ſumus; ſed per fidem, per quam cunctos qui umquam juſti fuerunt, juſtificavit Deus omnipotens; cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

XXXIII. Quid igitur faciemus, fratres? Ceſſabimus à bonis operibus, & caritatem derelinquemus? Neutiquam hoc à nobis fieri permittat Dominus: ſed cum diligentia & alacritate, feſtinemus omne opus bonum perficere. Ipſe namque opifex & Dominus omnium in operibus ſuis exſultat. Cœlos enim ſupremâ ſuâ & maximâ potentiâ ſtabilivit, illoſque incomprehenſibili ſuâ ſapientiâ ornavit. Terram quoque ab aqua quæ illam ambit, ſeparavit; & tamquam ſtabilem turrim, propriæ voluntatis fundamento firmavit: & animalia quæ in illa verſantur, juſſu ſuo præcepit eſſe. Mare etiam, & quæ in illo vivunt animalia, cùm prius creaſſet, ſuâ potentiâ incluſit. Præ omnibus, animal excellentiſſimum & intellectûs ergo maximum, hominem, ſacris & inculpatis manibus formavit, imaginis ſuæ characterem. Ita enim ait Deus; *Faciamus hominem ad imaginem & ad ſimilitudinem noſtram. Et fecit Deus hominem: maſculum & feminam fecit eos.* Hæc igitur omnia cùm perfeciſſet, laudavit ea, & benedixit, dixitque, *Creſcite & multiplicamini.* Videamus, quòd in bonis operibus ornati fuerunt omnes juſti. Et ipſe ergo Dominus, cùm ſe operibus decoraſſet, gaviſus eſt. Habentes itaque hoc exemplar, impigrè ad voluntatem ejus accedamus; ex totis viribus noſtris operemur opus juſtitiæ.

XXXIV. Bonus operarius, cum fiducia [1] panem operis ſui accipit: ſegnis verò & remiſſus locatorem ſuum non obtuetur. Oportet ergo nos ad bonum faciendum promptos eſſe: ex hoc enim omnia conſtant. Quippe nobis prædicit; *Ecce Dominus, & merces ejus coram illo, ut reddat unicuique ſecundum opus ſuum.* Itaque nos ex toto corde hortatur ad hoc, ne ſegnes & deſides ſimus ad omne opus bonum. Gloriatio noſtra & fiducia in ipſo ſit: voluntati ejus ſubjiciamur: attendamus ad univerſam Angelorum ejus multitudinem; quo modo aſſiſtentes, voluntati ejus miniſtrent. Dicit enim Scriptura: *Dena millia denûm millium aſſiſtebant ei; & mille millia deſerviebant ei. Et clamabant; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth: plena eſt omnis creatura gloriâ ejus.* Et nos ergo concorditer in unum congregati, communi conſenſu tamquam ex uno ore ad ipſum clamemus totis viribus, ut participes fiamus magnarum & inclytarum promiſſionum ejus. Dicit enim; *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta præparavit eum exſpectantibus.*

XXXV. Quàm beata ſunt & mirabilia dona Dei, dilecti! vita in immortalitate, ſplendor in juſtitia, veritas in libertate, fides in confidentia, continentia in ſanctitate; & hæc omnia ſub intellectum noſtrum cadunt [2]. Quænam igitur ſunt quæ præſtolantibus apparantur? Sanctiſſimus opifex & pater ſæculorum, quantitatem & pulcritudinem excellentiamque illorum cognoſcit. Nos igitur ſummo ſtudio contendamus in numero exſpectantium eum reperiri, ut participes fiamus donorum repromiſſorum. Quo modo autem eveniet iſtud, dilecti? Si mens noſtra, in Deum fide ſtabilita fuerit: ſi placita illi & accepta exquiſiverimus: ſi perfecerimus quæ ad inculpatam ejus voluntatem pertinent, & ſecuti fuerimus viam veritatis; abjicientes à nobis omnem injuſtitiam & iniquitatem, avaritiam, contentiones, malignitates & fraudes, ſuſurros & obtrectationes, odium Dei, ſuperbiam & oſtentationem, inanem gloriam atque amorem vanitatis. Qui enim iſta faciunt, odioſi Deo ſunt: neque ſolùm qui ea faciunt; ſed etiam qui conſentiunt illis. Dicit enim Scriptura; *Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitiâ; & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adverſùs fratrem tuum loquebaris; & adverſùs filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc feciſti, & tacui; ſuſpicatus es iniquitatem, quòd ero tibi ſimilis. Arguam te, & ſtatuam te contra faciem tuam. Intelligite utique hæc, qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat ſicut leo, & non ſit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.*

XXXVI. Hoc eſt iter, cariſſimi, in quo ſalutare noſtrum invenimus, Jeſum Chriſtum, Pontificem oblationum noſtrarum, infirmitatis noſtræ patronum & auxiliatorem. Per hunc in cœlorum altitudines oculos defigemus; per hunc immaculatum & ſupremum illius vultum ſpeculabimur; per hunc oculi cordis noſtri aperti ſunt [3]: per hunc inſipiens & obſcurata mens noſtra in admirabilem ejus lucem repullulat: per hunc voluit Dominus ut immortalem cognitionem guſtaremus: qui, cùm ſit ſplendor majeſtatis ejus, tantò major eſt Angelis, quantò excellentius nomen ſortitus [4] eſt. Ita quippe ſcriptum eſt; *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis:* de filio autem ſuo ſic dixit Dominus; *Filius meus es tu; ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et iterum dicit ad eum: *Sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quinam ſunt inimici ejus? qui pravi ſunt, quique divinæ voluntati ſuam voluntatem opponunt.

XXXVII. Militemus igitur, viri fratres, omnibus viribus in irreprehenſis ejus præceptis. Conſideremus eos qui ſub ducibus noſtris merent, quemadmodum ordinatè, quam ſtrenuè, quo modo ſubmiſſè imperata exſequantur. Non omnes ſunt præfecti [5], neque tribuni, neque centuriones, neque quinquaginta militum præfecti, neque conſequentium graduum; ſed unuſquiſque in ſuo ordine, ab Imperatore & ducibus mandata peragit. Magni ſine parvis conſiſtere nequeunt, neque parvi ſine magnis: neceſſitudo quædam & temperatio in omnibus exſiſtit [6], ac in his uſus. Sumamus corpus noſtrum: caput abſque pedibus nihil eſt, ſic neque pedes abſque capite: minima autem corporis noſtri membra, neceſſaria & utilia ſunt toti corpori: tum univerſa conſpirant, & ad conſervationem totius unâ ſubjectione utuntur.

XXXVIII. Servetur itaque totum corpus noſtrum in Chriſto Jeſu; & unuſquiſque proximo ſuo ſubjiciatur, juxta gratiæ donum ipſi aſſignatum. Fortis ne contumeliâ afficiat imbecillem; imbecillis vero fortem revereatur: dives pauperi largiatur; pauper vero gratias agat Deo, quod ei dederit per quem inopia ejus ſuppleatur: ſapiens oſtendat ſapientiam ſuam, non in verbis, ſed in bonis [7] operibus; humilis non ſibi teſtimonium ferat; ſed ſinat ut alter ipſi perhibeat teſtimonium: qui carne caſtus eſt, ne inſoleſcat, ſciens alium eſſe qui ei continentiam donat. Reputemus ergo, fratres, ex qua materia creati ſimus; qui & quales in mundum ingreſſi ſimus, tamquam è ſepulcro & tenebris: auctor & opifex noſter in mundum ſuum nos introduxit, præparatis [8] antè quàm naſceremur be-

minorem receperunt gloriam & honorem.

1. *expl.* Panis in ſcriptura ſacra paſſim pro rebus vitæ neceſſariis accipitur.

2. *Aliter.* Hæc omnia ad noſtram accommodantur intelligentiam.

3. *expl.* Locus iſte à S. Clemente Alexandr. laudatur *lib.* 4. *Strom. p.* 518. *Edit. Pariſ.*

4. *expl.* Hæc omnia verba ſicut pleraque ſuperius allata ab Apoſtolo Paulo mutuatus eſt S. Clemens: patet præcipue eadem verba hujus Apoſtoli retuliſſe capitis 1. v. 3. & ſequent. Epiſtolæ ad Hebræos, unde à quibuſdam hujus Autor judicatus eſt. Vide S. Hieronymum *Catalog. num* 1. *p.* 107 *tom.* 4.

5. *Crit.* Noſtri præfecti. Quidam Critici tradutendum *illorum præfecti* autumant.

6. *Aliter.* Diverſitas hæc Toti convenit & obſequio utilis eſt.

7. *expl.* Hunc locum commemorat S. Clemens Alexandrinus *lib.* 4. *Strom. p.* 518. *Edit. Pariſ.*

8. *litt.* Vel, antequam nati fuiſſemus.

Digitized by Google

nefactis ſuis. Hæc igitur omnia ab eo habentes, in omnibus gratias ipſi agere debemus; cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

XXXIX. Stulti & inſipientes & fatui & imperiti derident nos ac ſubſannant, dum cogitationibus ſuis ſe extollere cupiunt. Quid enim poteſt mortalis; aut quale robur eſt terrigenæ? Scriptum enim eſt; *Non erat figura ante oculos meos: ſed auram & vocem audiebam. Quid enim? numquid homo coram Domino mundus erit; vel de operibus ſuis inculpabilis vir? Si in ſervis ſuis non credit, & adversùs Angelos ſuos pravum quid advertit; cœlum autem non eſt mundum coram eo: heu verò, qui habitant domos luteas, ex quibus & ipſi de eodem luto, ſumus! Percuſſit illos tamquam tinea, & à mane uſque ad veſperam ultrà non ſunt: eo quòd non poſſent ſibi ipſis ſubvenire, perierunt: inſufflavit eos, & interierunt; quia non habebant ſapientiam. Invoca autem, ſi quis tibi reſpondeat; vel ſi quem ſanctorum Angelorum aſpicies: etenim ſtultum perimit ira: errantem autem occidit zelus. Ego autem vidi ſtultos radicem mittentes; ſed ſtatim abſumpta eſt illorum habitatio. Longè fiant filii eorum à ſalute; conterantur ſuper januas minorum; & non erit qui eripiat. Quæ enim ab illis parata ſunt, juſti comedent, ipſi verò de malis non liberabuntur.*

XL. Cùm ergo hæc nobis manifeſta ſint, etiam in divinæ cognitionis profunda introſpicientes, cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus juſſit 1 peragere. Statutis temporibus, oblationes & officia perfici, neque temerè vel inordinatè fieri præcepit, ſed præfinitis temporibus & horis: ubi etiam & à quibus celebrari vult, ipſe excelſiſſimâ ſuâ voluntate definivit: ut purè & ſanctè omnia facta in beneplacito, accepta eſſent voluntati ejus. Qui ergo aſſignatis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti & beati ſunt: nam qui ſequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe Sacerdoti ſua munia tributa ſunt; & Sacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt; & Levitis ſua miniſteria incumbunt, homo laicus præceptis laicis conſtringitur.

XLI. Unuſquiſque veſtrùm, fratres, in ſuo ſtatu gratias Deo habeat, in bona conſcientia degens, non tranſgrediens præſcriptam muneris ſui regulam, in honeſtate. Non ubique, fratres, offeruntur ſacrificia 2 jugia, vel votiva, vel pro peccato & delicto, ſed Hieroſolymis tantùm; atque illic non in omni loco fit oblatio, ſed ante templum ad altare; priùs factâ à ſummo Sacerdote & prædictis miniſtris, oblati inſpectione ac probatione. Qui ergo præter id quod voluntati ejus conſentaneum eſt, aliquid faciunt, morte mulctantur. Videtis, fratres; quò majori cognitione digni ſumus habiti, eò periculo magis obnoxii ſumus 3

XLII. Apoſtoli nobis evangelizarunt à Domino Jeſu Chriſto; Jeſus Chriſtus à Deo. Miſſus igitur eſt Chriſtus à Deo, & Apoſtoli à Chriſto: & factum eſt utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis, & certò perſuaſi per reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in fide confirmati per verbum Dei cum ſancti Spiritûs plenitudine ac ſecuritate, egreſſi ſunt, annunciantes adventurum eſſe regnum Dei. Prædicantes igitur per regiones ac urbes, primitias earum, ſpiritu cùm probaſſent, in Epiſcopos & Diaconos eorum qui credituri erant, conſtituerunt. Neque hoc novè: à multis enim temporibus de Epiſcopis & Diaconis ſcriptum fuerat. Sic enim alicubi dicit Scriptura; *Conſtituam Epiſcopos eorum in juſtitia & Diaconos eorum in fide.* 4

XLIII. Et quid mirum, ſi quibus in 5 Chriſto commiſſum eſt à Deo hoc munus, prædictos conſtituerint? quandoquidem & beatus Moyſes, fidelis famulus in tota domo, qui omnia quæ ipſi mandata erant, in ſacris libris annotavit; quemque ſecuti ſunt reliqui Prophetæ, teſtimonium pariter legibus illius præbentes, ille namque cùm æmulatio pro ſacerdotio incidiſſet; ac tribus inter ſe diſſentirent, quænam illarum glorioſo eo nomine ornata eſſet; juſſit ut duodecim principes tribuum afferrent ſibi virgas; quæ uniuſcujuſque tribûs virgæ, nominatim eſſent inſcriptæ: haſque acceptas ligavit, & annulis eorum principum obſignavit 6; atque illas depoſuit in tabernaculo teſtimonii ſuper menſam Dei: & clauſo tabernaculo, claves juxta & virgas ſignavit: ac dixit illis; Viri fratres, cujus tribûs virga germinaverit, hanc elegit Deus ut ipſi ſacra faciat & miniſtret. Mane autem exorto, convocavit univerſum Iſraëlem, ſexcenta millia virorum: & ſigilla principibus tribuum oſtendit, & aperuit tabernaculum teſtimonii, protulitque virgas: & inventa eſt virga Aaronis non tantùm germinaſſe, ſed & fructum habere. Quid cenſetis, dilecti? An non id futurum præſciverat Moyſes? Maximè noverat: verùm ne ſeditio inter Iſraëlitas oriretur, ita inſtituit, ut glorificaretur nomen veri & ſolius Dei; cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

XLIV. Et Apoſtoli noſtri cognoverunt per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quòd futura eſſet contentio de nomine Epiſcopatûs 7: ob eam ergo cauſſam, acceptâ perfectâ præcognitione, conſtituerunt ſupradictos, & deinceps futuræ ſucceſſionis regulam tradiderunt; ut cùm illi decederent, miniſterium eorum ac munus alii viri probati exciperent. Conſtitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis viris eximiis, conſentiente ac comprobante universâ Eccleſiâ; qui inculpatè ovili Chriſti miniſtraverunt cum humilitate, quietè, nec illiberaliter; quique longo tempore ab omnibus teſtimonium præclarum reportarunt; hos putamus officio injuſtè 8 dejici. Neque enim leve erit noſtrum peccatum, ſi eos qui citra querelam & ſanctè offerunt dona, Epiſcopatu privaverimus. Beati 9 Preſbyteri, viam priùs emenſi, qui fructuoſam perfectamque conſecuti ſunt diſſolutionem: non enim verentur ne quis eos transferat de loco ipſis conſtituto. Videmus enim quòd vos, nonnullos piè viventes, ex adminiſtratione quam inculpatè ac honorificè exſequebantur, tranſduxiſtis.

XLV. Contentioſi eſtis, fratres, & in rebus quæ ad ſalutem non pertinent æmulatores. Diligenter inſpicite Scripturas, Spiritûs ſancti vera oracula. Attendite; nihil injuſtum neque perverſum in illis ſcriptum eſt. Non enim invenietis juſtos ab hominibus ſanctis depulſos. Perſecutionem paſſi ſunt juſti, ſed ab iniquis: in carcerem ſunt conjecti, ſed ab impiis: lapidati ſunt à nefariis; occiſi à ſceleſtis & injuſto zelo occupatis. Hæc paſſi, præclarè tulerunt. Nam quid dicemus, fratres? Daniel in ſpecum leonum ab hominibus Deum

1. *expl.* Hicce locus laudatus reperitur à S. Clemente Alexandr. *lib. 4. Strom. p. 518. Edit. Pariſ.*

2. *expl.* De veteris Teſtamenti loquitur ſacrificiis.

3. *expl.* Id eſt, ſi Deus in veteri Teſtamento, ubi ſolùm de ſacrificiis vacuis & figuratis agebatur, tantam nihilominus in iis tractandis exegerit puritatem; quantò purius & ſanctius offerendum vobis eſt Novæ legis verum ſacrificium: quapropter ejus reformidanda indignatio, ſi præceptis ejus non obtemperaveritis. Locus iſte à S. Clemente Alexandr. refertur *lib. 4. Strom. p. 518. Edit. Pariſ.*

4. *expl.* Locus iſte ſic certus non legitur in Vulgata Editione, nec verſioni Hebraicæ conſentaneus eſt: S. enim Pontifex ſeptuaginta utitur verſione, ſed ad ſenſum potius quam ad litteram intendit; ſiquidem in ſeptuaginta Verſione legitur: Dabo Principes veſtros in pace & præpoſitos veſtros in juſtitia, id eſt, conſtituam ſuper vos Principes fideles & Præpoſitos juſtitiâ repletos. Et in eo ſenſu prophetico juxta S. Clementis ſententiam, de Præpoſitis Eccleſiæ Iſaias locutus eſt, eodemque ſenſu deſignat Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos qui primas in Eccleſia ſedes obtinebant.

5. *lat.* per Jeſum Chriſtum.

6. *expl.* S. Clemens plurimas hic commemorat circonſtantias quæ minime leguntur in libro Numeri c. 17. ubi hæc narratur hiſtoria: Itaque veriſimile videtur eas ex Judæorum traditione hauſiſſe, uti ſimiles reperiuntur in Epiſtola ad Hebræos, neutiquam in ſacris paginis relatæ.

7. *expl.* Hujus rei occaſione diſſentio orta eſt procul dubio inter Corinthios: *vide quod ſequitur.*

8. *expl.* Ex his verbis facilè perſpicitur ſchiſma inter Corinthios excitatum, ex eo quod quidam homines vanis inhiantes honoribus alicujus Eccleſiæ ſibi dignitates arrogaverant & inde legitimum depulerant Paſtorem: *Vide quæ ſequuntur.*

9. *expl.* Iidem ſunt quos modò S. Pontifex nominavit Epiſcopos: tunc enim hæc duo nomina promiſcua erant, licet diverſum eorum miniſterium.

timentibus conjectus eſt? Ananias, Azarias, & [1] Miſaël ab eis qui magnificum & nobilem Altiſſimi cultum obſervabant concluſi ſunt in fornacem ignis? Abſit. Quinam igitur hæc patrarunt? Odio ac exſecratione digni, & omni malitiâ pleni, in tantum furoris erupetunt, ut viros in ſancto & irreprehenſo propoſito, Deo ſervientes, contumeliis ac tormentis affecerint: dum neſciunt, Altiſſimum propugnatorem & protectorem eſſe eorum, qui in pura conſcientia potentiſſimo nomini ejus inſerviunt: cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Illi verò, in fiducia tolerantes, gloriæ & honoris hæredes facti ſunt; elevati ſunt & ſublimes beatique effecti à Deo in memoria ipſorum, in ſæcula ſæculorum. Amen.

XLVI. Talibus itaque exemplis & nos adhærere oportet, fratres. Scriptum enim eſt; *Sanctis vos adjungite; quia qui illis adhærent, ſanctificabuntur.* [2] Et rurſus in alio loco dicit; *Cum viro innocente innocens eris; & cum perverſo perverteris.* Quare innocentibus & juſtis jungamus nos: ii quippe ſunt electi Dei. Ut quid inter vos ſunt contentiones, iræ, diſſenſiones, ſchiſmata & bellum? Nonne unum Deum habemus; & unum Chriſtum? atque unus eſt Spiritus gratiæ, qui effuſus eſt ſuper nos, & una vocatio in Chriſto? Cur diducimus & diſtrahimus membra Chriſti; & contra proprium corpus ſeditionem facimus; eòque veſaniæ devenimus, ut alios aliorum membra eſſe obliviſcamur? Recordamini verborum Jeſu Domini noſtri. Dixit enim; *Væ homini illi: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet, quam ut unum ex electis meis ſcandalizaret: melius erat, ut ei mola circumponeretur, & in mare demergeretur* [3] *quàm ut unum de puſillis meis ſcandalizaret.* Schiſma veſtrum multos pervertit, multos in animi dejectionem, multos in vacillationem, omnes nos in triſtitiam conjecit: & ſeditio veſtra perſiſtit.

XLVII. Sumite Epiſtolam beati Pauli Apoſtoli. Quid primùm vobis in principio Evangelii [4] ſcripſit? Profectò in Spiritu ad vos litteras dedit, de ſeipſo, & Cepha, & Apollo; quia etiam tum diverſa in ſtudia ſciſſi eratis. Sed varia illa animorum inclinatio, minus peccatum vobis intulit: propendebatis enim in Apoſtolos [5] teſtatæ ſanctitatis, & in virum ab illis [6] probatum. Nunc verò quinam ſint qui vos perverterint, & [7] nominatiſſimi veſtri fraterni amoris imminuerint decus, animadvertite. Turpia ſunt, dilecti, ac valde turpia, & Chriſtianâ converſatione indigna, audiri, firmiſſimam & antiquam Corinthiorum Eccleſiam propter unum aut alterum hominem contra Preſbyteros ſeditionem movere. Atque is rumor non tantum ad nos pervenit; ſed ad eos quoque, qui à nobis alieni ſunt animo & ſententiâ, adeò ut propter veſtram inſipientiam, etiam blaſphemiæ & convicia nomini Domini inferantur, vobis autem periculum creetur.

XLVIII. Auferamus igitur hoc celeriter, & Domino accidamus, & plangamus orantes eum, ut propitius factus, reconcilietur nobis, atque in decoram & caſtam fraterni amoris viam nos reducat & reſtituat. Hæc enim eſt porta juſtitiæ, ad vitam [7] aperta; ſicut ſcriptum eſt; *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino. Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam.* Cùm ergo multæ portæ apertæ ſint; quæ in juſtitia eſt, eadem & in [8] Chriſto eſt; in quam beati omnes qui intrarint, & iter ſuum in ſanctitate ac juſtitiâ direxerint, omnia imperturbatè peragentes. Sit aliquis fidelis [9], ſit potens in enarranda cognitione, ſit ſapiens in ſermonum juſta dijudicatione, ſit in operibus purus: tantò humilior eſſe debet, quò major eſſe videtur; & quærere quod omnibus utile eſt, non autem ſuum. [10]

XLIX. Qui caritatem in Chriſto habet, ſervet Chriſti mandata. Vinculum caritatis Dei quis poteſt enarrare? Magnificentiam bonitatis ejus quis, prout oportet, eloqui valet? Altitudo ad quam evehit caritas inenarrabilis eſt. Caritas nos Deo agglutinat, caritas operit multitudinem peccatorum; caritas omnia tolerat, omnia æquo animo fert: in caritate nihil ſordidum, nihil ſuperbum: caritas ſchiſma non habet; caritas ſeditionem non concitat: caritas omnia facit in concordia; in caritate omnes Dei electi, perfecti ſunt facti: ſine caritate nihil acceptum eſt Deo: in caritate nos aſſumpſit Dominus; propter caritatem quam erga nos habuit, Chriſtus Dominus noſter ex voluntate Dei, ſanguinem ſuum pro nobis tradidit, & carnem pro carne noſtra, & animam pro animabus noſtris.

L. Videtis, cariſſimi, quàm magna & admirabilis res ſit caritas, & quod perfectio ejus nequeat explicari. Quis idoneus eſt ut in ipſa inveniatur, præter eos quos Deus dignos eſſe voluerit? Oremus igitur & petamus digni haberi, ut in caritate vivamus, citra humanam propenſionem, & inculpabiles. Generationes omnes ab Adamo uſque in hodiernum diem præterierunt; at qui per Chriſti gratiam conſummati ſunt in caritate, habent locum piorum; qui manifeſtabuntur in viſitatione regni [11] Chriſti. Scriptum enim eſt; *Ingredere in cubicula tua paululum quantulumcumque, donec pertranſeat ira & excandeſcentia mea. Et recordabor diei boni, & ſuſcitabo vos è loculis veſtris.* Beati ſumus, dilecti, ſi præcepta Domini in caritatis concordia fecerimus, ut per caritatem remittantur nobis peccata noſtra. Scriptum quippe eſt; *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum, nec eſt in ore ejus dolus.* Hæc beatitudo contigit electis à Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

LI. Quotquot igitur per quemdam Adverſarii illapſum deliquimus, veniam poſtulemus: illi verò qui ſeditionis & [12] diſſenſionis duces & principes fuerunt, debent [13] communem ſpem contemplari. Qui enim cum timore ac dilectione vivunt, malunt ſe in contumelias incidere, quàm proximos; & in ſeipſos potiùs damnationis ſententiam ferunt, quàm in pulcram & juſtam, quæ nobis tradita eſt, conſenſionem. Nam melius eſt homini, confiteri de lapſibus & peccatis, quam indurare cor ſuum; prout induratum eſt cor eorum qui contra famulum Dei Moyſen ſeditionem fecerunt; quorum condemnatio manifeſta fuit: deſcenderunt enim in infernum vivi, & mors abſorpſit eos. Pharao & exercitus ejus & omnes præfecti Ægypti, currus etiam & equites eorum, non aliam ob cauſſam, Maris Rubri profundo immerſi ſunt, & perierunt, quàm quod

1. *expl. aliter.* Sidrach, Miſach, & Abdenago. Daniel. c. 1.

2. *expl.* Id in ſacris paginis non reperitur quoad verba, ſed præclarè quoad ſenſum, pluribuſque ſcripturæ locis contexitur.

3. *expl.* Hic Apoſtolus juxta morem ſuum plurima ſimul ſcripturæ loca complectitur.

4. *expl.* Id eſt, in principio prædicationis Evangelii, quando præcepta divina Evangelii docere incipiebat. *Expl.* per Evangelium univerſa novi teſtamenti ſcripta intelligi & comprehendi, ſed per verba ſubſequentia inſinuatur quod prior ſenſus magis nativus exiſtat.

5. *expl.* Intelligit S. Clemens Apoſtolos Petrum & Paulum; idem enim eſt Cephas ac Petrus: Euſebius *lib.* 1. *hiſtor.* c. 12. dicit quod Cephas unus fuerit ex ſeptuaginta duobus Jeſu Chriſti Diſcipulis, ſed eum fefellit ejus opinio, nec ſatis ſane perpenderat cognomen Cephæ à Chriſto Jeſu Petro fuiſſe impoſitum, *Joan.* c. 1. v. 42. Et quem hic Paulus appellat Cepham eumdem planè eſſe quem Cepham & Petrum nominat *Galat.* c. 2. v. 8. 9. & 11. idemque Cephæ ac Petri nomen eſſe.]

6. *expl.* Apollinem intelligit: *Vide Actor.* c. 18. v. 27.

7. *expl.* Locus iſte à S. Clemente Alexandrino citatur, *lib.* 4. *Strom.* p. 518. ſub nomine S. Barnabæ: ſed vel defectu memoriæ, vel inconſultè, vel potius per errorem Librarii actum eſt; ſiquidem eumdem locum refert idem Doctor *lib.* 1. *Strom.* ſub nomine S. Clementis.

8. *expl.* Hunc locum commemorat S. Clemens Alexandrinus, *lib.* 1. *Strom.* p. 288. & *lib.* 6. p. 646. *Edit. Pariſ.*

9. *expl.* *Vide ibid. lib.* 1. *Strom.* p. 289. & *lib.* 6. p. 647. *Edit. Pariſ.*

10. *expl.* *Ibid. lib.* 4. *Strom.* p. 518.

11. *Int.* Locum ſanctorum obtinent, & tempore regni Chriſti manifeſtabuntur

12. *Aliter.* Qui ſeditionem & diſſentionem excitarunt.

13. *expl.* Utilitatem potius communem quam propriam & deſiderare & anteponere debent: *Vide quæ ſequuntur*: loquitur ſane de eo, vel de iis qui à miniſterio vel de ſedibus ſuis fuerant dejecti & expulſi. hunc locum citat S. Clemens Alexandrinus *ibid.*

ſtulta eorum corda indurata fuerint, poſtquàm per famulum Dei Moyſen tot tantaque portenta facta fuerant in terra Ægypti.

LII. Nullius rei, fratres, indignus eſt Dominus, nec quidquam deſiderat, præterquàm ut ei fiat confeſſio. Ait enim electus David; *Confitebor Domino; & placebit ei ſuper vitulum novellum, cornua producentem & ungulas. Videant pauperes, & lætentur.* Et iterum dicit: *Immola Deo ſacrificium laudis; & redde Altiſſimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis tuæ: & eruam te; & honorificabis me.* Nam *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus.*

LIII. Noſtis enim & probè noſtis ſacras Scripturas, dilecti, & penitiùs in divina eloquia introſpexiſtis: illa igitur mente & memoriâ recolite. Cum Moyſes in montem adſcendiſſet, & quadraginta dies, noctesque quadraginta, in jejunio ac humilitate tranſegiſſet; dixit ad eum Deus; *Moyſes, Moyſes, deſcende velociter hinc; quia iniquitatem fecit populus tuus, quos eduxiſti de terra Ægypti: tranſgreſſi ſunt cito de via quam mandaſti eis; & fecerunt ſibi fuſilia. Et dixit Dominus ad eum: Locutus ſum ad te ſemel & bis, dicens: Vidi populum hunc, & ecce populus duræ cervice eſt; dimitte me exterminare eos; & delebo nomen eorum de ſub cælo; & faciam te in gentem magnam & mirabilem, & multam magis quàm hanc. Dixit autem Moyſes: Nequaquam Domine; remitte peccatum huic populo; vel etiam me dele de libro viventium.* O caritatem magnam! O inſuperabilem perfectionem! Liberè ad Dominum loquitur famulus; remiſſionem pro plebe poſtulat, vel ſeipſum quoque cum eis deleri petit.

LIV. Quis ergo inter vos generoſus? quis miſericors? quis caritatis plenus? Dicat; Si propter me ſeditio, & diſcordia, & ſchiſmata; diſcedo, abeo, quocumque volueritis; & facio quæ à plebe mandantur 1, ſolum ovile Chriſti in pace degat, cum conſtitutis Preſbyteris. Qui hoc fecerit, ſibi magnum decus in Domino comparabit; & omnis locus eum ſuſcipiet. *Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus.* Hæc, qui divinam ac cujus numquam pœnitet, vitam vivunt, fecerunt & facient.

LV. Ut autem etiam Gentium exempla proferamus: multi reges & principes, peſtifero tempore ſæviente, cùm oraculo admoniti eſſent, ſeipſos morti tradiderunt, ut cives ſuo ſanguine 2 liberarent. Multi à ſuis civitatibus, ne ſeditio duraret, ſeceſſerunt. Multos, inter nos cognovimus, qui ſeipſos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent 3. Multi ſe ipſi in ſervitutem dederunt, & accepto pretio ſui, alios cibarunt. Mulieres complures per gratiam Dei corroboratæ, ſtrenua & virilia multa geſſerunt. Beata Juditha, cùm urbs obſideretur, rogavit Seniores, ut ſibi liceret in alienigenarum caſtra tranſire: ac ſeipſam periculo tradens, propter caritatem patriæ populique obſeſſi, egreſſa eſt; & Dominus tradidit Olophernen in manu feminæ. Nec minùs, cujus perfecta fuit fides, Eſthera, periculoſe objecit, ut duodecim tribus Iſraëlitarum jam perituras liberaret. Nam in jejunio & humilitate precata eſt omnium effectorem Dominum, Deum ſæculorum: qui animi ejus humilitatem cernens, populum liberavit, propter pericula quæ illa adierat. 4

LVI. Et nos igitur oremus pro eis, qui in aliquod peccatum lapſi ſunt, ut detur illis moderatio & humilitas; quò non nobis, ſed voluntati Dei cedant: ſic enim erit ipſis fructuoſa & perfecta quæ eſt apud Deum & ſanctos, cum miſericordia recordatio. Aſſumamus diſciplinam, juxta quam nemo ſolitus eſt indignari, Dilecti. Admonitio, quam invicem facimus, bona eſt & apprimè utilis: ſiquidem nos voluntati Dei glutinat. Sic enim ait ſacer ſermo: *Caſtigans caſtigavit me Dominus; & morti non tradidit me. Quem enim diligit Dominus, corrigit: flagellat autem omnem filium, quem ſuſcipit. Corripiet* enim me, inquit, *juſtus in miſericordia, & arguet me: oleum autem peccatorum non impinguet caput meum.* Et iterum dicit: *Beatus homo, quem arguit Dominus, monitionem verò Omnipotentis ne renuas. Ipſe enim dolere facit, & rurſus reſtituit; percuſſit, & manus ejus ſanaverunt. Sexies de neceſſitatibus eruet te: & in ſeptimo non tanget te malum. In fame liberabit te à morte: in prælio vero de manu ferri ſolvet te: & à flagello linguæ abſcondet te, & non timebis à malis ingruentibus: injuſtos & iniquos deridebis, & feroces beſtias non timebis. Beſtiæ enim feræ pacatæ erunt tibi. Deinde ſcies quòd in pace erit domus tua: habitatio autem tabernaculi tui non peccabit. Scies autem quòd multum ſemen tuum, & filii tui quaſi omnis* [illegible] *campi: & venies in ſepulcrum, tamquam frumentum maturum, quod in tempore meſſuerunt: vel ſicut acervus area in tempore comportatus.* Videtis, dilecti, protegi eos qui à Domino caſtigantur: cùm enim bonus ſit correptor, vult nos ſanctâ ſuâ correctione admoneri.

LVII. Vos ergo qui ſeditionis fundamenta jeciſtis, ſubditi eſtote Preſbyteris, & in pœnitentiam corripimini: flectentes genua cordis veſtri 5, diſcite ſubjici, deponentes arrogantem & ſuperbam linguæ veſtræ jactantiam: melius ſiquidem vobis eſt, in ovili Chriſti parvos & probatos inveniri, quàm altum ſapientes è ſpe illius ejici. Ita ſiquidem dicit Sapientia quæ πανάρετος, hoc eſt, omnem virtutem complectens 6, vocatur: *Ecce proferam vobis meæ ſpiritûs dictionem, docebo autem vos meum ſermonem. Quoniam vocabam, & non obediſtis & extendebam verba, & non attendiſtis: ſed irrita feciſtis mea conſilia: & meis increpationibus rebelles fuiſtis. Itaque & ego veſtra perditione ridebo: gaudebo autem cùm venerit vobis interitus, & cùm advenerit vobis ſubitò tumultus: everſio autem ſimilis procellæ affuerit: vel cùm venerit vobis tribulatio & oppreſſio. Erit enim cùm invocabitis me: ego autem non exaudiam vos: quærent me mali, & non invenient. Oderunt enim ſapientiam; timorem autem Domini non aſſumpſerunt: neque volebant meis attendere conſiliis: ſubſannabant autem meas redargutiones. Ergo comedent viæ ſuæ fructus, & ſuâ ipſorum impietate 7 ſaturabuntur.* * * * * * * *

LVIII. Inſpector omnium Deus, ſpirituum Dominus & herus univerſæ carnis; qui elegit Dominum Jeſum Chriſtum, & per eum nos in populum peculiarem omni animæ quæ invocaverit magnificum & ſanctum nomen ejus, det fidem, timorem, pacem, patientiam, æquanimitatem, continentiam, puritatem & temperantiam, ut nomini ejus grata ſit, per ſummum Sacerdotem, & patronum noſtrum Jeſum Chriſtum: per quem illi gloria, majeſtas, imperium, honor, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

1. *expl.* S. Epiphanius hæreſ. 27. ex hoc loco concludit quod revera S. Clemens, poſtquam in ſedem Romanam evectus fuiſſet, pro bono pacis & diſſenſiones pacandæ causâ, eam abdicaverat: ſed opinio hæc planè ruit, ex eo quod hujus loci Epiſtolæ S. Clementis non ſatis apte ſenſum attigerat: *Vide S. Chryſoſtomum homil. 11. in Epiſt. ad Epheſ.*

2. *expl.* Conſule Origenem in Joan. p. 142. & 145. ubi exempla commemorat Gentilium qui ut concives ſuos à cruciatibus & calamitatibus publicis quibus afficiebantur liberarent, ſeipſos ut victimas morti obtulerant, ſuorum iram Deorum ſedandi gratiâ: Et certè plurima hujus rei ex profanis hiſtoriis proferuntur exempla. In eorum numerum referendus eſt Menæceus juvenis quidam Thebanus, qui, ut concives ſuos a Græcis obſeſſos eriperet ſeipſum morti tradidit. Codrum Athenienſium Regem, ne Athenienſium Civitas in Peloponenſium poteſtatem redacta foret, idem perpetraſſe memoriæ traditum eſt. Plures alios prætermitto: ſed & inter fœminas prædicatur præcipuè percelebris illa Macaria Herculis filia quæ ob ſalutem populi mortem fortiter oppetiit, ſic Protegenia & multæ aliæ.

3. *expl.* Priſcus & Aquila, *Rom. c. 16. v. 4.* & Epaphroditus, *Philip. c. 2. v. 30.*

4. *expl* Hoc tranſcriptum videtur à S. Clemente Alexandrino, *lib. 4. Strom. verſus finem.*

5. *expl.* Elocutio hæc frequens eſt apud Antiquos Patres, depromptaque creditur ex Manaſſæ Oratione.

6. *Expl.* πανάρετος, id eſt, omnem virtutem complectens. Hoc cognomen Græco libro quoque Eccleſiaſtici tribuerunt propter eandem rationem, id eſt, quia ſapientiæ complectitur præcepta.

7. *Nota.* Omiſſio quædam eo in loco perſpicitur quæ non potuit ſuppleri, quia in Græca verſione ſimiliter reperitur: ſecundum quorumdam opinionem integrum deſideratur folium, quod quidem eſſet facile recuperandum, dummodo aliqua ſuppeditarentur Exemplaria quæ extant, ut aiunt, inter Ægyptios & Græcos.

Digitized by Google

LIX. Miſſos autem à nobis Claudium, Ephebum, & Valerium, Vitonem cum Fortunato 1, in pace cum gaudio, ad nos brevi remittite, ut citiùs optabilem nobiſque deſideratiſſimam pacem & concordiam annuncient: quò & nos de veſtra tranquillitate ocyùs gaudeamus. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit vobiſcum, & cum omnibus ubique vocatis à Deo, & per ipſum: per quem ei gloria, honor, potentia, majeſtas, & ſolium æternum, à ſæculis, in ſæcula ſæculorum. Amen.

1. *expl.* Ignoratur plane qui ſint hi quatuor primi cooperatores Evangelii, ultimus verò idem conjicitur quem ſummis effert laudibus Apoſtolus Paulus, *I. Corinth. c. 16. v. 15. & 17.*

IN EPISTOLAM II. S. CLEMENTIS AD CORINTHIOS

PRÆFATIO.

SAncti Clementis Epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios ſola, ut ita dicam, extant fragmenta, ita ut certò ſcire & ad quos fuerit ſcripta, & quodnam ſit ejuſdem argumentum, difficillimum eſſet: minori primâ apud Patres prioris ævi exiſtimatione floruit, ideircò eam raro fideles præ manibus habuerunt; inde factum eſt ut ad nos imperfecta & lacunis plena pervenerit: Eò accedit quod quidam tunc an ab illo S. Martyre fuiſſet conſcripta dubitabant. Et quidem Euſebii ſæculo fama erat, ut ipſemet teſtatur *lib. 3. hiſt. c. 32.* alteram ſcripſiſſe ſanctum Antiſtitem Epiſtolam quam ex profeſſo *quamdam Epiſtolam* appellat, ex eo quod nullam præ ſe ferret perſonam, nec ad ullam gentem ſcriptam innoteſceret; ſed & quia eadem autoritate eademque exiſtimatione ac prior caruerat, in citationibus præterea à Veteribus prætermiſſa. Non ſolum idem ſentit S. Hieronymus *Catalog. n. 15. t. 4. p.* 107. ſed & ab omnibus reprobatam aſſerit. Idem tamen Doctor *lib. 1. contra Jovinian. p. 156. tom.* 4. S. Clementis Epiſtolas referens, maximè Virginitatem, quæ in iis ſtrenuè ac fortiter aſtruitur commemorat, quæque ab hoc hereſiarcha penitus erat improbata, quarum nixus autoritate adverſus eum dimicat. Quod autem ab illo S. Doctore ex illis excerptum fuit Epiſtolis nullo modo earum Primæ ſed Secundæ dumtaxat poteſt congruere: Unde, quando S. Hieronymus hancce Secundam ſuperius dixit rejectam, extra Catalogum Canonicum poſitam, non verò falſam & fictitiam intellexiſſe perſpicuum eſt; ſiquidem ejuſdem autoritas ad errores hæreticorum confutandos & ad fidem, diſciplinam, temporumque Apoſtolicorum opiniones confirmandas non parum valebat. Et revera ſic mentem ſuam aperit S. Epiphanius, *hæreſ.* 30. cùm hujus S. Martyris Epiſtolas aſſerit in Eccleſia publicè legi ſolere; & quamvis pluribus in locis ab hæreticis adulteratæ, earum tamen autoritatem uſurpatam fuiſſe, ut adverſus eoſdem Virginitatis ſanctitas & Prophetiarum veritas ab iis propugnatæ aſtruerentur.

Photius *in Biblioth. Cod.* 126. dicit ſecundam hanc ſe pariter legiſſe Epiſtolam, ipſamque melioris vitæ inſtitutionem & admonitionem inducere, licet fateatur quod dicta quædam peregrina, velut è ſacra ſcriptura, ſubintroducat, ſed ea deprompta videntur ex Ægyptiorum Evangelio, & quod denique interpretationes locorum quorumdam alieniores proferat; ſed iis, ut addit, nec prima quidem Epiſtola omnino vacat.

Hæc ſecunda à S. Clemente prior ſcripta creditur, ex eo quod innuat fragmentum illius pacifica tempora, quod ſanè regno congruit Veſpaſiani, circa ann. 75. Æræ vulgaris, ſcilicet viginti annis ante primam hìc poſitam. Autor libri Quæſt. *Sancto Juſtino attributi*, *quæſt.* 74. Sybillina Carmina ſub S. Clementis autoritate & nomine citat, veritatem ultimi judicii confirmandi gratiâ: At cum Epiſtola hæc integritate caret, utrum prior an poſterior pars iſta contineret dignoſci non poteſt. Fabricius in ſua librorum Novi Teſtamenti Apocryphorum collectione Epiſtolam hanc putat ſcriptum ſuppoſititium circa medium ſæculi tertii.

Præcipuus hujus Epiſtolæ finis in eo eſſe videtur, ut fideles ad quos ſcribit ſanctus ille Pontifex ad pœnitentiam & ad ſanctè pièque vivendum hortetur: idcircò ob oculos ponit, quanta Deo Patri & ejus filio Jeſu Chriſto debeant pro tot ac tantis beneficiis acceptis, præſertim verò pro lumine Evangelii iis conceſſo: & non ſolum oris confeſſione oſtendit, ſed etiam bonis operibus gratias Deo eſſe agendas: vitam hominis in duo diſtributam tempora, præſens videlicet & futurum; primum, laborum & certaminum ad quod ut Athleta debet quis eſſe promptus & accinctus; quandoquidem ad pœnitentiam & pœnas extremi judicii effugiendas, cujus adventus, dieſque penitus latet, ſit aptiſſimum.

SANCTI CLEMENTIS EPISCOPI ROMANI

EPISTOLA AD CORINTHIOS II.

FRATRES, ita ſentire nos oporter de Jeſu Criſto, tamquam de Deo, tamquam de judice vivorum & mortuorum: nec decet nos humilia ſentire de ſalute noſtra: dum enim humiliter ſentimus de illo, parva etiam accepturos nos ſperamus: & dum tamquam exigua audimus, peccamus, neſcientes unde & quo modo vocati ſumus, & à quo, & in quem locum & quanta ſuſtinuit Jeſus Chriſtus pati propter nos. Quam igitur nos ipſi dabimus remunerationem, aut quem fructum dignum eorum quæ nobis ipſe dedit? Quanta verò ei debemus pia? Nam lucem nobis largitus eſt: tamquam pater filios nos appellavit: [1] pereuntes nos ſervavit. Qualem ipſi laudem tribuemus, aut mercedem compenſationis eorum quæ accepimus? qui mente eramus capti, & adorabamus lapides, ligna, aurum, argentum, atque æs, hominum opera; tota noſtra vita nihil aliud erat quàm mors. Obſcuritate itaque circumdati, & tali caligine plenum habentes viſum, reſpeximus, ipſius voluntate [2] deponentes eam quâ cingebamur nebulam. Nam miſeratus eſt nos, & viſceribus commotus, ſalvos fecit; cùm in nobis multum errorem ac interitum ſpectaſſet, nec habere nos ullam ſalutis ſpem, niſi eam quæ ab ipſo. Vocavit enim nos qui non eramus [3], & voluit è nihilo eſſe nos.

II. *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Quod dixit, *Lætare ſterilis quæ non paris*; nos dixit: ſterilis quippe erat Eccleſia noſtra, antè quàm dati eſſent ei liberi. Quod verò dixit; *Clama quæ non parturis*, hoc dicit; Preces noſtras ad Deum omnino: ut parturientes ſolent, non deficiamus referre. Quod autem dixit; *Quia multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum*: Quandoquidem populus noſter deſertus eſſe videbatur & Deo orbatus; nunc verò cùm credidimus, plures facti ſumus iis, qui Deum habere cenſebantur. Alia quoque Scriptura; ait; *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Hoc dicit, quòd debeat pereuntes ſervare. Illud ſiquidem magnum & admirabile eſt; non fulcire quæ ſtant, ſed quæ cadunt. Sic & Chriſtus ſervare voluit pereuntia, & multos ſervavit dum venit, dumque nos jam pereuntes vocavit.

III. Cum igitur tantam miſericordiam erga nos ipſe fecerit: primò quidem, quòd nos qui vivimus, Diis mortuis non ſacrificamus, nec adoramus eos; ſed per ipſum, cognovimus veritatis Patrem: quænam eſt agnitio ad eum, niſi ut non negemus illum, per quem agnovimus eum? Ait verò etiam ipſe; *Qui me confeſſus fuerit in conſpectu hominum, confitebor ipſum in*

1. *litt.* Cum perhiberamus. *Vide inferius.*
2. *aliter.* Ipſius beneplacito.
3. *aliter.* Antequam nati fuiſſemus. *Expl.* hæc verba videntur intelligenda ſecundum vitam ſpiritualem. *Vide quæ ſequuntur.*

Digitized by Google

conſpectu Patris mei. Hæc eſt itaque merces noſtra, ſi quidem confiteamur eum per quem ſervati ſumus. In quonam autem illum confitebimur? Faciendo quæ dicit, & mandata illius non ſpernendo; nec ſolùm labiis eum honorando, ſed ex toto corde, & ex tota mente. Dicit quippe in Eſaia: *Populus iſte labiis me honorat: cor autem eorum longè abeſt à me.*

IV. Non modò igitur ipſum vocemus Dominum; id enim non ſalvabit nos: ſiquidem ait; *Non omnis qui dicit mihi; Domine, Domine, ſalvabitur; ſed qui facit juſtitiam.* Itaque, fratres, in operibus ipſum confiteamur, in diligendo alii alios; in non adulterando, neque obtrectando invicem; neque æmulando; ſed vivendo in continentia, miſericordia, bonitate: & compaſſione mutuâ duci debemus; at non pecuniæ cupiditate: atque in bonis operibus confiteamur Deum; non autem in contrariis: nec timendi nobis ſunt homines, ſed potiùs Deus. Idcirco, nobis hæc facientibus, dixit Dominus; *Si fueritis mecum congregati in ſinu meo, & non feceritis mandata mea, abjiciam vos 1. & dicam vobis, Diſcedite à me; neſcio vos, unde ſitis, operarii iniquitatis.*

V. Unde, fratres, derelicto mundi hujus incolatu, faciamus voluntatem ejus qui vocavit nos; & non vereamur de hoc mundo exire. Ait enim Dominus; *Eritis velut agni in medio luporum. Reſpondens autem Petrus ei dicit; Si ergo lupi agnos diſcerpſerint? Dixit Jeſus Petro; Ne timeant agni poſt mortem ſuam, lupos 2: & vos nolite timere eos qui occidunt vos, & poſt nihil vobis poſſunt facere, ſed timete eum, qui poſtquam mortui fueritis, habet poteſtatem animæ & corporis, ut mittat in gehennam ignis.* Et ſcitote, fratres, quòd peregrinatio carnis hujus in hoc mundo, brevis eſt ac parvi temporis; promiſſio autem Chriſti, magna & admirabilis eſt, atque requies futuri regni ac vitæ æternæ. Quid igitur faciendo, ea conſequi poterimus, niſi divinè juſtèque vivendo ac operando, & mundana hæc tamquam aliena putando, nec illa concupiſcendo: dum enim ipſa poſſidere concupiſcimus, excidimus à via juſta.

VI. Dicit autem Dominus; *Nullus ſervus poteſt duobus Dominis ſervire.* Si nos volumus & *Deo ſervire & Mammonæ*, incommodum nobis eſt. *Nam quæ utilitas, ſi quis univerſum mundum lucretur; animam autem detrimento afficiat?* Porrò hoc ſæculum, & futurum ſunt duo inimici. Illud, adulterium, corruptelam, avaritiam & fraudem prædicat: hoc verò iſtis renunciat. Non ergo poſſumus amborum amici eſſe: oportet autem ut illi valedicentes, hoc utamur. Putemus melius eſſe, quæ hîc ſunt odiſſe, quia parva & exigui temporis & corruptioni obnoxia ſunt; quæ verò ibi ſunt, diligere, utpote bona & incorrupta. Facientes enim Chriſti voluntatem, requiem inveniemus: ſin minùs, nihil nos ab æterno ſupplicio eripiet, ſi mandata illius contemnamus. Dicit autem & Scriptura in Ezechiele; *Si Noë, & Job, & Daniel reſurgant, non eruent liberos ſuos in captivitate.* Quòd ſi adeò juſti viri, non poſſunt juſtitiis ſuis eruere liberos ſuos; nos, niſi Baptiſma purum & immaculatum ſervaverimus, quâ confidentiâ intrabimus in regiam Dei? aut quis advocatus noſter erit, ſi non inveniamur opera pia & juſta habere?

VII. Quocirca, fratres mei, certemus ac contendamus, ſcientes quod præ manibus eſt certamen; & quòd ad corruptibilia certamina multi appellunt, ſed non omnes coronantur, niſi qui plurimùm laboraverint, & præclarè certarint. Nos igitur certemus, ut omnes coronam reportemus. Ergo curramus viam rectam, certamen incorruptibile; & multi ad ipſum navigemus; atque certemus, ut & coronemur: & ſi non poſſumus omnes coronari, ſaltem prope coronam 3 ſimus. Scire nos oportet, quòd qui certamen corruptibile certat, ſi corrumpere ac peccare inveniatur, flagellatus aufertur, & extra ſtadium projicitur. Quid vobis videtur? qui incorruptionis certamen corruperit, quid patietur? De iis enim, qui ſigillum non ſervaverint, ait; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur & erunt in viſionem omni carni.*

VIII. Quamdiu ergò in terris degimus, pœnitentiâ ducamur. Lutum quippe ſumus in manu artificis. Quemadmodum enim figulus, ſi vas fecerit, illudque in manibus ejus diſtortum fuerit aut contritum, rurſus ipſum refingit; ſin verò anteoccupans, in fornacem ignis miſerit illud, non ampliùs poterit ſuppetias ipſi ferre: ita & nos, quamdiu ſumus in hoc mundo de malis quæ in carne geſſimus, ex toto corde reſipiſcamus, ut à Domino ſalvemur; dum habemus tempus pœnitentiæ. Poſtquam enim è mundo exivimus, non ampliùs poſſumus ibi confiteri 4, aut pœnitentiam adhuc agere. Quare, fratres, voluntatem Patris facientes, & carnem ſervantes caſtam, & mandata Domini cuſtodientes, conſequemur vitam æternam. Ait quippe Dominus in Evangelio: *Si parvum non ſervaſtis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis; Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt.* Hoc ergo dicit; Servate carnem caſtam, & ſigillum immaculatum 5; ut recipiatis vitam æternam.

IX. Et nemo veſtrûm dicat, quòd hæc caro non judicatur, neque reſurgit. Agnoſcite in quo ſervati eſtis, in quo viſum recepiſtis; niſi dum in hac 6 carne viviris. Nos ergo decet, carnem ſicut templum Dei cuſtodire. Quemadmodum enim in carne vocati eſtis, ita in carne venietis. Jeſus Chriſtus Dominus, qui nos ſervavit; cùm primùm eſſet 7 ſpiritus, caro factus eſt, atque ſic vocavit nos: ita etiam nos in hac carne mercedem recipiemus. Diligamus igitur nos invicem, ut veniamus omnes in regnum Dei. Donec tempus habemus in quo ſanemur, dedamus nos medico Deo, remunerationem ipſi tribuentes. Quam pœnitentiam ex ſincero corde. Namque præſcius omnium eſt, & quæ in corde noſtro verſantur novit. Demus itaque illi laudem, non ab ore ſolùm, ſed etiam ex corde; ut nos tamquam Dei filios ſuſcipiat. Etenim Dominus dixit; *Fratres mei ſunt ii, qui faciunt voluntatem Patris mei.*

X. Ergo, fratres mei, faciamus voluntatem Patris qui vocavit nos, ut vivamus; & perſequamur potiùs virtutem, vitium autem derelinquamus, veluti præcurſorem ſuppliciorum noſtrorum; & fugiamus impietatem, ne nos mala comprehendant. Nam ſi bene agere ſtuduerimus, conſectabitur nos pax. Ob eam ſiquidem cauſſam non eſt reperire hominem. Quilibet enim humanis 8 timoribus ducuntur, præponentes voluptatem præſentem repromiſſioni futuræ. Ignorant enim quantum habeat tormentum, hujus ſæculi uſus; & quales habeat delicias futura promiſſio. Ac quidem ſi ipſi ſoli iſta facerent, tolerabile eſſet: jam verò perſeverant, inſontes animas pravis doctrinis imbuere; neſcientes quòd duplicem habebunt condemnationem, & ipſi, & qui audiunt eos.

XI. Nos ergo in corde mundo Deo ſerviamus, & erimus juſti: quòd ſi non ſervierimus, non credendo pollicitationi Dei, erimus miſeri. Dicit enim ſermo Propheticus; *Miſeri ſunt qui animo duplices, & corde incerti ſunt; quique dicunt; Hæc omnia audivimus*

1. *expl.* Prima hæc verba in Evangelio non reperiuntur; pluribus aliis ſunt ſane ſimilia quæ non ſcripſerunt Apoſtoli, ſed quæ vivâ voce tranſmiſſa reliquerunt. *Lege annotationem ſequentem.*

2. *expl.* Locus hic in Evangelio non legitur; forſitan continebat eum Ægyptiorum Evangelium, in quo multa reperiebantur, tanquam a Chriſto dicta; quæque pluſimi accepta ab Apoſtolis, & ad nos uſque allata, traditione non ſcriptâ contendebant.

3. *expl.* Alludit hic S. Clemens ad varia præmia quibus ii donabantur qui in ſtadio & in Agone currebant, quorum unus bravium accipiebat qui cæteros curſu anteceſſerat: ita coronam accipiunt qui vitam egerunt perfectiorem: probat præterea diverſam eſſe pro diverſis cujuſque meritis remunerationem, perfectioreſque in hoc ſæculo, beatiores in altero futuros. Vide 1. *Corinth. c.* 15. *v.* 41 *&* 42.

4. *expl.* Id eſt, non poterimus, aut ſaltem intempeſtivè & infructuosè pœnitentiam agemus.

5. *expl.* Alludit ad locum *Iſaiæ c.* 66. *v.* 24. ſuperius laudatum.

6. *litt.* In hac carne ſalvati fuiſtis.

7. *aliter.* Cum ſit ab æterno ſpiritus.

8. *litt.* Hujus mundi.

Digitized by Google

Seleuciæ, deinde Smyrnam duxerunt, ubi minimum uſque 24. Auguſti anni Jeſu Chriſti 107. commoratus eſt. Per idem tempus Eccleſiæ vicinæ, omneſque quas trajecerat auxilia illi præbuerunt, litteras inſuper conſolatorias miſerunt, in quibus ſincera erga eum amoris indicia propter fidem Jeſu-Chriſti quam tantâ conſtantiâ, tantâque animi fortitudine propugnaverat, teſtificatæ ſunt: Ut autem de his omnibus gratias redderet, ad Eccleſias Epheſi, Magneſiæ, & Trallorum ſcripſit Epiſtolas, Smyrnâque proficiſcens ad Eccleſiam quoque ſcripſit Romanam, deprecans ſuum eorum culpâ non procraſtinaretur Martyrium. Indeque diſcedens Troade ad Philadelphios & ad Smyrnæos ſcripſit, propriam verò Epiſtolam ad Polycarpum hujus Eccleſiæ Antiſtitem miſit, ut de eorum in ſe benevolentia grates rependeret, & ut cum iis de nuntio quem nuper acceperat congauderet, ſcilicet de pace aliqua Syriæ Eccleſiis, præſertim verò Antiochenſi, Trajani Imperatoris edicto conceſſâ; hortaturque eos ut ad Antiochenſes ſcriberent, certiores eos faciendo de hilaritate animi quâ propter pacem eis conceſſam afficiebatur: ſuadet inſuper ut eis miniſtros mitterent idoneos, qui eos in fide & pietate Evangelii ſtabilirent. Paulò poſt Troade profectus, Neapolim, hinc Philippos pervenit, peragravit deinde Macedoniam ac Epirum uſque Pyrrachium, ubi navem conſcendens Romam appulit: Quò ſimul ut advenit, in Amphitheatrum ductus, ibi Martyrium conſummavit die 1. Februarii, an. Chriſti 108. Hæc Epitome Geſtorum S. Ignatii ex hujus Martyris ſeptem Epiſtolis & ex Actis etiam ipſius Martyrii deprompta eſt, & à D. Cotelerio relata *in 2. part. Collect. Operum prior. Eccleſ. PP.* qui temporibus vixerunt Apoſtolicis. Primus inter alios Polycarpus has 7. Epiſtolas quas hîc commendamus & in lucem edi curavimus poſteritati tranſmiſit: à fidelibus Philippi deſideratas miſit, unde ad nos uſque pervenerunt. Has laudant Irenæus *lib. 5. c. 28.* & Origenes *Homil. 6. in Lucam, & in Prolog. in Cant. Cantic.* Euſebius *lib. 3. hiſt. c. 30. vel ſecundum alios 36.* earum ſummatim referunt Catalogum & aliqua fragmenta. S. Athanaſius *lib. Synod. Rimin. & Seleuc.* has quoque citat. S. Chryſoſtomus *in Panegyr. hujus S. Martyris*, S. Hieronymus, *Catalog. num. 16.* Theodoretus *Dialog.* Gelaſius *lib. 2. natur.* & plures alii in Edit. D. Cotelerii laudati. In eadem Editione aliæ ſex Epiſtolæ Græcâ linguâ conſcriptæ reperiuntur, quæ S. Ignatii nomine circumferuntur: una ad Mariam Caſobolam, alteram verò ad Mariam Neapolitanam, tres, ad Tharſenſes, ad Antiochenos & ad Philippenſes, & propria ad Heronem: ſed omnes ab iſtius ſæculi doctoribus Criticis ut ſuppoſititiæ reſpuuntur, nec quidem laudatæ videntur tum ab Euſebio, tum à S. Hieronymo, nec ab ullo ex Antiquis Patribus: præterquam quod plura complectuntur à priſcis temporibus aliena & planè diſcrepantia, maximè verò quæ in Epiſtola ad Tharſenſes referuntur in qua quidem Epiſtola, *num. 12.* de Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Oſtiariis, Exorciſtis, aliiſque officiis fit mentio, quæ longè poſtea fuerunt ab Eccleſia inſtituta & uſitata. Adde ſimiliter quæ in Epiſtola ad Philippenſes exarantur *num. 13.* de obligatione Feſtorum celebrandorum, de Jejunio Quadrageſimali, necnon de jejunio feriæ 4. & 5. per annum, & de inhibitione diebus Dominicis & Sabbatis à cibo abſtinendi præter Sabbatum Paſchale, quæ omnia nondum ſtatuerat Eccleſia.

De duabus aliis Epiſtolis hujus ſancti Martyris nomine ad S. Joannem Evangeliſtam conſcriptis, de una quoque tertia ejuſdem ad Beatam Virginem, & de Reſponſo ejuſdem Virginis idem ferendum eſt judicium; nam nec tempori quò vixit S. Ignatius, nec aliarum ſeptem orationi & ſtylo conveniunt: neque præterea ab ullo ex Antiquis citatæ reperiuntur; Sanctus enim Bernardus *Serm. 7. in Pſal.* Qui habitat, primus de illis fecit mentionem.

Quod autem ſpectat ad ſeptem harum, quæ hîc eduntur, ordinem Chronologicum, ſatis in iis fulget, quæ ſuperiùs dicta ſunt, cum vitam hujus S. Martyris attigimus, cujus vitæ præcipuam & ultimam partem comprehendunt Epiſtolæ. Primæ quatuor Smyrnæ procul dubio conſcriptæ dignoſcuntur, ubi S. Ignatius ſal-

rem ad 14. Auguſti an. 107, commoratus eſt, quibus diſtribui ordinem quem hîc ſeruant judicatum eſt. Tres cæteras paulò poſt ſcripſit Troade, quæ etiam in ordinem fuerunt diſpoſitæ, qui magis conſentaneus æſtimatus eſt: idem eſt autem quem iis diſtribuit Euſebius, *lib. 3. hiſt. c. 30. aliàs 36.* quem ſecutus eſt S. Hieronymus *Catalog. c. 16.* Cùm ſingulæ earum ſeptem Epiſtolarum præ ſe ferat Argumentum, hæc generatim ſufficiant.

EPISTOLÆ S. IGNATII

AD EPHESIOS.

PRÆFATIO.

POſtquam S. Ignatius Smyrnam perveniſset, ſequentem Epiſtolam ſcripſit ad fideles Eccleſiæ Epheſi, ut non ſolum gratias iis ageret de eorum in ſe, necnon & in Buſum & Solymum Conſervos ſuos, licet catenis onuſtos, & Romæ in Amphitheatro ad beſtias damnatos, beneficentia, (num 1.) *ſed etiam de conſolatione & vitæ neceſſariis ipſi ab eis per Oneſimum ipſorum Epiſcopum, per Burrhum, Euplum & Frontonem ſuppeditatis. Hoc eſt hujns Epiſtolæ caput præcipuum & occaſio, in qua quidem gratum ſuum teſtificatur animum, ſuamque erga eos benevolentiam, deinde fidem ipſorum commendat & charitatem, ſed & imprimis eorum magnanimitatem celebrat, quâ eum vinculis aſtrictum & oneratum minimè erubuerunt: ſeorſum præterea eis ſignificat quâ lætitiâ, quâque cordis effuſione conſuetudine & colloquio uſus fuerit Oneſimi ipſorum Epiſcopi, quem Fidelibus verbis commendat affectuoſiſſimis, necnon eorum qui ab ipſis Smyrnam eum convenerant. Hortatur eos ad ſinceram & perfectam cum ſancto illo Pontifice & Preſbyteris ſibi conjunctis concordiam & pacem; ut illi obediant* (num. 20.) *mente indivulſa; frangentes cum illo panem unum qui pharmacum immortalitatis eſt, & Antidotum ne moriantur, ſed vivant ſemper in Jeſu Chriſto; ut hæreticos devitent, præcipuè verò eos qui Incarnationis veritatem deſtruere conantur; ut Doctrinæ ſoli Chriſtianæ adhæreant, & ſecundùm ejus ſanctitatem vitam agant. Eis, quaſi obiter, gratulatur, quod Pſeudo-Doctoribus, qui ſuos errores inter eos diſſeminare nitebantur, fortiter obſtiterant. Eos excitat ad preces Deo fundendas pro omnibus indiſcriminatim hominibus, vel etiam pro ipſorum perſecutoribus, ad impetrandam à Deo eorum converſionem, & ad ſibi ipſis invigilandum, propter diem iræ & vindictæ appropinquantem; & ut eos efficatiùs inflammaret, Epiſtolam Beati Pauli ad ipſos ſcriptam meditandam hortatur. Dæmonem dicit tria Jeſu Chriſti myſteria ignoraſse, Beatæ videlicet Mariæ Virginitatem, Incarnationem Verbi Divini, & ejus mortem: Alteram tandem pollicetur Epiſtolam, quæ eos Novi hominis doceat myſterium.*

Epiſtola hæc tota & charitatem & humilitatem & zelum martyrii quo erat ſanctus Pontifex inflammatus anhelat, eaſdemque virtutes fidelibus afflat. Laudata eſt ab Origene homil. 6. in Lucam. *A. S. Baſilio*, homil. de Chriſti Nativit. *qui ex ea fragmentum refert*, Vide inferiùs num. 19. *Ab Euſebio* lib. 3. hiſt. c. 30. aliàs 36. *qui memorat mentionem in ea de Oneſimo Epheſiorum Epiſcopo factam fuiſſe, & denique à S. Athanaſio* lib. de Synod. Arim. & Seleuc. *à quo citatur quod inferiùs c. 7. de Chriſti Nativitate narratum legitur.*

IGNATIUS, qui & Theophorus 1, *benedictæ in magnitudine Dei Patris, & plenitudine, prædeſtinatæ ante ſæcula, ut eſſet ſemper in permanente gloria, immutabilis, unita, & electa, in vera paſſione, per voluntatem patris & Jeſu Chriſti Dei noſtri, Eccleſiæ meritò beatæ* 2, *quæ eſt Epheſi in Aſia, plurimam in Jeſu Chriſto & in immaculata gratia ſalutem.*

I. Suſcepi veſtrum in Deo multùm dilectum 3 nomen, quod poſſidetis naturâ juſtâ 4, ſecundùm fidem & caritatem in Jeſu Chriſto Salvatore noſtro, cùm imitatores ſitis Dei, excitando vos per ſanguinem Dei, cognatum opus omnibus ſuis numeris abſolviſtis, poſtquam audiſtis me vinctum à Syria, pro communi nomine & ſpe 5, ſperantem quod veſtris precibus conſequar ut Romæ adversùs beſtias pugnem, quò per martyrium adipiſci poſſim diſcipulus eſſe illius, qui ſeipſum pro nobis obtulit Deo oblationem & hoſtiam. Quandoquidem numeroſam multitudinem veſtram in nomine Dei ſuſcepi in Oneſimo 6, inenarrabilis caritatis viro, veſtro autem in carne Epiſcopo; quem obſecro, ut juxta Jeſum Chriſtum amatis, utque vos omnes illius ſimiles ſitis. Benedictus enim, qui 7 donavit vobis, qui digni eſtis, talem Epiſcopum poſſidere.

II. De Burrho 8 autem conſervo meo, & ſecundùm Deum Diacono veſtro in omnibus benedicto, oro ut permaneat ad honorem veſtri & Epiſcopi. Sed & Crocus 9, & Deo, & vobis dignus, quem exemplar veſtræ caritatis accepi, per omnia me recreavit, quo modo & ipſum refrigeret Pater Jeſu Chriſti, unà cum Oneſimo, Burrho, Euplo, ac Frontone per quos vos omnes quoad caritatem 10 vidi. Fruar vobis perpetuò 11, ſi dignus fuero. Decet itaque vos omnibus modis glorificare Dominum Jeſum Chriſtum, qui glorificavit vos, ut in obedientia una *ſitis perfecti, eadem mente, eademque ſententia: idemque dicatis de eodem omnes*, ut ſubjecti Epiſcopo & Presbyterio per omnia ſanctificati ſitis.

III. Non præcipio vobis quaſi ſim 12 aliquis. Quamvis enim vinctus ſum in Nomine, necdum tamen perfectus ſum in Jeſu Chriſto. Nunc enim incipio diſcipulus eſſe; & alloquor vos ut condoctores meos. Nam oportebat me à vobis incitari, fide, admonitione, patientiâ, æquanimitate. At quando caritas non ſinit me tacere de vobis, proptereà anteverti vos admonere, ut in Dei 13 ſententiam concurratis. Etenim Jeſus Chriſtus, inſeparabilis noſtra vita, Patris eſt ſententia; ut & Epiſcopi per terræ terminos definiti, ex Jeſu Chriſti ſunt ſententiâ.

IV. Unde decet vos in Epiſcopi ſententiam concurrere: quod & facitis. Nam memorabile veſtrum Presbyterium 14, dignum Deo, ita coaptatum eſt Epiſcopo, ut chordæ citharæ. Propter hoc in conſenſu veſtro & concordi caritate, Jeſus Chriſtus canitur. Sed & vos ſinguli chorus eſte; ut conſoni per concordiam, melos Dei recipientes in unitate, canatis voce unâ per Jeſum Chriſtum Patri; quò & vos audiat, & agnoſcat ex iis quæ operamini, membra eſſe vos Filii ipſius. Utile itaque eſt, in immaculata unitate vos eſſe; ut & ſemper participetis Deo.

V. Si enim ego brevi temporis ſpatio talem conſuetudinem contraxi cum Epiſcopo veſtro 15, quæ non humana ſed ſpiritualis eſt; quantò vos beatiores judico, conjunctos ſic uti Eccleſia Jeſu Chriſto, & Jeſus Chriſtus Patri; ut omnia per unitatem conſentiant? Nemo erret: niſi quis intra altare ſit 16, privatur pane Dei. 17 Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet; quanto magis illa quæ Epiſcopi eſt & totius Eccleſiæ? Qui igitur in conventum non venit, hic jam ſuperbâ elatus eſt, & ſeipſum ſeparavit atque judicavit. Sic ſcriptum eſt enim; *Superbis Deus reſiſtit.* Studeamus igitur Epiſcopo non reſiſtere; ut ſimus ſubjecti Deo.

VI. Et quantò quis taciturniorem viderit Epiſcopum, tantò magis eum revereatur. Quemcumque enim Paterfamilias mittit ad gubernandam familiam ſuam; hunc ita accipere debemus ut illum ipſum qui mittit. Manifeſtum igitur eſt, quòd Epiſcopum reſpicere oporteat ut ipſum Dominum. Et ipſe quidem Oneſimus ſupra modum laudat veſtrum decentem divinumque ordinem, quod omnes ſecundùm veritatem vivitis, & quòd inter vos nullus eſt hæreſi locus: ſed neque auditis aliquem amplius quàm Jeſum Chriſtum, qui loquitur in veritate.

VII. Solent enim nonnulli malo dolo nomen quidem circumferre; ſed patrant quædam indigna Deo: quos oportet vos, ut feras evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes: quos à vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes. Medicus autem unus eſt, & carnalis & ſpiritualis 18, genitus & 19 ingeni-

1. *expl.* S. Ignatii cognomen erat. Hæc vox Græca ſignificat: *Qui Deum portat*, hujus interpretationis occaſione putarunt quidam hanc vocem non cognomen, ſed potius Epithetum eſſe, ut indicaretur quem adhuc infantem ſuſcepit Chriſtus & in medio poſuit Apoſtolorum, *Matth. c.* 18. 2. At verò in hacce Epiſtola ipſa id nomen Epheſiis imponit, eorum pietatem prædicando; id circò ob eamdem rationem poterat eo nomine inſigniri: ſic ipſemet coram Trajano confeſſus eſt. *Conſule illius Acta Martyrii c.* 3.

2. *aliter* Cui tribui poteſt & quidem jure hoc cognomen, *beata*.

3. *aliter.* Dilectiſſimum & pretioſiſſimum. *aliter.* famam conſpicuam.

4. *aliter.* Quod non ſolùm veſtrâ bonâ indole, ſed etiam veſtrâ fide in Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum conſecuti eſtis.

5. *expl.* Habebat tunc ſocios Rufum & Zozimum catenis quoque onuſtos.

6. *expl.* Idem forſitan erat quem Paulus commemorat, *Coloſſ. c.* 4. *v.* 9. cujus gratiâ præclaram hanc & facundam ad Philemonem ſcripſit Epiſtolam, v. 10. in hujus Eccleſiæ adminiſtratione Timotheo ſucceſſit. Ab Epheſiis Smyrnam ipſemet venerat, ut S. Ignatio ejuſque ſociis ſuppetias daret. *Vide ejus ad Romanos Epiſtolam. num.* 9.

7. *expl.* Id eſt, Deus.

8. *expl.* Burrhus unus ex iis erat qui Epheſo Smyrnam cum Oneſimo venerant ſanctum Martyrem recreaturi. Comitatus eſt deinde eum, dum iret Troadem, unde ſuam ſcripſit ad Philadelphios ſanctus Martyr Epiſtolam, in qua quidem Burrhum, Epheſios & Smyrnæ fideles magnis effert laudibus. *Vide inferiùs num.* 11. *Epiſt. ad Philadelph.*

9. *expl.* Eumdem Crocum commemorat in Epiſtola ad Romanos c. 10. Adhuc Smyrnæ degebat cum S. Ignatius, cum ad Romanam ſcribebat Eccleſiam.

10. *expl.* Fideles Epheſi Eccleſiæ non tantùm honorificè apud ſe Sanctum Ignatium vinctum & damnatum Romæ ad beſtias exceperunt, ſed & uſque Smyrnam Presbyteros miſerunt qui ſolatia quæque quantùm in iis erant, adferrent: de illis profectò mentionem facit in ſua ad Magneſianos Epiſtola, *num.* 15. in qua multùm imprimis celebrat S. Polycarpum Smyrnenſem Epiſcopum qui omnia ſibi neceſſaria ſuppeditabat.

11. *expl.* In cœlo per æterna ſæcula, Addictus enim tunc erat morti, & ad coronam martyrii recipiendam paratus.

12. *expl.* Vobis ſuperior, ſive doctrinâ, ſive gratiis à Chriſto acceptis, ſive denique Epiſcopali caractere, quo à Deo ſum inſignitus.

13. *aliter.* ut Dei voluntati ſitis conſentanei.

14. *litt.* Presbyterium. *Expl.* Vox Græca ſeniorum & Presbyterorum cœtum denotans: *aliter*, Sacerdotale Collegium Eccleſiæ veſtræ tam Deo charæ.

15. *expl.* Oneſimo.

16. *expl.* Ut in Eccleſia Chriſti verum eſt Sacerdotium, ita quoque ineſt altare & ſacrificium verum, cujus non erant participes nec hæretici, nec ſchiſmatici nec etiam peccatores.

17. *expl.* Id eſt, oblatione & ſacrificio in altari à ſacerdote oblato, converſione panis in corpus Chriſti, cujus virtute & potentiâ cruentum crucis ſacrificium modo incruento repræſentatur, ſeipſum Patri offerendo, velut hoſtiam ſemper immolatam & ſemper viventem; idque appellat B. Paulus 1. *Corinth. c.* 10. *v.* 21. menſam & Cœnam Domini, *ibid. c.* 11. *v.* 20. *& ſeq.* Vide infra quomodo de eo pane divino loquitur S. Martyr, *num.* 20. & de damno quo non participantes afficiuntur, *Epiſt. ad Smyrnenſes, num.* 7.

18. *litt.* Carnalis & ſpiritualis; id eſt, homo & Deus. *Expl.* forſan ante oculos exponebat ſuæ ætatis hæreticos qui Chriſtum reverâ naturam induiſſe humanam, id eſt, corpus & animam, negabant: quod autem addit primo ſenſui favere videtur, hic ſiquidem locus adverſus Arianos ab Athanaſio laudatur, *Epiſt. de Synod. Arim. & Seleucia Edit. Pariſ. tom.* 1. *p.* 922. *nov. edit. t.* 1. *p.* 2. *p.* 761.

19. *litt.* Factus eſt non factus. *Expl.* id eſt, creatus & increatus.

tus *ſeu* factus & non factus, in Homine 1 exiſtens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo, primùm paſſibilis & tunc impaſſibilis, Jeſus Chriſtus Dominus noſter. 2

VIII. Ne quis igitur vos ſeducat, ſicut nec ſeducimini: toti namque eſtis Dei. Cùm enim nullâ lite implicemini, quæ vos diſcruciare poſſit; profectò ſecundùm Deum vivitis. Purgamentum 3 veſtri ſum, & piaculum 4 efficiar pro veſtra Epheſiorum Eccleſia, celeberrima in ſæculis. Carnales ſpiritualia exercere nequeunt, neque ſpirituales carnalia: ſicut nec fides quæ incredulitatis ſunt, nec incredulitas, quæ fidei. Quæ verò & ſecundùm carnem agitis, ea ſpiritualia ſunt. In Chriſto Jeſu enim omnia agitis.

IX. Novi autem nonnullos illic tranſiſſe, qui habent perverſam doctrinam. Quos non permiſiſtis ſeminare inter vos; & obturaſtis aures, ne reciperetis quæ ab ipſis ſunt diſſeminata; ut qui lapides ſitis templi Patris, præparati in Dei Patris ædificium; ſublati in ſo alta per machinam Jeſu Chriſti, quæ eſt Crux 5, Spiritu ſancto 6 pro fune utentes. Fides autem veſtra ſubvectrix veſtra, caritas verò via deducens ad Deum. Eſtis igitur & viæ comites omnes, Deiferi 7 & Templiferi, Chriſtiferi, Sanctiferi, per omnia ornati præceptis Jeſu Chriſti: propter quos exſulto, quòd dignus habitus ſim, per ea quæ ſcribo, colloqui vobiſcum, & ſimul gaudere; quia ratione alterius vitæ habitâ, nihil diligitis præter ſolum Deum.

X. Sed & pro aliis hominibus indeſinenter oratis. Eſt enim ipſis ſpes pœnitentiæ, ut Deum 8 nanciſcantur. Permittite itaque ipſos, ſaltem ex operibus, à vobis erudiri. Sitis vos adversùs iras eorum mites, adversùs magniloquentias eorum humiles, eorum maledictis opponite, vos preces, adversùs errorem eorum vos firmi permanete in fide, adversùs efferos mores illorum vos manſueti ſitis. Non ipſos contrà imitari conati; fratres eorum inveniamur per benignitatem: imitatores autem Domini ſtudeamus eſſe; unuſquiſque majorem injuriam patiatur, unuſquiſque defraudari ſe ſinat, unuſquiſque contemni. Ut non herba 9 aliqua Diaboli in vobis inveniatur; ſed in omni puritate & temperantia maneatis, in Jeſu Chriſto, carnaliter & ſpiritualiter.

XI. Noviſſima jam ſunt tempora: revereamur & timeamus Dei longanimitatem, ne in judicium nobis cedat. Aut enim futuram timeamus iram, aut præſentem gratiam diligamus: unum ex duobus, modò in Chriſto Jeſu inveniamur, ad veram vitam vivendam. Sine ipſo nihil 10 vos deceat, in quo vincula circumfero, ſpirituales margaritas, in quibus erectum ſtare mihi contingat oratione veſtra, cujus me opto ſemper fieri participem, ut inveniar in ſorte Epheſiorum Chriſtianorum, qui & Apoſtolis ſemper conſenſerunt, in virtute Jeſu Chriſti.

XII. Scio qui ſum, & quibus ſcribo. Ego condemnatos; vos miſericordiam aſſecuti: ego periculo obnoxius; vos confirmati. Tranſitus eſtis eorum qui ob Deum interficiuntur: Pauli ſymmiſtæ, qui ſanctificatus, martyrium conſecutus, & dignè beatus eſt (ad cujus veſtigia contingat mihi ut inveniar, ubi Deo potitus fuero) qui totâ Epiſtolâ memor veſtri eſt in Chriſto Jeſu.

XIII. Date itaque operam ut crebriùs congregemini ad gratias Deo agendas, & ad eum laudandum. Quando enim ſæpiùs in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ, & concordiâ veſtræ fidei ſolvitur exitium quod ille infert. Nihil præſtantius pace eſt, quâ aboletur omne bellum cœleſtium & terrenorum.

XIV. Quorum nihil vos latet; ſi perfectè habueritis in Jeſum Chriſtum fidem, & caritatem; quæ initium vitæ & finis ſunt: principium quidem fides: finis verò caritas. Hæc autem duo, in unum coëuntia, Dei ſunt: omnia verò alia, ad probitatem conſectanea 11 ſunt. Nullus fidem repromittens, peccat; neque caritatem poſſidens, odit. *Manifeſta eſt arbor ex fructu ipſius*: ſimiliter qui profitentur ſe Chriſtianos eſſe, ex iis quæ faciunt, cernentur. Non enim nunc repromiſſionis opus; ſed per virtutem fidei, ſi quis inveniatur uſque ad finem.

XV. Melius eſt tacere & eſſe, quàm loquentem, non eſſe. 12 Bonum eſt docere, ſi quid dicit, faciat. Unus igitur Doctor, qui dixit, & factum eſt: ſed & quæ ſilens fecit, digna Patre ſunt. Qui verbum Jeſu poſſider, verè poteſt & ſilentium ipſius audire, ut perfectus ſit: ut per quæ loquitur operetur, & per quæ ſilet cognoſcatur. Nihil latet Dominum, ſed & arcana noſtra prope ipſum ſunt. Omnia itaque faciamus, ſicut ipſo in nobis habitante; ut illius ſimul templa, & ipſe ſit in nobis Deus noſter; quo modo & eſt, & apparebit ante faciem noſtram; ex quibus juſtè diligimus ipſum.

XVI. Ne erretis, fratres mei, feminarum corruptores 13 regnum Dei non hæreditabunt. Si autem ii qui ſecundùm carnem hæc operati ſunt, morte ſunt affecti; quantò magis, ſi quis fidem Dei pravâ doctrinâ corrumpat: pro qua Jeſus Chriſtus crucifixus eſt! Talis, inquinatus factus, in ignem inextinguibilem ibit; ſimiliter & qui audit ipſum.

XVII. Ob id Dominus in capite ſuo accepit unguentum; ut Eccleſiæ ſpiret incorruptionem 14. Non ungamini tetro odore doctrinæ Principis hujus ſæculi: non captivos vos abducat à propoſita vita 15. Cur verò non omnes prudentes ſumus, accepta Dei cognitione, quod eſt Jeſus Chriſtus? Quid fatuè perimus, non agnoſcentes donum quod verè miſit Dominus?

XVIII. Purgamentum meus ſpiritus 16 eſt Crucis; quæ incredulis ſcandalum, nobis verò ſalus eſt & vita æterna. *Ubi ſapiens? ubi conquiſitor?* ubi gloriatio eorum, qui dicuntur prudentes? Deus enim noſter Jeſus Chriſtus in utero geſtatus eſt à Maria, juxta diſpenſationem Dei, ex ſemine Davidis, Spiritu autem ſancto. Qui natus eſt, & baptizatus eſt, ut paſſione aquam purificaret.

XIX. Et principem hujus mundi latuit Mariæ virginitas, & partus ipſius, ſimiliter & mors Domini 17; tria myſteria clamoris quæ in ſilentio 18 Dei patrata ſunt. Quo modo igitur manifeſtatus eſt ſæculis? Stella in

1. *aliter.* Qui in humanitate erat Deus.
2. *expl.* Hæc verba laudat S. Athanaſius. *Epiſt. de Synod. Arimini & Seleucia loco citato.*
3. *litt.* Sordes & peripſema domus veſtræ.
4. *expl.* Græca vox ſignificat id omne quod rejicitur & reprobatur ut nitida res quæque efficiatur, poteſtque verbo præcedenti eſſe ſynonima; in eo ſenſu S. Martyr præ humilitate ſeipſum ut objectam contemplabatur famæ hujus pietatis Eccleſiæ, cujus ſplendor poſt ejus martyrium fulgendus eſſet.
5. *expl.* Perſpicuum eſt quod S. Ignatius per hanc elocutionem Chriſti crucem intelligat, quâ velut machina ſpirituali utimur, ut ad ſpiritualia nos erigamus, ſiquidem protinus addit, *quæ eſt crux.*
6. Hæc verba præcedentem ſpectant alluſionem Crucis Chriſti inſtrumento quo aliquid in altum extollitur.
7. *expl.* Elocutiones iſtæ apud antiquos patres frequenter uſurpabantur.
8. *expl.* Spes eſt ut per pœnitentiam ad Deum aliquando conjungantur.
9. *expl.* Nulla radix nec ullum corruptionis diaboli veſtigium.
10. *litt.* Non decet vos ut aliquid ſine illo agatis. *Expl.* quin ad eum referatis; hunc ſenſum denotant verba ſequentia.
11. *litt.* *Cum eis* concurrunt ad probitatem nobis aut juſtitiam comparandam.
12. *expl.* Parum perſpicua ſunt S. Martyris verba. idcirco ea neceſſariò addendum aliquid, ut ſeries ipſa demonſtrat.
13. *expl.* Hic locus depromptus videtur ex v. 9. & 10. *cap. 6. 1. ad Corinth.* Sanctus tamen hic Pontifex verbum Græcum uſurpat aliud à B. Paulo, ut adulteros & alios id genus denotaret. Iſtud tantùm eos ſignificat qui familias diſturbant; & in eo quoque ſenſu eo uſi ſunt cæteri græci ut adulterium exprimerent, quia nimirum nihil eo crimine pejus ad pacem & concordiam inter conjuges diſſolvendam.
14. *expl.* Fidei & Eccleſiæ ſanctitatis.
15. *aliter.* In qua ſperatis, aut quæ vobis promiſſa eſt.
16. *aliter.* Mea vita, ſive vita Spiritus mei viget & roboratur crucis ſcandalo: idem eſt verbum in Græca verſione ac illud quod S. Martyr uſurpavit *num. 8. ſupra*, quod *ſordam* ſignificat.
17. *expl.* Citantur hæc verba ab Origene *Homil. 6. in Luc.* à S. Baſilio *homil. 55. de ſanct. Chr. Nativit.* à S. Hieronymo *in 1. cap. Matth.*
18. *expl.* In magno ſilentio, vel ſilentio myſtico.

cœlo fulſit, ſplendore exſuperans omnes ſtellas, & lux illius ineffabilis erat; & ſtuporem incuſſit ipſius novitas. Omnia autem reliqua aſtra, unà cum Sole & Luna chorus fuere Stellæ: ipſa verò lumen ſuum extendebat ſuper omnia: & perturbatio erat, unde prodiret illis novitas diſſimilis: quare ſoluta eſt omnis magia, & omne vinculum malitiæ eſt abolitum, ignorantia deſtructa eſt, vetus regnum eſt labefactatum; Deo humanitùs manifeſtato, in novitatem vitæ a æternæ. Principatum verò accepit id quod à Deo omnibus ſuis partibus abſolutum erat. Inde omnia commovebantur, quòd meditaretur mortis abolitionem.

XX. Si me dignatus fuerit Jeſus Chriſtus per orationem veſtram, & Voluntas ſit; in ſecundo libello, quem ſcripturus ſum vobis, declarabo vobis quam inceperam diſpenſationem in novum hominem Jeſum Chriſtum, in fide ipſius & in ipſius dilectione, in paſſione ipſius & reſurrectione; maximè, ſi Dominus mihi revelaverit. Siquidem ſinguli communiter omnes, ex gratia nominatim convenitis in una fide & uno Jeſu Chriſto, ſecundùm carnem ex genere Davidis, filio Hominis & Filio Dei; ut obediatis Epiſcopo & Preſbyterio mente indivulſa; frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis eſt, antidotum ne moriamur ſed vivamus ſemper in Jeſu Chriſto.[3]

XXI. Vice animarum veſtrarum ſim ego, & illorum quos ad honorem Dei miſiſtis Smyrnam, unde[4] & ſcribo vobis, gratias agens Domino, diligens Polycarpum ut & vos. Memineritis mei, ſicut & veſtri Jeſus Chriſtus. Orate pro Eccleſia quæ eſt in Syria, unde vinctus Romam abducor, noviſſimus fidelium eorum qui ibi ſunt: quemadmodum ad honorem Dei inveniri dignus habitus ſum. Valete in Deo Patre, & in Jeſu Chriſto communi ſpe noſtra.

1. *expl.* Conjunctìm fulgebant, ſed præ hujus ſtellæ ſplendore nubila apparebant.

2. *expl.* Ad hominem renovandum, viam ei præbendo acquirendæ vitæ æternæ. *Conſule num. ſeq.* ubi de ſecunda loquitur Epiſtola in qua diſſerere promittit de hominis renovatione per J. Chriſtum.

3. *expl.* Idem eſt panis Dei, vel divinus de quo fecit mentionem ſuperiùs, *num.* 5. qui ſuper altare offertur. Jam tunc exiſtimabant hi viri Apoſtolici per hunc panem ut alimentum ſusceptum, noſtram non modò immortalitate donari animam, ſed etiam corpora noſtra, virtute divinâ iis per ſuam adhæſionem impreſſâ, quâ verò non erant digni qui hunc panem divinum non deguſtabant, *conſule inferiùs ipſius Pontificis ad Smyrnenſes Epiſtolam*, *num.* 7.

4. *expl.* Philippis tranſiebat, antequam Smyrnam adveniret. *Vide S. Polycarpi ad Philipp. num.* 1. *Epiſtolam.*

SANCTI IGNATII AD MAGNESIANOS EPISTOLA

PRÆFATIO.

Cum acceepiſſent Magneſiani, Aſiæ populi, quod S. Ignatius Smyrnæ maneret, uſquedum Romam beſtiis objiciendus duceretur, ad eum miſerunt Damam ipſorum Epiſcopum, duos ex Preſbyteris, Baſſum videlicet & Apollonium, & unum ex Diaconibus Sotionem nomine, qui victui neceſſaria ei ſuppeditarent, ſuamque erga eum benevolentiam teſtificarentur; Ut autem illis ageret gratias, hancce verè Apoſtolicam ad eoſdem ſcripſit Epiſtolam, in qua eorum prædicat fidem, pariterque concordiam & pacem quæ, ut audierat, inter eos vigebant. Hortatur deinde ut in eodem ſpiritu perſeverantes, Damæ eorum Antiſtiti, licet adhuc juveni, charitatis & earumdem ſententiarum nexibus addictiſſimi remanerent. Oſtendit quantâ eum obſervantiâ, quantoque obſequio colere deberent; ſiquidem in eorum Eccleſia Dei locum obtinebat, cujus gerebat imperium: eâdemque veneratione eos docet honorandos qui conjunctim cum Pontifice eorum componebant Eccleſiæ ſacerdotale Collegium; nihilque cauſæ eſſe cur ab illis diſcederent, ſicuti ab orationis publicæ conventibus. Monet præterea ut, cæremoniis ac Judaïcis obſervationibus ejuratis, Chriſti doctrinam fidemque ſectentur, cujus ſpiritu fuerant Teſtamenti veteris Patriarchæ ſanctificati & ante Adventum ipſius Diſcipuli facti. Reſpuenda præcipit hæreticorum figmenta, præſertim verò Valentinianorum mendacia, qui Chriſtum contendebant genitum ex eorum Σιγῆ *& illorum* Βυθός*; id eſt, ex Chao & Silentio. Suam denique claudit Epiſtolam ſeipſum ſimulque Syriæ Eccleſiam eorum orationibus commendans, eiſque ſalutem dicit ab Oneſimo, Burrho, Euplo & Frontone, qui cum ab Epheſi fidelibus Smyrnam con-*

venerant, ac tandem S. Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi beneficentiam in ipſum & liberalitatem ſummis celebrat laudibus.

Epiſtola hæc ab Euſebio citatur. lib. 3. hiſt. cap. 30. *alias* cap. 36. *& ab Hieronymo,* Catalog. cap. 16.

I*GNATIUS, qui & Theophorus, benedictæ per gratiam Dei Patris, in Jeſu Chriſto Salvatore noſtro; in quo ſaluto Eccleſiam quæ Magneſiæ [1] eſt juxta Meandrum, optoque in Deo Patre & in Jeſu Chriſto plurimam ſalutem.*

I. Cùm cognoviſſem caritatem veſtram ſecundùm Deum admodum bene ordinatam, exſultans, in fide Jeſu Chriſti alloqui vos decrevi. Dignus enim habitus nomine majeſtatem [2] divinam maximè præ ſe ferente, in his quæ circomfero vinculis, laudo Eccleſias; quibus opto unionem ſecundùm carnem, & ſpiritum, Jeſu Chriſti, ſempiternæ noſtræ vitæ; fidei, & cui nihil præfertur, caritatis; principaliùs autem Jeſu & Patris; in quo ſuſtinentes omnem vim Principis ſæculi [3] hujus, & evadentes, Deo potiemur.

II. Quoniam itaque dignus habitus fui videre vos per Damam [4] Epiſcopum veſtrum Deo dignum, & dignos Preſbyteros Baſſum ac Apollonium, conſervumque meum Sotionem Diaconum, quo utinam fruar; quia ſubditus eſt Epiſcopo ut gratiæ Dei, & Preſbyterio ut legi Jeſu Chriſti.

III. Sed & vos decet non familiariùs ac ſuperbè uti ætate Epiſcopi, ſed ſecundùm virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam; quemadmodum novi ſanctos facere Preſbyteros; non reſpicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, ſed ut prudentes in Deo cedentes ipſi: non ipſi autem, ſed Patri Jeſu Chriſti, omnium Epiſcopo. In honorem igitur illius, qui vult, decet vos obedire ſine ulla hypocriſi, quia nequaquam Epiſcopum hunc quis fallit qui videtur, ſed illudit inviſibili. Quidquid verò eſt ejuſmodi, non ad carnem refertur, ſed ad Deum qui abſcondita cognoſcit.

IV. Decet itaque non modò vocari Chriſtianos, ſed etiam eſſe: quemadmodum nonnulli Epiſcopum quidem nominant: ſed ſine ipſo omnia faciunt. Tales verò non bonâ conſcientiâ mihi præditi eſſe videntur; quia non ſtabiliter ſecundùm præceptum congregantur.

V. Quia igitur res finem habent; incumbunt duo ſimul, mors & vita; & unuſquiſque in proprium locum iturus eſt. Quemadmodum enim ſunt numiſmata duo, alterum quidem Dei, alterum autem mundi; unumquodque etiam ipſorum characterem proprium habet impoſitum; infideles, Mundi hujus; fideles autem in caritate characterem Dei Patris per Jeſum Chriſtum; per quem niſi propenſa nobis eſt voluntas mori in ipſius paſſionem, nec vita ipſius in nobis eſt.

VI. Quandoquidem itaque in iis perſonis quas commemoravi [5], omnem multitudinem contemplatus ſum in fide & caritate; hortor ut hoc ſit veſtrum ſtudium, in Dei concordiâ omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei loco, & Preſbyteris loco Senatus Apoſtolici, & Diaconis, mihi ſuaviſſimis, quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti; qui ante ſæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit. Omnes igitur acceptis iiſdem divinis moribus [6], vos mutuò revereamini; & nemo ſecundùm carnem ſpectet proximum, ſed in Jeſu Chriſto vos invicem ſemper diligite. Nihil ſit in vobis quod poſſit vos dirimere, ſed uniamini Epiſcopo & præſidentibus, in typum & doctrinam incorruptionis.

VII. Quemadmodum igitur Dominus ſine Patre nihil fecit, ipſi unitus, neque per ſeipſum, neque per Apoſtolos; ita neque & vos ſine Epiſcopo & Preſbyteris quidquam agite. Neque operam deris ut aliquid vobis ſeorſim rationi videatur conſentaneum: ſed in unum convenientibus, una ſit oratio, una deprecatio, una mens, una ſpes, in caritate, in gaudio inculpato. Unus eſt Jeſus Chriſtus, quo nihil præſtantius eſt. Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum Jeſum Chriſtum qui ab uno Patre prodit, & in uno exſiſtit, in unum revertitur.

VIII. Ne ſeducamini alienis doctrinis, neque veteribus fabulis [7], quæ ſunt inutiles. Si namque adhuc juxta legem Judaïcam vixerimus, confitemur nos gratiam non accepiſſe. Diviniſſimi namque Prophetæ juxta Chriſtum Jeſum vixerunt. Ob hoc & perſecutionem paſſi ſunt; gratiâ ipſius inſpirati; ut qui increduli, certi redderentur, quòd unus Deus eſt qui ſeipſum manifeſtavit per Jeſum Chriſtum filium ſuum: qui eſt Verbum ipſius æternum, non à ſilentio [8] progrediens; quique in omnibus ei qui ipſum miſerat complacuit.

IX. Si igitur qui in vetuſtis rebus verſati fuerant, ad novitatem ſpei venerunt, non ampliùs Sabbatum colentes, ſed juxta Dominicam viventes, in quâ & vita noſtra exorta eſt per ipſum, & mortem ipſius, quem quidam negant: (per quod myſterium fidem accepimus; & propter hoc ſuſtinemus, ut inveniamur diſcipuli Jeſu Chriſti, ſolius Doctoris noſtri) quo modo nos poterimus vivere ſine ipſo? cujus etiam Prophetæ diſcipuli cùm eſſent, ſpiritu ipſum ut Doctorem exſpectabant: & propter hoc, is quem juſtè præſtolabantur, adveniens ſuſcitavit ipſos ex mortuis.

X. Ne igitur nullus nos tangat ſenſus benignitatis ipſius. Si enim nos imitetur ſecundùm ea quæ facimus, jam perîimus. Propterea, diſcipuli ejus effecti, diſcamus ſecundùm Chriſtianiſmum vivere. Qui enim alio nomine vocatur præter hoc, non eſt Dei. Abjicite igitur malum fermentum, inveteratum & acidum; & tranſmutemini in novum fermentum, quod eſt Jeſus Chriſtus. Salliamini in ipſo; ut non corrumpatur aliquis in vobis; quoniam ab odore (ſeu impetu) redarguemini. Abſurdum eſt Chriſtum Jeſum profari, & Judaïzare. Chriſtianiſmus enim non in Judaïſmum credidit, ſed Judaïſmus in Chriſtianiſmum, ut omnis lingua credens ad Deum aggregaretur.

XI. Hæc autem, dilecti mei, non quòd cognoverim aliquos veſtrûm hoc animo affectos eſſe: ſed, ut

1. *expl.* Græca editio addit, ad Mæandrum. Fluvius eſt Phrygiæ in Aſia, qui è lacu montis Eulocrenſis ſcaturit, & in mare erumpit decem ſtadiis, vel unâ circiter leucâ à Mileto. Euſebius *lib. 3. hiſt. cap.* 30. alias 36. de hoc flumine mentionem facit, hanc commemorans Epiſtolam.

2. *expl.* Alludit forſitan ad cognomen ſuum Theophorum.

3. *litt.* Ex eo nos liberando.

4. *expl.* Euſebius *lib.* 3. *hiſt. cap.* 30. aliàs 36. hancce Epiſtolam referens, de hoc Dama loquitur.

5. *expl.* Damam ſcilicet, Baſſum, Apollonium & Sotionem. *Vide ſuperius num.* 2.

6. *aliter.* Ad vitam ducendam planè divinam.

7. *litt.* Fabuloſis hiſtoriis & fictitiis. *expl.* Loquitur hic de Rabinorum Allegoriis ac de Judæorum cæremoniis, forſitan & de Baſilidianorum, Gnoſticorum, aliorumque hæreſiarcharum commentis, quibus Valentiniani ſucceſſerunt, quos velut obiter inferiùs explodere videtur. *Conſule, ſi lubet, S. Hieronymum lib. adverſ. Helvidium, cap. 9. & annotationem ſequentem.*

8. *expl.* Hæc verba ſecundùm litteram ſunt verſa, ne eorum ſenſus ſtatueretur; quidam enim ſentiunt per hæc S. Martyrem ad confutandum incumbere Simonem, Gnoſticos & alios quoſdam hæreticos, è quibus brevi poſt tempore Valentiniani prodierunt, qui Jeſum Chriſtum ex ſilentio & Chao, tanquam à Patre procreatum aſſeverabant, quod Græcè vocabant Σιγὴ vel Βυθὸς *Vide S. Irenæum lib.* 1. *adverſ. hæreſ. cap.* 1. Videntur tamen hæc verba nihil aliud ſecundùm litteram ſignificare, niſi quod Verbum ſit æternum Dei Patris Verbum, & nunquam in ſilentio fuerit; id eſt, in nihilo, vel nec operans, nec vivens, id autem aſtruere S. Ignatius ſatagebat adverſus Ebionitarum errores.

minor vobis, copio vobis, caurum, ne incidatis in hamos inanis doctrinæ; ſed ut plenè certi reddetemini in nativitate & paſſione & reſurrectione (quæ contigit tempore præfecturæ Pontii Pilati:) quæ verè & indobitanter geſta ſunt à Jeſu Chriſto, ſpe noſtrâ: à quâ exorbitare [1] quemquam veſtrûm abſit.

XII. Fruar vobis per omnia, ſi quidem dignus ſim. Tametſi enim vinctus ſum, comparandus tamen non ſum uni veſtrûm, qui ſoluti eſtis. Novi quòd in vobis nihil faſtûs inſit. Jeſum enim Chriſtum habetis in vobis ipſis. Et magis cùm laudo vos, ſcio quòd rubore ſuffundamini; ſicut ſcriptum eſt; *Juſtus ſui eſt accuſator.*

XIII. Studete igitur ut confirmemini in dignitatibus Domini & Apoſtolorum, ut omnia quæ facitis proſperè vobis ſuccedant, carne & ſpiritu, fide & caritate, in Filio & Patre & Spiritu ſancto, in principio & in fine; cum digniſſimo Epiſcopo veſtro [2], & dignè contextâ ſpirituali coronâ [2] Presbyterii veſtri, & ſecundum Deum agentibus Diaconis. Subjecti eſte Epiſcopo & vobis mutuò: ut Jeſus Chriſtus Patri, ſecundùm carnem, & Apoſtoli Chriſto & Patri & Spiritui; ut unio ſit & carnalis & ſpiritualis. [3]

XIV. Cùm ſciam vos Deo plenos eſſe, brevibus cohortatus ſum vos. Memores eſtote mei in orationibus veſtris, ut Deum aſſequar; & Eccleſiæ quæ in Syria [4], unde non ſum dignus [5] vocari. Indigeo enim unitâ veſtrâ in Deo oratione & caritate; ut Eccleſia quæ in Syriâ eſt, mereatur per Eccleſiam veſtram irrorari.

XV. Salutant vos Epheſii [6] de Smyrnâ: unde hæc ſcribo vobis: qui præſentes adſunt in Dei gloriam, uti & vos; qui me unà cum Polycarpo Epiſcopo Smyrnæorum in omnibus recrearunt. Et cæteræ Eccleſiæ in honore Jeſu Chriſti ſalutant vos. Valete in concordia Dei, ſpiritum poſſidentes inſeparabilem, qui eſt Jeſus Chriſtus.

1. *aliter.* A qua neminem veſtrûm repelli deſidero.
2. *aliter.* Simul & Presbyteros qui cum illo conventum digniſſimum & ſanctiſſimum, vel ſocietatem prorſus ſpiritualem conſtituunt.
3. *aliter.* Secundum corpus & ſecundum ſpiritum.
4. *expl.* Id eſt, Antiochenſis Eccleſiæ, quam velut abſentiâ ſuâ orbatam & viduam relinquebat: in Epiſtola enim ad Romanos, *num.* 9. ſolum Jeſum Chriſtum dicit eam regere vice Epiſcopi
5. *aliter.* Non ſum dignus vocari Epiſcopus. Locus hic per ea quæ in Epiſtola ſequenti, *num.* 13. leguntur facilè poteſt dilucidari.
6. *expl.* Id eſt, illi fideles qui me ab Epheſiis viſitarunt: ii ſunt haud dubie quos in Epiſtolâ ad Epheſios, *num.* 2. nominavit.

SANCTI IGNATII AD TRALLENSES EPISTOLÆ

PRÆFATIO.

S. Ignatius, acceptis à Trallium fidelibus ſubſidiis quibus tunc erat vacuus per Polybii eorum Epiſcopi manus, quem ad ipſum miſerant viſitandum, ut ſuam erga eum exiſtimationem, ſuamque propter illius vincula commiſerationem teſtificarentur, hancce ad eos conſcripſit Epiſtolam, gratias illis reddendi, beneficiorumque antea præſtitorum memorem ſe præbendi causâ. Eis de eorum cum Epiſcopo & Presbyteris adhæſione & unione gratulatur, eoſque hortatur ad ſummam, ut par eſt, in primos hos Eccleſiæ Miniſtros reverentiam & obſequium, eos velut Apoſtolos ipſos conſiderando. Quod autem ad Diaconos ſpectat, non ſolum conſpiciendos oſtendit ut pauperum miniſterio mancipatos, ſed & ſicut Eccleſiæ Miniſtros à Chriſto Domino inſtitutos. Commonefacit præterea ut hæreticos devitent, errores eorum aſpernentur, cuncta arceant diſſidia & contentiones, ne inde anſam Gentiles arripiant Chriſtum ejusque Religionem blaſphemandi. Demonſtrat quàm ſatius ſit ſanctè pièque vitam agere, quam profunda & adoranda Chriſtianæ Religionis perſcrutari myſteria. Excitat ad fidem Jeſu Chriſti & ejus Evangelium ſincerè amplectendum, nec ab ea fide & Religione unquam diſcedendum, ad Chriſti Domini Incarnationem ejuſque mortem aſtruendam, & ad iis totis viribus obſiſtendum qui eam penitus diruere, ac commentitiis fabulis vanam & inutilem reddere nituntur. Concordiam denique commendat, imprimiſque obſecrat ut nunquam publicis fidelium ſupplicationibus nec cœtibus abſint. Huic Epiſtolæ finem facit, deprecans ut in ſuis orationibus tam ſui ipſius quam Eccleſiæ Syriæ ejus abſentiâ Epiſcopo ac ſpiritualibus auxiliis privatæ memores eſſent, eoſque illius Eccleſiæ nomine ſalutat, aliarumque pariter Eccleſiarum Aſiæ quæ nuntios ad eum miſerant, illius commiſerandi auxiliandique gratiâ.

Eumdem ac præcedentes caracterem retinet hæc Epiſtola. Apoſtolicum ſpiritum quo

Digitized by Google

S. Martyr repletus erat, præ ſe fert, ardentem inſuper charitatem, ejuſque conſtantiam ad Chriſti fidem, vel mortis periculo, defendendam, ſtudium ipſius pro Eccleſiæ tranquillitate & pace, venerationem quâ erga Epiſcopos affectos eſſe volebat fideles omnes, ejuſque tandem ſummam humilitatem quâ minimum ſe & abjectiſſimum ex fidelibus exiſtimabat. Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 30. aliàs 36. *hancce commemorat Epiſtolam, dicitque factam fuiſſe in ea de Polybio Trallenſium Antiſtite mentionem, & S. Hieronymus* Catalog. cap. 16. *eam en ordine tertiam inter hujus ſancti Martyris Epiſtolas aſſignat.*

I*GNATIUS, qui & Theophorus, dilectæ Deo Patri Jeſu Chriſti, Eccleſiæ ſanctæ quæ eſt Trallibus* [1] *Aſiæ, electæ & Deo dignæ, pacem habenti in carne & ſanguine & paſſione Jeſu Chriſti, ſpei noſtræ, in ea quæ in ipſum reſurrectione: quam & ſaluto in plenitudine, in Apoſtolico* [2] *caractere, & opto plurimùm ſalvere.*

I. Inculpatam mentem & inſeparabilem in patientiâ; cognovi habere vos, non uſu, ſed proprietate: quemadmodum ſignificavit mihi Epiſcopus veſter Polybius, qui Smyrnæ adfuit, per voluntatem Dei & Jeſu Chriſti filii ejus; quique mihi vincto, in Jeſu Chriſto, ſic congratulatus eſt, ut univerſam multitudinem veſtram in eo contemplatus ſim. Excipiens enim per ipſum eam quæ ſecundùm Deum eſt benevolentiam, gloriatus ſum, inveniens vos, ut cognovi imitatores Dei eſſe.

II. Cùm enim Epiſcopo ſubjecti eſtis ut Jeſu Chriſto, videmini mihi non ſecundùm homines, ſed ſecundùm Jeſum Chriſtum vivere; qui propter vos mortuus, ut credentes in mortem ipſius, mori effugiatis. Neceſſarium itaque eſt, quemadmodum facitis, ut ſine Epiſcopo nihil agatis, ſed & Preſbyterio ſubditi ſitis, ut Apoſtolis Jeſu Chriſti, ſpei noſtræ; in quo converſantes inveniamur. Oportet autem & Diaconos, myſteriorum Jeſu Chriſti miniſtros, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum & potuum miniſtri ſunt, ſed & Eccleſiæ Dei miniſtri. Oportet igitur ut ſibi caveant à criminibus, tamquam ab igne.

III. Cuncti ſimiliter revereantur Diaconos, ut mandatum Jeſu Chriſti; & Epiſcopum, ut eum qui eſt figura Patris: Preſbyteros autem ut conſeſſum Dei, & ut conjunctionem Apoſtolorum. Sine his [3] Eccleſia non vocatur. De quibus perſuaſum habeo, vos ita ſentire. Exemplar enim caritatis veſtræ accepi; & mecum habeo in Epiſcopo veſtro; cujus ipſe habitus magna diſciplina eſt, manſuetudo autem ipſius potentia: quem exiſtimo & impios [4] ipſos revereri, diligentes quòd aliquantùm ipſi non parco. Cùm poſſem ſcribere ſuper illa re, huculque loquendum exiſtimavi, ne condemnatus qui ſum, velut Apoſtolus vobis præcipiam.

IV. Multa ſapio in Deo: ſed meipſum metior, ne gloriando peream. Nunc enim plus mihi timendum eſt; nec animus illis intendendus, qui me inflant. Qui enim me laudant, flagellant me. Nam diligo quidem pati; ſed neſcio, an dignus ſum. Zelus quidem multis non apparet; me verò majorem in modum impugnat. Opus itaque mihi manſuetudine, quâ Princeps ſæculi hujus deſtruitur.

V. Numquid non poſſum cœleſtia vobis ſcribere. At ne parvulis [5] vobis damnum inferam metuo; ac mihi ignoſcite; ne, iſta capere non valentes, ſtrangulemini. Etenim ego non propterea quòd vinctus ſum, & cœleſtia intelligere poſſum, & ſitus Angelorum, & cœtus conſtitutioneſque Principatuum, viſibiliaque & inviſibilia; propter hoc, jam & diſcipulus ſum: multa enim nobis deſunt, ne à Deo [6] abſimus.

VI. Obſecro itaque vos; non ego, ſed caritas Jeſu Chriſti; ſolo Chriſtiano alimento uti, ab aliena autem herba abſtinere, quæ eſt Hæreſis: qui Hæretici & inquinatis implicant Jeſum Chriſtum; ratione dignitatis quam obtinent, fidem adepti: quemadmodum mortiferum pharmacum cum mulſo dantes; quod qui ignorat, libenter cum voluptate noxiâ mortem accipit.

VII. A talibus igitur vos cuſtodite. Quod fiet, ſi inflati non fueritis; & indivulſi manſeritis à Deo Jeſu Chriſto, & Epiſcopo, & præceptis Apoſtolorum. Qui intra altare [7] eſt, mundus eſt: qui verò extra eſt, (non eſt mundus:) hoc eſt, qui ſine Epiſcopo & Preſbyterio & Diaconis quidpiam agit, is non eſt mundus in conſcientia.

VIII. Non quòd noverim tale aliquid inter vos; ſed quòd præmuniam vos, ut filios meos cariſſimos, proſpiciens inſidias Diaboli. Vos itaque manſuetudinem aſſumentes, recreate voſmetipſos in fide, quod eſt caro Domini, & in caritate, quod eſt ſanguis Jeſu [8] Chriſti. Nullus veſtrûm adversùs proximum [9] aliquid habeat. Ne anſam detis Gentibus [10]; ne propter paucos inſipientes, ea quæ in Deo eſt multitudo blaſphemetur. *Væ enim ei, per quem* in vanitate *nomen meum* in aliquibus [11] *blaſphematur.*

IX. Obturate igitur aures veſtras, cùm vobis quiſpiam loquitur ſine Jeſu Chriſto [12], qui ex genere Davidis, qui ex Maria; qui verè natus eſt, edit & bibit, verè perſecutionem paſſus eſt ſub Pontio Pilato; verè crucifixus & mortuus eſt, videntibus cœleſtibus, terreſtribus, & ſubterraneis; qui & verè reſurrexit à mortuis, reſuſcitante ipſum Patre ipſius; ſecundùm ſimilitudinem, quâ & nos, ipſi credentes, ita reſuſcitabit Pater ipſius in Chriſto Jeſu; ſine quo veram vitam non habemus.

* X. Si verò ut quidam Athei [13], hoc eſt, infideles, aiunt, ipſum ſecundùm [14] apparentiam eſſe paſſum; ipſi

1. *aliter.* Tralleſiæ, ut fert vox Græca. *Expl.* Urbs eſt inter fluvium Mæandrum, cujus mentio facta eſt in præcedentis Epiſtolæ ad Magneſianos conſcriptæ titulo, & fluvium Gaiſtrum. Quidam eam collocant in Cariæ Provincia, quæ eſt pars Aſiæ Minoris: vicina eſt Magneſiæ.

2. *expl.* Caractere eorum Apoſtoli quo ſum inſignitus & initiatus.

3. *expl.* Non eſt Eccleſia.

4. *Græc.* Atheos. *Expl.* ſic appellat Gentiles & paganos. Nam *num.* 7. *infra* Verbo ſolito uſus eſt *Ethnos* quo propriè Gentilis ſignificatur ſeu paganus.

5. *expl.* In Chriſtiana Religione.

6. *aliter.* Ne reprobus efficiar.

7. *expl.* Conſule ad Epheſios Epiſtolam, *num.* 5.

8. *aliter.* Per fidem quam caro Chriſti ſignat; & per charitatem quam ſignat ejus ſanguis.

9. *aliter.* Neminem odio nec invidiâ proſequaris, ne inde pagani anſam & occaſionem arripiant &c.

10. *Græc.* Ethnos, id eſt, Gentilis. Verbum hoc aliam habet ſignificationem à verbo *Atheus* quo S. Ignatius utitur *ſuperiùs num.* 3. ut non tantum paganos denotet, ſed etiam homines Deo carentes & Religione. Hoc ipſe diluè dat S. Pontifex per verbum *ἄθεοι* quo quidem increduli & rebelles intelliguntur. *Vide num.* 10 *infra*

11. *expl.* Qui nomen meum adducit ut quomodocumque blaſphemetur.

12. *expl.* Cùm quiſpiam ſine Chriſti authoritate loquitur, vel cùm Evangelio contraria populos docet,

13. *Græc.* *ἄθεοι.* Idem eſt verbum quo *ſuperiùs num* 3. uſus eſt S. Pontifex, quod quidam hic condant per iſtud *ἄπιστοι*. quæ vox græca incredulos exprimit & rebelles, id eſt, juxta ſacros codices, filios Belial non portantes jugum, ſine Deo & abſque Religione.

14. *expl.* Certat hìc S. Ignatius adverſus Hæreſiarchas Simonem, Menandrum, Ebionem, & ſectatores eorum Valentinianos qui Chriſtum velut phantaſma in mundo appruiſſe: vel adſecundùm

Digitized by Google

ſecundùm apparentiam exſiſtentes; ego quid vinctus ſum? & cur opto cum beſtiis depugnare? fruſtrà itaque morior. Profectò mendacia de Domino non confingo.

XI. Fugite ergo malas propagines, quæ gignunt mortiferum fructum; quem ſi quis guſtarit, continuò moritur. Iſti enim non ſunt plantatio Patris. Si enim eſſent, apparerent utique rami Crucis, & eſſet utique fructus illorum incorruptibilis; per quem, in paſſione ipſius, invitat vos, qui eſtis membra ipſius. Non poteſt igitur caput ſeorſum naſci ſine membris; Deo unionem repromittente, quæ eſt ipſe.

XII. Saluto vos è Smyrna, unà cum Eccleſiis 1 Dei quæ mecum ſunt, quæ prorſus refocillarunt me, & carne & ſpiritu. Obſecrant vos vincula mea, quæ propter Jeſum Chriſtum circumfero, orans ut Deum aſſequar: permanete in concordia veſtra, & oratione mutua. Decet enim ſingulos veſtrûm, & præcipuè Presbyteros, refocillare Epiſcopum, in honorem Patris, Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum. Opto ut in caritate me audiatis; ne hæc ſcribens, in teſtimonium vobis ſim. Sed & orate pro me, qui in Dei miſericordia, caritate veſtrâ indigeo, ut dignus ſiam ſorte, ad quam aſſequendam jam deſtinor, ne reprobus inveniar.

XIII. Salutat vos caritas Smyrnæorum & Epheſiorum. Memores eſtote in orationibus veſtris Eccleſiæ quæ eſt in Syria 2, de qua & ego ſum dignus qui dicar, cum ſim eorum ultimus. Valete in Jeſu Chriſto: ſubjecti Epiſcopo, ut (Dei) mandato, & ſimiliter Presbyterio. Ac ſigillatim omnes, alter alterum diligite corde indivulſo. Excipiet vos meus ſpiritus, non modò nunc, ſed & ubi Deum nactus fuero. Nam etiamnum in periculo verſor: ſed fidelis eſt Pater in Jeſu Chriſto, ut impleat petitionem meam & veſtram: in quo opto ut inveniamini ſine macula.

verſus Baſilidienſes aſſeverantes Simonem Cirenenſem à Chriſto Domino in ipſius locum in cruce fuiſſe ſuffectum *Vide S. Irenæum lib. 3. cap. 11. & lib. 5. cap. 1. & lib. 1. cap. 23. Tertullianum lib. de præſcript.*

1. *expl.* Loquitur de Eccleſiis Epheſi, *vide num. 13. infra* & Magneſiæ per deputatos eis miſſos repræſentatis, præcipuè verò de Smyrnenſi Eccleſia mentionem facit, ubi tunc vinctus morabatur.

2. *expl. Vide quæ notata ſunt num. 14. præcedentis Epiſtolæ.*

EPISTOLÆ SANCTI IGNATII AD ROMANOS

PRÆFATIO.

Sanctus Ignatius Smyrnâ Romam profecturus ut martyrii coronam poſt tot ac tantos labores pro Chriſti fide fortiter exantlatos reciperet, ne hujus Urbis Chriſtiani, quod vehementiſſimè formidabat, ullam ipſius martyrio moram afferrent, vel ſuis apud Judices ſollicitationibus, vel etiam intempeſtivis & plus æquo officioſis benevolentiæ in eum teſtimoniis, quibus ſuam charitatem fidemque refrigeſcere metuebat, voluit eorum hacce Epiſtolâ animum occupare, deprecarique ut ſuas tantùm preces ad Deum funderent ad ipſius ſacrificii conſummationem impetrandam; & hæc eſt præſentis ad eos Epiſtolæ occaſio. Argumenta quibus in ea utitur adeò ſunt viva, adeò urgentia, adeò fide plena, ingeniique humani vim, ut ita dicam, adeò ſuperant, ut ea legendo quis lacrymas vix poſſit cohibere, quin etiam admirabiles illos attendat effectus quos gratia divina in iis fidelibus charitate inflammatis operatur. Nullum in tota hiſtoria Eccleſiaſtica, nec in virorum ſcriptis temporibus Apoſtolicis vicinorum antiquitatis monimentum præſtantius, nec exemplum illuſtrius fidei, fortitudinis & charitatis extat: nec illud etiam prætermiſerunt Antiqui Patres: S. Irenæus lib. 5. adverſ. hæreſ. cap. 28. *præclara admodum verba*, num. 4. *Epiſtolæ hujus maximè prædicat. Sic unus, inquit, ex noſtris Martyribus ob Chriſti fidem propugnandam ad beſtias damnatus, dixit:* frumentum Dei ſum, & dentibus beſtiarum molar, ut panis Chriſti mundus inveniar. *Locus hic S. Irenæi ab Euſebio laudatur*, lib. 3. hiſtor. cap. 30. aliàs 36. *ubi occaſione hujus Epiſtolæ Analyſis quam tunc elaborabat, aliud hujus S. Ignatii Epiſtolæ illuſtriſſimum refert fragmentum quod totum prorſus caput quintum complectitur. S. Hieronymus*, Catalog. num. 16. *hæc eadem verba capitis 5. commemorat, addendo ea paulò ſuperiùs relata, & ex numero 4.*

Epiſtolæ hujus excerpta. Origenes in Prolog. in Cantic. Canticor. *hæc verba citat numeri 7. infra legenda:* meus amor crucifixus eſt.

Per ea quæ in fine hujus Epiſtolæ leguntur planè liquet eam fuiſſe à S. Ignatio conſcriptam vigeſimâ quartâ menſis Auguſti, circa annum 107. vel 108. Æræ vulgaris, & circiter anno Imperii Trajani decimo, menſibus quinque vel circiter ante ſui conſummationem ſacrificii.

IGNATIUS, qui & Theophorus, miſericordiam conſecuta in magnificentia altiſſimi Patris, & Jeſu Chriſti unigeniti ejus Filii, Eccleſiæ dilectæ, & illuminatæ [1], *per voluntatem illius, qui vult omnia quæ ſunt ſecundùm caritatem Jeſu Chriſti Dei noſtri: quæ præſidet in loco Romanæ regionis, Deo digna, decentiſſima, meritò* [2] *beata, laudatiſſima, dignè ordinata, caſtiſſima, & præſidens in caritate* [3], *Chriſti habens legem, Patris nomen ferens: quam & ſaluto in nomine Jeſu Chriſti, Filii Patris: ſecundùm carnem & ſpiritum unitis in omni* [4] *mandato ipſius, repletis gratiâ* [5] *Dei indiſcretè, & repurgatis ab omni alieno colore: plurimam in Domino Jeſu Chriſto Deo* [6] *noſtro, atque immaculatam ſalutem.*

I. Deprecatus Deum, obtinui ut viderem divinam veſtram faciem, ſicut & plurimùm, ut hoc conſequerer, expetebam. Vinctus enim in Chriſto Jeſu ſpero me ſalutaturum vos, ſi voluntas ſit ut dignus judicer ad finem perduci. Nam exordium conſtitutum eſt benè, ſi modò gratiam meam conſequar, ut ſortem [7] meam ſine impedimento percipiam. Metuo enim caritatem veſtram, ne ipſa me lædat. Vobis quippe facile eſt, quod vultis [8] facere: mihi verò difficile eſt Deum aſſequi, ſi vos mihi non pepercerit.

II. Nolo autem vos hominibus [9], ſed Deo placere, ſicut & placetis. Nec enim ego unquam habiturus ſum ejuſmodi occaſionem Deum aſſequendi: nec vos, ſi taceatis [10], præſtantiori operi inſcribi poteritis. Si enim de me tacueritis, ego Dei fiam; ſin autem carnem meam dilexeritis, denuò currendum eſt mihi. Plus autem mihi tribuere non poteſtis, quàm ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum [11] eſt: ut in caritate chorum conſtituentes, canatis Patri in Chriſto Jeſu, quòd Epiſcopum Syriæ dignatus fuerit Deus in Occidente inveniri, ab Oriente acceſſitum. Bonum eſt à mundo occidere in Deum [12], ut in ipſo exoriar.

III. Numquam invidiſtis in aliquo: alios docuiſtis. Ego autem volo, ut & illa rata ſint, quæ docentes præcipitis. Solùm petite mihi vires, & intus & foris, ut non modò dicam, ſed & velim, ut non tantùm dicar Chriſtianus, ſed & inveniar. Si enim inventus fuero, etiam dici potero, & tunc fidelis eſſe, cùm mundo non apparebo. Nihil bonum quod videtur. Deus quippe noſter Jeſus Chriſtus in Patre exiſtens magis apparet. Non perſuaſionis opus, ſed magnitudinis [13] eſt Chriſtianus: quando utique odio habetur à mundo.

IV. Eccleſiis ſcribo [14], & mando omnibus, quòd voluntarius pro Deo morior, ſi modo vos non prohibueritis. Obſecro vos, ne intempeſtivâ benevolentiâ erga me ſitis. Sinite me ferarum eſcam fieri, per quas licet Deum adipiſci. Frumentum ſum Dei [15], & dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar. Blanditiis demulcete potiùs feras, ut mihi ſepulcrum fiant, & nihil de corpore meo relinquant: ut cùm obdormiero moleſtus [16] cuiquam inveniar. Tunc ero verus Jeſu Chriſti diſcipulus, quando mundus nec corpus meum videbit. Deprecemini Chriſtum pro me: ut per hæc organa, Dei efficiar hoſtia. Non ut Petrus & Paulus præcipio vobis. Illi Apoſtoli; ego condemnatus: Illi liberi; ego etiamnum ſervus: at ſi paſſus fuero, libertus fiam Jeſu Chriſti, & reſurgam liber. Et nunc vinctus, dico nihil concupiſcere.

V. A Syria Romam uſque cum beſtiis depugno, terrâ marique, noctu ac interdiu [17], alligatus decem leopardis, qui eſt militaris manipulus; qui & beneficio affecti pejores fiunt. At ego eorum injuriis magis erudior. *Sed non propter hoc juſtificatus ſum.* Utinam fruar beſtiis mihi paratis [18]: quas & opto veloces mihi inveniri; quas & blanditiis demulcebo, ut citiùs me devorent; non ut quoſdam veritæ non attigerunt. Sed & ipſe volentem nolint, ego vi adigam. Ignoſcite mihi: quid mihi utile [19] ſit ego novi. Nunc incipio diſcipulus eſſe. Viſibilium & inviſibilium nihil expetam, ut Jeſum Chriſtum aſſequar: Ignis, crux, ferarum concurſus, otium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis contritiones, mala Diaboli tormenta, in me veniant; tantummodò ut Jeſum Chriſtum nanciſcar [20].

VI. Nil me juvabunt fines mundi, nec regna hujus ſæculi. Melius eſt mihi emori propter Jeſum Chriſtum, quàm imperare finibus terræ. Illum quæro qui pro nobis mortuus eſt. Illum volo qui propter nos reſurrexit. Ille lucrum mihi adjacet. Ignoſcite mihi, fratres, ne me velitis mori; cumque cupiam Dei eſſe, per mundum ne ſeparetis me, neque per materiam ſeducatis. Sinite me purum lumen haurire. Cùm illic fuero, homo [21] ero. Sinite me imitatorem eſſe paſſionis Dei mei. Si quis ipſum in ſeipſo poſſidet, intelligat quid volo, & compatietur mihi, ut qui ſciat quæ me conſtringunt.

VII. Princeps hujus ſæculi rapere me vult, & vo-

1. *expl.* Divinis repletæ luminibus.
2. *aliter.* Cuique & merito titulus hic *beata* adſcribitur.
3. *aliter.* Quæ aliis omnibus Eccleſiis charitate præſtat.
4. *lit.* In omnibus Dei mandatis.
5. *aliter.* Singulis & omnigenis gratiis, *aut* gratia quam ſine menſura accepiſtis.
6. *aliter.* Salutem per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum æternam vobis expeto, *vel* ſanctam vobis in Chriſto Jeſu Domino noſtro ſalutem dico.
7. *lit.* ſortem meam. *Expl.* quod ſortitus ſum, vel potius decreta Dei in me. Loquitur ſanè de martyrio ſuo, quod velut donum gratiæ Chriſti pretioſiſſimum expectat.
8. *lit.* Quod vultis facere. *Expl.* id eſt, Deum precibus veſtris flagitare, ab eoque impetrare ut à martyrio me eripiat, aut ſaltem illud procraſtinet. *Vide quæ ſequuntur.*
9. *expl.* Propter me
10. *expl.* Non aliud à Deo poſtulantes, niſi quod eum rogo
11. *lit.* Quam ut conſentiatis quod ſuper altare immoler quod nunc paratum eſt.
12. *lit.* Maximum mihi bonum eſt à mundo propter Deum occidi, ſiquidem e tâ hac viâ vivus ad eum poſſidendum è mortuis exurgam. Hunc locum in illius martyris Panegyrico laudat S. Chryſoſtomus.
13. *aliter.* Opus eſt omnipotentiæ Dei.
14. *expl.* Idem facit in cæteris ſuis Epiſtolis.
15. *expl.* Hæc verba retulerunt S. Irenæus, *lib. 5. adverſ. hæreſ. cap.* 28. Euſebius, *lib. 3. hiſtor. cap.* 30. S. Hieronymus, *catalog. cap.* 16. & S. Gildas cognomento ſapiens, Angliæ Abbas in ſua ad Eccleſiam Anglicanam oratione.
16. *lit.* Ne alicujus lædant oculos.
17. *expl.* Locus hic optè convenit cum iis quæ ex eo citantur à S. Hieronymo in ſuo Catalogo, *cap.* 16
18. *expl.* Hæc eadem verba refert in hujus ſancti Martyris Panegyrico S. Joannes Chryſoſtomus.
19. *expl.* Ad ſalutem meam
20. *expl.* Totus hic numerus 7. à S. Hieronymo refertur in ſuo Catalogo *cap.* 18. & ante eum ab Euſebio, *lib. 3. hiſtor. cap.* 30.
21. *aliter.* Ne impediatis quominus Chriſto fruar, hujus mundi oblectamentis humaniſque reſpectibus me detinentes. *Expl.* timebat ne illorum erga ſe charitas nimis eſſet terreſtris nimiſque carnalis.
22. *lit.* Cum enim eo lumine potitus fuero, ero tunc novus & verus homo. *expl.* Homo perfectus, & uſquedum ad hunc ſtatum pervenero, ſinite me, &c.

luntatem, quàm erga Deum habeo, corrumpere. Nullus itaque veſtrûm qui præſentes eſtis opem ferat: ipſi potiùs mei ſitis, id eſt, Dei mei. Ne loquamini Jeſum Criſtum, & mundum concupiſcatis. Invidia in vobis non habitet: neque ſi ego præſens vos obſecrem, obtemperetis mihi; verùm his potiùs credite, quæ vobis ſcribo. Vivens enim ſcribo vobis, amore captus moriendi. Meus amor crucifixus 1 eſt: & non eſt in me ignis amans aliquam aquam 2: ſed vivens, & loquens in me, intùs mihi dicit: Veni ad Patrem. Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ: panem Dei volo, qui eſt caro Jeſu Chriſti, qui ex genere Davidis: & potum volo ſanguinem illius, qui eſt caritas incorruptibilis 3.

VIII. Nolo ampliùs ſecundùm homines vivere: id autem fiet, ſi vos volueritis. Velitis ergo, ut & vos acceptemini. Brevibus litteris deprecor vos; credite mihi. Jeſus autem Chriſtus manifeſtabit vobis hæc, quòd verè dicam; non mendax os, in quo Pater verè locutus eſt. Petite pro me, ut conſequar. Non ſecundùm carnem vobis ſcripſi, ſed ſecundùm Dei arbitrium. Si patiar, voluiſtis: ſin rejiciar, odiſtis.

IX. Memores eſte in precibus veſtris Eccleſiæ quæ eſt in Syria, quæ pro me, Deo Paſtore utitur. Solus ipſam Jeſus Chriſtus, vice Epiſcopi regat, & veſtra caritas. Me verò pudet, de illorum numero 4 dici. Nec enim dignus ſum, cùm noviſſimus eorum ſim; & abortivus: ſed per miſericordiam obtinui, ut ſim aliquis, ſi Deum aſſequar. Salutat vos meus ſpiritus, & caritas Eccleſiarum, quæ me ſuſceperunt in nomine Jeſu Criſti: non quaſi 5 obiter prætereuntem. Etenim quæ non convenerunt me in via quæ eſt ſecundùm carnem, in civitatibus me honorificè deduxerunt 6.

X. Scribo autem vobis hæc è Smyrna per Epheſios meritò beatos. Eſt autem mecum cum aliis multis 7 & Crocus, exoptatum mihi nomen. De his qui à Syria Romam venerunt ad gloriam Dei, credo vos cognoviſſe: quibus & ſignificate, me propè eſſe. Omnes enim ſunt Deo digni, & vobis: quos decet ut vos per omnia refocilletis. Scripſi autem vobis hæc die ante IX. Kalendas 8 Septembris. Valete in perpetuum, in patientia Jeſu Chriſti.

1. *expl:* Nihil aliud corpus meum anhelat quàm crucem & martyrium. Hunc locum citat Origenes *prolog. in Cantic. Cantic.*
2. *aliter.* Nullum poſſit refrigerium nec ullam quietem.
3. *expl.* Alluſionem facit S. Ignatius ad ſacram Euchariſtiam & ad verba quæ ipſe Chriſtus protulit, *Joan. cap. 6. v. 35. & ſeq. Lege Epiſtolam ejus ad Epheſios num. 5. & 20 ſupra.*
4. *expl.* Id eſt, Syriæ, præſertim verò Antiochenſis Eccleſiæ quæ erat Syriæ Metropolis & Patriarchalis.
5. *expl.* Præſertim hîc loquitur de Eccleſiæ Philippenſis fidelibus. *Vide annotationem in num. 1. ipſius ad Epheſios Epiſtola.*
6. *expl. Conſule ad Epheſios Epiſtolam, num. 9. ad Magneſianos Epiſtolam. num. 1. & ad Trallenſes num. 1.*
7. *expl Vide ad Epheſios Epiſtolam ſupra, num. 2.*
8. *expl.* Vigeſimâ quartâ Auguſti an. 107. Jeſu Chriſti, anno circiter Regni Trajani decimo.

SANCTI IGNATII EPISTOLÆ AD PHILADELPHIOS

PRÆFATIO.

Cum Smyrnâ Troadem adveniſſet S. Ignatius, & à Philone, Rheo & Agathopode comperiſſet quanto ſtudio quantâque charitate à Philadelphiæ fidelibus ipſius causâ fuiſſent excepti, ſuiſque ad Deum precibus & votis pacem Antiochenæ ſollicitaſſent Eccleſiæ iidem Philadelphii, hancce ad eos Epiſtolam per Burrhum ſcribere ſui eſſe muneris exiſtimavit, ut de iis omnibus grates redderet, memorique mente meritam illis gratiam perſolveret. Plurimùm in ea eorum Epiſcopi pietatem ejuſque ſapientiam laudat, cujus vocatio, ut ipſe aſſerit; in ardenti erga Deum charitate & in ſincera ipſius ad Deum & filium ejus Jeſum Chriſtum propenſione ſolummodo ſita erat. Difficilè ſane illius Epiſcopi eâ quam ante oculos ponit imago deſcriberetur præſtantior; idcirco eos vehementer adhortatur ut arctiſſimis illi nexibus tanquam legitimo Paſtori ſemper adhæreant, falſos Doctores ut mercenarios devitent, ſchiſmatum ac diſſidiorum occaſiones fugiant, errores & hæreticorum doctrinam prorſus abhorrere ſatagant, vel etiam eorum hominum qui eos ad ceremonias Judaïcas cum Chriſtiana Religione admiſcendas incitare conarentur. Monet inſuper ut numquam à fidelium cœtibus diſcedant, ſed in unum orandi, corpuſque & ſanguinem Jeſu Chriſti percipiendi causâ conveniant, ejuſdem menſæ ejuſdemque poculi participes effecti; expromit Antiquos veteris legis Patriarchas non latuiſſe Evangelium, quin etiam illud eos annuntiaſſe declarat, fideque in Jeſum Chriſtum ac in ejus promiſſiones ſalutem æternam expectaſſe, ac proinde

Digitized by Google

fuiſſe ſanctificatos : quamobrem eos falsò ſentientes exiſtimat qui audacter aſſerunt nullibi factam fuiſſe in veteri Teſtamento de Chriſto Domino nec de ipſius Evangelio mentionem. Epiſtolæ tandem ſuæ finem imponit S. Martyr, eos deprecans ut ſuis ad omnipotentem Deum orationibus ſacrificii quod continuò meditatur conſummationem ab eo impetrent, flagitatque ut Antiochiam Diaconum mitterent qui eam Eccleſiam eo abſente conſoletur & ſublevet, ſicut plurimas jam feciſſe aſſerit vicinas Eccleſias, quæ huc Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos deputarunt. A fratribus qui ſunt Troade eis ſalutem dicit. Non eſt prorſus dubium quin Epiſtola hæc ſit præcedentibus poſterior, cum ipſe S. Pontifex expreſſè denotet ſe Smyrnâ profectum Troade illam ſcripſiſſe. vide inferiùs num. XI. *ubi de Deputatis à fidelibus Epheſi & Smyrnæ ad ſe miſſis mentionem facit. Euſebius* lib. 3. hiſtor. cap. 30. aliàs 36. *eam non commemorat Epiſtolam, ſanctus verò Hieronymus eam laudat in ſuo* Catalogo, cap. 16.

IGNATIUS, qui & Theophorus, Eccleſiæ Dei Patris & Domini Jeſu Chriſti, quæ eſt Philadelphiæ [1] in Aſia miſericordiam conſecuta & firmata in Dei concordia, & exſultanti in paſſione Domini noſtri inſeparabiliter, ac per reſurrectionem ejus plenè inſtructa in omni miſericordia [2]: quam ſaluto in ſanguine JeſuChriſti, quod eſt gaudium ſempiternum & ſtabile: maximè ſi in unum ſint cum Epiſcopo, & qui cum eo ſunt Preſbyteris, & Diaconis deſignatis per ſententiam Jeſu Chriſti; quos ſecundùm propriam voluntatem ſuam firmavit in ſtabilitate per ſanctum ſuum Spiritum.

I. Quem Epiſcopum cognovi, non à ſeipſo, neque per homines obtinuiſſe myſterium ſpectans ad commune, nec per inanem gloriam, ſed in caritate Dei Patris, & Domini Jeſu Chriſti; cujus obſtupui modeſtiam; qui tacitus plus poteſt quàm qui vana loquuntur. Coaptatus enim eſt mandatis, ut chordis cithara. Quapropter beatum cenſet anima mea illius propoſitum, qui cognoſco illud virtutibus ornatum eſſe, & perfectum: illius immubilitatem, atque lenitatem itæque vacuitatem, in omni manſuetudine Dei viventis.

II. Filii itaque lucis & veritatis, fugite diviſionem & pravas doctrinas. Ubi autem paſtor eſt, eumdem ut oves ſequamini. Multi enim lupi, fide digni habiti, eos qui in Dei ſtadio currunt, pernicioſis voluptatibus illectos, captivos ducunt: verùm in veſtra concordia non habebunt locum.

III. Abſtinete ab herbis noxiis, quas Jeſus Chriſtus non excolit: quia non ſunt plantatio Patris. Non quòd apud vos diviſionem invenerim: ſed excolationem [3]. Quotquot enim Dei & Jeſu Chriſti ſunt, hi ſunt cum Epiſcopo. Quotquot autem pœnitentiâ ducti redierint ad unitatem Eccleſiæ, & iſti Dei erunt; ut ſecundùm Jeſum Chriſtum vivant. Ne erretis, fratres mei. Si quis ſchiſma facientem ſectatur; regni Dei hæreditatem non conſequitur. Si quis in aliena ſententia ambulat; iſte paſſioni non conſentit.

IV. Operam igitur detis, ut unâ Euchariſtiâ utamini. Una [4] enim eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus calix in unitatem ſanguinis ipſius; unum altare, ſicut unus Epiſcopus, cum Preſbyterio, & Diaconis conſervis meis; ut quod facitis, ſecundùm Deum faciatis.

V. Fratres mei, valde effuſus ſum in amorem veſtri; & ſupra modum exſultans, tutos cautoſque vos reddo. Non ego quidem: ſed Jeſus Chriſtus; in quo vinctus, plus timeo, ut adhuc imperfectus. Sed oratio veſtra apud Deum me perficiet, ut ſorte per miſericordiam mihi aſſignatâ potiar; confugiens ad Evangelium tamquam ad carnem Jeſu, & ad Apoſtulos velut ad Eccleſiæ Preſbyterium. Sed & Prophetas diligamus; propterea quòd & ipſi Evangelium annunciaverint, & in Chriſtum ſperaverint, & Ipſum exſpectaverint: in quo & credentes ſalutem conſecuti ſunt, in unitate Jeſu Chriſti cùm eſſent ſancti amore & admiratione digni; à Jeſu Chriſtu teſtimonium adepti, & connumerati in Evangelio ſpei communis.

VI. Si quis autem Judaïſmum [5] vobis exponat; ne audiatis ipſum. Meliùs eſt enim à viro circumciſionem habente chriſtianiſmum audire quàm ab habente præputium, Judaïſmum. Si autem utrique de Jeſu Chriſto non loquantur; iſti mihi columnæ ſepulcrales, & mortuorum ſunt monumenta, quibus hominum nomina dumtaxat inſcripta ſunt. Fugite igitur malas artes, & inſidias Principis ſæculi hujus; ne quando ſententiâ ipſius oppreſſi, in caritate langueatis. Sed omnes in idem ſitis indivulſo corde. Gratias autem ago Deo meo, quòd pacatam gero de vobis conſcientiam; nec habet quiſpiam quòd glorietur vel ſecretò vel palàm, à me quemquam gravatum eſſe aut in parvo, aut in magno. Sed & omnes inter quos locutus ſum, oro; ut illud in teſtimonium habeant.

VII. Quamquàm enim ſecundùm carnem voluerunt quidam me ſeducere: at ſpiritus non ſeducitur, à Deo exſiſtens. Novit enim undè veniat, & quò vadat & ſecreta coarguit. Clamavi cùm intereſſem, locutus ſum magnâ voce, voce Dei: Epiſcopo attendite, & Preſbyterio, & Diaconis. Quidam autem ſuſpicati ſunt me, ut præſcium [6] diviſionis quorumdam, hæc dicere. Teſtis autem mihi is eſt, in quo vinctus ſum, quòd à carne humanâ [7] non cognoverim; ſed ſpiritus annunciavit, dicens iſta; Sine Epiſcopo nihil facite. Carnem veſtram, ut Dei templum, cuſtodite. Unitatem amate; diſſidia fugite. Imitatores eſte Jeſu Chriſti, ſicut & ipſe Patris ipſius.

VIII. Ego itaque quod meum erat feci, ut homo ad unitatem compoſitus. Ubi autem diviſio eſt & ira, ibi Deus minimè habitat. Omnibus igitur pœnitentibus remittit Deus; ſi reſipiſcant in unitatem Dei, & Epiſcopi conſeſſum. Credo gratiæ Jeſu Chriſti, qui ſolvet à vobis omne vinculum. Obſecro autem vos

1. *expl.* De hac Eccleſia mentio fit, *Apocalyp. cap.* 1. *v.* 11. ſita erat in Lydia, quæ eſt pars Aſiæ Minoris.
2. *expl.* S. Joannes in ſua Apocalypſi, *cap.* 3. *v.* 7. *& ſeq.* hanc Eccleſiam ejuſque Epiſcopum admodùm celebrat.
3. *expl. Græc.* ἀποδιϋλισμὸν aliquid excolendum vel etiam corrigendum. Verbum hoc abſque circumlocutione aliqua reddi non potuit.
4. *expl.* Per hoc verbum unitatem intelligit tam Epiſcopo, cæterum ad orandum communem & publicam, imprimiſque Altaris ſacrificium, cujus Euchariſtia vinculum erat præcipuum, portioque primaria. *Vide quæ ſuperiùs dixit, num.* 5. *& num.* 10. *ad Epheſios Epiſtola & inferiùs in Epiſtola ad Smyrnæos, num.* 7 *& num.* 8. *ſeq.* in ſenſu generali.
5. *expl.* Vos ad ceremonias & ritus Judaïcos excipiendos invitet: S. Joannes in Apocalypſi, *cap.* 3 *v.* 10 Doctorum errores judaïzantium propulſandos à Deo, atque Evangelii juga ſubjiciendos huic Eccleſiæ pollicetur.
6. *alter.* Alicui diſſidio peculiari me faveret. *Expl.* ob quandam utilitatem propriam
7. *alter.* Quod numquam hujus rei humanæ participem me præbuerim. *expl.* quam mihi aſcribis.

nihil per contentionem facere, ſed juxta Chriſti diſciplinam. Quandoquidem audivi quoſdam dicentes: Niſi invenero in archivis, Evangelio non credo. Et dicente me ipſis, Scriptum eſt; reſponderunt mihi, Præjacet 1. Mihi verò pro archivis eſt Jeſus Chriſtus: illibata archiva, crux ejus & mors, & reſurrectio ejus, & fides quæ per ipſam; quibus juſtificari cupio, per precationes veſtras.

IX. Boni quidem ſunt Sacerdotes: præſtantius 2 autem quid eſt ſummus Pontifex; cui credita ſunt ſancta ſanctorum; cui ſoli ſecreta Dei ſunt tradita. Ipſe eſt janua Patris; per quam ingrediuntur Abrahamus & Iſaacus & Jacobus, & Prophetæ, & Apoſtoli, atque Eccleſia. Omnia hæc ad unitatem Dei. Eximium autem quiddam habet Evangelium; nimirum adventum Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, paſſionem ipſius, ac reſurrectionem. Dilecti namque Prophetæ annunciaverunt in ipſum; Evangelium verò perfectio eſt incorruptionis. Omnia in univerſum bona ſunt; modò in caritate credideritis.

X. Quoniam ſecundùm orationem veſtram, & ſecundùm viſcera quæ habetis in Chriſto Jeſu, nunciatum eſt mihi pacem habere Eccleſiam Antiochenam quæ in Syria eſt; decet vos, ut Dei Eccleſiam, eligere Diaconum, qui obeat illi legationem Dei; ut cum illic in unum 3 congregatis, ſimul gaudeat, & glorificet Nomen. Beatus ille in Jeſu Chriſto, qui dignus habitus fuerit ejuſmodi miniſterio: & vos glorificabimini. Volentibus autem vobis non eſt impoſſibile, pro nomine Dei; ut & quædam proximæ Eccleſiæ miſerunt Epiſcopos, nonnullæ verò Preſbyteros & Diaconos.

XI. De Philone autem Diacono Cilice, viro laudato, qui & nunc in verbo Dei mihi miniſtrat, unà cum Rheo, Agathopode viro electo, qui à Syria me comitatur, vitæ renuncians: qui & de vobis teſtificantur. Et ego Deo ago gratias pro vobis, quòd illos ſuſcepiſtis: ſicut & vos Dominus. Qui verò illos ignominià affecerunt, liberentur per gratiam Jeſu Chriſti. Salutat vos caritas fratrum qui ſunt in Troade; unde & ſcribo vobis per Burrhum, qui miſſus eſt mecum ab Epheſiis & Smyrnæis, honoris causâ. Honoret ipſos Dominus Jeſus Chriſtus, in quem ſperant, carne, animâ, ſpiritu, fide, caritate, concordiâ. Valete in Chriſto Jeſu, communi ſpe noſtrâ.

1. *Græc.* πρόκειται, hæc vox ſignificat, *in terram labitur* Expl. non per ſe ſtat, firmiſque caret rationibus: res eſt fulta.
2. *expl.* Id eſt, Jeſus Chriſtus eſt ſummus ſacerdos & Pontifex, cujus ſacerdotium longè præſtat veteris Teſtamenti ſacerdotio, & ſupereminet.
3. *aliter.* Lætitiâ quâ de eorum concordia affecti eratis ſicut & ille. *expl.* id eſt, de ea pace huic Eccleſiæ à Trajano per aliquot tempus conceſſâ; ſiquidem ille Imperator perſecutionem in Syria imprimis ipſius authoritate & juſſu antea excitatam, edicto quodam recenti comprimi imperaverat: iſto enim inhibebat edicto ne morti tradendi indagarentur Chriſtiani, ſed capite jubebat puniendos, ſi forte delati & Chriſtianiſmo fuiſſent convicti.

SANCTI IGNATII EPISTOLÆ

AD SMYRNENSES,

VEL

AD ECCLESIAM SMYRNÆ

PRÆFATIO.

UT Troadem advenit S. Ignatius, ad fideles Eccleſiæ Smyrnæ quos deſerebat, illicò ſcribere neceſſarium duxit, ut ſua erga eos affectuoſiſſimis benevolentiæ teſtimoniis ſignificaret quanti faciebat quæ ab ipſis acceperat beneficia, dum apud eos morabatur: grates etiam rependit quod Philoni, Rheo, & Agathopodi fideliſſimis comitibus, eadem in gratiam ſui ipſius beneficia contuliſſent: hanc Epiſtolam & præcedentem ad fideles Philadelphiæ ſcriptam ad eos poſtea per Burrhum deferendas curavit. In ea quæ eſt ad Smyrnæos, de eorum fide incorrupta, tum de illorum amore in Jeſum Chriſtum, ejuſque Evangelium conſtantiſſimo, de animi fortitudine & conſtantia quâ ipſius vincula non erubeſcebant quibus pro nomine Chriſti vinctus fuerat, ac denique de liberalitate quâ ipſius calamitatibus auxilio venerant, ſummis eos ornat laudibus: Eos inſuper hortatur ut à falſis præcaveant Doctoribus qui contendere audebant Chriſtum mundo in ſpeciem tantùm apparuiſſe, mortemque modo phantaſtico ſubiiſſe. Erroribus his doctrinam opponit Catholicam in Incarnationis myſterio, mortis & Reſurrectionis Jeſu Chriſti fundatam, docet præterea hereticos abſque ulla cum eis conſuetudine devitandos, eos à fidelium conventibus arcendos, ac denique totis impedien-

Digitized by Google

dum viribus quin Euchariſtiæ ſacramenti participes reddantur, cum non deceat eos Chriſti corpus ſuſcipere in hoc Auguſtiſſimo Sacramento, qui veritatem carnis & ſanguinis ejus deſtruere ſatagunt, vel etiam profitentur. Obſecrat eos ut ejuſdem fidei vinculis adſtricti perſeverent, proprio Epiſcopo ac Preſbyterorum Collegio adhæreant, & nihil quicquam abſque eorum authoritate audeant. Actiſque gratiis, quod ipſorum apud Deum precibus pacem & tranquillitatem adepti fuerant Eccleſiæ Antiochenæ Chriſtiani, hujus operis conſummandi causâ, ad eos ſcribant invitat, aliquoſque ex eis fideles deputent ad illis gratulandum & ad pacem hanc firmiter ſtabiliendam. Eos omnes ſuo ac Philonis nomine, ſeorſum verò Polycarpum ipſorum Antiſtitem, Taviæ domum, Alcen, Daphnum & Euctenum ſalutat.

Epiſtola hæc ab Euſebio citatur, lib. 3. hiſtor. cap. 30. aliàs 36. *& à S. Hieronymo* Catalog. cap. 16. *Vide inferius Annotationem in* num. 3. ejuſdem Epiſtolæ.

I*GNATIUS, qui & Theophorus, Eccleſiæ Dei Patris & dilecti Jeſu Chriſti, miſericordiam conſecutæ in omni dono, repletæ fide & caritate, nullum non donum aſſecutæ, diviniſſimæ & ſanctiferæ, quæ eſt Smyrnæ [1] in Aſiâ; in Spiritu immaculato & Verbo Dei, Salutem plurimam.*

I. Glorifico Jeſum Chriſtum Deum, qui tantâ vos ſapientiâ donavit. Cognovi enim vos perfectos in fide immota; ut affixos cruci Domini noſtri Jeſu Chriſti, & carne & ſpiritu; & firmatos in caritate, in ſanguine Chriſti; plenè perſuaſos in Dominum noſtrum: Verè exſiſtentem de genere Davidis, ſecundùm carnem; filium Dei, ſecundùm voluntatem & potentiam Dei: natum verè ex Virgine: baptizatum à Joanne, ut *impleretur ab eo omnis juſtitia*: verè ſub Pontio Pilato & Herode Tetrarchâ clavis confixum pro nobis in carne. Ex quo fructu nos ſumus, per divinè beatam paſſionem ejus; ut elevet ſignum in ſæcula, per reſurrectionem, ſanctis & fidelibus ſuis, ſive in Judæis, ſive in Gentibus, in uno corpore Eccleſiæ ſuæ.

II. Omnia enim hæc paſſus eſt propter nos, ut ſalutem conſequamur. Et verè paſſus eſt; ſicut & verè ſeipſum reſuſcitavit: non ut quidam infideles dicunt, ſecundùm opinionem [2] ipſum paſſum eſſe; ipſi ſecundùm opinionem exſiſtentes [3]: & quemadmodum ſapiunt, ſic & continget eis; qui phantaſtici ſunt ac dæmoniaci.

III. Ego enim & poſt reſurrectionem eum in carne [4] novi, & credo eſſe. Et quando ad eos qui cum Petro erant venit, inquit ipſis; *Apprehendite, palpate me, & videte, quòd non ſum Dæmonium incorporale* [5]. Et confeſtim ipſum tetigerunt; atque crediderunt, convicti carne ipſius & ſpiritu. Propter hoc etiam mortem contempſerunt; ſupra mortem verò inventi ſunt. Poſt reſurrectionem autem, cum illis comedit & bibit, ut carnalis, quamvis ſpiritualiter unitus Patri.

IV. De his autem admoneo vos, cariſſimi, ſciens quod ita & vos ita habeatis. Sed præmonio vos contra feras humanam formam præ ſe ferentes; quos non ſolum oportet vos non recipere; ſed, ſi poſſibile eſt, neque obviam eis fieri; ſolùm verò pro ipſis orare, ſi quo modo pœnitentiam agant, quod admodum difficile eſt. Hujus autem poteſtatem habet Jeſus Chriſtus, vera noſtra vita. Si enim opinione ſolâ hæc à Domino noſtro ſunt perfecta; & ego opinione ſolùm vinctus ſum. Quid verò & meipſum morti deditum tradidi, ad ignem, ad gladium, ad beſtias? Verum qui prope gladium, prope Deum eſt; qui cum beſtiis, cum Deo eſt. Tantùm in nomine Jeſu Chriſti, ut ſimul cum illo patiar, omnia ſuſtineo; ipſo roborante me, qui perfectus homo [6] factus eſt.

V. Quem quidam ignorantes, abnegant: magis autem abnegati ſunt ab ipſo; patroni mortis magis quam veritatis. Quibus nec Prophetiæ perſuaſere, nec Moyſis lex, ſed nec Evangelium in hunc uſque diem, neque noſtræ ſingulorum paſſiones. Nam & de nobis id ipſum ſentiunt. Quid enim mihi prodeſt, ſi quis me laudet: & Dominum meum blaſphemet, non confitens ab ipſo carnem geſtari? Qui verò id non dicit, prorſus eum negavit, & ipſe cadaver geſtat. Nomina verò eorum, cùm ſint infidelia, non viſum eſt mihi ſcribere: ſed & abſit à me, ut eorum mentionem faciam, donec reſipiſcant in paſſionem, quæ eſt noſtra reſurrectio.

VI. Nemo erret. Et ſuper cœleſtis, & gloris Angelorum, & Principes viſibiles [7], ac inviſibiles, ſi non credant in ſanguinem Chriſti; etiam illis judicium eſt. *Qui capit, capiat.* Locus neminem efferat. Totum namque eſt fides & caritas; quibus nihil perlatum eſt. Conſiderate verò eos qui alienam opinionem tuentur contra gratiam Jeſu Chriſti quæ ad nos venit, quo modo contrarii ſint ſententiæ Dei. De caritate non eſt cura ipſis: non de vidua, non de orphano, non de oppreſſo; non de vincto vel ſoluto, non de eſuriente vel ſitiente.

VII. Ab Euchariſtia & Oratione abſtinent; eo quòd non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt; quam Pater ſuâ benignitate [8] ſuſcitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes [9] moriuntur. Utile autem eſſet ipſis diligere, ut & reſurgerent. Decet ita-

1. *expl.* Sita juxta littus maris Occidentalis in Ioniæ Provincia, quæ eſt pars Aſiæ Minoris; ubi S. Ignatius per aliquot tempus manſerat.

2. *expl.* Hæc eſt hæreſis Simonis & Ebionitarum. *Vide ſuperiùs ad Tralleoſes Epiſtolam*, num. 10.

3. *aliter.* Increduli. Eodem verbo uſus eſt in Epiſtola ad Trallenſes num. 3.

4. *litt.* Eum in carne novi poſt Reſurrectionem. *Expl.* Horum verborum ſenſum non ſecuti ſunt Interpretes, ſiquidem concedi non poteſt, ut S. ille Pontifex revera Jeſum Chriſtum viventem viderit, ſed viderat quidem oculis fidei & Apoſtolorum atque authoritate contemplabatur: Negat enim S. Joannes Chryſoſtomus Dominum Jeſum unquam vidiſſe. Ex his verbis pariter & ex cognomine Theophori quo appellabatur, putarunt quidam contineri poſſe eum eſſe parvulum quem Jeſus Chriſtus in medio poſuit Diſcipulorum, ſed inconſulte & abſque fundamento ſentiunt. Euſebius *lib. 3. hiſtor. cap. 30. alias 36.* hunc locum citat, & ut Chriſto attributum cenſet: ſed ex quo excerptum loco plane ignorat hunc refert S. Hieronymus *Catalog. cap. 16.* ut etiam Jeſu Chriſto proprium, & in Evangelio ſecundùm Hebræos, cujus jam jam Verſioni operam dederat, ſcriptam aſſeverat. Hunc eumdem locum laudat & Origenes in Præfatione libri primi *Patriarch.* verſus finem; ſed depromptum dicit ex libro cui titulus eſt *Doctrina S. Petri* ab Eccleſia rejecto tanquam ſuppoſititio.

5. *litt.* Dæmonium. *Expl.* Vox Græca ſignificans *Genium*; ens ſpiritale, nec materiâ nec corpore conſtans.

6. *expl.* Qui ſecundùm humanitatem ſuam plane & perfecte homini fuit ſimilis.

7. *expl.* Hi omnes qui ſublimiores videntur & potentiores cæteris hominibus. Græca vox non tantùm denotat Reges & Imperatores, ſed eos omnes qui aliis præſunt.

8. *expl.* Et revera quomodo poſſunt in altari noſtro panis Chriſti participes fieri, id eſt, corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, ſi in eo nolint verum corpus & verum ſanguinem admittere? *Vide ipſius ad Epheſios Epiſtolam*, num. 5. & 20. *ſupra.*

9. *expl.* Nam ſuperiùs num. 20. ad Epheſios Epiſtolæ panem hunc divinum appellavit immortalitatis pharmacum & Antidotum ne moriamur, &c.

itaque abſtinere ab ejuſmodi; & nec in privato, nec in communi colloquio de illis verba facere: attendere autem Prophetis; præcipuè autem Evangelio, in quo paſſio nobis oſtanſa, & reſurrectio perfecta eſt. Diviſiones verò fugite, ut principium malorum.

Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem; & Preſbyterium, ut Apoſtolos. Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant. Rata Euchariſtia[1] habeatur illa, quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit. Ubi comparuerit Epiſcopus, ibi & multitudo ſit; quemadmodum ubi fuerit Chriſtus Jeſus, ibi Catholica eſt Eccleſia. Non licet ſine Epiſcopo, neque baptizare, neque[2] Agapen celebrare: ſed quodcumque ille probaverit, hoc & Deo eſt beneplacitum: ut tutum ratumque ſit quodcumque agitur.

IX. Conſentaneum eſt deinceps reſipiſcere: & dum adhuc tempus habemus, ad Deum per pœnitentiam redire. Bene habet, Deum & Epiſcopum reſpicere. Qui honorat Epiſcopum, à Deo honoratus eſt. Qui clam Epiſcopo aliquid agit, Diabolo præſtat obſequium. Omnia igitur vobis in gratia abundent: digni enim eſtis. Omni modo me recreaſtis: & vos Jeſus Chriſtus. Abſentem[3] me ac præſentem dilexiſtis: retribuat vobis Deus, propter quem omnia ſuſtinentes.

X. Quòd Philonem & Rheum & Agathopodem[4], qui me ſecuti ſunt in verbo Dei, ut Chriſti Dei miniſtros excepiſtis, benefeciſtis. Qui & Domino pro vobis gratias agunt, quòd omnibus modis illos refeceritis. Nihil vobis utique deperibit. Vice animarum veſtrarum ſpiritus meus ſit, & vincula mea, quæ non faſtidiſtis, nec erubuiſtis: nec de vobis erubeſcet perfecta fides Jeſus Chriſtus.

XI. Oratio veſtra pervenit ad Eccleſiam Antiochenam quæ eſt in Syria: unde, Deo decoris ligatus vinculis, omnes ſaluto; qui inde exſiſtere non ſum dignus, cùm extremus ſim eorum; ſed Dei voluntate dignus effectus ſum; non juxta conſcientiam, ſed ex gratia Dei: quam opto perfectam mihi dari, ut per orationem veſtram Deum conſequar. Quò itaque opus veſtrum abſolutum ſit, tum ſuper terram, tum in cœlo; decet ad Dei honorem ut Eccleſia veſtra eligat ſactum legatum; ut cùm ad Syriam uſque venerit, congratuletur illis, quòd pacem conſecuti ſint, & ſuam receperint magnitudinem, ac reſtitutum ſit illis ſuum corpus. Digna igitur mihi res eſt viſa, ut aliquem veſtrûm mittatis cum Epiſtola; quò unà cum illis glorificet Deum, de tranquillitate quam in Deo conſecuti ſunt: & quòd portu jam potiti ſunt per orationem[5] veſtram. Cùm perfecti ſitis, perfecta & ſentite. Cupientibus enim vobis benefacere, Deus largiri paratus eſt.

XII. Salutat vos caritas fratrum qui ſunt in Troade: unde & ſcribo vobis per Burrhum, quem miſiſtis mecum unà cum Epheſiis fratribus[6] veſtris: qui omni modo me refocillavit. Atque utinam omnes illum imitentur, qui eſt exemplar divini miniſterii. Remuneret ipſum gratia per omnia. Saluto Deo dignum Epiſcopum[7], & Deo decorum Preſbyterium, & conſervos meos Diaconos, ſigillatimque ac in univerſum omnes, in nomine Jeſu Chriſti, & carne ipſius, & ſanguine, & paſſione, ac reſurrectione corporali ſimul & ſpirituali, in unitate Dei veſtrâque. Gratia vobis, miſericordia, pax, patientia, ſemper ſit.

XIII. Saluto familias fratrum meorum, cum uxoribus & liberis; necnon virgines, vocatas viduas. Incolumes in virtute Spiritûs eſte mihi. Salutat vos Philo, qui mecum eſt. Saluto Taviam cum domeſticis; quam opto ſolidari fide & caritate corporali atque ſpirituali. Saluto Alcen[8] deſiderabile mihi nomen, & Daphnum incomparabilem, & Eutecnum, omneſque nominatim. Valete in gratia Dei.

1. *expl.* Verbum hoc generatim hic uſurpatur pro fidelium communione, quæ hoc cognomen ſortita ab Euchariſtia & miſſæ ſacrificio, quæ ſunt illius communionis partes & quidem eſſentiales. *Vide Annotationem in num. 4. ad Philadelphios Epiſtola.*

2. *expl.* Hæc convivia Euchariſtiæ participationi jungebantur, in quibus & divites & pauperes ſimul indiſcriminatim admiſſi reperiebantur, eidemque menſæ accumbebant. Conſule B. Apoſtolum Paulum 1. *Corinth. cap. 11. v. 18. & ſeq.*

3. *litt.* Quod veſtra in me & præſentem & abſentem benevolentia maxima fuit. *Expl.* Superius dixit num. ultimo ad Philadelphios Epiſtolæ, à Smyrnæis pariter ac Epheſiis Burrhum miſſum fuiſſe qui S. Martyrem honoris causâ ubique comitaretur. *Vide infra num. 12.*

4. *expl.* Quidam arbitrantur hunc Agathopodem eumdem eſſe ad quem S. Clemens Alexandrinus *lib. 3. ſtrom. verſus medium*, dixit miſiſſe Valentinum Epiſtolam, in qua hic hæreſiarcha de Chriſti continentia poſt Reſurrectionem loquebatur, ac de poteſtate divinitatis in ipſius corpus, ad alimenta quibus veſcebatur conſumenda.

5. *expl. Vide Annotationem in num. 10 Epiſtola ad Philadelphios.*

6. *Vide Annotationem in num. 9. præcedentem.*

7. *expl.* S. Polycarpum.

8. *expl.* Hanc Alcen eamdem eſſe quidam autumant, quæ ſecundùm Euſebium *lib. 4. hiſtor. cap. 14. verſus finem* Dalcea vocatur, de cujus fratre in Actis S. Polycarpi Martyris quæ in Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis referuntur, mentio facta eſt: ſecundùm autem hæc Acta legendum eſt Nicetes pater Herodis & frater Alces, &c.

Digitized by Google

EPISTOLÆ S. IGNATII

AD S. POLYCARPUM

SMYRNENSEM EPISCOPUM

PRÆFATIO.

CUm præproperè ac præcipitanter Troade profecturus eſſet S. Ignatius ut Neapolim & inde Romam navigaret, ſuum ibi poſt tot ac tantos exantlatos labores conſummaturus martyrium, hancce S. Polycarpo Smyrnenſium Epiſcopo Epiſtolam conſcripſit, in qua de Synodo cogenda eum precatur ad quemdam ex Smyrnæ fidelibus eligendum qui Antiochenſem Eccleſiam de ipſius abſentia conſolaturus, ac de pace recuperata gratulaturus eam adiret, & ad vicinas & proximas quoque Eccleſias eâdem occaſione excitandas ut idem ſive per litteras conſolatorias, ſive per Deputatos præſtarent: Illius deinde S. Pontificis fidem commendat, actis Deo Omnipotenti gratiis, quod eo permittente amplexibus ejus & colloquio familiari fruitus fuiſſet: hortatur ut indeſinenter gregi ſibi commiſſæ invigilet, pacem & concordiam inter fideles ſuæ paſtorali vigilantiæ ſubditos fovere non deſinat, debiles & pauperes benignè patiatur, orationi inſtet frequentiùs, ad certandum fortiter, ut Athleta Chriſti ſit ſemper accinctus, peccatoribus magnoperè ſed tamen ſumma cum prudentia indulgeat, adverſus dolos & Pſeudo-Doctorum fallacias cautum ſe gerat; fideles poſtea compellat, quos hortatur ut ſuo quiſque ſtatui & ordini juxta Evangelii præcepta incumbat; imprimiſque unionem cum Epiſcopo & ſinceram in eum obſervantiam eis injungere ſatagit. Finem facit Epiſtolæ, gratias agens quod ipſius ſimul & Smyrnæ fidelium orationibus Antiochenſis tandem aliquando pacem obtinuiſſet Eccleſia.

Fideles omnes Smyrnenſis Eccleſiæ, nominatim autem uxorem Epitropi cum tota ſua domo ſalutat; Attalo præterea, præcipuè verò ei qui profectione in Syriam dignus habebitur ſalutem dicit.

Hanc Epiſtolam ultimò ſcriptam fuiſſe conſtat, ex eo quod eam conſcripſerit S. Martyr, cum in eo erat ut Troade Neapolim commearet: Idem etiam ſentit S. Hieronymus, Catalog. cap. 16. *quamvis tamen erraverit ſanctus ille Doctor locum unum Epiſtolæ huic aſcribendo qui revera minime in ea reperitur, ſed in Epiſtola ad Smyrnenſes* num. 3. *legitur.* Vide in hunc librum Annotationem. *Euſebius* lib. 3. hiſtor. cap. 30. aliàs 36. *hanc ſimiliter citat Epiſtolam, illiuſque facit Epitomen; ſed eam ante Epiſtolam ad Smyrnenſes collocat, & fortaſſe eodem tempore eodemque involucro hæ duæ miſſæ fuerunt; inde fit ut ſimul eas jungere videatur Euſebius.*

IGNATIUS

Digitized by Google

I*GNATIUS, qui & Theophorus, Polycarpo Epiſcopo Eccleſiæ Smyrnæorum, immò verò cujus Epiſcopus eſt Deus Pater & Dominus Jeſus Chriſtus, plurimam ſalutem.*

I. Suſcipiens tuum propoſitum in Deo firmatum velut ſuper petram immobilem; ſummis evehо laudibus, dignus habitus inculpatâ tuâ facie, quâ utinam fruar in Deo. Obſecro te in (Dei) gratia, quâ indutus es, ut ad curſum tuum adjicias, omneſque adhorteris ut ſalventur. Tuere locum tuum, in omni cura carnali & ſpirituali. Unitatis curam habe; quâ nihil melius. Omnes perfer; quò & te Dominus. Omnes tolera per caritatem: ſicût & facis. Precibus vaca perpetuis. Poſtula intellectum ampliorem, quàm habes. Vigila, inſomnem ſpiritum poſſidens. Singulis juxta adjutorium Dei loquere. Cunctorum ægrotationes porta, ſicut perfectus Athleta. Ubi plus laboris; magnum lucrum eſt.

II. Bonos diſcipulos ſi amaveris, nulla tibi eſt gratia: potiùs peſtilentiores, in manſuetudine ſubjice. Non omne vulnus eodem emplaſtro a curatur. Vehementiores morbi acceſſiones; ſuperfuſionibus ſeda, *prudens eſto, ſicut ſerpens*, in omnibus, *& ſimplex, ut columba.* Propter hoc corporalis es & ſpiritualis, ut quæ apparent coram te demulceas; quæ autem non videntur petas ut manifeſtentur tibi: ne tibi quidquam deſit, & omni dono abundes. Tempus expetit te; ut gubernatores, ventos; & ut tempeſtate jactatus, portum; quò Deo potiaris. Cautè te gere, ut Dei Athleta. Thema 4 ſeu propoſita corona, eſt incorruptio & vita æterna; de qua & tu perſuaſus es. Secundùm omnia vicè animæ tuæ ſim ego, & vincula mea quæ dilexiſti.

III. Qui videntur fide digni eſſe, & aliena docent, non te perterrefaciant. Sta firmus, ut incus quæ percutitur. Magni Athletæ eſt, cædi & vincere. Maximè verò propter Deum omnia ſuſtinere nos oportet, ut & ipſe nos ſuſtineat. Studioſior fias, quàm es. Tempora perpende. Eum qui ultra tempus eſt, exſpecta; temporalem, inviſibilem, propter nos viſibilem: impalpabilem & impatibilem, noſtrâ cauſſâ patibilem, qui omnimodis propter nos ſuſtinuit.

IV. Viduæ non negligantur. Poſt Dominum tu earum curator eſto. Nihil ſine tua voluntate fiat: neque tu quidquam ſine Dei voluntate agas; quod nec facis, cùm ſis conſtans. Crebriùs conventus fiant. Nominatim omnes inquire. Servos & ancillas ne ſuperbè contemnas: ſed nec ipſi inflentur; verùm ad gloriam Dei plus ſerviant, ut potiorem libertatem à Deo conſequantur. Non cupiant à communi donari libertate, ne ſervi inveniantur cupiditatis.

V. Malas artes fuge, imò verò de iis verba ne facito. Sororibus meis dicito, ut Dominum ament, & maritis contentæ ſint carne ac ſpiritu. Similiter & fratribus meis manda, in nomine Jeſu Chriſti, diligant conjuges ſuas, ſicut Dominus Eccleſiam. Si quis poteſt in caſtitate manere, ad honorem carnis Dominicæ, in humilitate maneat. Si glorietur periit. Et ſi ſe majorem Epiſcopo cenſet, interiit. Decet verò ut ſponſi & ſponſæ, de ſententia Epiſcopi conjugium faciant; quò nuptiæ ſint ſecundùm Dominum, & non ſecundùm cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant.

VI. Epiſcopo attendite 5, ut & Deus vobis. Devoveat ego pro iis qui ſubditi ſunt Epiſcopo, Preſbyteris, Diaconis. Atque mihi contingat habere cum illis partem in Deo. Collaborate vobis mutuò, unà certate, unà currite, compatimini, unà dormite, unà exſurgite, ut Dei diſpenſatores, & aſſeſſores, & miniſtri. Placete illi cui militatis, à quo & ſtipendia refertis. Nemo veſtrûm deſertor inveniatur. Baptiſmus veſter maneat, velut arma: fides, ut galea: caritas, ut haſta: patientia, ut tota armatura. Depoſita veſtra, ſint opera veſtra: ut accepta veſtra, digna reportetis. Longanimes igitur eſtote alter ad alterum in manſuetudine, ut & Deus erga vos. Utinam fruar vobis perpetuò.

VII. Quia verò Eccleſia quæ eſt in Antiochia Syriæ, pace, ut relatum eſt mihi, fruitur, per preces 6 veſtras; & ego tranquilliori animo fui in ſecuritate Dei: ſi modò per paſſionem, Deum; aſſequar, ut inveniar in reſurrectione, veſter 7 diſcipulus. Decet, in Deo beatiſſime Polycarpe, concilium cogere Deo decentiſſimum, & eligere aliquem, quem valde carum habeatis, & impigrum, qui poterit divinus Curſor appellari: illumque eo dignari honore, ut profectus in Syriam, glorificet veſtram impigram caritatem in gloriam Chriſti. Chriſtianus, ſui poteſtatem non habet, ſed Deo vacat. Hoc eſt opus Dei & veſtrum, quando ipſum perfeceritis. Credo enim gratiæ, quod parat. ſitis ad beneficentiam Deo congruentem. Cùm itaque ſcirem vehemens veſtrum erga veritatem ſtudium, per breves litteras vos adhortatus ſum.

VIII. Quoniam igitur omnibus Eccleſiis nequivi ſcribere; quòd repentè navigaverim à Troade 8 Neapolim, ut voluntas imperat: ſcribes vicinis Eccleſiis, tamquam qui ſententiæ Dei compos ſis, quò & ipſi idem faciant: qui poſſunt, pedites mittant, alii verò Epiſtolas, per eos, qui à te mittentur, ut glorificeris æterno opere, quemadmodum dignus es. Saluto omnes nominatim; & Epitropi uxorem cum tota domo ſua & liberis. Saluto Attalum mihi carum. Saluto eum qui profectione in Syriam dignus habebitur. Gratia in perpetuum cum illo erit; & cum mittente illum Polycarpo. Opto vos valere ſemper in Deo noſtro Jeſu Chriſto; in quo permaneatis in unitate Dei & viſitatione. Saluto Alcen, deſiderabile mihi nomen. Valete in Domino.

1. *expl.* Id eſt, qui fidem Evangelii profitentur.
2. *expl.* Diverſa vulnera diverſis ſanè remediis curantur.
3. *Aliter.* Ad inflammationes ſedandas infuſionibus utendum eſt. *aliter.* Cataplaſmatibus: quod quidem poteſt etiam intelligi de febre & de refrigerationibus quibus ſedari ſolet.
4. thema. Hoc nomine utuntur Veteres ad ſignificandum & pecuniam & portionem aut ſortem quæ cum fœnore datur & uſura.
5. *expl.* Per hæc verba fideles Smyrnenſes alloquitur, non verò Polycarpum eorum Epiſcopum.
6. *expl. Conſule Annotationem in num. 10. ad Philadelphios Epiſtola.*
7. *Item* Ut unus inveniar diſcipulus. *Expl.* Id eſt, verus Jeſu Chriſti diſcipulus. *Vide ſuperiùs ad Epheſios Epiſt. num. 1.*
8. *expl.* Neapolim Thraciæ: eadem via eſt quam ſanctus Paulus antea tenuerat, *Act. cap. 16. v. 11.*

Digitized by Google

EPISTOLÆ SANCTI POLYCARPI AD PHILIPPENSES

PRÆFATIO.

EXtat Epiſtola hæc ut antiquiſſimum fidei & pietatis Apoſtolicorum temporum monimentum. Eam ad Chriſtianos Philippорum, quæ eſt Urbs Macedoniæ, conſcripſit S. Polycarpus, qui, ut refert S. Irenæus, *lib.* 3. *cap.* 3. & *lib.* 5. *cap.* 19. nonnullos Apoſtolorum ac Diſcipulorum qui Dominum in carne viderant, tunc poſt ipſius Reſurrectionem in Aſia diſperſos, magiſtros habuerat. A S. Joanne Evangeliſta, cujus & diſcipulus erat, Smyrnenſis Eccleſiæ ordinatus fuit Epiſcopus: hac in Urbe, necnon in cæteris hujus portionis Aſiæ partibus, zelum & conſtantiam in Jeſu Chriſti Religione adverſus idololatras & hæreticos propugnandâ patefecit: Romæ præterea, quò propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones, ſub Imperatore Antonino Pio, Eccleſiam in Urbe regente Aniceto, venerat, plurimos Credentium Marcionis, Cerinthiorum & Valentini perſuaſione deceptos, reduxit ad fidem. Zelum hunc ferventiſſimum ſpirat undique Epiſtola hæc, in qua, ut idem S. Irenæus animadvertit, documenta divina admodum, necnon excellentiſſimæ inveniuntur regulæ quæ inoffenſo pede ad æternam ſalutem iter aperiant. In hacce autem Epiſtola potiſſimùm intendit S. Polycarpus, ut Philippорum fidelium in S. Ignatium ac in ejus concaptivos commendet charitatem, utque gratias ille rependat quòd quanquam catenis onuſtos & morti ob Chriſti fidem & nomen addictos ſummo eos honore fuiſſent proſecuti: hinc anſam arripit de eorum fide ac pietate illis congratulandi, illorum excitandi ſtudium atque conſtantiam in perferendis quæ & ipſis imminebant perſecutionibus: Eos hortatur ut in amore veræ perpetuò ſint perſeverantes juſtitiæ; monet inſuper quomodo quiſque gerere ſe debeat in ſingulo quoque vitæ ſtatu, ſingulisque conditionibus quibus à Deo ſunt addicti ac mancipati: Ut autem ipſius documentis obtemperent faciliùs, ſcripturarum divinarum utitur teſtimoniis, præſertim verò B. Pauli Epiſtolarum adducit teſtimonia, ſed nominatim eam ipſam citat Epiſtolam quam idem Apoſtolus ad eos conſcripſerat: Eos incitat ut quàm humaniter ac indulgenter cum uno ex eorum Preſbyteris agant, qui Valens vocabatur, & cum ipſius conjuge, qui ſimul ob crimen quoddam avaritiæ à communione Philippenſium abſcindi juſſerant. Finem poſtremò ſuæ imponit Epiſtolæ, annuncians ſe eis omnes S. Ignatii quas poſtulaverant per Valentem, hujus delatorem, Epiſtolas mittere; rogat ut cum ſimul & ſororem ejus benignè excipiant, ac de ipſo Ignatio & de his qui cum illo erant, de Rufo ſcilicet & Zozimo, ſi quid certiùs agnoſcere potuerint, certiorem eum faciant.

Perſpicuè liquet hancce conſcriptam fuiſſe Epiſtolam poſt S. Ignatii conſummationem martyrii, ſub Trajani perſecutione, quod quidem, juxta Euſebium, *lib* 3. *cap.* 30. S. Martyr ſuſtinuit anno 107. vel 108. Æræ vulgaris; Ea eſt dictione ſimplex, ait Photius, *Cod.* 126. ſed in hoc potiùs accedit ad inelaboratam Apoſtolorum temporum dicendi formam. Euſebius *lib.* 4. *hiſtor. cap.* 13. Epiſtolam

hanc dicit ſuâ ætate quamplurimùm inter fideles diſſeminatam, in eaque primam B. Petri Epiſtolam citatam eſſe: ſanctus quoque Hieronymus, Catalog. *num.* 17. *pag.* 108. *tom.* 4. aſſerit Epiſtolam hanc S. Polycarpi, cujus lectio valde utilis eſt, uſque hodiè in Aſiæ Conventu legi ſolere. S. Irenæus in Epiſtola ad Florinum, cujus Euſebius, *lib.* 5. *cap.* 19. fragmentum refert, dicit S. Polycarpum plures ſcripſiſſe Epiſtolas, tum ad vicinas Eccleſias, tum ad quoſdam ex fidelibus; ſed ad nos uſque non pervenerunt.

P*OLYCARPUS, & qui cum eo Preſbyteri, Eccleſiæ Dei quæ habitat Philippis* [1]; *miſericordia vobis & pax* [2] *à Deo omnipotente, & Domino Jeſu Chriſto Salvatore noſtro multiplicetur.*

I. Magnopere gratulatus ſum vobis, in Domino noſtro Jeſu Chriſto; quòd veræ caritatis ſimulacra [3] ſuſcepiſtis; & quòd, prout decuit vos, deduxiſtis [4] implicatos [5] vinculis quæ conveniunt ſanctis, quæque diademata [6] ſunt eorum qui verè ſunt à Deo & à Domino noſtro electi; & quòd firma fidei veſtræ radix ab antiquis temporibus nnonciata, uſque adhuc permanet, ac fructum affert in Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui ſuſtinuit pro peccatis noſtris uſque ad mortem devenire: *Quem reſuſcitavit Deus, ſolutis doloribus inferni; In quem non videntes, creditis; credentes autem exſultatis lætitiâ inenarrabili & glorificatâ* [7]; in quam multi deſiderant introire; ſcientes quod *gratiâ eſtis ſalvati, non ex operibus*, ſed voluntate Dei, per Jeſum Chriſtum.

II. *Propter quod ſuccincti lumbos, ſervite Deo in timore* & veritate; relinquentes inane vaniloquium, & plurimorum errorem; credentes in eum, *qui ſuſcitavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum a mortuis, & dedit ei gloriam*, ac ſedem ad dexteram ſuam: cui ſubjecta ſunt omnia cœleſtia & terreſtria: cui omnis ſpiritus ſervit: qui venit judex vivorum & mortuorum: cujus ſanguinem requiret Deus ab iis qui non credunt in illum. Is verò qui ſuſcitavit ipſum à mortuis; & nos ſuſcitabit, ſi fecerimus ipſius voluntatem, & ambulaverimus in mandatis ejus, atque dilexerimus ea quæ dilexit: abſtinentes ab omni injuſtitia, fraudatione, [8] avaritia, obtrectatione, falſo teſtimonio: *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*, nec pugnum pro pugno, nec imprecationem pro imprecatione: memores autem eorum quæ dixit Dominus docens; *Nolite judicare, ne judicemini; dimittite, & dimittetur vobis*: miſeremini, ut miſericordiam conſequamini. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Et *Beati pauperes; & qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum Dei.*

III. Hæc, fratres, non quòd mihi arrogem [9], ſcribo vobis de juſtitia: ſed quia vos provocaſtis me. Neque enim ego, neque alius mei ſimilis, aſſequi poteſt beati & glorioſi Pauli ſapientiam: qui cùm eſſet apud vos in conſpectu hominum qui tunc vivebant [10] perfectè ac firmiter docuit verbum veritatis: qui & abſens vobis ſcripſit Epiſtolas [11]; in quas ſi intueamini ædificari poteritis in fide quæ data eſt vobis, quæ eſt mater omnium noſtrûm, ſubſequente ſpe, præcedente caritate in Deum, in Chriſtum, & in proximum. Si quis enim intra hæc fuerit, mandatum juſtitiæ implevit. Nam qui habet caritatem, longè eſt ab omni peccato [12].

IV. Principium autem omnium malorum eſt habendi cupiditas [13]. Scientes ergo quòd *nihil intulimus in hunc mundum*, ſed *nec auferre quid* valemus; armemur armis juſtitiæ; & doceamus nos ipſos primùm, ambulare in mandato [14] Domini: deinde & veſtras uxores; in ſibi traditâ fide & caritate & caſtitate; amantes viros ſuos in omni veritate, ac diligentes cunctos æqualiter in omni continentia; & erudire filios ſuos in diſciplina timoris Dei: tum viduas; circa fidem Domini prudentes, interpellantes ſine intermiſſione pro omnibus, longè recedentes ab omni calumnia, detractione, falſo teſtimonio, avaritia, & omni malo, cognoſcentes quòd altaria Dei ſunt, & quòd ille omnia noſtra conſpicit, ac nihil eum latet, neque ratiociniorum, neque cogitationum, nec quidquam occultorum cordis.

V. Scientes ergo quòd *Deus non irridetur*; debemus dignè mandato ejus ac voluntate ambulare. Similiter Diaconi, in conſpectu juſtitiæ ejus inculpati eſſe debent; ſicut miniſtri Dei & Chriſti, non autem hominum: non calumniatores, non bilingues [15], nec avari; verùm continentes in omnibus [16], miſericordes, ſeduli [17], incedentes juxta veritatem Domini, qui factus eſt omnium miniſter: cui ſi in hoc ſæculo placuerimus, recipiemus & futurum; quemadmodum pollicitus eſt nobis quòd reſuſcitabit nos à mortuis, & quòd ſi dignè ipſo converſemur, etiam cum eo regnabimus, ſiquidem credimus. Simili modo & juvenes in omnibus inculpabiles ſint, ante omnia caſtitati conſulentes [18], ac ſe ab omni malo refrenantes [19]. Bonum quippe eſt ſeparari à *deſideriis* in mundo. Quia omnis cupiditas *militat adverſus* ſpiritum: & *neque fornicarii, neque molles, neque maſculorum concubitores* [20] *regnum Dei poſſidebunt*, neque qui abſona [21] faciunt. Quare oportet ab his omnibus abſtinere, ſubjici autem Preſbyteris & Diaconis, tamquam Deo & Chriſto: Virgines verò, oportet in immaculata & caſta conſcientia vivere.

VI. Et Preſbyteri ſint ad commiſerationem proni [22];

1. *expl.* Urbs prima Macedoniæ, cujus fidelibus fidem Jeſu Chriſti, & quidem non ſine magno progreſſu, prædicaverat. Ii in penuria quam paſſus fuerat, abundanter ei neceſſaria tribuerant, de quibus in Epiſtola ad eos ſcripta grates rependit plurimas.

2. *expl.* Iſtâ uſi ſunt communi ſalutatione Apoſtoli omnes, præſertim verò B. Paulus, in ſuis quiſque Epiſtolis.

3. *litt.* Perfectæ charitatis imagines. *Expl.* id eſt, homines charitate repleti, officioſi, eos poſtea deſignat, nempe S. Ignatium ejuſque ſocios catenis implexos & onoſ os, qui ad martyrium ob Chriſti fidem trahebantur. S. Ignatius in ſua ad Epheſios Epiſtola ex Syria dicit ſe profectum fuiſſe vinculis ligatum ut Romam beſtiis objiciendus duceretur.

4. *alter.* Officii cauſâ reduxiſtis, *vel*, comitati eſtis: Cùm Smyrnâ profectus fuiſſet & Neapoli trajeciſſet, Philippos terrâ pervenit, ut inde Dyrrachium ſuper mare Adriaticum ſitum navem conſcenderet.

5. *litt.* Sicut decet ſanctos & fideles. *Expl.* Id eſt, non ſane propter eorum ſcelera, ſed quia nomen & fidem Jeſu Chriſti profitentur.

6. *litt.* Quibus inſigniti ſunt qui, &c.

7. *expl.* Propter hujus loci & quorumdam ſequentium ex 1. Beati Petri citationem Epiſtolæ, Euſebius *lib.* 4. *hiſtor. cap.* 13. *verſ. fin.* S. Ignatium aſſeveravit illius B. Petri Epiſtolæ uſum fuiſſe autoritate.

8. *expl.* Id eſt, iis omnibus abſtinentes quæ concupiſcentiam nutriunt ac fovent.

9. *Alter.* Nec meâ nixus autoritate.

10. *expl.* Hiſce verbis Epiſtola hæc ſcripta ſupponitur longè poſt B. Pauli Apoſtoli glorificationem.

11. *expl.* B. Paulus Apoſtolus plures forſitan ad Philippenſes conſcripſit Epiſtolas, ſed unicam novimus ſcriptam verùs annum 62. Jeſu Chriſti, anno ab ipſius morte 29. Alii ſentiunt S. Polycarpum eo loci promiſcuè Epiſtolas comprehendere B. Pauli ad Theſſalonicenſes eorum vicinos, quas forſan legerant.

12. *expl.* Si quis veſtrum mandatum Dei ſecundùm cordis plenitudinem ſervaverit, habeatque charitatem, longè eſt ab omni peccato.

13. *litt.* Avaritia autem.

14. *litt.* Mandatis, &c.

15. *litt.* Nec maledici.

16. *litt.* Ad omnia toleranda accincti & expediti.

17. *litt.* Charitate inflammati.

18. *litt.* Ut nihil per ignorantiam agant.

19. *litt.* Ab omni malo abſtinentes.

20. *Alter.* Neque abominabiles.

21. *litt.* illicita. *Alter.* prohibita.

22. *litt.* Simplices. *Alter*, Non fictè, ſed ſincerè.

miſericordes ; erga cunctos ; aberrantia reducentes ; viſitantes infirmos omnes ; non negligentes viduam, aut pupillum, aut pauperem : ſed ſemper *providentes bonum coram Deo & hominibus* ; abſtinentea ab omni ira, acceptione perſonarum, judicio injuſto ; longè recedentes ab omni avaritia ; non citò credentes 1 adverſùs aliquem ; non ſeveri nimiùm in judicio 2, qui ſciant nos omnes debitores eſſe peccati 3. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat ; debemus & nos dimittere. Nam coram Domini ac Dei oculis ſumus, & *omnes oportet ſtare ante tribunal Chriſti*, & *unumquemque pro ſe rationem reddere*. Sic itaque ſerviamus illi cum timore & omni reverentia ; quemadmodum ipſe præcepit ; & qui nobis Evangelium annunciarunt, Apoſtoli ; quique Domini noſtri adventum præſignificarunt, Prophetæ : bonum æmulantes ; abſtinentes à ſcandalis, & à falſis fratribus, atque ab iis qui in hypocriſi nomen Domini ferunt, qui vanos homines in errorem induxunt.

VII. *Omnis* enim *qui non confeſſus fuerit Jeſum Chriſtum in carne veniſſe* ; *Antichriſtus eſt* : & qui non confeſſus fuerit martyrium crucis ; ex Diabolo eſt : & qui eloquia Domini traduxerit ad deſideria ſua, dixeritque neque reſurrectionem neque judicium eſſe ; hic primogenitus eſt Satanæ 4. Quocirca derelictâ plerorumque vanitate falſiſque doctrinis, ad traditum nobis ab initio ſermonem revertamur, *vigilantes in orationibus*, & perſeverantes in jejuniis 5 ; precibus rogantes omnium conſpectorem 6 Deum, *ne nos inducat in tentationem* ; ſicut dixit Dominus ; *Spiritus quidem promptus eſt* ; *caro autem infirma*.

VIII. Indeſinenter ergo perſeveremus in ſpe noſtra, & pignore juſtitiæ noſtræ ; quod eſt Chriſtus Jeſus ; *qui pertulit noſtra peccata in corpore ſuo ſuper lignum* ; *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* ; ſed propter nos, ut in ipſo vivamus, omnia ſuſtinuit. Imitatores igitur ſimus patientiæ ipſius, & ſi patiamur propter nomen ejus, gloriâ illum afficimus. Hoc quippe exemplum nobis poſuit in ſeipſo : ac nos id credidimus.

IX. Rogo itaque vos omnes, ut obediatis verbo juſtitiæ, & omnem patientiam exerceatis, quam oculis ipſis vidiſtis : non modò in beatis Ignatio 7 & Zoſimo & Rufo 8 : ſed etiam in aliis qui ex vobis, ac in ipſo Paulo, cæteriſque Apoſtolis : perſuaſi, quòd hi omnes in vacuum non cucurrerunt, ſed in fide ac juſtitia ; & quòd in debito ſibi loco ſint apud Dominum, cum quo & paſſi ſunt. Non enim præſens ſæculum dilexerunt ; ſed eum qui pro nobis mortuus eſt, ac propter nos 9 à (Deo eſt reſſuſcitatus.)

X. In his ergo ſtate, & Domini exemplar ſequimini ; firmi in fide & immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes invicem, in veritate ſociati, manſuetudinem Domini alterutri præſtantes, nullum deſpicientes. Cùm poteſtis benefacere, nolite differre ; quia *eleemoſyna de morte liberat*. Omnes vobis invicem ſubjecti eſtote ; *converſationem veſtram irreprehenſibilem habentes in gentibus* ; ut ex bonis operibus veſtris & vos laudem accipiatis, & Dominus in vobis non blaſphemetur. *Væ autem illi, per quem nomen Domini blaſphematur*. Sobrietatem ergo docete omnes ; in qua & vos converſamini.

XI. Nimis contriſtatus ſum pro Valente, qui Preſbyter factus eſt aliquando apud vos ; quòd ſic ignoret is locum, qui datus eſt 10 ei. Moneo itaque vos ut abſtineatis ab avaritia, & ſitis caſti, & veraces. *Abſtinete vos ab omni malo*. Qui autem in his non poteſt ſe gubernare, quo modo alii pronunciat hoc ? Si quis non abſtinuerit ſe ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur ; & tamquam inter gentes judicabitur. Qui autem ignorant judicium Domini ? *An neſcimus, quia ſancti mundum judicabunt ?* ſicut Paulus docet. Ego autem nihil tale ſenſi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit beatus Paulus ; qui eſtis in principio Epiſtolæ ejus. De vobis & enim gloriatur in omnibus Eccleſiis, quæ Deum ſolæ tunc cognoverant : nos autem 11 nondum noveramus. Valde ergo, fratres, contriſtor pro illo & 12 pro conjuge ejus : quibus det Dominus pœnitentiam veram 13. Sobrii ergo eſtote & vos in hoc ; & non ſicut inimicos tales exiſtimetis, ſed ſicut paſſibilia membra & errantia eos revocate ut omnium veſtrûm corpus 14 ſalvetis. Hoc enim agentes, vos ipſos ædificatis.

XII. Confido enim vos bene exercitatos eſſe in ſacris litteris ; & nihil vos latet, mihi autem non eſt conceſſum modo. Ut his ſcripturis dictum eſt ; *Iraſcimini & nolite peccare*. Et ; *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Beatus qui meminerit : quod ego credo eſſe in vobis 15. Deus autem & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ; & ipſe ſempiternus Pontifex, Dei Filius, Chriſtus Jeſus, ædificet vos in fide & veritate, & in omni manſuetudine, & ſine iracundia, & in patientia & longanimitate & tolerantia, & caſtitate ; & det vobis ſortem & partem inter ſanctos ſuos, & nobis vobiſcum, & omnibus qui ſunt ſub cœlo, qui credituri ſunt in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in ipſius Patrem, *qui reſſuſcitavit eum à mortuis*. Pro omnibus ſanctis orate. Orate etiam pro Regibus & poteſtatibus & Principibus, atque pro perſequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis ; ut fructus veſter manifeſtus ſit in omnibus ; ut ſitis in illo perfecti.

XIII. Scripſiſtis mihi & vos & Ignatius, ut ſi quis vadit ad Syriam, deferat litteras meas, quas fecero ad vos, ſi habuerimus tempus opportunum 16, ſive ego, ſeu legatus quem miſero pro vobis. Epiſtolas ſanè Ignatii, quæ tranſmiſſæ ſunt vobis ab eo, & alias quantaſcumque apud nos 17 habuimus, tranſmiſimus vobis, ſecundùm quod mandaſtis : quæ ſunt ſubjectæ 18 huic Epiſtolæ : ex quibus magnus vobis erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum noſtrum pertinentem 19. Et de ipſo Ignatio, & de his qui cum eo ſunt 20, quod certiùs agnoveritis, ſignificate.

1. *litt.* Nec eorum animus adverſus ullum occupetur.
2. *litt.* Nullam in reddenda juſtitia colluſionem adhibeant.
3. *alter.* Scientes pœnæ meritæ nos per peccatum eſſe obnoxios.
4. *litt.* Primogenitus. *Alter*, filius primogenitus : ſic Marcionem appellabat Vide S. Irenæum *lib.* 3. *cap.* 3. *ab Euſebio laudatum lib.* 4. *cap.* 14.
5. *alter.* Sobrii ſimus, noctes in orationibus pervigilantes.
6. *alter.* Qui noſtris invigilat neceſſitatibus.
7. *expl.* Patet per ea quæ ſequuntur vitam Martyrio conſummaſſe circa annum decimum Imperii Trajani, an 107. *Ætæ vulgar'is.*
8. *expl.* Hi duo ſancti ortu erant Philippenſes, & ſub eodem Trajani Imperatoris paſſi ſunt perſecutione. Locus hic Epiſtolæ S. Polycarpi ab Euſebio refertur, *lib.* 3. *hiſtor. cap.* 30. *verſus fin. aliàs* 36.
9 *expl.* Verba hujus Epiſtolæ præcedentia è Græco Exemplari in Latinum verſa ſunt, quæ Epiſtola hucuſque pervenit : reliqua verò ex antiqua excerpta ſunt verſione latina quæ non minori pollet autoritate.
10 *litt.* Quod locum ei conceſſum ignoret. *Expl.* caſtigationem debitam Ex ſequentibus liquet hunc Preſbyterum dignitate ſacerdotali depulſum ob crimen avaritiæ, aliaque facinora, quorum quidam Philippenſium fuerant conſcii, *vide inferius*, peroptat ut ipſe eique conjux pœnitentiam agant.
11 *expl.* Id eſt, fideles Smyrnæ, quæ eſt Urbs Ioniæ Aſiæ minoris Provinciæ.
12. *Vide Annotationem, ſuprà.*
13. *expl.* Id eſt, ut participes fiant pœnitentiæ veſtræ, aut pœnitentiæ quam pro ipſis agit Eccleſia, vel pœnitentiæ ipſis impoſitæ Interpretatio hæc ultima verbis ſequentibus meliùs congruit.
14. *expl.* S. Polycarpus ſe præbet hic imitatorem B. Pauli erga inceſtum Corinthi charitatis. *Vide* 2. *Corint. cap.* 2. *v.* 5. *& ſeq.*
15 *expl.* Id eſt, quæ virtutem exercebit quam, ut opinor, omnes colitis, quique eâdem fide ac eâ quam in vobis ſuppono, ſunt præditi.
16. *alter.* Occaſionem.
17. *expl.* Vide Euſebium, *lib.* 3 *hiſtor. cap.* 30. *verſus fin.* & Nicephorum, *lib.* 3. *cap.* 19 eumdem locum referentes. Aiunt verò tunt : Ignatii Epiſtolas ad me ſcriptas vel miſſas, aliaſque omnes quas præ manibus habebam : ſic vertit Euſebius
18 *expl.* De duabus procul dubio loquitur S. Ignatii Epiſtolis, quarum una ipſimet ſcripta, alia verò Eccleſiæ Smyrnenſi
19. *Expl.* Hæc verba ab Euſebio referuntur, *lib.* 3. *hiſtor. cap.* 30. *in fine.*
20 *expl.* Non eſt ex his verbis inferendum quod S. Ignatius tunc adhuc temporis viveret, nec ii quos hic commemorat, *qui cum eo ſunt*, *aut qui fuerunt*. Græc. τῶν μετ᾽ αὐτοῦ, ſed quod S. Polycarpus certior fieri exoptaret de quibuſdam eorum vitæ geſtis illuſtribus. Hi ſancti Martyres Romam martyrii conſummandi causâ petentes, Philippos ante venerant quàm Smyrnam advenirent, ubi eos exceperat S. Polycarpus, ut S. Ignatius in ſua ad Epheſios Epiſtola, *num.* 5. & 21. innuunt.

XIV. Hæc vobis ſcripſi per Creſcentem 1, quem in præſenti commendavi vobis, & nunc commendo. Converſatus eſt enim nobiſcum inculpabiliter: credo quia & vobiſcum ſimiliter. Sororem autem ejus habebitis commendatam, cùm venerit ad vos. Incolumes eſtote in Domino Jeſu Chriſto, in gratia cum omnibus veſtris. Amen.

1. *expl.* Eumdem fortaſſe de quo mentionem facit B. Paulus, 2. *Timoth. cap.* 4. v. 10.

DECRETUM CONCILII TRIDENTINI IN LIBROS CANONICOS.

SESSIO QUARTA.

SACROSANCTA Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuò antè oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur.

Et infra.

Sacrorum verò librorum Indicem huic Decreto adſcribendum ſenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt verò infraſcripti.

Teſtamenti veteris.

Quinque Moyſi, id eſt Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Joſue; Judicum; Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Nehemias: Tobias; Judith; Eſther; Job: Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum: Parabolæ: Eccleſiaſtes: Canticum Canticorum: Sapientia: Eccleſiaſticus: Iſaïas; Jeremias cum Baruch; Ezechiel; Daniel: Duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus & ſecundus.

Teſtamenti novi.

Quatuor Evangelia, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem: Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti: Quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli: Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ: Joannis Apoſtoli tres: Jacobi Apoſtoli una: Judæ Apoſtoli una; & Apocalypſis Joannis Apoſtoli. Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contemſerit, anathema ſit.

PROLOGUS SANCTI HIERONYMI.

VIGINTI & duas litteras eſſe apud Hebræos, Syrorum quoque & Chaldæorum lingua teſtatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis eſt. Nam & ipſi viginti duo elementa habent eodem ſono, ſed diverſis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moſi totidem litteris ſcriptitant, figuris tantùm & apicibus diſcrepantes. Certumque eſt Eſdram ſcribam, legiſque doctorem, poſt captam Jeroſolymam & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, alias litteras repperiſſe quibus nunc utimur: cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum caracteres fuerint. In libro quoque Numerorum hæc eadem ſupputatio, ſub Levitarum ac ſacerdotum cenſu, myſticè oſtenditur. Et nomen Domini tetragrammaton in quibuſdam Græcis voluminibus, uſque hodie antiquis expreſſum litteris invenimus. Sed & Pſalmi, triceſimus ſextus, & centeſimus decimus, & centeſimus undecimus, & centeſimus octavus decimus, & centeſimus quadrageſimus quartus, quanquam diverſo ſcribantur metro, tamen ejuſdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes, & oratio ejus: Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait, *Mulierem fortem*

Digitized by Google

quis inveniet? iiſdem alphabetis vel inciſionibus ſupputantur. Portò quinque litteræ duplices apud Hebræos ſunt, Caph, Mem, Nun, Pe, Sade: aliter enim per has ſcribunt principia medietateſque verborum, aliter fines. Unde & quinque à pleriſque libri duplices æſtimantur, Samuel, Melachim, Dibre-haiamim, Eſdras, Jeremias cum Cinoth, id eſt, Lamentationibus ſuis. Quomodo igitur viginti duo elementa ſunt, per quæ ſcribimus Hebraicè omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina ſupputantur, quibus quaſi litteris & exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc & lactens viri juſti eruditur infantia.

Primus apud eos liber, vocatur בראשית *Bereſith*: quem nos *Geneſim* dicimus,

Secundus, ואלה שמות *Veelle ſemoth*: qui *Exodus* appellatur.

Tertius, ויקרא *Vaicra* id eſt, *Leviticus*.

Quartus, וידבר *Vaiedabber*, quem *Numeros* vocamus.

Quintus, אלה הדברים *Elle addebarim*, qui *Deuteronomium* prænotatur.

Hi ſunt quinque libri Moſi, quos propriè תורה *Thora*, id eſt, Legem appellant.

Secundùm, Prophetarum ordinem faciunt: & incipiunt ab Jeſu filio Nave: quia apud eos יהושע בן נון *Joſue ben Nun* dicitur.

Deinde ſubtexunt שופטים *Sophetim*, id eſt, Judicum librum. Et in eumdem compingunt Ruth: quia in diebus Judicum facta narratur hiſtoria.

Tertius ſequitur שמואל *Samuel*, quem nos Regum primum & ſecundum dicimus.

Quartus, מלכים *Melachim*, id eſt, *Regum*, qui tertio & quarto Regum volumine continetur.

Meliuſque multò eſt, מלכים *Melachim*, id eſt, Regum, quàm ממלכות *Mamlachot*, id eſt Regnorum dicere. Non enim multarum gentium regna deſcribit, ſed unius Iſraëlitici populi qui tribubus duodecim continetur.

Quintus, ישעיה Iſaias.

Sextus, ירמיה Jeremias.

Septimus, יחזקאל Jezeciel.

Octavus, liber *duodecim Prophetarum*: qui apud illos vocatur תרי עשר *There aſar*.

Tertius ordo, Hagiographa poſſidet.

Et primus liber incipit ab איוב Job.

Secundus à דוד *David*; quem quinque inciſionibus & uno Pſalmorum volumine comprehendunt.

Tertius eſt, שלמה *Salomon*, tres libros habens: *Proverbia*, quæ illi, Parabolas, id eſt, משלי *Miſle* appellant:

Eccleſiaſten, id eſt, קהלת *Coëleth*.

Canticum Canticorum, quem titulo שיר השירים *Sir haſſirim* prænotant.

Sextus, eſt דניאל *Daniel*.

Septimus, דברי הימים *Dibre aïamim*, id eſt, *Verba dierum*: quod ſignificantiùs, Chronicon totius divinæ hiſtoriæ poſſumus appellare: qui liber apud nos Paralipomenon primus & ſecundus inſcribitur.

Octavus, עזרא *Ezdras*: qui & ipſe ſimiliter apud Græcos & Latinos, in duos libros diviſus eſt.

Nonus, אסתר *Eſther*

Atque ita fiunt pariter Veteris legis libri viginti duo: id eſt, Moſi quinque: Prophetarum octo: Hagiographorum novem. Quamquam nonnulli רות וקינות *Ruth & Cinoth*, inter Hagiographa ſcriptitent, & libros hos in ſuo putent numero ſupputandos: ac per hoc eſſe priſcæ legis libros vigintiquatuor ſeniorum Apocalypſis Joannis inducit adorantes Agnum, & coronas ſuas proſtratis vultibus offerentes, ſtantibus coram quatuor animalibus oculatis & retrò, & antè, id eſt in præteritum & in futurum reſpicientibus, & indefeſſâ voce clamantibus, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

Hic prologus, Scripturarum quaſi galeatum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire poteſt: ut ſcire valeamus quidquid extra hoc eſt, inter apocrypha eſſe ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & Jeſu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Paſtor, non ſunt in canone, Machabæorum primum librum, Hebraicum reperi. Secundus, Græcus eſt: quod ex ipſa quoque phraſi probari poteſt. Quæ cùm ita ſe habeant, obſecro te, Lector, ne laborem meum, reprehenſionem exiſtimes antiquorum. In templo Dei offert unuſquiſque quod poteſt: alii aurum & argentum, & lapides pretioſos: alii byſſum & purpuram & coccum offerunt & hyacinthum: nobiſcum benè agitur, ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apoſtolus contemptibiliora noſtra magis neceſſaria judicat. Unde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per ſingulas ſpecies, Eccleſiæ præſentis futuræque diſtinctio, pellibus tegitur & ciliciis, ardoremque ſolis & injuriam imbrium ea quæ viliora ſunt prohibent. Lege ergo primum, Samuel, & Melachim meum: meum, inquam, meum. Quidquid enim crebriùs vertendo, & emendando ſollicitiùs & didicimus & tenemus, noſtrum eſt. Et cum intellexeris quod anteà neſciebas, vel interpretem me æſtimato, ſi gratus es; vel Paraphraſten, ſi ingratus, quamquam mihi omninò conſcius non ſim, mutaſſe me quidpiam de Hebraica veritate. Certè ſi incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum his opuſculis quæ nuper emendavimus: & ubicumque diſcrepare inter ſe videris, interroga quemlibet Hebræorum cui magis accommodare debeas fidem: & ſi noſtra firmaverit, puto quòd eum non æſtimes conjectorem, ut in eodem loco mecum ſimiliter divinarit.

Sed & vos famulas Chriſti rogo (quæ Domini diſcumbentis pretioſiſſima fidei myrrha ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in ſepulchro, quibus jam ad Patrem Chriſtus aſcendit) ut contra latrantes canes, qui adverſum me rabido ore deſæviunt, & circumeunt civitatem, atque in eo ſe doctos arbitrantur, ſi aliis detrahant, orationum veſtrarum clypeos opponatis. Ego ſciens humilitatem meam, illius ſemper ſententiæ recordabor: *Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator adverſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.*

Digitized by Google

EPISTOLA SANCTI HIERONYMI AD PAULINUM.

In qua ſanctus ille ad ſtudium ſacræ Scripturæ eum adhortatur, Librorumque Veteris novique Teſtamenti cenſum in compendium redigit.

I. FRATER Ambroſius tua mihi munuſcula perferens, detulit ſimul & ſuaviſſimas literas, quæ à principio amicitiarum, fidem probatæ jam fidei, & veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa neceſſitudo eſt, & Chriſti glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris non præſentia tantùm corporum, non ſubdola & palpans adulatio: ſed Dei timor, & Divinarum Scripturarum ſtudia conciliant.

II. Legimus in veteribus hiſtoriis quoſdam luſtraſſe provincias, novos adiſſe populos, maria tranſiſſe: ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates: ſic Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragravit: ut qui Athenis magiſter erat, & potens, cujuſque doctrinam Academiæ gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atque diſcipulus: malens aliena verecundè diſcere, quàm ſua impudenter ingerere. Denique dum literas quaſi toto fugientes orbe perſequitur, captus à piratis & venumdatus, etiam tyranno crudeliſſimo paruit, captivus, vinctus & ſervus; tamen quia philoſophus, major emente ſe fuit.

III. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandumque miraculum, ut, urbem tantam ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.

IV. Apollonius (ſive ille magus, ut vulgus loquitur, ſive philoſophus, ut Pythagorici tradunt) intravit Perſas, pertranſivit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ regna penetravit: & ad extremum, latiſſimo Phiſon amne tranſmiſſo, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos, de natura, de moribus ſiderum, ac dierum curſu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæſtinos, reverſus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnoſophiſtas, & famoſiſſimam Solis menſam videret in ſabulo. Invenit ille vir ubique quod diſceret; & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret. Scripſit ſuper hoc pleniſſimè octo voluminibus Philoſtratus.

V. Quid loquar de ſæculi hominibus, cùm Apoſtolus Paulus, vas electionis & magiſter Gentium, qui de conſcientia tanti in ſe hoſpitis loquebatur, *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* Poſt Damaſcum Arabiamque luſtratam, aſcenderit Jeroſolymam, ut videret Petrum, & manſerit apud eum diebus quindecim? Hoc enim myſterio hebdomadis, futurus gentium prædicator inſtruendus erat. Rurſumque poſt annos quatuordecim, aſſumpto Barnaba & Tito, expoſuerit Apoſtolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Habet enim neſcio quid latentis energiæ viva vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore tranſfuſa, fortiùs ſonat. Unde & Æſchines cùm Rhodi exſularet, & legeretur illa Demoſthenis oratio, quam adverſus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, ſuſpirans ait, Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam, ſua verba reſonantem?

VI. Hæc non dico, quòd ſit in me aliquid tale, quod vel poſſis à me audire, vel velis diſcere: ſed quòd ardor tuus & diſcendi ſtudium etiam abſque nobis per ſe probari debeat. Ingenium docile, & ſine doctore laudabile eſt. Non quid invenias, ſed quid quæras conſideramus. Mollis cera, & ad formandum facilis, etiam ſi artificis & plaſtæ ceſſent manus: tamen virtute totum eſt quidquid eſſe poteſt. Paulus Apoſtolus ad pedes Gamalielis legem Moyſi & Prophetas didiciſſe ſe gloriatur, ut armatus ſpiritualibus telis, poſteà diceret confidenter, *Arma noſtra militiæ, non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & captivantes omnem intellectum ad obediendum Chriſto, & parati ſubjugare omnem inobedientiam.* Ad Timotheum ſcribit ab infantia ſacris literis eruditum, & hortatur ad ſtudium lectionis, ne negligat gratiam quæ data ſit ei per impoſitionem manus Preſbyterii. Tito præcipit ut inter cæteras virtutes Epiſcopi, quem brevi ſermone depinxit, ſcientiam quoque in eo eligat Scripturarum. *Obtinentem*, inquit, *eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes revincere.* Sancta quippe ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt: & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantùm nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. Malachias Propheta, immò per Malachiam Dominus, *Interroga*, ait, *Sacerdotes legem*: in tantum Sacerdotis officium eſt interrogatum reſpondere de Lege. Et in Deuteronomio legimus, *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; ſeniores tuos; & dicent tibi.* In Pſalmo quoque centeſimo decimo octavo, *Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.*

VII. Et in deſcriptione juſti viri, cùm eum David, arbori vitæ, quæ eſt in paradiſo, compararet, inter cæteras virtutes & hoc intulit. *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Daniel in fine ſacratiſſimæ viſionis, ait, juſtos fulgere ſicut ſtellas, & intelligentes, id eſt, doctos, quaſi firmamentum. Vides quantùm inter ſe diſtent, juſta ruſticitas, & docta juſtitia? Alii ſtellis, alii cœlo comparantur. Quamquam juxta Hebraicam veritatem utrumque de eruditis poſſit intelligi. Ita enim apud eos legimus. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Digitized by Google

VIII. Cur dicitur Paulus Apoſtolus vas electionis? Nempe quia legis & Scripturarum ſanctarum erat armarium. Phariſæi ſtupent in doctrina Domini: & mirantur in Petro & Joanne quomodo legem ſciant, cùm litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere ſolet, illis hoc Spiritus ſanctus ſuggerebat, & erant juxta quod ſcriptum eſt, θεοδίδακτοι. Duodecim annos Salvator impleverat, & in templo ſenes de quæſtionibus legis interrogans, magis docet dum prudenter interrogat.

IX. Niſi fortè ruſticum Petrum, ruſticum dicimus Joannem: quorum uterque dicere poterat, *Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia.* Joannes ruſticus, piſcator, indoctus? & unde illa vox obſecro. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* λόγος enim Græcè multa ſignificat: nam & verbum eſt, & ratio, & ſupputatio, & cauſa uniuſcujuſque rei, per quam ſunt ſingula quæ ſubſiſtunt: quæ univerſa rectè intelligimus in Chriſto. Hoc doctus Plato neſcivit, hoc Demoſthenes eloquens ignoravit. *Perdam*, inquit, *ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Vera ſapientia perdet falſam ſapientiam; & quamquam ſtultitia prædicationis in cruce ſit, tamen Paulus ſapientiam loquitur inter perfectos: ſapientiam autem non ſæculi hujus, nec principum ſæculi iſtius, quæ deſtruitur; ſed loquitur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula. Dei ſapientia, Chriſtus eſt. *Chriſtus enim, Dei virtus, & Dei ſapientia.* Hæc ſapientia in myſterio abſcondita eſt, de qua & noni Pſalmi titulus prænotatur, *Pro occultis filii.* In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Et qui in myſterio abſconditus erat, prædeſtinatus eſt ante ſæcula: prædeſtinatus autem & præfiguratus in Lege & prophetis. Unde & Prophetæ appellabantur Videntes: quia videbant eum, quem cæteri non videbant. *Abraham vidit diem ejus, & lætatus eſt.* Aperiebantur cœli, qui populo peccatori clauſi erant. *Revela*, inquit, David *oculos meos, conſiderabo mirabilia de lege tua.* Lex enim ſpiritualis eſt, & revelatione opus eſt, ut intelligatur, ac revelatâ facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypſi ſeptem ſigillis ſignatus oſtenditur: quem ſi dederis homini ſcienti litteras, ut legat, reſpondebit tibi, non poſſum: ſignatus eſt enim. Quanti hodie putant ſe noſſe litteras, tenent ſignatum librum, nec aperire poſſunt, niſi ille reſeraverit *qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.*

X. In Actibus Apoſtolorum ſanctus Eunuchus, immò vir (ſic enim eum Scriptura cognominat) cùm legeret Iſaiam Prophetam interrogatus à Philippo, *Putaſne intelligis, quæ legis?* Reſpondit, *Quo modo poſſum, niſi aliquis me docuerit?* Ego (ut de de me loquar interim) nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, qui de Æthiopia, id eſt, de extremis mundi finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator legis divinæque ſcientiæ fuit, ut etiam in vehiculo legeret litteras ſacras. Et tamen cùm librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, linguâ volveret, labiis perſonaret, ignorabat eum quem in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus, oſtendit ei Jeſum, qui clauſus latebat in littera. O mira doctoris virtus! eâdem horâ credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis & ſanctus factus eſt; ac magiſter de diſcipulo, plus in deſerto fonte Eccleſiæ, quàm in aurato ſynagogæ templo reperit.

XI. Hæc à me perſtricta ſunt breviter, (neque enim epiſtolaris anguſtia evagari longiùs patiebatur) ut intelligeres te in Scripturis ſacris ſine prævio & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philoſophis, geometris, dialecticis, muſicis, aſtronomis, aſtrologis, medicis; quorum ſcientia mortalibus vel utiliſſima eſt, & in tres partes ſcinditur, τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam λόγῳ quàm manu adminiſtrantur. Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumve cæſores, lanarii quoque, & fullones & cæteri qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſque doctore non poſſunt eſſe quod cupiunt. Quod medicorum eſt, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant. Scribimus indocti doctique poëmata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. Alii adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris Litteris philoſophantur. Alii diſcunt, proh pudor! à feminis, quod viros doceant; & ne parum hoc ſit, quâdam facilitate verborum, imò audaciâ, ediſſerunt aliis quod ipſi non intelligunt. Taceo de meis ſimilibus, qui ſi fortè ad Scripturas ſanctas poſt ſæculares litteras venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint; quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec ſcire dignantur quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint; ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam, Scripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homerocentonas, & Virgiliocentonas: ac non ſic etiam Maronem ſine Chriſto poſſumus dicere Chriſtianum, quia ſcripſerit.

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Et Patrem loquentem ad Filium:

Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus.

Et poſt verba Salvatoris in cruce:

Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat.

Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores: immò, ut cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire quod neſcias.

GENESIS.

XII. Videlicet manifeſtiſſima eſt Geneſis, in qua de natura mundi, de exordio generis humani, de diviſione terræ, de confuſione linguarum & gentium, uſque ad exitum ſcribitur Hebræorum.

EXODUS.

XIII. Patet Exodus cum decem plagis, cum decalogo, cum myſticis diviniſque præceptis.

LEVITICUS.

XIV. In promptu eſt Leviticus liber, in quo ſingula ſacrificia, imò ſingulæ penè ſyllabæ, & veſtes Aaron, & totus ordo Leviticus ſpirant cæleſtia ſacramenta.

NUMERI.

XV. Numeri verò, nonne totius Arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum manſionum myſteria continent.

DEUTERONOMIUM.

XVI. Deuteronomium quoque ſecunda lex, & Evangelicæ legis præfiguratio, nonne ſic ea habet quæ priora ſunt, ut tamen nova ſint omnia de veteribus? Huc uſque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui ſe velle Apoſtolus in Eccleſia gloriatur.

JOB.

XVII. Job exemplar patientiæ, quæ non myſteria ſuo ſermone complectitur? Proſâ incipit, verſu labitur, pedeſtri ſermone finitur: omneſque leges Dialecticæ, propoſitione, aſſumtione, confirmatione, concluſione determinat. Singula in eo verba, plena ſunt ſenſibus. Et, ut de cæteris ſileam, reſurrectionem corporum ſic prophetat, ut nullus de ea vel manifeſtiùs, vel cautiùs ſcripſerit. *Scio*, inquit, *quòd Redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra reſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

JOSUE'

XVIII. Veniam ad Jeſum Nave, qui typus Domini

non

Digitized by Google

non ſolum in geſtis, ſed etiam nomine, tranſiit Jordanem, hoſtium regna ſubvertit, diviſit terram victori populo, & per ſingulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Eccleſiæ, cœleſtiſque Jeruſalem ſpiritualia regna deſcribit.

JUDICES.

XIX. In Judicum libro, quot principes populi, tot figuræ ſunt,

RUTH.

XX. Ruth Moabitis, Iſaïæ explet vaticinium, dicentis, *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion.*

REGES.

XXI. Samuel in Heli mortuo, & in occiſione Saül, veterem legem abolitam monſtrat. Porro in Sadoc atque David, novi ſacerdotii, novique imperii, ſacramenta teſtatur.

Malachim, id eſt Regum tertius & quartus liber, à Salomone uſque ad Jechoniam, & à Jeroboam filio Nabat uſque ad Oſee qui ductus eſt in Aſſyrios, regnum Juda & regnum deſcribit Iſraël. Si hiſtoriam reſpicias, verba ſimplicia ſunt: ſi in litteris ſenſum latentem inſpexeris, Eccleſiæ paucitas, & hæreticorum contra Eccleſiam bella narrantur.

DUODECIM PROPHETÆ MINORES.

XXII. Duodecim Prophetæ in unius voluminis anguſtias coarctati, multo aliud, quàm ſonant in littera præfigurant.

OSEE.

XXIII. Oſee crebrò nominat Ephraim, Samariam, Joſeph, Jezrahel, & uxorem fornicariam, & fornicationis filios, & adulteram cubiculo clauſam mariti, multo tempore ſedere viduam, & ſub veſte lugubri, viri ad ſe reditum præſtolari.

JOEL.

XXIV. Joël filius Phatuel deſcribit terram duodecim tribuum, erucâ, brucho, locuſtâ, rubigine vaſtante corruptam: & poſt everſionem prioris populi, effuſum iri Spiritum ſanctum ſuper ſervos Dei & ancillas, id eſt, ſuper centum viginti credentium nomina, qui effundendus erat in cœnaculo Sion. Qui centum viginti, ab uno uſque ad quindecim paulatim & per incrementa ſurgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Pſalterio myſticè continentur.

AMOS.

XXV. Amos Paſtor, & ruſticus, & ruborum mora diſtringens, paucis verbis explicari non poteſt. Quis enim dignè exprimat tria & quatuor ſcelera Damaſci, Gazæ, & Tyri, & Idumææ, & filiorum Ammon & Moab, & in ſeptimo octavoque gradu Judæ & Iſraël? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ ſunt in monte Samariæ & ruituram domum majorem minoremque teſtatur. Ipſe cernit fictorem locuſtæ, & ſtantem Dominum ſuper murum litum vel adamantinum, & uncinum pomorum attrahentem ſupplicia peccatoribus, & famem in terram; non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.

ABDIAS.

XXVI. Abdias, qui interpretatur *ſervus Dei*, perſonat contra Edom ſanguineum, terrenumque hominem: fratris quoque Jacob ſemper æmulum, haſtâ percutit ſpirituali.

JONAS.

XXVII. Jonas columba pulcherrima, naufragio ſuo paſſionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat: & ſub nomine Ninive, ſalutem Gentibus nuntiat.

MICHÆAS.

XXVIII. Michæas de Moraſthi cohæres Chriſti, vaſtationem annuntiat filiæ latronis, & obſidionem ponit contra eam; quia maxillam percoſſerit judicis Iſraël.

NAHUM.

XXIX. Nahum conſolator orbis increpat civitatem ſanguinum, & poſt everſionem illius loquitur: *Ecce ſuper montes pedes Evangelizantis, & annuntiantis pacem.*

HABACUC.

XXX. Habacuc luctator fortis & rigidus, ſtat ſuper cuſtodiam ſuam, & figit gradum ſuper munitionem, ut Chriſtum in cruce contempletur, & dicat: *Operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena eſt terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.*

SOPHONIAS.

XXXI. Sophonias ſpeculator, & arcanorum Domini cognitor, audit clamorem à Porta piſcium, & ejulatum a Secunda, & contritionem à collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, diſperierunt univerſi qui involuti erant argento.

AGGÆUS.

XXXII. Aggæus feſtivus & lætus, qui ſeminavit in lacrimis, ut in gaudio meteret; deſtructum templum reædificat, Dominumque patrem inducit loquentem: *Adhuc unum modicum, & ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus.*

ZACHARIAS.

XXXIII. Zacharias memor Domini ſui, multiplex in prophetia, Jeſum veſtibus ſordidis indutum, & lapidem oculorum ſeptem: candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis; duas quoque olivas à ſiniſtris lampadis cernit & dextris: ut poſt equos varios, ruſos, nigros & albos, & diſſipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Jeruſalem, pauperem Regem vaticinetur & prædicet ſedentem ſuper pullum filium aſinæ ſubjugalis.

MALACHIAS.

XXXIV. Malachias apertè, & in fine omnium Prophetarum, de abjectione Iſraël, & vocatione Gentium, *Non eſt mihi*, ait, *voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

ISAIAS.

XXXV. Iſaïam, Jeremiam, Ezechielem, & Danielem, quis poteſt vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non Prophetiam mihi videtur texere, ſed Evangelium.

JEREMIAS.

XXXVI. Secundus virgam nuceam, & ollam ſuccenſam à facie aquilonis, & pardum ſpoliatum ſuis coloribus, & quadruplex diverſis metris nectit alphabetum.

EZECHIEL.

XXXVII. Tertius principia & finem tantis habet obſcuritatibus involuta, ut apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos ante annos triginta non legantur.

DANIEL.

XXXVIII. Quartus verò, qui & extremus inter quatuor Prophetas, temporum conſcius, & totius mundi Philoſtorus, lapidem præciſum de monte ſine manibus, & regna omnia ſubvertentem, claro ſermone pronunciat.

Digitized by Google

Psalmi.

XXXIX. David Simonides noſter, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, & Serenus, Chriſtum lyra perſonat, & in decachordo pſalterio, ab inferis ſuſcitat reſurgentem.

Proverbia. Ecclesiastes. Canticum. Sapientia.

XL. Salomon pacificus & amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Eccleſiam jungit & Chriſtum, ſanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

Esther.

XLI. Eſther in Eccleſiæ typo, populum liberat de periculo; & interfecto Aman, qui interpretatur *iniquitas*, partes convivii, & diem celebrem mittit in poſteros.

Paralipomenon.

XLII. Paralipomenon liber, id eſt inſtrumenti veteris ἐπιτομὴ, tantus ac talis eſt ut abſque illo ſi quis ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina juncturaſque verborum, & prætermiſſæ in Regum libris tanguntur hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Evangelii quæſtiones.

Esdras I. & II.

XLIII. Ezras & Nehemias *adjutor* videlicet, & *conſolator* à Domino, in unum volumen, coarctantur, inſtaurant templum, muros extruunt civitatis: omniſque illa turba populi redeuntis in patriam, & deſcriptio Sacerdotum, Levitarum, Iſraëlis, proſelytorum, ac per ſingulas familias, murorum ac turrium opera diviſa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla.

XLIV. Cernis me Scripturarum amore raptum, exceſſiſſe modum epiſtolæ, & tamen non impleſſe quod volui. Audivimus tantùm, quid noſſe, quid cupere debeamus, ut & nos quoque poſſimus dicere: *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore.* Ceterùm Socraticum illud impletur in nobis, hoc tantùm ſcio, quod neſcio.

Quatuor Evangelistæ.

XLV. Tangam & novum breviter Teſtamentum. Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes, quadriga Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur *ſcientiæ multitudo*, per totum corpus oculati ſunt, ſcintillæ emicant, diſcurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in ſublime tendentes, terga pennata & ubique volitantia, tenent ſe mutuò, ſibique perplexi ſunt, & quaſi rota in rota volvuntur, & pergunt quocumque eos flatus Spiritûs ſancti perduxerit.

Epistolæ Beati Pauli.

XLVI. Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias (octava enim ad Hebræos, à pleriſque extra numerum ponitur.) Timotheum inſtruit ac Titum, & Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur. Super quo tacere melius puto, quàm pauca ſcribere.

Actus Apostolorum.

XLVII. Actus Apoſtolorum nudam quidem ſonare videntur hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere: ſed ſi noverimus ſcriptorem eorum Lucam eſſe medicum, cujus laus eſt in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis eſſe medicinam.

Epistolæ Catholicæ.

XLVIII. Jacobus, Petrus, Johannes, Judas Apoſtoli, ſeptem Epiſtolas ediderunt, tam myſticas, quàm ſuccinctas, & breves pariter & longas: breves in verbis, longas in ſententiis: ut rarus ſit, qui non in earum lectione cæcutiat.

Apocalypsis.

XLIX. Apocalypſis Johannis, tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.

L. Oro te frater cariſſime, inter hæc vivere, iſta meditari, nihil aliud noſſe, nihil quærere. Nonne tibi videtur jam hîc in terris regni cæleſtis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis ſanctis ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum, quæ vel vitio Interpretum, vel de induſtria ſic prolata ſunt, ut ruſticam concionem faciliùs inſtruerent, & in una eademque ſententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non ſum tam petulans, & hebes, ut hæc me noſſe pollicear, & eorum fructus in terra, quorum radices in cælo fixæ ſunt: ſed velle fateor. Sedenti me præfero, magiſtrum renuens, comitem ſpondeo. Petenti datur, pulſanti aperitur, quærens invenit. Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeveret in cælo. Obviis te manibus excipiam, & ut ineptè aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effundam, quidquid quæſieris, tecum ſcire conabor.

LI. Habes hîc amantiſſimum tui fratrem Euſebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honeſtatem morum tuorum, contemtum ſæculi, fidem amicitiæ, amorem Chriſti. Nam prudentiam & eloquii venuſtatem etiam abſque illo ipſa epiſtola præferebat. Feſtina, quæſo te, & hærentis in ſalo naviculæ funem magis præcide, quàm ſolve. Nemo renunciaturus ſæculo benè poteſt vendere, quæ contemſit ut venderet. Quidquid in ſumtus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum eſt: Avaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum eſt. Infidelis autem etiam obolo indiget. Sic vivamus, tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Victus & veſtitus, divitiæ Chriſtianorum. Si habes in poteſtate rem tuam, vende: ſi non habes, projice. Tollenti tunicam, & pallium relinquendum eſt. Scilicet niſi tu ſemper recraſtinans, & diem de die trahens, cautè & pedetentim tuas poſſeſſiunculas vendideris, non habet Chriſtus unde alat pauperes ſuos. Totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit. Apoſtoli navem tantùm & retia reliquerunt. Vidua duo æra miſit ad gazophylacium, & præfertur Crœſi divitiis. Facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum.

SANCTI HIERONYMI

PRESBYTERI

PRÆFATIO

IN PENTATEUCHUM MOYSIS

AD DESIDERIUM.

DESIDERII mei deſideratas accepi epiſtolas, qui quodam præſagio futurorum, cum Daniele ſortitus eſt nomen, obſecrantis, ut tranſlatum in Latinam linguam de Hebræo ſermone Pentateuchum, noſtrorum auribus traderem. Periculoſum opus certè, & obtrectatorum meorum latratibus patens: qui me aſſerunt in Septuaginta Interpretum ſuggillationem nova pro veteribus cudere, ita ingenium quaſi vinum probantes: cum ego ſæpiſſimè teſtatus ſim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quæ poſſim, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari. Quod ut auderem, Origenis me ſtudium provocavit, qui editioni antiquæ tranſlationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco & obelo, id eſt, ſtellâ & veru opus omne diſtinguens: dum aut illuceſcere facit quæ minùs ante fuerant: aut ſuperflua quæque jugulat & confodit, maximè quæ Evangeliſtarum & Apoſtolorum auctoritas promulgavit. In quibus multa de Veteri Teſtamento legimus, quæ in noſtris codicibus non habentur: ut eſt illud, *Ex Ægypto vocavi filium meum*: &, *Quoniam Nazaræus vocabitur*: &, *Videbunt in quem compunxerunt*: &, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: & *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*: & multa alia quæ proprium *σύνταγμα* deſiderant. Interrogemus ergo eos ubi hæc ſcripta ſint: & cùm dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum teſtimonium eſt in Oſee, ſecundum in Iſaïa, tertium in Zacharia, quartum in Proverbiis, quintum æquè in Iſaïa. Quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta ſectantur; & Ibericas nænias libris authenticis præferunt. Cauſas erroris non eſt meum exponere. Judæi prudenti factum dicunt eſſe conſilio, ne Ptolemæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maximè idcircò faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque ſacratum aliquid Scriptura teſtatur de Patre & Filio & Spiritu ſancto, aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt; ut & regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent. Et neſcio quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint: cum Ariſtæus ejuſdem Ptolemæi *ὑπερασπιστὴς* & multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint: ſed in una baſilica congregatos, contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe. Aliud eſt enim vatem, aliud eſt eſſe interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit: hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit transfert. Niſi fortè putandus eſt Tullius, Oeconomicon Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte afflatus rhetorico ſpiritu tranſtuliſſe. Aut aliter de eiſdem libris per Septuaginta, aliter per Apoſtolos Spiritus ſanctus teſtimonia texuit: ut quod illi tacuerunt, hi ſcriptum eſſe mentiti ſint. Quid igitur? damnamus veteres? Minimè. Sed poſt priorum ſtudia, in domo Domini quod poſſumus laboramus. Illi interpretati ſunt ante adventum Chriſti, & quod neſciebant, dubiis protulere ſententiis: nos poſt paſſionem & reſurrectionem ejus, non tam prophetiam quàm hiſtoriam ſcribimus: aliter enim audita, aliter viſa narrantur: quod melius intelligimus, meliùs & proferimus. Audi igitur æmule, obtrectator auſculta: non damno, non reprehendo Septuaginta: ſed confidenter cunctis illis Apoſtolos præfero. Per illorum os mihi Chriſtus ſonat, quos ante Prophetas inter ſpiritalia chariſmata poſitos lego: in quibus ultimum penè gradum Interpretes tenent. Quid livore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in tranſlatione tibi videor errare, interroga Hebræos: diverſarum urbium magiſtros conſule. Quod illi habent de Chriſto, tui codices non habent. Aliud eſt, ſi contra ſe poſtea ab Apoſtolis uſurpata teſtimonia probaverunt, & emendatiora ſunt exemplaria Latina quàm Græca, & Græca quàm Hebræa. Verùm hæc contra invidos. Nunc te precor, Deſideri chariſſime, ut quia tantum opus ſubire feciſti & à Geneſi exordium capere, orationibus juves: quò poſſim eodem ſpiritu quo ſcripti ſunt libri, in Latinum eos transferre ſermonem.

Digitized by Google

EJUSDEM IN JOSUE

PRÆFATIO.

TANDEM finito Pentateucho Moſi, velut grandi fœnore liberati, ad Jeſum filium Nave manum mittamus, quem Hebræi יהושע בן נון id eſt, Joſue filium Nun, vocant: & ad Judicum librum, quem שופטים appellant: ad Ruth quoque & Eſther, quod eiſdem nominibus efferunt. Monemuſque lectorem ut ſylvam Hebraicorum nominum, & diſtinctiones per membra diviſas, diligens ſcriptor conſervet: ne & noſter labor, & illius ſtudium pereat. Et ut in primis, quod ſæpe teſtatus ſum, ſciat me non in reprehenſionem veterum nova cudere, ſicut amici mei criminantur; ſed pro virili parte offerre linguæ meæ hominibus (quos tamen noſtra delectant) ut pro Græcorum ἑξαπλοῖς, quæ & ſumptu & labore maximo indigent, editionem noſtram habeant. Et ſicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt, maximè cùm apud Latinos tot ſint exemplaria, quot codices: & unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit vel ſubtraxerit quod ei viſum eſt: & utique non poſſit verum eſſe quod diſſonat. Unde ceſſet arcuato vulnere contra nos inſurgere ſcorpius, & ſanctum opus venenatâ carpere linguâ: vel ſuſcipiens, ſi placet, vel contemnens, ſi diſplicet: memineritque illorum verſuum. *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabas dolos. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti iniquè quòd ero tui ſimilis, arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Quæ enim audientis vel legentis utilitas eſt, nos laborando ſudare, & alios detrahendo laborare? dolere Judæos quòd calumniandi eis & irridendi Chriſtianos ſit ablata occaſio; & Eccleſiæ homines id deſpicere, immò lacerare, unde adverſarii torqueantur? Quòd ſi vetus eis tantùm interpretatio placet, quæ & mihi non diſplicet, & nihil extra recipiendum putant; cur ea quæ ſub aſteriſcis & obelis vel addita ſunt vel amputata, legunt, & negligunt? Quare Danielem juxta Theodotionis tranſlationem, Eccleſiæ ſuſceperunt? Cur Originem mirantur, & Euſebium Pamphili, cunctas editiones ſimiliter diſſerentes? Aut quæ fuit ſtultitia, poſtquam vera dixerint, proferre quæ falſa ſunt? Unde autem in novo teſtamento probare poterunt aſſumpta teſtimonia, quæ in libris veteribus non habentur? Hæc dicimus, ne omnino calumniantibus tacere videamur. Cæterùm poſt ſanctæ Paulæ dormitionem, cujus vita virtutis exemplum eſt, & hos libros quos Euſtochio virgini Chriſti negare non potui; decrevimus dum ſpiritus hos regit artus, Prophetarum explanationi incumbere, & omiſſum jam diu opus, quaſi quodam poſtliminio, repetere: præſertim cùm & admirabilis ſanctuſque vir Pammachius, hoc idem litteris flagitet; & nos ad patriam feſtinantes, mortiferos Sirenarum cantus ſurdâ debeamus aure tranſire.

EJUSDEM IN LIBRUM PARALIPOMENON

PRÆFATIO.

SI Septuaginta Interpretum, pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperfluè me, mi Chromati Epiſcoporum ſanctiſſime atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. Nunc verò cùm pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque tranſlatio corrupta ſit, atque violata; noſtri arbitrii putas, aut è pluribus judicare quid verum ſit, aut novum opus in veteri opere cudere; illudentibuſque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere. Alexandria & Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis uſque Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæſtinos codices legunt; quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt: totuſque orbis hâc inter ſe trifariâ varietate compugnat. Et certè Origenes non ſolùm exempla compoſuit quatuor editionum, è regione ſingula verba deſcribens; ut unus diſſentiens, ſtatim cæteris inter ſe conſentientibus arguatur: ſed, quod majoris audaciæ eſt, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis deſignans quæ minus ante fuerant, & virgulis quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita. Si igitur aliis licuit non tenere quod ſemel ſuſceperant; & poſt Septuaginta cellulas, quæ vulgò ſine auctore jactantur, ſingulas cellulas aperuere, hocque in Eccleſiis legitur quod Septuaginta neſcierunt; cur me non ſuſcipiant Latini mei, qui inviolatâ editione veteri ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, & quod his majus eſt, Apoſtolis auctoribus comprobem? Scripſi nuper librum de optimo genere interpretandi, oſtendens illa de Evangelio. *Ex Ægypto vocavi filium*

Digitized by Google

meum: &, *Quoniam Nazaræus vocabitur*: &, *Videbunt in quem compunxerunt*: Et illud Apoſtoli, *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*: cæteraque his ſimilia, in Hebræorum libris inveniri. Certè Apoſtoli & Evangeliſtæ, Septuaginta Interpretes noverant: & unde eis hæc dicere quæ in Septuaginta Interpretibus non habentur? Chriſtus Dominus noſter utriuſque Teſtamenti conditor, in Evangelio ſecundùm Joannem. *Qui credit*, inquit, *in me*, *ſicut dicit Scriptura*, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Utique ſcriptum eſt, quod Salvator Scriptum eſſe teſtatur. Ubi ſcriptum eſt? Septuaginta non habent: apocrypha neſcit Eccleſia; Ad Hebræos igitur revertendum eſt, unde & Dominus loquitur, & diſcipuli exempla præſumunt. Hæc pace veterum loquor, & obtrectatoribus meis tantùm reſpondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes, & legentes in angulis, iidem & accuſatores & defenſores, cùm in aliis probent quod in me reprobant: quaſi virtus & vitium non in rebus ſit, ſed cum auctore mutetur. Cæterùm memini, editionem Septuaginta tranſlatorum, olim de Græco emendatam tribuiſſe me noſtis: nec inimicum debere æſtimari eorum, quos in conventu fratrum ſemper ediſſero. Et quòd nunc דברי הימים, *Dibre-haiamim*, id eſt, *Verba dierum*, interpretatus ſum: idcircò feci, ut inextricabiles moras, & ſylvam nominum, quæ ſcriptorum confuſa ſunt vitio, ſenſuumque barbariem, & apertiùs & per verſiculos digererem, mihimetipſi, & meis juxta Iſmeniam canens, ſi aures ſurdæ ſunt cæterorum.

EJUSDEM IN LIBRUM AD DOMNIONEM ET ROGATIANUM

PRÆFATIO.

QUOMODO Græcorum hiſtorias magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui à Troade per Leucatem, & Acroceraunia, ad Siciliam, & inde ad oſtia Tiberis navigaverint: ita ſanctam Scripturam lucidiùs intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus ſit, & antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde & nobis curæ fuit, cum eruditiſſimis Hebræorum hunc laborem ſubire: ut circumiremus provinciam, quam univerſæ Chriſti Eccleſiæ ſonant. Fateor enim, mi Domnion & Rogatiane chariſſimi, nunquam me in divinis voluminibus, propriis viribus credidiſſe, nec habuiſſe opinionem meam, ſed ea etiam de quibus ſcire me arbitrabar, interrogare me ſolitum. Quanto magis de his ſuper quibus anceps eram; Denique cum à me nuper litteris flagitaſſetis, ut vobis librum Paralipomenon Latino ſermone transferrem de Tiberiade quemdam legis Doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, aſſumpſi: & contuli cum eo à vertice, ut aiunt, uſque ad extremum unguem: & ſic confirmatus, auſus ſum facere quod jubebatis. Liberè enim vobis loquor, ita in Græcis & Latinis codicibus hic nominum liber vitioſus eſt, ut non tam Hebraica quàm Barbara quædam, & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum ſit: Nec hoc Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu ſancto pleni, ea quæ vera fuerant tranſtulerant, ſed ſcriptorum culpæ adſcribendum, dum de inemendatis inemandata ſcriptitant: & ſæpè tria nomina ſubtractis è medio ſyllabis, in unum vocabulum cogunt, vel è regione unum nomen, propter latitudinem ſuam, in duo vel tria vocabula dividunt. Sed & ipſæ appellationes, non homines, ut plerique æſtimant, ſed urbes & regiones, & ſaltus, & provincias ſonant, & obliquè ſub interpretatione & figura eorum, quædam narrantur hiſtoriæ: de quibus in regnorum libro dicitur, *Nonne ecce hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Regum Juda?* Quæ utique in noſtris codicibus non habentur. Hoc primùm ſciendum, quòd apud Hebræos, Paralipomenon liber, unus ſit: & apud illos vocetur, דברי הימים id eſt, *verba dierum*: qui propter magnitudinem, apud nos diviſus eſt. Quod nonnulli etiam in Bruto, Ciceronis dialogo, faciunt, ut eum in tres partes ſecent, cùm unus à ſuo auctore ſit editus. Deinde etiam illud attendendum, quòd frequenter nomina, non vocabula hominum, ſed rerum, ut dixi, ſignificantias ſonent. Ad extremum, quòd omnis eruditio Scripturarum in hoc libro continetur: & hiſtoriæ prætermiſſæ ſunt in ſuis locis, vel perſtrictæ leviter, hîc per quædam verborum compendia explicentur. Orationum itaque veſtrarum adjutus auxilio miſi librum benevolis placiturum, tamen invidis diſpliciturum eſſe non ambigo. Optima enim quæque, ut ait Plinius, malunt contemnere & invidere plerique, quàm diſcere. Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, ſuam conſcientiam recolat, videat ordinem textumque ſermonis; & tunc noſtro labori, ſi potuerit, detrahat. Ubicumque ergo aſteriſcos, id eſt ſtellas, radiare in hoc volumine videritis: ibi ſciatis de Hebræo additum, quod in Latinis codicibus non habetur. Ubi verò obelus, tranſverſa ſcilicet virga, præpoſita eſt, illic ſignatur quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritûs ſancti auctoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur.

EJUSDEM IN LIBRUM JUDITH

PRÆFATIO.

APUD Hebræos liber Judith inter apocrypha legitur; cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur. Chaldæo tamen ſermone conſcriptus, inter hiſtorias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legiſſe computaſſe, acquievi poſtulationi veſtræ, immò exactioni: & ſepoſitis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi, magis ſenſum è ſenſu, quàm ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitioſiſſimam amputavi, ſola ea, quæ intelligentiâ integrâ in verbis Chaldæis invenire potui, Latinis expreſſi. Accipite Judith viduam, caſtitatis exemplum, & triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non ſolùm feminis, ſed & viris imitabilem dedit, qui caſtitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, & inſuperabilem ſuperaret.

EJUSDEM IN ESTHER

PRÆFATIO.

LIBRUM Eſther variis tranſlatoribus conſtat eſſe vitiatum: quem ego de archivis Hebræorum relevans, verbum è verbo expreſſiùs tranſtuli. Quem librum editio vulgata, laciniosis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant, & audiri: ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis, ſumto themate, excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam paſſus eſt, vel ille qui injuriam fecit. Vos autem, ô Paula & Euſtochium, quoniam & bibliothecas Hebræorum ſtuduiſtis intrare, & Interpretum certamina comprobaſtis, tenentes Eſther Hebraicum librum, per ſingula verba noſtram tranſlationem aſpicite, ut poſſitis agnoſcere, me nihil etiam augmentaſſe addendo, ſed fideli teſtimonio ſimpliciter, ſicut in Hebræo habetur, hiſtoriam Hebraicam Latinæ linguæ tradidiſſe. Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expaveſcimus. Deo enim placere curantes, minas hominum penitùs non timemus: quia *Deus diſſipat oſſa eorum qui hominibus placere deſiderant*: & ſecundùm Apoſtolum. *Qui ejuſmodi ſunt, ſervi Chriſti eſſe non poſſunt.*

Rurſum, in libro Eſther alphabetum ex minio uſque ad Teth literam fecimus diverſis in locis, volentes ſcilicet Septuaginta Interpretum ordinem per hoc inſinuare ſtudioſo lectori. Nos enim juxta morem Hebraicum, ordinem proſequi etiam in Septuaginta editione maluimus.

EJUSDEM IN JOB

PRÆFATIO.

COGOR per ſingulas Scripturæ divinæ libros adverſariorum reſpondere maledictis: qui interpretationem meam, reprehenſionem Septuaginta Interpretum criminantur: quaſi non & apud Græcos Aquila, Symmachus, & Theodotio, vel verbum è verbo, vel ſenſum è ſenſu, vel ex utroque commixtum, & medié temperatum genus tranſlationis expreſſerint; & omnia Veteris Inſtrumenti volumina Origenes obelis aſteriſciſque diſtinxerit: quos vel additos, vel de Theodotione ſumtos, tranſlationi antiquæ inſeruit, probans defuiſſe quod additum eſt. Diſcant igitur obtrectatores mei recipere in toto; quod in partibus ſuſceperunt, aut interpretationem meam cum aſteriſcis ſuis radere. Neque enim fieri poteſt, ut quos plura intermiſiſſe ſuſceperint, non eoſdem etiam in quibuſdam erraſſe fateantur, præcipuè in Job: cui ſi ea quæ ſub aſteriſcis addita ſunt, ſubtraxeris, pars maxima voluminis detruncabitur, & hoc dumtaxat apud Græcos. Cæterùm apud Latinos, ante eam tranſlationem, quam ſub aſteriſcis & obelis nuper edidimus, ſeptingenti fermè aut octingenti verſus deſunt; ut decurtatus & laceratus corroſuſque liber, fœditatem ſui publicè legentibus præbeat. Hæc autem tranſlatio nullum de veteribus ſequitur Interpretem: ſed ex ipſo Hebraico, Arabicoque ſermone, & interdum Syro,

Digitized by Google

nunc verba, nunc ſenſus, nunc ſimul utrumque reſonabit. Obliquus enim etiam apud Hebræos totus liber fertur & lubricus : & quod Græcè rhetores vocant, ἐσχηματισμένως dum qui aliud loquitur, aliud agit; ut ſi velis anguillam aut murænam ſtrictis tenere manibus, quantò fortiùs preſſeris, tantò citiùs elabitur. Memini me ob intelligentiam hujus voluminis, Lyddæum quemdam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemiſſe nummis: cujus doctrinâ an aliquid profecerim, neſcio : hoc unum ſcio, non potuiſſe me interpretari, niſi quod antè intellexeram. A principio itaque voluminis, uſque ad verba Job, apud Hebræos proſa oratio eſt. Porrò à verbis Job, in quibus ait : *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo* uſque ad eum locum, ubi ante finem voluminis ſcriptum eſt : *Idcircò ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere :* hexametri verſus ſunt, dactylo ſpondeoque currentes : & propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes, non earumdem ſyllabarum, ſed earumdem temporum. Interdum quoque rythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur numeris lege metri ſolutis; quod metrici magis quàm ſimplex lector intelligunt. A ſupradicto autem verſus uſque ad finem libri, parvum comma quod remanet, proſâ oratione contexitur. Quod ſi cui videtur incredulum, metra ſcilicet eſſe apud Hebræos, & in morem noſtri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sappho, vel Pſalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia fermè Scripturarum cantica comprehendi; legat Philonem, Joſephum, Originem, Cæſarienſem Euſebium, & eorum teſtimonio me verum dicere comprobavi. Audiant quapropter canes mei, idcircò me in hoc volumine laboraſſe, non ut interpretationem antiquam reprehenderem; ſed ut ea quæ in illa aut obſcura ſunt, aut omiſſa, aut certè ſcriptorum vitio depravata, manifeſtiora noſtrâ interpretatione fierent : qui & Hebræum ſermonem ex parte didicimus, & in Latino pænè ab ipſis incunabulis inter Grammaticos & Rhetores & Philoſophos detriti ſumus. Quòd ſi apud Græcos, poſt Septuaginta editionem, jam Chriſti Evangelio coruſcante, Judæus Aquila, & Symmachus & Theodotio, Judaïzantes hæretici, ſunt recepti, qui multa myſteria Salvatoris ſubdolâ interpretatione celarunt, & tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud Eccleſias, & explanantur ab Eccleſiaſticis viris : quantò magis ego Chriſtianus & de parentibus Chriſtianis natus, & vexillum Crucis in mea fronte portans, cujus ſtudium fuit omiſſa repetere, depravata corrigere, & Sacramenta Eccleſiæ puro ac fideli aperire ſermone, vel à faſtidioſis, vel à malignis lectoribus non debeo reprobari ? Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgò aiunt, litteris onera magis exarata, quàm codices : dummodò mihi, meiſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos. Utraque editio, & Septuaginta juxta Græcos, & mea juxta Hebræos, in Latinum meo labore tranſlata eſt. Eligat unuſquiſque quod vult : & ſtudioſum me magis, quàm malevolum probet.

EJUSDEM IN EUMDEM LIBRUM

PRÆFATIO.

SI aut fiſcellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in ſudore vultûs mei comederem panem, & ventris opus ſollicitâ mente pertractarem; nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia juxta ſententiam Salvatoris, volo operari cibum qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam ſentibus virgultiſque purgare : mihi genuinus infigitur, corrector vitiorum, falſarius dicor, & errores non auferre, ſed ſerere. Tanta eſt enim vetuſtatis conſuetudo, ut etiam confeſſa pleriſque vitia placeant : dum magis pulchros habere malunt codices, quàm emendatos. Quapropter, ô Paula & Euſtochium, unicum nobilitatis & humilitatis exemplar, pro flabello, calathis, ſportelliſque, munuſculo monachorum, ſpiritualia hæc & manſura dona ſuſcipite, ac beatum Job, qui adhuc apud Latinos jacebat in ſtercore, & vermibus ſcatebat errorum, integrum immaculatumque gaudere. Quomodo enim probatione atque victoria, dupliciter univerſa ei ſunt reddita : ita ego in lingua noſtra (ut audacter loquor) feci eum habere quæ amiſerat. Igitur & vos, & unumquemque lectorem ſolitâ præfatione commoneo, & in principiis librorum eadem ſemper annectens, rogo, ut ubicumque præcedentes virgulas videritis, ſciatis ea quæ ſubjecta ſunt, in Hebræis voluminibus non haberi. Porrò ubi ſtellæ imago fulſerit, ex Hebræo in noſtro ſermone, addita, necnon & illa quæ habere videbamur, & ita corrupta erant, ut ſenſum legentibus tollerent, orantibus vobis magno labore correxi : magis utile quid ex otio meo Chriſti Eccleſiis eventurum ratus, quàm ex aliorum negotio.

EJUSDEM IN PSALMOS

Quos juxta Editionem Septuaginta correxerat.

PRÆFATIO.

PSALTERIUM Romæ dudum poſitus emendaram : & juxta Septuaginta Interpretes, licet curſim, magna illud ex parte correxeram. Quod quia rurſum videtis, ô Paula & Euſtochium, Scriptorum vitio depravatum, pluſque antiquum errorem, quàm novam emendationem valere : cogitis, ut veluti quodam novali, ſciſſum jam arvum exerceam, & obliquis ſulcis renaſcentes ſpinas eradicem : æquum eſſe dicentes, ut quod crebrò malè pullulat, crebriùs ſuccidatur. Unde conſuetâ præfatione commoneo tam vos, quibus fortè labor iſte deſudat, quam eos qui exemplaria iſtiuſmodi habere voluerint, ut quæ diligenter emendavi, cum cura & diligentia tranſcribantur. Notet ſibi unuſquiſque vel jacentem lineam, vel ſigna radiantia; id eſt obelos, vel aſteriſcos. Et ubicumque viderit virgulam præcedentem, ab ea uſque ad duo puncta quæ impreſſimos,

ſciat

ſciat in Septuaginta tranſlatoribus plus haberi. Ubi autem perſpexerit ſtellæ ſimilitudinem, de Hebræis voluminibus additum noverit æquè uſque ad duo puncta juxta Theodotionis duntaxat editionem, qui ſimplicitate ſermonis à Septuaginta Interpretibus non diſcordat. Hæc ergo & vobis & ſtudioſo cuique feciſſe me ſciens, non ambigo moltos fore, qui vel invidiâ, vel ſupercilio malint contemnere videri præclara, quàm diſcere, & de turbulento magis rivo, quàm de puriſſimo fonte potare.

EJUSDEM IN LIBROS SALOMONIS PRÆFATIO.

JUNGAT epiſtola, quos jungit ſacerdotium: imò charta non dividat, qoos Chriſti nectit amor. Commeotarios in Oſee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poſcitis, ſcripſiſſem, ſi licuiſſet præ valetudine. Mittitis ſolatia ſumptuum: notarios noſtros & librarios ſuſtentatis, ut vobis potiſſimum noſtrum deſudet ingenium. Erecce ex latere frequens turba diverſa poſcentium: quaſi aut æquum ſit, me, vobis eſurientibus, aliis laborare: aut in ratione dati & accepti, cuiquam, præter vos, obnoxius ſim. Itaque longâ ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, & apud vos mutus eſſem, tridui opus nomini veſtro conſecravi, interpretationem videlicet triom Salomonis voluminum: Maſloth quas Hebræi Parabolas, vulgata autem editio Proverbia vocat: coëleth quem Græcè Eccleſiaſten, Latinè concionatorem poſſumus dicere: ſir aſſirim, quod in noſtra lingua vertitur Canticum canticorum. Fertur & πανάρετος Jeſu filii Sirach liber, & alius ψευδεπίγραφος, qui ſapientia Salomonis inſcribitur. Quorum priorem, Hebraicum reperi; non Eccleſiaſticum, ut apud Latinos, ſed Parabolas prænotatum, cui juncti erant Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum: ut ſimilitudinem Salomonis non ſolùm librorum numero, ſed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nuſquam eſt, quia & ipſe ſtylus, Græcam eloquentiam redolet: & nonnulli ſcriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter canonicas Scripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Si cui ſanè Septuaginta Interpretum magis editio placet, habet eam à nobis olim emendatam. Neque enim nova ſic cudimus, ut vetera deſtruamus. Et tamen cùm diligentiſſimè legerit, ſciat magis noſtra ſcripta intelligi, quæ non in tertium vas transfuſa coacuerint: ſed ſtatim de prælo puriſſimæ commendata teſtæ, ſuum ſaporem ſervaverint.

EJUSDEM IN VERSIONEM ISAIÆ PRÆFATIO.

NEMO cùm Prophetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos exiſtimet apud Hebræos ligari, & aliquid ſimile habere de Pſalmis & operibus Salomonis: ſed quod in Demoſthene, & Tullio ſolet fieri, ut per cola ſcribantur & commata qui utique proſâ, & non verſibus conſcripſerunt. Nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam, novo ſcribendi genere diſtinximus.

Ac primùm de Iſaïa ſciendum, quòd in ſermone ſuo diſertus ſit: quippe ut vir nobilis & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admiſtum. Unde accidit, ut præ cæteris, florem ſermonis ejus, tranſlatio non potuerit conſervare. Deinde etiam hoc adjiciendum, quòd non tam Propheta dicendus ſit, quàm Evangeliſta: Ita enim univerſa Chriſti Eccleſiæque myſteria ad liquidum proſecutus eſt, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere. Unde conjicio noluiſſe tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei ſuæ ſacramenta perſpicuè Ethnicis prodere; ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent: quæ, cùm hanc editionem legeritis, ab illis animadvertetis abſcondita. Nec ignoro quanti laboris ſit Prophetas intelligere; nec facilè quempiam poſſe judicare de interpretatione, niſi intellexerit antequam legerit: nos quoque patere morſibus plurimorum, qui ſtimulante invidiâ, quod conſequi non valent deſpiciunt. Sciens ergo & prudens in flammam mitto manum: & nihilominùs hoc à faſtidioſis lectoribus precor, ut quomodo Græci poſt Septuaginta tranſlatores Aquilam & Symmachum & Theodotionem legunt, vel ob ſtudium doctrinæ ſuæ, vel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: ſic & iſti ſaltem unum poſt priores habere dignentur interpretem. Legant priùs & poſteà deſpiciant: ne videantur, non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare. Prophetavit autem Iſaïas in Jeruſalem, & in Judæa, necdum decem tribubus in captivitatem ductis: ac de utroque regno, nunc commixtim, nunc ſeparatim texit oraculum. Et cùm interdum ad præſentem reſpiciat hiſtoriam, & poſt Babyloniæ captivitatem reditum populi ſignificet in Judæam, tamen omnis ejus cura de vocatione Gentium, & adventu Chriſti eſt. Quem quan-

Digitized by Google

tò plus amatis, ô Paula & Euſtochium, tantò magis ab eo petite, ut pro obtrectatione præſenti qua me indeſinenter æmuli laniant, ipſe mihi mercedem reſtituat in futuro: qui ſcit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione ſudaſſe, ne Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis ejus diutiùs inſultarent.

EJUSDEM IN JEREMIAM PRÆFATIO.

JEREMIAS Propheta, cui hic prologus ſcribitur, ſermone quidem apud Hebræos Iſaïâ & Oſee & quibuſdam aliis Prophetis videtur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt; quippe qui eodem ſpiritu prophetaverit. Porrò ſimplicitas eloquii, à loco ei in quo natus eſt, accidit. Fuit enim Anathothites, qui eſt uſque hodie viculus, tribus ab Jeroſolymis diſtans millibus, ſacerdos ex ſacerdotibus, & in matris utero ſanctificatus: virginitate ſua Evangelicum virum Chriſti Eccleſiæ dedicans. Hic vaticinari exorſus eſt puer: & captivitatem urbis atque Judææ, non ſolùm ſpiritu, ſed & oculis carnis intuitus eſt. Jam decem Tribus Iſraël Aſſyrii in Medos tranſtulerant; jam terras earum, coloniæ Gentium poſſidebant. Unde in Juda tantùm, & in Benjamin prophetavit: & civitatis ſuæ ruinas quadruplici planxit alphabeto, quod nos menſuræ metri verſibuſque reddidimus. Prætereà ordinem viſionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confuſus eſt, ad priſtinam fidem correximus. Librum autem Baruch notarii ejus, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermiſimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præſtolantes, quibus me neceſſe eſt per ſingula opuſcula reſpondere. Et hoc patior: quia vos me cogitis. Cæterùm ad compendium mali, rectius fuerat modum furori eorum ſilentio meo ponere, quàm quotidiè novi aliquid ſcriptitantem, invidorum inſaniam provocare.

EJUSDEM IN EZECHIELEM PRÆFATIO.

EZECHIEL propheta cum Joachin rege Juda captivus ductus eſt in Babylonem; ibique iis qui cum eo captivi fuerant, prophetavit, pœnitentibus quòd ad Jeremiæ vaticinium ſe ultrò adverſariis tradidiſſent, & viderent adhuc urbem Jeroſolymam ſtare, quam ille caſuram eſſe prædixerat. Trigeſimo autem ætatis ſuæ anno, & captivitatis quinto, exorſus eſt ad concaptivos loqui. Et eodem tempore, licet poſterior, hic in Chaldæa, Jeremias in Judæa prophetaverunt. Sermo ejus nec ſatis diſertus, nec admodum ruſticus eſt: ſed ex utroque mediè temperatus. Sacerdos & ipſe fuit, ſicut Jeremias: principia voluminis & finem magnis habens obſcuritatibus involuta. Sed & vulgata ejus editio non multùm diſtat ab Hebraico. Unde non ſatis miror quid cauſæ extiterit, ut ſi eoſdem in univerſis libris habemus interpretes, in aliis eadem, in aliis diverſa tranſtulerint. Legite igitur & hunc juxta tranſlationem noſtram: quoniam per cola ſcriptus & commata, manifeſtiorem legentibus ſenſum tribuit. Si autem amici mei & hunc ſubſannaverint, dicite eis quòd nemo eos compellat ut ſcribant. Sed vereor ne illud eis eveniat quod Græcè ſignificantiùs dicitur, ut vocentur φαγολοίδοροι; quod eſt manducantes ſannas.

EJUSDEM IN DANIELEM PRÆFATIO.

DANIELEM prophetam juxta Septuaginta Interpretes, Domini Salvatoris Eccleſiæ non legunt, utentes Theodotionis editione: & hoc cur acciderit, neſcio. Sive enim quia ſermo Chaldaïcus eſt, & quibuſdam proprietatibus à noſtro eloquio diſcrepat, noluerunt Septuaginta Interpretes eaſdem linguæ lineas in tranſlatione ſervare: ſive ſub nomine eorum ab alio neſcio quo non ſatis Chaldæam linguam ſciente, editus eſt liber: ſive aliud quid cauſæ extiterit ignorans: hoc unum affirmare poſſum, quòd multùm à veritate diſcordet, & recto judicio repudiatus ſit. Sciendum quippe eſt Danielem maximè & Eſdram, Hebraicis quidem litteris, ſed Chaldæo ſermone conſcriptos: & unam Jeremiæ περικοπήν: Job quoque cum Arabica lingua plurimam habere ſocietatem. Denique & ego adoleſcentulus, poſt Quintiliani & Tullii lectionem ac flores rhetoricos, cùm me in linguæ hujus piſtrinum recluſiſſem: & multo ſudore, multoque tempore vix cœpiſſem anhelantia ſtridentiaque verba reſonare, & quaſi per cryptam ambulans, rarum deſuper lumen aſpicerem, impe-

Digitized by Google

gi noviſſimè in Danielem: & tanto tædio affectus ſum, ut deſperatione ſubitâ omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verùm adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebriùs in ſua lingua ingerente, Labor improbus omnia vincit: & qui mihi videbar ſciolus inter Hebræos, cœpi rurſus eſſe diſcipulus Chaldaicus. Et ut verum fatear, uſque ad præſentem diem magis poſſum ſermonem Chaldaicum legere & intelligere, quàm ſonare. Hæc idcircò refero, ut difficultatem vobis Danielis oſtenderem: qui apud Hebræos nec Suſannæ habet hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconiſque fabulas: quas nos, quia in toto orbe diſperſæ ſunt, veru antepoſito, eaſque jugulante, ſubjecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminibus detruncaſſe. Audivi ego quemdam de præceptoribus Judæorum, cùm Suſannæ derideret hiſtoriam, & à Græco neſcio quo eam diceret eſſe confictam, illud opponere quod Origeni quoque Africanus oppoſuit, etymologias has ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι de græco ſermone deſcendere. Cujus rei nos intelligentiam noſtris hanc poſſumus dare: Ut verbi gratia, dicamus de arbore ilice dixiſſe eum, illicò pereas: & à lentiſco, in lentem te comminuat Angelus, vel non lentè pereas: aut lentus, id eſt flexibilis ducaris ad mortem: ſive aliud quid ad arboris nomen conveniens. Deinde tantùm fuiſſe otii tribus pueris cavillabatur, ut in camino æſtuantis incendii metro luderent, & per ordinem ad laudem Dei omnia elementa provocarent; aut quod miraculum, divinæque aſpirationis indicium vel draconem interfectum offâ picis, vel ſacerdotum Belis machinas deprehenſas; quæ magis prudentiâ ſolertis viri, quàm prophetali eſſent ſpiritu perpetrata? Cùm verò ad Habacuc veniret, & de Judæa in Chaldæam raptum diſcophorum lectitaret, quærebat exemplum, ubi legiſſemus in toto veteri Teſtamento, quemquam ſanctorum gravi volaſſe corpore, & in puncto horæ tanta terrarum ſpatia tranſiſſe: Cui cùm quidam è noſtris ſatis ad loquendum promptulus, Ezechielem adduxiſſet in medium, & diceret eum de Chaldæa in Judæam fuiſſe tranſlatum: deriſit hominem, & ex ipſo volumine demonſtravit Ezechielem in ſpiritu ſe vidiſſe tranſpoſitum. Denique & Apoſtolum noſtrum, videlicet ut eruditum virum, & qui legem ab Hebræis didiciſſet, non fuiſſe auſum affirmare ſe raptum in corpore, ſed dixiſſe: *Sive in corpore, ſive extra corpus, neſcio. Deus ſcit.* His & talibus argumentis apocryphas in libro Eccleſiæ fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio judicium derelinquens illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebræos inter Prophetas, ſed inter eos qui hagiographa conſcripſerunt. In tres ſiquidem partes omnia ab eis Scriptura dividitur: in legem, in Prophetas, & in hagiographa, id eſt, in quinque, & octo, & in undecim libros: de quo non eſt hujus temporis diſſerere. Quæ autem ex hoc Propheta, immò contra hunc librum, Porphirius objiciat: teſtes ſunt Methodius, Euſebius, & Apollinarius, qui multis verſuum millibus ejus veſaniæ reſpondentes, neſcio an curioſo lectori ſatisfecerint. Unde obſecro vos, ô Paule & Euſtochium, fundatis pro me ad Dominum preces: ut quamdiu in hoc corpuſculo ſum, ſcribam aliquid gratum vobis, utile Eccleſiæ, dignum poſteris. Præſentium quippe judiciis oblatrantium non ſatis moveor: qui in utramque partem, aut amore labuntur, aut odio.

EJUSDEM IN DUODECIM PROPHETAS

PRÆFATIO.

NON eſt idem ordo duodecim Prophetarum apud Hebræos, qui eſt apud nos. Unde ſecundùm id quod ibi legitur, hic quoque diſpoſiti ſunt. Oſee commaticus eſt, & quaſi per ſententias loquens. Joël planus in principiis: in fine obſcurior. Et uſque ad Malachiam, habent ſinguli proprietates ſuas: quem Eſdram ſcribam, legiſque doctorem Hebræi, autumant. Et quia longum eſt nunc de omnibus dicere, hoc tantùm vos, ô Paula, & Euſtochium, admonitas volo, unum librum eſſe duodecim Prophetarum, & Oſee ſynchronum Iſaiæ: Malachiam verò Aggæi & Zachariæ fuiſſe temporibus. In quibus autem tempus non præfertur in titulo; ſub illis eos regibus propheta ſſe, ſub quibus & hi qui ante eos habent titulos, prophetaverunt.

EJUSDEM IN EVANGELISTAS

AD DAMASUM PAPAM

PRÆFATIO.

NOVUM opus me facere cogis ex veteri: ut poſt exemplaria Scripturarum toto orbe diſperſa, quaſi quidam arbiter ſedeam: & quia inter ſe variant, quæ ſint illa quæ cum Græca conſentiant veritate, decernam. Pius labor, ſed periculoſa præſumptio, judicare de cæteris, ipſum ab omnibus judicandum: ſenis mutare linguam, & caneſcentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cùm in manus volumen aſſumpſerit, & à ſaliva quam ſemel imbibit, viderit diſcrepare quod lectitat; non ſtatim erumpat in vocem, me falſarium, me clamitans eſſe ſacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Adverſus quam invidiam duplex cauſa me conſolatur: quòd & tu qui ſummus ſacerdos es, fieri jubes: & verum non eſſe quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda; reſpondeant quibus: tot enim ſunt exemplaria penè quot codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus: cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel vitioſis interpretibus malè reddita, vel à præſumptoribus imperitis emendata perverſiùs, vel à librariis dormitantibus aut addita ſunt, aut mutata, corrigimus? Neque verò ego de Veteri diſputo Teſtamento, quòd à Septuaginta ſenioribus in Græcam linguam verſum, tertio gradu ad nos uſque pervenit. Non quæro quid Aquila, quid Symmachus ſapiant, quare Theodotion inter novos & veteres medius incedat. Sit illa vera interpreta-

tio quam Apoſtoli probaverunt. De novo nunc loquor Teſtamento : quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Chriſti Hebraïcis litteris edidit. Hoc certè cùm in noſtro ſermone diſcordat, & diverſos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum eſt. Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Heſychio nuncupatos, paucorum hominum aſſerit perverſa contentio : quibus utique nec in Veteri inſtrumento poſt Septuaginta, interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendaſſe : cùm multarum gentium linguis Scriptura antè tranſlata, doceat falſa eſſe quæ addita ſunt. Igitur hæc præſens præfatiuncula pollicetur quatuor tantùm Evangelia, quorum ordo eſt iſte, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes : codicum Græcorum emendatâ collatione, ſed veterum, quæ ne multùm à lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantùm quæ ſenſum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant. Canones quoque, quos Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus Alexandrinum ſecutus Ammonium, in decem numeros ordinavit, ſicut in Græco habentur, expreſſimus. Quòd ſi quis de curioſis voluerit noſſe, quæ in Evangeliis, vel eadem, vel vicina, vel ſola ſint, eorum diſtinctione cognoſcat. Magnus ſiquidem hîc in noſtris codicibus error inolevit : dum quòd in eadem re alius Evangeliſta plus dixit, in alio quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eumdem ſenſum alius aliter expreſſit, ille qui unum è quatuor primum legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque æſtimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta ſint omnia ; & in Marco plura Lucæ atque Matthæi ; rurſum in Matthæo plura Johannis & Marci ; & in cæteris reliquorum quæ aliis propria ſunt, inveniantur. Cùm itaque canones legeris qui ſubjecti ſunt, confuſionis errore ſublato, & ſimilia omnium ſcies, & ſingulis ſua quæque reſtitues. In canone primo concordant quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes. In ſecundo tres ; Matthæus, Marcus Lucas, In tertio tres, Matthæus, Lucas, Johannes. In quinto duo, Matthæus, Lucas. In ſexto duo. Matthæus, Marcus. In ſeptimo duo, Matthæus, Joannes. In octavo duo, Lucas, Marcus. In nono duo, Lucas, Johannes. In decimo, propria unuſquiſque quæ non habentur in aliis, ediderunt.

EJUSDEM PRÆFATIO

E Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum deprompta.

PAULUS Apoſtolus, qui antè Saulus, extra numerum duodecim Apoſtolorum, de tribu Benjamin & oppido Judææ Giſcalis fuit : quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigravit : à quibus ob ſtudia Legis miſſus Jeroſolymam, à Gamaliele viro doctiſſimo, cujus Lucas meminit, eruditus eſt. Cùm autem interfuiſſet neci martyris Stephani, & acceptis à Pontifice templi epiſtolis, ad perſequendos eos qui Chriſto crediderant, Damaſcum pergeret ; revelatione compulſus ad fidem, quæ in Actibus Apoſtolorum ſcribitur, in vas electionis de perſecutore tranſlatus eſt. Cùmque primùm ad prædicationem ejus Sergius Paulus Proconſul Cypri credidiſſet, ab eo quòd eum Chriſti fidei ſubegerat, ſortitus eſt nomen : & juncto ſibi Barnaba, multis urbibus peragratis, revertenſque Jeroſolymam, à Petro, Jacobo & Johanne, Gentium Apoſtolus ordinatur. Et quia in Actibus Apoſtolorum pleniſſimè de ejus converſatione ſcriptum eſt, hoc tantùm dicam, quòd poſt paſſionem Domini viceſimo quinto anno, id eſt ſecundo Neronis, eo tempore quo Feſtus procurator Judææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia, adversùs Judæos de adventu Chriſti quotidie diſputavit. Sciendum autem in prima ſatisfactione, needum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente ſcelera, quanta de eo narrant hiſtoriæ, Paulum à Nerone dimiſſum, ut Evangelium Chriſti in Occidentis quoque partibus prædicaretur, ſicut ipſe ſcribit in ſecunda epiſtola ad Timotheum, eo tempore quo & paſſus eſt, de vinculis dictans Epiſtolam : *In prima mea ſatisfactione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt : non eis imputetur. Dominus autem mihi affuit, & confortavit me ; ut per me prædicatio compleretur, & audirent omnes Gentes : & liberatus ſum de ore leonis :* Manifeſtiſſimè leonem propter crudelitatem, Neronem ſignificans. Et in ſequentibus, *Liberatus ſum de ore leonis.* Et ſtatim, *Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & ſalvavit me in regnum ſuum cæleſte* ; quòd ſcilicet præſens ſibi ſentiret imminere martyrium. Nam & in eadem Epiſtola præmiſerat. *Ego enim jam immolor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Hic ego quartodecimo Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Chriſto capite truncatur, ſepultuſque eſt in via Oſtienſi, anno poſt paſſionem Domini triceſimo ſeptimo. Scripſit autem novem ad ſeptem Eccleſias Epiſtolas ; ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Epheſios unam, ad Philippenſes unam, ad Coloſſenſes unam, ad Theſſalonicenſes duas. Prætereà ad diſcipulos ſuos, Timotheo duas, Tito unam, Philemoni unam. Epiſtola autem quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter ſtyli ſermoniſque diſſonantiam : ſed vel Barnabæ, juxta Tertullianum ; vel Lucæ Evangeliſtæ juxta quoſdam : vel Clementis, Romanæ poſteà Eccleſiæ Epiſcopi, quem aiunt ipſi adjunctum ſententias Pauli proprio ordinaſſe & ornaſſe ſermone : vel certè quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter invidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputaverit. Scripſerat ut Hebræus Hebræis Hebraicè, id eſt, ſuo eloquio diſertiſſimè, ut ea quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum ; & hanc cauſam eſſe, quod à cæteris Pauli epiſtolis diſcrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenſes. ſed ab omnibus exploditur.

Digitized by Google

EJUSDEM PRÆFATIO

E Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum deprompta.

JACOBUS, qui appellatur frater Domini, cognomento Juſtus: ut nonnulli exiſtimant, Joſeph, ex alia uxore; ut autem mihi videtur, Mariæ ſororis matris Domini, cujus Johannes in libro ſuo meminit, filius; poſt paſſionem Domini ſtatim ab Apoſtolis Jeroſolymorum Epiſcopus ordinatus, unam tantùm ſcripſit Epiſtolam quæ de ſeptem Catholicis eſt: quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem. Hegeſippus vicinus Apoſtolorum temporum, in quinto commentariorum libro de Jacobo narrans, ait: *Suſcepit Eccleſiam Jeroſolymorum, poſt Apoſtolos, frater Domini Jacobus, cognomento Juſtus: multi ſiquidem Jacobi vocabantur. Hic de utero matris ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonſus eſt, nec unctus unguento, nec uſus balneo. Huic ſoli licitum erat ingredi Sancta ſanctorum: ſiquidem veſtibus laneis non utebatur, ſed lineis: ſoluſque ingrediebatur templum: & flexis genibus, pro populo deprecabatur, in tantùm ut camelorum duritiem traxiſſe ejus genua crederentur.* Dicit & alia multa, quæ enumerare longum eſt. Sed & Joſephus in viceſimo libro Antiquitatum refert, & Clemens in ſeptimo *ὑποτυπώσεων*, mortuo Feſto, qui Judæam regebat, Miſſum eſſe à Nerone ſucceſſorem ejus Albinum: qui cùm needum ad provinciam perveniſſet, *Ananus*, inquit, *Pontifex adoleſcens, Anani filius, de genere Sacerdotali, accepta occaſione ἀναρχίας conſilium congregavit; & compellens publicè Jacobum ut Chriſtum Dei Filium denegaret, contradicentem lapidari juſſit: qui cùm præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc ſemianimis tollens ad cœlum manus diceret: Domine, ignoſce eis: quod enim faciunt, neſciunt; fullonis fuſte, quo uda veſtimenta extorqueri ſolent, in cerebro percuſſus interiit.* Tradit item Joſephus, tantæ eum ſanctitatis fuiſſe, & celebritatis in populo, ut propter ejus necem, creditum ſit ſubverſam eſſe Jeroſolymam. Hic eſt de quo Paulus Apoſtolus ſcribit ad Galatas. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.* Et Apoſtolorum ſuper hoc crebriùs acta teſtantur. Evangelium quoque quod appellatur ſecundùm Hebræos, & à me nuper in græcum Latinumque ſermonem tranſlatum eſt, quo & Origenes ſæpè utitur, poſt reſurrectionem Salvatoris refert: *Dominus autem cùm dediſſet ſindonem ſervo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus ſe non comeſturum panem ab illa hora, quâ biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à dormientibus.* Rurſoſque poſt paululum. *Afferte*, ait Dominus: *menſam & panem*. Statimque additur. *Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Jacobo juſto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit Filius hominis à dormientibus.* Triginta itaque annos Jeroſolymorum rexit Eccleſiam, id eſt, uſque ad ſeptimum Neronis annum, & juxta templum, ubi & præcipitatus fuerat: ſepultus eſt. Titulum uſque ad obſidionem Titi & ultimam Hadriani notiſſimum habuit. Quidam è noſtris in Monte Oliveti eum putaverunt conditum: ſed falſa eorum opinio eſt.

EJUSDEM PRÆFATIO

E Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum deprompta.

SIMON Petrus filius Johannis, provinciæ Galilææ, vico Bethſaidâ, frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum qui de circumciſione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudii Imperatoris anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique annis viginti quinque cathedram Sacerdotalem tenuit, uſque ad ultimum annum Neronis, id eſt, decimum quartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt; capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus elevatis; aſſerens ſe indignum qui ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus. Scripſit duas Epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur: quarum ſecunda, à pleriſque ejus eſſe negatur, propter ſtyli cum priore diſſonantiam. Sed & Evangelium juxta Marcum qui auditor ejus & interpres fuit, hujus dicitur. Libri è quibus unus Actorum ejus inſcribitur, alius Evangelii, tertius prædicationis, quartus Apocalypſeos; quintus judicii; inter apocryphas Scripturas repudiantur. Sepultus Romæ in Vaticano, juxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.

EJUSDEM PRÆFATIO

E Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum deprompta.

JUdas frater Jacobi parvam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, epiſtolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, à pleriſque rejicitur: tamen auctoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter ſanctas Scripturas computatur.

INDEX

EPISTOLARUM ET EVANGELIORUM,

QUÆ E VETERI ET NOVO TESTAMENTO EXCERPTA;

in Eccleſia Dominicis & aliis feſtis diebus leguntur, juxta Miſſalis reformationem ex decreto Sacro-Sancti Concilii Tridentini reſtituti Pii V. Pontificis Maximi juſſu editi, & Clementis VIII. auctoritate recogniti.

ADVENTUS.

Dominica prima.

EPISTOLA, Scientes, Rom. c. 13. ✝. 11. ad ✝. 14.
Evangelium, Erunt. Luc. c. 21. ✝. 25. ad ✝. 33.

Dominica ſecunda.

Epiſt. Quæcumque, Rom. 15. 4. 13.
Evang. Cùm. Matth. 11. 2. 10.

Dominica tertia.

Epiſt. Sic nos, Philipp. 4. 4. 7.
Evang. Miſerunt, Joan. 1. 19. 28.

Feria quarta Quatuor Temporum.

Epiſt. Erit, Iſa. 2. 2. 5.
It. Epiſt. Locutus eſt, Iſa. 7. 10. 15.
Evang. Miſſus eſt, Luc. 1. 26. 38.

Feria ſexta.

Epiſt. Egredietur, Iſa. 11. 1. 5.
Evang. Exurgens, Luc. 1 39. 47.

Sabbato.

Epiſt. Clamabunt, Iſa. 19. 20. 22.
It. Epiſt. Lætabitur, Iſa 35. 1. 7.
It, Epiſt. Super, Iſa. 40. 9. 11,
It. Epiſt. Hæc dicit, Iſa. 45. 8.
It. Epiſt. Angelus, Dan. 3. 49. 51.
It. Epiſt. Rogamus, 2. Theſſ. 2. 1. 8.
Evang. Anno, Luc. 3. 1. 16.

Dominica quarta.

Epiſt. Sic nos, 1. Cor. 4. 1. 5.
Evang. Anno, Luc. 3. 1. 16.

In vigilia Nativitatis Domini.

Epiſt. Paulus, Rom. 1. 1. 6.
Evang. Cùm eſſet, Matth. 1. 18. 21.

25. Decemb. IN NATIVITATE DOMINI.

Ad primam Miſſam in nocte.

Epiſt. Apparuit, Tit. 2. 11. 15.
Evang. Exiit, Luc. 2. 1. 14.

Ad Miſſam in Aurora.

Epiſt. Apparuit, Tit. 3. 4. 7.
Evang. Paſtores, Luc. 2. 15. 20.

Ad Miſſam in die.

Epiſt. Multifariam, Hebr. 1. 1. 12.
Evang. In principio, Joan. 1. 1. 14.

26. Decemb. *In Feſto S. Stephani Protomartyris.*

Epiſt. Stephanus, Act. 6. 8. 10. & c. 7. 54. 59.
Evang. Ecce ego, Matth. 23. 34. 39.

27. Decemb. *In feſto S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.*

Epiſt. Qui timet, Eccl. 15. 1. 6.
Evang. Sequere, Joan. 21. 19. 24.

28. Decemb. *In feſto SS. Innocentium.*

Epiſt. Vidi, Apoc. 14. 1. 5.
Evang. Angelus, Matth. 2. 13. 18.

29. Decemb. *In feſto S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris.*

Epiſt. Omnis, Heb. 5. 1. 6.
Evang. Ego ſum, Joan. 10. 11. 16.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

Epiſt. Quanto, Galat. 4. 1. 7.
Evang. Erant, Luc. 2. 33. 39.

31. Decemb. *In feſto S. Sylveſtri Papæ & Confeſſoris.*

Epiſt. Teſtificor, 2. Timoth. 4. 1. 8.
Evang. Sint, Luc. 12. 35. 41.

1. Januarii. *In die Circumciſionis & octava Nativitatis Domini.*

Epiſt. Apparuit, Tit. 2.
Evang. Poſtquam, Luc. 2. 21. 22.

6. Januarii, *In Epiphania Domini.*

Epiſt. Surge, Iſa. 60. 1. 6.
Evang. Cùm natus, Matth. 2. 1. 13.

Dominica infra octavam Epiphaniæ.

Epiſt. Obſecro, Rom. 12. 1. 5.
Evang. Cùm, Luc. 2. 42. 52.

In octava Epiphaniæ.

Epiſt. Surge, Iſa. 60. 1. 6.
Evang. Vidit, Joan. 1. 29. 34.

Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

Epiſt. Habentes, Rom. 12. 6. 16.
Evang. Nuptiæ, Joan. 2. 1. 11.

Dominica tertia poſt Epiphaniam.

Epiſt. Nolite, Rom. 12. 16. 21.
Evang. Cùm, Matth. 8. 1. 13.

Dominica quarta poſt Epiphaniam.

Epiſt. Nemini, Rom. 13. 8. 10,
Evang. Aſcendente, Matth. 8. 24. 34.

Dominica quinta poſt Epiphaniam.

Epiſt. Induite, Coloſſ. 3. 12. 41.
Evang. Simile, Matth. 13, 24. 30.

Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

Epiſt. Gratias, 1. Theſſ. 1. 2. 20.
Evang. Simile, Matth. 13. 31. 35.

Dominica in Septuageſima.

Epiſt. Neſcitis, 1. Cor. 9 24. 35.
Evang. Simile eſt, Matth. 20. 1. 16.

Dominica in Sexageſima

Epiſt. Libenter, 2. Cor. 11. 19. 39.
Evang. Cùm turba, Luc. 8. 4. 15.

Dominica in Quinquageſima.

Epiſt. Si linguis, 1. Cor. 13. 1. 13.
Evang. Aſſumpſit, Luc. 18. 31. 43.

Feria quarta Cinerum.

Epiſt. Convertimini, Joël, 2. 12. 19.
Evang. Cùm, Matth. 6. 16. 21.

Feria quinta.

Epiſt. Ægrotavit, Iſa. 38. 1. 7.
Evang. Cùm introiſſet, Matth. 8. 5. 12.

Feria ſexta.

Epiſt. Clama, Iſa. 58. 1. 4.
Evang. Audiſtis, Matth. 5. 38. 7.

Sabbato.

Epiſt. Si abſtuleris, Iſa. 58. 9. 14.
Evang. Cùm serò, Marc. 6. 47. 58.

Dominica prima in Quadrageſima.

Epiſt. Hortamur, 2. Cor. 6. 1. 10.
Evang. Ductus eſt, Matth. 4. 1. 11.

Feria ſecunda.

Epiſt. Ecce ego, Ezech. 34 11. 16.
Evang. Cùm venerit, Matth. 25. 31. *ad fin.*

Feria tertia.

Epiſt. Quærite, Iſa. 55. 6. 11.
Evang. Cùm intraſſet, Matth. 21. 10. 17.

Feria quarta Quatuor Temporum Quadrageſimæ.
Epiſt. Aſcendit, Exod. 24. 12. *ad fin.*
It. Epiſt. Venit, 3. Reg. 19. 3. 8.
Evang. Magiſter, Matth. 12. 38. *ad fin.*
Feria quinta.
Epiſt. Factus, Ezech. 18. 1. 9.
Evang. Egreſſus, Math. 15. 21. 28.
Feria ſexta Quatuor Temporum Quadrageſimæ.
Epiſt. Anima, Ezech. 18. 20. 28.
Evang. Erat dies, Joan. 5. 1. 15.
Sabbato Quatuor Temporum Quadrageſimæ.
Epiſt. Quando, Deut. 20. 12. *ad fin.*
It. alia Epiſt. Si cuſtodieritis, Deut. 11. 22. 25.
It. alia Epiſt. Orationem, 2. Machab. 1. 23. 27.
It. alia Epiſt. Miſerere, Eccl. 36. 1. 10.
It. alia Epiſt. Angelus, Dan. 3. 49. 51.
It. alia Epiſt. Rogamus, Theſſ. 5. 14. 24.
Evang. Aſſumpſit, Matth. 17. 19.
Dominica ſecunda in Quadrageſima.
Epiſt. Rogamus, 1. Theſſ. 4. 1. 17.
Evang. Aſſumpſit, Matth. 17. 19.
Feria ſecunda.
Epiſt. Oravit, Dan 9. 15. 19.
Evang. Ego vado, Joan. 8. 21. 29.
Feria tertia.
Epiſt. Factus eſt, 3. Reg. 17. 8. 16.
Evang. Super, Matth. 13. 1. 12.
Feria quarta.
Epiſt. Oravit, Eſther. 15. 8. 16.
Evang. Aſcendens, Matth. 20. 17. 28.
Feria quinta.
Epiſt. Maledictus, Jer. 17. 5. 10.
Evang. Homo quidam, Luc. 16. 19. 31.
Feria ſexta.
Epiſt. Dixit, Geneſ. 37. 6. 22.
Evang. Homo erat, Matth. 21. 33. 46.
Sabbato.
Epiſt. Dixit, Gen. 27. 6. 40.
Evang. Homo, Luc. 15. 11. *ad fin.*
Dominica tertia in Quadrageſima.
Epiſt. Eſtote, Epheſ. 5. 2. 9.
Evang. Erat, Luc. 11. 14. 28.
Feria ſecunda.
Epiſt. Naaman, 4. Reg. 5. 1. 14.
Evang. Utique, Luc. 4. 23. 30.
Feria tertia.
Epiſt. Mulier, 4. Reg. 4. 1. 7.
Evang. Si peccaverit, Matth. 18. 15. 22.
Feria quarta.
Epiſt. Honora, Exod. 20. 12. 24.
Evang. Quare, Matth. 11.
Feria quinta.
Epiſt. Factum, Jer. 7. 1. 7.
Evang. Surgens, Luc. 4. 38. *ad fin.*
Feria ſexta.
Epiſt. Convenerunt, Num. 20. 2. 13.
Evang. Venit, Joan. 4. 5. 42.
Sabbato.
Epiſt. Erat vir, Dan. 13. 1. 62.
Evang. Perrexit Jeſus, Joan. 8. 1. 11.
Dominica quarta in Quadrageſima.
Epiſt. Scriptum, Galat. 4. 21. *ad fin.*
Evang. Abiit, Joan. 6. 13. *ad fin.*
Feria ſecunda.
Epiſt. Venerunt, 4. Reg. 3. 16. *ad fin.*
Evang. Propè erat, Joan. 2. 13. *ad fin.*
Feria tertia.
Epiſt. Locutus eſt, Exod. 32. 7. 14.
Evang. Jam die, Joan. 7. 14. 13.
Feria quarta.
Epiſt. Sanctificabo, Ezech. 36. 23. 27.
It. alia Epiſt. Levamini, Iſa. 1. 16. 19.
Evang. Præteriens, Joan. 9. 1. 39.
Feria quinta.
Epiſt. Venit mulier, 4. Reg. 4. 25. 38.
Evang. Ibat, Luc. 7. 11. 16.
Feria ſexta.
Epiſt. Ægrotavit, 3. Reg. 17. 17. *ad fin.*
Evang. Erat quidam, Joan. 11. 2. 45.
Sabbato.
Epiſt. In tempore, Iſa. 49. 8. 15.
Evang. Ego ſum, Joan. 8. 12. 20.
Dominica de Paſſione.
Epiſt. Chriſtus, Heb. 9. 11. 15.
Evang. Quis ex, Joan. 8. 46. *ad fin.*
Feria ſecunda.
Epiſt. Factum eſt, Joan. 3. 1. 10.
Evang. Miſerunt, Joan. 7. 32. 39.
Feria tertia.
Epiſt. Congregati, Dan. 14. 27. *ad fin.*
Evang. Ambulabat, Joan. 7. 1. 13.
Feria quarta.
Epiſt. Loquere, Levit. 19. 10. 19.
Evang. Facta ſunt, Joan. 10. 22. 38.
Feria quinta.
Epiſt. Oravit Azarias, Dan. 3. 34. 45.
Evang. Rogabat, Luc. 7. 36. *ad fin.*
Feria ſexta.
Epiſt. Dixit Jeremias, Jer. 17. 13. 18.
Evang. Collegerunt, Joan. 11. 47. 54.
Sabbato.
Epiſt. Dixerunt, Jer. 18. 18. *ad fin.*
Evang. Cogitaverunt, Joan. 12. 10. 38.
Dominica in Palmis.
Poſt benedictionem Palmarum.
Epiſt. Venerunt, Exod. 15. 17. ad 6. c. 16.
Evang. Cùm appropinquaſſet, Matth. 21. 1. 10.
Ad Miſſam.
Epiſt. Hoc enim, Phil. 2. 5. 11.
Evang. Paſſio Domini, Matth. 26. 2. *ad fin.*
Feria ſecunda majoris Hebdomadæ.
Epiſt. Dominus, Iſa. 50. 5. 10.
Evang. Ante, Joan. 12. 1. 9.
Feria tertia majoris Hebdomadæ.
Epiſt. Dixit Jeremias, Jer. 11. 18. 20.
Evangelium, Paſſio Domini, Marc. 14. 1. *ad fin.* c. 15.
Feria quarta majoris Hebdomadæ.
Epiſtola, Dicite, Iſa. 62. 11. 7.
Alia Epiſtola, Quis credidit, Iſa. 53. 1. *ad fin.*
Evang. Paſſio Domini, Luc. 22. 1. 53. c. 23.
Feria quinta in Cœna Domini.
Epiſtola Convenientibus, 1. Cor. 11. 20. 32.
Evangelium, Ante diem, Joan. 13. 1. 15.
Feria ſexta in Paraſceve.
Epiſtola, In tribulatione, Oſee 6. 1. 6.
Alia Epiſtola, Dixit Dominus, Exod. 12. 1. 11.
Evang. Paſſio Domini, Joan. 18. 1. *ad fin.* c. 19.
Sabbato ſancto.
Epiſtola, Si conſurrexiſtis, Coloſſ. 3. 1. 14.
Evangelium, Veſpere, Matth. 28. 1. 7.
Dominica Reſurrectionis Domini.
Epiſtola, Expurgate, 1. Cor. 5. 7. 8.
Evang. Maria Magdalene, Marc. 16. 1. 7.
Feria ſecunda.
Epiſtola, Vos ſcitis, Act. 10. 37. 43.
Evangelium, Duo ex, Luc. 24. 13. 35.
Feria tertia.
Epiſtola, Viri fratres, Act. 13. 26. 33.
Evangelium, Stetit Jeſus, Luc. 24. 36. 47.
Feria quarta.
Epiſtola, Deus, Act. 3. 13. 19.
Evangelium, Manifeſtavit, Joan. 21. 1. 14.
Feria quinta.
Epiſt. Angelus, Act. 8. 26. *ad fin.*
Evang. Maria, Joan. 20. 11. 18.
Feria ſexta.
Epiſt. Chriſtus, 1. Pet. 3. 18. 22.
Evang. Undecim, Matth. 28. 16. *ad fin.*
Sabbato in Albis.
Epiſt. Deponentes, 1. Pet. 2. 1. 10.
Evang. Una ſabbati, Joan. 20. 1. 9.
Dominica in Albis in octava Paſchæ.
Epiſt. Omne, 1. Joan. 5. 4. 9.
Evang. Cùm eſſet, Joan. 20. 19. *ad fin.*
Dominica ſecunda poſt Paſcha.
Epiſt. Chriſtus, 1. Pet. 2. 21. 19.

Evang. Ego ſum, Joan. 10. 11. 17.

Dominica tertia poſt Paſcha.

Epiſt. Obſecro, 1. Pet. 2. 21. *ad fin.*
Evang. Modicum, Joan. 16. 16. 21.

Dominica quarta poſt Paſcha.

Epiſtola, Omne, Jacob. 1. 17. 21.
Evang. Vado ad eum, Joan. 16. 5. 14.

Dominica quinta poſt Paſcha.

Epiſtola, Eſtote, Jacob. 1. 22. *ad fin.*
Evang. Amen, Joan. 16. 23. 30.

In Rogationibus.

Epiſtola, Confitemini, Jacob. 5. 16. *ad fin.*
Evang. Quis veſtrûm, Luc. 11. 5. 12.

In Vigilia Aſcenſionis.

Epiſtola, Unicuique, Epheſ. 4. 7. 13.
Evang. Sublevatis, Joan. 17. 1. 11.

In die Aſcenſionis Domini.

Epiſt. Primùm, Act. 1. 1. 11.
Evang. Recumbentibus, Marc. 16. 14. *ad fin.*

Dominica infra Octavam Aſcenſionis.

Epiſt. Eſtote, 1. Pet. 4. 7. 11.
Evang. Cùm venerit, Joan. 15. 26. *ad fin.*

Sabbato in vigilia Pentecoſtes.

Epiſtola, Factum eſt, Act. 19. 1. 8.
Evang. Si diligitis, Joan. 14. 15. 21.

In Dominica Pentecoſtes.

Epiſtola, Cùm complerentur, Act. 2. 1. 11.
Evang. Si quis diligit me, Joan. 14. 15. 21.

Feria ſecunda.

Epiſt. Aperiens Petrus, Act. 10. 42. 48.
Evang. Dixit Jeſus, Joan. 3. 16. 21.

Feria tertia.

Epiſt. Cùm audiſſent, Act. 8. 14. 16.
Evang. Amen, amen, Joan. 10. 1. 10.

Feria quarta Quatuor Temp. Pentecoſtes.

Epiſtola, Stans Petrus, Act. 2. 14. 20.
Alia Epiſt. Per manus, Act. 5. 12. 15.
Evang. Nemo poteſt, Joan. 6. 44. 5.

Feria quinta.

Epiſtola, Philippus, Act. 8. 5. 8.
Evang. Convocatis, Luc. 9. 1. 16.

Feria ſexta Quatuor Temporum Pentecoſtes.

Epiſt. Exultate, Joël. 2. 23. 27.
Evang. Factum eſt, Luc. 5. 17. 26.

Sabbato Quatuor Temporum Pentecoſtes.

Epiſtola, Effundam, Joël. 2. 28. 32. *medium.*
Alia Epiſtola, Locutus, Lev. 23. 9. 15. 21.
Alia Epiſt. Cumque, Deut. 26. 1. 11.
Alia Epiſtola, Si in præceptis, Lev. 26. 3. 12.
Alia Epiſt. Angelus, Dan. 3. 49. 52.
Alia Epiſt. Juſtificati, Rom. 5. 1. 5.
Evang. Surgens, Luc. 4. 38. 44.

In feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.

Epiſt. O altitudo, Rom. 11. 33. *ad fin.*
Evang. Data eſt, Matth. 28. 18. *ad fin.*

Dominica prima poſt Pentecoſten.

Epiſt. Deus, 1. Joan. 4. 8. *ad fin.*
Evang. Eſtote, Luc. 6. 36. 42.

In ſolemnitate Corporis Chriſti.

Epiſt. Ego enim, 1. Cor. 11. 23. 29.
Evang. Caro mea, Joan. 6. 56. 59.

Dominica ſecunda poſt Pentecoſten quæ eſt infra Octavam Corporis Chriſti.

Epiſtola, Nolite, 1. Joan. 3. 13. 18.
Evang. Homo, Luc. 14. 16. 27.

In Octava Corporis Chriſti.

Epiſtola Ego, 1. Cor. 11. 23. 29.
Evang. Caro mea, Jon. 6. 56. 59.

Dominica tertia poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Humiliamini, 1. Pet. 5. 6. 12.
Evang. Erant, Luc. 15. 1. 10.

Dominica quarta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Exiſtimo, Rom. 8. 18. 22.
Evang. Cùm turbæ, Luc. 5. 1. 11.

Dominica quinta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Omnes, 1. Pet. 3. 8. 15. *medium.*
Evang. Amen dico, Matth. 5. 20. 24.

Dominica ſexta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Quicumque, Rom. 6. 3. 11.
Evang. Cùm turba, Marc. 8. 1. 9.

Dominica ſeptima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Humanum, Rom. 6. 19. *ad fin.*
Evang. Attendite, Matth. 7. 15. 21.

Dominica octava poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Debitores, Rom. 8. 12. 17.
Evang. Homo quidam, Luc. 16. 1. 19.

Dominica nona poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Non ſimus, 1. Cor. 10. 6. 13.
Evang. Cùm appropinquaret, Luc. 19. 41. 46.

Dominica decima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Scitis, 1. Cor. 12. 2. 11.
Evang. Dixit Jeſus, Luc. 18. 9. 14.

Dominica undecima poſt Pentecoſten.

Epiſt. Notum, 1. Cor. 15. 10. *medium.*
Evang. Exiens, Marc. 7. 31. *ad fin.*

Dominica duodecima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Fiduciam, 2. Corint. 3. 4. 10.
Evang. Beati, Luc. 10. 23. 37.

Dominica decimatertia poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Abrahæ, Gal. 3. 16. 22.
Evang. Dum irex, Luc. 17. 11. 19.

Dominica decimaquarta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Spiritu, Galat. 5. 16. 24.
Evang. Nemo, Matth. 6. 24. 33.

Dominica decimaquinta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Si ſpiritu, Galat. 5. 25. 10.
Evang. Ibat, Luc. 7. 11. 16.

Dominica decimaſexta poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Obſecro vos, Epheſ. 3. 13. *ad fin.*
Evang. Cùm intraret, Luc. 14. 1. 11.

Dominica decimaſeptima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Obſecro, Epheſ. 4. 1. 16.
Evang. Acceſſerunt, Matth. 22. 34. *ad fin.*

Feria quarta Quatuor Temporum Septembris.

Epiſtola, Ecce dies, Amos. 9. 13. *ad fin.*
Alia Epiſtola, Nehem. 8. 1. 10.
Evang. Reſpondens, Mar. 9. 16. 27.

Feria ſexta Quatuor Temporum Septembris.

Epiſtola, Convertere, Oſee. 14. *ad fin.*
Evang. Rogabat, Luc. 7. 36. *ad fin.*

Sabbato Quatuor Temporum Septembris.

Epiſtola, Locutus, Levit. 23. 26. 32.
Alia Epiſt. A quinto decimo, Levit. 23. 34. 43.
Alia Epiſtola, Paſce, Mich. 7. 14. *ad fin.*
Alia Epiſtola, Hæc dicit, Zach. 8. 14. 19.
Alia Epiſtola, Angelus, Dan. 3. 49. 51.
Alia Epiſtola, Tabernaculum, Heb. 9. 12. 12.
Evang. Dicebat, Luc. 13. 6. 18.

Dominica decima octava poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Gratias, 1. Cor. 1. 4. 8.
Evang. Aſcendens, Matth. 9. 1. 8.

Dominica decimanona poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Renovamini, Epheſ. 4. 23. 28.
Evang. Simile, Matth. 22. 1. 14.

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Videte, Epheſ. 5. 10. 17.
Evang. Erat, Joan. 4. 46. 53.

Dominica vigeſimaprima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Confortamini, Epheſ. 6. 10. 17.
Evang. Simile eſt, Matth. 18. 23. *ad fin.*

Dominica vigeſimaſecunda poſt Pentecoſten.

Epiſtola Confidimus, Philipp. 1. 6. 11.
Evang. Abeuntes, Matth. 22. 15. 21.

Dominica vigeſimatertia poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Imitatores: Phil. 3. 17. 4. c. 4.
Evang. Loquente, Matth. 9. 18. 7. 25.

Dominica vigeſimaquarta & ultima poſt Pentecoſten.

Epiſtola, Non ceſſamus, Coloſſ. 1. 9. 14.
Evang. Cùm videritis, Matth. 24. 15. 35.

PROPRIUM SANCTORUM.

30. Novemb. *In feſto ſancti Andreæ Apoſtoli.*

Epiſtola, Corde, Rom. 10. 10. 18.
Evang. Ambulans, Matth. 4. 18. 22.

8. Decemb.

8. Decemb. *In Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.*
Epiſtola, Dominus, Prov. 2. 28. 35.
Evang. Liber, Matth. 1. 1. 16.
21. Decemb. *In feſto ſancti Thomæ Apoſtoli.*
Epiſtola, Jam non eſtis, Epheſ. 2.
Evang. Thomas, Joan. 20. 24. 29.
17. Januarii. *In feſto ſancti Antonii Abbatis.*
Epiſtola, Dilectus, Eccl. 45. 1. 5.
Evang. Ecce nos, Matth. 19. 21. 24.
20. Januarii. *In feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani.*
Epiſtola, Sancti, Heb. 11. 33. 38.
Evang. Deſcendens, Luc. 6. 17. 23.
25. Januarii. *In Converſione ſancti Pauli Apoſtoli.*
Epiſtola, Saulus, Act. 9. 1. 22.
Evang. Ecce, Matth. 19. 27. 29.
2. Februarii. *In feſto Purificationis B. Mariæ Virginis.*
Epiſtola, Ecce ego, Malac. 3. 1. 4.
Evang. Poſtquam, Luc. 2. 22.
24. vel 25. Februarii. *In feſto ſancti Matthiæ Apoſtoli.*
Epiſtola, Exurgens, Act. 1. 15. *ad fin.*
Evang. Reſpondens, Matth. 11.
25. Martii. *In feſto Annunciatationis B. Mariæ Virginis.*
Epiſtola, Pete tibi, Iſa. 7. 10. 15.
Evang. Miſſus, Luc. 1. 26. 38.
25. Aprilis. *In feſto ſancti Marci Evangeliſtæ.*
Epiſtola, Similitudo, Ezech. 1. 10. 13.
Evang. Deſignavit, Luc. 10. 1. 9.
1. Maii. *In feſto ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi.*
Epiſtola, Stabunt, Sap. 5. 1. 5.
Evang. Non turbetur, Joan. 14. 1. 13.
3. Maii. *In feſto Inventionis ſanctæ Crucis.*
Epiſtola, Hoc enim, Philipp. 2. 5. 11.
Evang. Erat homo, Joan. 3. 1. 15.
24. Junii. *In feſto ſancti Joannis Baptiſtæ.*
Epiſtola, Audite, Iſa. 49. 1. 7.
Evang. Eliſabeth, Luc. 1. 57. 68.
29. Junii. *In feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.*
Epiſtola, Miſit, Act. 12. 1. 10.
Evang. Venit, Matth. 16. 13. 19.
2. Julii. *In feſto Viſitationis B. Mariæ Virginis.*
Epiſtola, Ecce iſte, Cant. 2. 8. 14.
Evang. Exurgens, Luc. 1. 39. 47.
22. Julii. *In feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ.*
Epiſtola, Surgam, Cant. 3. 2. 5. & 8. 6. 7.
Evangelium, Rogabat, Luc. 7. 36. 50.
25. Julii. *In feſto ſancti Jacobi Apoſtoli.*
Epiſtola, Puto quòd, 1. Cor. 4. 9. 15.
Evangelium, Acceſſit, Matth. 20. 20. 23.
26. Julii. *In feſto ſanctæ Annæ matris B. Mariæ Virginis.*
Epiſtola, Mulierem, Prov. 31. 20. *ad fin.*
Evangelium, Simile eſt, Matth. 13. 44. 52.
6. Auguſti. *In feſto Transfigurationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.*
Epiſtola, Non doctas, 2. Pet. 1. 16. 19.
Evangelium, Aſſumpſit, Matth. 17. 1. 9.
10. Auguſti. *In feſto ſancti Laurentii Martyris.*
Epiſtola, Qui parcè, 2. Cor. 9. 6. 10.
Evangelium, Amen, amen, Joan. 12. 24. 26.
15. Auguſti. *In Aſſumptione B. Mariæ Virginis.*
Epiſtola, In omnibus, Eccl. 24. 11. 20.
Evangelium, Intravit, Luc. 10. 38. *ad fin.*
24. Auguſti. *In feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.*
Epiſtola, Vos eſtis, 1. Cor. 12. 27. *ad fin.*
Evangelium, Exiit, Luc. 6. 12. 19.
25. Auguſti. *In feſto ſancti Ludovici Confeſſoris Regis Francorum.*
Epiſtola, Juſtum, Sap. 10. 10. 14.
Evangelium, Homo, Luc. 19. 12. 26.
29. Auguſti. *In Decollatione S. Joannis Baptiſtæ.*
Epiſtola, Factum eſt, Jerem. 1. 17. *ad fin.*
Evangelium, Miſit, Marc. 6. 17. 29.

8. Septemb. *In Nativitate B. Mariæ Virginis.*

Epiſtola, Dominus, Prov. 8. 22. 35.
Evangelium, Liber, Matth. 1. 1. 16.

Tomus II.

14. Septemb. *In feſto Exaltationis S. Crucis.*
Epiſtola, Hoc, Philipp. 2. 5. 11.
Evangelium, Nunc, Joan. 12. 31. 36.
21. Septemb. *In feſto ſancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.*
Epiſtola, Similitudo, Ezech. 1. 10. 15.
Evangelium, Vidit, Matth. 9. 9. 13.
29. Septemb. *In feſto Dedicationis ſancti Michaëlis Archangeli*
Epiſtola, Significavit, Apoc. 1. 1. 5.
Evangelium, Acceſſerunt, Matth. 18. 1. 10.
4. Octob. *In feſto ſancti Franciſci Confeſſoris.*
Epiſtola, Mihi, Galat. 6. 14. 18.
Evangelium, Reſpondens, Matth. 11. 25. 30.
9. Octob. *In feſto ſanctorum Martyrum Dionyſii & ſociorum.*
Epiſtola, Stans, Act. 17. 22. *ad fin.*
Evangelium, Attendite, Luc. 12. 1. 8.
18. Octobris. *In feſto ſancti Lucæ Evangeliſtæ.*
Epiſtola, Gratias, 2. Cor. 8. 16. *ad fin.*
Evangelium, Deſignavit, Luc. 10. 1. 9.
28. Octobris. *In feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.*
Epiſtola, Unicuique, Epheſ. 4. 7. 13.
Evangelium, Hæc, Joan. 15. 17. 25.
1. Novembris. *In feſto omnium Sanctorum.*
Epiſtola, Ecce, Apoc. 7. 2. 12.
Evangelium, Videns. Matth. 5. 1. 12.
2. Novemb. *In Commemoratione Defunctorum.*
Epiſtola, Ecce, 1. Cor. 15. 51. 57.
Evangelium, Amen, Joan. 5. 25. 29.
11. Novemb. *In feſto ſancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris*
Epiſtola, Ecce, Eccl. 44. & 45.
Evangelium, Nemo, Luc. 11. 33. 36.
21. Novemb. *In feſto Præſentationis Beatæ Mariæ Virginis.*
Epiſtola, Ab initio, Eccl. 24. 14. 16.
Evangelium, Loquente, Luc. 11. 27. 28.
In feſto ſanctæ Catharinæ Virginis & Martyris.
Epiſtola, Confitebor, Eccl. 51. 1. 7.
Evangelium, Simile eſt, Matth. 13. 44. 52.

COMMUNE SANCTORUM.

In natali Apoſtolorum

Epiſtola, Benedictio, Eccli, 44. 25. 9.
Evangelium, Hoc eſt, Joan. 15. 12. 16.
In natali unius Martyris Pontificis.
Epiſtola, Beatus, Jacob, 1. 12. 17.
Alia Epiſtola, Benedictus, 2. Cor. 1. 3. 6.
Evangelium, Si quis venit, Luc. 14. 25. 33.
Aliud Evangelium, Si quis vult, Matth. 16. 24. 27.
In natali unius Martyris non Pontificis.
Epiſtola, Juſtum, Sap. 10. 10. 13.
Alia Epiſt. Omne, Jacob, 2. 2. 12.
Alia Epiſt. Memor, 2. Timoth. 2. 8. 9. & 3. 10. 11
Alia Epiſt. Communicantes, 1. Pet. 4. 17. *ad fin.*
Evangelium, Nolite, Matth. 10. 34. *ad fin.*
Aliud Evangelium, Nihil, Matth. 20. 26. 34.
Aliud Ev. Niſi granum, Joan. 12. 24. 26.
De uno Martyre tempore Paſchali.
Epiſtola, Stabunt, Sap. 5. 4.
Evangelium, Ego ſum, Joan. 15. 15. 1. 7.
De pluribus Martyribus temp. Paſchali.
Epiſtola, Benedictus, 1. Pet. 1. 3. 6. Poſt hæc, Apoc. 19. 1. 8.
Evangelium, Ego ſum, Joan. 15. 5.
Aliud Evang. Amen, amen, Joan. 16. 20. 22.
Commune plurimorum Martyrum extra tempus Paſchale
Epiſtola, Juſtorum, Sap. 3. 1. 7.
Alia Epiſtola, Juſti autem, Sap. 5. 16. 19.
Alia Epiſtola, Rememoramini, Heb. 10. 32. 37.
Alia Epiſtola, Reddidit, Sap. 10. 17. *ad fin.*
Alia Epiſtola, Juſtificati, Rom. 5. 1. 4.
Alia Epiſtola, Non ſunt, Rom. 8. 18. 22.
Alia, Epiſtola, Exhibeamus, 2. Cor. 6. 4. 9.
Alia Epiſtola, Reſpondit, Apoc. 7. 13. *ad fin.*

Evangelium, Cùm audieritis, Luc. 11. 9. 19.
Aliud Evangelium, Deſcendens, Luc. 6. 17. 23.
Aliud Evangeliom, Sedente, Matth. 24. 3. 13.
Aliud Evangelium, Videos, Matth. 5. 1. 11.
Aliud Evang. Reſpondens, Matth. 11. 25. *ad fin.*
Aliud Evangelium, Væ vobis, Luc. 11. 47. 51.
Aliud Evangelium, Qui vos, Luc. 10. 16. 20.
Aliud Evangelium, Attendite. Luc. 12. 1. 8.

Commune Confeſſoris Pontificis.

Epiſtola, Ecce Sacerdos, Eccl. 44. & 45. quoad ſenſum, non quoad verba,
Alia Epiſtola, Plures, Hebr. 7. 13. 26.
Alia Epiſtola, Omnia, Hebr. 5. 1. 5.
Alia Epiſt. Mementote, Hebr. 13. 7. 16.
Evangelium, Homo, Matth. 25. 14. 27.
Aliud Evangelium, Vigilate, Matth. 24. 42. 47.
Aliod Evangelium, Nemo, Luc. 11. 33. 36.
Aliud Evangelium, Videte, Marc. 13. 33. 37.

Commune Doctorum.

Epiſtola, Teſtificor, 2. Timoth. 4. 1. 8.
Juſtus, Eccli. 39. 6. 13.
Evangelium, Vos eſtis, Matth. 5. 13. 19.

Commune Confeſſoris non Pontificis.

Epiſtola, Beatus, Eccli, 31. 8. 10.
Alia Epiſtola, Spectaculum, 1. Cor. 4. 9. 15.
Alia Epiſtola, Quæ mihi, Philipp. 3. 7 11.
Evangelium, Sint lumbi, Luc. 12. 35. 40.
Aliud Evangelium, Nolite, Luc. 12. 32. 34.
Aliud Evangelium, Homo, Luc. 19. 12. 26.

Commune Abbatum.

Epiſtola, Dilectus, Eccl. 45. 1. 5.
Evangelium, Ecce nos, Matth. 19. 27. 29.

Commune Virginum & Martyrum,

Epiſtola, Confitebor, Eccl. 51. 1. 7.
Alia Epiſt. Exaltaſti, Eccl. 51. 13. 17.
Evangelium, Simile eſt, Matth. 13. 44. 52.
Aliud Evangelium, Simile erit, Matth. 25. 1. 13.

Commune Virginum non Martyrum.

Epiſtola, De Virginibus, 1. Cor. 7. 25. 34.
Alia Epiſtola, Qui gloriatur, 2. Cor. 10. 18. 2. c. 11.
Evangelium, Simile eſt, Matth. 13. 44. 52.
Aliud Evang. Simile erit, Matth. 25. 1. 13.

Commune Mulierum ſanctarum nec Virginum nec Martyrum.

Epiſtola, Mulierem, Prov. 31. 20. *ad fin.*
Alia Epiſtola, Viduas, 1. Tim. 5. 2. 9.
Evangelium, Simile eſt, Matth. 13. 44. 52.

In Dedicatione Eccleſiæ.

Epiſtola, Vidi, Apoc. 21. 2. 4.
Evangelium, Ingreſſus, Luc. 19. 1. 9.

In ſponſalibus.

Epiſtola Mulieres, Epheſ. 5. 22. *ad fin.*
Evangelium, Si licet, Matth. 19. 3. 6.

Ad tollendum ſchiſma.

Epiſtola, Obſecro, Epheſ. 4. 1. 21.
Evangelium, Sublevatis, Joan. 17. 11. 23.

Pro quacumque neceſſitate.

Epiſtola, Si iniquitates, Jer. 14. 7. 9.
Evangelium, Habete, Marc. 1. 22. 26.

Pro remiſſione peccatorum.

Epiſtola, Condelector, Rom. 7. 21. 25.
Evangelium, Petite, Luc. 11. 9. 13.

Contra Paganos.

Epiſt. Oravit Mardochæus, Eſther 13. 8. 17.
Evangelium, Quis, Luc. 11. 5. 13.

In tempore belli.

Epiſtola, Acceſſerunt, Jer. 42. à 1. *ad 2. med. & à 7. ad* 12.
Evangelium, Dico vobis, Matth. 24. 3. 8.

Propter.

Epiſtola, Fratribus, 2. Machab. 1. 1. 5.
Evangelium, Cùm eſſet, Joan. 20. 19. 23.

Pro vitanda mortalitate vel tempore peſtis.

Epiſtola, Immiſit, 2. Reg. 24. 15. 19. *& à med.* 25. *ad finem.*
Evangelium, Surgens, Luc. 4. 38. *ad fin.*

Pro infirmis.

Epiſtola, Teſtatur, Jacob 5. 13. 16.
Evangelium, Cùm, Matth. 8. 5. 13.

Pro peregrinantibus vel iter agentibus.

Epiſtola, Egreſſus, Gen. 26. à v. 10.
Evangelium, Euntes, Matth. 10. 7. 14.

INDEX
TESTIMONIORUM A CHRISTO
ET APOSTOLIS IN NOVO TESTAMENTO
CITATORUM EX VETERI.

Quæ huc in id congeſta ſunt, ut pii lectores nativam quorumdam intelligentiam, quæ ab ipſo Chriſto vero interprete, & ſpiritu ejus per Apoſtolos ſit tradita, aſſequantur, perſpiciantque in quem uſum ea Apoſtoli & Evangeliſtæ adduxerint.

GENESIS.

1. Maſculum & feminam fecit eos. Matth. 19. Marc. 10.
2. Requievit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis, Hebr. 4.
2. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, 1. Cor. 15.
2. Dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori. Matth. 19. Marc. 10. Epheſ. 5. 1. Cor. 6.
2. Erunt duo in carne una, Matth. 19. Marc. 10. 1. Corinth. 6. Gal. 3. 1.
12. Exi de terra tua & de cognatione tua, Act. 7.
12. Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, Act. 3. Eph. 5.
15. Sic erit ſemen tuom, Rom. 4.
15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, Rom. 4. Jac. 2. Gal. 3.
15. Erit ſemen tuum peregrinum in terra non ſua, Act. 7.
17. Quia patrem multarum gentium conſtitui te, Rom. 4.
18. Secundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius, Rom. 9.
21. Ejice ancillam & filium ejus, Gal. 4.
21. In Iſaac vocabitur tibi ſemen, Rom. 9.
22. Niſi benedicens benedicam te, & multipl. Heb. 6.
22. Quia benedicentur in te omnes gentes, Gal. 3. Act. 3.
25. Quia major ſerviet minori, Rom. 9.

EXODUS.

3. Ego ſum Deus Abraham, &c. Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20.
9. In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te poten-

tiam meam, Rom. 9.
12. Os non comminuetis ex eo, Joan. 19.
13. Omne maſculinum adaperiens vulvam, Luc. 2.
16. Qui multum, non abundavit &c. 2. Cor. 8.
20. Non mœchaberis, Matth. 5.
20. Non adulterabis, Non occides, Non furtum facies, Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium, Non concupiſçes, Rom. 13.
20. Non concupiſces, Rom. 7.
20. Non occides, Marc. 5. Luc. 18.
20. Honora patrem tuum & matrem tuam, Matth. 15. Marc. 7. Epheſ. 6.
21. Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur, Matth. 15. Marc. 7.
21. Oculum pro oculo, dentem pro dente, Matth. 5.
22. Principi populi tui non maledices, Act. 23.
24. Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus, Heb. 9.
25. Vide, omnia facito ſecundùm exemplar quod tibi oſtenſum eſt, &c. Hebr. 8. Act. 7.
32. Fac nobis deos qui præcedant nos, Act. 7.
33. Miſerebor cui voluero, &c. Rom. 9.
34. Non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem, 2. Cor. 2.

Levitici.

12. Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum, 1. Pet. 1.
18. Qui fecerit homo, vivet in ea, Rom. 10. Gal. 3.
19. Non perjurabis, Matth. 5.
19. Diliges proximum tuum ſicut teipſum, Rom. 13. Gal. 5. Jac. 2. Matth. 22 Marc. 12.
19. Diliges proximum tuum, Matth. 5.
20. Qui maledixerit patri, & matri, &c. Matth. 15.
24. Oculum pro oculo, Matth. 5.
26. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, &c. 2. Cor. 6.

Numeri.

9. Os non comminuetis ex eo, Joan. 19.

Deuter.

4. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt, Heb. 12.
5. Non concupiſces, Rom. 7. 13.
5. Non occides, Matth. 5. Luc. 18.
5. Non mœchaberis, Matth. 5. Luc. 18.
5. Non furtum facies, Luc. 18. Rom. 13.
5. Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium, Luc. 18. Rom. 13.
5. Honora patrem & matrem, Matth. 15. Marc. 7. Epheſ. 6.
6. Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus unus eſt, Marc. 12.
6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Matth. 22. Marc. 12. Luc. 10.
6. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, Matth. 4. Luc. 4.
6. Non tentabis Dominum Deum tuum, Marc. 4 Luc. 4.
8. Non in ſolo pane vivit homo, Matth. 4. Luc 4.
10. Deus perſonam hominis non accipit, Gal. 2
18. Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus, Act 3. 7.
19. In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum, Matth. 18. Joan. 8. 2. Cor. 13.
19. Oculum pro oculo, dentem pro dente, Matth. 5.
21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, Gal. 3.
25. Non alligabis os bovi trituranti, 1. Cor. 9. 1. Tim. 5.
25. Si quis mortuus fuerit non habens filium, Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20.
27. Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, &c. Gal. 3.
30. Quis aſcendet in cœlum? Rom. 10.
30. Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, Rom. 10.
32. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, &c. Rom. 10.
32. Mihi vindicta, ego retribuam, Rom. 12.

Josue.

1. Non te deſeram, neque derelinquam, Hebr. 13.

Reg. II.

7. Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, Heb. 1.

Reg. III.

19. Domine, prophetas tuos occiderunt, &c. Rom. 11.
19. Reliqui mihi ſeptem millia virorum, Rom. 11.

Job.

5. Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum, 1. Cor. 3.

Liber Psalmorum.

2. Quare fremuerunt gentes, Act. 4.
2. Filius meus es tu, ego hodie genui te, Act. 13. Heb. 15.
3. Reges eos in virga ferrea, Apoc. 2. 19.
4. Iraſcimini, & nolite peccare, Epheſ. 4.
5. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, Rom. 3.
6. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, Matth. 7. 25. Luc. 13.
8. Ex ore infantium, & lactentium, &c. Matth. 21.
8. Quid eſt homo quòd memor es ejus? Hebr. 2.
8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, 1. Cor. 15.
9. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, Rom. 3.
13. Non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens, Rom. 3.
13. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, Rom. 3.
15. Providebam Dominum in conſpectu, &c. Act. 2.
15. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, Act. 2. 27.
17. Ego ero fidens in eum, Heb. 2.
17. Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, Rom. 15.
18. Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, Rom. 10.
21. Eli, Eli, lamma ſabacthani, Matth. 27. Marc. 15.
21. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, Matth. 27. Joan. 19.
21. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, Heb. 2.
23. Domini eſt terra, & plenitudo ejus, 1. Cor. 10.
24. Odio habuerunt me gratis, Joan. 15.
30. In manus tuas commendo ſpiritum meum, Luc. 23.
31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, Rom. 4.
33. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, 1. Pet. 3.
39. Hoſtiam & oblationem noluiſti, Heb. 10.
40. Qui manducat mecum panem, Joan. 13.
43. Propter te mortificamur tota die, Rom. 8.
44. Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, Heb. 1.
50. Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, Rom. 3.
54. Jacta ſuper Dominum curam tuam, 1. Pet. 5.
61. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, 1. Cor. 3.
67. Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, Epheſ. 4.
68. Zelus domus tuæ comedit me, Joan. 2.
68. Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me, Rom. 15.
68. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, Rom. 11.
68. Fiat commoratio eorum deſerta, Actor. 1.
68. In ſiti mea potaverunt me aceto, Joan. 19.
77. Aperiam in parabolis os meum, Matth. 13.
77. Panem cæli dedit eis, Joan. 6.
81. Ego dixi Dii eſtis, Joan. 10.
88. Inveni David ſervum meum, Act. 13.
90. Angelis ſuis mandavit de te, Matth. 4. Luc. 4.
93. Dominus novit cogitationes ſapientum, quoniam vanæ ſunt, 1. Cor. 3.
94. Hodie ſi vocem ejus audieritis, Hebr. 3.
94. Sicut juravi in ira mea, Hebr. 4.
96. Et adorent eum omnes angeli ejus, Hebr. 1.
101. Tu in principio Domine terram fundaſti, Hebr. 1.
103. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, Hebr. 1.
108. Et epiſcopatum ejus accipiat alter, Act. 1.
109. Dixit Dominus Domino meo, Matth. 22. Luc. 20. Act. 2.

109. Sede à dextris meis, Hebr. 1.
109. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum, &c. Hebr. 1. 1. Cor. 15.
109. Tu es ſacerdos in æternum, Hebr. 5. 7.
109. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Heb. 7.
111. Diſperſit dedit pauperibus, 2. Cor. 9.
115. Credidi. propter quod locutus ſum, 2. Cor. 4.
115. Omnis homo mendax, Rom. 3.
116. Laudate Dominum omnes gentes, Rom. 15.
117. Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo, Heb. 13.
117. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, Matth. 21. Marci. 12. Actor. 4. 1. Pet. 2.
117. Hoſanna filio David, Matth. 21.
131. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, Act. 2.
139. Venenum aſpidum ſub labiis eorum, Rom. 3.

PROVERB.

3. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos, Rom. 12.
3. Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, &c. Heb. 12.
3. Quem diligit Dominus corripit, &c. Heb. 12. Apoc. 3.
10. Charitas operit multitudinem peccatorum, 1. Pet. 4.
17. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, 1. Theſſ. 5. 1. Pet. 3.
20. Qui maledixerit patri vel matri, Matth. 15. Marc. 7.
25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, Rom. 12.
26. Canis reverſus ad vomitum, 2. Pet. 2.

ISAIAS.

1. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, Rom. 9.
5. Homo plantavit vineam, Matth. 21. Luc. 20. Marc. 12.
6. Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus ſabaoth, Apoc. 4.
6. Auditu audietis, & non intelligetis, Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Act. 28. Joan. 12. Rom. 11.
7. Ecce Virgo in utero habebit, Matth. 1.
8. Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus, Heb. 2.
9. Terra Zabulon & terra Nephthali, Matth. 4.
10. Si fuerit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, Rom. 9.
11. Revelabitur ille iniquus quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui, 2. Theſſ. 2.
11. Erit radix Jeſſe, Rom. 15. Act. 13.
21. Cecidit cecidit Babylon illa magna, Apoc. 14.
22. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur, 1. Cor. 15.
22. Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clavem David, Apoc. 3.
25. Abſterget Dominus omnem lacrymam ab oculis, &c. Apoc. 7. 21.
28. Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic, 1. Cor. 14.
28. Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, Rom. 9. 1. Petri 2. Actor. 4.
29. Populus hic labiis me honorat, Matth. 15. Marc. 7.
29. Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam, &c. 1. Cor. 1.
33. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi inquiſitor hujus ſæculi? 1. Cor. 1.
40. Vox clamantis in deſerto, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Joan. 1.
40. Omnis caro fœnum, 1. Pet. 1. Jac. 1.
40. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit eum, Rom. 11.
40. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? 1. Cor. 2.
41. 44. Ego ſum primus & noviſſimus, Apoc. 1. 22.
42. Ecce puer meus quem elegi, Matth. 12.
43. Ecce nova facio omnia, Apoc. 21. 2. Cor. 5.
45. Numquid dicit figmentum ei qui ſe, &c. Rom. 9.
45. Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, Rom. 14.
49. Poſui te in lucem Gentium, Act. 13.
49. Tempore accepto exaudivi te, &c. 2. Cor. 6.
49. Non eſurient neque ſitient amplius, Apoc. 7.
50. Tunc expuerunt in faciem ejus, Matth. 26.
52. Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, Rom. 10.
52. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini. &c. 2. Cor. 6.
52. Nomen Dei per vos blaſphematur, Rom. 2.
52. Quibus non eſt annuntiatum de eo videbunt, Rom. 15.
53. Domine, quis credidit auditui noſtro, Rom. 10. Joan. 12.
53. Ipſe infirmitates noſtras accepit, Matth. 8.
53. Tanquam ovis ad occiſionem, Act. 8.
53. Et cum iniquis reputatus eſt, Marc. 15. Luc. 22.
53. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus, 1. Pet. 2. 1. Joan. 3.
53. Qui peccata noſtra pertulit in corpore, 1. Pet. 2.
54. Lætare ſterilis quæ non paris, Gal. 4.
54. Erunt omnes docibiles Dei, Joan. 6.
55. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis, Apoc. 22.
55. Dabo vobis ſancta David fidelia, Act. 13.
56. Domus mea domus orationis vocabitur, Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19.
59. Contritio & infelicitas in viis eorum, Rom. 3.
59. Galeam ſalutis aſſumite, Epheſ. 6. 1. Theſſ. 5.
59. Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem à Jacob, Rom. 11.
60. Et portæ ejus non claudentur per diem, Apoc. 21.
60. Et civitas non eget ſole neque luna, Apoc. 22.
60. Nox ultrà non erit, Apoc. 21.
61. Spiritus Domini ſuper me, Luc. 4.
62. Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit, Matth. 21.
64. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c. 1. Cor. 2.
65. Inventus ſum à non quærentibus me, Rom. 10.
65. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, Rom. 10.
65. Novos verò cælos, & novam terram, 2. Pet. 3. Apoc. 21.
66. Cælum mihi ſedes eſt, Act. 7.
66. Ubi vermis eorum non moritur, Marc. 9.

JEREM.

5. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, Matth. 21. Marc. 1. 11. Luc. 19.
9. Qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. Cor. 1. 2. Cor. 10.
10. Quis non timebit te Domine, Apoc. 15.
17. Ego ſum ſcrutans renes & corda, Apoc. 2.
31. Vox in Rama audita eſt, Matth. 2.
31. Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, 2. Cor. 6.
31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda teſtamentum novum, Heb. 8.
31. Hoc autem teſtamentum quòd teſtabor ad illos, &c. Dabo leges meas in cordibus eorum. Hebr. 10.
51. Cecidit Babylon magna, Apoc. 18.

EZECH.

3. Accipe librum, & devora illum, Apoc. 10.
20. Qui fecerit homo, vivet in ea, Rom. 10.
32. Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, &c. Matth. 24.
36. Nomen Dei per vos blaſphematur inter Gentes, Rom. 2.

DANIEL.

9. Cùm videritis abominationem deſolationis quæ dicta eſt à Daniele propheta, Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21.

OSEÆ.

1. Et erit in loco ubi dictum eſt eis. Non plebs mea vos, &c. Rom. 9.
2. Vocabo non plebem meam, plebem meam, Rom. 9. 1. Pet. 2.
6. Miſericordiam volo, & non ſacrificium, Matth. 9. 12.

Digitized by Google

10. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos & collibus, Operite nos, Luc. 23.
11. Ex Ægypto vocavi filium meum, Matth. 2.
13. Abſorpta eſt mors in victoria, 1. Cor. 15.

JOEL.

2. Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo, Actor. 2.
2. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, Rom. 10.

AMOS.

5. Numqnid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi, Act. 7.
6. Væ vobis divitibus, Luc. 6.
9. Poſt hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, Act. 15.

JONAS.

2. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, Matth. 12. Luc. 11.
3. Pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, Matth. 12. Luc. 11.

MICHÆÆ.

5. Et tu Bethlehem terra Juda, Matth. 2.
7. Veni ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem, Matth. 10. Luc. 12.

NAHUM.

1. Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem: Rom. 10.

HABACUC.

1. Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini, quia opus operor ego in diebus veſtris, Act. 13
2. Juſtus autem ex fide vivit, Rom. 1. Gal. 3.

AGGÆ.

2. Adhuc ſemel, & ego movebo non ſolùm terram, ſed & cælum, Heb. 12.

ZACHAR.

8. Loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, Epheſ. 4.
9. Ecce rex tuus venit, Matth. 21. Joan. 12.
11. Et acceperunt triginta argenteos, Matth. 27.
12. Videbunt in quem compunxerunt, Joan. 19.
13. Percutiam paſtorem, Matth. 26. Marc. 14.

MALACH.

1. Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui, Rom. 9.
3. Ecce ego mitto angelum meum, Matth. 11. Marc. 1. Luc. 7. Joan. 1.
4. Ipſe eſt Elias qui venturus erat, Matth. 11.
4. Quid eſt quod ſcribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire? Matth. 17. Marc. 19.
4. Ut convertat corda patrum in filios, Luc. 1.

HEBRAICORUM, CHALDÆORUM, GRÆCORUMQUE NOMINUM INTERPRETATIO.

AARON, mons ſive monteſnus.
Abba, pater, Syrum eſt verbum.
Abbarim, tranſitus, plur. nu. ſive tranſeuntes.
Abdemelech, ſervus regis.
Abdenago, ſervus charitatis.
Abdias, ſervus Domini.
Abdon, ſervus.
Abel, per aleph, luctus, civitas.
Abel, per he in principio, vanitas, filius Adam.
Abeſſalom, pater pacis.
Abia, pater Domini.
Abiathar, pater excellens.
Abigaïl, pater exultationis.
Abimelech, pater rex.
Abinadab, pater ſpontaneus.
Abiſag, patris ignorantia.
Abner, patris lucerna.
Abra, ancilla, Græcum verbum.
Abram, pater excelſus.
Abraham, pater multitudinis.
Abſalon, pater pacis.
Acan, tribulatio.
Accaron, ſterilitas.
Achab, frater patris.
Achaïa, dolor, vel triſtitia.
Achaz, apprehendens, ſive poſſidens.
Achimelech; frater meus rex.
Achitob, frater bonitatis.
Adam, homo, ſive Terrenus, aut rufus.
Adon, Dominus, aut Baſis.
Adonaï, Domini mei, numero multitudinis, unum eſt ex nominibus Dei, quod interpres aliquando poſuit pro nomine Dei tetragrammaton.
Adonias, dominator, Dominus.
Ægyptus, anguſtiæ, ſive tribulationes, Hebraïcè Miſraim.
Æneas, laudatus.
Æthiopia Græcè, ardorem ſignificat. Hebraïcè Cus dicitur, id eſt Nigredo vel Nigra:
Agabus, locuſta.
Agag, rectum.
Agar, peregrina.
Aggæus, feſtivus.
Ahod, laodans.
Alexander, auxiliator virilis.
Alexandria, Hebraicè dicitur No: quod interpretatur Crudum, ſive irritatio.
Alleluia, Laudate Dominum.
Amalec, populus lambens.
Amam, mater, timor eorum.
Amao, conturbans.
Amana, fides, ſive veritas.
Amaſaï, per aleph, fortis vel robuſtus.
Amaſaï, per ain, populi munus.
Amelech, rex.
Amen, fiat, efficiatur, aut firmum ſit.
Aminadab, populus ſpontaneus.
Ammon, Populus ejus.
Amnon, fidelis aut verax.
Amorrhæi, amari, rebelles.
Amos, per aleph, fortis, pater Iſaïæ.
Amos, per ain, oneratus, unus ex duodecim prophetis.
Amri, per aleph, amarus, vel loquens.
Amri, per ain, manibus, vel Dominium, princeps militiæ Iſraëliticæ.
Anania, nubes Domini.
Anathoth, reſponſiones, ſive cantica.
Andreas, fortiſſimus.
Anna, gratioſa, ſive miſericors.
Antiochia, pro vehiculo.
Aphrica Hebraicè Pul dicitur, id eſt, Caſus vel ruina Iſaïæ 66. 34.
Aphrica, Nahum 3. 9. Put. Craſſa, ſive pinguis.
Apoſtolus, miſſus, legatus.
Arabes, Pſalm. 71. 15. Hebraicè Saba, id eſt, converſio.
Aram, celſitudo, ſublimitas.
Ararat, maledictio tremoris.
Arbee, quatuor.

Architriclinus, princeps triclinii.
Areopagita, de colle Martis.
Areopagus, collis Martis.
Areuna, Urca, vel Canticum.
Argob, Gleba, vel Glarea,
Armenia, Hebraicè dicitur Ararat, maledictio tremoris.
Arnon, exultans.
Arphaxad, ſanans.
Artaxerxes, lumen, ſive maledictio.
Aſaph, congregans.
Aſer, per ſamech, vinctus, filius Caath.
Aſer, per ſin, beatitudo, ſive felicitas, filius Jacob.
Aſſuerus, princeps & caput.
Aſſur, inſidians, ſive beatus.
Aſtaroth, greges ſive divitiæ.
Athalia, tempus Domino.
Athene, ſine cumulo.
Attalia, augens, vel nutriens.
Ava, iniquitas.
Axa, adornata.
Azarias, auxilium Domini.
Azor, adjutor.
Azotus, Hebraïcè Aſdor, deprædatio.

B.

Baal, idolum, aut dominans.
Baal, Oſee 10. 24. Arbel legendum, id eſt, pugnavit Deus.
Baa'im, idola, dominantes.
Babel, confuſio, commiſtio.
Bala, inveterata, turbata, ancilla Rachel, per he in fine.
Bala, deglutiens, deſtruens, urbs, per aio in fine.
Balaam, vetuſtas populi.
Balac, deſtruens.
Banaias, Filius Domini.
Barac, fulgur.
Barachias, benedicens Dominum.
Bar-jona, filius columbæ.
Barnabas, filios conſolationis.
Barſabas, filius converſionis.
Barthimæus, filius cæcus.
Bartholomæus, filius ſuſpendentis aquas.
Baruch, benedictus.
Bathuel, filiatio Dei.
Batus menſura liquidorum.
Beel-phegor, idolum hiatus.
Beelzebub, idolum muſcæ.
Peera, puteus,
Behemoth, Jumenta, Quadropedia.
Bel, vetuſtus.
Bela, deglutiens, deſtruens.
Belial, perverſus, abſque jugo.
Ben-ennom, filius divitiarum ſuarum.
Benjamin, filius dexteræ.
Ben-oni, filius doloris mei.
Bera, puteus.
Bereſith, in principio. Sic vocatus primus liber legis.
Berſabee, puteus juramenti.
Beth-abara, domus tranſitus.
Beth-ania, domus obedientiæ vel afflictionis.
Beth-aven, domus vanitatis.
Beth-dagon, domus frumenti.
Beth-el, domus Dei.
Bether, diviſio.
Beth-lehem, domus panis.
Bethphage, domus oris vallium,
Beth-phogor, domus hiatus.
Beth-ſabee, domus juramenti, civitas.
Beth-ſaïda, domus frugum.
Bethſames, domus ſolis.
Bethul, virgo.
Bezec, fulgur.
Boanerges, vel juxta S. Hieronymum Baneteem, filii tonitrui.
Booz in fortitudine.
Borith, herba in qua eſt acrimonia ſaporis.
Boſor, munitio.
Boſra, idem.

C.

Caath, congregatio, obtuſio.
Cades, ſanctitas.
Cain, poſſeſſio, poſſeſſus.
Caleb, quaſi cor.
Cana, zelus, æmulatio.
Cananæus, id eſt, ex Cana vico Galilææ.
Capharnaum, ager pœnitentiæ.
Cappadoces, Hebraicè Caphthorim, id eſt, Spherulæ.
Cariat-biarim. Civitas ſilvarum.
Cariath-ſepher, civitas litterarum.
Carmel, cognitio circumciſionis, vel Agnus circumciſus.
Carthaginenſes, Hebraicè Tharſis, id eſt, contemplatio gaudii.
Cedar, nigredo, triſtitia.
Cedes, ſanctitas.
Cedron, denigratus, triſtis.
Cephas, Petrus, à petra, Syrum.
Cetura, aromatizans.
Chæreas, læ us.
Chaldæa, Hebraicè Chaſdim, id eſt, quaſi dæmones.
Cham, calidus, calor.
Chanaan, mercator, negotiator.
Charmel, idem quod Carmel.
Cherub, quaſi magiſter.
Codchod, jaſpis.
Chorræi, furores.
Chriſtus, unctus.
Chus, Æthiops.
Cin, poſſeſſio, emptio.
Cinoth, lamentationes.
Cis, durus, ſtipola.
Cleophas, gloria omnis.
Cœleſyria, curva Syria.
Coloſſenſes, ſupplicio affecti.
Corban, Corbana, donum, oblatio.
Core, calvus, calvitium, per heth in fine.
Core, per aleph, in fine, Vocans, legeos, 1. Par. 9. 19.
Corozaim, hic eſt myſterium.
Coſbi, mendax.
Cyprus, pulchra.
Cyrus, quaſi miſer.

D

Dagon, frumentum.
Dalila, paupertas.
Damaſcus, ſanguinis ſuccus.
Damaſcus, 1. Reg. 16. Similitudo incendii, Hebr. Dumeſec.
Dan, judicans, ſive judicium.
Daniel, judicium Dei.
Darius, requirens.
Darmaſcus, generationis procuratio.
Dathan, ritus, lex.
David, dilectus.
Debora, apes, verbum.
Decapolis, decem civitatum, (ſub. regio.)
Diabolus, criminator, calumniator.
Diabolus, Habacuc 3. 4. Hebr. Reſeph; id eſt, volucris, flamma.
Dibre hajamim, verba dierum.
Didymus, gemellus.
Dina, judicium, vel judicans.
Dionyſius, divinitus ſtillatus.
Dithalaſſum, duo maria.
Doëg, ſolicitus, anxius.
Dor; generatio.
Dora, generatio, vel habitatio.

E.

Ebal, acervus vetuſtatis.

Digitized by Google

Eccleſiaſtes , concionator.
Eden , voluptas , deliciæ.
Edom , rufus.
Eglon , vitulus.
Elcana , Deus zelores.
Eleazar , Dei adjutorium.
Elehanan , Dei gratia ſive miſericordia.
Eliacim , Dei reſurrectio.
Elias , Deus Dominus.
Eliezer , Dei adjutorium.
Elimelech , Deus meus rex.
Eliſabeth , Deus juramenti.
Eliſæus , Dei ſalus , Deus ſalvans.
Elle haddebarim , hæc ſunt verba , ſic incipit quintus liber legis.
Elnathan , Deus dedit.
Emmanuel , oobiſcum Deus.
Emmaus , timens conſilium.
Enac , gigas , torques.
Encænia , renqvatio , dedicatlo.
Ennom , ecce illi.
Eoos , homo , vel vir.
Ephraim , frugifer , creſcens.
Ephraim , Hebraicè Ephra , id eſt , Pulverulenta , ſive plumbea. 2. Reg. 13. 7.
Ephrata , ubertas , ſive frugifera.
Ephron , pulvis.
Eſau , faciens , operans.
Eſdras , adjutor , atrium.
Eſther , occulta , aſcondita.
Etam , avis eorum.
Etham , fortitudo eorum.
Eobulus , prudens.
Ezechias, fortitudo Domini.
Ezechiel , fortitodo Dei.
Ezriel , auxilium Dei.

G

Gabaa , collis.
Gabriel , vir Deus , aut Dei.
Gad , Felix , accinctus. exercitus.
Galaad , abjectio.
Galaad , acervus teſtimonii,
Galatæ , lactantes.
Galgal , rota , revolutio.
Galilæa , volubilis.
Gazer , præſciſſio.
Gazophylacium , ubi theſauri templi ſervabantur.
Gebal , terminus.
Gedeo , conterens.
Gehenna , vallis triſtitiæ.
Gehennom , vallis contriſtans.
Gelboë , revolutio iuveſtigationis.
Gerſom , advena ibi.
Gerſon , exilium ejus.
Gibli , termini.
Gihon , pectus , exitus.
Gog , tectum.
Golgotha , Calvaria , ubi capita mortuorum reponuntur.
Goliath , tranſmigratio.
Gomor , genus menſuræ.
Gomorrha, populus rebellis.
Græci , Hebraicè Jevanim , id eſt, deceptores.

H.

Habacuc , loctator.
Hananias , gratia Domini.
Haram , deſtructus.
Havoth-iair , oppida illuminationis.
Habal , acervus vetuſtatis.
Heber , ſocius , particeps , per heth in principio.
Heber , per ain , tranſitus.
Hebræus , tranſiens.
Hebron , ſocietas.
Heli , oblatio.
Heliopolis , Hebraicè Oo , id eſt , dolor.
Henoch , dedicatus.
Hermon , deſtructio.
Heſron, ſagitta exoltatioois.
Heva , viva , vivens.
Hierapolis , ſacra civitas.
Hieronymus, ſacrum nomen.
Holofernes , fortis dox.
Hor , mons .
Horeb , deſertum.
Horma , deſtructio.
Hor , libertas.
Hus , conſilium.
Hymenæus , carmen nuptiale.

I.

Jabel , defluens.
Jabes , ſiccitas , per ſin io fine.
Jabes , triſtitia , per ſade in fine.
Jacob , ſupplantator.
Jahel , aſcendens , damula.
Jahiel , vivit Deus.
Jairitis . illuminatus.
Jamin , dextera , vel dexter.
Japheth , dilatatus.
Jaſoo , ſenans.
Javan , decipiens.
Ichabod , ubi gloria , væ gloriæ.
Idumæa , Rufa terrena.
Jebus , conculcatio.
Jechonias , præparatio Domini.
Jehu , ipſe, exiſtens.
Jehus , tinea corroſus , per ſin.
Jehus , 1. Par. 8. 10. Conſilians , per ſade.
Jemini , dextera , vel dexter.
Jephthe , aperiens.
Jerameel , miſericordia Domini.
Jeremias , celſitudo Domini.
Jericho , luna , menſis.
Jerobaal , impugnans idolum.
Jerobaal , impugnans populum.
Jeroſolyma , viſio pacis , viſio perfecta.
Jeruſalem , idem.
Jeſſe , ens , exiſtens.
Jeſboc , eſt vacuus.
Jeſus , Hebraicè Jehoſoa , Domious ſalvator.
Jethro , excellens.
Jezonias , aoſculatio Domini.
Jezrahel , ſemen Dei.
Indus , id eſt , de India , Hebraicè dicitur Hodu, id eſt, laudatio.
India , Job. 28. 16. Hebraicè Ophir , id eſt, Cinis.
Joab, paternitas , habens patrem.
Joachaa , Domini apprehenſio.
Joachaz , 2. Par. 34. 8. Apprehendens.
Joachim , Domini præparatio.
Joacim , Domini reſurrectio.
Joas , diffidens , deſperans.
Joas , Domini ignis , 4. Regum 11. 21. Hebr. Jehoas.
Joas , 1. Par. 7. 8. & 27. 28. Tioea corroſus per ain.
Job , dolens , gemens.
Joel , volens , incipiens.
Johanao, gratioſus , pius, miſericors.
Johannes , idem.
Jonas , columba.
Jonadab , ſpontaneus.
Jonathan , Domioi donum , filius Saül.
Joram , excelſus.
Jordanis , fluvius judicii.
Joſaphat , Dominus judex.
Joſeph , augmentum.
Joſeph , Pſalm. 80. 2. Domini augmentum , Hebr. Jehoſeph.
Joſias , ignis Domini.
Joſue , Dominus ſalvator.
Iſaac , riſus.
Iſai , munus aut ens.

Digitized by Google

Iſai, 1. Par. 2. 13. vir meus.
Iſaïas, Domini ſalus.
Iſboſeth, vir confuſionis.
Iſcanotes, vir occiſionis.
Iſmahel, exauditio Dei.
Iſraël, prævalens Deo.
Iſſachar, eſt merces, præmium.
Ithamar, inſula palmæ.
Jubilæus, buccina.
Judas, laudatio.
Julius, lanoginoſus.

L.

Laban, albus, candidos.
Lamech, pauper, humiliatus.
Lapidotg, fulgura.
Lazarus, Dei adjutorium.
Lechi, maxilla.
Leci, lex.
Levi, copulatus.
Leviathan, copulatio, ſocietas ſui.
Lia, laborioſa, fatigata.
Libanus, candidus.
Libya, Hebraicè Lobin, cor maris.
Lithoſtrotos, lapidibus ſtratus.
Lot, involutus, colligatus.

M.

Maacha, attrita.
Maaſias, opus Domini.
Maceda, incendium.
Madian, judicium, litigans.
Magdalena, magnifica.
Magi, ſapientes, vel philoſophi.
Malachias, nuntius meus.
Malaleel, laudans Deum.
Malchus, rex.
Mammona, pecunia, divitiæ.
Mamzer, de ſcorto natus.
Manahem, conſolator
Manaſſes, oblitus, oblivio.
Manue, requies.
Mara, amara.
Mardochai, amara contritio.
Maria, exaltata, amaritudinis mare.
Martha, provocans.
Maſſa, onus.
Maſpha, ſpecula.
Mathuſaël, mortem ſuam poſtulans.
Matthæus, donatus.
Melchias, rex Dominus.
Melchi-ſedech, rex juſtitiæ.
Melchi-ſua, rex ſalvator.
Meſollam, pacificus.
Meſopotamia, regio ſic dicta, quòd duobus fluviis Euphrate & Tigre ambiatur.
Micha, pauper.
Miſaël, quis ſicut Deus?
Michæas, idem.
Michol, quis omnia?
Miphiboſeth, de ore ignominia.
Miſaël, quis poſtulatus?
Miſle, Proverbia, nomen libri.
Miſphat, judicium.
Mna, libra, talentum.
Moab, de Patre.
Moria, amaritudo.
Moſa, azymum, per ſade.
Moſa, 1. Pa. 8. 9. onus.
Moyſes, attractus (ſub. de aquis.)
Myſia, ſceleſta.

N.

Naaman, pulcher.
Nabal, ſtultus.
Nabo, loquela, Prophetia.
Naboth, idem.
Nabuchodonoſor, planctus judicii.
Nachor, raucus, aridus.
Nadab, ſpontaneus.
Nahaſſon, coluber, ſerpens.
Nahum, conſolator.
Naim, pulcher.
Nathan, donatus.
Nathanaël, donum Dei.
Nazaræi, ſeparati, ſanctificati.
Nazareth, ſanctificata, ſeparata. Si autem per ſade ſcribatur, cuſtodita vel florida interpretatur.
Neapolis, nova civitas.
Nehemias, conſolatio.
Nehuſtan, Æneum.
Nemrod, rebellis.
Nephthali, Æquipartario.
Nioive, pulchra.
Noë, ceſſatio, requies.
Noëma, decora.

O.

Obadias, ſervus Domini.
Obed, ſervus.
Obed-edom, ſervus hominis.
Ochoſias, apprehenſio.
Odolla, teſtimonium illis.
Og, ſubcinericius panis.
Olla, elevatio, holocauſtum.
Onam, dolor.
Onana, dolor, iniquitas.
Oneſimus, utilis.
Oolla, tabernaculum.
Ophni, pugnus, pugillus.
Oreb, corvus.
Oſee, Salvator.
Oza, fortitudo.
Ozias, fortitudo Domini.
Oziel, fortitudo Dei.

P.

Palæſtina, conſperſa (ſub. cinere.)
Paracletus, conſolator, advocatus.
Paraſceve, præparatio.
Paſcha, tranſitus.
Pentateuchus, quinque volumina.
Pentecoſte, quinquageſima (ſub. dies.)
Petrus, ſaxum, petra.
Phacee, aperiens.
Phanuel, videns Deum.
Pharao, diſſipans.
Phares, diviſio, filius Judæ.
Phares, per ſin 1. Paral. 7. 16. Eques.
Phariſæi, diviſi.
Phaſe tranſitus.
Phaſga, collis.
Philiſthæa, conſperſa cinere.
Phiaces, facies confidentiæ.
Phogor, hiatus.
Phul, aphrica.
Pigmæi, Hebraicè dicuntur Gamadim.
Probatica, ovina, locus ubi pecora ſacrificanda tenebantur.
Proſelytus, advena, peregrinus.

R.

Raab, Pſal. 86. 4. ſuperba, fortis.
Rabba, multa, grandis.
Rachel, ovis.
Raguel, Paſtor Dei.
Rahab, lata, dilatata.
Ram, excelſus.
Rameſſes, tonitruum, tineæ.
Raphaël, medicina Dei.
Raphaim, gigantes, medici.
Rebecca, ſaginata.
Rebla, Reblatha, rixa.
Rechab, quadriga.
Remmon, malum granatum.
Reſpha, extenſio.

Roboam, dilatans populum.
Roma, excelſa, ſublimis.
Ruben, videns filium.
Ruma, excelſa.
Ruth, ſaturata.

S.

Saaph, cogitans.
Saba, per ſin, converſio, captivitas.
Saba, per ſamech, circuitio.
Sabaoth, exercitus, in plurali.
Sabata, circuitus.
Sabbathiſmus, requies, ceſſatio.
Sabbatum, idem.
Sadducæi, juſti.
Sadoc, juſtus.
Sale, miſſio.
Salem, vel Sallem, pax.
Salmanaſar, pax ligata.
Salmon, pacificus.
Salomith, idem, f. g.
Salomon, pacificus.
Salphaad, umbra formidinis.
Samaria, cuſtodia, Adamas.
Samſon, ſol ejus, nominis iteratio.
Samuel, poſitus à Deo.
Saphan, Hericius, cuniculus.
Saphat, judicans.
Sara, per he in fine, Domina, uxor Abrahæ.
Sara, per heth in fine, odorans, Domina odoris.
Saraï, Domina mea.
Sareptha, anguſtia buccellæ.
Saron, ſive Sorona, planities.
Sathan, adverſarius.
Saül, poſtulatus, commodatus.
Saül, 1. Reg. 9. 2. Hebraicè Sual, Vulpes.
Scenopegia, feſtum tabernaculorum.
Schibboleth, Spica.
Sedecias, juſtus Domini.
Segor, parva.
Sehon, eradicatio.
Sela, diſſolvens, filius Judæ.
Sellum, pacificus.
Sellum, manens.
Sem, nomen, fama, poſitus.
Semeï, obediens.
Semeï, 1. Par. 2. 28. Nomen meum.
Sennacherib, Rubus deſtructionis.
Seon, ſonitus.
Sepharvaim, libri, vel ſcribæ.
Sephora, pulchra, aut tuba, Exod. 1. 15. per ſin.
Sephora, Exod. 2. 21. Avis, paſſer, uxor Moyſis.
Seth, poſitus.
Setim, expanſiones.
Siba, exercitus, militia.
Sibboleth, onus.
Sicera, ebrietas.
Sichem, humerus.
Sihor, niger, turbidus, Nilus.
Siloë, miſſus, mittens.
Simeon, audiens, exauditio.
Simon, obediens.
Sin, Rubus, Exod. 16. 1. per ſamech.
Sin, per ſade, arma, ſcutum.
Sion, acervus, 2. Reg. 5. 7.
Sion, Deut. 4. 48. ſtrepitus.
Siſara, hirundinem videns.
Sodoma, ſecretum eorum.
Somer, cuſtos.
Sophthim, judices.
Sorec, vinea.
Stephanus, coronatus.
Sulamitis, pacifica, perfecta.
Sunamitis, dormiens.
Suſanna, lilium, roſa.

T.

Tarſus, alata, pennata.
Thabor, electio, puritas.
Thaddæus, laudans.
Thamar, palma, dactylus.
Thare, odorans, ſpirans.
Tharſis, contemplatio gaudii.
Thau, ſignum.
Thecua, ſpes, funiculus.
Teraphim, ſimulachra.
Thomas, abyſſus, geminus.
Thopheth, tympanum, ſeductio.
Timæus, cæcus, cæcitas.
Timotheus, honor Dei.
Titus, honorabilis.
Tobias, bonus dominus.
Tubalcain, mundana poſſeſſio.
Tyrii, Hebraicè Sorim, id eſt, Tribulantes.

V.

Vaiera, & vocavit, liber Levitici.
Vaiedabber, & locutus eſt Liber Numerorum.
Vaſthi, potans, bibens.
Veelle ſemoth, & hæc ſunt nomina. Secundus liber legis qui Exodus græcè vocatur.
Ur, ignis.
Urias, ignis Domini.

Z.

Zabad, dos, dotatus.
Zabdi, idem.
Zabulon, habitaculum.
Zachæus, purus.
Zacharias, memoria Domini.
Zambri, cantans.
Zara, oriens.
Zebedæus. dos, dotatus.
Zebe, victima.
Zelotes, æmulator.
Zelpha, diſtillatio oris.
Zorobabel, alienus à confuſione.

INDEX GEOGRAPHICUS QUI

Situs & nomina locorum in Scripturis Sacris occurrentium complectitur ; Ex Euſebio, ſancto Hieronymo, & quibuſdam Geographis recentioribus excerptus.

INDICEM Geographicum Terræ Sanctæ non ex aliis auctoribus majori fide dignis, quam ex Euſebio Cæſareæ Epiſcopo quæ erat illius regionis metropolis, & ex ſancto Hieronymo qui diutiſſimè in ea vixit, & loca ejus luſtravit, contexere poſſumus. Quibus recentiorum quoque, ut Adrichomii, Samſonis utriuſque, P. Lubin & aliorum ſolers diligentia addi poteſt. *Euſebius enim, ut Hieronymus in* Præfatione de ſitu & nominibus locorum Hebraïcorum teſtatur, *Poſt Chorographiam terræ Judææ, & diſtinctas tribuum ſortes, congregavit nobis de Sancta Scriptura omnium penè Urbium, montium, Fluminum, Viculorum, & diverſorum Locorum vocabula : quæ vel eadem manent, vel immutata ſunt poſtea, vel aliqua ex parte corrupta. Unde & nos admirabilis viri ſequentes ſtudium, ſecundum ordinem litterarum, ut ſunt in Græco poſita, tranſtulimus : relinquentes ea quæ digna memoriâ non videntur, & pleraque mutantes.* Cùm autem utriuſque nempe Euſebii, & Hieronymi opus temporum lapſu effugere non potuerit aliarum lucubrationum ſortem, vocum nempè plurimarum mutationes, aut omiſſiones, aut additiones, viri Doctiſſimi Bonfrerius olim, & nuperrimè Martianæus, ille ex S. J. Preſbyter, hic verò ex ordine Sancti Benedicti ſuis notis valdè eruditis, quantum fieri potuit, iis mederi conati ſunt. Plura Geographis recentioribus, ut è Nicolao Samſon, & P. Lubin quæ Euſebio & Hieronymo deeſſe videbantur, præſertim in locis præcipuis, quæque in Scripturis magis celebrantur, adjiciemus : in his omnibus ordinem alphabeticum obſervamus.

A.

ABANA, fluvius Damaſci per planitiem Archadob defluens.

ABARIM, mons in tribu Ruben, in quo mortuus eſt Moſes. Dicitur autem & mons eſſe Naban, in terra Moab contra Jericho ſupra Jordanem in ſupercilio Phaſga.

ABDON, Abtan, Madon, unius & ejuſdem urbis diverſa nomina, loco Abtan alii legunt Actan aut Achtan in Tribu Aſer : urbs Levitica, inter Chabul & Rohob.

ABEL vinearum, ubi dimicavit Jephte, in terra filiorum Ammon : ætate ſancti Hieronymi, in ſeptimo lapide Philadelphiæ, villa Abela videbatur vineis conſita, alia quoque erat civitas nomine Abela, vini fertilis, in duodecimo à Gadaris milliario contra orientalem plagam : necnon & tertia in Phœnice Abela, inter Damaſcum & Paneadem. Ex iis unicam facit Nicolaus Samſon in Manaſſe.

ABELA, Abel Maacha, Abel Beth Maacha, Beth Maacha, Abeldomus Maacha, & Abel Maïm, una & eadem urbs à priori diverſa, in tribu Nephthali.

ABELMAELA, urbs unius de principibus Salomonis in dimidia tribu Manaſſe intra Jordanem : unde fuit & Eliſæus Propheta.

ABELSATIM, locus in deſerto ad meridiem Moabitarum, poſtea in tribu Ruben : ibi de Beth-Simoth Iſraëlitæ caſtrametati ſunt.

ABEN-BOEN, i. e. Lapis Boen filii Ruben, in tribu Benjamin, in finibus Tribûs Juda, propè mare Salſiſſimum & Jordanem.

ABENEZER, quod interpretatur, lapis adjutorii, ſive lapis auxiliator, unde tulerunt Philiſthiim arcam teſtamenti, inter Æliam & Aſcalonem, juxta villam Bethſamis.

ABES, civitas in Tribu Iſſachar, inter Ceſion & Ramoth.

ABETHARIM : ubi adverſum Chananæum, qui ab auſtro contra Iſraël eruperat, in ſolitudine dimicatur.

ABILINA, Syriæ ſeu Phœniciæ tractus, Liſaniæ toparchia.

ABRAHÆ nemus, ab eo plantatum in Berſabee, poſtquam fœdus cum Abimelech pro puteo juramenti iniiſſet, hoc demum in meridionali parte tribûs Simeon fuit.

ACCAIN, civitas tribûs Judà, ad deſertum Thecuæ, non longè à Zanoë & Sabaa.

ACCARA, vicus in deſerto ſitus, in poſſeſſione tribûs Juda.

ACCARON, in tribu Dan ; ſive, ut arbitratur Euſebius, in tribu Juda ſub nomine Acron, ad lævam Chananæorum : urbs una de quinque olim Satrapiis Palæſtinæ ; & decreta eſt quidem tribui Juda, nec tamen tenta ab ea, quia habitatores priſtinos nequivit expellere. Quidam putant Accaron turrim Stratonis, poſtea Cæſaream nuncupatam.

ACCHO, Acco, Accon, Acſaph, ſive Axaph, unius ejuſdemque civitatis diverſa nomina, quæ nunc Ptolemaïs appellatur, ſortis Aſer, de qua habitatores priſtinos nequivit expellere.

ACHAD, una ex urbibus quas ædificavit Nemrod in terra Sennaar, inter Arach, & Chalanne, ad confluentem Tigridis & Euphratis, ad ripam orientalem.

ACHAIA, Græciæ pars, de quâ tantùm in Actibus Apoſtolorum, & in Epiſtolis Pauli mentio.

ACHASELUTH, civitas tribûs Iſſachar.

ACHAZIB & Acziba, civitas in tribu Aſer, de quâ priſtinos habitatores nequivit expellere.

ACHOR, in tribu Juda, Hebraicè dicitur EMECACHOR: quod interpretatur, Vallis tumultûs, vel turbarum ; eo quod ibi tumultuatus & turbatus ſit Iſraël : in qua lapidaverunt quondam Achan propter furtum anathematis.

ACHSAPH : *vide* Acco.

ACHRAN, in tribu Aſer : vide, ABDON.

ACHZIB, civitas in tribu Juda, non longè à Ceïla & Mareſa.

ACRABBI, terminus Judææ provinciæ ad orientem reſpiciens, tribûs Juda.

Digitized by Google

Aoaoa, civitas tribûs Juda, inter Dimona & Cades-Aſor, ad radices montium Seïr.

Adao-Remmon, civitas in campo Mageddon, in dimidiâ tribu Manaſſe, intra Jordanem.

Adama, io terra Chanaan, una de quinque civitatibus Sodomorum everſa cum cæteris.

Aoami, quæ & Neceb, in orientali regione tribûs Nephthali, ad dexteram ripam Jordanis, utriuſque nominis nulla amplius mentio.

Adar, quæ & Daran & Addar, villa, & quibuſdam civitas in meridionali limite tribûs Juda, noo longè ab Idumæa.

Aoasa vel Adarſa, & Adazer, orbs vel locus io tribu Ephraïm.

Aooara, in tribu Joda, juxta deſertum.

Aosr, urbs quam expugnavit Joſue, rege illius interfecto.

Adiada, urbs ædificata & munita à Simone Machabæo in Sephela.

Adithaim, in ſorte tribûs Juda, ad fines tribûs Dan.

Aoollam, io tribu Juda; ſancti Hieronymi tempore, vicus non parvus ad Orientem Eleutheropoleos, in decimo ejus milliario hoc nomine vocabatur.

Aoommim, aſcenſus ruforum & rubentium dictus, propter ſanguinem qui illic crebrò à latronibus fundebatur, tribûs Benjamin, & in confinio tribus Judæ, non longè à Jericho, ibi poſteà caſtrum conditum fuit in viatorum auxilium.

Adullam-Socho, urbs olim regia in tribu Juda, inter Jerimoth & Azeca.

Ægyptus, Africæ regio ampliſſima & fertiliſſima, non procul à Judæa, meridiem inter & Occidentem: inde Iſraëlitas duriſſimis operibus oppreſſos, Moſes poſt multa ſigna io conſpectu Pharaonis, & totius Ægypti facta, ſicco veſtigio per mare Rubrum, in terram promiſſam deduxit.

Ælam, *vide*, Ailath.

Ælia, quæ eſt Jeruſalem: *vide* Jeruſalem.

Ælim, caſtra filiorom Iſraël, & locus in deſerto: in quo duodecim fontes, & ſeptuaginta palmarum arbores, Moſes de Mari Rubro exiens reperit.

Ælmon, civitas Levitica. tribûs Benjamin.

Ælus, in deſerto, ubi filii Iſraël caſtrametati ſunt.

Æmath, urbs quæ cecidit in ſortem filiorom Ruben.

Æmes, in ſorte tribûs Iſſachar.

Ænsannim, *vide* Engannim.

Aen; Ain, & Aſan, ooius & ejuſdem orbis diverſa nomina, civitas Levitica, in ſorte Tribûs Juda, ſed poſtea Tribui Simeon conceſſa, in cujus Septentrionali parte erat, non longè à tribu Dan.

Ænah, ſancti Hieron. tempore deſertus locus & proximus Thamnæ vico grandi, inter Æliam & Dioſpolim, fuit & fons in ſupradicto Aëoa loco: unde & Aënan, id eſt, fontis, nomen accepit: Porrò Hebræi æſtimant Ænam non locum ſignificare, ſed bivium: obi certo initu neceſſarium ſit ad unam è duabus viis eligendam.

Ænoa, hujus expugnator atque ſubverſor Aſa rex fuit.

Aendor, obi filii Iſraël ſe ad prælium præparantes, caſtra poſuerunt. Fuit autem ætate ſancti Hieronymi grandis vicus Aëndor, juxta montem Thabor ad meridiem in quarto milliario.

Ænon, locus ubi baptizabat Joannes in octavo lapide Scythopoleos ad meridiem juxta Salim & Jordanem.

Æthiopia, regio, Africæ pars meridionalior, cojus multoties in veteri teſtamento mentio.

Africa, orbis noſtri pars tertia, meridionalior, poſteris Chami conceſſa: duplò fermè Europam excedit, multis in locis deſerta, arenis ſterilibus obducta, maleficiſque animaliom generibus infeſta, hujus figura ad Peninſulæ ferè triangularis inſtar.

Ærmon, regio Evæorum, quam obtinuit Joſue, montem Ærmon Pan adi imminere affirmat Hieron. quem quondam tenuere Evæi & Amorrhæi.

Aaao, ſita ad radices montis Aërmon.

Agalar quæ & Labanath, civitas in tribu Aſer, cujus habitatores non delevit, eam multiplicat, & duplicem facit P. Lubin.

Agallim, & hujus Iſaias meminit in viſione contra Moab. Erat autem tempore ſancti Hieronymi Ægalim vicus ad auſtralem partem Areapoleos, diſtans ab ea millibus octo.

Ager Booz, in Tribu Juda ad ſeptentrionem, non longè ab Emaüs.

Ager Fullonis, locus in ſuburbanis Jeruſalem, & hoc in Iſaia ſcriptum eſt.

Ager Robuſtorum, in Gabaon obi duodecim de Tribu Benjamin ex parte Iſboſeth filii Saül, & duodecim de pueris David, apprehenſo unuſquiſque capite comparis ſui. defixoque gladio io latus contrarii, ceciderunt ſimul.

Agsai, ad occidentalem plagam vergit Bethelis, non multum ab ea diſtans. Sita autem, euntibus Æliam de Neapoli in læva parte viæ, duodecimo circiter milliario ab Ælia.

Agri ſpecula, mons eſt Moabitarum, in quem adduxit Balac filius Sephor Balaam Divinum ad maledicendum Iſraël ſuper verticem, qoi propter vehemens præruptum vocatur exciſus: & imminet mari Mortuo, haud procol ab Aroone.

Aialim, civitas in terra Zabulon: de qua fuit & ille Ajalon, qui judicavit populum Iſraël.

Aialon, vallis atque præruptum, ſuper quod orante quondam Joſue, luna ſtetit juxta villam quæ Ailon dicitur, contra orientem Bethelis, tribus ab ea millibus diſtans, haud procul à Gabaa & Rama Saülis urbibus.

Aialon, urbs ſortis Dan, ſeparata Leviris: fuit & vicus alius haud procul à Nicopoli in ſecundo lapide, pergentibus Æliam ſeo Jeroſolymam. Sciendum quod pro Ajalon, Septuaginta interpretes ediderunt, *Ubi erant urſi.*

Ailath, in extremis finibus Palæſtinæ juncta meridianæ ſolitudini & mari Rubro in terra Edom; unde ex Ægypto in Indiam, & inde io Ægyptum navigatur. Sedebat autem ibi legio Romana cognomento decima & olim quidem Ailath à veteribus dicebatur, ſancti Hieronymi verò ætate appellabatur Aila. Sed & Elamitarum quondam natio fuit, cui imperavit Chodorlahomor.

Alin, *vide*, Aën & Aſan.

Alimis, orbs Galaaditis regionis, in Tribu Dan, propè ſaltum Ephraim, ad meridiem.

Allearar Gozan, nomina fluminum in terra Medorum, ad quorum montes captivus ductus eſt Iſraël.

Almath, & Almon, urbs in tribu Benjamin, Levitis ex familia Aaron conceſſa, hujus duas facit Adricomius.

Altare teſtimonii, io dimidia tribu Manaſſe, ad ripam Jordanis quod infinitæ magnitudinis ædificaverunt filii Ruben, filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe, cum ad tabernacula ſua redirent trans Jordanem.

Alus, ſtatio filiorum Iſraël in deſerto, inter Daphca & Raphidim in terra Madian.

Amalecitis regio, in deſerto Pharan, prope Madianitas, & ad meridiem.

Amam-Sama, urbs Tribûs Judæ, inter Aſor & Molada.

Amana, mons ad ſeptentrionem totius terræ promiſſæ, non longè à fontibus Jordanis.

Amath regio, terminus ſeptentrionalis terræ promiſſæ, hujus pars auſtralior in tribu Nephtali, quæ ob ſitum Amath Judæ appellabatur; in hac parte auſtraliori condita fuit urbs regia Amath, quæ ſequitur.

Amath, ſive Amathis, Emath, Hamath, & Hemath, ejus ſicut & regionis diverſa nomina, urbs regia in tribu Nephthali, juxta montem Libanum, in confiniis regionis Damaſci; onde Amathæi populi, ab Amathæo ondecimo & ultimo filiorum Chanaan, qui etiam condidit & incoluit.

Amma, civitas fortis Aſer, in medio ejus poſita.

Amman, quæ & Philadelphia, urbs Arabiæ nobilis: in qua habitaverunt olim Raphaïm, gens antiqua, quam interfecerunt filii Lot, habitantes pro eis in Ammam.

Ammon, trans Jordanem in tribu Gad, unde Ammo-

Digitized by Google

nitæ, ſive Ammanitæ, ii ex Ammon quem ex inceſtu peperit filia minor Loth. Hæc eſt Amman, de qua ſupra diximus.

AMON, aut Hamon in tribu Aſer, inter Rohob & Cana poſita.

AMONA civitas, in finibus tribûs Ruben, ad orientem maris mortui. Hoc nomen eſſe civitatis futuræ potiùs, quam extantis aut præteritæ affirmat P. Lubin.

AMORRHÆI populi, ab Amorrhæo quarto filio Chanaan, in plura parva regna diverſi, quorum plurimi recenſentur reges, *Joſ.* 10. ℣. 5.

AMOSA, aut Amſa, in tribu Benjamin.

AMPHIPOLIS, poſtea Græcis *Chryſopolis*, appellata, civitas in Macedonia, quam perambulavit Paulus ſolutus ex carcere in Philippis.

AMTHAR, civitas tribûs Zabulon, tribui Nephtali finitima, una ex urbibus Leviticis familiæ Merari aſſignatis.

ANAB, civitas in tribu Juda, in monte ſita, ſancto Hieronymo vicus in finibus Eleutheropoleos.

ANAHARATH, civitas in tribu Iſſachar, inter Seon & Robob.

ANAMA, una ex urbibus quas habitaverunt Judæi, è captivitate Babylonica reducti.

ANATHOTH, civitas ſacerdotalis tribûs Benjamin, in tertio ab Ælia milliario: de qua & Jeremias Propheta & Achimelech ſacerdos fuerunt.

ANEM, *vide*, Engannim,

ANER, quæ & Thenac, Thanac & Tanac, urbs regia tribui Manaſſe intra Jordanem data, & Levitis conceſſa.

ANIM, civitas in tribu Juda, inter Iſthemo & Golen.

ANTHEDON, urbs inter terram promiſſam & Ægyptum poſita.

ANTILIBANUS; ea quæ ſunt ſupra Libanum, ad orientalem plagam reſpicientia, Antilibanus appellantur, circa regionem urbis Damaſci, quæ cecidit in ſortem tribûs Manaſſe.

ANTIOCHIA, ſecùs Daphnem, civitas totius Syriæ maxima, apud profanos autores propter Apollinis & Dianæ fanum & lucum notiſſima: ibi Petrus, Paulus & Barnabas Evangelium prædicaverunt, turbamque multam docuerunt.

ANTIOCHIA Piſidiæ, civitas, ad quam venerunt Paulus & Barnabas, Sinagogamque die ſabbatorum ingreſſi, Paulus latè de Chriſto diſſerit, ſed blaſphemantibus Judæis, & perſecutionem in eos excitantibus, convertuntur ad Gentes.

ANTIPATRIS, in tribu Manaſſe, propè mare Mediterraneum, hanc Apolloniam vocat N. Samſon.

ANUA, in tribu Zabulon. Fuit & alia villa Anua, euntibus de Neapoli Æliam, in decimo milliario.

APADNO civitas quam in tribu Juda collocat Adrichomius.

APHARA, civitas tribûs Benjamin, hanc propè Almath ad aquilonem collocat Adricomius.

APHEC, tribûs Aſer, in qua habitatores priſtini permanſerunt.

APHEC, in tribu Iſſachar, civitas regia.

APHECA, civitas in ſorte tribûs Juda, quæ & Aſeca.

APHRA, in tribu Benjamin. Tempore ſancti Hieronymi vicus Effrem, in quinto milliario Bethelis, ad orientem reſpiciens.

APHRAIM, civitas tribûs Iſſachar, ætate ſancti Hieronymi Affarea nomine, in ſexto milliario Legionis contra ſeptentrionem.

AQUÆ MASSREPHOT, in finibus tribûs Aſer, quouſque Joſue Jabin regem Aſor, multoſque reges ipſi ſocios, & populos ad aquas Merom devictos, perſecutus eſt.

AQUÆ MEROM, inter Cæſaream Philippi, & mare Galilææ, ad orientalem plagam tribûs Nephthali, ibi Jabin, & multi reges convenerunt ut pugnarent contra Iſraëlitas, ſed in eorum manus tradidit eos Dominus.

ARAB, civitas in tribu Juda, ad auſtrum.

ARABATHANE, aliquandò Acrabatane civitas tribûs Juda, in auſtrali parte, in monte poſita.

ARABIA regio ampliſſima Aſiæ majoris, in tres diviſa partes, Deſertam ſcilicet, Felicem & Petræam, ſolis poſteris Semi poſſidenda, ſed tamen diviſa & poſſeſſa fuit filiis Chus, filii Cham, & filiis Jectan, filii Heber, filii Sale, filii Arphaxad, filii Semi.

ARABOTH Moab, ubi ſecundò numeratus eſt populus, juxta montem Phogor, euntibus à Libiade in Eſebon Arabiæ contra Jericho, locus ita appellabatur tempore ſancti Hieronymi.

ARAD, civitas Amorrhæorum vicina deſerto Cades: ætate ſancti Hieronymi ſic appellabatur, terminos tribûs Juda ad meridiem.

ARADA, Iſraëlitarum manſio in deſerto, inter montem Sepher & Maceloth.

ARAMA-ASOR, *vide*, Aſor.

ARARAT, Armenia ibi poſt parricidium Sennacherib fugerunt filii ejus Adramelec & Saraſar. Siquidem in montibus Ararat, arca poſt diluvium ſediſſe perhibetur.

ARBEE, *vide*, Hebron.

ARCEM, hanc eſſe Petram urbem nobilem Paleſtinæ, refert Joſephus.

ARCHI, ſeu Archiataroth, civitas in tribu Ephraïm, in confiniis tribûs Benjamin, inter montes Ephraim, & urbem Ephrem.

AREA ORNE, *vide*, Jeruſalem.

AREAATAD: locus trans Jordanem, in quo planxerunt quondam Jacob, tertio ab Jericho lapide, duobus millibus ab Jordane, qui tempore ſancti Hieronymi vocabatur Bethgla: quod interpretatur, locus gyri eò quod ibi more plangentium circumierint in funere Jacob.

AREBBA, urbs in tribu Juda, ad occidentalem plagam.

ARECON, aut Arechon, civitas in tribu Dan, in termino qui reſpicit Joppen.

ARETH, fons apud quem Gedeon caſtrametatus eſt.

ARGOB, regio & urbs, olim Og regis Baſan ſuper Jordanem, quæ cecidit in ſortem dimidiæ tribûs Manaſſe ultra Jordanem.

ARIEL, montem Dei, ſeu leonem Dei ſignificat, unde hanc civitatem David ſeu Jeruſalem multi ſuſpicantur.

ARMATHEM Sophim, civitas Helcanæ & Samuelis in regione Thamnitica, juxta Dioſpolim: unde fuit Joſeph, qui in Evangeliis de Arimathia ſcribitur.

ARMENIA, quæ eſt Ararat.

ARNON, urbs, rupes & torrens, in tribu Gad, in finibus Amorrhæorum, inter Moab & Amorrhæos, quondam Moabitarum fuit, poſtea verò rex Amorrhæorum jure belli eum obtinuit.

AROER, quæ & Ar, in confinio Moabitarum, quod ſitum eſt ſuper ripam torrentis Arnon, poſſeſſum olim à gente vetuſtiſſima Omniim: & poſtea retentum à filiis Lot, id eſt, Moabitis, quum priores accolas ſubvertiſſent. Cecidit autem Aroër in ſortem tribûs Gad contra faciem Rabba.

ARPHAD, urbs Damaſci, quam exſpugnavit rex Aſſyriorum.

ASADAIA, confinium Judææ reſpiciens ad aquilonem.

ASAN, civitas primùm ſortis tribûs Juda, poſtea tribûs Simeon, tandem Levitica facta eſt.

ASARENAM, terminus Judææ ad ſeptentrionem.

ASASON-THAMAR, in hac habitabant quondam Amorrhæi, quos interfecit Chodorlahomor: *vide* Engaddi.

ASCALON, urbs nobilis Paleſtinæ: quæ & ipſa antiquitus una fuit de quinque Satrapiis Philiſtinorum: ſeparata quidem per ſortem tribui Juda, nec tamen retenta ab ea, quia habitatores ejus ſuperare non potuit.

ASDOD, ſeu Azotus tribui Juda decreta, ſed non retenta ab ea, quia nequaquam veteres accolas potuit expellere.

ASEDOTH, urbs Amorrhæorum, quæ cecidit in ſortem tribûs Ruben: appellatur autem addito cognomento Aſedoth Phaſga.

A SEDOTH,

ASEBOTH, civitas regia, diverſa à præcedenti, licet eodem nomine vocetur, cis Jordanem, hanc expugnavit à Joſue, rege illius interfecto.

ASSMONA, civitas in deſerto, ad meridiem Judææ, dividens Ægyptum & ſortem tribûs Juda, ad mare uſque tendentem, ibi filii Iſraël caſtrametati ſunt.

ASENNA, in tribu Juda, in confiniis tribuum Dan & Simeon.

ASER, una ex tribubus Iſraël, ſub libano, terræ promiſſæ ad aquilonem poſita, ab Aſer octavo filiorum Jacob ex Zelpha ſic appellata.

ASER civitas in tribu Juda: appellabatur autem vicus prægrandis pergentibus Aſcalonem de Azoto ætate ſancti Hieronymi.

ASER, civitas aut locus tribûs Manaſſe.

ASEROTH, pars eremi, ubi Maria & Aaron contra Moſen loquuti ſunt. Habitaverunt autem quondam Evæi in Aſeroth uſque ad urbem Gazam. Verùm hæc loca non Aſetorb, ſed Aſerim, appellari Hebræi putant.

ASION-GABER, civitas & portus, ad mare rubrum, manſio Iſraëlitarum in deſerto Pharan.

ASOR civitas in tribu Juda; hujus nominis in tribu Juda tres civitates, alia in Nepthali, altera etiam in Ephraim, diverſis tamen nominibus diſtinctæ, una Cades-Aſor, id eſt, antiqua Aſor; altera Baloth-Aſor, i.e. inferior ſive nova Aſor, tertia Carioth-Heſron i.e. magna Aſor, quarta in tribu Nephthali, Atama-Aſor, i.e. alta Aſor, hanc rex Aſſyriorum populaſſe ſcribitur; Quinta in tribu Ephraim, Aſar & Aſa, vel AZA, hanc in Benjamim Eſdras locare videtur.

ASSUR, civitas Judææ quam ædificavit Salomon.

ASTHAROTH Carnaim, terra Gigantum quondam in ſupercilio Sodomorum, quos interfecit Chodorlahomor. Tempore ſancti Hieronymi duo caſtella in Batanæa hoc vocabulo, novem inter ſe millibus ſeparata inter Adaram & Abilam civitates.

ASTAROTH, antiqua civitas Og regis Baſan: in qua habitaverunt Gigantes, quæ poſtea cecidit in ſortem tribûs Manaſſe, regionis Batanææ, & ſex millibus ab Adra urbe Arabiæ ſeparata eſt. Porro Adra à Boſtra viginti quinque millibus diſtat.

ASTEMOE, in tribu Juda vicus, & ipſe Judæorum, in Daroma, ad aquilonem loci Anem.

ASTAHOL, in tribu Juda: tempore ſancti Hieronymi ſub nomine Aſtho, inter Azotum & Aſcalonem permanebat.

ASYMA, oppidum in terra Judæa, quod ædificaverunt hi qui ad eam venerant de Emath.

ATHAROTH, civitas olim Amorrhæorum trans Jordanem, quæ poſtea cecidit in ſortem tribûs Gad.

ATHAROTH, civitas tribûs Ephraim cis Jordanem.

ATHAROTH, ADDAR, eadem cum præcedenti in tribu Ephraim, licet illas multiplicet Adrichomius.

ATHAROTH, civitas tribûs Benjamin, haud procul ab Ælia.

ATHENÆ, urbs Græciæ clariſſima, in ea illuſtris fuit Academia. Athenis Evangelium Paulus prædicavit, multique crediderunt, inter eos Dionyſius Areopagita.

AVIM, civitas in tribu Benjamin inter Bethel & Aphara.

AOLON, non Græcum, ut quidam putant, ſed Hebræum vocabulum eſt: appellatur autem vallis grandis atque campeſtris in immenſam longitudinem ſe extendens: quæ circumdatur ex utraque parte montibus ſibi invicem ſuccedentibus & cohærentibus, qui incipientes à Libano & ultra, uſque ad deſertum Pharan perveniunt. Suntque in ipſo Aulone, id eſt, in valle campeſtri urbes nobiles, Scythopolis, Tyberias ſtagnumque propter eam: ſed & Jericho, mare mortuum, & regiones in circuitu: per quas medius Jordanis fluit, oriens de fontibus Paneadis, & in mare mortuum interiens.

AVOTHIAIR, quod interpretatur ἐπαύλεις ἰαίρ, hæc eſt Baſan, in qua ſunt vici ſexaginta in monte Galaad, qui ceciderunt in ſortem dimidiæ tribûs Manaſſe.

AZANOTH Thabor, tribûs Nephthali, non longè à Capharnan & à Beth-ſaïda.

AZECA, civitas Cananæorum in parte tribûs Juda, ad quam uſque quinque reges perſequutus eſt Joſue.

AZOTUS, *vide* Aſdod.

B.

BAAL, hæc eſt, Cariathiarim, id eſt, civitas Sylvarum, ſive ut quidam putant, civitas Jarib, una de urbibus Gabaonitarum primò ſortis tribûs Juda, poſtea tribui Simeon data. Ætate ſancti Hieronymi vicus deſcendentibus ab Ælia Diſpolim Cariathiarim in decimo milliario.

BAAL Æ rmon, mons circa Libanum in finibus Allophylorum.

BAAL Berith, fanum Baal Iſraëlitis extructum, non longè ab urbe Sichem, in monte poſitum, tribûs Ephraïm.

BAALGAD, civitas in campeſtribus Libani; in finibus tribûs Aſer, ad radices montis Æ rmon, quam & ipſam cœpit Joſue.

BAALTHAMAR, in tribu Benjamin, juxta Gabaa, ubi filii Iſraël adverſus tribum Benjamin iniere certamen, & Bethamari in ſupradictis locis viculus ætate ſancti Hieronymi appellabatur.

BABEL, quæ & Babylon, id eſt confuſio. Chaldaïcarum gentium caput, ad Euphratem fluvium, in campo terræ Sennaar. Erat autem civitas regni Nemrod, in qua eorum qui ædificaverunt turrim linguæ diviſæ ſunt, quorum principem Joſephus Nemrod fuiſſe aſſirmat.

BÆAN, civitas Amorrhæorum, quæ & ipſa à filiis Ruben tenta eſt.

BAHURIM, oppidum ſeu caſtrum tribûs Benjamin, ad orientem Jeruſalem, ubi venit David fugiens à facie Abſalom.

BALA, quæ eſt Segor, ſancto Hieronymo Zoara nuncupatur: ſola de quinque Sodomorum urbibus Lot precibus ſervata, in finibus tribûs Juda, imminens mari mortuo.

BALLATH, urbs in tribu Dan quam ædificavit Salomon.

BALOTH, ac Aſor nova, *vide* Aſor.

BAMA, ubi Saül ungendus in regem, cum Samuele cibum ſumſit.

BAMOTH, civitas Amorrhæorum trans Jordanem in Armone, quam poſſederunt filii Ruben.

BANE, urbs in tribu Dan.

BANEIACAN, in deſerto caſtra filiorum Iſraël.

BARAC, urbs in tribu Dan, uſque hodie, inquit Hieronymus, prope Azotum Bareca vicus appellatur.

BARAD, in tribu Simeon, inter Cades & Barad, erat puteus Agar.

BARNE, hæc ipſa eſt quæ & Cades-Barne, hanc vide.

BASAN, vide, Avothiair.

BASCATH, in tribu Juda, inter Lachis & Eglon.

BATHNE, in tribu Aſer, & in tempore ſancti Hieronymi vicus Bethbeten, in octavo milliario Ptolemaïdis contra orientem appellatus.

BEELMEON, & Baal-maon, trans Jordanem quam ædificaverunt filii Ruben propè torrentem Arnon. Erat autem vicus ætate ſancti Hieronymi grandis juxta Baara in Arabia, ubi aquas calidas ſponte humus efferebat cognomento Beelmaüs, diſtans ab Eſbus millibus novem, unde & Eliſæus Propheta fuit.

BEELSEFON, in deſerto caſtra filiorum Iſraël, juxta mare Rubrum egredientibus Ægyptum.

BEESTHARA, in tribu Manaſſe, ſeparata Levitis, in regione Baſanitidi.

BELA, terminus Judææ ad orientem reſpiciens.

BENJAMIN, una è tribubus filiorum Iſraël, à Benjamin filio Jacob ultimo & duodecimo, ex Rachele in hujus partu mortua, hoc nomine appellata; deſcribitur inter tribus Juda & Ephraïm Jordane à tribu Ruben ſeparata.

BENITH, quam conſtruxerunt Samaritani, qui de Ba-

bylonis regione tranſtulerant.

BERA, ubi quum Abimelech Joathan fugiſſet, habitavit. Diſtat autem vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad aquilonem.

BEROTH, filiorum Jacan, caſtra filiorum Iſraël in deſerto, non longè à Maſeroth.

BEROTH, in tribu Benjamin, tribui Ephraïm vicina.

BEROTH, civitas regis Adarezer, ex ea David multum æris collegit.

BERSABEE, primò in tribu Juda, poſtea tribui Simeon conceſſa ad radicem montis ſita, ſancti Hieronymi ætate vicus grandis in vigeſimo à Chebron milliario vergens ad auſtrum. A quo loco termini Judææ terræ incipientes tendebantur uſque ad Dan, quæ juxta Paneadem cernitur. Interpretatur verò Berſabee puteus juramenti, eo quod ibi Abraham & Iſaac fœdus cum Abimelech jurantes ſociavere.

BESOR, torrens in finibus tribuum Juda & Simeon, ad hunc venit & tranſit, Amalecitas qui Siceleg incenderant, perſequens David.

BETHABARA, trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptiſabat.

BETHACATH, vicus Samariæ, ad quem venit Jehu rex Iſraël.

BETHAGAN, via per quam Ochoziam fugiſſe legimus.

BETHAMNARAM, trans Jordanem, hanc ædificavit tribus Gad.

BETHANA, in tribu Nephthali urbs munitiſſima, erat autem ætate ſancti Hieron. villa nomine Bethanæa, in quintodecimo à Cæſaræa lapide, in qua dicebantur lavacra eſſe ſalubria.

BETHANIA, in tribu Benjamin, villa in ſecundo ab Ælia milliario, in latere montis Oliveti: ubi Salvator noſter Jeſus Chriſtus Lazarum ſuſcitavit.

BETHAPHU, in tribu Juda vicus trans Raphaim millibus quatuordecim euntibus Ægyptum, qui eſt terminus Palæſtinæ.

BETHARABA, locus communis tribuum Benjamin & Juda.

BETHARAM, civitas tribûs Gad juxta Jordanem, quæ à Syris dicebatur Bethramtha, & ab Herode in honorem Auguſti Libias cognominata fuit.

BETHAÜN, & Beth-Aven in tribu Benjamin, juxta Haï & Bethel contra Machmas: plerique putant eamdem eſſe ac Bethel, & Bethaün, id eſt domus idoli, quæ antea vocabatur domus Dei nomen accepiſſe, eo tempore quo ibi à Jeroboam filio Nabath vituli aurei fabricati ſunt, & à decem tribubus adorati.

BETHBERA, quod interpretatur domus aquæ ſive putei, quam expeditione bellandi occupavit Gedeon.

BETHCUR, uſque ad hunc locum populus Iſraël, fugientes alienigenas perſequutus eſt, appellans eum lapidem adjutorii.

BETHDAGON locus in confiniis tribuum Zabulon & Iſſachar.

BETHEL, vicus in duodecimo ab Ælia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primum Luza, id eſt amygdalon vocabatur: & cecidit in ſortem tribûs Benjamin juxta Betham & Haï, quam expugnavit Joſue, rege illius interfecto, vide Bethaün.

BETHEMEC, aut Bethemeth, civitas tribûs Aſer.

BETHLEBAOTH, primùm in tribu Juda, poſtea tribui Simeon conceſſa.

BETHLEEM, civitas David in ſorte tribûs Juda: in qua Dominus noſter atque Salvator natus eſt, in ſexto ab Ælia milliario contra meridianam plagam, juxta viam quæ ducit Chebron.

BETHLEEM, In tribu Zabulon: ad cujus diſtinctionem altera Bethleem appellatur Bethleem Judæ.

BETHMAACHA, vide Abela.

BETHNEMRA, urbs tribûs Gad juxta Libiadem trans Jordanem.

BETHNATH, in ſorte tribûs Nephthali; ſed nec de hac priſtinos accolas valuit expellere.

BETHORON, ad quam uſque inimicos perſequutus eſt reges Joſue, quæ cecidit in ſortem filiorum Joſeph, id eſt, Ephraim. Erant autem tempore ſancti Hieron. duo vici in duodecimo fermè ab Ælia lapide Nicopolim pergentibus, è quibus propter ſitum unus dicitur Bethoron ſuperior, quem ædificavit Salomon, & alius Bethoron inferior datus Levitis in poſſeſſionem.

BETHPHAGE, villula in monte Oliveti, ad quem venit Dominus Jeſus.

BETHPHASES, aut Bethpheſes, civitas in tribu Iſſachar.

BETHPHOGOR, urbs filiorum Ruben trans Jordanem, juxta montem Phogor contra Jericho, ſex millibus ſupra Libiadem.

BETHSAÏDA, civitas Galilææ in Decapoli, Andreæ, Petri & Philippi Apoſtolorum patria, prope ſtagnum Geneſareth.

BETHSAMES, civitas ſacerdotalis in tribu Benjamin, quæ tempore ſancti Hieronymi demonſtrabatur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim, in decimo milliario contra orientalem plagam.

BETHSAMES altera, civitas munita, in tribu Nephthali, in qua & ipſa coltores priſtini permanſere.

BETHSAN, dimidiæ tribûs Manaſſe civitas, primò urbs Chananæorum, in ea priſtini habitatores permanſerunt, appellaturque Scythopolis, urbs nobilis Palæſtinæ.

BETHSARISA, unde venit homo cum muneribus ad Eliſæum Prophetam. Fuit autem villa in finibus Dioſpoleos, quindecim fermè ab ea millibus diſtans contra ſeptentrionem in regione Tamnitica.

BETHSUR, in tribu Juda primò, poſtea tribui Benjamio conceſſa.

BEZEC, urbs regis Adonibezec, erantque duæ villæ nomine Bezec, vicinæ ſibi in ſeptimodecimo lapide à Neapoli deſcendentibus Scythopolim.

BOSES, rupes, in tribu Benjamin, prope Gabaa ad orientem.

BOSOR, in deſerto trans Jordanem, quæ cecidit in ſortem tribûs Ruben ad orientalem partem Jerichus, civitas Sacerdotalis & fugitivorum. Hæc eſt Boſtra metropolis Arabiæ. Appellabatur autem & alia Boſor civitas Eſaü in montibus Idumææ, cujus Iſaïas meminit dicens: *Quis eſt iſte qui venit de Edom? fulvida veſtimenta ejus ex Boſor.*

BOTNIN, trans Jordanem; civitas tribûs Gad.

BUNOS, hoc eſt collis præputiorum, locus in Galgalis, ubi circumcidit Joſue populum Iſraël, in ſecondo ab Jericho lapide.

BUTHAN, caſtra filiorum Iſraël in deſerto, quæ & Ætham nuncupatur.

BYBLOS, civitas Phœnicis, cujus meminit Ezechiel: pro qua in Hebraïco continetur GOBEL.

C.

CAORMOTH, deſertum, ex quo loco miſit legatos Moſes ad Seon regem Amorrhæorum.

CAORMOTH, civitas filiorum Ruben, facta réſugiorum, & data Levitis.

CADES-ASOR, *vide*, Aſor.

CADES, ubi fons judicii: eſt & Cadeſbarne, in deſerto, quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia: ibi occubuit Maria; & Moſes rupe percuſſâ, aquam ſitienti populo dedit.

CAOUMIH, aut Cadomi, torrens, in media tribu Zabulon enaſcens, in auſtrum decurrit, torrentemque Ciſon ingreditur, juxta quem Debbora bellum geſſit.

CÆSAREA, urbs Maritima, intra limites dimidiæ tribûs Manaſſe.

CAMON, in ſecunda parte tribûs Manaſſe ultra Jordanem, civitas Jaïr, in qua & ſepultus eſt, quum primum judicaſſet populum Iſraël.

CANA, Galilææ civitas, in tribu Zabulon inter Ptolemaïdem, & Carmelum.

CANA, uſque ad Sidonem majorem: fuit quippe & altera minor, ad cujus diſtinctionem major hæc dicitur: Fuit autem Cana in tribu Aſer, ubi Dominus noſter atque Salvator aquas vertit in vinum.

Digitized by Google

Canath, vicus Arabiæ, qui Canatha dictus fuit: quem quum cœpiſſet Nabaü, appellavit Naboth. Fuit autem in tribu Manaſſe in regione Trachonitidi juxta Boſtran.

Capharnaum, juxta ſtagnum Gennezar; in finibus Zabulon & Nephthali.

Capseel, quæ & Cabſeel & Gabſeel, civitas in tribu Juda.

Carcar, ubi filii erant Zebee & Salmana, quos interfecit Gedeon.

Cariath, vicus qui ſub Gaba metropoli fuit.

Cariathaim, civitas ultra Jordanem tempore ſancti Hieronymi, quam extruxerunt filii Ruben. Vicus Chriſtianis omnibus florens, juxta Medaban urbem Arabiæ, appellabatur Corojatha in decimo milliario ſupradictæ urbis, contra occidentalem plagam.

Cariatharbee, *vide*, Hebron.

Cariathiarim, *vide* Baal.

Carioth Heſrun, *vide*, Aſur.

Carmel, urbs in tribu Juda, ubi & Carmelius mons.

Cartha, in tribu Zabulun, ſeparata Levitis.

Cartham, in tribu Nephthali, civitas Levitica.

Catata Chryſea, id eſt ad aurea. Sunt autem montes auri fertiles in deſerto, procul undecim manſionibus à Choreb, juxta quos Moſes Deuteronomium ſcripſiſſe perhibetur.

Cedar, regio in eremo Saracenorum, à filio Iſmaëlis Cedar ita cognominata; hanc civitatem trans Jordanem, in dimidia tribu Manaſſe facit Adricomius.

Cades, civitas quam cepit Joſue, rege ipſius interfecto. Eſt autem in ſorte tribûs Juda.

Cedes, ſortis Nephthali civitas Sacerdotalis ac fugitivorum, in Galilæa ſuper montem Nephthali. Sed & hanc cœpit rex Aſſyriorum, quæ ætate ſancti Hieronymi Cidiſſus appellabatur, in viceſimo Tyri milliario juxta Paneadem.

Cedron, torrens ſive vallis Cedron, juxta Jeruſalem ad orientalem plagam.

Cedson, in tribu Ruben, urbs ſeparata Levitis.

Ceila, in tribu Juda, ubi quondam ſedit David.

Cene, aut Cenez, regio principum Idumæorum.

Ceni regio Philiſthinorum; Zieglerus tamen hanc non regionem, ſed urbem in tribu Juda probat.

Cethim, eadem ac Macedonia, alii Cypri inſulam hanc interpretantur.

Cesion, civitas in tribu Iſſachar, ſeparata Levitis.

Cethron, in tribu Zabulon, in qua priſtini remanſere cultores.

Chabol, civitas in tribu Aſer, ejuſque terminus.

Chalab, de hac cultores priſtinos Aſer non valuit expellere.

Chalac, urbs Aſſyriorum, quam ædificavit Aſſur egrediens de terra Sennaar.

Chalanne, civitas regni Nemrod in Babylone.

Cham terra, eadem ac terra Geſſen, in orientali parte inferioris Ægypti.

Chamoam, villula juxta Bethleem in terminis tribûs Juda.

Chanaan, terra Chanaan & Chananæi populi à Chanaan filio Chami nomen habent.

Charchamis, civitas juxta flumen Euphraten.

Charran, civitas Meſopotamiæ trans Edeſſam, quæ tempore ſancti Hieronymi Charra dicitur: ubi Romanus eſt cæſus exercitus, & Craſſus dux captus.

Charri, ad quem locum perſequutus eſt Joab res novas molientem Sabee.

Chasalon, in tribu Juda, & in finibus Eliæ villa pergrandis.

Chazbi, ubi geminos Judæ filios Thamar edidit.

Chennereth, mare ubi eſt Judææ terminus in tribu Nephthali. Oppidum quod in honorem poſtea Tiberii Cæſaris Herodes rex Judææ inſtauratum appellavit Tyberiadem, ferunt hoc primum appellatum nomine.

Chephira, vicus ad civitatem pertinens Gabaon, in tribu Benjamin.

Chethiim, terra Chethiim, Cyprus dicitur, in qua civitatem condidit Lusa.

Cheslon, civitas primùm in tribu Juda, poſtea tribui Dan conceſſa.

Choban, ad lævam partem Damaſci. Erat autem & villa Chobaa, in iiſdem regionibus, habens accolas Hebræos, qui credentes in Chriſtum, omnia legis præcepta cuſtodiebant.

Choreb, mons Dei in regione Madian, juxta montem Sina ſuper Arabiam in deſerto: cui jungitur mons & deſertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Hieronymo videtur quod duplici nomine idem mons, nunc Sinaï, nunc Choreb vocetur.

Chorozain, oppidum Galilææ, quod Chriſtus propter incredulitatem miſerabiliter deplorat & plangit. Deſertum verò erat tempore ſancti Hieronymi, in ſecundo lapide à Capharnao.

Cibsaim, *vide*, Jecmaan.

Cision, in tribu Iſſachar, civitas ſeparata Levitis.

Cison, torrens, juxta montem Thabor: ubi contra Siſaram dimicatum eſt.

Coa, urbs eſt Felicis Arabiæ, unde equi ad Salomonem ducebantur.

Coelas Titanorum, id eſt vallis Gigantum, adverſus quos præliatus eſt David.

Coelas, id eſt vallis Joſaphat, inter Jeruſalem & montem Oliveti.

Corozaim & Corozain, civitas Galilææ, una ex urbibus Decapoleos, in conſpectu Capharnai.

Cotta, in tribu Zabulon, civitas ſeparata Levitis, facta refugii, hanc & Thabor eandem facit N. Sanſon.

Cyrene, in finibus Ægypti, ad quem locum rex Aſſyriorum tranſtulit Damaſcenos.

D.

Dabrath, urbs refugii & Levitica, in tribu Iſſachar.

Dabir, Cariath-Sephor, id eſt, civitas litterarum, & Cariath-Senna, ejuſdem urbis diverſa nomina, in tribu Juda, hanc præoccupavit Gothoniel frater Caleb, interfectis in ea Enacim. Fuit autem & ipſa Sacerdotibus ſeparata. Porrò Gothoniel quidam arbitrantur filium fratris Caleb.

Dabir, altera, in tribu Gad ſuper Jordanem civitas Amorrhæorum, ab aliquibus Debir appellata.

Dabira, civitas in tribu Dan, cujus regem interfecit Joſue. Erat autem & alia villula Judæorum in monte Thabor regionis ad Diocæſaream pertinentis.

Dabrath, in tribu Iſſachar, urbs Levitica.

Dalmatia, Illyrici pars ad Adriaticum Mare, regio Europæ, in quâ Titus ad quem ſcripſit Paulus, Evangelium prædicavit.

Damascus, urbs Syriæ regia.

Damna, in tribu Zabulon; Levitis ſeparata civitas.

Dan, una ex tribubus Iſraël, ex quinto filiorum Jacob apppellata, cujus ſors in parte ſortis tribûs Juda.

Dan, civitas, *vide* Leïs.

Dannaba, civitas Balac, filii Beor regis Edom, poſt quem regnavit Job.

Dasem, urbs Aſſyriorum nobilis, quam exſtruxit Aſſur, inter Ninivem & Chalach.

Deblataim, deſertum in terra Moab, in finibus tribûs Ruben.

Debon, quæ & Dibon, in ſolitudine caſtra filiorum Iſraël. Fuit autem & alia Dibon, villa pergrandis juxta Arnonem, quæ quum prius fuiſſet filiorum Moab, & poſt eam Seon rex Amorrhæorum belli jure tenuiſſet, à filiis Iſraël capta atque poſſeſſa, in partem venit tribûs Gad.

Decapolis, regio circa Jordanem, quæ à decem celeberrimis urbibus nomen habet.

Dedan, & Dedanim, varia ejuſdem urbis nomina in regione Idumæorum, in quarto milliario à Metalloſeno contra Aquilonem.

Denna, id eſt, Cariath-Senna, *vide*, Dabir.

Dibon, *vide*, Debon.

Dornapheth, quod Symmachus tranſtulit Dor mariti-

Digitized by Google

ma, hæc eſt Dora in nono milliario Cæſareæ Paleſtinæ pergentibus Tyrum ætate ſancti Hieronymi deſerta: quæ quum cecidiſſet in ſortem tribûs Manaſſe, eam poſſidere non potuit, quia habitatores in illa priſtini permanſere.

Dothaim, locus ubi invenit Joſeph fratres ſuos pecora paſcentes.

Drys, id eſt quercus, in Ephrata in tribu Maufſe, unde fuit Gedeon.

Duma, in tribu Juda, vicus grandis in Daroma, hoc eſt ad Auſtralem plagam in finibus Eleutheropoleos, decem & ſeptem ab ea millibus diſtans.

Dysmenoab, id eſt, ad Occidentem Moab juxta Jordanem contra Jerichum: ubi Balac rex Moab & majores natu Madian, Iſraëlem inſidiis deceperunt, in quo loco & Moſes ſcripſit Deuteronomium.

E.

Ebrona, in deſerto caſtra filiorum Iſraël.

Ecsatana, in variis S. Scripturæ locis, modò caſtrum, modò oppidum, & mons, & civitas appellatur, urbs procul dubio totius Mediæ Caput fuit, quæ opibus & operum magnificentia urbes omnes circumvicinarum regionum ſuperabat.

Eoen, ſacri Paradiſi locus ad Orientem, quod in voluptatem deliciaſque transfertur.

Edrai, ubi interfectus eſt Og rex Baſan: gigas & potens omniſque illius cæſus exercitus in dimidia tribu Manaſſe ultra Jordanem.

Edrai, civitas in tribu Nephthali munita.

Eglom, quæ & Odollam, civitas in tribu Juda.

Elath, *vide*, Ailath.

Elcath, in tribu Aſer, Levitis ſeparata civitas.

Elaala, civitas Amorrhæorum in Galaad, quæ cecidit in ſortem tribûs Roben.

Eltheca, Eltheco, & Gabathon, eadem urbs Levitica in tribu Dan.

Emath, *vide*, Amath.

Emathoor, civitas in tribu Nephthali, ſeparata Levitis.

Emaüs, aut Emmaüs, caſtellum in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, ibi duo Diſcipuli in fractione panis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, poſt reſurrectionem agnoverunt.

Emec-Achor, quod interpretatur vallis Achor, id eſt tumultus atque turbarum: ubi Achan lapidibus oppreſſus eſt; eo quòd quædam de anathemate ſuſtuliſſet.

Emec-Raphaim, id eſt, vallis Raphaïm, in tribu Benjamin.

Enacim, & in hac interfecit Joſue Enacim gigantes de regione montana in Chebron. Sed videtur ſancto Hieronymo non eſſe nomen loci *Enacim*, ſed habitatorum Chebron.

Enaim, in tribu Juda, inter Taphna & Jerimoth.

Enam, terminus Damaſci, ad orientem vergens à Theman & Palmeris; quæ cæteri interpretes ediderunt Thamar.

Enasor, civitas munitiſſima in tribu Nepthali.

Endor, in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem, ubi Pythoniſſa à Saüle rege Judææ conſulitur ut ſuſcitaret Samuelem.

Engador, in tribu Juda juxta mare mortuum contra Occidentem, ubi abſconditus eſt David fugiens Saülem, priùs Engaddi vocata eſt Aſaſon-Thamar, & ſimpliciter Thamar.

Engannim, in tribu Iſſachar civitas ſeparata Levitis, inter Rameth, & Engadda.

Engannim, in tribu Juda, vicus juxta Bethel, ætate ſancti Hieronymi.

Enhadda, civitas in tribu Iſſachar, inter Engannim & Bethpheſes.

Ephraim, tribus, à mari ad Jordanem protenſa, majorem Samariæ regionis partem obtinet; ab Ephraïm ſecundo filio Joſeph nomen habet.

Ephraim mons, magna ex parte eſt in tribubus Ephraim, Benjamio & Manaſſe, terminus regni Juda, illud à regno Iſraël diſterminans.

Ephraim, ſaltus in tribu Gad, ibi Abſalon fugiens, mulo inſidens, quercui capillis ſuſpenſus eſt, & à Joab confoſſus periit.

Ephrata, *vide* Bethleem.

Ephron, civitas in tribu Ephraim, hanc Aſa rex Juda cæpit.

Ereccon, terminus tribûs Dan, juxta Joppen.

Eremmon, vicus Judæorum prægrandis in ſexto decimo ab Eleutheropoli milliario contra meridiem in Daroma.

Ergab, ad quem locum Jonathan filius Saül vera dirigit, militaribus jaculis ſe exercens.

Erma, ubi pars populi cæſa eſt Iſraëlis ab Amalec & Chananæo, quem in Deuteronomio, Amorrhæum Scriptura vocat.

Eroum, civitas in Ægypto, ad quam Joſeph occurrit patri ſuo Jacob.

Esaan, civitas in tribu Juda.

Esebon, civitas Seon regis Amorrhæorum in terra Galaad: quæ quum fuiſſet antè Moabitarum, ab Amorrhæis belli jure poſſeſſa eſt.

Esthamo, civitas tribûs Juda, facta refugii & Levitis data, tempore autem ſancti Hieronymi ad Eleutheropoleos pertinebat regionem.

Esthaol, primùm tribûs Juda, poſtea in ſorte tribûs Dan, ubi mortuus eſt Samſon.

Esthemo, *vide*, Eſthamo.

Etham, Athar, Etam & Ether, nomina unius & ejuſdem urbis ubique variata, tribûs Simeon, ibi habitavit Samſon cum Philiſthæorum ſegetes incendiſſet, eam munivit Roboam.

Etham, alius locus, ſtatio Iſraëlitarum tertia, inter Ægyptum & mare rubrum.

Ether, tribûs Simeon, *vide*, Etham, Athar.

Evim, in tribu Juda.

Euphratss, fluvius Meſopotamiæ, in Paradiſo oriens. Porrò Salluſtius auctor certiſſimus aſſerit tam Tigris quàm Euphratis in Armenia fontes demonſtrari.

F.

Fanuel, locus in quo Jacob tota nocte colluctans, Iſraëlis vocabulum meruit, juxta torrentem Jaboc. Fanuel autem interpretatur facies Dei, ab eo quod Jacob ibi Deum viderit.

Fanuel, civitas quam ædificavit Jeroboam.

Fanuel, turris quam ſubvertit Gedeon. Sed & unus de filiis Hor vocatus eſt Fanuel.

Faran, aut Pharan oppidum trans Arabiam junctum Saracenis, id eſt Iſraëlitis. Per hoc iter fecerunt filii Iſraël cum de monte Sina caſtra moviſſent, diſtat ab Aila contra orientem, itinere trium dierum.

Fasga, civitas Amorrhæorum. Fuit autem eadem nomine & mons contra orientalem plagam Faſga, pro quo Aquila interpretatur exciſum.

Fathore, regio Ægypti juxta Ezechielem & Jeremiam, in qua profugi habitavere Judæi.

Fathura, civitas trans Meſopotamiam, unde fuit Balaam hariolus: ſed & juxta Eleutheropolim quædam villa nomine Fathura euntibus Gazam nuncupabatur.

Fenon, caſtra filiorum Iſraël in deſerto. Fuit autem quondam civitas principum Edom, poſtea viculus in deſerto: ubi æris metalla damnatorum ſuppliciis effodiebantur, inter civitatem Petram & Zoaram.

Fisun, quod interpretatur caterva, fluvius quem Gangen vocant, de paradiſo exiens, & pergens ad Indiæ regiones, poſt quas erumpit in pelagus. Dicit autem ſcriptura circumiri ab hoc univerſam regionem Evila, ubi aurum præcipuum naſcitur & Carbunculus lapis & Praſinus.

Fithom, civitas Ægypti, quam ædificaverunt filii Iſraël.

Fogor, mons Moabitarum, ad quem Balaac rex adduxit Balaac hariolum in ſupercilio Liviadis.

Fraaton, unde fuit Abdon judex populi Iſraël, in monte Amalec.

Fuco,

Fuso, civitas Adad regis, quæ eſt in regione Gabalitica.

G.

GAAS, mons in tribu Ephraïm; in cujus Septentrionali plaga ſepultus eſt Joſue filius Nave.

GABAATH, in tribu Benjamin, urbs Phinees filii Eleazar: ubi ſepultus eſt Eleazarus.

GABAON, unde Gabaonitæ ſupplices venerunt ad Joſue: erat olim metropolis & regalis civitas Evæorum; ceciditque in ſortem tribûs Benjamin.

GABATHON, *vide*, Elthece.

GABE, ſortis Benjamin, & hæc Levitis civitas ſeparata.

GAD, tribus trans Jordanem, ſic vocata à Gad ſeptimo filio Jacob, accepit in ſorte mediam terram regni Amorrhæorum.

GADARA, urbs trans Jordanem, contra Scythopolim & Tyberiadem ad orientalem plagam ſita in monte, ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt, balneis deſuper ædificatis.

GADER, turris: ubi habitante Jacob, Ruben patris violavit thorum.

GADER, civitas olim regia, poſtea in tribu Juda.

GADERA, in tribu Juda, ætate ſancti Hieron. ad regionem civitatis Ælienſis pertinens, nomine Gadora, circa Terebinthum.

GADEROTH, civitas in tribu Juda: hanc ad auſtrum collocat Adrichomius.

GADGAD, mons in deſerto, ubi caſtrametati ſunt filii Iſraël.

GABOAOA, locus in ſolitudine, ubi aquarum torrentes ſunt.

GAHEDUR, in tribu Juda poſtea nomine Gedrus, vicus pergrandis in decimo milliario Dioſpoleos pergentibus Eleutheropolim.

GALAAD, mons ad tergum Phœnices & Arabiæ, collibus Libani copulatus: extenditurque per deſertum uſque ad eum locum, ubi trans Jordanem habitavit quondam Seon rex Amorrhæorum. Cecidit in ſortem filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribûs Manaſſe; ad hunc ſeptimo die profectionis è Charris Jacob profugus venit.

GALGALA, eadem ac Gol, ad orientalem plagam antiquæ Jerichus cis Jordanem, ubi Joſue ſecundò populum circumcidit, & Paſcha celebravit, & deficiente mannâ, triticeis panibus uſus eſt Iſraël. In ipſo loco, lapides quoque quos de alveolo Jordanis tulerant, ſtatuerunt: ibi & tabernaculum teſtimonii fixum multo tempore fuit. Cecidit autem in ſortem tribûs Juda.

GALILÆA, duæ ſunt Galilææ, è quibus una, Galilæa gentium vocatur, vicina finibus Tyriorum, ubi & Salomon viginti civitates donavit Chiram regi Tyri, in ſorte tribûs Nephthali: altera vero Galilæa dicitur circa Tyberiadem & ſtagnum Gennezareth in tribu Zabulon.

GALILOTH, locus juxta Jordanem in tribu Benjamin: ubi altare Domino conſtituerunt filii Ruben.

GALLIM, unde fuit Phalti, qui poſt fugam David Michol uxorem ejus acceperat.

GARGASI, civitas trans Jordanem, juncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manaſſe.

GARIZIM, mons ſuper quem ſteterunt hi qui maledicta reſonabant, *vide*, Gebal.

GASIONGABER, caſtra in ſolitudine filiorum Iſraël: ſicut in Numerorum Libro ſcriptum eſt. Porrò juxta Deuteronomium civitas eſt Eſaü, quam Eſiam putant nuncupari juxta mare Rubrum & Ailam.

GAOLON, ſive Gaulan, in tribu Manaſſe, civitas ſacerdotalis & fugitivorum, in regione Baſanitide.

GAZA, civitas Evæorum, in qua habitaverunt Cappadoces, priſtinis cultoribus interfectis. Apud veteres erat terminus Chananæorum prope Ægyptum, ceciditque in ſortem tribûs Juda: ſed eam tenere non potuit, quia Enacim, id eſt gigantes, Allophylorum fortiſſimi reſtiterunt.

GAZER, in ſorte tribûs Ephraïm, urbs ſeparata Levitis: quam & ipſam expugnavit Joſue rege illius interfecto. Ædificata fuit autem poſtea à Salomone.

GEBAL, mons in terra repromiſſionis, ubi ad imperium Moſi altare conſtructum eſt. Fuerunt autem juxta Jericho duo montes vicini contra ſe invicem reſpicientes: è quibus, unus Garizim: alter, Gebal dicebantur. Porrò Samaritani arbitrantur hos duos montes juxta Neapolim eſſe, ſed vehementer errant: plurimùm enim inter ſe diſtant, nec poſſunt invicem benedicentium ſive maledicentium inter ſe audiri voces. Quod ſcriptura commemorat.

GEPTHAEL, id eſt vallis Eſtbael, in tribu Zabulon.

GEHENNOM, quod interpretatur vallis Ennom; & ab hac quidam putant appellatam gehennam. Cecidit autem in ſortem tribûs Benjamin juxta murum Jeruſalem contra Orientem.

GEHON, fluvius qui apud Ægyptios Nilus vocatur, in Paradiſo terreſtri oriens, & univerſam Æthiopiam circumiens.

GELBOE, montes alienigenarum in tribu Iſſachar, ubi fugatis Iſraëlitis Saül & tres filii ejus, Jonathas, Abinadab, & Melchiſua cæſi ſunt.

GELMON Deblathaim, caſtra, id eſt, manſio filiorum Iſraël in deſerto.

GELON, aut Gilon civitas in tribu Juda.

GER, locus in quo percuſſit Jeü rex Iſraël Ochoziam regem Judææ juxta Jeblaam.

GERARA, terminus Chananæorum ad auſtralem plagam, & civitas metropolis Paleſtinæ. Scriptura commemorat fuiſſe eam inter Cades & Sur, hoc eſt inter duas ſolitudines: quarum una Ægypto jungitur, ad quam populus trans fretum Rubri maris pervenit: Altera vero Cades, uſque ad Saracenorum eremum extenditur.

GERGESÆUS, populus terræ Chanaan, unus ex iis quos delendos filiis Iſraël promiſerat Deus.

GESEM, regio Ægypti, in qua habitavit Jacob cum liberis ſuis.

GESSUR, Syriæ urbs regie, terminus terræ promiſſæ ad Septentrionem.

GETH, in tribu Dan, in hac gigantes qui vocabantur Enacim, & Philiſthinorum accolæ permanſerunt, hanc expugnavit David & Roboam reſtauravit.

GETH, Gethopher, & Geth Ephet, in tribu Zabulon, Jonæ prophetæ patria.

GETHSEMANI, locus ubi Salvator noſter Jeſus Chriſtus ante paſſionem oravit, ad radices montis Oliveti.

GETHTHA, ad quem locum tranſtulerunt Arcam teſtamenti de Azoto.

GETRAMMON, in tribu Manaſſe, civitas ſeparata Levitis, cis Jordanem.

GETREMMON, alia civitas in tribu Dan, conceſſa Levitis.

GILO, civitas tribûs Juda, unde fuit Achitophel.

GOLGOL, *vide*, Galgala.

GOLGOTHA, locus Calvariæ, civitati Jeruſalem proximus, ad occidentem, in quo Salvator noſter Jeſus Chriſtus pro ſalute omnium crucifixus eſt.

GOMORRA, in terra Chanaan, una de quinque civitatibus Sodomorum, quæ cum reliquis divinâ ultione ſubverſa eſt.

H.

HACELDAMA, ager ſanguinis, ad meridiem Jeruſalem.

HAI, civitas regia, ad orientem urbis Bethel, capta fuit à Joſue, qui eam ſubvertit, regemque hujus ſuſpendit.

HEBRON, olim Arbee, Cariath-Arbe, & Mambre, corruptè, Arboc, id eſt quatuor, quod ibi tres patriarchæ Abraham, Iſaac, & Jacob ſepulti ſint, & Adam maximus; quidam tamen hunc in loco Calvariæ poſitum ſuſpicantur. Hæc eſt eadem Chebron, olim metropolis Philiſthinorum, & habitaculum Gigantum, regnumque poſtea David in tribu Juda, civitas Sacerdotalis & fugitivorum, totius tribûs maxima, antiquiſſima, aliquot annis ante Tanim Ægypti condita.

Hebrona, Statio Iſraëlitarum in deſerto.

Heliopolis, civitas ſolis, urbs in Ægypto inferiori inter Nilum & Arabiam.

Hermon, mons Libano contiguus, uſque ad montes Galaad extenſus: poſt devictum Og regem Baſan, cecidit in ſortem dimidiæ tribûs Manaſſe trans Jordanem.

Hsseuon, urbs celebris & Regia Sehon regis Amorrhæorum, poſtea in tribu Ruben.

Hesrom, quæ & Aſor, *vide*, Aſor.

Hor, mons in quo mortuus eſt Aaron, in finibus terræ Edom, ſtatio filiorum Iſraël in deſerto.

J.

Jabes Galaad, urbs Galaaditidis regionis trans Jordanem, in dimidia tribu Manaſſe, hanc oppugnaverunt filii Iſraël.

Jaboc, fluvius: quo tranſmiſſo, luctatus eſt Jacob adverſus eum, qui ſibi apparuerat: vocatuſque eſt Iſraël. Fuit autem inter Amman, id eſt, Philadelphiam, & Gazaran, quarto ab ea milliario: & ultra procedens, Jordani fluvio commiſcetur.

Jair, civitas tribûs Manaſſe, *vide*, Avothiair.

Janna, quæ eſt in campo Moab, ſub verticem Phaſga, id eſt, excisi, quod reſpicit ad deſertum juxta Arnon.

Janum, civitas in tribu Juda.

Jarimuth, civitas quam ſubvertit Joſue, in tribu Juda, quatto diſtans ab Eleutheropoli lapide juxta villam Eſthaol.

Jassa, ubi adverſus Sehon Amorrhæorum regem dimicatur.

Jazer, civitas primùm Amorrhæorum, in decimo lapide Philadelphiæ ad ſolis occaſum, trans Jordanem, quæ fuit terminus tribûs Gad, extenditurque uſque Aroër, quæ & ipſa reſpicit ad Rabba. Fuit poſteà ſeparata Levitis, & diſtat ab Eſebon millibus quindecim ex ea magnum flumen erumpens, à Jordane ſuſcipitur.

Ieoe, ſortis Nephthali, in confinio trium tribuum: id eſt, in tribu Zabulon ad Auſtralem plagam, in tribu Aſer, ad Occidentem, porrò in tribu Judæ ad ſolis Ortum.

Idumæa, regio Eſaü: quæ ex eo quod ille Edom vocabatur, nomen accepit.

Jeblaam, in dimidia tribu Manaſſe, cis Jordanem, de qua alienigenas non valuit expellere.

Jebus, ipſa eſt Jeruſalem, *vide*, Jeruſalem.

Jecmaan, aut Cibſaim, civitas in tribu Ephraïm, refugii facta & conceſſa Levitis.

Jecnal, in tribu Zabulon, Levitis civitas ſeparata.

Jeconam, civitas Carmeli, quam cepit Joſue, rege illius interfecto.

Jenna, in ſexto ab Eleutheropoli lapide pergentibus Chebron.

Jephlethi, civitas & terminus filiorum Joſeph, in tribu Ephraïm.

Jephihael, vallis in finibus tribuum Zabulon, & Aſer.

Jericho, urbs, quam Jordane tranſgreſſo ſubvertit Joſue rege illius interſecto: pro qua extruxit aliam Ozam de Bethel, ex tribu Ephraïm, quam Dominus noſter atque Salvator Jeſus Chriſtus ſuâ præſentiâ illuſtrare dignatus eſt. Sed & hæc eo tempore quo Jeruſalem oppugnabatur à Romanis propter perfidiam civium capta atque deſtructa fuit.

Jermoth, in tribu Iſſachar, urbs ſacerdotibus ſeparata.

Jeron, civitas munita in tribu Nephthali.

Jerusalem, quæ & Jebus, & Ælia, aliquandò civitas Sancta, in qua regnavit Adonibezec, & poſtea eam tenuere Jebuſæi, è quibus ſortita eſt vocabulum, quos multo poſt tempore David exterminans, totius eam Judææ provinciæ Metropolim fecit eo quod ibi locum templi emerit, & impenſas ſtructuræ Salomoni filio dereliquerit. Hanc eſſe Joſephus refert, quæ in Geneſi ſcribitur Salem, ſub rege Melchiſedech. Fuit autem in tribu Benjamin.

Jetabatha, locus in deſerto prope montem Gadgad ubi torrentes aquarum demonſtrabantur, manſio Iſraëlitarum.

Jetan, in tribu Juda, civitas Sacerdotalis, poſtea vicus prægrandis Judæorum in decimo octavo lapide ab Eleutheropoli ad Auſtralem partem in Daroma.

Jether, in tribu Juda, civitas Sacerdotalis. Ætate ſancti Hieronymi villa prægrandis Jethira nomine, in viceſimo milliario Eleutheropoleos. Sita autem in interiori Daroma, juxta Malathan.

Jezrael, in tribu Manaſſe: tempore ſancti Hieronymi grandis vicus oſtendebatur in campo maximo inter Scythopolim & Legionem. Fuit autem terminus Iſſachar. Sed & unus de poſteris Ephratæ, ſicut in Paralipomenon legimus, vocatus eſt Jezraël.

Incendium, locus in deſerto, ubi quondam partem populi flamma conſumſit.

Intaath, caſtra filiorum Iſraël in deſerto.

Joppe, oppidum Paleſtinæ maritimum in excelſo ſaxo conditum, in tribu Dan.

Jordanis, maximus & penè unicus Terræ promiſſæ fluvius, dividens tribus Rubeo, Gad, & dimidiam Manaſſe ab aliis tribubus, uſque ad mare mortuum fluit, & poſt multos circuitus juxta Jericho, mortuo commixtus mari, nomen amittit.

Iroth, locus deſerti, ad quem venerunt filii Iſraël mare Rubrum transfretantes.

Isimoth, & Bethſimuth, ubi abſconditus eſt David. Sed & in Regnorum Libro primo, pro Iſimuth.

Issachar, una è tribubus filiorum Iſraël, ex nono filiorum Jacob, & ex Lia quinto ſic vocata, à Mari magno, ubi Carmel Mons, ad Jordanem uſque, ubi lacus Geneſareth, extenditur, in Auſtrali parte inferioris Galilææ.

Ituræa, & Trachonitis regio, cujus Tetrarcha fuit Philippus: ſicut in Evangeliis legimus. Trachonitis autem dicitur terra juxta deſertum Arabiæ, quod Boſtræ jungitur.

Jud, civitas in tribu Dan, inter Balaath & mare.

Juda, tribus Regia & Potentiſſima ex qua naſciturus erat Chriſtus, ex ea aliquæ civitates excerptæ, tribubus Simeon & Dan datæ ſunt, potentior tamen & amplior cæteris undecim aliis tribubus remanſit.

Judæa, regio Aſiæ penè minima, ſed nobiliſſima, in Orientali Mediterranei Maris littore, inter Syriam cujus pars fuit, & Ægyptum à qua deſertis Idumææ ſeparatur, poſita. Primùm vocata fuit terra Chanaan, 2. Terra promiſſa, 3. Terra Iſraël, 4. Judæa.

L.

Labamath, civitas in tribu Aſer, vide, Ahalab.

Lacum, terminus tribûs Nephthali.

Lais, quæ & Dan, Paneas, & in Novo Teſtamento Cæſaræa Philippi vocatur, à ſexcentis viris tribûs Dan expugnata & incenſa, poſtea reædificata, & Dan vocata. Fuit autem terminus terræ Judææ, contra Septentrionem, à Dan uſque Berſabee porrectæ.

Lamatthara, ad quem locum Jonathan jacula dirigebat.

Lapis Boen, filiorum Ruben: eſt autem terminus tribûs Juda.

Lasa, terminus Chananæorum circa Sidonem.

Lasaron, & hanc cepit Joſue, rege illius interſecto.

Lebna, in tribu Juda, civitas Sacerdotalis, quam tenuit Joſue, rege illius interfecto: ætate ſancti Hieronymi villa in regione Eleutheropolitana, quæ appellabatur Lobna.

Lebona, in deſerto, caſtra filiorum Iſraël.

Lessem, hanc filii Dan vi captam, cognominaverunt Dan.

Levi, tribus, à Levi filio Jacob tertio ex Lia uxore, ſic vocata, ſed nullam habens diſtinctam à reliquis tribubus poſſeſſionem, per alias omnes duodecim diſperſa fuit, ut populum legem doceret, & ſacra adminiſtraret.

Libanus, omnium Judææ montium celeberrimus, tribus Aſer & Nephthali à Septentrione terminabat.

Lobon, locus ſolitudinis trans Jordanem, in quo Moyſes Deuteronomium legit.

Lochis, in tribu Juda: ſed & hanc cepit Joſue, rege ipſius interfecto. Villa in ſeptimo milliario ab Eleutheropoli euntibus Daromam, tempore ſancti Hieronymi.

Lodabar, locus ultra Jordanem in tribu Gad, unde fuit Machir.

Luith, oppidum Moab, in monte ſitum, tribûs Ruben, penes Oronaim.

Luza, in tribu Benjamin, quam poſtea Jacob cognominavit Bethel. Villa in ſiniſtra parte viæ de Neapoli pergentibus Æliam, tempore ſancti Hieronymi.

Luza, hæc altera eſt, quæ cecidit in ſortem filiorum Joſeph, juxta Sichem in tertio lapide Neapoleos.

Luza altera, juxta Bethel, in terra Cetthim, quam condidit ille qui abierat de Bethel, ſicut narrat hiſtoria.

M.

Maanaim, in tribu Gad, ſeparata Levitis, in regione Galaaditide.

Maceda, in hac concluſit Joſue quinque reges in ſpelunca, quos interfecit cum rege Maceda, fuit in tribu Juda.

Macaloth, caſtra filiorum Iſrael in ſolitudine.

Machanarath, terminus tribus Ammam, quæ & Philadelphia dicitur.

Machathi, urbs Amorrhæorum, poſtea dimidiæ tribûs Manaſſe ſuper Jordanem juxta montem Æermon, de qua exterminare non valuerunt filii Iſraël Machathæam.

Machmas, civitas tribûs Benjamin, ætate ſancti Hieronymi vicus grandis in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, novem ab ea millibus diſtans juxta villam Rama.

Madian, terra ab uno filiorum Abraham ex Chetthura ſic vocata. Cujus populi Madianitæ qui ad fornicationem & idololatriam Iſraëlitas terram promiſſam ingredientes, induxerunt.

Mauon, vide, Abdon.

Magala, locus in tribu Juda, prope vallem terebinthi.

Magdiel, in tribu Nephthali, parvus vicus ætate ſancti Hieronymi in quinto milliario Doræ pergentibus Ptolemaïdem.

Magdolus, ad quem filii Iſraël, quum exiſſent de Ægypto pervenerunt, antequam tranſirent mare Rubrum. Porro Jeremias Judæos, qui ſecum fugerant, Babyloniorum impetum declinantes, in hac urbe Ægypti habitaſſe refert.

Magdon, ſive Magron, locus in tribu Benjamin, in extremitate civitatis Gabaa, ubi ſedit Saül.

Magedan, locus, in dimidia tribu Manaſſe, ad cujus fines Matthæus Evangeliſta ſcribit Dominum perveniſſe, poſt ſeptem panum multiplicationem.

Mageddo, urbs Regis, quam cepit Joſue, rege illius interfecto: cecidit in ſortem tribûs Manaſſe, ſed & nequaquam poſſedit eam, quia priſtinos habitatores nequivit expellere.

Mambra, hæc eſt Chebron & Hebron, *vide*, Hebron.

Manasse, tribus, in duas partes diviſa, prima cis Jordanem, altera trans Jordanem, à Manaſſe filio Joſeph primogenito in benedictione Jacob minori Ephraim poſt habito, ſic appellata.

Maon, deſertum in tribu Juda, in quod fugit David à facie Saül fugiens.

Mara, fons amariſſimus, ſtatio Iſraëlitarum in deſerto, hujus Moſes obmurmuranti populo aquas dulces reddidit injecto in eas ligno, quod oſtendit ei Dominus.

Mare Galilææ, ſeu ſtagnum Tiberiadis, à Galilæa regione vicinâ ſic vocatum, amœnis oppidis circumdatum, multis Jeſu Chriſti Domini Salvatoris noſtri miraculis illuſtratum.

Mare Magnum, quod & Mediterraneum vocamus, Aſiam, Africam & Europam interluit, totam promiſſionis terram ab occidente claudit.

Mare Rubrum, propriè ſinus Arabicus, quod inter Africam, ubi Æthiopia & Ægyptos, & Aſiam, ubi Arabia, per pluſquam mille & ducenta millia paſſuum ſe extendit, hoc ſicco veſtigio, hinc & inde aquis recedentibus, tranſierunt Iſraëlitæ, ex Ægypto diſcedentes.

Mare Mortuum, quod & mare Salſiſſimum, deſerti & ſolitudinis dicitur, inter Jericho & Zoaram; vallis olim Silveſtris, in qua quatuor urbes igne cæleſti ſuccenſæ fuerunt.

Masan, in tribu Aſer, juxta Carmelum ad mare, civitas ſeparata Levitis.

Masapha, civitas in tribu Gad, ſeparata Levitis.

Maspha Masphat et Mesphe, varia ejuſdem urbis nomina, in tribu Benjamin, ibi fuit arca Domini.

Maspha et Masphe, civitas tribûs Gad, in qua contra Moabitas Iſraëlitæ caſtrametati ſunt.

Maspha terra, in tribu Aſer, eò uſque Chananæos perſecutus eſt Joſue.

Masphat & Mephaat, civitas in tribu Ruben, facta refugii & Levitis conceſſa.

Masapha in Moab, ad quam profugus David quum Saülis inſidias declinaret, venit.

Medaba, Ammonitarum primùm urbs fuit, poſtea Amorrhæorum, tandem in tribu Ruben.

Medemena quæ & Beth Marchaboth, civitas primò tribûs Juda, tribui verò Simeon deinde conceſſa.

Mello, civitas vicina urbis Sichem, & quaſi illius ſuburbium, in tribu Ephraim, hanc ædificavit Salomon.

Memoriæ, id eſt. ſepulchra concupiſcentiæ, caſtra filiorum Iſraël in deſerto, ubi poſt eſum carnium aſcendit ira Dei ſuper illos.

Memphis, civitas Ægypti, Judæi qui cum Jeremia de Jeroſolymis profugi exierant, habitaverunt in Memphis.

Mesopotamia, regio Aſiæ fertiliſſima, inter Euphratem & Tigrim poſita.

Messe, regio Indiæ, in qua habitaverunt filii Jectan, filii Heber.

Miletus, civitas Aſiæ ſive Cariæ, non longè ab Epheſo.

Misada, filiorum Jacim locus in ſolitudine, in quo obiit Aaron.

Misor, civitas tribûs Ruben ſeparata Levitis, in regione Gabalena.

Moab, filius majoris filiæ Loth ex inceſtu, ex quo Moabitæ populi, & eorum regio Moabitis, quæ poſtea tribus Ruben fuit.

Molada, in tribu Juda, poſtea verò Simeon.

Mons Olivarum, ad Orientem Jeruſalem, in quo diſcipulos erudiebat Jeſus.

Morasthi, vicus tribûs Juda, ad Orientem Eleutheropoleos, unde fuit Michæas Propheta.

N.

Naalol, in tribu Zabulon, civitas aſſignata Levitis.

Naama, civitas tribûs Juda.

Naaratha, civitas in tribu Ephraïm, ætate ſancti Hieronymi Naorath villula Judæorum, in quinto milliario Jerichus.

Nabba, ſive Nobba, ad quam aſcendit Gedeon, urbs Sacerdotibus ſeparata, Saülis furore ſubverſa.

Nabo, civitas filiorum Ruben in regione Galaad.

Naftho, nomen fontis in tribu Benjamin.

Naim, oppidulum in tribu Iſſachar, non longè à Nazareth in quo filium viduæ à mortuis Dominus ſuſcitavit.

Naioth, locus in Rama, ſeu Ramatha, tribûs Benjamin, verſus Bethel, in quem fugit David cum Samuele.

Nazareth, civitas Galilææ, in tribu Zabulon, in clivo montis ſita, B. Mariæ Virginis patria, J. C.

ſalvatoris noſtri incarnatione & incolatu celeberrima, unde & Nazaræus vocatus eſt.

NECAB, in tribu Nephthali, *vide*, Adami.

NASIBA, in tribu Juda, ætate ſancti Hieronymi Naſibl, in ſeptimo milliario Eleutheropoleos pergentibus Chebron.

NEMRA. civitas tribûs Ruben, in terra Galaad.

NEMRIM, locus ab aquis nominatus in terra Moab, tempore autem ſancti Hieronymi vicus nomine Bennamarim ad Septentrionalem plagam Zoaræ.

NEPHTHALI, tribus, ad ſuperiorem Jordanis ripam ſita à Nephthali filio Jacob ſexto ſic nominata, ad Aquilonem.

NEPHTHALI, civitas in tribo ejuſdem nominis, Tobiæ patria.

NERIGEL, & hanc extruxerunt in regione Judæa Samaritani, qui de Babylonia ſunt profecti.

NEZAB, quam condiderunt Evæi in terra Judea.

NINIVE, urbs Aſſyriorum, quam ædificavit Aſſur egrediens de terra Sennaar, ante & poſt mortem Sardanapali celeberrima, Ninivitis à Deo miſſus Jonas, pœnitentiam prædicavit.

NOPHETH, urbs in ſorte tribûs Manaſſe, licet tamen diverſis tribubus attributa, hujus pars tertia tribui Manaſſe conceſſa fuit, aliarum patrium non meminit Joſue.

O.

OBOTH, in deſerto, Caſtra filiorum Iſraël.

ODOLLAM, aut Adullam, civitas Regia, poſteà tribûs Juda.

ON, urbs in Ægypto quæ Heliopolis Græcè dicitur, id eſt, civitas ſolis, quam ædificaverunt filii Iſraël, ſicut ſeptuaginta interpretes arbitrantur. Alioquin in Hebraïcis voluminibus non habetur. Et rectè: ſiquidem antequam Jacob ingrederetur Ægyptum, erat extructa jam civitas, quæ & ſacerdotem habuit Petefrem, patrem Aſeneth.

OOTHON, ubi ſecundò ſibi Iſraël caſtrametati ſunt, egredientes de Soccoth juxta deſertum, quando de Ægypto profecti ſunt.

OPHIR, unde triennio aurum afferebatur Salomoni. Fuit autem unus de poſteris Heber, nomine Ophir ex cujus ſtirpe venientes à fluvio Cophene, uſque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Hieria, habitaſſe refert Joſephus.

ORONAIM, urbs Moabitarum, in tribu Ruben.

P.

PETRA: civitas Arabiæ in terra Edom, quæ cognominata eſt Jectael, & à Syris Recem dicitur.

PTOLEMAIS, *vide*, Accho.

PUTEUS IURAMENTI, quem fodit Abraham, *vide* Berſabee.

PUTEUS VISIONIS, in deſerto, apud quem habitavit Iſaac.

R.

RABBOTH, in tribu Iſſachar eadem ac Dabereth.

RAMA, in tribu Benjamin civitas Saülis, in colle ſita in ſexto milliario ab Ælia ad Septentrionalem plagam contra Bethel.

RAMESSE, urbs quam ædificaverunt filii Iſraël in Ægypto universa autem provincia in qua habitavit Jacob unà cum liberis ſuis, ſic vocabatur.

RAMMOTH, in tribu Gad, civitas Sacerdotalis & fugitivorum in terra Galaaditide.

RAPHACA, in deſerto ubi filii Iſraël caſtrametati ſunt.

RAPHIDIM, ſtatio filiorum Iſraël in deſerto juxta montem Choreb, in quo de petra fluxere aquæ, cognominatuſque eſt Tentatio: ubi & Joſue adverſus Amelec dimicat prope Pharan.

RATUMA, caſtra filiorum Iſraël in deſerto.

REBLA, in terra Emath contra fontem Daphnim, vinctumque unde victor Pharao adductum Joachaz tranſtulit in Ægyptum.

REALATHA, regio Babyloniorum, ſive urbs Antiochia vocata.

RECCATH, in tribu Nephthali, civitas munitiſſima.

RECEM, hæc eſt Petra civitas Arabiæ, in qua regnavit Recem, quem interfecerunt filii Iſraël. Dicitur ipſe rex quoque Madian.

RECEM, civitas in tribu Benjamin.

RAMMAM, civitas regum Syriæ juxta Damaſcum.

REMMON, urbs primùm tribûs Juda, poſtea tribui Simeon conceſſa.

REMMON, Petra Remmon, in tribu Benjamin, ſaxum ſeu caſtrum naturâ muniſſimum.

REMMON, civitas tribûs Zabulon, Levitis aſſignata.

REMMON, Phares, ubi filii Iſraël caſtrametati ſunt.

RESSA, caſtra filiorum Iſraël.

ROBOOTH, civitas Aſſyriorum, quam ædificavit Aſſur, egrediens de terra Sennaar.

ROGAL, nomen fontis in tribu Benjamin.

ROGELIM, unde fuit Berzellaï Galaadites, amicus David.

ROMA, civitas Italiæ, Romanorum imperatorum, nunc verò ſummorum Pontificum ſedes, & totius orbis chriſtiani caput.

ROOB, in tribo Aſer, civitas ſeparata Levitis.

RUBEN tribus: à Ruben filio Jacob primogenito ex Lia uxore ſic appellata, trans Jordanem, in terra Moab ſita.

RUM. civitas in tribu Ephraïm, non longè ab urbe Sichem.

S.

SAALIM, villa quam pertranſiit Saül in finibus Eleutheropoleos contra Occidentem, ſeptem ab ea millibus diſtans.

SAARA, vicus in finibus Eleutheropoleos contra Septentrionem pergentibus Nicopolim, quaſi in decimo milliario, in tribu Dan, ſive Juda.

SABA, civitas regalis Æthiopiæ, quam Joſephus à Cambyſe rege Meroen cognominatam ex ſororis vocabulo, refert.

SABAMA, civitas Moab, in terra Galaad: quæ cecidit in ſortem tribûs Ruben.

SABARIM, civitas in tribu Nephthali, inter Damaſcum & Æmath.

SABEE, civitas in tribu Simeon.

SADEMOTH, ubi Joſias rex idolorum ſigna combuſſit.

SAFFARVAIM, de quibus locis Aſſyrii tranſmigrantes habitaverunt in Samaria: & ab ipſis Samaritanorum gens ſumſit exordium.

SALEM, civitas Sichimorum, in terra Chanaan, in dimidia tribo Manaſſe quæ cis Jordanem erat, in ea regnavit Melchiſedec.

SAMARIA, regio media Judæam inter & Galilæam, tribum Ephraïm, & dimidiam partem tribûs Manaſſe cis Jordanem complectens.

SAMARIA, civitas regia munitiſſima, in tribu Ephraïm, poſt Therſam ſedes regum Iſraël, qui eam tractu temporum multis, magnificiſque ædificiis ornavere.

SAMES, fons in tribu Benjamin.

SAORTH, in tribu Roben, ſuper Jordanem.

SAPHIR, villa in montanis ſita, inter Eleutheropolim & Aſcalonem, in tribu Juda.

SAPHON, in tribu Gad, ſuper Jordanem.

SAREPTHA, oppidum Sidoniorum in via publica ſitum: ubi manſit quondam Elias, cum muliere vidua, quæ eum pane ſubcinericio, & parvulo pavit, ipſeque viciſſim à Domino obtinuit, ut hujus viduæ Hydria farinæ non deficeret, nec lecythus olei minueretur, ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.

SARON, urbs in tribu Gad, ultra Jordanem.

SARON, regio, juxta Joppen & Lyddam, in confiniis tribuum Dan & Ephraim.

SATTIM, ubi populus pollutus eſt fornicatione filiarum Moab, juxta montem Phogor: unde & Joſue exploratores ad inveſtigandam & noſcendam miſit Jericho.

Save, civitas antiqua in qua habitaverunt Ommei gens valida ſuper regionem Sodomæ, quam excidit Chodorlahomor, hunc poſtea percuſſit Abram nocte cum trecentis decem & octo viris vernaculis ſuis.

Seboim, una è quinque urbibus, igne cæleſti conſumptis, antea autem erat Regia.

Sechem, in tribu Manaſſe, civitas ſacerdotalis & fugitivorum, in monte Ephraïm.

Segor, quæ & Bala, Soora & Zoara, una de quinque civitatibus Sodomorum ad preces Lot de incendio reſervatis.

Seir, mons inter Idumæam & terram Juda, in quo habitavit Eſaü: in iis locis antea habitavit Chorræus quem interfecit Chodorlahomor.

Seir, mons alter in limite tribuum Juda, Dan & Benjamin.

Sela, civitas in tribu Benjamin.

Selcha, eadem ac Salecha civitas regis Og, in finibus tribûs Gad & dimidiæ tribûs Manaſſe.

Selmon, mons quem conſcendit Abimelech adverſus Sichimam dimicans.

Selmona, caſtra filiorum Iſraël in deſerto.

Selo, in tribu Ephraïm, in quo loco arca teſtamenti manſit, & tabernaculum Domini uſque ad tempora Samuelis.

Semeron, & Semron urbs olim Regia, poſtea fuit in tribu Zabulon. Hanc cæpit Joſue, rege illius interfecto.

Semron, *vide*, ſupra Semeron.

Senna, terminus Judææ ad Auſtrum.

Sennaar, campus Babylonis, in quo turris extructa eſt. Unde egreſſus Aſſur ædificavit Ninivem; terra Sennaar eſt ipſamet Chaldæa, quæ & Aſſyriæ pars eſt.

Seon, ſive Soen, civitas in tribu Iſſachar: ſanct. Hieronymi tempore erat villa juxta montem Thabor.

Sephama, terminus Judææ ad ſolis ortum.

Sephela, regio juxta Eleutheropolim campeſtris & plana.

Sepheth, civitas in tribu Nepthali, & ſuperioribus Galilææ partibus.

Sicaleg, civitas in tribu Simeonis, quam Achis rex alienigenarum dedit ad habitandum David.

Sichar, Sichem, Sichima, & Sichimis, ejuſdem urbis diverſa nomina, tribûs Ephraïm, in qua Simon Jonathæ frater urbem Adiada ædificavit & munivit. Juxta agrum quem dedit Jacob filio ſuo Joſeph, in quo Dominus noſter atque ſalvator, Samaritanæ mulieri ad puteum loquutus eſt, in monte ſita, facta refugii & Levitis data, ab Abimelech ſubverſa, poſteaque à Jeroboam rege Iſraël reædificata, & munita.

Sichem, *vide*, Sichar.

Simeon, una ex tribubus Iſraël, tota ex tribu Juda excerpta, Philiſthæis vicina, à Simeone ſecundo filio Jacob, ex Lia, nomen habet.

Sidon, urbs Phenices inſignis, olim terminus Chananæorum ad aquilonem reſpiciens, & poſtea regionis Judææ. Cecidit autem in ſortem tribûs Aſer, ſed non eam poſſedit, quia hoſtes nequaquam valuit expellere.

Sinor, civitas in tribu Aſer.

Sin, deſertum inter mare Rubrum & ſolitudinem Sina. De hoc deſerto filii Iſraël venerunt in Raphidim, & à Raphidim in deſertum Sina, juxta montem Sina, ubi Moyſes tabulas legis accepit. Deſertum autem Sin idem dicit eſſe Scriptura quod & Cades.

Sinai, aliquandò Sina, mons, ſanctus dictus, ſuper quem deſcendit Dominus, duaſque teſtimonii tabulas lapideas, digito ſcriptas Moyſi dedit. Sinai aliquandò vocatur & mons & deſertum.

Sion, mons cum arce, civitas David dicta, in Auſtrali parte urbis Jeruſalem.

Sior, civitas tribûs Juda.

Sis, clivus ſeu aſcenſio, contra ſolitudinem Jeruel in tribu Juda.

Soccho, *vide*, Adullam-Soccho.

Soccoth, prima manſio filiorum Iſrael in deſerto, poſtquam de Ægypto ſunt profecti, antequam mare tranſierint Rubrum.

Sochoth, in tribu Gad, ſuper Jordanem.

Sodoma, civitas Pentapoleos prima, igne de cœlo deſcendente conſumta, in mare mortuo.

Soora, urbs juxta Sodomam, *vide* Segor.

Sophera, quæ & Sophir, mons orientis in India, juxta quem habitaverunt filii Jectan filii Heber. Quos Joſephus refert à Cophene flumine, & Indiæ regionibus uſque ad id locorum perveniſſe, ubi appellatur regio Iheria; ſed & claſſis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat.

Sophim, mons inter tribus Benjamin & Ephraïm.

Sorech, vallis & torrens, inter tribus Dan & Simeon, de quo loco fuit Dalila illa Samſonis quæ Philiſthinorum principibus impulſa blanditiis, & moleſtiis cauſâ ejuſdem fortitudinis cognitâ, detenſum in manus Philiſthinorum tradidit.

Sunem & Sunam, civitas in tribu Iſſachar: ætate ſancti Hieronymi vicus Salem, in quinto milliario montis Thabor contra auſtralem plagam.

Sur, deſertum quod ad mare Rubrum, & ad Ægypti confinia extenditur, ubi invenit Angelus ancillam Saræ Agar, inter Cades & Barad.

T.

Tabernaculum Cedar, *vide*, Cedar.

Talem, civitas in tribu Juda, inter Jethnam-ziph, & Baloth-Aſor.

Tanis, aliquandò Taphnis, & Taphræ civitas inferioris Ægypti regia Pharaonis, ubi Moyſes multa ſigna edidit.

Taphnas, civitas Ægypti. In hac habitaverunt Judæi, qui ob metum Babyloniorum cum Jeremia fugerunt.

Terebinthus, in Sichimis, ſub qua Jacob ſuorum abſcondit idola, juxta Neapolim.

Thaab, juxta Galaad.

Thanach, Thenac, & Tanach & Anet civitas juxta quam Debbora adverſum Siſaram dimicavit, in tribu Manaſſe, ſeparata Levitis, quam tenere non potuit, priſtinis cultoribus nequaquam ejectis.

Thabor, mons in tribu Zabulon, in medio Galilææ campo, mirâ rotunditate ſublimis: conſtans eſt traditio Jeſu Chriſti transfigurationem factam fuiſſe in monte Thabor.

Thaffu, in tribu Juda civitas quam expugnavit Joſue, rege illius interfecto.

Thalassar, regio, ſed ubinam fuerit illa regio, difficile eſt aſſerere, creditur tamen regio Meſopotamiæ.

Thamar, quæ & Aſaſon-Thamar, *vide*, Engaddi.

Thamna, Thanna, & Thamnas, civitas primùm tribûs Juda, poſtea tribui Dan conceſſa.

Thaphol, locus in deſerto trans Jordanem contra Jericho, in quo Deuteronomium ſcribit Moyſes.

Thare, caſtra filiorum Iſraël, in deſerto, inter Thaath & Methca.

Tharsis, unde aurum Salomoni deferebatur; de hoc loco varii varia.

Thartac, civitas in terra Judæa Evæis condita.

Thebes, urbs in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem, quam quum oppugnaret Abimelech, fragmine molæ ictus interiit: ſancti Hieronymi tempore vicus oſtendebatur in finibus Neapoleos pergentibus Scythopolim, quaſi in tertiodecimo ejus lapide.

Theman, regio principum Edom in terra Gebalitica, à Theman filio Eliphaz filii Eſaü ſortita vocabulum.

Thermoth, civitas quam ædificavit Salomon in deſerto.

Thersa, civitas regia, in dimidia parte tribûs Manaſſe, cis Jordanem.

Thesba, civitas Galaaditidis regionis, in tribu Gad, unde ortus eſt Elias Propheta, Theſbites.

Tholad, eadem ac Eltholad; civitas primùm in tribu Juda, poſteà tribui Simeon conceſſa.

Tigris, fluvius qui de paradiſo voluptatis exiens, juxta Scripturæ fidem, pergenſque contra Aſſyrios,

poſt munitos circuitus, ut vult Joſephos, in mare Rubrum ſeu ſinum Arabicum influir.

Toa, terra in tribu Gad, in qua habitavit Jephre.

Tupheth, in valle filiorum Ennom, vicina civitati Jeruſalem.

Trachonitis regio, trans Jordanem, montibus aſpera, cujus tetrarcha fuit Philippus, juxta Evangelium Lucæ.

Tyrus, ipſa eſt Tyrus antiqua, ab Iſraëlitis capta & deleta, ſed poſtea à Sidonits in rupe peninſulari juxta littus ædificata, antiquâ multò firmior, ob magnitudinem, & opum abundantiam illuſtriſſima.

U.

Ur Chaldæorum, urbs Abrahæ natalitiis nota, in Meſopotamia, ſub ditione Chaldæorum, ubi mortuus eſt Aram, frater Abrahæ.

Z.

Zabulon, una è tribubus filiorum Iſraël, à Zabulone decimo filiorum Jacob, ſexto & ultimo ex Lia ſic vocata, in Galilæa inferiori ſite, à mari Magno; ad mare Galilææ extenſa.

Zared, vallis & torrens in tribu Ruben; vocatur etiam & Zered.

Zephrona, terminus Judææ ad ſeptentrionem.

Zib, in octavo milliario Chebron contra orientem: tempore ſancti Hieronymi vicus oſtendebatur, ubi abſconditus fuit David. Fuit autem tribûs Juda in Daroma in finibus Eleutheropoleos.

Ziph, in tribu Juda mons ſqualidus vel caligans ſive nebuloſus, juxta Ziph, in quo ſedit David propè Chermelam, quæ in Scripturis ſanctis Carmelus appellatur.

Zohaleth, nomen lapidis ubi Adonias immolavit victimas juxta fontem Rogel, qui eſt in horto regio prope Jeruſalem, ad orientem.

Zoob, civitas Amorrhæorum ſita in Arnone; de qua ſcriptum eſt: *Propterea dicitur in libro Bellorum Domini: Zoob inflammavit & torrentes Arnon.*

In pereruditа Abbatis Pezronii Diſſertatione *de antiquis Terra Promiſſa finibus* Trivolii menſis Julii anni 1705. infertâ paret eam eſſe ſententiam viri Docti terram Iſraelitis promiſſam ab ea quam poſſederunt, diſtingui oportere. Quæ ab iis poſſeſſa fuit monte Libano, & Idumæa, & mari continetur: quæ autem promiſſa eſt Patriarchis, longiùs ad Septentrionem patet: ſed ob crebras Iſraëlitarum prævaricationes, & idololatrias has regiones ex parte tantummodo occuparunt. Geneſis cap. 15. 18. *Pepigit Deus fœdus cum Abraham, dicens: ſemini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem, Cineos, &c.* Deuteronomii, cap. 1. idipſum Deus Iſraëlitis repromittit. *Venite ad montem Amorrhæorum .... terram Chananæorum, & Libani uſque ad flumen magnum Euphratem.* Item cap. 11. 22. *ſi enim cuſtodieritis mandata quæ ego præcipio vobis .... omnis locus quem calcaverit pes veſter, veſter erit à Deſerto, à Libano, à flumine magno Euphrate uſque ad mare occidentale erunt termini veſtri.* Mare illud eſt mare Mediterraneum ad Euphratis Occidentem.

Fines quidem terræ promiſſæ à Chananæis tum occupatæ verſus Septentrionem, ad Euphratem uſque porrecti erant: ſed quouſque regio illa pateret, explicatu difficile eſt. Et quidem terræ promiſſionis, Iſraëlitis deſtinatæ limites numer. 37. & ſequen. à quatuor mundi plagis ſic definiuntur, ut qui ab Auſtro, ab occaſu, & ab ortu ſunt præſcripti, vix ullum ambiguitati locum relinquant, qui verò ſint ad Septentrionem poſiti, deſignari, ægrè poſſint. Porrò, inquit Sacer Textus, *ad Septentrionalem plagam à mari Magno termini incipient, pervenientes uſque ad montem altiſſimum* & quæ ſequuntur.

Ita quidem Vulgata, in Hebræo *uſque ad montem Hor, à quo venient in Emath: uſque ad terminos Sedada.* Hieronymus ſcribens in caput 47. Ezechielis montem illum altiſſimum vel Taurum montem, vel Amanum ex Hebræorum mente interpretatur. Idem, inquit, Hebræi autumant vel Amanum montem ſignificari, vel Taurum, quod nobis videtur verius; neque id perſuaſum fuit Hebræis montem Hor fuiſſe Libanum, ex quo Jordanis profluit.

Ubi ergo, inquies, mons ille altiſſimus ſitus eſt? & quidem non procul ab illo monte poſitæ ſunt urbes Emath, & Sedada, quæ poſterior hæc civitas penitùs eſt incognita. Miſſis cum Hieronymi, tum aliorum de urbe Emath conjecturis, an fuerit Antiochia, an Epiphania, an Emeſa, in Theodoreti ſententia acquieſcit Pezronius: ille Cyri epiſcopus non procul ab iis locis, omnem eam regionem melius perſpectam habuit, quam quivis alius. In ſuis ad Jeremiam commentariis magnam Emath Emeſam eſſe identidem docet, ut minorem Emath Epiphaniam: utraque ad fluvium Orontem ſita erat. Quæ fuerit Reblata in Scripturis identidem memorata ſimul aperit: hanc fuiſſe in territorio urbis Emath oſtendit ſcribens in caput 4. Jeremiæ. *Pagus eſt ejus qua nunc dicitur Emeſa.*

Jam ut ad montem illum altiſſimum ſeu ad montem Hor terræ promiſſæ Iſraëlitis veniamus, non alium eſſe quàm montem Libanum Syriæ admodum eſt probabile, qui ita appellatur, ut ab Antilibano diſtinguatur. Hic incipit non procul Tripoli prope oſtium fluminis Eleutherii: hinc verſus orientem longè porrigitur, ac verſus Orontis fontes deſinit: nam ex eo monte manat Orontes. Cum autem hic fluvius non procul Emeſa ſuum ducat initium, Syriæ Libanum à mari Mediterraneo verſus Emath ſeu Emeſam porrigi Sacer Textus inſinuat Numer. cap. 34. Montem igitur Hor eſſe Libanum Syriæ videtur manifeſtum. Hunc Syri dixere Hor, ſeu album, quòd ſit opacus nivibus vertente penè anno: ob eandem prorſus rationem Chananæi hunc Libanum dixere, iſque ab Antilibano in Palæſtina diverſus eſt: cavendum porrò ne hunc montem Hor cum alio cognomine in Arabia poſito cum Oceaſtro confundamus, in quo quidem Aaron diem ſuum obiit.

Ex iis palam fit terræ promiſſæ limites Septentrionem verſus non procul ab Euphrate ſitos eſſe. Has quidem regiones poſſederunt Chananæi à Jordanis fontibus ad Orontis uſque fontes, à Libano Palæſtinæ, ſeu ab Antilibano ad Libanum Syriæ, & Emeſam uſque Chananæorum, populi è Chanaan oriundi undecim, vel duodecim Geneſeos cap. 10. & aliis in Scripturæ locis numerantur: ex iis ſeptem Palæſtinam ab Idumæa Sidonem uſque, & ad Jordanis fontes inſederunt: alii ad Orontis originem, & Emeſam uſque interjectas regiones occuparunt, Cinæi nempe, Aradii, Samaræi, & Amorrhæi unà cùm Sidoniis & Tyriis Syriam invaſere, qui propriè Phœnices ſunt appellati. Id præter cætera obſervandum, hos terræ promiſſionis limites Num. cap. 34. ℣. 7. & ſequentibus aſſignari, mare Magnum ſeu Mediterraneum prope oſtium fluminis Eleutherii, tum montem Hor, ſeu Libanum Syriæ, qui ab oſtio prædicti fluminis ad fontes uſque Orontis verſus Palmyrenam protenditur. Urbem quoque Emath deſignat Moſes, quæ eſt ipſa Emeſus, ex Theodoreto, ad Orontem poſita non procul à Libano Syriæ; Moſes deinde Sedada, Zephrona, & Enan appellat loca prorſus incognita, niſi fortè Enan ſit Epiphania, aut Lariſſa ad Orontis occaſum: ſic Siphama ex Hieronymo & Hebræis erit Apamæa.

Cur autem hæ regiones Iſraëlitis promiſſæ fuerint, non traditæ, rationem attulimus ex Hieronymo, Epiſtolâ ad Dardanum. *Et ego*, inquit, *fatebor tibi repromiſſa, non tradita: ſi obſervaſſes mandata Dei, & in præceptis illius ambulaſſes; ſi & pro Omnipotente Deo non coluiſſes Beelphegor, & Baalim, Beelzebub, & Chamos, quos prætuliſti Deo. Omnia quæ tibi promiſſa ſunt, perdidiſti.* Concludit demùm. *Et mihi in Evangelio promittuntur regna cœlorum, quæ inſtrumentum vetus non nominat: Sed ſi non fecero quæ præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me qui promiſſum accipere non merui. Ubi enim optio proponitur ad eligendum, quis operari renuis fruſtra cupias quod promiſſum eſt.* Quod argumentum fusè perſequitur idem Doctor.

Digitized by Google

TABULÆ
CHRONOLOGIÆ SACRÆ
VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.
AUCTORE R. P. *****

OMISSA Periodo Juliana ingenioſo ſanè Scaligeri commento, ſed nimis intricato & minus utili, æram Chriſtianam, cujus annus M. DCC. V. currit, chronologiæ noſtræ regulam ſtatuimus, arbitrati ſic expeditam lectoribus futuram noſtræ in quæſtionibus chronologicis ſententiæ cum diverſis à noſtra ſententiis collationem. Quippe per annorum retro ante hanc æram lapſorum veluti gradus aſcendentes, annos habemus In infinitum proprio quemlibet charactere, id eſt nota ſua numerali ſic diſtinctos, nullus ut cum altero confundi poſſit. Nequit etenim v. g. annus ante æram chriſtianam decimus cum duodecimo confundi & ſic deinceps.

Hæc prima dos methodi noſtræ, habet illa ex ſe & nullo negotio, quod tot cyclorum impedita coagmentatione periodi Julianæ annis conferre Scaliger laboravit.

Altera methodi noſtræ dos eſt, quod epochæ hiſtoricis familiares ad illam ſua ſponte referantur. In exemplum eligimus tres quarum uſus frequentior, Olympiadas, annos urbis Romæ, annos Nabonaſaris. Per Olympiadas, aut per annos ab urbe conditâ annos definiunt, non modo Græci Romanique ſcriptores Chriſto antiquiores, ſed & Chriſtiani ſcriptores plerique. Vis diſcere eorum aliquis nobiſcum ſentiat an non? Sic calculos inſtitue, ſi per Olympiadas numeras.

1. Quatuor pro unâ quaque Olympiade annos computa. 2. ſuppone primam Olympiadem anno ante Chriſtum ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto incæpiſſe. 3. Subduc rationes, & ſic conclude annum v. g. quinquageſimæ quartæ Olympiadis tertium, eſſe annum ante Chriſtum quingenteſimum ſexageſimum ſecundum.

Annis ab Urbe conditâ utitur ſcriptor, diſtingue primo an communem, id eſt Varronianam ſupputandi rationem, an Dionyſianam anno uno poſteriorem ſequatur; ſi Varroni adhæret, ut vulgo factum eſt, ſuppone annum urbis conditæ primum, eſſe annum ante æram Chriſtianam ſeptingenteſimum quinquageſimum tertium; ſi quid igitur dicatur anno Urbis v. g. ducenteſimo ſeptimo eveniſſe, idem eſt ac ſi diceretur anno ante æram Chriſtianam quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo eveniſſe.

Non difficilius annos Nabonaſaris ad noſtros numeros reduces, quod operæ pretium eſt, cum ab illa epocha incipiat celebris ille canon regum Babylonis, regum Ægypti, & Cæſarum uſque ad Antoninum; monumentum quantivis pretii quo veluti filo veteris hiſtoriæ labyrinthus tuto percurri, & Sacra cum prophana antiquitas conciliari poſſit. Hæc epocha anno ante Chriſtum aperitur ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo; ideoque annus v. g. Nabonaſaræus centeſimus ſeptimus, annus eſt ante Chriſtum ſexcenteſimus quadrageſimus primus.

Supereſt difficultatis aliquid exhauriendum chronologo Nabonaſareos annos cum Julianis conferenti; hujus enim forma ab illius conſtitutione multum diſcrepat: Nabonaſareus annus utpote Ægyptiacæ formæ duodecim menſibus tricenariis & diebus quinque adjectitiis conſtat. Nomina & ordinem menſium habes in laterculo ſequenti.

THOTH.
PAOPHI.
ATHYR.
CHOIAC.
TYBI.
MECHEIR.
PHAMENOTH.
PHARMUTHI.
PACHON.
PAUNI.
EPIPHI.
MESORI.

Dies quinque ſemper meſori ultimo diei ſuperadditi.

Cum ſinguli menſes trigeſimo die finiantur, ex his ſimul ſumptis ſumma dierum 360. efficitur, quibus ſi ſubjunxeris dies quinque, numerus exurget dierum 365.

Itaque ſi Nabonaſareos annos cum Julianis annis comparare cupias, hac regulâ utere.

Propoſito quolibet anno Nabonaſaris, initium ejus in Juliano huic reſpondente ſi quæras: annum datum per quatuor divide; quotum è 57. ſubtrahe, ſi minor ſit quam 57. ſin major ex 422. & numerus reſiduus erit dies Julianus à Cal. Januarii, cui diei aſſignanda erit neomenia Thoth & Nabonaſarei anni initium.

Quin & Periodum Julianam & aliam quamlibet chronologicam ſupputationem ad noſtram facilè conformabis. Periodus Juliana init annis ante æram chriſtianam quater mille ſeptingentis tredecim, ſi quis ergo eventum alligat anno periodi Julianæ quingenteſimo ſecundo poſt bis mille, id anno ante æram noſtram ducenteſimo duodecimo poſt bis mille alligaſſe demonſtratur. Cave ne annos Julianos cum Periodo Juliana confundas, illi ineunt anno ante æram Chriſti 45.

Jam quæcumque ſit chronologi, quem præ manibus habes, methodus, hanc noſtræ concordet, aut repugnet, ſic dignoſces. Vide quoto ſerie quam inſtituit anno æram Chriſtianam incipiat, hinc regreſſus vide quo anno factum aliquid definiat, ſimul intelliges an nos eodem factum concedamus.

Antequam ſeriem temporum juxta noſtram opinionem proponamus; præmittendas cenſuimus tabulas aliquot quarum 1ª varias chronologorum ſententias de annis mundi uſque ad Chriſtum eo fine exhibet ut faciliùs ſecundum expoſitam ſuperius methodum noſtra chronologia cum illorum diverſis ſyſtematibus conferatur.

2ª. Patriarcharum annos ante diluvium juxta triplicem editionem.

3ª. 4ª. & 5ª. annos Patriarcharum poſt diluvium juxta triplicem editionem.

TABULA PRIMA.

Opiniones Celebriorum Chronologorum de anno mundi quo incipit æra Chriſtiana.

3740. R. Nahaſſon.
3754. R. Gerſon R. Ben Levi & R. Abraham.
3758. Judæi in Seder Olam.
3760. Hieronymus à S. fide, Paulus à S. Maria, Lyraous, Georgius Venetus, Galaninus, & alii qui ſequuntur Chronica vulgata.
3780. R. Levi.
3784. Aliqui Talmudici.
3834. S. Julianos ex Hebraica editione.
3849. Benedictus Arias Montanus.
3928. Gerardus Mercator Lighfoot.
3932. Matthæus Beroaldus.
3941. S. Hieronymus in ſuis quæſtion. Hebr.
3944. Joannes Carion.
3949. Origanus, Argolos, Bullialdus.
3950. Scaliger, Ubbo Emmius, Fabricios, Vecchiettus, Calviſius, Helvicus, Alſtedius, Micrelius, Strauchius.
3952. Hermannos.
3953. Vincentius Bellovacenſis, Cornelius à lapide.
3955. Joannes Georgius Hervvart.
3956. Horatius Turſellinus.
3958. Lanſpergios qui debuerat juxta propria principia numerare 3972.
3961. F. Matthias Cheſneux Auguſtinianus, Salmeron.
3962. Sixtus Senenſis, Lucidus, Picus Mirand. & alii quam plurimi Mathematici.
3963. Teſtatus, Melanchton, Bustorfius.
3964. Petrus Balliſardus, Chriſtianus Severt, Daniel Angelocrator.
3966. Petrus Opmeer.
3968. Hieronymus Bardius.
3969. Funccius, Bullingerus, Henricus Buntingus.
3970. Bukolcerus, Pantaleon, Janſenius.
3971. Lombardus, Krentsheimius.
3977. Theodorus Bibliander.
3984. Bellarminus, Petavius.
3989. Carolos Bovillos.
3993. Joannes Kepplerus.
4000. Natalis Alexander.
4004. Uſſerius, ut falſo Lancelotus aſſerit
4005. Marc. Ant. Cappellus, Tirinus, Jac. Gordonus, Uſſerius.
4022. Peterius, Conradus, Pauvellus.
4032. Thomas Lydiat.
4040. Guil. Langius, Henricus Philippi.
4049. Joannes Jacobus Hofmannus.
4051. Xantes Pagninus.
4053. Nicolaüs Mullerus.
4054. Brietius, Labbe, Henricus Samerius, Torniellus, Spondanus.
4055. Horatius Scoglius, Salianus, Buſſieres.
4058. R. Moſes Bar Maïemon, Joſephus Blancanus.
4072. Jo. de Roa, Davila.
4088. Arnaldus Pontacus.
4090. Genebrardus.
4095. Ribera.
4105. Ludovicus Capellus.
4121. Brentius.
4133. Maluenda.
4142. Laorentius Codomanos.
4184. Ricciolus Justa Volgat. & Hebr. Edit.
4193. Marianus Scotus.
4270. Ado.
4320. Odiaton, ſeu Eduvicon Aſtrologus.
4697. Caſſiodorus.
4830. Origenes in Matthæum.
4832. Adon Archiepiſcopus Viennenſis.
4891. Author hujus Chronologiæ.
5000. Metrodorus.
5001. Epiphanius in ſecunda Nicæna Synodo.
5185. Arabes aliqoi apud Genebrardum.
5196. Sigebertus, Iſidorus Hiſpalenſis.
5198. Philippus Bergomenſis.
5199. Martyrologium Romanum, Beda, Euſebius Cæſarien.
5201. Paulus Oroſius, Baronius, Paulus Foroſempronien. Jo. Nauclerus.
5220. Iſidorus in originibus.
5296. Rabanus Maurus.
5328. Albumaſar Aſtronomus.
5336. S. Iſidorus Peluſiota, Lucas Tudenſis.
5351. S. Auguſtinus apud Genebrardum.
5494. Panodorus, Pagius.
5497. Q. Julius Hilarion.
5500. Theophanes, Jordanus, Nicephorus C.P.
5504. Alexandrina Eccleſia.
5505. Nicephorus Caliſtus.
5506. Cedrenus.
5508. Theophilus Antioch. Chronicon Alexandrin.
5509. Epiphanius Cyprius.
5510. Eccleſia C. P.
5624. Clemens Alexandrinus.
5634. Ricciolus Juxta LXX. Edit.
5800. Lactantius.
5801. Philaſtrius.
5972. R. P. Pezron.
5984. Tabulæ Alphonſinæ in codice Riccioli.
6000. S. Cyprianus, Suidas
6004. Iſaac Voſſius.
6011. S. Julianus Archiepiſcopus Toletanus.
6311. Onuphrius Panvinius.
6984. Joannes Regiomontanus, & Alfonſus Rex in Tabulis Mulleri.

TABULA

TABULA SECUNDA.

Decem primorum Patriarcharum Stemma & annorum vitæ ſummam complectens ad diluvium uſque, idque juxta triplicem, Judæorum, Græcorum & Samaritanorum calculum.

	Secundùm Text. Hebr. Genuit anno vitæ ſuæ.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno mundi natus eſt.	Anno mundi obiit.		Secundùm LXX. Interp. Genuit anno vitæ ſuæ.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno mundi natus eſt.	Anno mundi obiit.	Secundùm Samaritanos. Genuit anno vitæ ſuæ.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno mundi natus eſt.	Anno mundi obiit.
1 Adam	130	800	930	1	930		230	700	930	1	930	130	800	930	1	930
2 Seth	105	807	912	130	1042		205	707	912	230	1142	105	807	912	130	1042
3 Enos	90	815	905	235	1140		190	715	905	435	1340	90	815	905	235	1140
4 Kainan	70	840	910	325	1235		170	740	910	625	1535	70	840	910	325	1235
5 Mahalalel	65	830	895	395	1290		165	730	895	795	1690	65	830	895	395	1290
6 Jared	162	800	962	460	1422	a. Ed. Gr. comment. b. Hier. Euſ. & Auguſ.	162	800	962	960	1922	62	785	847	460	1307
7 Enoch	65	300	365	622	987		165	200	365	1122	1487	65	300	365	522	887
8 Matuſala	187	782	969	687	1656		a 187 b 167	782 802	969	1287	2256	67	653	720	587	1307
9 Lamech	182	595	777	874	1651		188	565 535	753 723	1474 1454	2227 2207	53	600	653	654	1307
10 Noë.	100	450	950	1056	2006		500	450	950	1662 1642	2612 2592				707	
Diluvium			duravit	cœpit	deſiit				duravit.	cœpit	deſiit			duravit.	cœpit	deſiit
			1	1656	1657					2262 2242				1	1307	1308

TABULA TERTIA.

Complectens Patriarchas poſt diluvium uſque ad Abrahamum juxta textum Hebræum, Gen. 11. 10.

	Genuit natus annos.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno mundi natus eſt.	Anno mundi mortuus eſt.
1 Sem	100	500	600	1558	2158
2 Arphaxad	35	403	438	1658	2096
3 Selah	30	403	433	1693	2119
4 Heber	34	430	464	1723	2187
5 Phaleg	30	209	239	1757	1994
6 Reho	32	207	230	1787	2016
7 Serug	30	200	230	1819	2049
8 Nachor	29	119	148	1849	1997
9 Thare	130	75	205	1878	2083
10 Abraham				2008	

TABULA QUARTA.

Complectens Patriarchas poſt diluvium uſque ad Abraham, idque juxta Samaritanorum Codicem ex Euſebii Chronico Græco.

	Genuit natus annos.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum	Anno mundi natus eſt.	Anno mundi mortuus eſt.
1 Sem	100	500	600	1209	1809
2 Arphaxad	130	303	433	1309	1742
3 Selah	135	303	433	1439	1872
4 Heber	134	270	404	1569	1973
5 Phaleg	130	109	239	1703	1942
6 Reha	132	107	239	1833	2072
7 Serug	132	100	230	1965	2195
8 Nachor	79	69	148	2095	2243
9 Thare	70	75	145	2174	2319
10 Abraham					

TABULA QUINTA

Complectens Patriarchas poſt diluvium uſque ad Abrahamum, idque ſecundùm LXX. tranſlationem.

	Juxta Sixtinianam editionem. Genuit natus annos.	Vixit poſt quam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno Mundi natus eſt.	Anno Mundi mortuus eſt.	Juxta Baſiliraſem & Vvechelianam edit. Genuit natus annos.	Vixit poſt quam genuit.	Vixit in univerſum	Anno Mundi natus eſt.	Anno Mundi mortuus eſt.
1. Sem.	100	500	600	2153	2765	100	555	455	2165	2600
2. Arphaxad	135	403 Euſ. 400 430 Plant.	338 535 565	2265	2205 Euſ. 2600 2830 Plant.	135	330	465	2265	2730
3. Kainan.	130	330	460	2400	2860	130	330	460	2300	2860
4. Selah.	130	406 Euſ. 315	330 465	2530	3066 Euſ. 2995	130	330	460	2530	2990
5. Heber.	134	255 Euſ. 270	369 404	2660	2929 3064 Euſ.	134	370	504	2660	3164
6. Phaleg.	134 130 Plant.	209	339	2794	3133	130	209	339	2794	3133
7. Reho.	132	207	339	2924	3263	132	107	339	2924	3263
8. Serug.	130	200	330	3056	3386	130	200	330	3056	3286
9. Nachor.	79 Af. Ev.	179 125	295 204	3186	3384 Euſ. & Afr. 3409	79	† 129	208	3186	3294
10. Thare.	70	135	205	3262 Euſ. & Afr. 3365.	3570	70	135	205	3265	3370
11. Abraham.										

Digitized by Google

Anno Mundi.	MUNDUS AUTUMNO CREATOS.	Anno ante æram Chriſt.
Adam. 1. 131.	Vixit Adam centum triginta annis & genuit ad imaginem & ſimilitudem ſuam & vocavit nomen ejus Seth. *Gen.* 5. *v.* 3.	4890. 4760.
Seth. 235.	Vixit quoque Seth 105. annis & genuit Enos, *Ibid. v.* 6.	4656.
Enos. 325.	Vixit quoque Enos nonaginta annis & genuit Caïnan, *v.* 9.	4566.
Caïnan. 395.	Vixit quoque Caïnan 70. annis, & genuit Malaleel, *v.* 12.	4496.
Malalel. 460.	Vixit quoque Malaleel 65. annis, & genuit Jared, *v.* 15.	4431.
Jared. 622.	Vixit Jared 162. annis, & genuit Henoch, *v.* 18.	4269.
Henoch. 687.	Porro Henoch vixit 65. annis, & genuit Mathuſalam, *v.* 21.	4204.
Mathuſal 844.	Vixit quoque Mathuſala 187. annis, & genuit Lamech, *v.* 25.	4175.
930.	Adamus moritur.	3961.
988.	Enoch raptus.	3903.
1042.	Seth moritur.	3849.
Lamech. 1056.	Vixit autem Lamech 182. annis, & genuit Noë, *v.* 28.	3835.
1140.	Enos moritur.	3751.
1235.	Caïnan moritur.	3656.
1290.	Malaleel moritur.	3601.
1422.	Jared Moritur.	3469.
1536.	Noë prædicit diluvium poſt annos 120. futurum, *Gen.* 6. *v.* 3.	3355.
1558.	Noë genuit Sem, *Gen.* 13. *v.* 5.	3333.
1655.	Mathuſale moritur.	3236.
Noë. 1656.	Anno ſexcenteſimo vitæ Noë menſe ſecundo, ſeptimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, &c. *Gen.* 7. *v.* 11.	3235.
	A Mundo condito ad diluvium incipiens anno 1656. duravit anno integro.	
	Noë erat ſexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverunt ſuper terram, *Gen.* 7. *v.* 7.	
1657.	Sexcenteſimo primo anno, primo menſe, primâ die menſis imminutæ ſunt aquæ &c. *Gen.* 8. *v.* 3.	3234.
1659.	Cum eſſet centum annorum Sem genuit Arphaxad biennio poſt diluvium, *Gen.* 11. *v.* 10.	3232.
1794.	Arphaxad genuit Sale 135. annos natus, *Gen.* 11. *ex Septuag.*	3097.
1924.	Sale quoque vixit 130. annis, & genuit Heber, *v.* 14.	2967.
2006.	Noë moritur æt. 950.	2885.
2058.	Vixit autem Heber 134. annis, & genuit Phaleg, *v.* 16.	2833.
2153.	Sem moritur.	2738.
2188.	Vixit quoque Phaleg 130. annis, & genuit Reu, *v.* 18. tunc diviſa eſt terra, id eſt partiri limite campos mos cœpit.	2703.
2320.	Vixit autem Reu 132. annis, & genuit Sarug, *v.* 20.	2571.
2450.	Vixit quoque Sarug 130. annis, & genuit Nachor, *v.* 22.	2441.
2529.	Vixit autem Nachor 79. annis, & genuit Thare, *v.* 24.	2362.
2659.	Vixit Thare 130. annis, & genuit Abraham, Nachor & Haran.	2232.
2734.	Septuaginta quinque annorum erat Abram cum exiret de Haran, *Gen.* 12. *v.* 4. hoc anno moritur Thare, Abram Charris migrat	2157.

Anno Mundi.		An. ant. æ. Abr.
	& uſque in Sichem pertranſit, ubi audit à Deo: Semini tuo dabo terram hanc, *Gen.* 12. *v.* 7. hoc eodem & ſequentibus annis novem Abram venit in Bethel verſus meridiem: fame compulſus in Ægyptum migrat. Inde in terram Chanaam regreditur. Loth ab eo ſeparatur, confirmantur promiſſiones à Deo factæ, venit in Hebron: quatuor reges ſuperat, à Melchiſedech benedicitur; Deo rurſus promiſſiones confirmante & fœdus cum Deo, præſcripto ab ipſo nomine ſacrificio ſancit, futuramque ſuæ poſteritatis 400. annorum peregrinationem, ſervitutem, afflictionem edocetur, &c. *Gen. cap.* 12. *& tribus ſequentibus.*	
2744.	Sara tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam poſt annos 10. quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro ſuo in uxorem, *Gen.* 16. *v.* 3.	2147.
2745.	Anno undecimo incunte Agar nubit Abrahæ, concipit Iſmaëlem, dominam ſuam Saram deſpicit, ab ea durè habita fugit, ab Angelo ad heram redire. eique obtemperare jubetur, *Gen. c.* 16.	2146.
	Naſcitur Iſmaël, octoginta & ſex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Iſmaëlem, *Ibid. v.* 16.	
2758.	Abraham nonaginta novem erat annorum quando circumcidit carnem præputii ſui, & Iſmaël filius tredecim annos impleverat tempore circumciſionis ſuæ. Eadem die circumciſus eſt Abraham & Iſmaël filius ejus, & omnes viri domûs illius tam vernaculi quam emptitii & alienigenæ pariter circumciſi ſunt, *Gen.* 17. *v.* 24.	2133.
2579.	Poſtquam nonaginta & novem annorum (ſcil. exactorum) eſſe cœperat, (Abrahamus) apparuit ei Dominus, &c. *Gen.* 17. *v.* 1. Quem ad annum ſpectat etiam illud *v.* 21. Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac quem pariet tibi Sara tempore iſto, in anno altero, id eſt ſequenti. Hoc anno Abrahæ centeſimo currente geſta ſunt quæ traduntur c. 17. *Gen. & tribus ſequentibus.* Deus rurſum apparens Abrahæ renovat promiſſiones. Abram & Saraï nomina in Abraham & Saram immutat, præcipit circumciſionem. Iſaac ex Sara anno ſequenti naſciturum prædicit, Iſmaëlis ſucceſſum pollicetur, Abraham cum ſuis circumciditur, Angelos hoſpitio ſuſcipit qui Saræ partum & Sodomorum interitum prænunciant. Angeli apud Loth Sodomæ hoſpitantur, eumque, uxorem & filias imminenti incendio eripiunt. Sara Geraris ſoror Abrahami putata periculum ſubit, & evadit,	2132.

Digitized by Google

Anno Mundi.		An. ant. Chr.
	non ſine miraculo in familia Abimelech divinitus edito.	
2760.	Naſcitur & octavo die circumciditur Iſaac, cum Abrahamus 100. eſſet annorum: hac quippe ætate patris natus eſt Iſaac, *Gen.* 21. *v.* 5.	2131.
	Crevit puer & ablactatus eſt anno juxta Hieronymum quinto, *Gen.* 25. *v.* 8.	
2765.	Ejice ancillam hanc & filium ejus, *Ibid. v.* 10. *& inf. v.* 14. ſurrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & utrem aquæ impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum & dimiſit eam.	2126.
2785.	Iſaac cum 25. annorum eſſet juxta Joſephum Deo à patre in ſacrificium offertur ſed à Deo neci ſubtrahitur.	2106.
2797.	Vixit Sara centum viginti ſeptem annis & mortua eſt in civitate Arbe, quæ eſt Hebron, *Gen.* 23. *v.* 1.	2094.
2800.	Iſaac cum eſſet quadraginta annorum, duxit uxorem Rebeccam, *Gen.* 25. *v.* 20.	2091.
	Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram, 25. 1.	
	Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua, eo quod eſſet ſterilis, qui exaudivit eum & dedit conceptum Rebeccæ, *Gen.* 25. ℣. 21.	
2810.	Sexagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei parvuli nempe Jacob & Eſaü.	2071.
2835.	Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum ſeptuaginta quinque anni & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, &c. *Gen.* 25. *v.* 7. Tunc Iſaac erat 75. annorum: Jacob verò & Eſau 15.	2056.
2860.	Eſaü quadragenarius duxit uxores, *Gen.* 26. *v.* 34.	2031.
2883.	Facti ſunt anni vitæ Iſmaël centum triginta ſeptem, deficienſque mortuus eſt, *Gen.* 28. *v.* 17.	2008.
2896.	Jacob matre ſuadente benedictionem paternam præripit, tum eâdem ſuadente in Meſopotamiam Syriæ proficiſcitur, quo in itinere vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, *Gen.* 28. *v.* 12. Erat tum Jacob annorum circiter 77.	1995.
	Et poſtquam impleti ſunt dies menſis unius dixit ei: num quia frater meus es, gratis ſervies mihi, &c. *Gen.* 29. *v.* 15.	
	Servivit ergo Jacob pro Rachel ſeptem annis, *Ibid. v.* 20.	
2904.	Expleto primo ſervitutis ſeptennio Lia nubit Jacobo: ac poſt ſeptem dies Rachel eidem fit conjux, *Gen.* 29. *v.* 28.	1987.
2905.	Anno 8. ſervitutis naſcitur Ruben, ex Lia.	1986.
2906.	Anno 9. ſervitutis Lia parit Simeonem.	1985.
2907.	Anno decimo Lia parit Levi.	1984.
2908.	Anno undecimo ex Lia naſcitur Juda, ex Bala, Dan.	1983.

Anno Mundi.		An. ant. Chr.
2909.	Anno 12. ex eadem Bala natus eſt Nephthali, ex Zelpha Gad.	1982.
2910.	Anno 13. ex Zelpha naſcitur Aſer, ex Lia Iſſachar.	1981.
2911.	Anno 14. ineunte ex Lia Zabulon, exeunte Dina naſcitur. Et Rachele Joſeph, dixitque Jacob ſocero ſuo, *dimitte me ut revertar in patriam, & ad terram meam: da mihi uxores meas pro quibus ſervivi tibi ut abeam*, *Gen.* 30. 25. & 26.	1980.
2914.	*Per viginti annos in domo tua ſervivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & ſex pro gregibus tuis*, inquit Jacobus ad Laban, *Gen.* 31. *v.* 41. Abſoluto iſto anno vigeſimo Jacobus in terram Chanaam revertitur cum eſſet circiter 97. annorum: Joſeph autem annum ætatis ſuæ ſeptimum ingreſſus. Tunc fœdus pepigerunt Jacob & Laban in monte Galaad ut latè refertur *Gen.* 31. tunc facti ſunt Jacobo obviam Angeli Dei. *Gen.* 32. ℣. 1. Luctatus eſt cum Angelo ibid. ℣. 24. Muneribus & officiis fratrem ſuum Eſaü placat cap. 33.	1973.
	Jacob poſt ſuum à Meſopotamia reditum partim in Socoth, partim ad Sichem manſit annis decem.	
	Dinam quando violata eſt fuiſſe annorum ſedecim & quatuor menſium auctor eſt Demetrius apud Euſebium.	
2917.	Poſt caſum Dinæ ante abductionem Joſephi venit Jacob in Bethel aliquamdiu ibidem habitavit, mox in Hebron migravit, tum Joſeph venditus. Anno decimo ſexto completo incipiunt anni 430. moræ filiorum Iſraël in Ægypto, agebat enim annum ætatis ſuæ 17. ut habet tranſlatio ſeptuaginta Interpretum: tunc Jacob erat 107. annorum, cui eodem anno Deus apparuit Geneſ. 35. ℣. 7. confirmavitque Teſtamentum cum Abraham initum de Meſſia ex Jacob orituro qui Gentes congreget conſule V. Gr. ab hac Teſtamenti confirmatione ad legem datam numerat Paulus ad Galat. 3. ℣. 12. annos 430.	1964.
2928.	Anno 18. Joſephi videtur natus	1963.
2929.	Her primogenitus Juda, anno	1962.
2930.	ſequenti Onan, ſequenti Sela.	1961.
	Joſeph ab uxore Putipharis fruſtra tentatus & calumniam paſſus.	
	Completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum conſumptuſque ætate mortuus eſt & appoſitus eſt populo ſuo & ſenex & plenus dierum & ſepelierunt eum Eſaü & Jacob filii ſui. *Gen* 35. *v.* 28. Tunc Jacob & Eſau erant 120. annorum, quia nati cum Iſaac eſſet ſexagenarius, *Geneſ.* 25. *v.* 26.	
2941.	Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium, *Gen.* 41. *v.* 1. nempe ex eo tempore quo pincerna Regis officio ſuo reſtitutus fue-	1950.

Anno Mundi.		An ant. ær. Chr.
	rat jam autem antea in carcere aliquandiu manſerat Joſephus.	
	Ecce ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in univerſa terra Ægypti; quos ſequentur ſeptem anni tantæ ſterilitatis ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia, *Gen.* 41. *v.* 29. & 30.	
	Annos fertiles ſanctus Auguſt. q. 128. in Geneſ. anno 30. Joſephi ſubjungit. Triginta annorum erat Joſeph quando ſtetit in conſpectu Pharaonis, *Geneſ.* 41. *v.* 46.	
1942.	Thamar ex inceſtu peperit geminos Phares & Zaram.	1949.
1950.	Biennium eſt enim quod cæpit fames eſſe in terra & adhuc quinque anni reſtant quibus nec arari poterit, nec meti. *Gen.* 45. *v.* 6.	1941.
	Jacob ut venit in Ægyptum de ætate ſua interrogatus; dies, ioquit, Peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt pauci & mali, & non pervenerunt uſque ad dies Patrum meorum quibus peregrinati ſunt, *Gen.* 47. *v.* 9. Tunc Joſephus erat 39. annorum teſte ſancto Auguſtino, *q.* 47. *in Exodum.*	
1967.	Habitavit ergo Iſraël in Ægypto, id eſt in terra Geſſen & poſſedit eam auctuſque eſt, & multiplicatus nimis, & vixit in ea decem & ſeptem annis, factique ſunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta ſeptem annorum, *Gen.* 47. *v.* 28.	1924.
3021.	Joſeph mortuus eſt expletis 110. vitæ ſuæ annis, *Gen.* 50. *v.* 25.	1870.
3044.	Anni vitæ Levi fuerunt centum triginta ſeptem; *Exodi* 6. *v.* 16.	1857.
3230.	Pharao Seſoſtris regnare incipit in Thebaïde, Ægyptum, Lybiam, Æthiopiam, Aſiam univerſam imperio ſuo ſubjicit annis mille quadringentis poſt Menem.	1661.
3258.	Anno regni vigeſimo octavo de opprimendis Hebræis cogitat, *Exod.*	1633.
3260.	Naſcitur Maria ſoror Moſis fratre natu major annis ſexdecim.	1631.
3273.	Naſcitur Aaron Moſe natu major triennio.	1618.
3276.	Moſes naſcitur anno Seſoſtris Quadrageſimo ſexto, *Exod.* 11.	1615.
3290.	Seſoſtris moritur anno regni 59. Moſis 14. Pharao Rameſſes regnat.	1601.
3316.	Anno Rameſſis vigeſimo ſexto Moſes quadragenarius negat ſe filium filiæ Pharaonis, Ægyptium interficit, fugit in Madianitidem, *Exod.* 21. *v.* 11. *Act.* 7. *v.* 53. *Paul. ad Hebr.* 11.	1575.
3356.	Poſt multum verò temporis moritur Rameſſes rex Ægypti, anno regni 66. expleto, ſuccedit Amenophis. Moſi apparet Deus, *Exod.* 11. plagæ Ægypti incipiunt.	1535.
3357.	Primum Paſcha. Exodus anno à Joſephi captivitate quadringenteſimo trigeſimo, ut probant,	1534.

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
	Exod. 12. *v.* 40. *Judith cap.* 5. *v.* 9. *Joſeph. libr.* 2. *antiq. cap.* 5. *Theophil. Antiochen. lib.* 3. *ad Autolycum ſub finem.*	
	Nobiſcum ſentiunt Eugubinus, Genebrardus, Stapletonus, Marſus, Abramus è Societate Jeſu in Pharo veteris Teſtamenti lib. 9. Catholici. Hæretici Thadæus Dunus, Voſſius Pater in Chronologiæ ſacræ Iſagoge Vulgarem chronologorum errorem novis argumentis refellemus in chronologia noſtra fuſius expoſita. Oſtendemus quoque ſententiam noſtram juvari teſtimonio Pauli ad Galatas, cap. 3. nec infirmari textu Samaritano aut verſione Græca, hanc & illum Hebraïco fonti conformes olim fuiſſe, tum lectionis varietas, tum Theophilus Antiochenus oſtendit.	
	Anno primo peregrinationis tranſitus maris rubri, Manna pluit, aquæ fluunt è ſaxo, lex data die quinquageſima ab altera, Azimorum vitulus confractus, Moſes quadraginta diebus orat pro populo, redit, jubet ornatum deponi à populo, iterum aſcendit in montem, orat quadraginta dies, redit cum ſecondis tabulis. Jetro venit ad Moſem.	
3358.	Tabernaculum erectum menſe primo Niſan, primâ die menſis, Aaron conſecratur.	1533.
3396.	Anno pereg. trigeſimo nono moriuntur Maria & Aaron, numer. 20. & 21.	1495.
	Anno quadrageſimo peregrinationis Moſes moritur, *Deut. v.* 11. Hebræi Jordanem tranſeunt, *lib. Joſue, cap.* 1.	
3402.	Anno ſexto poſt ingreſſum diviſio terræ peracta, annis poſt deſcenſum Jacob in Ægyptum quadringentis quinquaginta tribus, ſic intellige, *Act.* 13.	2489.
2410.	Joſue moritur anno regiminis poſt ſortitionem 8.	1481.
	Seniores qui Joſue diutius ſupervixerunt moriuntur poſt decem annos quo tempore geſta quæ leguntur libro judicum, cap. 17. ad libri finem.	
3420.	Servitus ſub Chuſane annis 8.	1471.
3428.	Othoniel populum à ſe liberatum judicat, annis 40.	1463.
3468.	Servitus ſub Eglone annis 18.	1423.
3486.	Aod populum liberat & judicat annis 80. Samgar feliciter pugnat anno Aod ultimo mortuo Aod.	1405.
3566.	Servitus ſub Jabine annis 20.	1325.
3586.	Debora & Barac populum liberant. Terra quieſcit annis 40.	1305.
3626.	Servitus ſub Madianitis annis 7.	1265.
3633.	Gedeo liberat populum & judicat annis 40.	1258.
3673.	Servitus ſub Abimelech annis 3.	1218.
3676.	Thola judicat annis 23. ſub eo hiſtoria Ruth.	1215.
3699.	Jaïr judicat annis 4. Ammonitæ ſub Jaire annis 18. Iſraëlem opprimunt.	1192.
3721.	Jephte judicat annis 6. Tunc anni	1170.

ſupra

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
	ſupra trecentos 26. ab anno Exodi quo portio terræ ablata Ammonitis, *Jud. cap.* 11. 26.	
3717.	Abeſan ſolus annis 5.	1164.
3732.	Abeſan cum Heli 2.	1159.
3734.	Ahialoo cum Heli 10.	1157.
3744.	Abdon cum Heli 8.	1147.
3752.	Heli ſolus 20. Tempore ſervitutis Philiſtinæ.	1139.
3772.	Samſon 20. annis tempore ſervitutis Philiſtinæ.	1119.
3792.	Samuel annis 20.	1099.
3812.	Saül rex annis 20.	1079.
3814.	Saül filius unius anni erat, id eſt, moribus innocuis, candido & ſimplici ingenio, cum regnare cæpiſſet. duobus annis regnavit & elegit tria millia de Iſraël	1077.
3817.	Amalecitæ deleti, reprobatus Saül, David unctus annos natus ſexdecim.	1074.
3818.	Pugna Davidis cum Goliath.	1073.
3830.	Samoel moritur.	1061.
3832.	Saül moritur. David 30. annos natus regnat ſuper Juda in Hebron, annis 7. menſes 6. Iſboſeth natus annos 11. regnat ſuper Iſraël.	1059.
3834.	Poſtquam Iſboſeth regnaſſet duo-	1057.

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
	bus annis pugna fortium, 2. *Reg. c.* 11. *v.* 10. *& ſeq.*	
3839.	Moritur Iſboſeth, David regnat ſuper omnes tribus.	1052.
3843.	David transfert Arcam in montem Sion, anno regni undecimo.	1048.
3847.	Adulterium Davidis.	1044.
3848.	Amnon peccat. Salomon naſcitur.	1043.
3850.	Abſalon fratrem interimit.	1041.
3853.	Abſalon redit poſtquam triennio exulaſſet.	1038.
3855.	Abſalon poſt biennium redit in gratiam cum Patre.	1036.
3857.	Anno Davidis quadrageſimo primo à prima unctione, Abſalon in Patrem rebellat & perit.	1034.
3872.	David moritur, anno ætatis 70. regni 40. expleto.	1019.
3876.	Salomon templum ædificat, anno regni quarto poſt completam terræ ſanctæ ingreſſu egreſſionem ex Ægypto 480.	1015.
3883.	Salomonis undecimo perfecta eſt domus Domini, & dedicata menſe ſeptimo.	1008.
3911.	Salomon moritur anno regni quadrageſimo inchoante, ætatis ſexageſimo ſecundo ſuccedit Roboam, Jeroboam decem tribus ſibi adjungit.	980.

Anno Mundi.	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	Anno ante ætam Chr.
3911.	Roboam anno ætatis quadrageſimo primo adhuc juvenis ſtylo non Scripturæ tantum, ſed etiam Varronis regnat ſuper Judam annos 17. & menſes plures.	Jeroboam regnat ſuper Iſraël annos viginti duos non completos.	980.
		Initium ſchiſmatis anno Jeroboam quarto,	977.
3914.		in 2. Paralip. cap. 11. 7. Incipiunt anni 390. Ezech. 10. 24. 56.	976.
3915.	Seſac expugnat Jeruſalem anno Roboam quinto.		
		Anno Jeroboam decimo octavo ineunte.	963.
3928.	Abias regnat ſuper Judam annos tres.	Anno Jeroboam 20.	660.
3931.	Aſa regnat annos 14.	Nadah filius Jeroboam regnat duobus annis id eſt anno integro & menſibus duobus.	959.
3932.	Anno ejus ſecundo ineunte.		
3933.	Anno ejus tertio.	Baaſa Nadabum interimit & regnum uſurpat & regnat viginti quatuor annos non completus.	958.
3941.	Huc uſque pax, incipit bellum cum Baaſa. Aſa urbes montis Ephraim capit anno regni undecimo.	Baaſæ nono.	950.
3945.	Anno regni decimo quinto Zara Æthiops victus idola ablata ex urbibus quas acceperat.		946.
	Iterum decem annis Juda quieſcit nullo hoſte invadente quamquam cum Baaſa pax non eſſet in cujus regnum excurrebant ſubditi Aſæ.		
3956.	Anno Aſæ vigeſimo ſexto Baaſa ut à Judæis tutus eſſet munire Rama incipit ſed Syrorum adventu cogitur ab incœpto deſiſtere ex libro Regum 3. cap. 15. ℣.° 33. corrigenduſque error qui in Paralipomena irrepſit, Lib. 2. cap. 22.		935.
		Baaſa moritur poſt viginti tres annos menſem unum. Ela filius ejus ſuccedit qui regnat annos duos non completos.	
3957.	Anno vigeſimo ſeptimo Aſæ.	Ela occiditur regnat Zambri diebus ſeptem Thebni & Amri quatuor annis de regno contendunt.	934.
2961.	Trigeſimo primo Aſæ menſe ſecundo.		
3968.	Trigeſimo Octavo menſe tertio.	Amri prævalet & regnat annos octo.	930.
3971.	Aſa rex quadrageſimo primo regni ſui moritur. Succedit Joſaphat & regnat annos 25.	Achab regnat annis viginti duobus.	923. 920.
3980.	Joſaphat nono.	Elias Prophetat.	911.

Anno Mundi.	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	Anno ante æram Chr.
3988.	Anno decimo ſeptimo Joſaphat.	Ochozias regnat cum Patre, Elias in cœlum rapitur.	903.
3989.	Anno Joſaphat decimo octavo finiente.	Achab moritur. Ochozias ſecundo regni ſui anno ægrotat & Joram regnat cum fratre. Eliſæus Prophetat.	902.
3994.	Vigeſimo tertio Joſaphat Joram filius ejus regnat cum Patre.	Joram cum fratre regnantis anno quinto finiente.	897.
3996.	Joſaphat moritur anno regni vigeſimo quinto expleto, regnat Joram ſolus.	Joram cum fratre regnantis ſeptimo.	895.
3998.	Joram ſolus ſecundo.	Moritur Ochoſias. Regnat Joram filius Achab ſolus.	893.
4001.	Joram moritur regni ſui à primo initio octavo anno, à morte Patris quinto. Succedit Ochoſias natus annos vigintiduos. Hic iterum ex Libro Regum Lib. 4. c. 8. corrigendus error qui irrepſit in Paralipomena Lib. 11. cap. 22. poſt confectam verſionem quæ 70. dicitur: natu minimus Joram qui anno quadrageſimo deceſſit quomodo Patre moriente numeraſſet annos quadraginta duos.	Joram filii Achab anno à primo initio undecimo completo, duodecimo ineunte.	890.
	Ochoſias moritur eodem anno.	Joram moritur eodem anno.	
4002.	Athalia regnum uſurpat ſex annis.	Jehu regnat 28. annos.	889.
4008.	Joas filius Ochoſiæ ad annos quadraginta.	Jehu ſeptimo.	883.
4031.	Joæ vigeſimo tertio ineunte.	Joachas filius Jehu annos ſeptemdecim non integros.	860.
4045.	Joæ anno trigeſimo ſeptimo ineunte.	Joas filius Joachas cum Patre triennium.	846.
4046.	Anno trigeſimo octavo Amaſias cum Patre.	Joæ cum patre regnantis ſecundo.	845.
4047.	Joæ anno trigeſimo nono finiente.	Joachas moritur.	844.
		Joas filius Joachas regnat ſolus annos ſexdecim non integros.	
4048.	Joas moritur, ſuccedit Amaſias, regnat annos viginti.	Joæ ſecondo.	843.
4060.	Amaſiæ decimoquinto à morte Patris duodecimo.	Joas moritur anno regni decimo ſexto à morte Patris decimo tertio.	831.
4075.	Anno vigeſimo nono à morte Patris fugit in Lachis.		816.
	Oſias in regem eligitur à conjuratis 4. Reg. c. 14. Paralip. c. 26.		
4086.	Amaſias anno poſt fugam undecimo occiditur à conjuratis.		805.
4087.	Oziæ legitimè regnantis poſt quam rex eſt mortuus primus annus. Eo regnante prophetant Oſee, Joël, Amos, Iſaïas, Abdias, Jonas, Michæas.	Jeroboam vigeſimo ſeptimo.	804.
4101.	Oziæ decimo quinto.	Jeroboam moritur. Zacharias ſuccedit quidem, ſed rebellionibus vexatus Samariam regni ſedem non obtinet niſi anno regni ſui vigeſimo tertio.	790.
4114.	Oziæ vigeſimo octavo.	Prima Olympias.	777.
4124.	Oziæ trigeſimo octavo.	Zacharias poſt menſes ſex regni pacifici occiditur à Sellom.	767.
4125.	Oziæ trigeſimo nono.	Sellum regnat menſe uno. Manahem regnat. Aſſyrii Medorum & Babyloniorum defectione debilitati animos reſumunt ſub Phacee.	766.
4136.	Oziæ anno quinquageſimo.	Manahem moritur. Phacee filius Manahem regnat.	755.
4137.	Oziæ quinqoageſimo primo.	Roma condita.	754.
4138.	Ozias quinquageſimo ſecundo à morte Amaſiæ moritur.	Phacee filius Romeliæ regnat.	753.
4139.	Joatham regnat.	Phacee anno ſecundo. Sub hoc rege Teglat-Phalaſſaris expeditio in Iſraëlem.	752.
4145.	Joatham quinto.	Phacee ſexto æra Nabonaſaris.	748.
4154.	Joatham decimo ſexto Achas cum Patre regnat.	Phacee decimo ſeptimo.	737.
4158.	Joathami vigeſimo Achas quarto.	Oſee regnum Iſraël invadit, verum nec Samaria potitur nec rex ab omnibus agnoſcitur niſi anno abhinc nono.	733.
4166.	Achas anno duodecimo exe unte.		725.
4168.	Ezechias cum Patre regnat.	Oſee Samaria potitur.	723.
4169.	Ezechias regnat ſolos.	Oſee tertio.	722.
4173.	Ezechiæ ſexto Prophetat Nahum.	Oſee nono Samariam expugnat Salmanaſar rex Aſſyrior. finit regnum Iſraëlis.	718.
4181.	Ezechiæ decimo quarto ineunte Niſan venit Sennacherib Ezechias ægrotans convaleſ-	Anno Nabonaſaris 38. Merodach 12.	710.

Digitized by Google

Anno Mundi.	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	Anno ante æram Chr.
	eit. Veniunt legati regis Babylonis t circa hoc tempus contigit hiſtoria Tobiæ.		
4182.	Ezechiæ decimo quinto deletur exercitus Sennacherib, occiditur, ſuccedit Aſſaradon.		709.
4196.	Moritur Ezechias anno regni 29. Manaſſes regnare incipit, regnat annos quinquaginta quinque.		695.
4212.	Anno Manaſſis decimo ſeptimo ineunte.	Aſſaradon Babyloniam imperio adjungit anno Nabonaſaris 68. incipiente nuna Februarii.	679.
4217.	Anno vigeſimo ſecundo Manaſſis, Manaſſis captivitas.	Aſſaradonis imperii Babylonici ſeptimo.	674.
	Manaſſis 25. Aſſaradon dedocit colonias io Samariam & tunc juxta Iſaïæ Prophetiam puſt annos ſexaginta quinque Ephraïm non fuit populus quippe Iſaïas hæc prædixit ſecundo Acbaz. Vide Iſ. 7. 5. 8.	Aſſaradonis decimo.	
4210.		Aſſar. Anno duod. vincit Phraortem Medorum regem.	671.
4222.			669.
4223.	Manaſſes vigeſimo octavo.	Anno Nabonaſaris 80. Aſſaradon decimo tertio contigit hiſtoria Judith.	668.
4229.		Semiramis annis quinque.	662.
4230.		Ciaxares qui Aſſuerus regnum Patris recipere tentat natus annos viginti: obſtant Scythæ & annis 28. Aſiam vaſtant.	661.
	Manaſſes moritur anno regni quinquageſimo quinto.		641.
4250.	Amon regnat an. uno aliquot menſ. Habacuc propbetat.		640.
4251.	Joſias regnat annos triginta unum. Incipit menſe Tiſri. Prophetat Sophonias.		
4256.	Joſiæ ſexto.	Cyaxares expulſis Scythis regnum orditur.	635.
4263.	Joſiæ decimo tertio Jeremias prophetat.		628.
4265.	Joſiæ decimo quinto.	Anno 125. Nabonaſaris Nabopolaſſar regnare incipit Cyaxaris anno octavo.	626.
4272.	Joſiæ vigeſimo ſecundo.	Anno Nabonaſaris 129. Cyaxares & Nabuchodonoſor, qui Nabocolaſar & Bel-Azia dictus, filius Nabopolaſaris paternas copias ducens Niniven diruunt non ante dirutam. Sardanapalus ſeipſum comburit Cyaxaris anno decimo ſeptimo Nabopolaſaris octavo.	619.
4273.	Joſiæ vigeſimo tertia moritur Tobias junior anno ætatis 99. auditâ prius Ninives ruinâ.		618.
4274.	Joſiæ vigeſimoquarto regnat Pharao Nechao.		617.
4282.	Joſias regni trigeſimo ſecundo inchoato occidit caſtris æſtivis. Joachas ſuccedit & regnat tres menſes: poſt hunc Joachim initio Auguſti.		609.
4285.	Joachim tertio venit Nabuchodonoſor, expugnat Jeruſalem, Rex captus & vinctus paciſcitur de obſequio regi Babylonis præſtando. Tunc plurimi abducti in Babylonem quos inter Daniel & alii de ſemine regio. Hinc initium ſeptuaginta annorum Babylonicæ captivitatis, diſcimus ex Alexandro Polybiſtore quem citat Euſebius præpar. Ev. Lib. 9. Cyaxarem fuiſſe hujus expeditionis participem.		606.
4286.	Joachim quarto Nechao rex Ægypti vincitur, de Syria & Palæſtina pellitur.	Moritur Nabopolaſſar ſub finem Junii, regnat Nabuchodonoſor magnus annos 43. anno Cyaxaris trigeſimo primo.	605.
4289.	Joachim anno ſeptimo rebellat lo Nabuchodonoſorem bellis ut veriſimile eſt impeditum. Interim Chaldæi, Moabitæ & Syri excurſionibus Judæam infeſtant.		602.
4290.	Joachim octavo Nechao rex Ægypti moritur. Succedit Pſammis.		601.
4293.	Joachim anno undecimo occiditur; captivi aliquot abducti, Jechonias regnat tres menſes dies decem. Autumno Jeruſalem obſidetur, rex ſeipſum tradit hoſti & Babylonem abducitur. Tunc tranſlati Mardochæus & Eſther in partem prædæ	Eclipſis annularis ad fluvium Halym 9. Julii hora ſexta matutina hac territi Cyaxares & Aliattes rex Lydorum pacem ineunt mediatoribus Nabuchodonoſor qui Cyaxari ſuppetias ferebat & Syenneſi principe Ciliciæ qui partes Aliattis fovebat.	598.

Anno Mundi.	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	Anno ante æram Chr.
	dati Medis Nabuchodonoſori militantibus ut docet Jeremias cap. 25. Medis credibile eſt præfuiſſe Aſtyagem.	Bellum ſex annis duraverat.	
4295.	Sedeciæ ſecundo currente.	Cyaxares moritur anno poſt expulſos Scythas quadrageſimo hic Aſſuerus Tobiæ.	596.
4296.	Sedeciæ tertio.	Primus Vaphree (Apries) regis Ægypti primus etiam Aſtyagis qui Aſſuerus Eſtheris & Darius Medos.	595.
4297.	Sedeciæ quarto.	Aſſueri ſecundo Mardochæus detegit conjurationem in regem.	594.
4298.	Sedeciæ quinto Ezechiel prophetare incipit annos triginta natus numerat annos à ſua & Jechoniæ deportatione.	Aſſueri convivium.	593.
4302.	Sedeciæ nono Nabuchodonoſor Jeruſalem obſidet.	Aſſueri ſeptimo Eſther nubit Aſſuero.	589.
4303.	Sedeciæ decimo Vaphree (Apries Herodoto) rex Ægypti Sedeciæ opem ferens à Chaldæis vincitur.		588.
4304.	Sedeciæ undecimo Jeruſalem expugnata, templum incenſum anno Nabuchodonoſoris decimo nono Ezechiel Tyriis de Jeruſalem obſidione lætantibus prædicit urbis ſuæ cladem : idem ſub anni finem incipiente anno duodecimo à deportatione Jechoniæ nuncium de capta Jeruſalem accepit. Jeremiæ Epiſtola tunc ſcripta.		587.
4305.	Nabuchodonoſoris regni Babylonici vigeſimo, Judaïci primo, Tyrus ab illo obſeſſa, durat obſeſſio in annum decimum tertium. Non prius obſeſſam docet Ezechiel, cap. 26.		586.
4306.	Nabuchodonoſoris regni Babylonici vigeſimo primo, Judaïci ſecundo, ſomnium de quo Daniel, cap. 2. prius contigerat hiſtoria Suſannæ.		585.
4307.	Nabuchodonoſoris regni Babylonici vigeſimo ſecundo, regni Judaïci tertio.	Aſſueri duodecimo Eſther populum ſuum liberat.	584.
4309.	Nabuchodonoſoris regni Babylonici vigeſimo quarto, regni Judaïci quinto Moabitas, Ammonitas, Palæſtinos, Damaſcenos, Idumæos, Cedarenos, Aſoreos, Arabes ſubigit juxta Prophetias Iſaïæ, Jeremiæ, Ezechielis, eodem anno Baruch Prophetat, ſeptem ætates quibus captivitatis tempus definit continent ſeptuaginta annos, decem unaquæque generatio; hoc ſenſu veteres Medici & Suidas uſurpant; eodem anno ultima deportatio per Nabuzardan.		582.
4317.	Nabuchodonoſoris anno regni Babylonici trigeſimo primo, Judaïci decimotertio Tyrus capta & expilata; Phœnicia ſubacta; coloniæ Tyriorum in Africa & Hiſpania hoc & ſequentibus annis perdomitæ, Torduli in Hiſpaniam tranſlati, Elimaïs & Suſæ ereptæ Medis, Perſæ inde pulſi, Hyrcani, Armeni, Moſci & Tibareni debellati; coloniæ in Pontum & & Thraciam deductæ.		574.
4321.	Nabuchodonoſoris anno regni Babylonici trigeſimo quinto, Judaïci decimo ſeptimo, Ægyptum vaſtat juxta Prophetias Exechielis cap. 29. 30. & 32.	Ultimus Apries Amaſidis primus regum Ægypti.	570.
4322.	Nabuchodonoſoris anno regni Babylonici trigeſimo ſexto, regni Judaïci decimo octavo, ſtatua erecta, miſſi in fornacem, Miſach, Sidrach & Abdenago. Somnium Danïelis, cap. 4. relatum.		569.
4323.	Nabuchodonoſoris anno regni Babylonici trigeſimo ſexto, deſinente, Judaïci decimo nono inchoato in dementiam incidit divinitus; prænunciatam perſeveravit ad annum ſeptimum. Regnum interim adminiſtravit ejus uxor Nitocris., filia Cyaxaris.		568.

REGES

Anno Mundi.	REGES JUDA.	REGES ISRAEL.	Anno ante æram Chr.
4329.	Nabuchodonoſor poſt annos quadraginta tres anno præcedente eapletos convaleſcit anoi initio. Deum verum publico edicto agnoſcit. Paulo poſt moritur. Succedit Evilmerodach filius ejus qui ſtatim Jechoniam vinculis eaimit ante annos 37. deportatum libri regum quarti cap. ultimo.		562.
4330.	Evilmerodach occiditur anno regni à Nerigliſſore ſororis marito. Regnum hic adminiſtrat pro rege annis minute Laboroſorchod qui Baltaſſar Danielis.		561.
4331.	Baltaſſaris anno primo Aſtyages aſciſcit in regni collegam Cyrum ea ſorore nepotem natum annos quadraginta cum Aſtyages annos octo ſupra quinquaginta natus eſſet, *Danielis cap. 5. v. ultimo cap. 13. v. ultimo.* Porro hac conditione aſcitus Cyrus ut Perſarum rex appellaretur. Aſtyages Medorum, hinc Perſici regni initium cujus Epocha omnium hiſtoricorum conſenſu certa neaus eſt ſacræ profanæque hiſtoriæ eodem anno vidit Daniel, quæ capite 7. libri ſui deſcribuntur.		560.
4333.	Baltaſſaris anno tertio vidit Daniel, quæ *cap.* 7. deſcribuntur.		558.
4334.	Baltaſſaris anno quarto Cyrus Babylonem expugnat. Baltaſſar poſtquam ſacra vaſa ad profanos uſus adhibuiſſet in convivio eadem nocte occiditur quà urbs capta.		557.
4 335.	Darius Medus qui Aſtyages imperium Babylonicum obtinet: anno primo regni ejus Prophetia de Septuaginta hebdomadibus Danielis capite nono relata. Daniel leonibus eaponitur hoc anno vel ſequenti.	Nabonedus prorex Babylonis ad annos ſeptemdecim.	556.
4351.	Cyrus Aſia imperio Medico adjuncta in rebellem Nabonedum movet. Ille primo Borſippum fugit tum aaylo diffiſus Cyro ſe dedit à quo habetur pethumaniter.		540.
4353.	Moritur Aſtyages anno ætatis uno ſupra octoginta, hunc annum & præcedentem Cyro tribuit canon Ptolemaicus, at Cyrus prorea tantùm Babylonis fuit quamdiu vixit Aſtyages.		538.
4354.	Cyri Imperantis anno primo ſoluta captivitas, anno à prima deportatione ſeptuageſimo, tunc evenere quæ Danielis capite 14. leguntur. Mardochæus aliquot annos ſupra nonaginta natus redit Jeruſalem.		537.
4354.	Cyri anno tertio videt Daniel quæ leguntur, cap. 21.		537.
4360.	Cyrus anno Monarchiæ ſeptimo moritur Suſis verno tempore in lecto decumbens: teſtis luculentus Xenophon cui cum Scriptura optime convenit: hoc anno deſinit quadragenaria Ægypti deſolatio prædicta ab Ezechiele cap. 29.		531.

Anno Mundi.		An. ant. ær Chr.
4368.	Cambyſes moritur anno regni octavo.	523.
	Smerdis magus regnum uſurpat & appellari vult Artaxerxes, hic Aſſuerus Eſdræ capite quarto verſu ſexto non diverſus ab Artaxerxe, de quo verſu ſeptimo qui primus domum Domini ædificari prohibuit.	
4369.	Darius Hyſtaſpis filius regnare incipit.	522.
4370.	Darii anno ſecundo edictum de templo ædificando, Xerxe qui Artaxerxes dicitur, jam cum patre regnante.	521.
4374.	Darii anno ſexto completa eſt domus Domini.	517.

Anno Mundi.		An. ant. ær Chr.
	Dario anno regni trigeſimo ſexto Xerxes ſuccedit menſe Maio.	
4404.		487.
4410.	Xerxes anno regni ſui ſeptimo ineunte vere trajicit in Græciam, cum antea Artaxerxem filium regem declaraſſet.	481.
4424.	Xerxes moritur menſe Julio anno regni vigeſimo primo inchoato, ſuccedit Artaxerxes, qui Longimanus.	467.
4430.	Artaxerxis ab eo tempore quo primum rex declaratus eſt anno vigeſimo, menſe Caſleu, ideſt Novembri Nehemias cogitat de muro Jeruſalem reficiendo.	461.
4431.	Anno ſequente menſe Niſan, id eſt Martio, Artaxerxis à prima	460.

Anno Mundi.		An. ant. æ. Chr.
	coronatione anno vigeſimo currente, eodemque à morte patris ſeptimo, Eſdras & Nehemias veniunt Jeruſalem; eodem anno diebus quinquaginta duobus refectus eſt murus in anguſtia temporum & completus die vigeſimo quinto Elul, à quo die currunt ſeptuaginta hebdomades Danielis.	
4443.	Artaxerxis anno trigeſimo ſecundo redit Nehemias ad Artaxerxem, id eſt anno poſt mortem Xerxis decimo octavo.	448.
4467.	Artaxerxes moritur anno à morte patris quadrageſimo primo.	424.
	Xerxes ſecundus menſibus duobus. Sogdianus menſibus ſeptem.	
4466.	Darius Nothus regnare incipit.	425.
4486.	Darius Nothus moritur poſt annos regni novemdecim: ſuccedit Artaxerxes Memorioſus.	405.
4531.	Artaxerxes Memorioſus moritur poſt annos regni quadraginta ſex ſuccedit Ochus.	360.
4552.	Ochus moritur poſt annos regni unum ſupra viginti, ſuccedit Arſes.	339.
4554.	Arſes moritur poſt annos duos, ſuccedit Darius Arſami filius.	337.
4558.	Jaddua excipit Alexandrum.	333.
4559.	Darius vincitur ad Arbela ab Alexandro: finis regni Perſici.	332.
4560.	Darius necatur.	331.
4566.	Alexander moritur decimâ nonâ Julii, poſtquam regnaſſet ſupra Macedones annos duodecim menſes ſeptem, à pugna Iſſiaca annos octo: à morte Darii annos ſex: ſuccedit Aridæus.	325.
4572.	Aridæus moritur anno regni ſeptimo poſt quem Ptolemaïcus canon in Regum Babylonis ſeriè Alexandrum Ægum Alexandri filium collocat.	319.
4580.	Seleucus Babyloniam, Mediam, Suſianam ditioni ſuæ ſubjicit & Syriæ regno dat initium: inde Æra Græcorum, qua utuntur ſcriptores utriuſque libri Machabæorum prior, annos à Niſan inchoat, poſterior à Tiſri, quâ obſervatione facilè conciliantur.	311.
4587.	Simeon Juſtus Oniæ filius ab Eccleſiaſtico laudatus Pontificatum init.	304.
	Circa illud tempus vixit Jeſus filius Sirach author Eccleſiaſtici.	
4606.	Ptolomæus Lagi poſt annos regni quadraginta moritur ætatis anno octogeſimo quarto, ſuccedit Ptolomæus Philadelphus.	285.
4609.	Seleucus Nicanor moritur anno regni 31. regnat Antiochus Soter ejus filius quo regnante ſex Judæorum millia ſoli peremerunt centum viginti millia Galatarum propter auxilium illis datum de cælo: incertum quo Soteris anno, *Machab. lib. 2. cap.* 8. *v.* 20.	282.
4625.	Arius Spartanorum Rex moritur, qui ad Oniam ſummum Pontificem hujus nominis primum ſcripſit, *Machab.* 1. *cap.* 12.	266.

Anno Mundi.		An. ant. æ. Chr.
4628.	Antiochus cognomine Deus patri ſuccedit.	263.
4642.	Ptolomæus Philadelphus & Antiochus Deus pacem & nuptias pacis obſides ineunt. Antiochus rejectâ Laodice Berenicem ducit Philadelphi ſororem, Hieronymus *in Dan.* 11.	249.
4643.	Philadelpho in regno Ægypti ſuccedit Ptolomæus Evergetes.	248.
	Antiochus Rex Syriæ Berenicem Philadelphi filiam expellit, Laodicem revocat: hæc veneno maritum, necat Berenicem ejuſque filium occidit.	
	Seleucus cognomento Callinicus ſuccedit Antiocho.	
4665.	Seleucus Ceraunus Rex Syriæ quintus ſuccedit Callinico.	228.
4666.	Antiochus magnus rex Syriæ poſt Ceraunum.	225.
4669.	Ptolemæus Philopator ſuccedit Ptolomæo Evergeti.	222.
4673.	Antiochus à Ptolemæo Philopatore vincitur ad Raphiam, induciæ inter eos annuæ. Ptolemæus venit Jeruſalem & cum in ſanctum ingredi vellet mirabiliter coërcetur, *Machab. lib.* 3.	218.
4674.	Ptolomæus Philopator Judæos ad idololatriam compellens divinitus immutatur, *Machab. lib.* 3.	217.
4679.	Antiochus magnus debellato Philopatore Judæos ſibi adjungit.	212.
4786.	Ptolomæus Epiphanes quadrimus Philopatori ſuccedit in regnum Ægypti, Hieronymus, *in cap.* 11. *Dan.*	205.
4687.	Antiochus cum Philippo fœdus init adverſus Ptolomæum.	204.
4688.	Legati Romani ad Antiochum miſſi ut pacem cum Ægypti Rege ſuaderent, ab eo contemnuntur, Hieronymus *in cap.* 11. *Dan.*	203.
4692.	Antiochus filiam Cleopatram Ptolomæo deſpondet, Hieron. *in Dan. cap.* 11.	199.
4694.	Antiochus Syriam Judæamque recipit victo Scopa Ptolomæi duce, cæſis Judæorum pluribus Scopæ militantibus, deinceps erga populum Judaïcum clemens.	197.
4699.	Antiochus filiam ſuam tradit Ptolomæo: bellum contra Romanos movet, inſulas Romanis fœderatas aggreditur.	192.
4700.	Antiochus victus ad Thermopylas in Aſiam fugit: claſſis Antiochi infeliciter pugnat.	191.
4701.	Antiochus à Scipionibus vincitur & captus emittitur, quod filium Scipionis captivum patri remiſiſſet, legatos de pace ad Scipiones, deinde Romam mittit.	190.
4702.	Pax Antiocho data eâ lege ut Aſiæ locis cederet & Provinciis quæ ultra Taurum ſunt quæ Eumenis Pergamenorum Regis eſſent in poſterum, *Appianus & Machab. lib.* 1. *cap.* 8.	189.
4703.	Antiochus magnus occiditur cum Beli templum in Elymaide deprædari tentaret & ſuccedit Seleucus Philopator.	188.

Digitized by Google

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
4705.	Seleucus Heliodorum mittit ad templum expilandum, Heliodorus cæleſtibus oſtentis à ſacrilegio deterretur.	186.
4710.	Ptolemæo Epiphani ſuccedit Ptolomæus Philometor.	181.
4713.	Philometoris anno quarto Doſitheus Epiſtolam Phurim attulit Jeruſalem, *Eſther. cap.* 11.	178.
4715.	Seleuco Philopatori ſuccedit Antiochus Epiphanes.	176.
4716.	Jaſon Oniam hujus nominis tertium virum ſanctiſſimum Pontificatu per fraudem ſpoliat.	175.
4719.	Menelaüs Jaſonem eadem fraude ſacerdotio exuit, qua Jaſon fratrem Oniam.	172.
4720.	Antiochi prima in Ægyptum profectio, vincit Ægyptios inter Peluſium & Caſium montem, ſe pueri Regis tutorem profitetur. Ptolomæus Cypri præfectus inſulam illi tradit. Lyſimachus fratri Menelao ſubſtituitur. Menelaus Oniam per Andronicum occidi curat: criminis pænas luit Andronicus.	171.
4721.	Lyſimachus multa conſcio Menelao ſacrilegia patrans occiditur à populo. Secunda Antiochi expeditio adverſus Ægyptum. Jeruſalem capitur & diripitur anno Græcorum quadrageſimo tertio poſt centeſimum.	170.
4722.	Antiochus tertiâ expeditione Ægyptum ſuæ ditioni ſubjicit præter Alexandriam. Philometori ab Alexandrinis ſufficitur frater qui Phyſcon & Evergetes dictus ad eum veniens Philometor regni particeps fit: deinde pellitur. Antiochus fratrum diſcordiam fovet & fruſtra tentat Alexandriam.	169.
4723.	Ptolemæi in gratiam redeunt, Antiochus ab Alexandriæ obſidione deſiſtit deterritus à Legatis Romanis. Interim Apollonius Antiochi juſſu Jeruſalem iterum diripit ſævitque in Judæos. Antiochus redux furorem in Judæorum legem vertit: martyrium Eleazar, & ſeptem fratrum cum matre. Mathathias cum filiis religionis & patriæ defenſionem ſuſcipit.	168.
4724.	Mathathias moritur.	167.
4725.	Judas Apollonium, Nicanorem, Timotheum & Bacchidem vincit.	166.
4726.	Judas Lyſiam vincit. Templum repurgatur 25. menſis Caſleu.	165.
4727.	Lyſias iterum vincitur. Antiochi mors: ſuccedit Antiochus Eupator filius Antiochi. Lyſias pacem offert Judæis, ſed perfidi Syri Judæos vexare non deſinunt.	164.
4728.	Judas arcem obſidet. Antiochus Eupator vincitur. Pax confecta Menelaüs pænas criminum luit, cui ſuccedit in Pontificatum Alcimus æque ſceleratus.	163.
4729.	Antiochus Eupator occiditur: regnat Demetrius filius Seleuci Philopatoris.	162.
4730.	Alcimus Demetrium contra Judæos incendit. Vincitur Nicanor. Judas fœdere cum Romanis inito infeliciter pugnat cum Bacchide & occiditur, cui ſuccedit Jonathas frater ejus.	161.
4731.	Alcimus miſerè perit. Vacat Pontificatus in ſeptennium. Judæa duobus annis quieſcit.	160.
4733.	Jonathas Bacchide debellato pacem cum Syris componit.	158.
4738.	Alexander Antiochi Epiphanis filius Demetrium aggreditur. Jonathas partes Alexandri ſequitur, à quo creatus Pontifex Maximus.	153.
4741.	Demetrius Soter pugnans fortiter occumbit: regnat Alexander ducitque Cleopatram Ptolomæi Philometoris filiam. Jonatham magno habet in pretio. Onias in Ægypto templum ædificat abuſus Prophetiâ Iſaïæ cap. 19.	150.
4743.	Demetrius Demetrii Soteris filius Alexandrum Balam aggreditur: Jonathas Apollonium Demetrii ducem fugat.	148.
4745.	Alexander à ſuis deſertus & ab ipſo ſocero Philometore oppugnatus perit. Philometor eodem tempore moritur, cui ſuccedit Ptolomæus frater.	146.
4746.	Jonathas Demetrium placat, hic à Judæis defenditur contra ſubditos rebelles quorum ad centum millia occiderunt. Demetrius Beneficii immemor Judæos inſectatur.	145.
4747.	Tryphon Antiochum Alexandri filium regem appellat & cum Jonatha fœdus init. Jonathas adversùs Demetrianos bellum proſpero eventu gerit. Cum Romanis & Spartiatis amicitiam renovat, dein Tryphonis fraude conjicitur in vincula & necatur. Hoc anno Græcorum Sexageſimo nono poſt centeſimum ſcripta eſt prima Epiſtola quæ legitur initio ſecundi libri Machabæorum.	144.
4748.	Simon Machabæus fratri ſuccedit & ad Demetrium tranſit, poſtquam Tryphon Antiocho Alexandri filio interfecto tyrannidem uſurpaſſet: tunc ablatum eſt ab Iſraël jugum gentium: ab hoc anno numerandi anni qui in ſiclis Samaritanis occurrunt: fuit hic annus Græcorum Septuageſimus poſt centeſimum.	143.
4749.	Simon arcem Hieroſolymitanam expugnat.	142.
4750.	Demetrius à Parthis capitur cæſo exercitu.	141.
4752.	Cleopatra nubit fratri prioris mariti Demetrii Antiocho qui Soter Pius & Sidetes dicitur, ad eos deficiunt Tryphonis Milites.	139.
4753.	Tryphon interficitur.	138.
4756.	Simon à Ptolomæo genero perfidiosè necatur.	135.
	Joannes Hyrcanus, Simonis filius & ſucceſſor ab Antiocho Sotere in urbem Hieroſolymitanam	

Digitized by Google

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
	compulſus obſidetur : pax certis conditionibus ſancita.	
4759.	Anno Ptolemæi Evergetæ ſive Phyſconis trigeſimo octavo, ex quo cum fratre regnavit, Jeſus avi ſui Jeſu Siracidæ librum Interpretatur.	1 3 2.
4761.	Antiochus Sidetes Parthos bello aggreſſus victor primò, poſtea victus in templo Nanneæ percutitur & membratim ſcinditur, cujus morte Judæa prorſus libera remanſit.	1 3 0.
4762.	Joannes Hyrcanus Idumæam ſubjicit, Idumæos ad Circumciſionem compellit.	1 2 9.
4766.	Anno Græcorum centeſimo octogeſimo octavo ſcripta eſt ſecunda Epiſtola quæ legitur initio libri ſecundi Machab.	1 2 5.
4784.	Joannes Hyrcanus moritur anno ſui Pontificatûs vigeſimo nono, cui ſuccedit Ariſtobulus ejus filius & diadema regium aſſumit.	1 0 7.
4785.	Ariſtobulo ſuccedit Alexander Jannæus.	1 0 6.
4812.	Alexander Jannæus poſt annos viginti ſeptem fortunati principatûs moritur : hic finis menſis Prophetici annorum triginta quo durante tres paſtores populi Judaïci auferendos prædixit Zacharias capite undecimo : ſuccedit Alexandro Hircanus cujus loco Mater regnum per annos novem adminiſtrat.	79.
4824.	Hircanus anno regni tertio ab Ariſtobulo fratre ſpoliatur.	67.
4827.	Pompeius expugnatâ Jeruſalem Hircano regium nomen reſtituit, Judæam Romanis ſubjicit.	64.
4844.	Antigonus Ariſtobuli filius fruſtra ad Julium Cæſarem recurrit. Herodes annos natus quinque & viginti Galilææ præficitur.	47.
4851.	Antigonus Parthorum auxilio Hircanum regno pulſum in vincula conjicit. Herodes procelloſo tempore navigat in Italiam ac rex Judææ declaratur à Triumviris & Senatu.	40.
4854.	Jeruſalem à Soſio expugnata, Antigonus ſecuri percuſſus. Herodes regno potitur.	37.
4860.	Pugna Actiaca.	31.
4861.	Herodes Hircanum Aſmonæorum ultimum interficit.	30.
48[illegible].	Anno urbis conditæ 747. Tiberio Claudio & Calpurnio Piſone conſulibus, Auguſtus Cenſor perpetuus renunciatus, cenſendi tempus currebat à prima die hujus anni uſque ad ultimam anni U. C. 751.	7.
4885.	Hoc anno U. C. 748. Chriſtum natum affirmant M. A. Capellus, Keplerus, Hanſchenius, Pagius.	6.
4886.	Hoc anno natum Chriſtum aſſerunt Dekerus, Petavius, Perron & alii plures quo anno Quintilium Varum uſque ad Octobrem Syriæ præfuiſſe nummi probant : nos Sulpitium Quirinium Conſulatem Varo ſucceſſiſſe probabimus aliquando.	5.

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
4887.	Hoc anno Verbum caro factum eſt 25. Martii. Joannes natus 24. Junii. JESUS CHRISTUS NATUS die 25. Decembris, ſecundum Sulpitium Severum Patreſque alios numero plures, quo anno Herodes Judæos Auguſto obligavit, Sacramento à Phariſæis ſex mille recuſato tunc cenſus actus in Judæa Præſide Syriæ Quirinio.	4.
4888.	Hoc anno natum Chriſtum ſextâ Januarii Patres multi, aliâ die Baronius, Scaliger.. putavêre. Jeſus Chriſtus circumciſus, adoratus à Magis, Nazareth profectus, inde in Ægyptum poſt mortem Herodis reverſus. Mortuus Herodes circa Paſcha regni trigeſimo ſeptimo à prima inſtitutione, trigeſimo quarto à capta Jeruſalem nondum expletis. Succedit Archelaüs.	3.
4890.	Anno urbis conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio. Hoc anno natum Chriſtum ignorantiæ ſæculis creditum eſt, à qua opinione docti receſſerunt ſuperiori ſæculo.	1.
4891.	ÆRA CHRISTIANA anno urbis conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto.	1.
4900.	Chriſtus anno duodecimo ætatis expleto, cum Jeruſalem veniſſet ad Paſcha, non rediit cum parentibus, inventus poſt triduum in templo.	10.
	Anno imperii Tiberii quinto & decimo ineunte, Joannes præcurſoris miniſterium exorſus, circa feſtum expiationis prædicat pœnitentiam.	
4918.	Chriſtus octavâ Novembris baptizatus ſecedit in deſertum. Tentatur decimâ nonâ Decembris.	28.
	Vigeſimâ redit ad ripas Jordanis.	
	Vigeſimâ primâ Joannes reſpondit legatis Judæorum ſe non eſſe Chriſtum.	
	Vigeſimâ ſecundâ alterâ die poſt legationem Jeſus à Joanne declaratur AGNUS DEI.	
	Vigeſimâ tertiâ ſecundum Joannis teſtimonium, Petrus & Andreas Dominum ſequuntur.	
	Vigeſimâ quartâ tertiâ die poſt legationem Joannes Pontificum juſſo in vincula conjicitur. Jeſus Philippum & Nathanael vocat; Abit in Galilæam.	
	Sext[illegible]e Januarii Chriſtus ad nuptias vocatus aquam mutat in vinum : poſtea relictâ Nazareth deſcendit cum matre & diſcipulis Capharnaüm ubi manſit, non multis diebus.	
	Jeſus aſcendit in naviculum Petri. Petrus laxans in verbo ejus rete concludit multitudinem piſcium copioſam ; vocatur à Chriſto cum fratre Andrea & relictis omnibus uterque Dominum ſequitur.	

Jeſus

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
	Jeſus reverſus Capharnaüm ſabbato ejicit dæmonium; inde circuiens Galilæam docet in Synagogis ſanans omnem languorem.	
	Eligit Apoſtolos & concionem habet quæ dicitur ſermo Domini in monte, hac finitâ leproſum mondet. Capharnaüm ingreſſus ſanat puerum Centurioris.	
	Synagogâ egreſſus venit in domum Petri & Socrum ejus febribus liberat, veſperè omnes male habentes curat, factâ autem die abit in deſertum locum.	
	Matthæus vocatus: geſta deinde quæ apud Matthæum referuntur cap. nono.	
	Miſſi Apoſtoli duodecim ad prædicendum: geſta quæ leguntur capite decimo. Miſſi paulo poſt ſeptuaginta diſcipuli.	
	Filius viduæ Naim ſuſcitatus.	
	Diſcipuli Joannis Miſſi à Joanne, nondum vinculis ſoluto, veniunt ad Jeſum. Geſta quæ leguntur Matthæi cap. undecimo.	
	Mulier peccatrix lachrymis pedes Chriſti riget, ei remittuntur peccata.	
	Inſtante Paſchâ Judæorum aſcendit Jeſus Jeroſolymam; ejicit templo vendentes & ementes. Geſta quæ leguntur Joanois capite ſecundo à verſu 13. ad tertii 21. Joannes vinculis ſolvitur. Paſcha contigit Aprilis 16. ſabbato.	
	Sabbato ſecundo primo, id eſt, ſabbato ſequente diem primum poſt Paſcha, quo manipulus ſpicarum offerebatur, hoc ſabbato in quam diſcipuli per ſata tranſeuntes reprehenſi quod ſpicas vellerent, à Domino defenduntur.	
	Altero ſabbato manus arida ſanate.	
	Tunc mulieres Jeſum ſequebantur quas inter Maria Magdalena.	
	Martha excipit Dominum.	
	Dominus docet diſcipulos modum orandi. Dominus baptizabat in Judæa, Joannes Baptiſte in Ænnon.	
	Jeſus ut cognovit quie eudierunt Phariſæi, quod Jeſus baptizaret, reliquit Judæam & abiit iterum in Galilæam: oportebat autem tranſire per Samariam; tranſcondo cum Samaritana colloquitur.	
	Jeſus venit iterum in Cana & ſanat reguli filium. Joannes ab Herode vinctus. Jeſus Phariſæos inſectatur.	
	Phariſæi eum Herodianis conſpirant adverſus Jeſum. Jeſus ſecedit ad mare Tiberiadis. Geſta quæ Matthæus cap. 12. à verſ. 14. & Marcus cap. 3. à verſu 6. referunt: ea etiam quæ Matth. c. 13. & Marc. c. 4.	
	Jeſus venit Nazareth in patriam ſuam, ibi contemnitur.	

Anno Mundi.		An. ae ær. Chr.
	Joannes decollatur vigeſimâ nonâ Auguſti.	
	Jeſus redit ad feſtum tabernaculorum & ſabbato langnidum ſanat juxta piſcinam.	
4920.	Reverſo in Galilæam Domino Herodes auditâ ejus famâ Joannem putat ſurrexiſſe à mortuis.	30
	Jeſus abit in locum deſertum qui eſt Bethſaidæ trans mare Galilææ: erat proximum Paſcha & ſequebatur eum multitudo magna quam Dominus pavit quinque panibus & duobus piſcibus: ac ne facerent eum regem fugit. Geſta quæ Joannes capite ſexto refert & Matthæus 14. à ℣. 13.	
	Jeſus aſcendit ad Paſcha celebratum hoc anno 5. Aprilis feriâ tertiâ, & ſtatim redit in Galilæam: geſta quæ Lucas refert cap. 5. 14.	
	Accedunt ad Jeſum Scribæ & Phariſæi ab Jeroſolymis: ſecedit in partes Tyri & Sidonis; redit ad mare Galilææ: paſcit quatuor millia hominum ſeptem panibus & piſciculis paucis: venit in fines Magedan: iterum trans fretum in deſertum abit.	
	Geſta quæ Lucas refert, cap. 15. & 16. venit Bethſaïdem & cæcum ſanat.	
	Inde Cæſaream Philippi venit: Petri fidem laudat & præmio afficit: dies ſex nempe die octavâ poſt Confeſſionem Petri.	
	Sextâ Auguſti transfiguratur.	
	Poſtridie dæmonem ejicit quem diſcipuli ejicere non potuerant: cum veniſſet Capharnaüm jubet Petrum ſtatere invento in ore piſcis ſolvere tributum pro ſe & Petro. Apoſtolos compeſcit de primatu contendentes. Geſta quæ Matth. narrat cap. 18. clam venit ad Scenopegia.	
	Ingreditur Jeruſalem feſto mediante.	
	Cæco nato viſum reſtituit.	
	In Galilæam proficiſcitur.	
	Redit Jeruſalem ad Encænia.	
4921.	Moratur circa Jordanem ubi Joannes baptiſaverat. Geſta quæ Matthæus narrat capit. 19. & 20. uſque ad verſ. 17.	31.
	Jeſus faciem ſuam firmat ut eat in Jeruſalem, non recipitur à Samaritanis. Jacobum & Joannem docet quis zelus Chriſtianum deceat, decem leproſos curat, prædicit Apoſtolis quæ paſſurus erat Jeruſalem, nuncium accipit de morbo Lazari, ſubſiſtit duobus diebus quibus elapſis iter proſequitur, cæcum ſanat prope Jericho.	
	Ingreſſus Jericho divertit ad Zachæum, egrediens Jericho cæcis duobus viſum reddit. Venit Bethaniam & Lazarum ſuſcitat.	
	Concilium Pontificum adverſus Jeſum.	
	Jeſus moratur cum diſcipulis in deſerto Ephrem.	
	Jeſus Bethaniam redit: Maria pe-	Mart.

Anno Mundi.		An. ant. ær. Abr.
	des illius ungit. Judas dolet ſublatam ſurandi occaſionem.	17
	Feria Prima, Jeſus ingreditur Jeruſalem triumphans; veſperè redit Bethaniam.	Mart. 18.
	Feria ſeconda, redit Jeruſalem, ficui maledicit.	Mart. 19.
	Feria tertia, vident diſcipuli ficum exaruiſſe.	Mart. 20.
	Feria quarta, Judas Dominum vendit triginta argenteis.	Mart. 21.
	Feria quinta, ſub veſperam, incipiente primâ die Azymorum Jeſus diſcipulis dicit, parate nobis Paſcha ut manducemus; cœnantibus illis dat ſub ſpecie panis corpus, ſub ſpecie vini ſanguinem ſuum.	Mart. 22.
	Feria ſexta, Jeſus horâ tertiâ judicatus, horâ ſextâ crucifixus, moritur quâ horâ neceſſe erat occidi Paſcha, ſepelitur veſperè.	Mart. 23.
	Sabbato decimâ quintâ Azymorum, ejus corpus in ſepulchro, anima cum Patrum animabus manet.	Mart. 24.
	Feria prima, oblatio manipuli: Chriſtus reſurgit.	Mart. 25.
	Apparet primò Mariæ Magdalenæ.	
	Secundò mulieribus piis quæ ad monumentum venerant.	
	Tertiò Petro.	
	Quartò diſcipulis euntibus in Emmaüs.	
	Quintò Apoſtolis abſente Thomâ.	
	Sextò poſt dies octo apparet Apoſtolis Thomâ præſente.	1. Apr.
	Septimò apparet in monte Galilææ pluſquam quingentis fratribus.	
	Octavò deinde viſus eſt Jacobo.	
	Nonò viſus Apoſtolis ad mare Tiberiadis piſcantibus: ac ſæpius per quadraginta dies, conveſcens & loquens de regno Dei.	
	Denique feriâ quintâ die quadrageſimâ à reſurrectione, Jeſus aſcendit in cælum & ſedet à dextris Dei.	3 Maii.
	Die Maii decimâ tertiâ, quæ Dominica & in quam hoc anno Pentecoſtes Judæorum incidit, Spiritus ſanctus deſcendit horâ tertiâ, quinquageſimâ die poſt reſurrectionem Domini: eâdem Petrus primâ concione tria hominum millia convertit.	
	Sanatur claudus à Petro & Joanne, & ſecundâ Petri concione convertuntur quinque millia, Petrus & Joannes, in carcerem miſſi citò remittuntur.	
	Petrus Ananiam & Sapphiram verbo interficit.	
	Apoſtoli in carcerem miſſi liberantur ab Angelo.	
	Rurſus in judicium adducti virgis cæduntur.	
	Creantur ſeptem Diaconi.	
	Die vigeſimâ ſextâ Decembris lapidatur Stephanus Diaconorum primus, diſperguntur fideles.	

Anno Mundi.		An. ante ær. Chr.
4922.	Philippus Diaconus convertit Samaritanos. Petrus & Joannes illos confirmationis Sacramento muniunt. Philippus Diaconus Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum baptizat.	32.
4923.	Die Januarii vigeſimâ quintâ Paulus convertitur.	33.
	Paulus Damaſco diſcedit in Arabiam: mox Damaſcum revertitur à Chriſto ipſo per revelationem edoctus fidei myſteria.	36.
4926.	Pilatus exauctoratus & in exilium miſſus Viennam ubi ſe ipſum interemit. Caiphas quoque hoc anno in ordinem redactus poſt modum miſerè perit. Judæi in Paulum conſpirant & præfectum Arabem Damaſci in eum incendunt, Paulus per murum dimiſſus in ſporta evadit, venit Jeruſalem, tribus annis elapſis à converſione. Barnabas illum ducit ad Petrum & Jacobum fratrem Domini. Permanet apud Petrum dies quindecim. Poſtea deducitur Cæſaream & inde Tarſum dimittitur.	37.
	Petrus Lyddæ paralyticum ſanat Joppe Dorcam ſuſcitat.	
4927.	Saulus in Cilicia prædicat: Tiberius moritur: Caius ſuccedit.	38.
4928.	Saulus in Syria prædicat. Petrus Cornelium baptizat.	39.
4929.	Matthæus Evangelium Scribit. Herodes Antipas regno exuitur extat nummus illius Herodis qui Caii nomen habet inſcriptum & annum quadrageſimum tertium, incipit hæc Epocha ab eo tempore quo Herodes Aſcalonita paulo ante mortem Judæos coegit Sacramento ſe obſtringere Cæſari. Vide Joſephum. Barnabas Antiochiam mittitur. Saulus Tarſum redit.	40.
4930.	Barnabas Saulum ducit Antiochiam. Agabus famem prædicit ſub Claudio futuram.	41.
4931.	Caïus occiditur. Succedit Claudius. Saulus & Barnabas annum totum Antiochiæ laborant: diſcipuli cognominantur Chriſtiani.	42.
4932.	Herodes Agrippa Herodis Aſcalonitæ nepos, ut placeret Judæis Jacobum Joannis fratrem gladio occidit. Petrum Carceri mancipat. Petrus ab Angelo liberatur.	43.
	Judæam premit fames. Saulus & Barnabas Eleemoſynas Chriſtianorum Antiochenorum deferunt Jeruſalem. Joannes Marcus illis jungitur.	44.
	Saulus & Barnabas ſegregati à Spiritu ſancto, ut gentibus prædicarent, Seleuciam veniunt. Ac deinde in Cyprum navigant. Saulus priuſquam Antiochiâ excederent raptus fuit ad tertium cælum.	
4933.	Sergius Paulus proconſul Cypri fit Chriſtianus. Paulus & Barnabas Pergam Pamphiliæ veniunt.	45.
4934.	Paulus & Barnabas in Piſidiam perveniunt. Et Antiochiæ Piſidiæ	

Anno Mundi.		An. ant. ær. Chr.
	plurimum laborant. Piſidiâ pulſi in Lycaoniam proficiſcuntur. Iconii, Lyſtris, Derbæ multa patiuntur. Herodes Agrippa divinitus percuſſus moritur.	
4935.	Iterum Lyſtram veniunt Saulus & Barnabas. Inde Antiochiam Piſidiæ, & conſtituunt per ſingulas Eccleſias Preſbyteros. Pergam ac inde Antiochiam Syriæ repetunt.	46.
4936.	Orta quæſtio de legalibus retinendis.	47.
4937.	Concilium Apoſtolorum anno poſt Converſionem Pauli decimo quinto, decretum Concilii, Paulus, Barnabas, Judas & Silas, perferunt Antiochiam; quam in urbem venit etiam Petrus.	48.
4938.	Petrus à Paulo reprehenditur; Paulus & Barnabas diſſident de Joanne Marco; Paulus aſſumpto in ſocium Silâ perambulat Syriam & Ciliciam; pervenit Derben & inde Lyſtram; ubi Timotheum circumcidit & ſecum abducit.	49.
4939.	Paulus per Phrygiam, Galatiam, Myſiam excurrit, Troadem venit, ubi Lucas ei adjungitur. Troade in Macedoniam tranſit; Philippis moratur ac poſtea per Amphipolim & Apolloniam Theſſalonicam pervenit, ubi diu prædicat.	51.
4941.	Paulus Berœam petit, inde pulſus Athenas venit, Timotheum mittit Theſſalonicam.	52.
4942.	Judæi Italiâ pelluntur; Paulus Corinthum venit; inde ſcribit utramque Epiſtolam ad Theſſalonicenſes.	53.
4943.	Paulus ſiſtitur coram Gallione Achaiæ proconſule, liber dimittitur. Abiturus in Syriam comam ſibi ex voto attondet in Cenchris Corinthi portu Epheſum appellit, & relictis ibi Aquila & Priſcilla, Cæſaream profectus aſcendit Jeruſalem quarto & inde Antiochiam deſcendit. Interim Apollo venit Epheſum & ab Aquila ac Priſcilla melius eductus, Corinthum profectus eſt.	54.
4944.	Paulus per Phrygiam & Galatiam Epheſum venit, prædicat in Synagoga tres menſes.	55.
	Claudius moritur. Succedit Nero.	
4945.	Petrus Corinthum inde Romam primo venit & ibi ſedem figit Antiochiâ relictâ Evodio.	56.
	Paolus diſſerit in Schola Tyranni Epheſi.	
	Apullo Corintho ad Paulum venit. Scribit Paolus primam ad Corinthios, præmittit Timotheum cum Eraſto in Macedoniam.	
4946.	Excitatâ ſeditione contra ſe abit in Macedoniam: unde ſecundam ad Corinthios Epiſtolam ſcribit; poſt annos quatuordecim, ex quo raptus fuerat in tertium cælum. Scribit quoque ad Galatas	57.

Anno Mundi.		An. ante ær. Chr.
	è Macedonia, in Græciam venit.	
4947.	Marcus Evangelium ſcribit Romæ. Petrus Româ diſcedens alias Europæ partes luſtrat. Paulus Corintho ſcribit ad Romanos.	58.
	Jacobus frater Domini Epiſtolam ſuam ſcribit. Lucas Evangelium.	
4948.	Paulus ex Græcia in Macedoniam reverſus Philippis manet per dies Azymorum. Venit Jeruſalem quinto; circa Pentecoſten coram Felice accuſatur. Ceſareæ in vinculis retinetur, coram Druſilla iterum auditur.	59.
4949.	Paulus Ceſareæ manet in libera cuſtodia. Petrus Romam reverſus inde primam Epiſtolam ſcribit.	60.
4950.	Felici biennio expleto, ex quo Paulus accuſatus eſt, ſucceſſor datus. Paulus ſiſtitur Feſto, Cæſarem appellat. Producitur coram Agrippa; Romam navigat. Jacobus frater Domini interficitur.	61.
4951.	Paulus Romam pervenit, anno Neronis ſeptimo, menſe Februario.	62.
4952.	Paulus in vinculis ſcribit ad Philippenſes, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Philemonem.	63.
4953.	Paulus Româ diſcedere permittitur. Italiam prædicando luſtrat, ſcribit ad Hebræos, Lucas Acta conſcribit.	64.
4954.	Paulus in Cretam navigat & ibi Titum Epiſcopum relinquit, è Creta in Judæam ſexto cum Timotheo venit è Judæa in Aſiam, Colloſſenſes viſitat, Epheſi Timotheum relinquit Epiſcopum.	65.
	Nero Chriſtianos perſequitur. Joanni exuli in Pathmo revelatur clades Jeruſalem. Deicidæ & Romæ idololatræ quæ Apocalypſi exprimitur.	
4955.	Paulus Philippis moratur, ſcribit ad Timotheum & ad Titum. Hyemat Nicopoli.	66.
4956.	Paulus Corinthum petit, & ibi Eraſtum relinquit. Venit Troadem, ubi penulam relinquit, libros & membranas apud Carpum. E Troade Miletum venit, ibi hæret Trophimus æger. Bellum contra Judæos incipit. Petrus cruci affigitur vigeſimâ nonâ Junii: paulo ante ſecundam Epiſtolam ſcripſerat; Linus Petro ſuccedit.	67.
4957.	Paulus Romam accedens conjicitur in vincula, defendit ſe coram Helio cui Nero abſens vices ſuas tradiderat, nemo illi adeſt, tamen ereptus ex ore leonis ſcribit ſecundam ad Timotheum Epiſtolam. Inde in Galliam & Hiſpaniam peregrinatur. Romam redux, cervicibus abſciſſis cælo tranſmittitur, vigeſimâ nonâ Junii, anno à morte Petri revoluto, ita Prudentius, Auguſtinus, Arator.	68.

Anno Mundi.		An. ante ær. Chr.	Anno Mundi.		An. ant. et Chr.
4958.	Nero ſeipſum interimit nonâ Junii.	69.	4986.	Joannes Evangelium ſcribit & poſtea Epiſtolas quarum prima ad Parthos.	96.
4960.	Titus Jeruſalem expugnat & diruit die Auguſti xxxr. hic finis quadraginta annorum peccati Juda nempe Deicidii de quibus Ezechiel.	70.	4988.	Judas frater Jacobi Epiſtolam ſcribit.	98.
				Joannes ultimus Apoſtolorum moritur.	

FINIS.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roi de France & de Navarre. A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Notre cher & bien amé le Sieur **** Nous ayant fait remontrer qu'il ſouhaiteroit faire imprimer & donner au public un Manuſcrit qui a pour titre, *Annotationes in libros Veteris & Novi Teſtamenti*: s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires; offrant pour cet effet de le faire imprimer en bon papier & beaux caracteres, ſuivant la feüille imprimée & attachée pour modele ſous le contre-ſcel des Preſentes: A CES CAUSES voulant traiter favorablement ledit Sieur Expoſant; Nous lui avons permis & Permettons par ces Preſentes de faire imprimer ledit Livre cy-deſſus expoſé, en un ou pluſieurs Volumes, conjointement ou ſeparement, & autant de fois que bon lui ſemblera; ſur papier & caracteres conformes à ladite feüille imprimée & attachée pour modele ſous notredit contre-ſcel, & de le faire vendre & debiter par tout notre Royaume pendant le tems de douze années conſécutives, à compter du jour de la date deſdites Preſentes: Faiſons défenſe à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient d'en introduire d'impreſſion Etrangere dans aucun lieu de notre obeïſſance; comme auſſi à tous Libraires-Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Livre ci-deſſus ſpecifié en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits ſous quelques prétextes que ce ſoit d'augmentation, correction, changement de titre, même de traduction Etrangere ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Sieur Expoſant ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Sieur Expoſant, & de tous dépens, dommages & interêts; à la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion de ce Livre ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs, & que l'impetrant ſe conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du dix Avril dernier; & qu'avant que de l'expoſer en vente le Manuſcrit ou Imprimé qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Livre ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée ès mains de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville Commandeur de nos Ordres: Et qu'il en ſera enſuite mis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Preſentes; Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Expoſant ou ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement: Voulons que la copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre ſoit tenuë pour dûëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaire foi ſoit ajoûtée comme à l'Original; Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires; Car tel eſt notre plaiſir. DONNE' à Paris le dixiéme jour du mois de Janvier, l'an de grace mil ſept cens vingt ſix, & de notre Regne le onziéme. Par le Roi en ſon Conſeil, DE SAINT HILAIRE.

Regiſtré ſur le Regiſtre VI. de la Chambre Royale & Syndicale de la Librairie & Imprimerie de Paris N°. 378. fol. 304. conformément au Reglement de 1723. qui fait défenſe, Art. IV. à toutes perſonnes de quelque qualité qu'elles ſoient autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement, & à la charge de fournir les Exemplaires preſcrits par l'Article CVIII. du même Reglement, à Paris le douze Février mil ſept cens vingt-ſix.

BRUNET, Sindic.

J'ai cedé à Monſieur de l'Eſpine le preſent Privilege, ſuivant l'accord fait entre nous. Fait à Paris le dix de Mars mil ſept cens vingt & ſept. HENNEQUIN.

Regiſtré la Ceſſion de l'autre part ſur le Regiſtre VI. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris page 519. conformément aux Reglemens & notamment à l'Arrêt du Conſeil du 13. Août 1703. à Paris le treize Mai mil ſept cens vingt-ſept. BRUNET, Syndic.

251664

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google